Nº 1
1270-2021

Nota_n_

Jaula
Estante A1
Tabla 87

R. 1063

# ANNALES
## ECCLESIASTICI
AB ANNO MCXCVIII.
UBI DESINIT
## CARDINALIS BARONIUS,
AUCTORE
## ODORICO
# RAYNALDO
CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERO.

Accedunt in hac Editione

NOTÆ CHRONOLOGICÆ, CRITICÆ, HISTORICÆ,
QUIBUS RAYNALDI ANNALES ILLUSTRANTUR, SUPPLENTUR, EMENDANTUR,
AUCTORE
## JOANNE DOMINICO MANSI
LUCENSI
CONGREGATIONIS MATRIS DEI.

## Tomus Tertius.

LUCÆ

Typis LEONARDI VENTURINI MDCCXLVIII.
*De Superiorum Licentia.*

# ANNALES ECCLESIASTICI.

JESU CHRISTI ANNUS 1257. — ALEXANDRI PAP. IV. ANNUS 3. — VACAT IMP. OCCID. 7. BALDUINI II. IMP. ORIEN. 29.

I. Exorta inter electores Imperii discordia. Richard. & Alphonsus Reges designati.

ANNO salutis quinquagesimo septimo supra millesimum ducentesimum indictione quintadecima humani generis hoste scindente principum animos, atrox exarsit dissensio, deque Imperii majestate inter electos duos principes est disceptatum. Admoniti jussique erant, ut antea vidimus, principes electores, ne in locum Willelmi interfecti Conradinum Friderici secundi ex filio nepotem, tum ob generis, tum ætatis vitium reipub. gubernaculis admoverent, paruerantque ii dictis apostolicis: sed in contrarias partes distracti, alii Richardo Cornubiæ comiti Henrici Anglorum Regis fratri, alii Alphonso Castellæ & Legionis Regi Imperium detulere, dignissimi ambo principes Imperio, ob egregias virtutes, quibus ornati erant, præclaraque facinora edita, quorum fama ad remotissimas orbis oras penetrarat, si concordia in alterutrum suffragia principum cecidissent. Rem hisce verbis perstringit Henricus Stero (*a*).

(*a*) *Stero apud Canis. antiq. lect. to. 1. pag. 276.*

II. Qui Richardo adhæserint.

*Principes regni pro eligendo Rege tamdiu habitis diversis conventibus tandem diffinitivum electionis diem in octava Epiphaniæ statuerunt in Frankefurt celebrandum, ubi dum quidam convenissent, Moguntinus, & Coloniensis archiepiscopus, & Ludovicus comes Palatinus Rheni, & frater suus dominus Henricus dux Bavariæ in Richardum fratrem Regis Angliæ convenerunt, & electus ab ipsis subsequenter in die Ascensionis Domini apud Aquisgranum in Regem ungitur, & potenter in regni solio collocatur. Dominus autem Trevirensis episcopus cum aliis quibusdam principibus consentire nolens electioni prædictæ, in media quadragesimæ fretus literis, & auctoritate Regis Bohemiæ, ducis Saxoniæ, marchionum de Brandeburch, & multorum principum elegit dominum Alfonsum Regem Hispaniæ, qui electioni consentit, persuasus a Regibus & principibus & amicis.*

Qui Alphonso.

III. Ad rei historiam contrariis hominum studiis obscuratam involutamque tenebris illustrandam, veritatem ex iis petere operæ pretium duximus, quæ coram sede Apostolica in Cardinalium consessu, a Richardi Alphonsique oratoribus, utramque in partem jactata fuere, quæque Pontifex suis literis (*b*) ad electos, & Imperii æmulos, ut de tota disceptati ipsorum juris serie faceret certiores, conscripsit. Effluebat annus, intra quem, extincto Willelmo, eligendus erat Francofurti Romanorum Rex, octavusque ab Epiphania dies tractando negotio constitutus, ac sane, ut Richardus cum suis contendebat, ut Rex crearetur præfixus, ut vero e contra Alphonsus, ipsiusque studiosi, non ut de eo eligendo, sed ut de iis, quæ ad eligendum spectarent, agitaretur. Primi accessere Francofurtum dux Saxoniæ, atque episcopus Trevirensis; interfuisse etiam procuratorem Regis Bohemiæ, ac ducem Saxoniæ, marchionis Brandeburgensis vices gessisse asserebat Alphonsus, negabat Richardus. Iis vero in urbe agentibus venere archiepiscopus Coloniensis, cui archiepiscopus Maguntinus, tentus tunc ab hoste in vinculis, suas vices demandarat; & co-

(*b*) *Ext. in cod. Vall. MS. sign. c. 49. pag. 9.*

In quibus dissenserint electores.

comes Palatinus, quibus in urbem præclusum aditum contendebat Richardus; e contra Alphonsus ita ingressum vetitum, quod magno armatorum numero succincti venissent, vimque electoribus aliis inferre molirentur; ipsis vero denuntiatum urbis portas patefactum iri, si honesto tantum comitatu stipati ad tractandas Imperii res, remota illa armatorum multitudine, ingredi dignarentur.

IV. Argumenta pro Richardo allata.

Exulceratis ita principum electorum animis, invicemque dissentientibus, quos contraria agebant studia, archiepiscopus Coloniensis, & comes Palatinus, captato consilio, Richardum in Romanorum Regem elegerunt, ita ut Coloniensis archiepiscopus etiam pro Maguntino suffragium conferret, cujus facti illam rationem proposuere, quod cum pauciores dies excurrentis anni, intra quem necessitas Regis eligendi incumberet, nec intra definitum illum extremum terminum principes electores convenire facile posse viderentur, sua interfuisse, electionem celebrare: alios vero principes eligendi Regis munere excidisse, sive quod ad locum attinebat, nec præsentes, nec procuratorum opera, ut Rex Bohemiæ, & marchio Brandeburgensis, non pervenissent, sive ad comitia agenda, urbisque portas pandere, ut dux Saxoniæ atque archiepiscopus Trevirensis noluissent.

V. Contraria pro Alphonso.

His opponebat Alphonsus non fuisse minoris electorum numeri majorem numerum ad definiendam electionis celebrandæ diem cogere, antequam ultima evolventis se se anni dies laberetur. Interea dum Richardi celebraretur electio, qui Francofurti principes substiterant, neminem elegere, sed post evolutum a morte Willelmi annum archiepiscopus Trevirensis, cui Rex Bohemiæ, Brandeburgensis marchio, ac Saxoniæ dux vices suas imposuere, ut Alponsus affirmabat (instabat enim contra Richardus, ut demandatam ipsi eam provinciam literis ostenderet) cum se Francofurtum contulisset, evocatis archiepiscopis Coloniensi & Maguntino, qui jam vinculis laxatus erat, & comite Palatino, nec iis venientibus, dominica palmarum in Francofordiensi palatio Alphonsum Castellæ, & Legionis Regem suo, & aliorum principum nomine in Romanorum Regem elegit. Hæc nos ad controversiæ illius nobilissimæ lucem affundendam ex Urbani literis suis locis adducendis, interim decerpere voluimus. Quis vero meliori jure an Richardus, cujus electio prior erat, an Alphonsus, in quem major demum electorum numerus concurrerat, potiretur; utque ea causa coram Apostolica sede diutius ventilata, tandem Richardo mortuo; Gregorius X. Alphonsum coegerit, ut suo juri ad Imperium renuntiaret, ni suam ab Apostolica sede causam damnari vellet, quo vita functo extinctoque impendentis belli periculo, Rodulphus ad Imperium est evectus, inferius exponemus.

VI.

Prætermissis his silentio Parisius, quæ Richardi causam tantum fulciunt, fusius (a) prosequitur recensetque, ut archiepiscopus Coloniensis Imperii protocancellarius, plurésque Germaniæ proceres in Angliam solemnes oratores, ac literas miserint Richardo, quibus ad capessendum Germaniæ regnum hortabantur. Versabatur tum cum Rege nobilitatis Anglicanæ flore circumfuso, cum ab oratoribus illi significatum est electorum suffragia in eum confluxisse: hinc perstringebat oculos diadematis oblati fulgor, hinc ultimorum Germaniæ Regum Lantgravii, Henrici, & Willelmi comitis Hollandiæ infelix casus terrorem incutiebat: tum etiam Richardi præsentia Angliæ omnino necessaria videbatur. At Rex Angliæ, cum suspensos expectatione omnium animos cerneret, Richardum hortatus est, honorem divinitus atque humanitus oblatum acciperet: si respueret dignitatem, divinæ repugnaturum voluntati: maximam inde gloriam in Anglos redundare, atque Anglis Germanisque fretum nullo periculo appetitum iri.

(a) Par. hist. Angl. hoc ann.

Germani oratores ad Rich. missi.

Præclaram Richardi in admittendo Imperio vocem adducit Parisius, sibi mortem repentinam flammasque inferorum imprecari, si vel ambitione inflatus, vel avaritia adductus sceptrum acciperet: sed tantummodo illius regni suo splendori restituendi desiderio commoveri, utque eos, qui ipsum elegerant, summa moderatione, æquitate, ac dignitate regeret. Cur vero Germani exterum in Regem Romanorum adscisserent, ad mutuam illorum invidiam ac discordiam auctor causam derivat; præterea ad immensas opes, quibus Richardus circumfluebat. Tum principes enumerat, e quorum nutu electio pendebat: *Hi sunt*, inquit, *maximi in Alemannia, ad quorum nutum pendet electio ipsius regni, quod est quasi arrha Imperii Romanorum, archiepiscopus Coloniæ, cujus titulus est sacri Imperii protocancellarius post honorem archipræsulatus: archiepiscopus Maguntinus, archiepiscopus Treverensis, Rex Bohemiæ, comes Palatinus de Rheno, dux Austriæ, dux Suaviæ, qui & comes Bavariæ, dux Poloniæ, marchisius de Michæ, marchisius Brandeborg, dux Saxoniæ, dux de Brunesvvic, dux de Carentene, dux de Melai, dux Brabantiæ, qui & Lovaniæ, Landegravius Duringiæ, marchio Misniæ. Inter omnes hos magnates supereminens est archiepiscopus Coloniensis, qui coronare tenetur Regem Alemanniæ apud Aquisgranum, ab antiqua & approbata consuetudine.* Non levi-

Richardus sola publicæ rei causa sceptrum admittere profitetur.

Principes electores ex Parisio.

Is ex Pontificum literis emendatur.



leviter tamen auctor aberravit a rei veritate, cum Pontifices in suis literis de ea controversia agentes septem tantum electores enumerent, nimirum archiepiscopos Coloniensem, Maguntinum, Trevirensem; Regem Bohemiæ, ducem Saxoniæ, comitem Palatinum, ac marchionem Brandeburgensem.

VII. Archiep. Coloniensis in Angliam adventus.

Quo vero Richardus de Germanorum principum voluntate certior fieret, in Germaniam oratores ad exploranda eorum studia misit, quorum plures optime erga eum se affectos ostentarunt. Quinetiam Conradus Coloniensis archiepiscopus magno procerum numero stipatus in Angliam venit, ut Richardum ad petendam Germaniam, capessendaque gubernacula incenderet: omnia ipsi cessura feliciter, populosque ac principes ejus imperia excepturos. Londini etiam publico, ac solemni ritu fidem suam sacramento astrinxit, ejusque exemplo alii proceres in ipsius verba jurejurando adacti. Explicuit in eos regiam magnificentiam Richardus, atque inter alia mithram egregio opere laminis aureis tectam, ac lapillis pretiosis distinctam Conrado contulit: quam cum capiti imposuisset, urbane subjecit, se ipsius capiti in grati animi signum regiam coronam impositurum.

VIII. Richard. Aquisgrani diademate insignitus.

Convertit mox curas Richardus in adornanda profectione, conflataque validissima classe, ac magnis opibus in naves asportatis, vela in Germaniam fecit, felicique in terram excensione facta, summo applausu ab innumera hominum multitudine, quæ ipsi sese obviam effuderat, exceptus, adductusque Aquisgranum, a Coloniensi archiepiscopo in Regem Romanorum inauguratus est, similiterque ipsius uxor Sancia regio diademate redimita. Hæc de Richardo Parisius, cujus partibus pro innato in patriam amore studuit asseritque nunquam Germanos oratores de Alphonso electo mentionem edidisse aut legatos a Richardo missos in Alemanniam, nullo ejus rei rumore afflatos, ac nec tenuissimam rei famam ad Anglorum Regis aut Richardi aures afluxisse, cum ipsi Imperium Germani detulere. Quod sane ab omni verisimilitudine abhorret: num enim principum aperta dissensio latere Anglos potuit? num acceptis quorumdam tantummodo literis, delatisque studiis alios a se abalienatos esse Richardum fugere potuit? Illud vero probabilius, ipsum altissima dissimulatione rem suppressisse, atque ad occupandam coronam provocasse, ut æmulo aditus præcluderet, ejusque consilia elideret. In quam sane sententiam hæc monachus Patavinus (a): *Comes autem Richardus ascendit in Alemanniam festinanter, & de assensu quorumdam principum capiti suo regni Alemanniæ diadema imponi curavit.*

(a) Monach. Pad. chron. l. 2. hoc ann.

Ejusdem Richardi pia sanctio.

Reliquit in Germania Richardus pietatis suæ monumenta, dum ad comprimendam procacium linguarum in laxandis blasphemis vocibus licentiam, hæreticorumque elidendam nequitiam hanc legem sanxit (b).

(b) Ext. apud Melchiorem Goldast to. 3. & ult. pag. 404.

*Richardi Romanorum Regis constitutio de hæreticis & blasphemis.*

Hæretici vita & bonis proscripti.

*Si quis aliam fidem, quam quæ in duodecim articulis sacrosancti apostolici symboli Christianæ nostræ catholicæ fidei tradita est annuntiat, sequitur, docet, vel prædicat, aut naturarum in redemptore nostro Jesu Christo confusionem profitetur, aut divinitatem ejus vel humanitatem negat, blasphematve, aut salutiferam ejus passionem & mortem contemnit vel blasphemat; & per inquisitores hæreticæ pravitatis ac alios catholicos sacerdotes pastorali more commonitus, tenebricosi diaboli relictis insidiis, viam veritatis agnoscere noluerit, sed in erroris concepta nequitia perseveret; præsentis nostræ legis edicto damnandum eum fore decernimus, ut bonis ejus in fiscum, corpus ultimo supplicio afficiatur. Cumque per horrendam blasphemandi consuetudinem divinæ majestatis ira hactenus in sacrum Romanum imperium & fidelium quietem provocata esse notescat, & Christianus populus miserrime scandalizetur; ad placandam Dei iram & populi impietatem refrænandam volumus ac statuimus, si quis data industria, & deliberato animo per Dei nomen, potentiam, misericordiam, baptismum sacramentum, martyrium, passionem, vulnera, virtutem, & similes blasphemos sermones juraverit, in primis ut damnatæ blasphemiæ delictum inter publica crimina numeretur: deinde in ipsum reum debitæ ultionis gladio animadvertatur. Si quis vero ex ira aut prava consuetudine deliquerit quoties dejerasse aut blasphemasse auditus fuerit, toties pro unoquoque blasphemo dicto vel juramento singulos solidos judici, in cujus districtu crimen commisisse deprehensus fuerit, solvere culpabilis judicetur (nisi tamen ita graviter blasphemasse convincatur, quod morte dignus existimetur) decernimus, ut secundum criminis circumstantias pro judicis arbitrio atrocius in corpore & vita puniatur; blasphematores autem cujuscunque sint dignitatis aut conditionis e vestigio ad judicem deferantur: quod qui non fecerit, & auditi criminis celator extiterit, vel ipse judex in executione negligens & remissus foret, coram Deo & in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere. Dat. in villa Solodoro XVII. kal. augusti.*

Blasphemi supplicio affici jussi.

Quæ pœna inflicta si ex præcipiti lapsu blasphema vox prolata.

Interea Alphonsus Castellæ, ac Legionis Rex delatum ab aliis principibus Germaniæ regnum admiserat, certiorque factus Richardum ab aliis proceribus Regem

Alphonsus finitimorum Regum vires sibi conciliat.

gem Romanorum ſalutatum, atque etiam Aquiſgrani corona cinctum, Imperii maximam partem in ſuam poteſtatem redegiſſe; Galliæ, Navarræ, Aragoniæ Regum gratia fretus, fultuſque eorum promiſſis, a quibus electus fuerat, totius Hiſpaniæ, & Galliarum vires in Germaniam infundere, ac Richardum depellere meditabatur; alteque jus ſuum ad Imperium, virium potentiam, fœderatorumque copias efferebat. Et quidem multorum fama circumferebatur, Francos ob inveterata cum Anglis odia, ac bella veritos, ne ſi Richardus ad Imperii faſtigium perveniret, maxima regno pericula conflatum iri, cum hinc Anglia, ad repetendas ereptas præteritis bellis provincias, totos impetus impreſſura eſſet, hinc Germania tot bellicoſarum gentium arma in eam ſub Richardo, qui inter cæteros titulos Pictaviæ etiam comitatum ſibi arrogabat, converſura videretur. Cum vero uterque princeps ad ſuas corroborandas partes Pontificis gratiam colligere maximi intereſſe probe noſſet, eumque demum potiturum Imperio, ad cujus partes ille ſeſe detorſiſſet, magnis apud eum ſtudiis officiiſque certavere, ut illius gratiam prolicerent: miſſiſque oratoribus ſinguli dedere operam, ut ſe ad inunctionem conferendam, imponendumque diadema, rejecto æmulo ut illegitime electo, vocaret. Contendebant quoque alii principes, ut quiſque Alphonſo, aut Richardo favebat, literis atque oratoribus cauſam, quam erant amplexi, Pontifici commendare. Et ſane confirmat monachus Patavinus (*a*) utrumque electum ſuos Romam oratores ad Pontificem miſiſſe, ut ab ipſo confirmari in Imperio obtinerent, atque ad accipienda inſignia excirentur: ſed Pontificem, ne pax abrumperetur, longiores ex Cardinalium conſilio moras protraxiſſe, ne in tanta tamque implicata tantorum principum controverſia rem definiret.

Cur Galli Alphonſo ſtuduerint.

Æmuli Reges certatim Pontificis gratiam ambiunt.

(*a*) *Monach. Pad. chr. l. 2.* Alexander in longius tempus rem extrahit.

IX. Philippus archiep. Salisburg. Munere deturbatur.

Nec is turbarum Germanicarum finis, verum non leve ſchiſma in earum regionum eccleſia nobiliſſima emerſit, ex quo bella ingenteſque calamitates erupere. Cum namque Philippus Carinthiæ dux Salisburgenſis archiepiſcopus electus, qui eam eccleſiam annis novem adminiſtrarat, ſacris pontificalibus nunquam initiari voluiſſet, ut refert Stero (*b*) Alexander contumacem præſulem exauctoravit, atque epiſcopali dignitate dejecit: qua de re extat in hujus anni regeſto apoſtolicum diploma, (*c*) quo Alexander Chimenſi epiſcopo provinciam impoſuit, ut Philippum, qui tanto tempore ſummo fidelium damno & ſcandalo eccleſiam illam ſine præſule viduam gemere coegerat, ad reſtituendas illius arces, oppidaque vero archiepiſcopo Salisburgenſi, nimirum Ulrico Seccovienſi antea epiſcopo a canonicorum Salisburgenſium collegio ſubrogato, cujus Alexander electionem ratam eſſe juſſerat (*d*) cenſuris eccleſiaſticis compelleret, & archiepiſcopali aulæ fiduciario jure obnoxios, incuſſa bonorum mulcta, ad excipienda Ulrici imperia adſtringeret.

(*b*) *Stero apud Caniſ. antiq. lect. tom. 1. pag. 277.*

(*c*) *Alex. l. 3. ep. 619.*

Ulricus in illius locum ſuffectus.

(*d*) *Ep. 625.*

X. Apoſtolica conſtitutio de ſuſcipiendis ordinibus ab electis.

*Olim eccleſiarum cathedralium ſponſis, contractum hinc inde ſpirituale conjugium paſſim, non abſque utrorumque periculo, negligentibus conſummare, differendo munus conſecrationis recipere ultra tempora in antiquis canonibus diffinita, nos quibus ex injuncto nobis apoſtolatus officio cura omnium eccleſiarum incumbit, prædictis eccleſiis taliter viduatis, quæ quidem licet ſponſos haberent, deſtitutæ tamen erant ipſorum ſolatio quoad quædam, providere ſalubriter ac multorum diſpendiis obviare volentes, de conſilio fratrum noſtrorum univerſis electis in præmiſſis eccleſiis ſemeſtre tempus ſtatuimus, infra quod munus conſecrationis reciperent: alioquin, niſi eſſent legitimo impedimento detenti, ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium cognoſcerent ſe ſuſpenſos. Et ſi ultra prædictum tempus ſuæ conſecrationis munere detinerent eccleſias aliis ſex menſibus viduatas, ex tunc ipſis eccleſiis ſcirent ſe auctoritate noſtra privatos; & iis, ad quos talium ſpectat electio, providendi ſibi de aliis haberent liberam facultatem, non obſtante aliqua indulgentia eis ſub quacumque forma verborum conceſſa, per quam adverſus ſtatutum hujuſmodi poſſent in aliquo ſe tueri.*

XI. Ut ſpreta ſit a Philippo.

*Unde dilecti filii præpoſitus & Heidinricus canonicus Salzburgenſis eccleſiæ ad ſedem Apoſtolicam accedentes tam ex parte ſua, quam ex parte capituli ejuſdem eccleſiæ coram nobis, non ſine multa cordis amaritudine, retulerunt, quod Philippus quondam electus ipſius priſca ſanctorum Patrum non metuens, & moderna ſtatuta contemnens, eandem eccleſiam non tanquam ſponſus, ſed adulter potius, tenuit per novem annos, & amplius, occupatam: cum nec infra tempus præfinitum a canone, nec poſt hujuſmodi conſtitutionem noſtram ſuper hoc editam, & in illis partibus promulgatam, ab eodem etiam capitulo pluries requiſitus, ſe procuraverit conſecrari: quamquam in vocem appellationis proruperit, & in ipſa eccleſia in ſpiritualibus & temporalibus nihilominus temere miniſtrarit. Propter quod ipſo Philippo poſt primos ſex menſes ab adminiſtratione ſuſpenſo, & demum poſt ſex alios eadem eccleſia juxta tenorem ipſius conſtitutionis privato, dicti præpoſitus & capitulum providendi eccleſiæ ipſi de alio habentes ex hoc liberam poteſtatem; & volentes eccleſiæ ſuæ conſulere de paſtore, vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt & debuerunt commode in-*

Clerus eccleſiæ Salisb. proſpexit.



*intereſſe, tandem in venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Chimenſem, præfatum præpoſitum, & ſcholaſticum ac Hermannum canonicos Salzburgenſes providendi eidem eccleſiæ de paſtore contulerunt unanimiter poteſtatem: qui venerabilem fratrem noſtrum Secovven. epiſcopum in Salzburgenſem archiepiſcopum juxta formam ſibi traditam concorditer poſtularunt, &c.* Confirmat Alexander Seccovienſis archiepiſcopi electionem, ac Philippum archiepiſcopali gradu deturbat. *Dat. Viterbii non. ſeptem. anno* III.

Sententia in Philippum.

XII. Philippi contumacia.

At Philippus pontificia monita ſprevit; quare anathemate defixus eſt. Rei geſtæ ſeriem legatus ad Patavienſem ſuffraganeum ſcripſit, ut ſuam ad depellendam Philippi tyrannidem operam conferret. Succeſſiſſe jam e ſententia res videbatur, atque excuſſum tyranni jugum: cum Philippus Bohemiæ Rege atque Auſtriæ duce accitis in auxilium Salisburgum, arces, oppidaque milite præſidiario firmat, adverſanteſque ſibi in exilium egit: de quibus pluribus auctores (*a*). Succinctus etiam totius Bohemiæ, Auſtriæ, Moraviæ flore, Auſtriæ dux in Bavariam irrupit: ſed Bavarus fratris auxiliis fultus hoſtem delevit, atque edita magna ſtrage in fugam avertit.

Vi repellitur. Secuta inde bella.

(*a*) *Chr. Salisbur. an. 1256. & 1257. apud Caniſ. ant. lect. tom. 5. pag. 1264. & Aventinus atque ex eo novat. cent. 13. cap. 8. col. 777.*

Edidit vero Premiſlaus Rex Bohemiæ egregium religionis exemplum, qui cum accepiſſet hæreſim in Bohemiæ & Poloniæ confiniis pullulare, ad eam excindendam peſtem Alexandrum ſolicitavit, (*b*) ut ſtrenuos cenſores fidei præficeret. Commiſſa eſt ea provincia Bartholomæo e Brouna & Lamberto Theoronico Minoritis, quos pietatis profeſſio in illius hoſtes zelo inflammabat.

(*b*) *Alex. ep. 365.*

XIII. Othocarus Rex inſtitui in regno cenſores fidei poſtulat. S. Hyacinthi pia mors.

Extinctum eſt hoc anno XV. auguſti pulcherrimum totius Poloniæ lumen, Hyacinthus nimirum, ſive Jacicus, aut Jaczko, iis enim nominibus ab hiſtoricis Polonis appellatur, Dominicanæ familiæ vir ſanctiſſimus, qui ad Polonos ac Ruſſos Chriſtiana pietate imbuendos, egregiam operam navavit: effulſitque maximis miraculis, e quibus illud recenſet Longinus, (*c*) injecta ipſum flumini veſte, cum tribus ſociis inſpectantibus, atque admiratione defixis Viſſegradenſibus, ſicco pede trajeciſſe.

(*c*) *Longin. hiſt. Pol. l. 7. hoc an. Michov. l. 3. c. 54. Chrom. l. 9.*

Nonnulla miracula ab eo edita. Viſtulam ſicco pede calcat. Obtritas ſegetes reſtituit primæ viridati.

Nec minus inſigne innumera populi multitudine teſte comprobatum aliud miraculum, cum a Clementia nobili fœmina ad relaxandas curas in agrum invitatus fuiſſet, paulo ante quam accederet, ſæviſſima grandine circumjacentium agrorum ſegetes, quæ jam flaveſcebant, attritæ omnino fuerunt. Venienti ergo populus ejus ſanctitatis opinione imbutus, ad eum confluit, crebriſque ſuſpiriis abſciſſis vocibus exorat, ut Deum pro levanda accepta calamitate, ſegetibuſque reſtituendis deprecaretur: nec irritæ eorum ſpes, affulgente enim die poſtero, integræ ſegetes ſumma omnium admiratione conſpectæ ſunt.

Edidit innumera alia vivus miracula, (*d*) quæ præterimus taciti: nec leviora poſt mortem explicuit. Et quidem Deus ſervi ſui ſanctitatem illuſtraturus, eo ipſo die quo e vivis ſublatus eſt, adoleſcentem, qui dum equum agitaret, quadrupedis impetu e ſede excuſſus, ac terræ alliſus morti occubuerat, ipſius parentibus ſancti viri ſuffragia implorantibus ad vitam revocavit.

(*d*) *Ext. apud Sur die 15. aug.*

Ad vitam mortuum revocat.

XIV. Cœleſte viſum de eo Prandothæ ep. objectum.

Cœleſtibus etiam viſis adeptam æternam illius felicitatem patefecit. Joannes Prandothas epiſcopus, perſolutis illi juſtis ante aram B Virginis provolutus in genua, ſeſe effuderat in preces, cum ſuaviſſimo ſomno correptus ingredientes in chorum duos eleganti forma juvenes, ac mox alios duos majeſtate humana auguſtiore decoros conſpicatur, alterum pontificali habitu ornatum, alterum Dominicanorum veſte miri candoris inſignem ac gemina corona redimitum: ſciſcitanti quis eſſet, reſponſum, Staniſlaum, ſocium ſuum Hyacinthum ad cœlos perducere, qui doctoratus ac ſervatæ virginitatis duplice laureola fulgebat.

XV. Aliud ſanctimoniali oſtenſum.

Nec diſpar virgini Deo dicatæ ſanctiſſimæ objectum viſum, Deiparam ſanctorum ingenti multitudine circumfuſam, quos omnes cœleſtis ſplendor obibat, videndam ſeſe præbuiſſe: verba auctoris (*e*) affero; *In Cœnobio S. Trinitatis Cracoviæ religioſiſſime devotiſſimeque vita excedit ad patriam claritatis æternæ a Matre miſericordiæ canente: Ibo mihi ad montem myrrhæ; & angelico cœtu proſequente (quemadmodum virgini devotæ religioſæque ſanctimoniali Stroncſlavæ in Zniterziniecenſi monaſterio profeſſæ per viſum in mortis præfati Jaczkonis articulo monſtratum eſt) deductus, & a Prandotha Cracovienſi epiſcopo, & populi multitudine in eodem cœnobio S. Trinitatis ſepelitur. Tantis & tam frequentibus prodigiis illum & in vita & poſt mortem inſignire & glorificare dignatus eſt Altiſſimus, ut non ſolum dignus, ſed etiam digniſſimus, ſi ipſa prodigia * neglectum a Polonis & a notitia Pontificis maximi ſuppreſſum iri non contigiſſet, canonizatione videatur.* Ita Longinus, cui Michovias (*f*) & Chromerus (*g*) conſonant. Cæterum comprobata ſignis innumeris illius ſanctitate Clemens VII. anno MDXXVII. conceſſit, ut eccleſiaſticum in recolenda ejus memoria officium inſtitueretur, lapſiſque poſt tribus annis, ut ejus feſtus dies in Polonia celebraretur: præterea, ut ſupplicatio ſolemnis religioſa pompa in ipſius honorem inſtrueretur. Demum poſt diligenti examine diſcuſſa ejus precibus colla-

(*e*) *Longin. ubi ſup.*

* *per*

(*f*) *Mich. l. 3. c. 54.*

(*g*) *Chr. l. 9.*

Precaria formula pro imploranda ejus ope inſtituta a Clem. VII. a Clemen. VIII. SS. catalogo adjectus 1594.

collata a Deo beneficia, sacro ritu in sanctorum albo a Clemente VIII. anno MCXCIV. repositus est.

XVI. Premislai ducis Posnan. pia mors.

D. Hyacinthi sacro funeri felicem Poloni principis, nimirum Przemislavi ducis Posnaniensis obitum conjungamus, quem voluptatum illecebræ non corrupere, non opum fulgor perstrinxit, non ambitio postea præcipitem dejectura extulit: vir erat summæ in temperandis voluptatibus austeritatis, atque in administranda justitia integritatis, cilicio carnem sæpius macerare solitus. Sepulcralis vero elogii loco ex Longino (a) egregiam ipsius commendationem afferemus: *Hic inter Poloniæ principes mitissimus sui temporis & supra ætatem prudens, duas præcipue virtutes continentiam & justitiam summa cura, summoque studio sectatus, cilicina veste in diebus quadragesimæ, ut caro serviret spiritui, & cervisia parum sapida, aut vino lymphato utebatur. In pronuncianda vero sententia, & lite dirimenda tam modestus, tam justus, ut utraque pars ejus probaret decretum. Nemo illum vidit unquam aut ebrium, aut iratum, aut gestu, indumento, sermone, aut opere superbum. Sacro cœnæ die duodecim pauperum ablutis & osculatis pedibus, quemlibet novo panno vestiebat: media nocte quod illi cerimoniale jam, & quasi ex debiti necessitate consuetudinarium factum fuerat, dum a familiaribus quiescere putaretur, consurgens cursum horarum Virginis gloriosæ, quibus finitis, psalmos aliquos & orationes, quas didicerat, depromebat. Contulit ecclesiæ Gnesnensi villam Czirnelin, Posnaviensi Bur, præter libertates, quibus utramque baronibus ei adversantibus, magnis prærogativis extulerat.*

(a) Long. hist. Pol. l. 7. hoc anno.

Ejus elogia.

XVII. Boleslaus sævus Wratisl. episcopum tenet in vinculis. Sacra in eum expeditio indicta.

Longe a tanti viri probitate aberat impius Boleslaus Legnicensis dux, qui ob captum inhumaniter Thomam Wratislaviensem episcop. Sævi nomen traxerat, atque adhuc eundem præsulem carcere inclusum tenebat; cum Pontifex Gnesnensi & Magdeburgensi archiepiscopis dedit imperia, ut crucis signa infesta adversus Boleslaum pro restituendo libertati episcopo attollerent, populosque ad sacram expeditionem in tyrannum, ecclesiasticas spernentem censuras, accingendos curarent. De quo ita Pontifex conqueritur (b): *Idem dux Ecclesiæ malleum velut stipulam reputans, adhuc in sua perseverat obfirmatus malitia omnino contempta ecclesiæ disciplina, & quod ad cumulum suæ damnationis magis accedit, eos nunc validioribus quam prius afficit pœnis & tormentis, pedes enim ipsius episcopi, qui calciati esse debent in evangelium pacis, ferreis nexibus alligantur, & qui gregem suum sacræ prædicationis ubere deberet reficere, nunc in diri carceris ergastulo detinetur, interdicto sibi capellani sui suffragio, cui in confessione conscientiam suam pandere valeat, & cum quo possit interdum saltem missarum officia celebrare. Equidem cum & nos talis injuria vulnerat & non levem in pressura mœstitiam, ad procedendum contra ducem ipsum acrius nos invitat: nam verisimilitudo non tolerat, ut patiente tanto Ecclesiæ membro caput non langueat, aut expers doloris existat. Si ergo commissum est nobis licet indignis, & curam gregis Dominici solicitam gerere, & medelam sauciati vulneribus adhibere, quomodo ducem ipsum per mortales campos, per iter mortis ultra patiemur discurrere, quin ipsum ad pascua salutis reducamus? Cumque infirmus salutaria respuat, quærat noxia, & plerumque desideriis contrariis urgeatur, quomodo ducem ipsum tanquam laborantem phrenesi impia relinquemus voluntatis arbitrio, quin ipsi, quantumcumque invito, amara salutis pocula propinemus? ut id ad curam sanus fuisse cognoscat, quod infirmus non poterat præsentire.*

(b) Ext. Pontificia litera apud Long. hist. Pol. l. 7.

Justæ causæ quæ Pont. ad eam promulgandam movere.

XVIII. Domandus ferro qui æquitate non regitur.

*Sane postquam idem obstinatus spirituale medicinam respuit, postquam Petri gladium, prout congruit, non attendit, quid superest, nisi ut extrahatur materialis gladius contra ipsum, & ad quod levi medicamine voluntarius induci non potuit, pœnæ saltem formidine pertrahatur invitus? An habitatores Poloniæ filios speciales relinquemus expositos illi discrimini, quod ex tam detestabili facto ipsorum imminet regioni? erit ne in tam enormi excessu patientia nostra tanta, ut & negligentiæ nomen assumat, & veræ patientiæ nomen perdat? Et quidem quantumcunque ob generositatem ipsius & suorum progenitorum merita hactenus detulißemus eidem, id tamen ulterius non patitur prædicti criminis magnitudo: accusat enim ipsum carcer, arguunt vincula & contra ipsum Deum ac homines provocant ad vindictam.*

XIX.

*Cæterum more pii patris, qui sententiam cito convertit in veniam, & redire non perire cupit filium, adhuc experiri volentes, si de fragmentis conscientiæ suæ, quæ velut lagena figuli est grandi contritione confracta, aliqua testa permanserit devotionis igniculi retentiva, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente in virtute sanctæ obedientiæ vobis districte præcipiendo mandamus, quatenus præfatum ducem super liberatione ipsius episcopi & aliorum, nec non & super præmissis omnibus moneatis, & moneri & induci efficaciter faciatis, quod si monitis vestris, quod absit, pertinaciter aures obduraverit cordis sui, ex tunc singuli vestrum in suis civitatibus & diœcesibus pro liberatione ejusdem episcopi contra ducem ipsum juxta datam vobis a Deo prudentiam per te, vel per alios viros ad hoc idoneos, prædicetis verbum crucis, &c.* Proponit Pontifex indulgentiarum præmia iis, qui adversus Boleslaum Sævum accepto crucis symbolo religiosam militiam fuerint professi. *Dat. Lat. III. kal. apr. pont. nostri anno III.*

Prius Boleslaum officii moneri jubet Pontif. quam bello appeti.



XX. (a) Mich. l. 3. cap. Long. ubi sup. Indignis pactionibus Thomam liberat.

Temperatum (a) bello est, cum Boleslaus ad eludendam imminentem ultionem Thomam episcopum vinculis laxasset: sed ad indignas pactiones adactum, ob quas increpitus est Thomas a præsulibus, qui se bello sacro accinxerant, tyranni minis ac terroribus de gradu constantiæ deiici se passum esse, suæque causæ æquitatem, atque ecclesiæ jura prodidisse: ansam etiam cæteris principibus præbuisse, ut similia ac Boleslaus in episcopos scelera pertentarent. Spoponderat nimirum duo marcharum millia Boleslao, ac decimarum manipularium, jure improbissimo exemplo, cesserat. Ubi Longinus, qui hæc narrat, exclamat, non jam mirum videri debere Silesiæ duces, quibus Polonia jure debebatur, regno deturbatos, cum spoliatis sæpius ecclesiis, manibusque in Christos Domini injectis, tantis sese criminibus obligarint. Lætus ea præda Boleslaus, ejusque suavitate ad simile audendum facinus illectus, fratrem Glogovensi ducatu exuere meditatur: blandis illum vocibus ac simulatis humanitatis officiis ad se vocat: at ille, cum sibi insidias comparari audisset, aliis artibus ipsius fraudes eludere aggreditur: lectissimam militum manum arripit, cujus partem in silvis proximis latere jubet, ipse cum reliqua ad Boleslaum pergit, qui cum armatos egregie instruxisset, atque pro turribus & muris collocasset, ut facilius pelliceret in insidias, ad fratrem descenderat: at mox ab illo captus abducitur, ac duo marcharum millia, quæ ab episcopo extorserat, divino judicio pro se liberando refundere coactus est. At de his satis.

Thomas pusillanimitatis increpitus.

Divina in Duces Silesiæ ultio.

Boleslaus fratrem spoliare tentat capitur.

XXI.

Ad comprimendam audaciam, & crudelitatem Lituanorum, Jaczvingorum, aliorumque hostium Ecclesiæ, quos vel schismatis, vel infidelitatis nequitia in pios efferarat, Alexander (b) Bertholomæo Minoritæ Bohemo promulgandæ religiosæ militiæ provinciam demandavit, quem Bohemiæ, Austriæ, Poloniæ, Moraviæque præsulibus, ut in promovenda sacra illa expeditione operam conferrent, commendavit. (c) Floruit ille ingentium virtutum opinione, magnamque apud Cracoviæ & Sandomiriæ ducem, ac Salomem olim Galiciæ Reginam, quæ monasticam disciplinam in S. Damiani ordine colebat, gratiam collegit: a quibus solicitatus Alexander, ut in oppido Lacou Cracoviensis diœcesis sedem episcopalem excitaret, præficeretque Bartholomæum, rem in Gnesnensis archiepiscopi atque episcopi Cracoviensis arbitrium contulit, (d) ut quod ecclesiæ dignitati conducere videretur, decernerent. Accensi porro ita sunt Gnesnensis archiepiscopi, tum Bartholomæi, aliorumque concionatorum opera pio ardore fideles, ut Casimirus Lancitiæ & Cujaviæ dux, aliique plures Poloniæ, Austriæ, & Moraviæ proceres accepto crucis symbolo bello sacro adversus Lituanos se devoverint: quos Alexander apostolico patrocinio præmiisque indulgentiarum donavit (e).

(b) Alex. l. 3. ep. 310. Sacrum bellum in barbaros.

(c) Ib. ep. 308.

(d) Ep. 311. Casimirus dux aliique religiosæ militiæ dant nomen.

(e) Ep. 6. * Lancitiæ

*Nobilibus viris Casimiro * & Cujaviæ duci, ac aliis ducibus, baronibus, & universis crucesignatis per Poloniam, Moraviam, & Austriam constitutis.*

XXII. Commendantur a Pont.

*Dignum est, ut cœlestis Regis obsequiis inherentes speciali debeant prærogativa gaudere. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos zelo fidei & devotionis accensi ad exhortationem venerabilium fratrum nostrorum archiepiscopi Gnesnensis & suffraganeorum ejus, ac dilecti filii fratris Bartholomæi de ordine fratrum Minorum contra Liovvannos, * Jacintiones, & alios paganos & schismaticos, qui terris Christianorum confines existunt, de mandato nostro prædicantium verbum Dei, vivificæ crucis assumpto signaculo, contra eosdem perfidos velitis viriliter cum Dei adjutorio proficisci, nos propter hoc vos benigno favore prosequi delectantes, vestris supplicationibus inclinati, personas vestras cum familia, & omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus; vobis auctoritate præsentium nihilominus concedentes, ut eisdem indulgentiis & immunitatibus gaudeatis, quibus gaudent crucesignati in Terræ sanctæ subsidium accedentes. Nulli ergo, &c. Dat. Laterani non. januarii anno III.*

* Lictuanos

Cruceati in sedis Ap. clientelam admissi.

XXIII. Controversia inter Casimirum ducem & Cruciferos.

Excepit egregius princeps de Ecclesia optime meritus clientelæ apostolicæ favores adversus crucigeros equites. Contulerat Innocentius Papa in Casimirum Lancitiæ & Cujaviæ ducem nonnullarum terrarum, quibus Goleas & Polexici nomen erat, dominium, modo ethnici sponte Christiana sacra amplecterentur, etiamsi religiosis S. Mariæ Theutonicis equitibus concessisset, ut quas in Prussia terras ferro ethnicis eripuissent, ipsorum ditioni obnoxiæ censerentur. Cumque superiorum regionum pagani imbui religione sacra Christiana cuperent, atque adeo sub ducis imperio caderent, iidem religiosi equites, furentes avaritia, repentinas excursiones in neophytos egere, multum fudere humanum sanguinem, eosque suo subiiciendos imperio contendebant. At legatus Apostolicus (is erat abbas e Mezzano) cui a Pontifice servandorum Casimiri jurium provincia erat demandata, rei

De Ethnicis qui sponte baptismum susciperent.

Impium & crudele cruciferorum facinus.

Feriuntur anathemate a legato.

rei æquitate motus, anathematis in eos sententiam jaculatus est: deque ea re certior factus Alexander, scriptis ad religiosos Dominicanorum, & Minorum familiæ viros, qui cæteris earum familiarum in Prussia sodalibus præerant, literis (*a*) sententiam, quam legatus tulerat, confirmare imperavit, ut cœptis censurarum terrore submoverentur.

(*a*) Ib. ep. 4.

*Prioribus ord. Prædicatorum, & Guardiano fratrum Minorum.*

XXIV. Confirmata ab Alex. sententia.

*Exhibita nobis dilecti filii nobilis viri Kasimiri ducis Lancitiæ & Cujaviæ, devoti nostri, petitio continebat, quod cum olim ei fel. record. Innocentius Papa prædecessor noster terras paganorum, quæ Goleus & Polexici vulgariter appellantur, duxerit concedendas, dummodo pagani terrarum illarum sponte sine gladio fidem Christi susciperent per baptismum, dilecto filio abbate de Mezzano Placentinæ diœcesis, tunc in partibus illis A. S. L. sibi super hoc conservatore concesso, non obstante quod tota terra Prussiæ concessa fuit a sede Apostolica magistro & fratribus domus S. Mariæ Theutonicorum, quam possent sibi per gladium subjugare; idem abbas in dictum magistrum & quosdam de ipsis fratribus, quia ipsi, ut evacuarent gratiam eidem duci super hoc factam a prædecessore prædicto, terras easdem ipsis paganis paratis & volentibus sponte unda renasci baptismatis, intrantes in gladio eam sibi non sine multa effusione sanguinis subjugarunt; & diligenter ab ipso abbate monitti, ab ipsa subjugatione resipiscere contumaciter denegarunt, cum hoc esset adeo notorium, quod nulla poterat tergiversatione celari, excommunicationis sententiam, exigente justitia, promulgavit: quare fuit ex parte ipsius ducis nobis humiliter supplicatum, ut eandem sententiam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Ideoque discretioni vestræ adinstar prædecessoris ejusdem per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari, &c. Dat. Lat. non. januarii anno* III.

XXV. Cruciferi parent Alexandro.

Paruere Pontifici Prutheni equites, ac suis obsequiis promeruere, ut Alexander (*b*) donationem Chelmensis principatus a Conrado Mazoviæ & Cujaviæ factam VII. kal. aug. confirmaret. Quibus literis (*c*) insertæ sunt publicæ tabulæ a Conrado anno MCCXXX. indictione III. mense junii editæ, quibus Conradus, uxore Acsaphia & filiis Boleslao ac Semovito, tum proceribus assentientibus, Chelmensis ditionis jura in equites transfudit, Poloniam adversus Sarracenorum aliorumque infidelium impetus tuerentur, atque hisce limitibus Chelmensem tractum circumscribit: *Contuli hospitali S. Mariæ domus Theutonicorum & fratribus ejusdem domus totum & ex integro Chelmen. territorium cum omnibus suis attinentiis ab eo loco, ubi Dravvantica egreditur, terminos Prussiæ, & per descensum ejusdem fluminis in Vvisclam, & in decessu Vvisclæ usque ad Osam, & per ascensum Osæ usque ad terminos Prussiæ, in veram & perpetuam proprietatem possidendam.* Confirmata (*d*) etiam a Pontifice est alia donatio a legato sedis Apostolicæ iis facta. Quod vero ad bellum sacrum Lituanicum spectat.

(*b*) Longin. hist. Pol. l. 7.

(*c*) Alex. l. 3. ep. 723. Corroborata donatio Chelmensis agri.

Quibus limitibus definita.

(*d*) Ib. ep. 724.

Jam sacrum in Lituanos ac Jaczvingos classicum cecinerant Minoritæ, ac plures ad triumphalia crucis signa pellexerant, quos cum postea ob rei susceptæ difficultates pœniteret, nonnullos, adibant, qui ad emungendas pecunias implendi voti onere liberabant, eaque ab sede Apostolica auctoritate munitos præ se ferebant. Quæ res, cum expeditionem instruendam disturbare videretur, certior factus Alexander, dato ad Minoritas diplomate edixit, (*e*) nequis nisi facta sibi singulari a Pontifice facultate nuncupito gerendorum in ethnicos armorum voto, illius reos liberaret.

Vetat Pontifex voti reos militia sacra exolvi.

(*e*) Ib. ep. 310.

XXVI. Daniel Rex Russiæ a fide deficit.

Nec ad Lituanos modo frangendos, qui rei Christianæ non levia damna intulerant, incubuit Alexander, verum etiam ad Russiæ Regem Danielem ad officium revocandum, Apostolicam solicitudinem defixit. Aggregarat ille antea se se Christo, atque etiam post baptismi sacra inunctus fuerat, regioque diademate Pontificio jussu redimitus: sed postea suadente humani generis hoste, ab Ecclesia fœdissime desciverat. Quem Alexander mollibus primum verbis ad pietatem adducere est conatus: tum ni salubribus monitis pareret, graviores minas armorumque terrorem ipsi intentavit (*f*).

(*f*) Ib. ep. 110.

*Danieli Regi Russiæ.*

Literæ ad Reg. Russiæ.

*Inter alia, quæ nobis ex injuncto Apostolatus incumbunt officio, animarum nos convenit præcipue invigilare saluti, ut eas regum Regi, qui nos illarum, licet immeriti, voluit præesse regimini, lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia non est Deo acceptum obsequium quod sine fide præstatur, nec pervenitur operum ædificio ad salutem, quod supra firmitatem fidei non consurgit, ad propagandam eam, & corroborandam in mentibus omnium, & specialiter Regum & principum intentione tota, omnique solicitudine, ac verbi & operis efficacia laborare debemus, ut Christiana religione latius diffusa per orbem, Patris æterni Filius multiplicatis servitoribus plenius honoretur.*

Pontificia pro eo ad Christum revocando solicitudo.

XXVII.

*Sane tu olim cupiens de infidelitatis tenebris, quæ postquam etiam renatus fuisti fon-*



*fonte baptismatis, oculos tuæ mentis involverant ad lumen catholicæ fidei, sine qua nemo salvatur, & ad obedientiam ecclesiæ Romanæ non sine divina inspiratione redire, juramento præstito promisisti Ecclesiæ prædictæ tanquam fidelis ejus filius obedire, ac fidem catholicam, sicut alii orthodoxi mundi principes observare: propter quod Ecclesia eadem, volens te in sui devotione congruis firmare favoribus, & condignis gratiis confovere, personam tuam ad regalis dignitatis apicem sublimavit, faciendo te inungi sacri chrismatis oleo, tuoque imponi capiti regium diadema. Sed tu, sicut ad audientiam nostram non sine cordis turbatione pervenit, tam spiritualium quam temporalium beneficiorum ipsius Ecclesiæ immemor, tantæque gratiæ prorsus ingratus, præstiti juramenti religione contempta, id quod circa obedientiam ejusdem Ecclesiæ, ac prædictæ observationem fidei promisisse dignosceris, observare postmodum non curasti in animæ tuæ periculum, ipsius injuriam fidei, Ecclesiæ prædictæ contemptum, & opprobrium Jesu Christi. Super quo tanto vehementius contristamur, quanto ferventius super omnia cordis nostri desiderabilia cupimus, ut cultus ejusdem fidei per orbem longius, latiusque diffusus continuum, auctore Domino, suscipiat incrementum.*

Obiicit Alex. beneficia ab sede Ap. accepta.

XXVIII. Ad pœnitentiam allicere studet.

*Volentes igitur apostolicis apud te super hoc insistere monitis, & ad veritatem, quæ Christus est, paternis te persuasionibus revocare; ac sperantes quod te graviter contra Deum, & ejus Ecclesiam deliquisse considerans, condigne pœniteas, & errorem tuum corrigere studeas per te ipsum; magnitudinem tuam monendam duximus attentius, & hortandam, quatenus ad tuam memoriam revocans quanto studio, quantaque solicitudine circa exaltationem tuam sedes Apostolica laborarit; considerans etiam quod non Ecclesiam, sed teipsum decipis, tuum in hac parte promissum damnabiliter non servando, perditionis viam, qua graderis, non differas abjurare, & id quod de ipsius observatione fidei, & prædicta Ecclesiæ obedientia juramento præstito promisisti, inviolabiliter observare procures: ita quod nos, tuorum laudabilium operum odore percepto, multa exinde perfusi lætitia, dulcia ipsius Ecclesiæ ubera, quæ copiose dudum in multorum beneficiorum perceptione suxisti, tibi tuis exigentibus meritis affectuosius porrigamus. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Olomomucensi, & Vvratislaviensi episcopis literis nostris injungimus, ut te ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant, invocato nihilominus contra te auxilio brachii secularis. Non obstantibus aliquibus literis apostolicis cujuscunque tenoris existant, per quas effectus præsentium impediri valeat, vel differri, & constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Lateran. id. feb. anno* III. Data (*a*) sunt Olomucensi, & aliis præsulibus imperia, ut Danielem censuris armisque fidelium ad officium redigerent.

Ni resipuerit objectæ minæ.

(*a*) Reg. post eand. ep.

XXIX. Daniæ episcopor. concilium.

In Dania libertate ecclesiastica obsolescente ob maximos bellorum motus, quibus quassata fuerat, ac nonnullorum procerum ingravescente adeo tyrannide, ut regia etiam auctoritate non reprimerentur, earum regionum episcopi, ad tuendam dignitatem coacto concilio, subjectas leges sanxere (*b*). [1]

(*b*) Ext. apud Alex. l. 3. ep. 674.

Latæ ab iis leges.

*Cum ecclesia Daciana adeo gravi persecutioni sit exposita tyrannorum, quod episcopis, qui se pro domo Dei murum obiiciunt defensionis, etiam in præsentia domini Regis in ipsorum personas non verentur minas injuriosas inferre, quæ satis probabiliter sunt timendæ, cum clerus secularis defensione videatur carere penitus potestatis, ac illorum superbia a metu regio libera, & secura in malum possit ascendere, quantum velit, sanxit præsentis concilii auctoritate, ut quicumque episcoporum infra terminos regni Daciæ mala captione de mandato domini Regis sive ejus conniventia, vel consensu, vel alicujus nobilis qui manet infra fines prædicti regni, captus fuerit, vel membrum amiserit, aut atrocem injuriam in persona sua passus fuerit, ipso facto, dummodo probabiliter præsumi possit hoc de voluntate domini Regis processisse, ac dubium non sit ipsum hoc faciliter corrigere posse, in toto regno divina sint officia interdicta.*

Censuræ ecclesiasticæ ab iis districtæ.

XXX.

*Si vero aliquod prædictorum alicui episcoporum illorum fuerit per aliquem potentem, qui manet extra regnum Daciæ, & ex conjecturis conici aliquo modo hoc ex Regis, vel principum, sive nobilium regni Daciæ consilio provenisse, eo ipso ejusdem epi-*



NOTÆ [1] DAniæ concilium illud, quod anno huic annalista & cum illo pariter conciliorum collectores assignant, uno anno anticipandum est, quod hucusque nos latuit, & paucis ab hinc annis tandem compertum factum est, cum opera Cl. Ludevvig Reliquiarum to. IX. p. 79. prodiit chronologia quædam anonymi scriptoris Danici, a quo sub anno 1256. hæc posteritatis memoriæ commissa sunt: *Jacobus archiepiscopus celebravit concilium provinciale apud VVeile, & Christophorus celebravit concilium suum* (quod alio nomine ejus ætatis scriptores curiam appellant) *apud Niborigh.* Igitur concilium Danicum, cujus hucusque locus ignotus fuit, jam tandem constat appellandum esse *VVeilacense*, atque ab anno 1257. ad anuum 1256. revocandum. Author iste anonymus chronicon suum cum anno 1410. absolvit. MANSI

*episcopi diœcesis a celebratione mysteriorum sileant divinorum. Et si Rex admonitus per duos episcopos, vel quoscumque clericos suæ diœcesis distulerit, vel non curaverit taliter læso infra mensem justitiam exhibere, regnum ipsum usque ad condignam satisfactionem habeatur a divinis suspensum.*

*Prohibemus etiam sub excommunicationis pœna, ne aliquis presbyter, seu capellanus alicujus nobilis, durantibus prædictorum interdictorum sententiis, ipsis nobilibus præsentibus, aut aliquo alio in curiis dictorum nobilium, vel alias publice, vel private divina celebrare præsumat: quod qui fecerit, sciat se excommunicationis sententiam incurrisse, &c.* Flagitarunt Dani præsules ab Alexandro, ut hæc edicta synodalia Apostolica muniret auctoritate, quæ Pontifex, ut æquitati consentanea, corroboravit adjecta solita formula. *Nulli nostræ confirmationis, &c. Dat. Viterbii v. non. octobr. anno* III.

Suam illis addit auctoritatem Alexan.

XXXI. Bellum Danos inter & Norvegos. (a) Par. hist. Angl. hoc ann.

Reliquere etiam hoc anno præclarum solicitudinis pastoralis exemplum orbi Christiano Daniæ, & Norwegiæ antistites: (a) cum enim regni utriusque Reges ad bellum concitatos viderent, jamque aliqua prælia mari commissa essent, vergerentque ad mutuam internecionem populorum animi; commissarum sibi a Deo ovium servandarum zelo accensi tantum adhibuere studium, ut paulo post erumpens belli flamma restincta sit.

XXXII. Alexander Rex Scot. ep. S. Andreæ divexat. (b) Lib. 3. ep. 640. (c) Reg. post eand. ep. A suis coniicitur in vincula. (d) Par. hist. Angl. hoc ann.

In Scotia ecclesiastica libertas non parum læsa erat in Gamelino S. Andreæ episcopo per summam injuriam ab Alexandro III. Rege, qui ob juventutem facile ab improbis circumveniri potuerat, e sua sede depulso: ad quem pristinæ restituendum dignitati Pontifex sanctionem edidit, (b) ac Godefridum, ut rem perficeret, in Scotiam (c) legavit. Non minorem vero injuriam hoc anno a suis accepisse Scotum Regem, quam antea inflixerat Gamelino, refert Parisius, (d) dum ait proceres ob exteros ad honores adscitos ab Alexandro abalienatos, inita conspiratione incautum in regia oppressisse, ac vinculis tradidisse.

XXXIII. (e) Boet. hist. Scot. l. 13.

Aliam Boethius conjurationis causam adducit, (e) cum male in pueritia sua administrati regni rationes exigere, ac populum ab illatis injuriis vindicare meditaretur, proceres quibus administratio credita fuerat, in jus vocasse, hostesque, cum non comparuissent, declarasse. Hos vero ex familia Cumenia opibus, & virorum numero ac potentia florentissima satos, duce Waltero, sceleris pœnas majori scelere effugere meditatos. Correpta itaque militum delecta manu, agentem Kynrossæ Regem cepisse, atque ad Sterlingum perductum custodiæ tradidisse: ac tum abjecto regio metu regnum gerere aggressos. Verum conjurationis auctor Walterus, qui humanum judicium evasisse putabat, divinum non effugit: veneno enim ab uxore necatur, quæ amoribus cujusdam infimæ sortis hominis se irretiri passa, fortunis omnibus amissis, in Angliam fugere coacta est. Sublato itaque factionis duce cæteri ab Rege tento in vinculis non ægre veniam impetrarunt. Hactenus de Scoticis rebus, jam ad Anglicanas digredimur.

Conjurationis princeps veneno necatus ab uxore.

XXXIV. (f) Par. ubi sup. Sepulcrum S. Albani mart. inventum.

Repertum hoc anno, dum ecclesia S. Albani reficiebatur, ejusdem martyris sepulcrum refert Parisius (f) his verbis: *Dum ligonibus in pavimento cæmentariorum ministri insisterent, per tinnitum instrumentorum, & pedum strepitum perpendebant aliquid ibi insolitum, & incognitum latitare. Profundius igitur perscrutantes, invenerunt sub terra sed non profunde, unam tumbam lapideam satis eleganter compositam in loco, qui fuit inter altare Ulstani: ubi quoque collocatum fuerat antiquum feretrum pictum, & quædam tumba marmorea cum columnis marmoreis, qui locus & tumba dicebatur vetus tumba S. Albani.*

XXXV.

*In ipso igitur mausoleo tumulabatur beatus Albanus die, qua decollatus est, ab amicis & parentibus suis & neophytis, occulte tamen, & honorifice de nocte propter metum paganorum: ubi lux cœlestis descendit, & apparuerunt angeli descendentes, & canentes hunc hymnum: Albanus egregius martyr extat gloriosus. In quo etiam mausoleo inventa est quædam lamina plumbea, in qua secundum antiquorum consuetudinem scriptus est hic titulus: In hoc mausoleo inventum est venerabile corpus S. Albani protomartyris Anglorum. Hoc evenit in octavis S. Stephani in præsentia domini episcopi.* Et infra: *Et concessit episcopus veniam quindecim dierum omnibus ipsam inventionem præsentialiter venerantibus.* Et interjectis nonnullis subiicit Henricum Regem loci religione pellectum eo accessisse, ac magno delibutum pietatis sensu munera obtulisse.

Henricus Rex Angl. illud religiose adit.

XXXVI. Oblata ab eo munera.

*Obtulit*, inquit, *majori altari monile nobilissimum habens duas lingulas, & transtrum, & annulos nobiles tam ipsi altari, videlicet S. Albani, quam S. Amphibali; & unam cuppam argenteam deauratam ad reponendum pulverem nuper inventum in mausoleo, de quo prædictum est, & sex pannos sericos, quorum unum assignavit ad cooperiendum dictum mausoleum, & alium ad cooperiendum tumbas Rogeri & Sigari eremitarum, & denarios ad emendandum feretrum.*

Deportato illo sacro feretro in solemni supplicatione obtentam a Deo aeris serenitatem narrat idem auctor his verbis: *Abbas, & conventus S. Albani perpendentes de inundatione pluviarum immoderata tam*



Nimii imbres sedati piorum precibus.

*tam sœnis quam segetibus suffocationem generalem imminere, prout consuevit in tali fieri periculo, constituerunt, ut indicto jejunio per archidiaconum tam in populo quam conventu, cum processione solemni feretrum S. Albani ad S. Mariæ ecclesiam, quæ de pratis dicitur, deportaretur, conventu & populo nudis pedibus subsequentibus cum oratione devotissima: quo facto eadem die meritis beati martyris cessavit inundatio tam damnosa,*

XXXVII. Soror B. Edmundi miraculis clara.

Tradit idem auctor hoc anno diem obiisse B. Edmundi sororem, ad cujus sepulcrum edita miracula magnos populorum concursus ad ejus suffragia apud Deum imploranda pellexerunt. Simillima quoque de Waltero scribit, multis post mortem miraculis a numine illustrato: eum vero cum in vivis versaretur, singulari amore pauperes prosecutum, ac fame ingravescente, ad sustentandam eorum inopiam thesaurum sacrum ac vasa aurea argenteaque, ut viva Dei templa servaret, distraxisse.

Walterus illustris sanctitate. Sacras opes distrahit in pauperes.

XXXVIII. Edmundus fil. Regis Angl. oratores ad Alex. mittit.

Decrevit ad sedem Apostolicam oratores amplissimos Edmundus Henrici Regis secundus natu filius, qui regios Siciliæ titulos Apostolicæ sedis beneficio acceperat, ut de impetrato regno pactiones sibi æquiores referret, de quo extant ejusdem literæ in M. S. Vaticani archivi inscripto libro privilegiorum Romanæ ecclesiæ (a) in tomos tres ingentes diviso, in quibus illustrissima Regum, & Pontificum monumenta continentur.

(a) Lib. privileg. Rom. Eccl. T. 2. pag. 162.

Edmundi ad Pont. literæ.

*Sanctissimo in Christo patri domino Alexandro, Dei gratia, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Edmundus eadem gratia Rex Siciliæ, devota pedum oscula beatorum. Noverit vestra paternitas reverenda, quod nos, dilectos nostros venerabilem patrem R. Tarantasienſem archiepiscopum, ac Bathoniensem, & Roffensem episcopos, & discretum virum magistrum Nicolaum de Pluncon cappellanum vestrum, quemlibet eorum in solidum, de mandato, & auctoritate domini patris nostri, Dei gratia, Regis Anglorum illustris procuratores nostros constituimus & nuntios speciales videlicet ad petendum a vestræ clementia sanctitatis meliorationem & reformationem conditionum in privilegio apostolico contentarum super concessione præfati regni Siciliæ nobis facta, & ad tractandum de novis conditionibus apponendis, obligandumque nos ad observandas easdem sub quibuscunque modis, pactis, aut etiam juramentis, prout ipsi, vel alter eorum viderint expedire: ratum promittentes nos habituros, & firmum, quicquid per ipsos, vel cum ipsis seu quolibet eorum in solidum factum fuerit in præmissis. In cujus rei testimonium, bullam nostram auream præsentibus duximus apponendam. Dat. apud Vvindesores* XXVI. *die junii anno regni nostri secundo, anno etiam Domini MCCLVII.*

Flagitat Edm. æquiores pactiones in re Sicula.

XXXIX. Arlotus A. S. N. in Angliam missus (b) Lib. 3. ep. 761.

At Pontifex extremo anno in Angliam misit legatum Apostolicum Arlotum nomine, quem cum Parisius ob arcana consilia venisse asserat, ex apostolicis literis (b) colligitur ad quæ tractanda negotia ea provincia ipsi fuerit commendata, nempe ut cum Rege Angliæ de vindicanda e manibus Manfredi Sicilia agitaret; tum etiam, cum ad id regnum e tyranni servitute eripiendum gravissimis pœnis incurrendæ anathematis sententiæ, interdicto subiiciendæ suæ ditionis, rescindendæ editæ donationis, suscipiendæ perjurii infamiæ, pœnis se obligasset, nec leges tamen admissas implere posse præfixo tempore videretur, apostolica benignitate ex earum legum severitate remitteret, consuleretque ipsi, ne in eas pœnas summo dedecore ac damno laberetur: quare ut ad promissa exequenda sese accingeret, præscripti temporis angustias sustulit, produxitque, ac donationis collatæ in Edmundum jura redintegravit.

XL. Pontif. literæ ad Regem Angl.

*Regi Anglorum illustri.*

*Ad reformandum negotium regni Siciliæ, quod tecum, & cum charissimo in Christo filio nostro Edmundo nato tuo Siciliæ Rege illustri ecclesia Romana suscepit, & ad reparandum illud in prosecutionis statum, a quo propter omissiones, & procurationes diversas cadere videbatur, dilectum filium magistrum Arlotum subdiaconum, & notarium nostrum, de cujus fide plene confidimus, duximus de fratrum nostrorum consilio transmittendum, concessa sibi expressius sub certa forma reformatione ipsius negotii usque ad kal. junii proximas per alias nostras literas facultate. Quoniam autem ante omnia tibi ad nuntiorum tuorum instantiam, & alias etiam per nostræ solicitudinis studium sic duximus providendum, quod tu excommunicationis sententiam, seu aliquas ex pœnis, quæ in privilegio concessionis, innovationis, & confirmationis, quas præfato Edmundo super prædicto regno fecimus, continentur, propter defectus aliquos a te circa prædictum commissos negotium, nullatenus incurristi, & regnum tuum non subjaceat ecclesiastico interdicto, super provisione hujusmodi contra pœnas easdem tibi, & regno ipsi a nobis facta plena tibi decernimus auctoritate præsentium esse cautum, tam ad conscientiam, quam ad famam, ut præsertim maculatus reatu, vel nota pejurii nullatenus sentiaris.*

Edmundi expeditio in Siciliam extracta in sequentem annum.

XLI. Susceptæ ob moras pœnæ abrogatæ.

*Ut autem super eisdem pœnis sic tibi prospiciatur in posterum, & prædicti reformationi negotii sic opportunitas temporis commodetur, quod non contingat illud in grave dispendium Ecclesiæ, ac ipsius regni perniciem protelari, pœnas omnes in præ-*

*prædicto contentas privilegio usque ad prædictas kalendas præsentium auctoritate suspendimus, ita præsertim, quod interim occasione quorumcumque defectuum a te in eodem negotio commissorum tu excommunicationis sententiam, vel reatum aut notam perjurii non incurras, nec regnum tuum subjaceat ecclesiastico interdicto; nec nos prædictas innovationem, concessionem & confirmationem cassemus, irritemus, aut cassas, vel irritas nuntiemus, nec de ipso regno interim aliter quomodolibet disponamus, sed jus, quod præfato Regi Siciliæ ex innovatione, concessione, & confirmatione sibi super eodem regno factis a nobis extitit acquisitum, eidem & heredibus suis usque tunc salvum maneat, & illesum, sicut erat postquam eadem innovatio, concessio, & confirmatio fuerunt eidem in memorato privilegio per nos factæ. Ad cujus suspensionis irrefragabile testimonium præsentes literas fore decernimus efficaces. Dat. Viterbii* II. *id. decembris anno* III.

XLII. Misit etiam in Angliam Alexander archiepiscopum Messanensem legationis munere insignitum, (*a*) summaque auctoritate pro gerenda commissa provincia instructum: cujus obeundæ causam cum arcanam dicat Parisius, ad rem Siciliæ promovendam missum conjectura est. Habitis certe solemnibus regni comitiis Rex Edmundum filium Appulo cultu indutum in publico consessu produxit, astantesque obsecravit, ut opera fortunisque suis ad regnum Siciliæ adolescenti regio, jam ad spes maximas pubescenti, comparandum non parcerent: adjecitque se Apostolicæ sedis gratia fretum, fultumque Anglicanæ ecclesiæ quod sperabat, subsidio ad florentissimum illud regnum ex tyranni manibus eripiendum obstrinxisse. Eo vero tempore Rustannum antea in Anglia legationis dignitate ornatum, judicio apud Pontificem postulatum, in administrando munere improbe se gessisse, collectaque apud Regem principesque gratia ad cumulandas in Anglia opes per summam avaritiam abusum esse, atque ideo a Pontifice omni dignitate exutum, refert idem auctor. Verum ut ut res fuerit, is certe postea, abjectis opibus, paupertatem evangelicam in Franciscana familia est sectatus.

(*a*) *Par. ubi sup.* Inanes Henrici Regis conatus pro comparanda Sicilia.

Rustannus ob gestam male legationem vocatus in judicium. Franciscanis se addicit.

XLIII. Duriori quoque censura percussit Alexander archiepiscopum Eboracensem, Sewalum nomine, quem solemni ritu e consortio fidelium in Anglia segregari, feririque anathemate jussit, quod pervicaciter pontificiis imperiis adversaretur. Inflictæ pœnæ, atque ignominiæ causam refert Parisius (*b*) in ejus constantiam, qua Romanæ curiæ ministris ecclesiæ Anglicanæ opes diripientibus sese opposuit. Sed falso pertinaciam illius constantiæ nomine exornat, cum juste Pontifex pro Sicilia, depulso tyranno, in Edmundum transferenda a clero Anglicano pecuniarum subsidia exigeret. Addit Sevvalum, post multa adversa tolerata, morbo graviore implicitum absolutionis beneficium supplicem flagitasse: quamvis enim injuste ob defensa ecclesiæ suæ jura anathemate perculsum se putaret, veniam tamen humillime poscere, ne ex summi Pontificis contemptu, spretaque auctoritate, ipsius sententia adversus se vibrata ex injusta justa evaderet.

(*b*) *Par. ib.*

Moriturus veniam efflagitat.

XLIV. Non potuit porro Henricus Siculam expeditionem toties promissam conicere, cum hinc Wallenses, Leolino duce, cui Northvalli & Sewalli se conjunxerant, hostes experiretur, a quibus regium exercitum concisum refert Parisius (*c*); hinc Richardum fratrem ad Germanicum Imperium provehere contenderet; tum amissas a Joanne Rege in Galliis provincias recuperare moliretur, atque in spem ingentem elatus esset, conjuncto sibi ob affinitatem Scotiæ Rege, filiam enim uxorem illi tradiderat, ac Richardo, qui Pictaviam sibi vendicabat, Germanico sceptro potito, Francos potentiæ suæ pares non futuros. Sed illos adversus hostiles irruptiones Nortmanniam communisse refert idem Parisius, ac partæ de Othone Imperatore, & Joanne Rege victoriæ memoria animos confirmasse: demumque accidit, ut alta illa Henrici consilia irrita ceciderint: dumque in Siciliam traducere exercitum differret, Manfredus tyrannidem suam latius circumferebat, ac populos qua vi qua metu in sui obsequium adigebat.

(*c*) *Par. ubi sup.* Henrici ingentia consilia.

Nullum ex iis perducit. Manfredus ob tardiores moras Sicilia potitus.

XLV. Perstitere tamen Aquilani in Ecclesiæ fide, suoque studio promeruere, ut Alexander sedem episcopalem Furconiensem in eorum urbem transferret, atque in ecclesia S. Georgii, quam bonis amplissimis donarant, collocaret: quo argumento hæ literæ ad ipsos datæ (*d*).

Aquilani in fide ecclesiæ constantissimi.

(*d*) *Lib.* 3. *ep.* 28. & *ep.* 187. Alexandri lit. ad Aquit.

*Aquilensibus fidelibus nostris.*

*Puræ fidei claritate conspicua terra vestra, & lucidis in se ac magnificis proficit actibus, & aliis civitatibus regni Siciliæ, spectabili sectandæ probitatis exemplo, libertatis amplectendæ profectum manifeste propinat: propter quod terra eadem, quæ a mœnium fundatione suorum gestorum nobilis ingenuitate conspicitur, sic apud proximos & remotos multipliciter redditur suorum processuum strenuitate laudabilis, & penes nos & Apostolicam sedem præcipuis attollenda favoribus, & gratiis potioribus honoranda. Quod non solum per singulas ejusdem regni urbes clare resonat suæ præconium bonitatis, sed & longius tuba intonat laudis ejus, suaque remotius acta volantis famæ devotione notescunt, & nos dictaque Sedes, totis affectibus ducuntur, ut congruis eam su-*

Eorum Elogia.



*blimemus honoribus, & condignis gratiis exaltemus.*

XLVI. *Attendentes igitur sinceræ devotionis constantiam, & indeficientis fidei firmitatem, quibus terra eadem erga Romanam ecclesiam pollere dignoscitur; ac volentes ex hoc affectus nostri plenitudinem, quem habemus ad illam, ostendere per effectum; pensantes etiam quod omnes fere habitatores Furconen. & Amiterni incolatum suum ad prædictam terram transtulisse dicuntur; considerantes insuper quod vos, tamquam orthodoxæ cultores, & amatores fidei ecclesiam sanctorum Maximi & Georgii de Aquila, quam de novo construitis, & quam cum instantia petitis in cathedralem auctoritate apostolica erigi, bonis vestris temporalibus secundum facultates vestras jam laudabiliter dotare cœpistis, ei unum molendinum, & dimidium, ac duo alia sedilia pro construendis duobus aliis molendinis liberaliter concedendo, prout in instrumento publico confecto exinde plenius perspeximus contineri; vestris supplicationibus inclinati prædictam terram Aquilæ, quam sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, de fratrum nostrorum consilio, & plenitudine potestatis statuimus esse de cætero civitatem, episcopalem dignitatem concedentes eidem, & Furconensem sedem cum omnibus suis juribus, dignitatibus, & honoribus, præsertim cum ad id venerabilis fratris nostri Berardi episcopi, & dilectorum filiorum magistri Angeli cappellani nostri, archipresbyteri, & capituli quondam Furconensis vota concurrant, ad prædictam ecclesiam sanctorum Maximi & Georgii de Aquila, quam deinceps cathedralem esse decernimus, transferentes; constituendo ut de cætero loci præsul non Furconensis, sed Aquilensis episcopus nominetur. Nulli, &c.*

Furconensem episc. Aquilam transfert Alex.

XLVII. Idem diploma ex Aquilanæ ecclesiæ sacro tabulario decerptum apud nos extat, in quo Cardinalium nomina apposita sunt:

† *Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ episcopus.*
† *Ego Odo Tusculanus episcopus.*
*Ego Stephanus Penestrinus episcopus.*
† *Ego frater Joannes tituli S. Laurentii in Lucina presbyter Card.*
† *Ego Richardus sancti Angeli diaconus Cardinalis.*
† *Ego Octavianus sanctæ Mariæ in via lata diaconus Cardinalis.*
† *Ego Petrus S. Georgii ad velum aureum diaconus Card.*

*Dat. Laterani per manum magistri Rollandi S. R. E. vicecancellarii* X. *kalen. martii, indict.* XV. *incarnat. dominicæ MCCLVII. pontificatus vero domini Alexandri Papæ quarti anno tertio.* Agit de his Ferdinandus abb. Ughellus Ital. sacr. T. I. in episcop. Aquilanis. Succubuere demum sub Manfredi tyrannide omnium ultimi Aquilani, qui præclarum sed lugubre fidei & constantiæ exemplum Siculis extitere. At de his anno sequenti: jam reliquas res Italicas prosequamur.

Aliæ res Italicæ.

XLVIII. Depressa est in Insubria hostium Ecclesiæ potentia: Brixiani enim, libertati restitutis iis omnibus, quos ob defensas Ecclesiæ partes inclusos carcere tenuerant, Heimerardi Dominicanæ familiæ viri insignis industria, ac legati apostolici opera, ad Ecclesiam transfugere (*a*). Papienses etiam & Placentini durissimum Palavicinianæ servitutis jugum e suis cervicibus depulerunt. Ut enim in marchia Tarvisina Ezelinus, ita in Insubria Palavicinus tyrannidem in populos exercuerat. Nonnullæ etiam arces ereptæ Ezelino, quas in Patavino agro obtinebat. Secundum illum rerum successum nonnihil confudit Alberici Ezelini fratris ab Ecclesia defectio, qui cum inimicitias cum fratre aliquandiu gessisset, cum ipso tandem fœdus coivit, ac Tarvisinos ab Ecclesiæ obsequio divulsit.

Brixia ad Ecclesiæ partes traducta.

(*a*) *Monach. Paduan Chr. l.* 2. *Ptolem. Lucen. hist. eccl. l.* 22. *c.* 15. Palavicinus depressus. Albericus Tarvisium in fratris Ezelini partes rapit.

Inter hæc cum sanxissent Mantuani nonnulla decreta, quæ hæreticis favere, ac diligentiam fidei censorum in iis perscrutandis infringere videbantur, Mutinensi episc. Alexander partes imposuit, ut ea edicta ab eisdem Mantuanis convelli juberet. Ne porro interdum zelo plus æquo ardentiori insons aliquis immerito supplicio cum sontibus involveretur, religiosis ordinis Prædicatorum viris qui in Insubria & Liguria excindendæ hæresi præfecti erant, præscripsit, (*b*) ne in quempiam, nisi præsente loci episcopo ejusve vicario sententiam ferrent: si vero rei publicæ administri de religione catholica male sentire faterentur, neque de sententia ulla ratione vellent dimoveri, etiam non admoniris excitisve diœcesanis, meritis suppliciis afficerent.

XLIX. Mantuanorum injusta edicta rescissa

(*b*) *Ext. apost. lit. in bullar. in Alex. IV.* Vocandi a censoribus fidei diœcesani in judiciis.

Nec prætereunda videtur pontificia constitutio, qua Alexander dignitati ac venerationi Romanæ ecclesiæ ne sensim deflorescceret, consuluit: concessa enim omnia privilegia, quæ alii importunitate sua extorserant, alii precibus erant eblanditi, ut Apostolicæ sedis adeundæ onere exsolverentur, abrogavit (*c*).

L. Privilegia dignitati sedis Ap. detrahentia abrogata.

(*c*) *Lib.* 3. *ep.* 615. Alexandri constitutio.

*Importuna multorum instantia, quam nequit interdum repulsa repellere, felicis recordationis Innocentium Papam prædecessorem nostrum, & nos aliquando coarctavit, ut cum votis eorum benignitas sedis Apostolicæ quodammodo tracta concurreret, non ex voto. Sane nonnulli ecclesiarum prælati obtinuerunt sibi per sedem Apostolicam importune concedi, ut non teneantur sedem eamdem usque ad certa tempora visitare, contra formam præstiti juramenti: ex*

Præsules ad sedem apost adeundam certis temporibus obstricti.

*ex quo illud evenit inconveniens, quod Apostolicæ sedis dignitas rarius visitatur in derogationem reverentiæ, quæ ab omnibus debetur eidem, utpote quæ mater existit ecclesiarum omnium, & magistra. Nos igitur volentes super hoc salubri remedio providere, ac Romanam ecclesiam, quæ super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, congruis honoribus frequentari; præsertim cum non sit facile recedendum ab eo, quod a prædecessoribus nostris super hoc diu excogitatum extitit, & obtentum; de fratrum nostrorum consilio indulgentias, & concessiones hujusmodi patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis concessis auctoritate præsentium revocamus. Dat. Viterbii* III. *non. aug. anno* III.

LI. Religiosos ordines fovet Alex.

Cæterum suam benignitatem in religiosas familias explicuit: Richardi enim S. Angeli diac. Card. Augustinianos eremitas clientelæ commendavit, parteſque (*a*) injunxit, ut omnes sub uno capite vitæque religiosæ excolendæ simili ratione conjungeret. Sacrum quoque ordinem Pauperum catholicorum nuncupatum, jam ante in eandem familiam redactum, in susceptis religiosæ disciplinæ institutis perstare jussit (*b*): adscivitque (*c*) in patrocinium apostolicum Vallisumbrosæ religiosum ordinem.

(*a*) *Ib. ep.* 365.

(*b*) *Ep.* 702.

(*c*) *Ep.* 593.

LII. S. Bonaventura præest Minoritis.

Gerebat hoc tempore supremum apud Franciscanos munus S. Bonaventura, cujus perspecta exploratagque virtute Alexander (florebat enim apud omnes non modo abditioris scientiæ, sed etiam summæ sanctitatis ac prudentiæ opinione) ad ejus amplificandam confirmandamque auctoritatem, sanxit, (*d*) ut nullus concessis ab Apostolica sede privilegiis sine ejus facultate uteretur: periculum enim erat, ne aliqui ut se præpositorum imperiis subducerent diplomata ac prærogativas importune surriperent: tum ad arcendam ambitionem, ne quis electus ad ecclesiam administrandam oblatum munus, nisi eo consulto, admitteret; pluraque alia probe ad moderandam eam familiam religiosam constituit. Hic vero non omittimus, ad augendum divini numinis cultum Minoritis Neapolitanis concessisse, ut solutis Franciscani sodalitii legibus, sericis vestibus in Missæ peragendo sacrificio uterentur (*e*).

(*d*) *Ib. ep.* 670. *Ext. apud Vvad. hoc an. n.* 9. Alexandri in eum studium.

Sericæ vestes in re divina peragenda Minoritis permissæ.

(*e*) *Ep.* 418.

LIII. Turbæ in Parisien. academia renovatæ.

Eluxit etiam singulare erga ipsos ac Dominicanos studium in defendenda adversus invidos illorum causa. Nondum enim inter Parisienses doctores ac religiosos viros mendicantes concordia coaluerat, recrudescentibusque odiis ab academiæ consortio religiosos depellere moliebantur, atque ad colorandam facti rationem, nonnulla afferebant argumenta, (*f*) invitum neminem ad alterius societatem adstringi debere: tum nuncupatum paupertatis votum non pati, ut quæstum, qui ex eo derivabatur, colligerent, ipsosque ea ratione a vitæ sanctimoniæ professione discessuros. At Alexander suscepto religiosorum patrocinio, tum latas antea in eorum gratiam sententias corroboravit, tum conventiones, quibus apostolicis privilegiis se non usuros spoponderant, rescidit, proque sua auctoritate sanxit, ut religiosi pari libertate ac sæculares ad scholas adeundas, frequentandas concertationes publicas, laureamque doctoratus adipiscendam potirentur; argumentaque causæ adversantium doctorum ut futilia & inania repudiavit.

(*f*) *Ext Ap. diploma apud Vvading. hoc ann.*

Alexander tuetur religiosos viros.

LIV. Libertatem ecclesiast. asserit.

Pro asserenda vero in Galliis suo splendori dignitate ecclesiastica, atque ejus juribus servandis, nonnulla ab Alexandro decreta sunt: scriptis enim ad archiepiscopos & episcopos Galliarum literis, anathema in eos qui leges contra libertatem ecclesiasticam ferrent, easve servarent, fulminavit (*g*).

(*g*) *Lib.* 3. *ep.* 496.

*Archiepiscopis & episcopis per regnum Franciæ constitutis.*

Alex. lit. ad Gall. præsules.

*Improbis quorundam volentes, prout cum Deo possumus, refragari conatibus, qui ecclesias, & personas ecclesiasticas ipsarum, quantum in eis est, libertate subversa, deiicere in divini nominis injuriam moliuntur, fel. recor. Honorii & Innocentii Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, excommunicamus omnes illos, qui de cætero servari fecerint statuta edita, usus & consuetudines introductas contra ecclesiasticam libertatem, nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post hujusmodi publicationem edicti, nullatenus ulterius resumenda, fecerint amoveri. Excommunicamus quoque statutarios & scriptores statutorum ipsorum, nec non dominos, potestates, consules, rectores, & consiliarios locorum, ubi de cætero hujusmodi statuta, usus & consuetudines edita fuerint vel servata: necnon & illos, qui secundum ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere judicata.*

Opprimentes libertatem ecclesiast. defigit anathemate.

LV. Præsules ad eam defendendam excitat.

*Cum igitur vobis præcipue, quos prædictæ libertatis propugnatores oportet esse constantes, ex officio impositæ necessitatis incumbat pro sanctuario domus Domini, ne in conculcationem veniat, resistere viriliter, ascendentibus ex adverso ut Ecclesia Dei adversus exteriores insultus muros fortitudinis habere probetur, non parietes inclinatos, fraternitati vestræ per apostolica scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus edictum hujusmodi tam in provincialibus conciliis & episcopalibus synodis, quam alibi per vestras civitates & diœceses solemniter publicantes ipsum contra eos, qui in illud commiserint, inviolabiliter observetis, & faciatis usque ad satisfactionem ple-*



Auctoritate ad censuras incutiendas instruit.

*plenariam observari. Contradictores &c. Non obstante si eorum aliquibus sit indultum, quod ipsi excommunicari, vel eorum terræ nequeant subiici ecclesiastico interdicto. Ita tamen, quod si quis in laqueum prædictæ excommunicationis inciderit, a nemine absque speciali mandato sedis Apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, absolvatur: & si secus præsumptum fuerit, id volumus non tenere.*

LVI.

*Quod si forsan super hoc inventi fuerint aliqui pertinaces, eis denunciare curetis expressè, quod ipsi, nisi resipuerint, feudis, si qua tenent ab ecclesiis, merito ingratitudinis privabuntur, & eorum proles a clericatu & ecclesiasticis beneficiis, præsertim in cathedralibus ecclesiis excludentur, cum dignum sit talium posteros ab uberibus piæ matris avelli penitus & arceri, qui eam vipereis audent morsibus lacerare, retributione maligna pro dilectione odium impendentes. Clerici quoque, qui cum talia committentibus permanent, nisi post propositam aut saltem publicatam eis super hoc monitionem vestram ab ipsorum obsequiis omnino recesserint, omnibus ecclesiasticis beneficiis & clericatus privilegio noverint se privandos: cum qui propriæ professionis & ordinis insectatores amplectitur, & benedicens inique agentes favore approbat, in suis desideriis peccatores merito debeat a fructibus suis cognitus reprobari. Dat. Viterbii non. julii anno* III.

Datis etiam aliis literis episc. Cameracensi decrevit, (*a*) ut privilegia quæ ecclesiæ Gallicanæ ad sua jura contra eorum violatores defendenda concessa essent, ad ecclesiam Cameracensem sese porrigere censerentur. Tum concesso episcopis minoris Britanniæ diplomate, constitutionem inter episcopum Trecarensem, & comitem Britanniæ pro ecclesiastica libertate editam confirmavit (*b*). [1]

(*a*) *Ib. ep.* 514.

(*b*) *Ep.* 597.

Postulavit per idem tempus ab Apostolica sede Theobaldus Campaniæ comes, ac Navarræ Rex, innata pietate adductus, ut cum divina providentia ad regium solium ipsum extulisset inunctionis beneficium illi conferret. Cujus piis precibus obsecutus Alexander Pampilonensi episcopo provinciam commisit (*c*) ut Regem inungeret, & consecraret, atque etiam apostolica auctoritate ipsi, ac successoribus jus, ac munus imponendi Regibus Navarræ diadematis contulit: *Sane charissimus in Christo filius noster Theobaldus Rex Navarræ illustris, & comes Campaniæ, ac Briæ Palatinus, devotissimus Ecclesiæ filius, sperans per hujusmodi unctionem spiritualis gratiæ rore perfundi, nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse per apostolicam providentiam in Regem inungi, & regale suo imponi capiti diadema... Nos igitur dicti Regis devotionem multimodam attendentes, & considerantes quod progenitoribus suis, qui fuerunt ardentes catholicæ fidei amatores non solum derivatione sanguinis, sed & puritatis ac bonitatis imitatione succedit; ac volentes ob hoc eum in iis specialiter honorare, ipsius supplicationibus grato concurrentes assensu, fraternitati tuæ de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta mandamus, quatenus adhibito tecum decenti episcoporum numero, cum propter ejusdem Regis honorificentiam, tum propter reverentiam sacramenti, sibi auctoritate nostra hujusmodi unctionem impendas, & capiti ejus imponas regium diadema. Nos enim tibi & tuis successoribus ad ejusdem Regis instantiam ungendi, & coronandi auctoritate apostolica eum, suosque successores in devotione Romanæ Ecclesiæ persistentes, in Reges juxta morem, qui servatur in talibus circa Reges alios catholicos, & sicut canonica instituta edocent, liberam per præsentes literas concedimus facultatem. Dat. Viterbii* III. *non. novemb. anno* III.

(*c*) *Ep.* 688.

Alex. lit. ad episc. Pampilonen.

Rex Navarræ regiis ornamentis insigniri postulat.

Jubetur Pampilon. episc. pontificio nomine diadema illi imponere.

Pampilonensi episc. concessum jus Regis inungendi.

Rex Navarr. sacramenti religione solvitur.

Petierat etiam ab Apostolica sede Rex Navarræ, ut cum puerili facilitate, dum in annis teneris versabatur, pluribus sacramentis se devinxisset, quæ graviori damno ipsius jura infringerent, ac labefactarent, eorum religione liberaretur: cujus rei æquitate permotus Pontifex relaxandi iis vinculis Regis eidem Pampilonensi episcopo partes injunxit. (*d*) Hactenus de occidentalium rebus; jam ad orientales sermonem convertamus.

(*d*) *Ep.* 698.

LVIII. Partæ a Tartar. de Saracenis ingentes victoriæ.

Attriti fuere in oriente a Tartaris per ea tempora Sarraceni, quorum præcipites victorias his verbis Parisius perstringit: *Facti sunt*, inquit, *eisdem Tartaris multitudo gentium in tributum, Soldani videlicet admirabiles, & principes etiam Caliphi*; subditque eo successu elatos jugum Christianis imponere meditatos (*e*) mis-

(*e*) *Par. hist. Angl. hoc ann. Marin. Sanut. l.* 3. *par.* 13. *c.* 7.

NOTÆ

[1] ALbericus Ezelini frater ad hæc usque tempora ecclesiæ partes contra fratrem defenderat; nunc vero ad fratrem defecisse annalista hic ex monacho Patavino scribit. Nec diffiteor occulte illum fratri cohæsisse, quin & multa etiam in aperto gessisse, quæ arcanum ejus consilium prodebant. Sed adhuc nihilominus pro ecclesia stare se idem Albericus palam profitebatur, causatione aliqua ea quæ gerebat excusans. Cum enim ecclesiæ fautores e medio tolleret, id se præstare dictitabat, *ad honorem S. ecclesiæ granum a paleis, serpentes a virgulto reiiciens*. Discimus hæc a Rolandino hist. Tarvisin. lib. XI. cap. I. qui tunc in iis locis agebat. Verum anno sequenti exordiente Albericus in apertam defectionem erupit, eodem Rolandino ibid. cap. IV. teste. MANSI

Tartari Christianos Syros sibi subiicere affectant. Religiosorum equitum fortis vox.

missisque ea de causa oratoribus, Templarios atque Hospitalarios consilium inter se in re gravissima contulisse, ac demum dato hoc responso, quod refert auctor, Tartaros repulisse: *Responderunt quod non se Dei obsequio mutato habitu ut deliciose viverent, manciparunt, sed ut potius pro Christo morerentur, qui in ipsa terra pro humani generis reparatione mortis supplicium non renuit tolerare. Veniant igitur Tartari dæmones Tartarei, & servos Christi ad defensionem legis Christianæ in campum contra eos invenient ad prælia præparatos*. Excisos ab iisdem Tartaris Assasinos fuisse tradit idem auctor his verbis: *Circulo ejusdem anni Tartari detestabiles Assasinos detestabiliores, quos Cultelliferos appellamus, destruxerunt*. Describit paulo amplius Assasinorum excidium [1] Aytonus Curchi princeps, regia Armenorum stirpe oriundus, qui hisce temporibus vixit, ut ipse testatur: ac dein ætate provectior rerum orientalium, ac præcipue Tartarorum historiam ad Clementis V. gratiam, quem ad instaurandam in Syria religionem expeditionemque sacram ornandam urgebat, composuit: ac ubi pluribus recensuit, ut Tartari adversus Saracenos ab Aytono Armeniæ Rege concitati fuerint, ac Mango Chan Imperator fratrem Haolonum florentissimo instructum exercitu in Saracenos effuderit, subiicit (*a*).

Assasini a Tartaris deleti.

(a) Ayton. hist. orien. c. 24.

LIX. Persis subacta a Tartaris.

*Haolonus cum suo exercitu copioso invasit regiones, & terras undique: & antequam sex mensium spatium laberetur, totum regnum Persarum, quia carebat domino & rectore, fuit faciliter subjugatum: cepitque Haolonus absque resistentia omnes terras usque ad terram Assasinorum. Isti vero Assasini sunt homines infideles, nullam habentes legem, vel fidem, nisi sicut eorum princeps, & dominus instruebat, qui sex montium vulgariter dicebatur: ad cujus beneplacitum, & mandatum morti se sponte, & faciliter offerebant. Habebant enim præfati Assasini quoddam inexpugnabile castrum, quod Tigado dicebatur. Erat autem illud castrum omnibus necessariis præmunitum, & ita forte, quod a nulla parte timebat insultum. Præcepit itaque Haolonus cuidam duci, assumeret decem millia Tartarorum, quæ dimisit in custodia regni Persarum, quod subjugaverat, ut est dictum; qui castrum illud obsideret, & quousque illud caperet, non discederet ullo modo. Unde prædicti Tartari in obsidione illius castri steterunt per viginti septem annorum spatium tam hyeme, quam æstate. Finaliter vero Assasini reddiderunt castrum propter defectum vestium, & non propter penuriam victualium, vel alia ratione.*

Diuturna Tigadi obsidio.

LX.

Consentiunt etiam alii ab iisdem Tartaris fuisse deletos, sed de expugnatæ illorum principis arcis firmissimæ, Tigado dictæ, tempore dissentiunt, dum viginti septem annis obsidione cinctam Aytonus (*b*) & Sanutus scribunt, alii tribus annis tantum oppugnatam tradunt. Non alienum vero hic fuerit nonnulla de illo populo, ob crimina ingentia e terra exciso, memoria dignissima, ex (*c*) Jacobo Vitriaco decerpere: describit in primis illorum sedes his verbis: *In provincia Phœnicis circa fines civitatis Enteradensis, quæ hodie vulgariter appellatur Tortosa, quidam populus scopulis, & montibus undique circumclusus inhabitat, habens castella decem fortissima, & propter viarum angustias, & rupes inaccessibiles inexpugnabilia, cum suburbanis, & vallibus omnium fructuum, & frugum fertilitate fœcundissimis, & amœnitate jucundis. Horum autem hominum, qui Assasini nuncupantur, quadraginta millium numerum excedere dicitur multitudo. Præficiunt autem sibi capitaneum, non successione hereditaria, sed meritorum prærogativa, quem ipsi Veterem, seu Senem appellant, non tam provectæ ætatis ratione, quam prudentiæ, & ætatis præeminentia. Primus autem & summus infaustæ religionis eorum abbas, & locus, unde principium habuerunt, a quo in Syriam venerunt, in partibus est orientalibus valde remotis versus civitatem Baldacensem, & partes Persidis provinciæ, &c.* Subdit quanto principem honore & obsequio prosequantur, utque ille pueros in locis amœnissimis, & omni deliciarum gene-

(b) Ayt. & Sanut. ubi sup.

(c) Jacob. Vitr. hist. orien. c. 14.

Quæ fuerit Assasinorum sedes.

NOTÆ [1] Quod hoc anno collocat annalista Assassinorum per Tartaros excidium, ad sequentem annum ineuntem pertinere suspicor. Nam ad annum 1258. hæc non ambigue refert Bernardus thesaurarius, seu author continuationis Gallicæ ad historiam Tyrii, nec dissentire arbitror Aytonum, qui cap. XXIV. hist. oriental. arcis Assassinorum expugnatione descripta, sequenti capite XXV. historiæ seriem prosequens, narrat, his gestis Halonum in Sorloch Armeniæ provinciam transisse, ubi æstatem quietus exegit. Sequenti hyeme urbem Baldach, ubi agebat Caliphas qui Mahometanis sacris præerat, obsedisse, obsessamque expugnasse, Caliphe in captivitatem adducto. Hæc autem contigisse notat anno Christi MCCLVIII. Ex his conficitur Parisii continuatorem in unum annum congessisse ea, quæ non uno anno acciderant, cum Calipham hoc anno captum scribat. Insuper ex Aytono non male inferretur expugnatio munimenti Assassinorum contigisse ineunte anno 1258. cum stylo veteri nondum annus ille (quem a martio plures exordiebantur) cœpisset; atque hinc forte accidit ut a Parisii continuatore ad annum 1257. hæc omnia referrentur. MANSI



Insignis impostura principis Assasinorum.

(a) Eod. cap.

genere affluentibus educandos curet, quos ea opinione imbuit, longe majoribus deliciis in altera vita potituros, si in exequendis principis imperiis occubuerint ita vero instructos ad Christianos principes trucidandos submittat. De eorum vero religione hæc habet (*a*).

LXI.

*Hi super omnes alios Sarracenos legem Mahometi, & ejus instituta diligenter, & arctissime servaverunt usque ad tempora cujusdam magistri sui, qui naturali præditus ingenio, diversarum scripturarum exercitatus studio, Christianorum legem, & Christi Evangelia cœpit cum omni diligentia legere, & perscrutari, admirans miraculorum virtutem, & doctrinæ sanctitatem: ex quorum comparatione frivolam, & irrationabilem cœpit abominari Mahometi doctrinam, & tandem cognita veritate subditos suos a ritibus maledictæ legis studuit paulatim revocare; unde exhortatus est eos, & mandavit, quod vinum cum modestia biberent, & carnes porcinas manducarent. Tandem vero post multas admonitiones, & varias doctoris sui prædicationes in hoc omnes concorditer consenserunt, quod relicta Mahometi perfidia, percepti baptismi gratia efficerentur Christiani, ita tamen, quod ejusdem essent conditionis & libertatis, ut alii Christianorum legi subjecti: erant enim tunc temporis fratribus militiæ templi tributarii, duo millia byzantiorum eisdem annuatim persolventes pro securitate cujusdam terræ suæ, quæ in confinio terræ prædictorum fratrum sita erat, qui multas eis molestias occasione vicinitatis inferre consueverant. Præfatus autem Assasinorum magister unum de familiaribus suis, virum eloquentem, prudentem, & strenuum, de quo plurimum confidebat, misit ad Regem Hierosolymitanum. Rex autem intellecta causa legationis, pro tanti populi visitatione, & tot animarum a laqueis diaboli liberatione, Deo, gratias agens, nuntium Senis cum summo gaudio & honore magno recepit, & ipsum ad propria revertentem, ut domino suo bonam Regis & Christianorum voluntatem, & magnum desiderium nuntiaret, usque ad fines terræ suæ deduci præcepit: qui dum fines suos jam fere ingressurus Tripolim pertransisset, quidam ex nostris, vir Belial & iniquus, Dei timorem ante oculos suos non proponens, hominem de regio ducatu & fidei Christianorum sinceritate confidentem, improvisum, & nil tale sibi metuentem, in detrimentum Christiani nominis, & maxime ecclesiæ orientalis, occidit: unde populus ille, qui tamquam planta novella nondum plene radicatus erat in fide, cum ira magna, & indignatione fidem nostram respuens, & nostrorum consortium suspectum habens, a tam sancto & honesto proposito resiliit, & usque ad tempus præsens Christianos, & Dei Eccle-*

Ut jam ante de Christiana fide amplectenda deliberarint.

Quo sinistro casu a religione revocati.

*siam persequi, & infestare non prætermisit. In uno igitur corporali homicidio prædictus ille proditor animas innumeras interfecit.*

Solicitati postea sæpius ad Christiana sacra amplectenda fuere, ac demum S. Ludovicus paucis ante annis, dum in Terra sancta versabatur, operam collocarat, (*b*) ut ipsos ad Christi fidem adduceret: sed illi, cum hactenus divinam lucem admittere respuerent, & crimina criminibus cumularent, a divina justitia penitus extincti excisique fuere: atque orbis nefanda hominum peste, qui triumpho ducebant Regum, ac principum carnifices agere, liberatus est. At de Assasinis hæc suffecerint: ad alios Sarracenos populos a Tartaris profligatos stylum vertamus.

(b) Tom. XIII. an. Christ. 1251. n. 50.

LXII.

Subactam ab Haolono præterea Turquiam docet Aytonus, cui consentiunt ea, quæ narrat Georgius Logotheta (*c*). Irrupisse per ea tempora Tartaros in Turcos Græcorum Asiaticorum finitimos, ac vectigales effecisse: tum addit Michaelem Palæologum ob jactatas a Theodoro Imperatore minas apud barbaros profugum; copiarum parti præfectum oppositam Tartarorum aciem fregisse; sed Persæ principis proditione Tartaros demum victoriam retulisse: *Cum in extremo discrimine res bellica &, quod ajunt, in novaculæ acie versaretur, Tacharii quippe plerumque Musulmanicæ ditionis occupatum expilaverant, & apud Axara castra locaverant; impellenteque necessitate Persæ ad pugnam cum Tachariis instaurandam urgerentur, Michaelem Comnenum Christianis cohortibus præsidere decreverant. Ille extorris, & in aliena terra oberrans, auxilio suo Musulmanis subvenire nefas esse ducebat, ne inter pugnandum, ut ille asseverabat, Christianus sanguis impiis, ac consceleratis sanguinibus immisceretur: sed enim divino præsidio fretus, & mentem induens generosam, pugnam committit. Pars itaque exercitus qui sub Michaele Comneno arma movebat, adversos sibi ipsi Tacharios impulsos devicit, a Michaele ipso primum exercitus hostilis ductore ad mammas vulnerato. Qui ut earum rerum periti affirmarunt, ex eo vulnere non diu post animam afflavit. Debellati itaque ex ea parte, cui Comnenus præerat, Tacharii jam fuga terga vertere.*

(c) Georg. Logoth. in hist. Constantinop. Leon. Allat. interp.

Tartari incurrunt in Turcos.

Michael Palæol. sub initio adversam Tartarorum aciem frangit.

LXIII.

*At vir quidam inter Persas celebris dignitate Ampachures, maximæ apud Persas existimationis, quam multo abhinc tempore in suam gentem parum fidus proditionem conceperat, tunc exclusit, & cum universo milite suo Tachariis adhæsit. Hinc contraria cerni: namque paulo ante victores sese in pedes conicere, tergaque hostibus ad lacerandum dare. Itaque Persæ Tachariorum jaculis dilaniati frequentes cade-*

Proditione vincit altera Tart. acies.

*cædere, quos per longa spatia victores subsecuti sunt. Michael Comnenus, cum ita sors tulisset, maximo Persicorum exercituum Soratopedanchæ socius itineris conjungitur, quem Pelarpacium Persæ vocant. Sic per plurimos dies procedentes cum adversariis continuo subsequentibus, singulis horis pugnam conserebant: & cum Gelarpacis habitatio Castamonæ esset, in eam gressum accelerarunt. Tunc Tacharii universam Musulmanorum regionem percurrunt.*

LXIV. Theodorus ob Tart. victoriam in Orientem traiicit. Pontificii tum nuncii dimissi.

Subdit auctor Tartarorum de Turcis partæ victoriæ nuncio exterritum Theodorum Imperatorem, ad frænandos eorum impetus in orientem advolasse cum exercitu, seque ab eodem in occidentalibus partibus ad nonnullas res componendas relictum, deque legatis Alexandri Pontificis a se dimissis hæc adiicit: *Egressus ipse Thessalonicam Berrocam proficiscor, ubi & summi Pontificis legati immorabantur, quos imperatorio mandato dimissurus eram, ibi propter legatorum dimissionem aliaque nonnulla negotia parum cunctatus.* Missum ad Theodorum ab Alexandro episcopum Urbevetanum, ut de Græcorum ecclesiæ cum Romana conjunctione agitaret, superius (*a*) vidimus; ubi conciliandæ illius capita Græcis pontificio nomine proponenda attulimus: sed nimia schismaticorum pertinacia cœpta concordia perduci ad exitum non potuit, quæ demum cum Theodori successore Palæologo, etsi parum firma, coaluit; sed ad Georgium Logothetam redeamus, qui ubi nonnulla de turbis, quas Michael Ætoliæ princeps concitarat, nosque superius leviter attigimus, disseruit, subiicit Sultanum ex regno profugum ejectum a Tartaris ad Theodorum, qui in orientem procurrerat, ut Imperio, cui Tartaricus terror impendebat, consuleret, se contulisse.

(a) An. 1256.

LXV. Turquiæ princeps ad Theodorum confugit.

*Persarum*, inquit, *princeps Sultanus nudi cervi cor habens, ut poeta enunciavit, terram propriam deserens, quando illius exercitus attritus erat, fugitivus Imperatorem convenit. Ille virum amplexatus, muneribusque eundem, & socios donatos, honorifice, ac humanissime pertractavit, & in regionem propriam remisit; pusilla etiam militum manu concessa: nam quadringenti numero erant omnes, & exercitus ducem Isacium Ducam, cui Murtzuphlo cognomen erat. Tunc imperatoriæ aulæ primicerius, Persarum par pari dare cupiens, Imperatori Laodiceam urbem donavit: ingressaque est in eam Romanorum, quæ paulum perduravit, custodia, urbe rursus a Musulmanis occupata, neque enim fieri poterat, ut non a Musulmanis occuparetur. Sultanus ad resistendum Tachariis impar, cum proceribus consilio inito pacem, & fœdus a Tachariis accipit seseque illis subdit, & ex eo tributa Musulmani Tachariis persolvunt.*

Tartarorum stipendiarium se constituit.

De Turcarum principe Aladine sive Azatine pulso a Tartaris meminere annales Turcici, (*b*) Aytonus in historia orientali, (*c*) qui addit illum duo millia Latinorum sub signis habuisse; tum Nicephorus Gregoras, (*d*) qui illum fuisse Iconii soldanum designat, victumque cognati sui perfidia insigni, qui in medio prælii ardore una cum suis ad Tartaros descivit. Porro soldanum Iconii per ea tempora superstitionis Mahometicæ errores contempsisse, & in prophetarum & evangeliorum lectione versatum, atque a Romano Pontifice mitti internuntium, qui ipsum Christianis institutis imbueret, expetiisse constat ex Alexandri IV. ad eum datis literis, quas ex M. S. Vaticano (*e*) ob rerum, quas continent, majestatem afferemus.

Azinates soldanus Iconii.

(b) Annal. Turc. c. 1.

(c) Ayton. hist. Orien. t. 17.

(d) Niceph. Greg. l. 3.

De Christiana lege optime sentit.

(e) MS. bibl. Vat. sign. n. 3977. pag. 81.

*Alexander episc. servus servorum Dei magnifico viro soldano Iconii veritatem agnoscere, & agnitam custodire.*

*Ex literis tuis & nunciorum tuorum fideli relatione cognovimus, quod in votis habeas ad Christum converti: cumque jam receperis, ut audivimus, penthateucum Moysi, prophetiam etiam Isaiæ & Hieremiæ, Pauli etiam epistolas, atque Joannis evangelium & Matthæi, postulas tibi virum mitti orthodoxum aliquem, a quo in lege Christi quasi vice nostra plenius instruaris. Nos autem petitioni tuæ, plurimum in Deo commendabili, grato concurrentes assensu, tales excellentiæ tuæ procurabimus destinare, qui apud te in doctrina sana, & salutaribus monitis vices apostolicæ auctoritatis suppleant, quorum etiam mores & merita ab honestate & munditia eruditionis evangelicæ non discordent. Quoniam vero nostræ fidei seriem & tenorem literis tibi supplicas aperiri, nos tuis congratulantes desideriis, illam sub quodam compendio & digitotenus intimamus. Illud igitur pie credas, & fideliter teneas, quod unus est Deus; sic tamen, ut in assignatione deitatis sit unitas in substantia, & Trinitas in personis. Est enim Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: sed Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & ii tres unum sunt. Est autem discretio in personis, ut nec Pater sit Filius, nec Filius sit Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus sit Pater aut Filius. Res equidem difficilis est intellectu, & aciem rationis humanæ transcendit: sed tanto elegantius habet fides meritum, quanto est difficilior ad credendum.*

A Pontifice sacerdote mitti postulat.

Fidei mysteria illi proposita.

De Deo uno & trino.

*Porro licet invenire * .. possimus quod expressam habeat unitatis, quæ in Deo est & summæ * .. imaginem, nec verba inveniantur, quibus possimus de illa summa essentia digne loqui, quod possumus facimus, & quasi balbutientes per verba rebus accommodata transitoriis rem tibi ineffabilem aperimus. Paulus dicit Apostolus, quod*

LXVI. * non * Trinitatis.



*quod invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus & divinitas. Vide homines: corpusque solare considera; & videbis qualitercumque, licet tenuiter, & quasi oculo conniventi quandam similitudinem Trinitatis. Est enim in mente hominis intelligentia, memoria, & voluntas. Mentem autem vocamus memoriam, mentem dicimus intelligentiam, mentem dicimus voluntatem. Memoria, intelligentia, & voluntas sunt una mens, sed nec memoria est intelligentia, vel voluntas. In eodem corpore solis radium video, sentio calorem, & agnosco splendorem. Hæc tria unius sunt essentiæ: nullum tamen illorum est alterum. Sic in illa ineffabili & incircumscriptibili deitatis gloria est Filius a Patre, & Spiritus sanctus ab utroque. Cum Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ejusdem substantiæ, ejusdem potentiæ, & gloriæ sint; Non sunt tamen tres dii, sed in tribus personis est una substantia, & una potentia, & in una substantia tres personæ.*

Trinitas aliquot similitudinibus adumbrata.

LXVII. A proph. tis obscure designata.

*Hæc Fidei nostræ professio non tantum a Christo & ejus sequacibus traxit exordium, sed a Moyse & patriarchis atque prophetis suum habuit fundamentum. In libro Moysi divinæ essentiæ unitas declaratur, ubi dicitur: Audi Israel dominus Deus tuus unus est. Et iterum: Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti: non erunt tibi dii alieni præter me. Pluritatem vero personarum ibi patenter insinuat, ubi dicit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cum enim Verbum Dei sit Filius Dei, sicut Joannes, cujus evangelium recipis, protestatur dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Vides, quod ad Filium & Spiritum sanctum, Patris sermo dirigitur, cum hæc duo pluraliter dicit: Faciamus & nostram: per Verbum enim & Spiritum sanctum dominus Deus operatus est universa, sicut David propheta dicit: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Idem etiam propheta mysterium Trinitatis eleganter insinuat, ubi ter hoc nomen, Deus, in eodem versiculo repetit, & includit dicens: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. Et prænominatus Joannes in epistola sua canonica dicit: Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Isaias etiam propheta, quem recipis, se audivisse testatur Seraphim clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus sabaoth. Quare tertio replicat, Sanctus, nisi ut in domino Deo exercituum Trinitatem insinuet personarum? Est itaque in summa & beatissima Trinitate, Pater qui Filium genuit, Filius qui genitus est a Patre, Spiritus sanctus qui progreditur ab utroque: nec in illa genitura aut processionem damnum resecationis vel immutationis passa est in Patre vel Filio divina substantia. Sicut lumen a lumine sumitur sine diminutione luminis a quo sumitur: sic æqualis a Patre Filius, & utrique coæqualis Spiritus sanctus ab utroque procedit. Modum autem genituræ aut processionis istius humana ratio non attingit. Unde cum Isaiæ de Filii generatione constaret, modum generationis tamen inenarrabilem esse sciens, Generationem ejus, inquit, quis enarrabit? David propheta in persona Filii de hac generatione sic loquitur: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Filius etiam David Salomon, quem Deus scientia & intellectu mirabiliter illustravit, in persona Christi, qui est (sicut Paulus dicit) Dei virtus, & Dei sapientia, in libro sapientiæ (si tamen eum recipis) ita dicit: Dominus possedit me in initio viarum suarum: antequam quidquam faceret, a principio ab æterno ordinata sum & ex antiquis, antequam terra fieret: nec dum erant abyssi, & ego concepta eram: & quando præparabat cœlos aderam: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta disponens. Apostolus etiam Paulus Spiritui sancto, immo toti Trinitati testimonium perhibet dicens: Misit Deus Spiritum Filii sui, in corda nostra; & alibi. Si Spiritus ejus, qui Jesum suscitavit, habitat in vobis; vivificabit mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Si Christi testimonium de unitate essentiæ & personarum Trinitate desideras, ipse in Evangelio dicit: Ego & Pater unum sumus. Christus etiam discipulis suis dicit. Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

A Joanne clare expressa.

Quis ordo originis sit in personis.

Ut humana mente capi non possit.

Christi de Trinitate testimonium.

LXVIII.

*Cum autem homo perdidisset propter inobedientiam paradisum, & infernales miserias perpetuo meruisset, missus est a Patre Filius, dignumque fuit, ut mitteretur filius, & non Pater: cum enim a nullo esset Pater, Filius erat ab aliquo; eratque convenientius, ut haberet in tempore matrem, qui ab æterno habuerat etiam Patrem. Cum enim scriptum esset in psalmo: Non est qui redimat, neque qui salvum faciat: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; non est qui det placationem pro anima sua, ne dum pro aliena, missus est a Patre Filius, ut homo pro homine moreretur; & pro homine captivo tributum mortis tanquam Deus homo exolveret, eumque tanquam Deus cœlesti potestate redimeret. Hujus adventum desideraverunt patriarchæ, prædixerunt prophetæ,*

De illius adventu prænunciato.

*tæ, atque illius dilationem impatientius sustinentes querela continuata dicebant: Quando veniet? Quando videbimus? Da, Domine, mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur. Utinam Domine, dicit Isaias, disrumpes cœlos & venires; & David: Domine inclina cœlos tuos, & descende; sed & teste Isaia angeli pacis præ dilatione nostræ salutis amare flebant. Idem vero Isaias, de Christi nativitate manifestius loquens: Ecce, inquit, virgo concipiet, & pariet Filium: & vocabitur nomen ejus Emanuel. Cum autem Maria de Jesse originem traxerit, idem propheta nativitatem Mariæ, & per Mariam Christi, atque plenitudinem gratiæ spiritualis in Christo, manifeste declarat dicens: Egredietur virga de radice Jesse, & Flos de radice ejus ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & requiescet super eum Spiritus timoris Domini. Natus est itaque Filius Dei de Virgine incorrupta, Spiritu sancto in ea cooperante, nostræque salutis negotium ineffabiliter procurante. Abyssus enim inscrutabilis est incarnationis Dominicæ sacramentum: plurima tamen antiquis patribus acciderunt, in quibus hujus figura nativitatis præcessit. Quod enim vellus Gedeonis rore cœlesti complutum est, area circumquaque arida remanente, ros Spiritus sancti & gratia designatur in Virgine, quæ ad hoc propter humilitatem suam specialiter & singulariter est a Domino præelecta. Cui psalmista concordat dicens: Descendet sicut pluvia in vellus. Quod Moysi ignis in rubo apparuit, & non est rubus corruptus igne, virginitatis integritas in Maria demonstratur. Quod, virgis aliarum tribuum remanentibus siccis, virga Aaron, de cujus stirpe Virgo beatissima traxit originem, fronduit & floruit, florem de virga Jesse, quem vaticinaverat Isaias partum scilicet incorruptæ virginis indicavit.*

Virginitas matris pluribus designata prodigiis.

LXIX. *Cum inimici Dei essemus per adventum Christi reconciliati sumus, sicut propheta prædixerat: Et pax, inquit, erit in terra, cum venerit. Ideoque angeli in ipsius nativitate gloriosæ pacis canticum cantaverunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nova etiam stella magis apparuit, atque historiarum testimonio, Romæ fons olei de terra fluxit in Tyberim.* Et infra: *Probatica etiam Piscina, quæ Jerosolymis erat; adventu angeli moveri, & sanitates conferre cœpit. Vehementissime nobis nocuit vetus Adam, sed plus profuit nobis novus. Amplius nobis contulit hujus humilitas, quam superbia illius abstulerit. Nam, Paulo Apostolo teste: Non sicut delictum, ita & donum; damni enim æstimationem beneficii magnitudo transcendit. Quem prius habuimus terribilem Deum & judicem, nunc habemus humilem fratrem & proximum.*

De sanctitate vitæ Christi.

LXX. *Christus itaque cursum nostræ mortalitatis transiens, in fame & siti, in lassitudine & dolore, & in universis miseriis hujus vitæ, demum traditus a discipulo, & tanquam vile mancipium venditus flagellatus, consputus, spinis coronatus, illusus, clavis affixus stipiti, & morte turpissima condemnatus, quæ non rapuit solvit; & sponte se morti offerens omnia in humilitate sustinuit, sicut Isaias commemorat: in humilitate, inquit, judicium ejus sublatum est. Sicut agnus ad occisionem ductus est, & sicut ovis coram tondente se, sic non aperuit os suum. Qui ergo puerulus a justo Symeone semel oblatus in templo fuerat, in vespera legis & fine ceremoniarum pro redemptione nostra manus suas in cruce levavit ad Patrem, juxta illud Davidicum: Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Sic reatus, quem Adam per superbiam ligni delectatione contraxerat, mortis amaritudine per humilitatem Christi sublatus est: fusoque sanguine, sine culpa omnium culparum chirographa sunt deleta.*

Passio illius a prophetis prædicta.

*Alium siquidem redemptionis modum poterat Dominus procurasse: sed nullus suæ benignitati, nostræque saluti congruentior apparebat. Cum enim homo juxta prævaricationis suæ exigentiam captus a diabolo teneretur, postulabat justitia, ut non eripiatur per violentiam; sed qui per superbiam lapsus est, sua si posset, sed quia non poterat, aliena saltem humilitate resurgeret. Ita Christus innocens, quem agnus paschalis in lege signaverat, se pro nobis hostiam obtulit salutarem. Cum lex Moysi capram vel ovem constituisse pretium ad redemptionem hominis a peccato, Christus per quem gratia & veritas facta est attendens umbratiles legis ceremonias non sufficere ad salutem hominis, quem æstimatione pluris faciens, quam sanguinem ovis, hirci, ac vituli, sanguinem & mortem suam pro nostra salute obtulit: & sic semel introivit in sancta summus & verus Pontifex æterna redemptione inventa. Aperuit itaque librum, & solvit signacula ejus leo de tribu Juda: & (quod hostiæ legales minime potuerunt) gladium amovit versatilem; & paradisum, qui omnibus antiquis clausus fuerat, reseravit: sicut olim in morte summi pontificis solebat illis, qui ad civitatem refugii confugerant, securus ad propria reditus indulgeri.*

Pro salute humani generis tolerata.

LXXI. *Olim consueverat homo causari, & dicere: Cur exigit a me Dominus amplius, quam a cæteris creaturis? Quid pro me fecit? Quid pro me laboravit. Dixit, & factus sum. Sicut jumenta & arbores & cætera universa: sic suæ potentiæ nutu, soloque jussionis arbitrio me creavit. Sed jam*

Quantum homo pro redemptione debeat.



*jam obstructum est os loquentium iniqua: & jam homini dissimulare non licet, quanta pro eo Dominus fecerit, qui ut servum redimeret, proprio Filio non pepercit. Porro in hac nostræ salutis dispensatione dilectio Christi nobis medullitus intimata est, qui cum lege Moysi dilectionem Dei & proximi dederit in mandatis, eandem in schola evangelicæ disciplinæ frequentius & fortius verbis, & tandem exhibitione operis inculcavit: Majorem enim charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Dedit itaque materiam diligendi se qui in suis dilectionibus nos prævenit: ne aliud a nobis exigit, nisi ut ipsum diligamus ex corde. Sane inhumanus est & crudelis, qui Dominum tam clementem ex affectu non diligit, qui se pro eo (si opus est) mortis periculo desiderabiliter non exponit.*

Crudelis est qui misericordiam Dei non recolit.

LXXII. *Christus autem mortuus & sepultus, tertia die resurgens a mortuis, sicut discipulis vivendo prædixerat, eisdem postea frequenter apparuit, & cum ipsis loquens & comedens ostensis vulneribus manuum & pedum ac lateris, in quorumdam, qui adhuc hæsitabant in fide, ostensione vulnerum vulnus dubitationis amovit. Quadraginta autem diebus cum eis visibiliter conversatus, eisdem comedentibus, venit in montem Oliveti, & videntibus illis, in cœlum elevatus est, & ascendit ad Patrem, ut eum esse in Patris coæqualitate credamus, atque in communi resurrectione vivorum, & mortuorum judicem expectemus. Si ergo habes in desideriis de tenebris prodire in lucem, & amplecti saluberrimam legem Christi tuæ conversationis primitias lavacro necesse est consecrare baptismatis, quatenus deposita in aquis regenerationis vetustate peccati, in novam animæ tuæ innocentiam & vitæ infantiam renascaris.*

Azatini datum consilium de suscipiendo baptismo.

LXXIII. Explicuerat soldanus Iconii jamdiu ante plura signa religionis in Christum: nam & oratores ad Gregorium IX. misisse vidimus, (*a*) ut cum eo fœdus pacisceretur, extantque Balduini II. Imperatoris Constantinopolitani ad Blancham Reginam Francorum literæ, quibus significavit, soldanum Iconii matre Christiana progenitum esse, ipsiusque neptem in uxorem petiisse, ac permissum, ut fidem Christianam cum universa familia sua coleret, haberetque sacerdotes; tum addidit (*b*): *Item ipse soldanus ob amorem nostræ neptis & nostrum, in omnibus & singulis civitatibus suis, quarum numerus est quasi infinitus, construi & ædificari faciet ecclesias Christianas: & omnibus clericis, qui in eis deservire voluerint, competentes redditus assignabit. Item omnes episcopatus & archiepiscopatus totius terræ suæ tam Græcorum, quam Armeniorum, Iberorum, & Rossorum, ac omnium linguarum,* & infra: *faciet esse subjectos & obedientes patriarchæ Constantinopolitano, qui in lege ecclesiæ Romanæ est catholicus & fidelis.* Adjunxerat eximiam spem sibi injectam, ut a sponsa Christiana ad Christianam fidem traduceretur. At post hæc variis rerum conversionibus obortis, ac Latinis Constantinopoli ejectis, ad Græcorum fœdera barbarus se contulit.

Ut ille Christianorum fœdera exambiverit.

(*a*) *Annal. to. 13. an. Chr. 1235. n. 37.*

(*b*) *Ext. t. 5. scriptor. Francor. pag. 424.*

Catholicum dogma asserere voluerit.

LXXIV. Cum vero post acceptam a Tartaris cladem extremam ad Græcos Azinates soldanus Iconii confugisset, ut vel eorum armis regnum recuperaret, vel tanquam in tuto asylo delitesceret, Græci, qui si damnato schismate se Latinis conjunxissent, Christiano imperio Turcicum adiicere poterant, soldanum ipsum non uti par erat, orthodoxis institutis informarunt; & Arsenius schismaticorum patriarcha & cœcorum dux non pura evangelii luce collustravit, ut indicat Pachymerus, (*c*) illius filios divinorum mysteriorum factos fuisse participes, & Nicephorus Gregoras narrat, (*d*) plurimos illius satrapas sacro baptismo lustratos Christo nomen dedisse. Postea vero id mirum contigit, ut cum Græci Turcas, ad Romanæ ecclesiæ gremium accedentes, in schismatis invia avertissent, nec illius populi salutem curari a Romana ecclesia passi essent, ipsi postea ab iis in Mahometismo hærentibus crudelissime divexati sunt, malorumque hæc fuit funesta origo. Et quidem primum Palæologus non arma in Tartaros convertit, ut Azatinem Iconio restitueret, atque apud Turcas religionem Christianam amplificaret; Sed in Latinos violataque deinde hospitii fide, Azatinem ad Ænum relegavit. Azatines vero ingentem scytharum exercitum pellexit in Thraciam, a quo e custodia una cum filio Melecho eductus est: direpti vero mox a Palæologo ejus thesauri fuere, uxor & liberi reliqui mancipati custodiæ; proceres autem, qui baptismo initiati fuerant in Græcorum legiones adscripti. Porro Melecus, Azatine patre vita functo ad Tartaros se contulit (*e*): a quibus in spem recuperandi regni evectus, dum Turquiam repetit, a suis cæsus est. Ex quo Turcæ in maximam perturbationem conjecti varios inter se partiti principatus grassari in Græcos, latrociniaque exercere cœperunt: sensimque eos in servitutem redigere, quorum culpa Christum non receperant.

(*c*) *Pachym. l. 4.*

(*d*) *Niceph. Greg. l. 4.*

Palæologus male eumdem habet.

(*e*) *Idem Greg. l. 5.* Græci a Turcis quorum salutem non promoverant vexati.

Annus

I. Magnæ in Italia turbæ.

ANnus decimitertii a Virginis partu seculi quinquagesimus octavus, indictione prima, ingentes Ecclesiæ luctus attulit, cum in oriente Christiani inaudito inter se furore concurrerent: ac in occidente hinc Ezelinus sævissimus tyrannus, Alberici fratris fœdere perfidiaque auctus, adversus Ecclesiæ clientes, ac studiosos in Insubria, & marchia Tarvisina habenas furori laxaret: hinc Manfredus Siculum, Ecclesiæ Romanæ vectigale, regnum occuparet: hinc Januenses & Pisani Guelphi ac Gibellini pertinacissimo inter se odio certarent: atque ad malorum cumulum Romani in ipso Ecclesiæ gremio bellum concitarent. Tanta mala compressurus Alexander, ad edomandum Ezelini furorem, vibratum olim in eum anathema renovavit, (a) & fratrem Albericum, novum illius crudelitatis satellitem, qui ab Ecclesiæ castris transfugerat, eadem pœna perculit: sed ne inflictas ab sede Apostolica sententias, ut bruta fulmina contemnerent, Pontifex ex Cardinalium consilio, omnia ipsorum mancipia, quorum ingens erat numerus, cum filiis, ac nepotibus, si ad Ecclesiæ obsequia redirent, in libertatem vindicavit.

(a) Alex. l. 4. ep. 170.

Ezelinus & Albericus pontificios vexant.

II. Anathemate percussi.

*Sane Ezelinus de Romano tamquam hæreticus dudum ab ecclesiastica unitate præcisus extitit, & Albericus germanus ejus per nos tanquam fautor, & defensor hæreticorum est vinculo excommunicationis astrictus, ac privatus omnibus indulgentiis, & privilegiis sibi ab Apostolica sede concessis. Sed ipsi cordibus suis induratis velut malleatoris incus, quasi mare fervent, & Ecclesiam ac devotos ipsius tamquam hostes, & persecutores catholicæ fidei, spiritu ad superbiam obfirmato, non desinunt impugnare. Quia vero dignum est ut Ezelinus & Albericus prædicti de iniquitate sua doleant se jacturam aliquam reportasse, omnes servos, & ancillas ipsorum cum ejusdem conditionis filiis, & nepotibus, qui redierunt, vel redibunt ad Ecclesiæ unitatem, & in ejusdem obedientia & devotione permanserint, cum suo peculio de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica tradimus plenarie libertati, & eos liberos esse decernimus; ita quod ipsi peculia sua libere valeant retinere, & ea libertate gaudere, qua gauderent, si liberi nati essent, &c. Dat. Viterbii v. non. julii an. IV.*

Eorum mancipia in libertatem vindicata.

III. Gibellini Brixia pulsi.

Interea discissi in contraria studia Brixiani fluctuabant. Et quidem ii, qui partibus Ecclesiæ favebant, cum metuerent ne adversa pars Brixiam Ezelino proderet, intempesta nocte correptis armis in inimicos prosiliere, eosque captos in carcerem conjecere. Advolarunt mox Brixiam legatus, marchio Estensis, & S. Bonifacii comes Mantuano flore succinctus rebusque omnibus compositis recessere, ex quo Ezelinus spes suas abjectas intuitus emarcuit, qui Brixia obtenta, Insubriam in servitutem redacturum sperabat. Quibus enarratis monachus Patavinus graviter in Ezelini superstitionem invehitur, (b) qui ineptis ariolorum promissis versutiisque se deludi patiebatur: *Dominus*, inquit, *secundum propheticum sermonem signa faciens irrita divinorum, & vertens ariolos in furorem, idololatriam Ezelini & Palavicini, qui planetas, & signa cœli pro numine venerabantur, suæ potentiæ brachio prostravit pariter, & confudit. Non enim Omnipotens planetis contulit deitatem, nec eorum motibus suam potentiam alligavit, sed in se retinuit plenitudinem potestatis. Reputandi ergo sunt fatui & insani, qui totam spem suam in constellationibus posuerunt, & Creatorem omnium contra se non timent quotidie suis sceleribus provocare. Dominus igitur sit nobis adjutor, & non timebimus quid nobis faciant Mars, Jupiter, & Saturnus.* Interjectis tribus mensibus non levem cladem accepit Ezelinus: cum enim in Bassiano agro stipendium Theutonico militi daret, irruente marchione Estensi Patavinis stipato, Theutonici in pœnam commissorum scelerum, cum nullis censuris ecclesiasticis ab Ezelini partibus avelli potuissent, internecione sunt deleti.

(b) Monach. Paduan. chron. l. 2.

Ezelini in astrologia præsidentis superstitio.

Germani Ezelini sequaces deleti.

IV. Guelphi Crema ejecti.

Mixti adversis fuere prosperi illi successus: Crema enim, quæ Mediolanensibus diu paruerat, coorta seditione, Cremonensibus ac Palavicino excitis, pulsa adversa parte, hostium Ecclesiæ jugum accepit. Elati iis Cremonenses Brixianos lacessivere, atque Ezelini consiliis adducti, fultique armis, nonnulla ipsorum oppida cepere. Movebat adversus hostem legatus cum exercitu, adventuque Ezelini, qui Cremonensibus cum lectissimis copiis sese conjunxerat, perterritus, dum in tutiora sese subducere meditabatur, contrariis sententiis a consilio suscepto adductus, primo hostium aspectu atque impressione fusus est, cum Brixiani multitudinis hostium terrore perculsi in fugam sese effudissent, plures viri principes & conspicui, inter quos legatus, episcopus Veronensis, Mantuæ præfectus, in Ezelini crudeles manus incidere: qua victoria egregie usus hostis, fugientes insequitur, ac Brixiam solo terrore obruit: qui enim a castris in urbem fugerant, adhuc metu perfusi, & alii, qui pro tuenda urbe remanserant, inopino casu attoniti, non ausi Ezelino resistere, sub ipsius servitute colla submisere.

Cremonenses Brixianis bellum inferunt.

Leg. S.A. acie fusus captusque.

Brixia ab Ezelino subacta.

De



Leg. A.S. diuturno carcere tentus.

(a) Rub. hist. Ravenn. l. 6.

(b) Monac. Pad. in fine chron.

De Philippo archiepiscopo Ravennate tradit Hieronymus Rubeus, (a) ipsum paulo post incolumem tradita ingenti pecuniæ vi, quæ ad eum redimendum in archiepiscopatu Ravennate coacta est, ab Ezelino Pontifici restitutum. Sed hallucinatur auctor, (b) cum monachus Patavinus tradat etiam mortuo Ezelino in vinculis fuisse, ut vero ex iis evolarit, suo loco dicemus. [1]

V. Seditio Romæ concitata.

Graviores etiam turbæ adversus Christi vicarium Romæ exarsere, quibus Manfredi fautores faces subjecere: præcipuum seditionis auctorem obscuræ sortis hominem fuisse magistrum pistorum refert (c) Parisius, qui populum in senatorem, aspersa illi nimii in patritios studii invidia, concitavit: commota plebecula ad carcerem, in quo Brancaleo Manfredianæ factionis tenebatur, procurrit, vinculis liberat, salutat senatorem, fideique sacramento sese illi obstringit. At ille æstuans ira in omnes, qui ejus vinculis causam præbuerant, desæviit, Hannibalenses atque adversarios pepulit Urbe aut suspendio damnavit. Defixit anathemate furentem Brancaleonem, sociosque Alexander, sed illi censuris ecclesiasticis conculcatis, habitisque ludibrio, Pontificem & Cardinales furori effrænato sese subducere, ac Viterbium profugere coegerunt. Nec tyranni furor hic substitit: propositis enim pœnis gravissimis exercitum Urbe educit, ut Anagniam Pontificis patriam cœca rabie deleret, quare Anagniensium lacrymis permotum Alexandrum affirmat, Brancaleonem de pace ineunda solicitasse, qua ille admissa, Manfredi fœdere potentiam confirmavit. Sed non diu divina providentia parto honore potiri perduellem permisit: eodem enim anno extinctus est: cujus caput populus rebellis honoris ergo, quod potentiorum capita decussisset, in pretiosissimo vase collocatum, impositumque columnæ marmoreæ impie est veneratus: senatorem vero, quamvis oratorum opera vetitus, ne quem sine Pontificis assensu sibi præficeret, Brancaleonis avunculum, spreta auctoritate pontificia, salutavit. [2]

(c) Par. hist. Angl. hoc ann.

Pontificis fuga.

Brancaleonis mortui caput a perduellibus cultum.

VI. De Alexandri apud Viterbium, & Anagniam secessu.

Cum vero affirmet Parisius Pontificem ob concitatas Romæ seditiones Viterbium secessisse, eas anno superiori cœpisse, hoc vero recruduisse dicendum est, cum ex Alexandri (d) epistolis ipsum ex Urbe Viterbium anno superiori se contulisse constet, tunc namque IV. id maii Laterani epistolam trecentesimam decimam octavam, & IV. kal. junii Viterbii trecentesimam vigesimam secundam scripsit, ibique egit sub initium usque septembris hujus anni, ut ejus literæ in regesto insertæ patefaciunt. Inde vero Anagniam profectus, ibi biennio circiter, ut ejus literæ demonstrant, est commoratus. Cæterum quemadmodum Parisius Alexandrum Anagnia oriundum fusse affirmat, ita Pontifex ibi se educatum atque inter canonicos (de qua re supra memoravi) emeritum docet diplomate, quod hoc anno ad rem æternæ mandandam memoriæ, civitati, & ecclesiæ Anagninæ dedit, atque adeo ei plurimum debere profitetur (e). *Quia igitur in ipsa ecclesia, cujus canonicus fuimus, & in suis obsequiis longa decurrimus tempora, & explevimus plures annos, plene utique novimus jura ipsius, & munimenta super ipsius pertinentiis manifesta sunt nobis, & de suis rationibus plenariam certitudinem obtinemus, sicuti qui vidimus, & pertractavimus, & qui circa ea plurimum extitimus studiosi, &c.* Inter alia ad illius dominatum, Acuti castrum spectasse docet. Adjecta est hujusmodi Apostolicis literis x. kalend. aug. Viterbii. Ornandæ pariter Innocentii IV. prædecessoris patriæ studio ecclesiam S. Salvatoris Lavaniensem vectigalibus auxit

(d) Alex. l. 3.

Anagnia Alexandri patria.

(e) Ep. 234.

Ut in ea inter canonicos meritus sit.

NOTÆ [1] HOc anno legatus apostolicus, nempe Ravennensis electus, manum cum Ezelino haud procul ab urbe Brixia infeliciter conseruit, qua de re in annalibus. Sed cum ex monacho Patavino totam hanc historiam desumpserit annalista, ideo nonnulla ab eo prætermissa ex Rolandino addenda sunt. Igitur pugnæ hujus memorandæ tempus nec a Patavino scriptore, nec ab annalista notatur. Rolandinus vero septembri mense commissam affirmat, cum Ezelinus mense augusto (die XXIX. ut notat monachus Patavinus) agmen suum cum Cremonensibus jam conjunxisset. Hinc falsi arguitur author chronici Veronensis, coævus licet, qui diem pugnæ assignat XXIII. augusti hujus anni; qui tamen in eo forte auscultandus est, cum asserit Brixiam altera die a commisso infeliciter prælio cessisse victori. Sicut & captos in eadem pugna principes viros idem scriptor cæteris accuratius recenset, inter eos ultra legatum memorans Cassodacam electum Veronensem, Simonem de Fojano de Regio potestatem Mantuæ, Brixiensium potestatem &c. Locum etiam prælii, quem alii silent, nominat; *circa castrum Torrexelle*, nunc Torricelle, *districtus Brixiæ*. MANSI

[2] DEfectio Brancaleonis in pontificem, & Romanæ urbis principes præcedenti anno melius collocaretur in quem & a Nangio, diligentissimo hujus temporis scriptore, refertur. Hujus chronologiam confirmant asseruntque ea, quæ hic animadvertit annalista de secessione Alexandri Viterbium in annum præcedentem anticipanda. Cum enim, teste continuatore Parisii, Alexander, ut furorem Brancaleonis declinaret, Assisium diverterit, ejusque in eam urbem profectionem ad annum 1257. revocandam esse literarum pontificiarum inscriptio suadeat, non est cur chronologiam aliam, quam quæ a Nangio suppeditatur, sequamur. MANSI

xit (*a*). Sed ad institutam orationem de concitatis in Ecclesiam motibus redeamus. Defuisse in rebus asperis constantiæ fidei erga Pontificem plures Ecclesiæ clientes argumento est, Alexandrum Eugubino comitatui, ex invasorum manibus vindicando viribus imparem, illum Perusinis tradidisse, ea lege, ut ipsius jura ab invasoribus suo sumptu recuperarent; quinquennio excurrente ducentarum librarum Senensium censum persolverent: quo elapso non repetitis, refusisve expensis, integrum Romanæ ecclesiæ restituerent. De quo extant in libro censuum (*b*) post Cencii præfecti ærarii tempora pluribus monumentis locupletato, publicæ tabulæ.

(*a*) Ep. 56. Plurium defectio a Pont. Eugubin. comitatus ad quinquen. Perusinis attributus.

(*b*) Lib. cens. in vatic. archiv. pag. 222. 223. & Vall. bibl. pag. 284.

VII. Januenses & Pisani bello diffident.

Tot licet implicitus turbis Pontifex conciliandis Januensium & Pisanorum discordiis, quos dirus furor inter se commiserat, non defuit (*c*): sed cum eorum diffidia Syriæ gravissimam perniciem attulerint, lugubrem historiam inferius prosequemur. Jactabatur gravi bello reliqua Italiæ pars ac Sicilia, cum Manfredus opprimendæ illi inhiaret, & qua vi, qua promissis, qua fraudibus cœca regnandi cupidine inflammatus tyrannidem confirmaret. Nos rei gestæ seriem ex laudato sæpius a nobis M. S. (*d*) decerpemus. Perstiterant hactenus in Pontificis fide tres munitissimæ arces Placia, Aydona, & urbs S. Joannis, quæ Manfredi impetus artesque eluserant: sed cum externis auxiliis destitutæ essent, sub Frederici Lanceæ Manfredi ducis potentia succubuerunt. Placia enim, valida hostium in mœnia impressione facta, demum expugnata, sævitum est ferro in primarios, qui Pontifici constantissime adhæserant, parcitum multitudini, ut eo clementiæ exemplo vicini ad obsequium allicerentur: quæ res successit e sententia, Aydonensibus mox sub Manfredi jugo se demittentibus. Civitas vero S. Joannis situ fortissima, cum aliquandiu tyranni imperia detrectasset, ob illatam agris vastitatem ad deditionem compulsa est: atque ita Siciliæ insula, Tarentinus principatus, Apulia, & Campania Felix sub Manfredi imperium concessere.

(*c*) Alex. l. 5. post epist. 173.

Sicilia a Manfredo erepta Pontifici.

(*d*) Anony. auct. de reb. Sicul.

Placia vastata a Manfr.

Alia loca jugum accipiunt.

VIII. Manfredi astus.

Confirmatis viribus suis Manfredus, qui ad regnum subiiciendum Conradini nepotis jura a se capitis sui periculo defendi jactaverat, ut eo justitiæ fuco populos subornaret, rerum potitus nova instruere consilia cœpit (*e*) ut abjecto proregis nomine sceptrum ac diadema corriperet, cujus subdolas artes ex ejus gestis in lucem producemus (*f*): *Toto regno sic in pace stabilito, princeps Manfredus in Siciliam ire decrevit: ingressusque Siciliam paucis diebus Messanæ moratus, ad civitatem Panormitanam proficiscitur, viam faciens per civitatem castri Joannis: in qua civitate dum esset, vidit ruinas castri, quod a civibus ipsius terræ destructum fuerat usque ad solum. Attendens autem quod civitas ipsa nullo modo bene regi poterat sine castro, ipsum statim castrum reædificari præcepit: & quia magnum opus erat, nec poterat sic cito, ut expediebat, per homines ipsius loci tantum reædificari, omnibus simul civitatibus Siciliæ onus reparationis ipsius castri distribuit, ut onus ipsum per omnes divisum levius a singulis portaretur. Interim autem dum in Siciliam princeps iret, venit rumor in regnum, quod nepos ejus Rex Conradus filius quondam Regis Conradi primi in Alemannia obiisset.*

(*e*) Urb. IV. in cod. Vallic. sign. lit. C. n. 49. pag. 154.

(*f*) Id. auct. anonym.

Rumorem de morte Conradini spargit.

IX.

Sparsus is fuerat Manfredi arte, qui tyrannidem affectabat, quem his dolis usum refert Ricordanus (*g*) in solemni ordinum Siciliæ conventu finxisse Conradinum gravi adeo morbo correptum, ut regendis populis nunquam idoneus futurus esset, atque in eo rerum statu consilia procerum flagitasse: auctores vero ipsos extitisse, ut oratores in Germaniam ad rem explorandam mitteret, ac si morbo succumberet, sceptrum corriperet: missos itaque ad Conradinum seu Reginam Elizabetham muneribus pretiosissimis onustos oratores in Sueviam: cumque mater Conradini ab oratoribus sibi timeret flagitantibus, ut Conradinum, qui inter plures coætaneos colludebat, salutari permitteret, magna honoris significatione suppositio puero, qui Elizabethæ jussu Conradinum agebat, pretiosissima dona, atque inter cætera conditos fructus veneno infectos obtulisse, iisque degustatis paulo post puerum extinctum. Siculos vero oratores contentis itineribus e Germania abscessisse, pervenisse Venetias, ac disseminata falso Conradini, quem necasse putabant, morte, triremem pullis velis, ac toto apparatu pullato adornari jussisse, etiam incessisse atratos. Cumque in Apuliam applicuissent, ut erant a Manfredo edocti, magnam doloris significationem præ se tulisse: ac tum Siculos Conradinum ut extinctum planxisse, Manfredumque & amicos simulato luctui indulsisse.

(*g*) Ricord. Malesp. hist. Flor. c. 148.

Ut illum veneno necare conatus sit.

X. Decepti Siculi Manfredum Regem salutant.

Iis itaque dolis circumventi Siculi Manfredum Regem salutarunt, ut anonymus prosequitur: *Quo rumore audito*, nimirum mortis Conradini, *comites & alii magnates regni, prælati etiam ecclesiarum in Sicilia ad principem profecti sunt: singularum quoque magnarum civitatum nuntii ex parte civitatum suarum ad eundem principem perrexerunt, unanimiter omnes petentes ab eo, ut ipse princeps, qui usque tunc pro parte prædicti Regis Conradi & sua regnum rexerat, & in tanta pace constituerat, ipsius regni gubernaculum & coronam tanquam Rex & ipsius regni verus heres acciperet. Qua petitio-*



*titione unanimiter sibi facta, ab omnibus idem princeps per concordem omnium comitum & magnatum, ac etiam prælatorum regni electionem in Regem electus, coronam regni Siciliæ in majori ecclesia Panormitana, juxta consuetudinem & ritum prædecessorum suorum regni Siciliæ, solemniter accepit anno dominicæ incarnationis MCCLVIII. XI. die mensis aug. indict. I.*

Panormi regiis ornamentis insignitur.

XI.

Cum auctor inducat proceres Siculos Manfredum existimasse verum regni heredem, quod falsum omnino erat, etiamsi Conradinus re ipsa interiisset, videtur ipsos alia fabula a Manfredo atque amicis jactata corruptos, quam Parisius (*a*) disseminatam scribit, ne obscœni natales ad corripiendum sceptrum Manfredo obessent: illius scilicet matrem, quæ Manfredum ex furtivo Frederici concubitu susceperat, in extrema mortis confinia adductam Fredericum per sacra omnia exorasse, uti matrimonium cum ipsa iniret, ne anteactæ vitæ culpæ salutem animæ in periculum adducerent: eam rem Imperatori fraudi non fore, cum extremos spiritus proxime efflatura esset, sibi vero & animæ saluti summo emolumento futuram: flexumque illius lacrymis Fredericum, qui tunc conjuge careret, assensisse; eaque ratione Manfredo ad paternam hereditatem titulum comparatum. Correpta itaque a Manfredo tyrannide, cum res in Germaniam emanasset, missus a Conradino est in Siciliam orator, qui tyranni fraudes detegeret, ac Siculos ad Regis pueri obsequium revocaret. De oratoribus Conradini, Reginæ, ducisque Bavariæ nomine missis, meminit Matthæus (*b*) Spinellus, eosque in publicis comitiis auditos, ac senem abbatem conspicuum auctoritate divulgasse, mentitos, qui Conradini mortis famam sparsissent, Manfredumque obsecrasse, ut regiis insignibus abstineret: ad hæc Manfredum subjecisse, amissum a Conradino regnum, se vero illud armorum vi e duorum Pontificum manibus avulsisse, nec Pontifices passuros fuisse, ut Germani eo amplius regno potirentur; se vero ad vitam sceptrum gestaturum, ac dein transmissurum Conradino: matrem vero præclare consulturam, si filium educandum moribusque Italicis imbuendum ad se transmitteret, filii enim loco sibi futurum. Quo porro consilio hæc postrema adderet, quivis de tyranno facile intelliget. Addit auctor Manfredum ingentia ad ducem Bavariæ Conradini avunculum sibi conciliandum munera transmisisse. Cæterum importunum Conradini oratorem suæ obsistentem tyrannidi Manfredus interceptum obtruncavit, ut eo scelere patrati alterius sceleris famam obrueret: qua etiam de causa in judicium ab sede Apostolica vocatum Urbani IV. ostendunt literæ. Siculi vero sive Conradinum vivere ignorarent, sive fraus eos non lateret, qua metu, qua studiis aliis ducti Manfredum ut Regem coluerunt.

(*a*) Par. hist. Angl. hoc an.

Fabula a Manfredo disseminata ad regend. natalium labem.

(*b*) Matth. Spinell. e Juvenatio in annal. MS. sub ann. 1256.

Conradini orator trucidatus.

XII. Manfredum nulla obtinuisse jura ostenditur.

Verum quamvis in eo Rege salutando consenserint Siculi, nullum ipsi jus ad regnum Ecclesiæ fiduciarium, conferre potuerunt, cum sua Pontifici jura eripere, atque in alium pro libidine transfundere non possent: & quamvis Siculum solium Manfredus premeret, regnum tamen ad Edmundum Henrici Anglorum Regis filium, legati pontificii opera eo indutum ornatumque spectabat; atque ad agitanda pro eo recuperando consilia Arlotum anno superiori exeunte, pridie idus decembris, ut ex ejus literis (*c*) vidimus, (*d*) in Angliam pervenisse ingenti pompa & comitatu tradit Parisius; sed cum dissensionibus arderet Anglia, prudenter abscessit. Wallenses enim sævissimas excursiones in nonnullas regiones fecerant ad quos comprimendos cum Willelmus episcopus fratrem Regem hortaretur, hoc responsum accepit: *Commoda, frater tuas illas ingentes & effusas opes ad meas injurias ulciscendas, hostesque edomandos.*

Intermissa Angl. expeditio in Siciliam.

(*c*) Alex. l. 3. ep. 261.

(*d*) Ann. curt. 1257.

XIII. Nuntius in Angl. missus ab Alex.

Discesserat Arlotus ex Anglia, cum Alexander, quem gravis recuperandæ Siciliæ cura urebat, Minoritam, Mansuetum nomine, in Angliam legavit: qui cum ad tolerandos bellicos sumptus pecunias reposceret, Rex comitia ad eas colligendas habuit, de quo locutus Parisius, Henricum perstringit, Regnum Siciliæ filio delatum admisisse, tribuitque proceribus superbum responsum, ipsum nimia simplicitate circumveniri se passum: Richardi fratris exemplum imitari potius debuisse, qui eo regno sibi delato magno consilio usus non aliis legibus assentiri voluerat, quam ut excindendorum Nuceriæ Saracenorum gratia, crucesignati exercitus dux creatus, dimidiam decimarum partem, quæ belli sacri causa cogebantur, obtineret; nonnullas arces, quas Pontifex præsidiario milite firmarat, ab eo reciperet, ut exercitui suo tutissimo asylo ac præsidio essent: ipsum vero, recusante fratre, in spes majores elatum, difficillimo se negotio implicuisse, e quo expedire se exhausto etiam ærario non posset.

Angli proceres Henrico in re Sicula adversi.

Quas leges Richardus poposcisset.

XIV. Alphonsi Regis Castel. minæ Richardo intentatæ.

Addit de Richardo, electo discordibus suffragiis Rege Romanorum, Parisius dedisse hoc anno Alphonsum Castellæ & Legionis Regem ad Richardum literas, quibus incussis minis ab Alemannia recedere jubebat, sed Richardum respondisse, si bellum inferret, ejus conatus fortissime excepturum; Hispanum vero collecto florentissimo exercitu, Aragoniæ & Navarræ conjunctis viribus, Italiam versus signa direxisse: Saracenos interea occasionem aucupatos ad oppugnandam

Italicam expeditionem aggreditur.

Revocatur.

Imperialem coronam ab Alexandro postulat.

Pontificis responsio.

Itali in Richardum propensiores. Richardus Regis Rom. titulo exornatus ab Alex.

Cordubam vires impetusque convertisse, atque ita Alphonsum regredi coactum, a suis proceribus solicitatum, ut regnum contra Saracenos tueretur; ne certa amitteret, dum splendidas spes venaretur: Romam vero oratores ad Pontificem misisse, qui flagitarent sui juris rationem haberet, suæque dignitatis ac meritorum, ut qui Christianæ religionis limites plusquam cæteri principes protulisset; nec ulli habenas Imperii, quam ipsi tractandas committeret. Subditque auctor, Pontificem oratoribus respondisse, ut prius Alphonsus electorum suffragia obtinere niteretur, atque Aquisgrani corona de more redimiri, ac tunc se ad ipsius augendam dignitatem, Imperiumque conferendum, proposita rei æquitate ob oculos, operam navaturum: quo responso evulgato nonnullos Italiæ principes Richardo dexteras porrexisse ait, seque ipsius clientelæ nuncupato fidei sacramento devovisse, ipsumque liberatis nonnullis civitatibus a prædecessoribus oppigneratis, Germanorum principum gratiam collegisse: at contra Alphonsi spes admodum elanguisse, cum juris hujusmodi rigorem animadverteret. Sane Alexandrum in Richardi partes propendisse, ex aliorum Pontificum literis elicitur, cum in epistola ad Richardum scripta, electi in Romanorum Regem titulo eum decorarit, ut Urbanus IV. testatur, (*a*) quo nunquam Alphonsum titulo insignivit: eoque argumento usi sunt postea Richardi oratores, ut probarent Alexandrum Richardo Imperium adjudicasse, ac pro illius causæ æquitate optime sensisse. [1]

(*a*) *Ext. Urb. dipl. in Cod. MS. Vall. sign. lit. C. n.49. pag.11. 12. & 146.*

XV. Negatum id nomen Alphonso.

Spectra in Germania visa.

Dum porro Germania civilis belli metu horreret, dæmones malorum imminentium spe & infelicissimæ inter Christianos dissensionis aspectu recreati lætitiam, objectis infernalium chorearum ludibriis, præ se tulere. Rem narrat Thomas Cantipratensis his verbis (*b*): *Anno præsenti MCCLVIII. prope civitatem Agrippinam in villa, quæ oppidum Regis vocatur, quodam solemni die ingens chorea dæmonum in habitu alborum monachorum in planitie campi visa est vocibus altisonis tripudians & exultans. Congregatis igitur cum sacerdote suo hominibus villæ, cum ad choream accedere voluissent, dæmones, secundum quod homines propinquabant, chorizando procedebant ad Rhenum, quoad usque se totalis illa malignantium turba in fluvium admullavit.* Obsolescente tum in Suecia clericalis disciplinæ splendore, Alexander Upsalnensem archiepiscopum ad restituendum morum pristinum nitorem excitavit, (*c*) atque a Willelmo Sabinensi episcopo A. S. in Suecia legato constitutionem, qua sacerdotibus concubinariis anathema objectum erat, olim editam insinuavit. Meminit de ea Jo. Magnus (*d*) ac latam ait, cum sacerdotes Græcorum more passim luxuriæ, prætextu conjugii, indulgerent.

(*b*) *Cantip. l.2.c. 57. n. 42.*

Navata in restituenda Sueciæ clero morum puritate.

(*c*) *Alex. l.3. ep. 218.*

(*d*) *Magn. l.19. c.15.*

Pœnæ in sacerdotes concubinarios.

Dum ad solutiores mores cleri Suedici adstringendos incumbitur: in Galliis purissimos radios admirandæ sanctitatis fundebat Ludovicus Rex, quorum splendore recreatus Pontifex ejus encomia premere silentio, piisque desideriis dissentire non potuit (*e*).

XVI. Galliæ S. Regis exemplis illustratæ.

(*e*) *Lib.3. ep.133.* Alex. lit. ad S. Lud.

*Ludovico Regi Franciæ illustri.*

*Sic ille lucifer matutinus, qui nescit occasum & qui humano generi serenus illuxit, in tui claustra pectoris luminis sui gratiam, quod referimus gaudentes, infudit, quod omni exinde obscuritatis depulsa caligine tuum serenavit animum claritate virtutum, tuamque mentem luce justitiæ, ac fulgore rectitudinis illustravit. Hinc procedit, fili charissime, quod juxta tui status magnitudinem studuisti semper & studes opera exercere magnifica, teque lucidis & placidis actibus gratum reddere apud Deum, qui te apud homines & opibus & honoribus magnificentius sublimavit. Hinc procedit quod existis in augumentatione, ac defensione cultus fidei orthodoxæ solicitus, in conservatione libertatis ecclesiasticæ strenuus, in ecclesiarum aliorumque piorum locorum constructione benevolus & benignus, in eorum dotatione ac ditatione largifluus: in gratiis & beneficiis erga personas ecclesiasticas regulares, & seculares, & in eleemosynarum erga pauperes largitione valde munificus, & in devotione ad nos, & Ecclesiam stabilis, & accensus.*

Regi gratulatur Pont. virtutibus comparandis insistere. Tueri libertatem ecclesiasticam. Templa nummi ponere. Fovere religiosos viros. Liberalitate pauperes levare.

XVII. Sectari conscientiæ nitorem.

*Hinc etiam provenit, quod conscientiæ puritatem, & bonitatem, per quam Altissimo placeas, totis votis amplecteris, & in ea deliciosum existimans & suave, intendere ac vacare virtutibus, firmatis ad condignum & honestum affectibus, maxime delectaris, ut odore grato de tuis processibus ad Dominum ascendente merearis sua potenti*

NOTÆ [1] QUid fuerit in causa cur pontifex in assignando imperio potius faverit Richardo quam Alphonso Castellæ regi, quanquam nemo exprimit, tamen subodorasse me blandior ex ea, quam rex ille in Ezelinum, ejusque fautores exhibuit humanitate. Narrat enim Rolandinus hist. Tarvisin. lib. XI. cap. II. Ezelinum amicitiam regis Castellæ ad imperium acciti sibi procurasse; quin & datas ab eodem rege epistolas ad magistratus Paduanos in vulgus sparsas fuisse idem Rolandinus affirmat; quanquam dubitatum a nonnullis addit num dolo quodam Ezelini ad opinionem populi sibi occupandam suppositæ fuerint. Id ergo pontificem movere potuit ne favorem præstaret regi, quem in hostem ecclesiæ inclinatum noverat. MANSI



*tenti dextera ab omni nocumento corporis, & animæ præservari. Digne igitur super iis ei gratias referentes, supplici apud eum deprecatione insistimus, ut tuum in iis animum regat & firmet, ac proficiendi ad melius tibi gratiam largiatur.*

XVIII. Pii Regis anxium desiderium de alienis restituendis.

*Ex parte sane tua fuit a nobis devote petitum, ut cum tu quædam bona, quæ ad te diversis modis pervenisse noscuntur, personis, quarum sunt, restituere tenearis, & scias te teneri ad restitutionem bonorum hujusmodi faciendam; ac personæ, quibus eorum restitutio fieri debeat, sciri & inveniri non possint: quamquam super iis per viros discretos, & idoneos feceris diligenter inquiri, providere in hac parte tibi apostolica solicitudine curaremus. Nos igitur, qui salutem in te utriusque hominis totis desideriis affectamus, volentes super hoc conscientiæ tuæ ad removendum exinde omnem scrupulum remedio consulere opportuno, tuis precibus grato concurrentes assensu, excellentiæ tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ut liceat tibi hujusmodi bona pauperibus in eleemosynam erogare, ac de iis, quæ taliter erogaveris, liberationem, & absolutionem plenariam consequaris. Verumtamen scire te volumus, quod si personas, quibus eorum restitutio fieri debeat, ad tuam notitiam pervenire contingat, te ipsis prædicta bona restituere nihilominus oportebit. Dat. Viterbii* III. *id. aprilis anno* IV.

Quid ipsi a Pontifice indultum.

XIX. His literis apostolicis Regis piissimi conscientia nondum sedata erat: non enim modo longe a malo aberat, sed ne quidem mali suspicionem in se suscipere tolerabat. Quare Alexander petenti iterum consilium de iis, quæ a majoribus rapto parta ad ipsum pervenissent, indixit, (*a*) ut quas eleemosynas profunderet, restitutionis vicem subirent, ubi certæ personæ non occurrebant, quibus damna resarciret: *Cum in te salutem hominis utriusque totis desideriis affectemus, nos volentes conscientiæ tuæ super restitutione bonorum, si qua ad te ex progenitorum tuorum successione, vel alias pervenisse noscuntur, facienda forsitan iis, quorum sunt; licet, sicut asseris, nescias, ad restitutionem aliquam bonorum hujusmodi aliquibus te teneri, paterna providentia providere, magnitudini tuæ, ut eleemosynæ, quas tua regalis munificentia facit & faciet in futurum, cedant loco restitutionis prædictorum bonorum, auctoritate præsentium indulgemus. Verumtamen scire te volumus, quod si tibi constiterit te teneri ad restitutionem bonorum talium, & personas, quibus eos eorum restitutio fieri debeat, ad tuam notitiam pervenire contingat, te ipsis bona eadem restituere nihilominus oportebit. Dat. Viterbii id. aprilis an.* IV.

(*a*) *Ib. ep. 94.*

Aliæ Pontificis lit. ad S. Reg.

Relictum Regibus insigne exemplum.

Quibus sane Rex sanctissimus dignissimum ac pulcherrimum omnibus principibus exemplum præbuit, ut a subditorum invadendis fortunis sibi temperent. Quam ille ab iis abhorruit, quorum purpura plus populorum, quos exsuxere, sanguine, quam suo fulgore rubet! quibus illud propheticum congruit (*b*):

(*b*) *Ps.* 13.

*Qui devorant plebem meam sicut escam panis.*

XX. Margarita Regina hereditaria in Provinciam jura tuetur.

Neque illud reticendum videtur, Margaritam Regis uxorem comitis Provinciæ filiam, cum non levia in paternam hereditatem successionis titulo in Provinciam jura contenderet, ne literis aliquibus apostolicis labefactari viderentur, ab Alexandro obtinuisse (*c*), ne quibuscumque ab adversariis elicitis diplomatibus præjudicii alicujus ratio causæ suæ æquitati crearetur (*d*). Solutam etiam legem de consanguinitatis gradibus ad Philippi filii gratiam, ut cum Regis Aragonum nata matrimonio conjugaretur. At res postmodum ob initam ab Aragonii filio Petro cum hostis Ecclesiæ Manfredi filia Constantia affinitatem, discussa est, nolente S. Ludovico ut suo loco videbimus ex illa conjunctione cum iis, qui hostibus Ecclesiæ affinitate erant juncti, sanguinis claritatem obscurare.

(*c*) *Lib.3. ep.62.*

Agitata inter Gall. & Arag. Reges affinitas.

(*d*) *Ib. ep. 252.*

XXI. Sopitæ a S. Lud. discordiæ.

Eruperat non levis discordia inter nonnullos præsules Galliarum ac proceres aliquos, quæ ne majores flammas conciperet, Pontifex illius sopiendæ obruendæque munus, convocata utraque parte ad conciliandos conglutinandosque animos, Rothomagensi archiepiscopo injunxit (*e*). Exploratum sane atque illustre est, Alexandrum Rege flagitante eam concordiam coire jussisse. Et quidem Rex sanctissimus, vivum probitatis exemplar, non modo ad pacem inter subditos, sed etiam ad eam cum Anglis firmandam toto pectore incubuit, ingentemque pecuniæ vim, quam in Anglum, ut nonnullis cederet juribus, refunderet, cogi jussit: populos vero ea voce permulsit, ferrent æquo animo ad brevissimum tempus eo onere premi, ut longe duriori secuturis temporibus levarentur.

(*e*) *Ep.99.*

Emit prætensa jura ab Anglo Rege.

XXII. Francorum & Arag. Reges mutuo ambigua jura sibi remittunt.

Egisse etiam undecima maii hujus anni die cum Jacobo Rege Aragonum de componendis controversiis, quæ inter ipsos intercedebant, ut nascitura inde bella sopiret, scribit Surita (*f*): atque Jacobum prætentis in nonnullos ducatus, & comitatus Galliæ Narbonensis juribus cessisse: sanctum vero Regem supremum in Barchinonensem comitatum aliasque Cataloniæ terras dominium Jacobo remisisse. At de his hactenus.

(*f*) *Sur. l. 3. Annal. c.56.*

Eodem anno inventum corpus S. Saturnini Tolosæ scribit Bernardus (*g*): *Anno Domini MCCLVIII. quinta die introitus mensis septembris quæsitum & inventum est san-*

(*g*) *Bern. in chron. Rom. Pont. & Baron. in notis.*

S. Saturnini corpus inventum. Coruscat miraculis.

*sanctissimum corpus B. Saturnini martyris & protopræsulis Tolosanæ sedis in suo monasterio in Tolosa, ubi multis miraculis Deo operante claret.* Anno vero millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, v. nonas octobris in ecclesia S. Saturnini juxta martyris corpus inventa subdit quatuor sanctorum sarcophaga, nimirum Sylvii, Hilaris, Honorati, & Papuli martyris.

XXIII. Confirmat in fide Tolosanos.

Confirmavit ita iis miraculis iterum in fide, quam olim docuerat, S. Saturninus Tolosanos, apud quos suam explicare gloriam voluit, cum religio, extincta Albigensium hæresi, reflorescceret. Quæ lues cum etiam Italiam infecisset, laborabant non segniter in scrutandis perdendisque hæreticis Minoritæ, qui sedem Apostolicam in nonnullis dubiis consuluere, num ii relapsi censendi, qui olim abjurata publice hæresi, qua tamen non erant contaminati, dein decursu temporis ea irretiti deprehendebantur. Quibus Alexander (*a*) respondit fictione juris relapsos existimandos, si violenta hæreseos suspicione, ac infamia laborassent: si leviori suspicione perstricti, relapsos non habendos. Petierant etiam, an is, qui faverat hæreticis, ad hæresim proscribendam adactus, ac postmodum ea contaminatus inventus, relapsis annumerandus esset: subjecit Pontifex etiam relapsorum numero adiiciendum. Proposuerant quoque, an qui ad veritatem aperiendam juridice ad censorum fidei tribunal vocati, imminente sui suorumve periculo exterriti, perjurio sese devinxerant, ac urente postea conscientia profiterentur, se rem totam patefacturos, ut perjuri postea a dando testimonio forent removendi: responsum in gratiam fidei admittendos. Postulatum præterea, an de sortilegiis, & incantationibus censores iidem cognituri essent: decretum eos hujusmodi quæstionibus, ni conjuncta hæresis esset, non involvendos. Rogatus etiam Alexander num heredes inflictas defunctis mulctas pecuniarias tolerare deberent: probavit siquæ injunctæ erant, ad salutem animæ spectarent: si vero ante impositam pœnitentiam rei decessissent, heredes tunc non teneri. Dubitatum erat qua ratione ea verba explicanda: Per se vel per alium inquirere posse: soluta ita quæstio, ut prior simili auctoritate tres, aut quatuor e suis ad munus obeundum instruere posset. Sanxit etiam, ut clerici perpetuo carceri mancipandi dignitatis insignibus solemni ritu exuerentur; religiosi, qui hæresi contaminati forent gravioribus pœnis percellerentur. Nonnulla alia etiam de pœnis in fautores hæreticorum exercendis, atque in filios nepotesque derivandis statuit.

(*a*) *Bull. in Alex. IV.* De judiciis in hæret. constitutis.

Qui relapsi censendi.

An relapsi ad testimonia adhibendi.

An sortilegorum causa spectet ad censores fidei.

Pœnæ in hæreticos statutæ.

XXIV. (*b*) *Alex. ib. eod. an.*

Pulsavere (*b*) iterum sedem Apostolicam quæstionibus suis, quid agendum in iis foret, qui morituri hæreticos ad consolationem excipiendam evocarant, quique postmodum mente deturbati dicebantur, ne bonorum successione filii uxorve legum severitate everterentur. Quippe insana illa opinio apud ejus temporis hæreticos vigebat, uti superiori tomo, cum de Albigensibus ageremus, ex Petro Vallisarnensi vidimus, ut crederent salutem certissime adepturos, si quis ex iis, quos perfectos vocabant, morientibus manum imposuisset, atque orationem dominicam repetiisset; omniaque scelera, quantumvis immania, hoc facto penitus deletum iri: hujusmodi vero superstionem, ac vesanum ritum consolationem vocitare consueverant, quod morituri eo usurpato apicem felicitatis attigisse existimarent.

Catharorum deliria.

De hoc Catharorum errore (*c*) Reinerus, sive Rinherus, qui olim annis septemdecim hæresiarcha extiterat, divinaque gratia collustratus in ordine Prædicatorum accerrimus hæreticorum impugnator fuit, in suo contra Waldenses tractatu scribit, ipsos quatuor sacramenta, quorum primum vice baptismi manus impositionem sive consolamentum appellabant, non a Christo instituta, sed ab ipsis efficta admisisse: *Manus*, inquit, *impositio vocatur ab eis consolamentum, & spirituale baptisma, sive baptisma Spiritus sancti, sine quo secundum eos nec peccatum mortalem dimittitur, nec Spiritus sanctus alicui datur; sed per eam, solummodo ab eis factam, utrumque confertur. Differunt tamen in hoc ab eis aliquantulum. Albanenses: dicunt enim quod manus ibi nihil operatur, cum ipsa a diabolo sit creata secundum eos, sed sola dominica oratio, quam ipsi dicunt tunc, & quod utrumque necessarium ibi requiritur, videlicet, & manus impositio, & dominica oratio* (Ineptum in hac controversia, cum de Albigensibus ageremus, hæretici responsum (*d*) in superiori tomo attulimus: qui de statu animæ illius, qui excepta manus impositione, antequam dominica absolveretur oratio, animam efflarat, consultus sanxerat, illum cœlo quidem receptum, cæteros vero omnes, quibus uterque ritus non adhibitus esset, ad inferos deturbandos.) *Est etiam communis opinio omnium Catharorum, quod per illam impositionem manus, & orationem dominicam non fiat aliqua remissio peccatorum, si illi, qui tunc manus imponunt, sunt tunc in aliquo mortali peccato. Fit autem hæc manus impositio a duobus ad minus, & non solum a prælatis eorum, sed etiam a subditis, & in necessitate a Catharabus.* Et infra subiicit de conscientiæ æstu, quo hæretici fluctuant, num a viro ab omni criminis contagione puro illam manus impositionem exceperint.

XXV. (*c*) *Reiner. apud Gretserum.*

(*d*) *T.* XIII. *an. Chr.* 1204. *n.* 61. 62.

XXVI. *Nota insuper, Cathari in maximo labo-*



Waldensium circa animæ salutem trepidatio.

*borant, dubio, & periculo animæ: verbi gratia si prælatus eorum, & maxime episcopus, occulte commiserit aliquod mortale peccatum, quales etiam multi olim reperti sunt inter eos, omnes illi quidem, quibus ipse manum imponit, fiunt decepti, & pereunt, si in eo statu decedunt. Etiam causa hujus periculi vitandi omnes ecclesiæ Catharorum, una excepta solummodo, vel duabus, receperunt, secundo, & aliquæ tertio consolamentum, idest manus impositionem, quod est baptisma eorum, ut supra dicitur, & de prædictis est fama publica inter eos.*

XXVII. Specie sanctitatis fræna sceleri laxabant.

Fuere hæ infelices Waldensium artes, ut cum ipsi magno religionis supercilio, abjecta Apostolorum exemplo rerum caducarum solicitudine, sanctitatis larvam ostentarent ad pelliciendos in hæresim plures, etiam omnium turpitudinum ac vitiorum maculis inquinatissimis salutem æternam pollicerentur, si in extremo vitæ discrimine manus impositionem contulissent, sine qua negabant salutem comparari posse. Ad quod vesanum dogma auctoritate divinæ Scripturæ confirmandum sacra oracula in nefarium sensum detorsisse refert Reinerus: *Dicunt*, inquit, *omnia peccata per manus impositionem ab ipsis factam relaxari, & Spiritum sanctum infundi, & hoc volunt probare per illam auctoritatem Actuum: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*

XXVIII. Suos in desperationem adigunt.

Addit auctor, ut crudelissimi illi non animarum modo, sed & corporum carnifices a moribundis exciti violentam iis mortem inferrent: *Quando autem aliquem in extremo vitæ periculo recipere volunt, dant ei optionem, utrum velit in regno cœlorum esse cum sanctis martyribus, vel confessoribus. Si autem elegerit statum martyrum, tunc manutergio ad hoc specialiter deputato, quod Theutonice vocatur Bnetextuch, ipsum strangulant, ostio super eum clauso. Si autem confessorum elegerit, tunc post manus impositionem nil dant ei ad esum, nec puram aquam ad bibendum, & ita fame ipsum perimunt.* Hæc erat infanda hæreticorum consolatio, quæ in carnificinam definebat, subtili dæmonis commento, ne quis eorum, qui hæreticos accersivisset, ex cruentis ejus manibus evaderet. Ad eam ergo pestem excindendam, quam refellere supervacaneum esset, cum humani sensus ad illam perhorreant, jure principes ferro, flammis, & castis utendum censuere: edixitque Alexander, ut eorum bona, quibus ab hæreticis manus admota esset, fisco addicerentur, ne ægrorum propinquitate conjunctissimi, ad quos hereditas spectaret, sceleratum adeo piaculum committi paterentur. Ea vero severitas ad hæreticos abolendos adhibebatur, ut urbium prætores (*a*) ac magistratus, inviti ac renitentes etiam, ad leges in hæreticos latas referendas in legum codices adigerentur: refert enim Folieta Genuenses magistratus duobus ante annis ab Anselmo censore fidei Dominicano anathemate defixos, cum id detrectarent: factaque ad sedem Apostolicam provocatione, ea conditione sacris restitutos, ut suis legum commentariis sancita apostolica, & imperialia adversus hæreticos adiicerent.

(*a*) *Fol. hist. Genuen. l.* 4. Januenses ad leges in hæreticos admittendas adacti.

XXIX. Gerunt bellum cum Pisanis.

Narrat (*b*) idem auctor belli atrocis Genuenses inter ac Pisanos exorti causas, Calaritani agri regulum, ut vires adversus Arborensem toparcham Pisanorum fœdere subnixum confirmaret, castro Sardiniæ Genuensem remp. donasse. Sed demum ab Arborensi judice arctiori obsidione devicto eo municipio, Genuenses in S. Giliam inductos, ut ex ea arce ad amissa recuperanda erumperent: quibus similia tradit Bizarrus (*c*). [1] At Pisani comparato exercitu, ut hostem occuparent, S. Giliam castris cinxere: cumque ex eo bello ingentium malorum materies scaturiret, Alexander post multos adhibitos pro concilianda discordia labores ab adversis factionibus pacis arbiter renunciatus, duos religiosos equites creatos nuncios apostolicos in Sardiniam legavit, (*d*) ut pontificio nomine. S. Giliæ præfecturam gererent, donec controversia æquitate dirempta foret.

(*b*) *Id. ib.*

(*c*) *Bizar. l.* 2. *de bello Pisan.*

Pontifex controversiæ arbiter designatus.

(*d*) *Lib.* 4. *ep.* 3 *post ep.* 173.

XXX. Missi in Sardiniam Ap. S. nuncii. * ex parte una, & Januenses

*P. Hospitalis S. Joannis, & P. domus militiæ Templi Hierosolymitani fratribus nunciis nostris in Sardinia.*

*Olim inter dilectos filios potestatem, capitaneum, consilium, & commune Pisanorum super villa S. Giliæ Calaritanæ diœcesis, * ex altera, procurante generis humani inimico materia dissensionis exorta, lau-*

NOTÆ [1] BElli inter Pisanos & Genuenses furentis causam recte confert annalista in largitionem arcis cujusdam, quæ *Castellum de castro* appellabatur, factam Genuensibus a regulo quodam Calaritano in Sardinia, quem regulum author additionum ad Caffari annales Genuenses lib. VI. appellat Ælianum marchionem Calaritanum. Sed cum non indicetur annus, quo discordia hæc inter duas hasce gentes cepit; ideo defectui huic supplendum censeo ex eodem annalium Caffari continuatore coævo, qui hoc exordium bellorum in annum 1256. confert.

Eodem pariter anno Genuenses cum Venetis in urbe Ptolemaida manus conseruerunt pro domo quadam auxiliumque Genuensibus Pisani contulerunt, quæ utraque gens fœderata Venetos profligavit teste Bernardo thesaurario in continuatione Gallica Tyrii. Ea demum causa fuit cur Veneti in Genuenses exasperati ad juvandos Pisanos hoc anno 1258. accederent. MANSI

*tandem fuit a partibus in nos tanquam in arbitros, laudatores, seu compositores, vel diffinitores præcise super ea certa pœna interposita concorditer compromissum, prout in instrumento publico inde conjecto plenius continetur. Nos itaque de discretione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, districte per apostolica scripta vobis in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus ad terram ipsam personaliter accedentes, Pisanis, a quibus dicta villa obsessa dicitur, & Januensibus, pro ipsius defensione ibidem morantibus, & quibuscumque aliis pro eisdem Pisanis, & Januensibus illic existentibus cum machinis, & aliis, quæ causa impugnationis, & defensionis habent ibidem, exinde sine qualibet difficultate remotis infra dies octo, juxta dicti compromissi tenorem, tenutam ipsius villæ nomine nostro recipere nullatenus postponatis: mandantes, & præcipientes nihilominus hominibus dictæ villæ, ut in nullo alteri partium in alterius præjudicium faveant, vel ei exhibeant auxilium, vel favorem: sed eos compellatis jurare super iis, quæ hujusmodi contingunt negotium, vestro stare mandato, mandatum nostrum super hoc taliter impleturi, quod solicitudinem vestram exinde merito commendemus. Dat. Viterbii* II. *non. julii anno* IV.

XXXI. Extant (*a*) aliæ ad Pisanos, ac Januenses literæ, quibus de S. Gilia Calaritanæ diœcesis oppido admissum arbitri munus significat, additque hæc imperia: *Cum igitur nobis cordi sit lites dirimere, & a laboribus, guerris, ac animarum periculis relevare subjectos, tam apostolica, quam arbitraria, seu compromissaria potestate vobis tenore præsentium præcipiendo mandamus, quatenus in medietate mensis septembris proximo venturi, quem terminum vobis peremptorium assignamus, compareatis coram nobis per sufficientes & idoneos responsales facturi & recepturi super quæstione dictæ villæ, quod ordo exegerit rationis. Datum Viterb. non. julii anno* IV.

(*a*) *Ib. ep.* 4. *post.* 173. Genuenses ac Pisani bello abstinere jussi.

XXXII. Adhibiti sunt Templarii restinguendo huic bello, cum ex eo accensæ essent faces, quæ in Syria luctuosissimum incendium excitarunt: efferati enim Januenses, ac Pisani mutuis odiis, ubicumque, sive terra, sive mari; in occidente, vel in oriente infestis telis concurrebant, trahebantque in prælium fœderatos, maximeque Veneti ob singularem cum Januensibus emulationem Pisanis accesserant, atque Ptolemaide aliisque in portubus simultates exercuerant (*b*), ex quibus diffidiis extrema regno Hierosolymitano clades imminebat: cum non modo hostium armis peteretur, verum etiam eorum viribus, quibus illius defendendi munus incumbebat, laniaretur. His itaque & aliis impendentibus malis remedium aliquod allaturus Christi Vicarius, Messanensem archiepiscopum in orientem misit, ac Pisanos, Januenses, & Venetos mutuo fundendo sanguini parcere jussit.

(*b*) *Ib. ep.* 145. Bella in Syria inter eosdem accensa.

*Potestati, capitaneo, consilio, & populo Pisano.*

*Sicut olim accepimus, & referimus cum dolore, pacis invidus, & seminator discordiæ tantum inter vos, & dilectos filios cives Januenses odium seminavit, quod invalescente guerra gravissima inter partes, alter alterius destructionem in personis desideravit hactenus, & in rebus. Ex quo inter alia miserabile regnum Hierosolymitanum multis attritum, & concussum angustiis & pressuris, ad extremam poterat desolationem perduci in derogationem, & contemptum fidei Christianæ: propter quod nos, licet immeriti, juxta verbum prophetæ constituti super gentes & regna universæ terræ, in quibus Dominus invocatur, volentes animarum & personarum periculis obviare, ad vos tamquam ad devotos Ecclesiæ filios venerabilem fratrem nostrum Messanensem archiepiscopum duximus destinandum. Vos vero, qui hactenus ecclesiæ Romanæ paruistis reverenter monitis & mandatis, zelantes pacem, & concordiam, & bonum statum regni prædicti, ac augumentum fidei orthodoxæ, ad nos super iis solemnes ambasciatores, & nuntios destinastis, qui plenum, & sufficiens a vobis mandatum habentes super omnibus, ex quibus dissensionis & guerræ inter vos & eosdem Januenses exorta fuerat materia, præcise compromiserunt vestro nomine arbitrio, laudo, dispositioni, & ordinationi nostræ sub certa pœna stare, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur.*

XXXIII. Alex. lit. ad Pisanos.

Ex bello nata pericula.

Messanensis arch. ad pacem conciliandam missus.

*Nos itaque qui cunctis Christi fidelibus pacem, & concordiam procurare tenemur ex officio pastorali, volentes vobis, & ipsis, quos sincera in Domino caritate complectimur, salubri super hoc remedio providere, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente præsentium vobis tenore, tam apostolica, quam arbitraria, seu compromissaria potestate districte præcipiendo mandantes ad præsens, salvis aliis mandatis vobis semel, & pluries a nobis in posterum faciendis, quatenus dictis Januensibus, & eorum jurisdictioni subjectis pacem firmam de cætero, & inviolabilem ubique servetis, ab omni molestia & offensione ipsorum Januensium, & eorum ditioni subjectorum tam in terra, quam in mari ubique per vos, & vestræ ditioni subjectos desistentes omnino, eos secure ad civitatem & districtum vestra, & loca vobis subjecta venire, & per ipsa ire, & in ipsis morari, & redire sine aliqua læsione, vel impedimento personarum, & rerum libere permittendo. Et ut inter partes ex nunc omnis cesset materia dissensionis, & guerræ, vos in civitate vestra infra triduum a receptione præsentium faciatis voce præconis publice proclamari, ut omnes concives vestri omnesque, quos ditio vestra regit, Januensibus & subjectis eisdem concordiam & pacem observent; ipsosque in aliquo non offendant, sed secure in societatibus, mercimoniis, & aliis utantur ubilibet cum eisdem: mandantes nihilominus in proximo passagio mensis augusti, vel ante, si fieri poterit, per nuntium & literas speciales consulibus, admiratis, seu capitaneis Pisanorum, & aliis Pisanis in ultramarinis partibus existentibus, & alibi ubicumque fuerint, qualiter in hujusmodi negotio, super quo in nobis compromissum est, existat processum; & quod legatus, seu nuntius Apostolicæ sedis ad partes ultramarinas celeriter transmittetur ad pacem, & concordiam peragendam, ac solidandam super omnibus, super quibus orta est discordia inter partes: & quod iidem pacem & concordiam teneant, & observent Januensibus, & subjectis eisdem, & cessent omnino ab offensionibus eorundem.*

XXXIV.

Imperatur Pisanis ut pacem cum Januens. colant.

XXXV. *Volumus insuper, & mandamus, ut eo tempore, quo legatus, seu nuntius Apostolicæ sedis propter hoc ad partes ultramarinas accesserit, seu applicaverit, nuntii, seu procuratores vestri, habentes a vobis super omnibus negotium contingentibus mandatum sufficiens, super quo compromissum est in nobis; ad reformationem pacis & ad omnia, quæ necessaria sunt ad eam, in civitate Acconensi compareant coram eo, ita quod eos non oporteat ex aliqua causa occasione dicti negotii ad vos iterum habere recursum. Ad hæc præcipimus, & mandamus, quod nullum stolium, armamentum, seu navalem exercitum galearum, navium, seu quorumcumque lignorum ultra mare mittatis, literas quoque nostras, quas Januensibus, Pisanis, & Venetis commorantibus in ultramarinis partibus destinamus, una cum vestris literis, prædictam continentibus celeriter destinetis eisdem, mandatum nostrum super iis taliter impleturi, quod hujusmodi discordia Deo prævio reformata, vobis & dictis Januensibus exinde divinæ retributionis præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Dat. Viterbii* II. *non. julii an.* IV.

Januenses quoque ac Veneti pacem in oriente servare cum Pisanis jussi.

XXXVI. Conceptæ sunt eadem verborum forma ad prætorem, senatum, ac populum Januensium literæ (*a*) quibus deplorat rem Christianam ex ipsorum diffidiis cum Venetis ac Pisanis in discrimen extremum adduci, monetque, ut transmarinis Januensibus dent imperia, ne Pisanos ac Venetos lacessant, permissamque sedis Apostolicæ arbitrio omnem controversiam faciant certiores. Iis etiam respondent aliæ ad Venetos (*b*) quibus vetat Alexander, ne Januenses terra vel mari lædant, ac proximo tempore legatum Apostolicum dirimendas æquitate discordias transmissurum spondet: *Ab omnibus*, inquit, *molestiis, guerris, & offensionibus, gravaminibus, & læsionibus, mutuis desistentes, omnino veram pacem, & concordiam inter vos deinceps inviolabiliter tenere, & observare curetis, ac nullis vestrum alterum in persona vel rebus, in terra vel mari præsumat offendere, vel gravare, cum prædicti ambaxiatores, & nuntii in nostra præsentia constituti, nomine & vice prædictorum communium pacem, & concordiam inter se facere & inire curarint: scituri pro certo, quod legatum sedis Apostolicæ ad partes ultramarinas propter hoc celeriter transmittemus, per quem guerræ, ac dissensiones hujusmodi, præstante Domino, sedabuntur, & agentur, quæ dicti regni ac communium prædictorum respiciant incrementa, &c.*

(*a*) *Ib. ep.* 1. *post* 173. Legatum pro pace jungenda pollicetur Pont.

(*b*) *Ib. ep.* 2. *post* 173.

Indicit inter æmulos inducias.

XXXVII. His consentiunt, quæ de Pontificio studio in conciliandis Januensibus, ac Venetis, eorumque fœderatis adhibito refert Andreas Dandalus (*c*); sed ex infelici Januensium apud Tyrum clade, quæ tum obtigit, discordias pristinas recruduisse: *Interea Alexander Papa Venetos, Pisanos, & Januenses per nuntios monuit, ut pro sedanda discordia ambasciatores suos cum sufficienti mandato ad compromittendum in eum mittant: & hoc gesto, Papa treguas indicit, statuitque quod duo Veneti nobiles cum galeis Januensium, & totidem Januenses, & Pisani cum galeis Venetorum transfretare deberent, ut propter treguas stolique a bello desisterent, & in posterum super differentiis sententiandi sibi arbitrium reservavit: & ob hoc Joannes Delphino, & Joannes * Boadario missi sunt Januam, & cum duo nobiles Januenses cum Venetis usque Jadram navigassent, de suorum conflictu notitiam habuerunt, qui confusi Januam redeunt, & treguæ ob hoc totaliter cessatæ sunt.*

(*c*) *Andr. Dand. in Rayn. Zeno.*

Controversiam æquitate dirimere parat.

* *Baduario*

XXXVIII. Conjectos fortuito casu, atque e privata insanientium duorum homunculorum rixa Venetos ac Januenses in bellum hoc atrocissimum, refert continuator belli sacri (*d*) cui Januenses historici assentiunt: concitatum nimirum in Januensium vico apud Ptolemaidem tumultum ad tribulis Januensis elatos clamores ab æmulo Veneto sauciati, factumque subinde in Venetorum forum impetum, dum improvide fugientem insectabantur: ex ea contumelia commotos Venetos paulo post fortuita alia de causa iras deprompsisse: cum enim Januensis quidam navem Venetam a piratis mercatus, in Ptolemaidis portum invectus esset, Venetos vi navem suam cognitam repetere aggressos expedisse tela, fusisque propugnatoribus, ea potitos esse: tum vero Januenses furore percitos, instructis triremibus in Venetos pro-

(*d*) *Contin. bell. sacr. lib.* 4. *c.* 11. *&* 12. *Bizarr. de bell. Ven. Foliet l.* 4.

Ex re levi ingentia exorta mala.

progressos, navem recuperasse, eosque portu & urbe depulisse: quam in injuriam ulturos Venetos, ad bellum se comparasse.

XXXIX. Describit Andreas (*a*) Dandalus secutum subinde infausstum in Syriaco mari prælium, ducibus Andrea Zeno & Laurentio Teupulo adversus Rossium Turcium Januensem, ex quo concordia ab Alexandro inita dissoluta est: *Gravi vicissim bello peracto Veneti victoriam habuerunt, & xxv. Januensium galeas, cæteris in Tyro fugientibus, viriliter ceperunt, & in Achon redeunt cum præda bonorum eorum, ac turrim invictissimam destruxerunt, cunctaque ædificia: & Tyri commorantes de cætero non portabant vexillum in suis navigiis venientes ad portum Achon, nec de cætero ibi curiam, vel præconem habuerunt.* Vicisse ob Pisanorum auxilia Venetos refert continuator belli sacri. Iisque consentanea (*b*) scribit monachus Patavinus ejus temporis auctor: *His temporibus cum Januenses Venetorum animos graviter offendissent in civitate Acconitana, quæ antiquitus Ptolemaida dicebatur, ubi communiter negotiatores dictarum urbium habitabant, Veneti ulcisci suas injurias cupientes, & pro nihilo maris pericula, & expensarum magnitudinem reputantes, dummodo valerent se de adversariis vindicare, classem in manu valida in Syriam direxerunt: & tam navali prælio quam campestri Januenses viriliter expugnantes, captis multis navibus bellicis, & reliquis in fugam conversis, eversa simul turre munitissima, & in vastitate hostili cunctis eorum domibus desolatis, ipsos de civitate Acconitana penitus ejecerunt.* Nec discrepat ab his Bizarrus (*c*): prælio enim hoc atroci gesto nono kal. jul. Januenses adeo attritos ait, ut pristinæ fortunæ ornamenta omnia, nec opes modo sed etiam horrea publica, ac prætoria in Syria amiserint. Accisis viribus Christianorum ex ea clade, ac brevi perdenda Syria, ni dissensio consopiretur, solicitum Pontificem his malis medendi cupidum impetrasse a Venetis, ut Genuenses superiori prælio capti libertati restituerentur: deinde etiam inducias auctoritate Pontificis compositas ea lege, ut Genuensibus intermissam orientis navigationem repetere liceret. Sed eam discordiam recruduisse, ac primum Constantinopolitano Imperio, deinde Syriæ exitium invexisse lugebimus.

(*a*) *Andr. Dand. in Rayner. Zeno.* Januenses prælio navali deleti a Venetis.

(*b*) *Monach. Pad. chro. l. 2. hoc ann.*

Clades ipsis illatæ.

(*c*) *Bizar. l. 1. de Bello Ven. Continuator belli sacr. l. 4. c. 12.* Capti bello jussu Pont. restituti libertati.

XL. Amissa ob eas turbas præclara occasio.

Amissa est ob hasce turbas rei præclare gerendæ adversus Saracenos occasio, dum Tartari ab Aytono Rege Armeniæ concitati Mahometanos diris cladibus affligerent: cepisse enim impetu hoc anno Baldac Mahometicæ superstitionis regiam, & Caliphium necasse, narrat Aytonus his verbis (*d*). *Obsedit*, nimirum Haolonus, *civitatem Baldach, in qua erat Caliphus, qui magister erat & doctor sectæ perfidi Mahometi, fecitque Haolonus ad exercitum convocari triginta millia Tartarorum, qui erant in regno Turquiæ; & postquam congregavit undique gentem suam, insultari fecit ante litus civitatis, quæ velociter absque nimio moræ dispendio fuit capta. Caliphus quidem captus vivus adductus fuit ante præsentiam Haoloni, & inventæ fuerunt in Baldach tantæ divitiæ, quod vix credendum esset esse totidem in residuo hujus mundi. Capta autem fuit civitas Baldach anno Domini MCCLVIII.*

(*d*) *Ayt. in hist. orien. c. 25.* Sarraceni a Tartaris cæsi. Baldach impetu capitur.

XLI. *Postquam* (*e*) *Haolonus de civitate Baldach fecit omnia, quæ volebat, jussitque Caliphum ante se adduci, & præcepit, quod ante se totum ejus thesaurum poneret: tunc vero Haolonus interrogavit Caliphum dicens: Cognoscis ne totum fuisse tuum quod vides? utique ait ille. Haolonus dixit: Quare tu tanto thesauro non convocabas stipendiarios & vicinos, ut te, & terram tuam tuerentur a potentia Tartarorum? At ille respondit: Quoniam credebam sufficere gentem meam. Tunc dixit Haolonus Caliphо: Tu diceris doctor omnium credentium in falsa secta Mahometi, & a tuis muneribus. Talis ergo magister, & tantus* * *aliorum ciborum cibari non debet: unde tibi damus in cibum ista omnia pretiosa, quæ tantum dilexisti, & cum magna avaritia custodisti. Et præcepit ponere Caliphum in una camera, & ante ipsum proiici margaritas, & aurum, ut de illis comederet quantum vellet, & præcepit ne aliquis cibus daretur, aut potus alius propinaretur eidem: & sic morte pessima miser ille, & avarus miserabili vitam finivit, nec unquam Caliphus postea extitit in Baldach.*

(*e*) *Cap. 26.* Avari Caliphii supplicium.

* *aliis cibis.*

XLII. *Postquam* (*f*) *Haolonus subjugavit Baldach & terras alias circumcirca, provincias divisit per duces & rectores, sicut suæ placuit voluntati, & præcepit, quod ubique Christiani tractarentur benigne, & quod eis castrorum, & civitatum custodiæ traderentur. Saracenos quidem jussit ponere in maxima servitute. Haolono quidem erat uxor Christiana nomine Doucoscaron, & fuit de progenie illorum Regum, qui venerunt ab oriente visa stella nativitatis Domini, & ista domina devotissima Christiana in perpetuum licentiam diruendi templa Sarracenorum petierat, & inhibendi ne solemnitas fieret in nomine Mahometi; & fecit Sarracenorum templa funditus devastari, & in tanta servitute posuit Saracenos, quod non erant ausi ulterius apparere.* His consentanea hoc anno de religione Christiana reginæ Tartarorum beneficio amplificata, eversisque Mahometis templis, tum de necato Caliphio refert Sanutus; sed hanc addit circumstantiam:

(*f*) *Cap. 27.*



(*a*) *Marin. Sanut. l. 3. par. 13. c. 7.*

tiam: (*a*) *Capti Caliphæ guttari liquatum aurum jussit infundi, avaritiam exprobrans, quia cum immensis affluereet thesauris, cupiditate detentus pro salute sua eos expendere renuit. Post mortuum autem Calipham Halao totam regionem obtinuit.* De pluribus aliis Saracenorum regnis excisis dicemus suis locis: nunc ad Græcorum res digredimur.

XLIII. Michael Rex Bulgar. cæsus insidiis.

Concussam etiam gravissimis tumultibus per hæc tempora Bulgariam scribit Georgius Logotheta, (*b*) cum Michael Rex a conjuratis ex insidiis cæsus esset, rursumque Callimanus, qui scelere regnum quæsierat, obtruncatus, demumque collectis regni Bulgarici ordinibus Constantinum sceptro donatum; quæ ex ipso auctore decerpenda visa sunt: *Bulgarorum princeps uxoris suæ frater Michael, qui simultates, & inimicitias, easque non leves, & in generum, & in Imperatorem, & rem denique Romanam gerebat, a consobrino suo Callimano conscitis & nonnullis Trinobi civibus, cum extra dictam urbem degeret, lethali vulnere accepto, illico expiravit. Qui eum jugulaverat Callimanus, illius uxore ducta, Bulgarorum principatum sibi quodammodo vindicasse visus est. Sed Rosus Urus cum exercitu Trinobum egressus filiam illius Michaelis consortem receperat. Quidam enim Callimanum ex loco in locum aberrantem antea trucidarant. Cum vero herede legitimo Bulgarorum principatus destitueretur, proceres in concilium conveniunt, & * Itechi filium Constantinum, ut sibi ipsis imperet eligunt: sed ut speciosas regnandi causas haberet, & hereditario jure regnum possidere videretur, legatos ad Imperatorem Theodorum misere, ut filiam suam majorem, cui nomen Irene erat, in matrimonium Constantino Itechi dimitteret, quæ illi legitime copularetur, cum esset Asanis Joannis, qui antea Bulgaris imperarat, neptis, ideoque ad talem dominatus pertineret, sed quando Itechi Constantinus alio atque legitimo matrimonio copularetur, uxorem a viro separatam ad Imperatorem Theodorum ducunt. Sic se res Bulgarorum habebant, sic Theodorus Imperator pacem recuperat, sic otium & tranquillitatem uterque aucupatur.*

(*b*) *Georg. Logoth. in hist. Constantinop. interp. Leone Allat.*

Callimanus tyrannus trucidatus.

* *Jochi*

Constantinus Bulgarici sceptri successor designatus.

Eadem de Constantini Regis Bulgariæ cum filia Theodori nuptiis ad regnum confirmandum initis (*c*) Gregoras: sed addit Bulgarum priorem conjugem a se ablegatam Niceam misisse, ut Græcis fidei, atque in alteram constantis amoris pignus esset (dissolvebant enim schismatici nullo religionis metu, & vetita contrahebant matrimonia). Pervenisse vero ad solium vi & artibus ejecto e principatu Mytze, qui regis postremi fine liberis defuncti sorore ducta, dotale sceptrum acceperat, qui cum regno, Mesembria sola retenta, depulsus esset, illam Theodoro Græcorum Imperatori, ut vectigalia alia ad vitam sustinendam acciperet tradidit. [1]

XLIV. Theodori Græc. Imp. filiam ducit uxorem.

(*c*) *Niceph. Greg. hist. Rom. l. 3.* Schismaticorum insignis improbitas.



NOTÆ [1] CElebratum fuisse hoc anno provinciale in Dania concilium nemo huc usque prodidit; sed illud tandem innotuit ex uno ex scriptoribus rerum Danicarum vulgatis a Ludewig in Reliquiis to. IX. pag. 81. Scriptor enim ille, qui anno 1310. chronicon suum absolvit, scribit: *A. C. CIↃCCLVIII. factum est concilium provinciale apud Haffniam circa festum S. Martini &c.* quid in eo decretum sit ignoratur. MANSI

I. ANno a Virginis partu quinquagesimo nono supra millesimum ducentesimum indictione secunda Ezelinus horum temporum Nero, infensissimus Ecclesiæ, ac totius pene humani generis hostis, monitum illud divinum, quod longo secundarum rerum successu turgidus spreverat: *Ne dixeris* (*a*) *peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor;* infeliciter tandem est expertus. Sustinuit diutissime divinum numen perditissimi hominis improbitatem, cum ad aliquorum punienda scelera, exercendamque suorum constantiam ejus opera uteretur: ubi vero completæ fuere iniquitates Amorrhæi, tunc vindictæ suæ iras in eum effudit. Oppresserat (*b*) anno superiori suo pavor Ezelinus Brixiam, atque in suam potestatem redegerat: sed unde triumphum ingentem sibi reportasse videbatur, inde ejus mali atque exitii causa emersit: ea enim urbe potitus, Palavicinum & Cremonenses, quos victoriæ, & laborum socios habuerat, consortes dominationis habere recusavit, Brixiaque exclusit: at illi illatæ injuriæ ulciscendæ cupidi, concepta intus odia brevi aperuere, ac missis ad marchionem Atestinum & Mantuanos oratoribus, armorum societatem cum ipsis contra eundem Ezelinum coivere. Egregiam quoque Boso e Dovaria navavit operam, ut Mediolanenses Cremonensibus conciliaret. Conflabatur itaque procella gravissima, magno terrore in Ezelinum eruptura; cum ille alias artes, nonnullis Mediolanensibus subornatis, ad totius Insubriæ urbem principem opprimendam instruebat: jamque velut ad certissimam prædam advolabat, cum Mediolanensium dux admonitus, qui adversus Ezelinum moverat, ad occupanda ejus consilia Mediolanum præcurrit, fluctuantes civium confirmat animos, ac tyrannum in fugam convertit.

(*a*) *Eccles.* 5.

(*b*) *Monach. Pad. chron. l.2. Bonif. hist. Tarvis. l.5. & alii.*

Ezelinus Victoriæ socios Brixia pellit. Conflata inde in eum conspiratio.

Interea Cremonenses, Mantuani, aliique socii, conjunctis armis, insequuntur tyrannum: qui Aduam fluvium vado trajecerat, cum pontem ab hoste occupatum frustra tentasset, acceptoque vulnere propulsatus esset: tumque marchio Palavicinus, Boso e Dovaria Cremonensibus succinctus, Estensis marchio cum Mantuanis, & Ferrariensibus ingenti animorum ardore in eum prosiliere. Nec diu tanti prælii molem sustinere potuit Ezelini exercitus, partim a crucesignatis cæsus, partim fuga mox dissipatus: ac direptæ fuere impedimenta. Sed inter præclarissima spolia Ezelinus ipse captus, suavissimum imbelli multitudini videbatur spectaculum, vinctum illum intueri, qui sui antea terrorem aspectu solo armatis incusserat: atque ad id undique populi velut ad immane monstrum, ac sævissimum carnificem aspiciendum, qui neque prægnantibus nec lactentibus pepercerat concurrebant. Adductus Succinum a Cremonensibus, delibatis jam in hac vita futurorum suppliciorum doloribus, tum ex accepto in oppugnando Aduæ ponte vulnere jacta temere a milite sagitta, sed a numinis ultrice manu in ejus pedem directa, tum mœrore ac senio, septuaginta annos emensus, exaruit. Infelix quidem mortis genus, si humana spectentur, at eo longe infelicius ac funestius, quod qui vivus Dei erat oblitus, moriturus suæ salutis immemor extitit: quique ab Ecclesia ob scelera anathemate ictus, pontificiam auctoritatem spreverat, moriens ecclesiastica sacramenta execraretur. Addictus erat ineptis astrologorum vaticiniis, & quendam ariolum Saracenum Babylonium, velut alterum Balaam in summa veneratione habuit, qui tamen imminentem divinam vindictam numquam ipsi præsagivit. [1]

II. Ezelini exercitus cæsus.

Tyrannus ab hostibus captus.

Impia ejus mors.

Ut ab astrologis fuerit delusus.

Meminit de tyranni morte funesta (*c*) Pto-

(*c*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.22. c.15.*

NOTÆ [1] OBiit hoc anno Ezelinus infestissimus Romanæ ecclesiæ adversarius, & sævissimus, si quis alius unquam, tyrannus, idem tamen & strenuissimus ætatis suæ miles ac politicarum artium peritissimus, quippe qui in difficillimis rerum articulis partum sibi arte principatum & retinere valuit & augere. De anno emortuali conveniunt omnes, annum 1259. signantes; in mense & die obitus dissident. Nam Rolandinus in editionibus vulgatis captum illum scribit die XVI. exeunte septembri, idest die XV. ejusdem mensis; sed in codice Estensi a Muratorio consulto legitur *die quarto exeunte septembri*. Die vero post hæc XI. obiisse illum in vulgatis editionibus ejusdem Rolandini legitur; sed in duobus Ambrosianis codicibus pro die XI. legi die XX. idem Muratorius notavit. Posteriorem lectionem de die pugnæ cum die XXVII. seu quarta exeunte septembri confirmat monachus Patavinus, qui eadem die captum Ezelinum asserit. Sed vulgatam lectionem de die pugnæ cum die XV. septembris conjungenda præfert author coævus chronici Veronensis cum Rolandino collatus; nam obiisse Ezelinum die XXVII. septembris scribit. Si enim die XV. cui pugnam assignant editiones vulgatæ Rolandini, dies XI. addas, quot supervixisse Ezelinum notant vulgata Rolandini lectio, deveniens ad diem XXVI. septembris, qua obiit Ezelinus, cujus defuncti cadaver cum die sequenti XXVII. ejusdem mensis sepulturæ traditum fuerit, ideo diem sepulturæ, ceu diem emortualem notat chronologus Veronensis pro more chronologis familiari. MANSI



Ptolemæus Lucensis, quam divinæ justitiæ, illatas Ecclesiæ injurias vindicanti, ascribit: *Mala*, inquit, *morte interiit Azolinus toto suo genere extirpato*, ad Alberici fratris supplicium alludit, de quo postea. Hic nos adjungemus, quid de crudeli Ezelino Manfredi rerum scriptor historiæ monumentis consignarit (*a*): *Cecidit pestifer ille tyrannus Ezelinus de Romano, cujus impietatis rigidæ, severitatis horridæ, interdictæ, & execrabilis acta describere longum per se tempus exigeret: sed prius necessarium videretur pectore armato duritia, quam rebus atque personis tam nefandis, tamque tristibus apponere calamum, vel auditorum animos appellare.* Et infra: *Dum collectis undique viribus contra Mediolanenses infestis angustiis processisset prope castrum Cassiani, in manibus Cremonensium, qui sub præsidatu marchionis prædicti*, nimirum Palavicini, *in auxilium Mediolanensium potenter exierant, prope flumen adeo miserabiliter cecidit: ubi lethaliter vulneratus, ductusque Succinum morti succubuit, qui raptor fuerat vitæ multorum.* Describit accuratius ejusdem tyranni mores, ac vitam monachus (*b*) Patavinus, quem lectori consulendum relinquimus.

(*a*) *Auctor. anonym. de reb. Siculis.*

Sævi ejus mores.

(*b*) *Monach. Pad. chron. l.2.*

IV. Tarvisini Albericum tyrannide depellunt.

Percrebuerat late tristis Ezelini casus fama, ac tum Albericus ejus frater, qui Tarvisinos (*c*) opprimebat, saluti suæ metuens, ex ea urbe diffugit: quam Veneti admoto exercitu obtinuere, quique patria depulsi tyranni sævitia fuerant, reducti. Revocarunt quoque exules Vicentini: ac præ cæteris recreati Veronenses, quos Ezelinus maxime attriverat, divinæque fuit providentiæ, ut qui Ezelino graffandi vires dederant, ejus sævitiam primi experirentur: adeo ut nobilitatem omnem illius deleret, ac ducentos cives, inclusos carcere, circumjectis ignibus concremaret. Sumptis ergo illi animis reliqua Ezelini præsidia deturbavere, & comitem S. Bonifacii in urbem excivere.

(*c*) *Bonifac. hist. Tarv. l.5.*

In Venetorum potestatem concedunt.

Veronenses & Vicentini asserunt se in libertatem.

V. Pontifex Palavicinum ad obsequium allicere studet.

Excusso sævissimæ illius tyrannidis jugo, recreari cœpit Ecclesia: cumque Palavicinus, Boso, Cremonenses, aliique populi antea ab ea anathemate defixi, cum adversus Ezelinum fœdus percusserant, non rite a quodam viro religioso absoluti fuissent, Alexander Ebredunensi episcopo A. S. L. partes imposuit, (*d*) ut si illi in fide Ecclesiæ perstare in animum induxissent, fœdera cum Manfredo olim principe Tarentino, aliisque Romanæ ecclesiæ hostibus infringerent atque illata damna resarcirent, apostolica auctoritate Ecclesiæ conciliaret. Ex monumento enim pervetusto (*e*) in quo fœderis illius contracti a Palavicino, Bosone, & Cremonensibus cum marchione Estensi, Mantuanis, ac Mediolanensibus, contra Ezelinum leges descriptæ sunt, ea recensentur, ut Manfredum tamquam Siciliæ Regem legitimum, & amicum haberent, atque ad eum in Pontificis gratiam restituendum operam navaturos sponderent: cujus fœderis conditio, cum Romanæ ecclesiæ juribus adversaretur, qua ferebatur, ut invasorem Siciliæ pro Rege legitimo colerent, eam rescindendam censuit; ac Manfredi societati renuntiare, si fidelium numero aggregari vellent, imperavit.

(*d*) *Alex. l.5. ep. 231.*

(*e*) *Extat MS. apud nos.*

*Archiepiscopo Ebredunensi.*

VI. Miser Insubriæ status.

*Satis ex devota tuarum serie literarum, satis etiam ex nostra mente collegimus, quam implicitus, & confusus, quam detestabilis & damnosus dudum fuerit, & sit hodie Lombardiæ status, quæ in hoc potissime vigere dignoscitur, quod dispendiosis litibus, & periculosis discordiis non sine offensa gravissima implicetur, nobis, sicut & quibusdam Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, fundentibus propter hoc sæpe profunda suspiria, & etiam lacrymosa. Procedit ex iis, quod & super valetudine corporali, & multimoda cordis angustia, quam sub multorum de partibus illis detestanda versutia frequentissime pertulisse dignosceris, tibi paternis affectibus condolemus: ac etiam te plenis in Domino prosequimur actionibus gratiarum, quod susceptæ legationis officium cum omni diligentia, & virtute prosequi studuisti.*

Restituendo illi adhibitus legatus.

VII.

*Ad hæc quia instanter, ac humiliter petivisti, ut super diversis articulis, quos prædictæ tuæ literæ continebant, tibi nostrum beneplacitum exponere curaremus; nos fraternitati tuæ duximus respondendum, quod beneficium absolutionis per quandam religiosam personam Palavicino, & Bosio de Doata, ac etiam Cremonen. illis, qui tunc contra quondam perfidum & impium Ezelinum in exercitu existebant, temere præstitum, cum nullam super hoc potestatem habuerit, & Ecclesiæ formam in aliquo non servarit, fratribus Minoribus & Prædicatoribus prætermissis, per quos juxta ordinationem tuam hujusmodi absolutio debuit provenisse, irritum esse auctoritate nostra decernas, ac illud publice denunties non tenere: proviso quod si prædicti Palavicinus & Bosius redire velint ad mandatum Ecclesiæ reverenter, & in ejus devotione persistere pura fide, ac societatem, seu confœderationem penitus abjurare, quam cum Manfredo quondam principe Tarentino, seu quibuscunque aliis Dei, & Ecclesiæ inimicis damnabiliter inierunt; nec non super iis, pro quibus per sedem Apostolicam excommunicationis vinculo sunt astricti, satisfactionem congruam impertiri, tu eis, recepta prius ab ipsis de iis observandis idonea cautione, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesiæ largiaris: facturus id ipsum circa Cremonenses, & quoscunque alios, aut commu-*

Non rite censuris solutos Palavicinum & socios divulgare jussus.

Si a Manfredo discedant in gratiam admittere.

Pœnas ad expiandum scelus infligendas decernit Pont.

*munitates etiam Lombardiæ, seu Marchiæ Tarvisinæ, quoad excommunicationis & interdicti sententias relaxandas: si tamen ipsi juxta prædictum modum ad mandatum ipsius Ecclesiæ cum debita veliint humilitate redire: circa satisfactionem vero præstandam ab eis cum vix, aut numquam posse provenire credatur, ac etiam super obtinenda idonea cautione, quod ipsi mandatum Ecclesiæ fideliter observabunt; procedas, prout tua discretio melius viderit expedire, diligentiam, quam poteris habiturus, ut ecclesiis & personis ecclesiasticis bonorum immobilium omnino, necnon & mobilium, si qua extant, competens fiat restitutio, quæ prædicti Palavicinus & Bosius, seu communitates olim eisdem ecclesiis & personis indebite abstulerunt.*

VIII. Gesta adversus eccles. libertatem rescindenda.

*Provideas etiam diligenter, quod si qua ipsi juga, vel onera ecclesiis, & personis eisdem imposuerunt hactenus, vel de cætero duxerint imponenda, illorum, & statutorum, ac omnium aliorum fiat amotio, quæ redundant in earum præjudicium, & libertatis ecclesiasticæ detrimentum. De facienda quidem confœderatione, vel societate inter aliquas civitates ecclesiæ Romanæ nomine, cum ipsam talibus non deceat implicari, te nullatenus intromittas. Præterea quia mœrentium consolator Dominus gemitus Ecclesiæ suæ clementer audivit, & lacrymis plurimorum, qui ejus misericordiam super tantis ipsorum angustiis assidue implorabant, finem imposuit affectatum, brachio suæ potentiæ confringendo prædicti cornua Ezelini, crucem amodo non prædices, nec facias prædicari. Votorum etiam redemptiones non exigas, nec facias ab illis exigi, qui olim contra Ezelinum eundem crucis signaculum assumpserunt, quia nos opportuno tempore, prout expediens fuerit, super hoc curabimus providere. Cæterum tuæ circumspectioni committimus, ut in partibus illis maneas, & tuæ legationis officium juxta morem prudenter ac laudabiliter exequaris: dummodo consideratis circumstantiis opportunis fiduciam habeas, quod super iis, quæ honorem contingunt Ecclesiæ, possis Deo proptio prosperari. Si vero tua præsentia ibidem non fuerit fructuosa, licentiam tibi concedimus, quod ad nos duce Domino reventaris. Dat. Anagniæ id. decemb. an. v.*

IX. Papienses Ecclesiæ conciliati.

Paruere nonnulli jussis pontificiis ac fidelium communioni a legato sunt restituti: inter quos Papienses, qui partes Friderici acerrime, dum vixerat, ac postea ejus tyrannidis successorum defenderant, ad Ecclesiam rediere: quos Pontifex a Papiensi episcopo, aliisque præsulibus sacris restitui præcepit (*a*): *Nos illius, qui propter pœnitentiam peccata dissimulans parcendo ac miserando maxime suam omnipotentiam manifestat, in terris vicarii, licet immeriti, constituti; absolutionem quærentes, non vinculum animarum, mandamus quatenus a potestate ac syndico consilii & communis civitatis prædictæ de parendo mandatis nostris, & ipsius Ecclesiæ, publice juramento recepto, quod etiam a procuratoribus prædictis recipi ad firmitatem majorem fecimus; & injuncto eisdem potestati, consilio, & communi vice nostra sub debito præstiti juramenti, quod nulli deinceps contra prædictam Ecclesiam adhærebunt; quodque in Regem vel in Imperatorem Romanorum illum recipient, quem Apostolicæ sedis provisio approbabit, tam potestatem, consilium & commune prædictos, quam omnes alios universos & singulos de districtu civitatis ejusdem a prædictis excommunicationum sententiis per vos, vel per alios auctoritate nostra juxta formam Ecclesiæ absolvatis, ac relaxantes interdictum, cui occasione prædicta civitas & districtus subjacent antedicti, &c. Dat. Anagn. II. kal. maii anno v.*

(*a*) *Ib. ep.* 59.

Papienses Friderici partes damnant.

X. Palavicinus Brixianos sibi subiicit.

At Palavicinus novæ dominationis occupandæ avidus, cum Brixianos morte Ezelini contrariis studiis fluctuantes videret, conciliandæ inter eos amicitiæ specie, in eorum urbem, ac gratiam aliquorum solerter sese insinuavit; atque unius partis studia amplexus, contrariam prostravit, pepulitve, ac urbem in suam potestatem redegit: atque Ezelini improba exempla sectatus, tyrannidem exercere cœpit. Versabatur adhuc in carcere archiepiscopus Ravennas A. S. L. in quem ab Ezelino conjectus fuerat: ipsum vero Palavicinus non modo laxare vinculis, Alexandro suam auctoritatem adhibente, renuit; verum arctiori custodia teneri jussit. Sed legatus egregia arte suspenso e carcere fune sese in terram demisit, atque in paratum equum insiliens, concitatissimo cursu Patavium se proripuit; quæ monachus Patavinus (*b*) fusius narrat.

Tyrannidem exercet in Ravennatem arch.

Qua arte ab arch. recuperata libertas.

(*b*) *Monach. Pad. chr. l.* 3.

XI. Cur Palavicinus Manfredo adhæserit.

Gessisse sane Palavicinum adversus Ecclesiam infensum animum, quamvis in debellando Ezelino strenuam operam navasset, non ex his modo, sed ex Secularum rerum anonymo scriptore constat, (*c*) quem Manfredi partes sectatum esse, atque ab eo præfectum Liguriæ, diserte ait. Cujus verba, quamvis Manfredum summis laudibus efferat, adducenda visa sunt, cum ex iis prudens quisque tyranni ambitionem ac flagitia colligat: *Interea Regem omnibus imperialium sanguinis fastigiis comitatum, & a primis naturæ vestibulis assuefactum desideriis magnis, de remotis partibus honoris & gloriæ cupido solicitat: & dum posset ejus affectibus tam nobilis regni possessio blandiri, & copiosa tantarum rerum opulentia delectari, ad curas negotiorum Italiæ, ubi dignitatis paternæ præfulsit auctoritas, mentis suæ dirigit intellectum.*

(*c*) *In hist. MS. de Manfr. sive Sicula Ricor. hist. Flor. cap.* 163. & 166. & *alii.*

Manfredi ambitio de Italia subigenda.

*Ex-*



*Extendit enim potentiæ suæ robur ad Ligures, dilatat ad Tuscos, & vicinitate suarum virium concutit Marchianos; per diversas namque provincias de antiqua contraria consuetudine cœtus hominum divisi in partes remanserant. In Liguria Ubertus marchio Palavicinus, utique prudens & nobilis, qui propter fidem & servitia sua de imperiali munificentia beneficia multa receperat, & Cæsaris quoad vixit, ac posterorum suorum honorem propterea cordis affectione zelabat. Remanserat in Tuscia; pars Gibellinorum & civitas Senarum præcipue, quæ Gibellinitatis senescens, in fide tunc temporis semper erga Imperatorem & heredes suos in servitiis juvenis & devota manebat.* Manfredi fœderatos Senenses fuisse scribunt Ricordanus (*a*) Malespina, & Joannes Villanus (*b*): quos etiam, utpote hostes Ecclesiæ nonnulla adversus ecclesiastica jura sanxisse ex pontificiis literis constat, quibus Senensis episcopus ea rescindere jussus est. Pergit auctor (*c*): *Erat quoque in Marchia Anconitana partium obstinata dissensio, quæ dum hæc unum, illa vero aliud appetunt, inter se rediviva semper altercatione concertant.*

(*a*) *Ricord. ubi sup.*

(*b*) *Jo. Villan. l.* 6. *c.* 77.

(*c*) *Lib.* 5. *ep.* 88.

XII. Gibellinorum cum Manfredo fœdus.

*Ab istarum itaque regionum partibus cum ob fidem, quam erga Imperatorem habuisse prætendunt, tum ad ultionem injuriarum, quam de hostium depressione concipiunt, Rex Manfredus instanter requiritur, oblatis sibi prænuntiis, eorum antiqua devotio vires auxiliares ipsius Regis ad regionis eorum postulat favorem. Iis autem diversa consilia Regis affectus & successorem se paternæ dilectionis exhibebat: & ne oblatæ sibi victoriæ gloriæ negligenter annuere videretur, ad provincias ipsas vires suas porrexit in subsidia devotorum. Habita itaque deliberatione consilii, marchionem Palavicinum in Lombardia capitaneum statuit, Jordanum de Anglono comitem S. Severini consanguineum suum in Tuscia, Percivallum de Oria affinem & familiarem suum in Marchia generales loco sui vicarios destinavit: deputata eorum cuilibet equitum quantitate non modica, quibus stipendia menstrua providit assidue de ærarii sumptibus eroganda.* Meminere Jordani comitis Senensibus a Manfredo cum octingentis equitibus Germanis submissi Ricordanus (*d*), & Joannes Villanus (*e*). Ut vero Jordanus Florentinos magno prælio deleverit ipsorumque urbem ac plura alia loca in Manfredi tyrannidem redegerit, sequenti anno dicetur.

Duces a Manfredo in Hetruria, Ligur. & Marchia constituti.

(*d*) *Ricord. c.* 166.

(*e*) *Jo. Vill. l.* 6. *c.* 76.

XIII.

Cæterum Manfredum hoc anno, publicis conscriptis actis, anathemate ab Alexandro defixum ob coronam Siciliæ, conficta Conradini morte, arreptam, scribit Parisius (*f*). Nec modo ob tyrannidem, sed ob alia etiam gravissima flagitia, quæ nonnisi longiore oratione percurri possent, consortio fidelium, ac principatus Tarentini jure depulsum narrat Nangius his verbis (*g*): *Eodem tempore Manfredus princeps Tarentinus filius Frederici Imperatoris in concilio Lugdunensi, sicut superius dictum est, damnati ex quadam concubina, sub quadam Conradini nepotis sui morte conficta, in Regem Siciliæ contra mandatum ecclesiæ Romanæ coronari se fecit. Propter quod, & alios actus suos nefarios & graves offensas, quas nimis longum esset hic enarrare, Alexander Papa IV. ipsum, ex causis variis excommunicationis vinculo innodatum, principatu Tarentino & aliis dignitatibus ac honoribus quibuscumque tanquam rebellem & hostem ecclesiæ Romanæ, suorumque jurium invasorem, occupatorem, & detentorem sacrilegum, & tanquam sociatum nefando fœdere Saracenis, eorum complicem, ductorem, & protectorem publicum, auctoritate apostolica privavit.* Hæc auctor: sed a tyranno ab Alexandro merita execratione defixo, ad justum Regem apostolicis privilegiis exornatum sermonem traducamus.

(*f*) *Par. hist. Angl. hoc ann. & Ptol. Luc. l.* 22. *c.* 14.

Districtæ in Manfredum censuræ.

(*g*) *Nang. in gest. S. Lud. hoc ann.*

XIV. Reges Navarræ sacrari regia inunctione obtinent a Pont.

Postularat Navarræ Rex, idemque Campaniæ comes Theobaldus, quo regiam magis auctoritatem stabiliret, si apostolica accessisset, ut qui pro gentis more clypeo efferretur, ac Rex salutaretur, mox inungi & corona redimiri posset. Cujus æquissimas preces Pontifex hoc diplomate admisit (*h*): *Tuis supplicationibus inclinati, ut a Navarrensibus facta elevatione Regis Navarræ, prout moris est, idem sic elevatus, incontinenti, sicut hactenus est obtentum, nomen Regium sortiatur, unctionem & coronationem, quando sibi placuerit, & expedire viderit, recapturus, tibi, & successoribus tuis Regibus Navarræ auctoritate præsentium indulgemus. Datum Anagniæ* IX. *idus februari anno* v.

(*b*) *Lib.* 5. *ep.* 32.

Vetus mos in salutandis Regibus Navarræ.

XV.

Flagitavit etiam Theobaldus, ut si Pampilonensis ecclesia pastore viduata esset, aliove is impedimento implicitus, Regem inungere non posset, catholicæ communionis alium antistitem eligeret, cui conferendæ consecrationis regiæ provinciam demandaret: cujus similiter precibus morem gessit Alexander (*i*) remque ita temperavit, ut ille sibi nullum jus ex eo parere posset: *Meminimus venerabili fratri nostro Pampilonensi episcopo ad supplicationem tuam nostris dedisse literis in mandatis, ut tibi unctionem sacram impenderet, & tuo capiti regium imponeret diadema; ac nihilominus eidem episcopo & successoribus suis ad tuam instantiam ungendi & coronandi auctoritate apostolica te, tuosque successores in devotione Romanæ ecclesiæ persistentes, in Reges, juxta morem, qui conservatur in talibus circa Reges alios ca-*

(*i*) *Ep.* 49.

Pampilonensis ep. privil. in Rege Navarr. inungendo.

*catholicos, & sicut canonica instituta edocent, liberam per nostras concessisse literas facultatem. Verum quia si contingeret ecclesiam Pampilonensem vacare propter vacationem ipsius, & alias etiam possent circa te, ac successores tuos unctio & coronatio hujusmodi retardari, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi & eisdem successoribus tuis paterna solicitudine curaremus. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut tu, & charissima in Christo filia nostra illustris, Regina Navarræ, Campaniæ, & Briæ comitissa Palatina uxor tua, & successores tui, ac uxores eorum Reginæ Navarræ, in devotione sedis Apostolicæ persistentes, tempore vacationis ejusdem Pampilonensis ecclesiæ, aut si Pampilonensem episcopum, qui pro tempore fuerit, adeo in remotis agere contigerit, quod nequeat interesse, vel si forte ad diem ad hoc præfixam te, vel dictos successores tuos, aut tuam & ipsorum uxores ungere & coronare noluerit, vel nequiverit, unctionem & coronationem a quocunque malueritis catholico episcopo, gratiam & communionem ejusdem sedis habentem, secundum prædictum morem recipere valeatis. Nolumus tamen quod ecclesiæ illius episcopi, a quo tu, vel successores tui, aut uxores prædictæ præmissa receperitis, per hoc jus aliquod acquiratur, aut eidem Pampilonensi ecclesiæ præjudicium generetur. Dat. Anagniæ id. februarii anno* v. De eadem re Pampilonensem episcopum fecit (*a*) certiorem: qui cum nonnullas concordiæ leges cum Rege inivisset, quæ ecclesiæ illius jura imminuere ac labefactare videbantur, Alexander irritas esse jussit (*b*).

Alter eo impedito adhiberi a Rege potest.

(*a*) *Ib. ep.* 50.

(*b*) *Ep.* 287.

XVI. Igniacensis ecclesia ab Reg. Navarr. condita.

Cum vero Theobaldus sacrum Deo templum regia magnificentia apud Igniacum in Suessionensi diœcesi excitare decrevisset, Pontifex ad rependendam benemerito de Ecclesia gratiam jus patronatus est impertitus (*c*). Colebat etiam literas omnibus laudibus princeps cumulatissimus, utque noverat regna ad novum decus assurgere, in quibus studia efflorescerent, nova academia Navarram decorare studuit, eamque Tutelæ excitare decrevit: cumque regium consilium Pontifici significasset, utque pro apostolica magnificentia egregio aliquo privilegio exornaret, concessit Alexander (*d*), ut qui in eadem academia literis darent operam, integris sacerdotiorum vectigalibus, ut qui Parisiis ad studia incumbebant, potirentur.

(*c*) *Ep.* 37.

(*d*) *Ep.* 317.

*Illustri Regi Navarræ.*

*Etsi multa interdum concurrant in principe, quæ gratum & amabilem ipsum reddant, ex aliquo tamen eorum, quod acceptius est & pulchrius, gratior ipse ac carior reputatur. Nam nonnumquam profecto evenit, quod in una eademque persona quamplura digna laude conspicimus, & tamen propter unum ex illis potissime quod clarius in ipsa relucet, digniorem & pretiosiorem eam merito existimamus. Licet igitur altitudo generis, morum claritas, perspicuitas prudentiæ, ac alia etiam inclyta simul in te fili conveniant, tuamque adolescentiam acceptam plurimum constituant & dilectam; & nos propter hujusmodi gratiarum dona, quibus te Rex regum, & Dominus dominantium decoravit, affectum ad te conceperimus specialem; & ex ipsis quasi quibusdam placidis illectivis ad tua commoda efficaciter inducamur; est tamen inter hæc aliquid singulare, quod mentem nostram fortiter attrahit, & vehementer ad tui amorem intima nostri cordis accendit, videlicet quod in florentissima ætate tua juveniles a te motus prorsus abiiciens, teque virum perfectum mente componens, illis intendis operibus, illisque vacas virtutibus, quibus in oculis divinæ complaceas majestatis, nobis reddaris amabilis, & non solum subditis tuis, verum etiam aliis fructuosus, & utilis habearis. Quamquam enim virtus Cæsaribus provenire consueverit ante diem, sic tamen in te diem hujusmodi anticipasse videtur, quod nobis in admirationem vertitur, & aliis etiam in stuporem.*

Regis Navarræ insignis commendatio.

XVII.

*Hinc procedit fili carissime, quod animus tuus prudentum & sapientum virorum consortio specialiter delectatur. Hinc provenit, quod ad regnum tuum liberales philosophiæ artes, quibus humana eruduntur ingenia, liberaliter & libenter invitas. Hinc quoque contingit, quod ad regnum ipsum amœnissimum Heliconis fontem totis affectibus, cunctisque studiis desideras derivari, ut de liquore ipsius iidem subditi, ac alii quicunque dulcia sumant, & hauriant pocula, per quæ arida eorum fœcundentur corda, & sitibunda reficiantur pectora copiose. Sane ex parte tua fuit nobis cum instantia postulatum, ut cum tu in castro tuo de Tutela Tyrasonensis diœcesis, quod inter alia loca regni ejusdem locus est, ut asseritur, titulo nobilitatis insignis, fidei puritate præpollens, rerum affluentia locuples, & ipso suo situ communis, & habilis universis, studium ordinari desideres generale, ac cathedras erigi magistrales, ad commune omnium ad castrum ipsum causa studendi venire, ac morari volentium commodum & profectum, apostolicum adhibere * favorem. Nos igitur tuam laudabilem in hac parte intentionem, tuumque pium votum diligentius attendentes, ac te propter virtutes multiplices, quæ tibi cum ætate concrescunt, omni dignum gratia reputantes; tuisque favorabilibus super hoc petitionibus benevolo concurrentes assensu, universis studen-*

Egregium ipsius erga rem literariam studium.

Academia Tutelæ a Theobaldo erecta.

* Vellemus.



*dentibus in scholis apud castrum prædictum de fratrum nostrorum consilio auctoritate præsentium indulgemus, ut omnes proventus suos ecclesiasticos cum ea integritate percipere valeant, cum qua illos percipiunt ii qui in Parisiensi civitate scholasticis disciplinis insistunt. Nulli &c. Dat. Anagniæ* VIII. *id. maii anno* v.

Prærogativæ a Pontifice in ea operam literis dantibus concessæ.

XVIII. De percutienda justi ponderis moneta.

Adstrinxerat solemni sacramento fidem Catalanis Jacobus Aragoniæ Rex, nunquam, se, filiumve Petrum monetæ pretium ac pondus immutaturum, quippe non leve damnum populis, si qua in eo fraus committeretur, illatum iri timebatur. Cui jusjurando Pontifex rogatus ut majus robur obtineret, apostolicam addidit (*a*) auctoritatem: *Habent in vobis charissimus in Christo filius noster Aragonum Rex illustris, & dilectus filius nobilis vir Petrus natus ejus comes Barchinonensis, ut votis eorum favorabiliter annuamus. Sane fuit ex parte ipsorum propositum coram nobis, quod de consensu baronum, & totius populi Cataloniæ promiserunt, ac se obligarunt, per suas patentes literas super hoc præstito juramento, quod ipsi ac heredes eorum monetam, quam iidem Rex & comes tunc faciebant, & nunc etiam cudi faciunt, non mutabunt in perpetuum, sed hujusmodi monetam, & non aliam cudi facient ejusdem ponderis & valoris. Nos itaque ipsorum Regis, & comitis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab ipsis factum est, ratum & firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Dat. Anagniæ* III. *id. februarii anno* v. Hactenus Alexander: qui etiam episcoparum Segobricensem e Saracenorum manibus Christianorum armis vindicatum cum episcopatu S. Mariæ, dato ad utriusque ecclesiæ episcopum diplomate conjunxit. Præter hæc diplomata extat aliud in regesto pontificio hujus anni ad Alphonsum Castellæ ac Legionis Regem III. idus februar. datum, quo, ut alias legisse memini, ad cujus gratiam sanxit, ut nullus sedis Apostolicæ legatus sine Pontificis singulari auctoritate, eaque expressis concepta verbis in ipsum, uxorem, filios, ministrosve anathematis possit sententiam ferre: similique prærogativa Flandriæ comitissam, dum in viduitate permanebat, decoravit (*b*), ejusque jura defendi (*c*), atque ab improborum audacia vindicari jussit.

(*a*) *Ib. ep.* 95.

Episcopatus conjuncti.

Data Regi Castellæ prærogativa.

(*b*) *Ep.* 140.

(*c*) *Reg. post cand. ep.*

XIX. Waldemarus Rex Sueciæ neptem uxorem ducit.

Waldemarum quoque Sueciæ Regem beneficiis apostolicis complexus, permisit ut Sophiam neptem suam tertio consanguinitatis gradu conjunctam uxorem duceret, suaque auctoritate, quæ obstabant sacrorum canonum impedimenta, datis ad Upsalensem archiepiscopum aliosque præsules literis amovit, (*d*) cum ex eo matrimonio non levis in populos ac rem Christianam utilitas redundare videretur: *Ex parte charissimorum in Christo filiorum nostrorum Vvaldemari Sueciæ, ac Christophori Daciæ Regum illustrium fuit nobis humiliter supplicatum, ut eidem Regi Sueciæ ac nobili mulieri Sophiæ nepti ejusdem Regis Daciæ contrahendi matrimonium ad invicem, & consummandi contractum, ac in eo licite remanendi, non obstante, quod iidem tertia consanguinitatis linea sunt conjuncti, licentiam de benignitate sedis Apost. largiremur. Licet igitur conjugalis contractum copulæ inter tales fieri canones interdicant, & raro vel numquam, nisi ex magnæ utilitatis & necessitatis causa, sedes Apost. consueverit impedimentum hujusmodi per dispensationis gratiam submovere; quia tamen certa ratio, propter quam sedis ejusdem clementia potest honeste ad prædictam inclinari gratiam, fuit proposita coram nobis; præsertim quia, cum pagani regnum Sueciæ, cui vicini existunt, incessanter impugnent, villas & ecclesias ejusdem regni destruendo, & cremando ignis incendio, ac ipsius incolas crudeliter perimendo, per confœderationem ipsorum Regum atque regnorum suorum per hujusmodi matrimonium faciendam eorumdem paganorum insultibus melius & salubrius poterit obviari;* & infra, *eisdem auctoritate nostra petitam concedatis licentiam, cum ipsis super impedimento consanguinitatis hujusmodi dispensando. Dat. Anagniæ kal. martii anno* v.

(*d*) *Ep.* 74.

Solutæ ad illius gratiam canonicæ leges.

Obiecta inde spes tuend. in Septentr. fidei.

XX.

Sopita eo matrimonio bella gravissima, quæ Suecorum Danorumque arma exercuerant, refert Magnus in Gothorum historia, (*e*) Sconingiamque multo cruore utrimque fuso disceptatam dotis nomine Sophiæ Reginæ Erici Regis Danorum filiæ, & Christophori sorori attributam, ac perfectis iis nuptiis Birgerum regiæ Gothicæ procuratorem ad temperandam optimis legibus rempublicam applicuisse animum, ac Stocholmiam in agro aquis salubribus perfuso ad mare Balthicum condidisse, ac propugnaculis firmissimis communiisse, ut barbarorum irruptiones reprimeret; atque ita in posterum Moscovitas, Russos, Tavestios, qui eo portu in Sueciam penetrare ac vastare consueverant, regnum excursionibus hujusmodi infestare non ausos: tum in eam amplitudinem & magnificentiam effloruisse Stocholmiam, ut in ipsa Sueci Reges sedem collocaverint. Atque de iis hactenus.

(*e*) *Magn. l.* 19. *c.* 18. Schoningia dotis nomine attributa.

Stocholmia a Birgero condita.

Coercitæ inde barbarorum irruptiones.

XXI. Restituendis collapsis moribus oper. dat Pontif.

Hoc anno Pontifex restituendæ ecclesiasticæ disciplinæ zelo, cum veteris sanctitatis pulchritudo emarcesceret in clero catholico, encyclicis literis archiepiscopos & episcopos officii admonuit, (*f*) proposita ob oculos ipsorum dignitate, qua cæteris eminebant, ut saluti commissi gregis diligentissime invigilarent: incussit-

(*f*) *Lib.* 5. *ep.* 87.

ſiſque divini judicii terrorem, cum tot pereuntium animarum ſtragem, effuſique ſui ſanguinis pretium diſſipatum ab ipſis Chriſtus Dominus repetiturus eſſet, acerrimos ſtimulos admovit, ut fœdiſſima ſcandala e ſuis eccleſiis amoverent, ne paterentur clericos, qui in concubinatus cœno volutabantur, publici ſceleris exemplum in populos transfundere: eam eſſe omnium malorum originem, eum funeſtum tot cladium fontem, quæ in Eccleſiam redundarent. Quo vero majori auctoritate inſtructi impudicos percellere, atque ad officium revocare poſſent, præcepit, ut omni provocatione ad ſedem Apoſtolicam abjecta, in eos eccleſiaſticarum legum ſeveritatem expedirent.

*Archiepiſcopo Rothomagenſi, eiuſque ſuffraganeis, nec non dilectis filiis abbatibus, aliiſque eccleſiarum prælatis ordinariam in ſubditos obtinentibus poteſtatem, per Rothomagenſem provinciam conſtitutis tam exemptis quam non exemptis.*

XXII. Præſules officii monet.

*Si vere, quod dicimur, paſtores ovium Chriſti ſumus, non impavide ferre poſſumus terribiliter intonantia noſtris ſenſibus contra paſtoralis curæ negligentiam ſacrarum oracula ſcripturarum, quæ detrimenta dominici gregis in præſidentium deſidiam retorquentes, minaciter inclamant pereuntium ſanguinem de præpoſitorum manibus exigendum. Quis noſtrum non contremiſcat & paveat, dicente ad paſtores gregis ſui Domino per prophetam: Vos diſperſiſtis gregem meum: ejeciſtis & non viſitaſtis eos. Ecce ego viſitabo ſuper vos veſtrorum malitiam ſtudiorum. Pavet utique ad hos increpationis, interminationiſque divinæ ſermones idem ipſe propheta, dum dicit: A facie Domini & a facie ſanctorum verborum ejus conturbatum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea. O formidoloſa ſpeculatorum, quos populo ſuo diſpenſatio divina præpoſuit, & periculoſa conditio, ſi perfunctorie res agatur: ſi eo modo in ſolicitudine commiſſa non militent, quo ſummus præcipit Imperator: ſi ſibi & univerſo gregi, cui Deus eos cuſtodes & epiſcopos conſtituit, non attendant. Iis præcipue horrendum erit illud humanorum operum finale judicium, omnibus in commune tremendum, in quo etſi unuſquiſque de proprii corporis actionibus diſtricto ſit ſubiiciendus examini, ut recipiat, prout geſſit; nobis tamen, quibus populi cura commiſſa eſt, non ſufficiet propria innocentia ſine cumulo juſtitiæ ſubditorum, quando negligentis miniſtri pigritiam perſequens auſterus injunctæ ſervitutis exactor, delicta plebis impinget reatui prælatorum. Si enim qui de unico talento ſibi credito ſacri fœnoris non reportabit augmentum, tamquam inutilis ſervus, & piger juſtæ damnationis periculum ſuſtinebit, quam durum, putatis, judicium fiet*

Muneris iis a Deo impoſiti magnitudo.

*illis, qui commiſſum ſibi pluralem numerum viventium talentorum non ſolum integrum neglexerint reddere creditori, verumetiam in illa diſtrictione probabitur damnum Domino ſuo in bonis, quæ ab illo multiplicanda ſuſceperat, intuliſſe?*

XXIII. Ad promovendam animarum ſalutem ipſos excitat.

*Propterea fratres & filii, qui faſces pontificalis officii & eccleſiaſtici miniſterii ſubeundo, defixiſtis pro animabus creditis apud extraneum manus veſtras, feſtinate quæſumus liberari ab illo, qui ſupremus eſt actor & judex, nullum nobis de allegationis nitore præſidium relicturus: diſcurrite, nec ceſſetis, ne fiant animæ veſtræ pro illis, quos in cuſtodiam ſub tanto vadimonio ſuſcepiſtis. Excitet vos ſummi paſtoris amor, qui vos paſcendis rationalibus ovibus dedicavit. Exterreat corda veſtra, & torporis ſomnum repellat ab oculis metus periculi: eis procul dubio, qui ſupra greges ſuos vigiles non obſervant, excubias, imminentis. Sed ecce lethalis incuriæ ſopor paſtoralis curæ vigilantiam, quod gementes dicimus, oppreſſiſſe videtur in plurimis, prout teſtatur nimia de pleriſque regionibus clamans Chriſtiani populi corruptela, quæ cum deberet ſacerdotalis antidoti curari remedio, proh dolor! potius ex malorum contagio procedit a clero, ita ut alicubi verum ſit, quod prophetica querela teſtatur: Factus eſt, inquiens, ſicut populus, ſic ſacerdos. Malitia namque dierum labentium, quæ cum tempore corrupit & mores, dante quamplurimis ex impunitatis audacia ſemper in deteriora proclivem infrænis licentiæ libertatem, nonnulli clerici, præcipiti lubricæ voluptatis arbitrio laxas committentes habenas, poſt carnis ſuæ concupiſcentias abjerunt, & relegata pene penitus a converſatione vitæ ſuæ clericalis munditiæ honeſtate, tenent in conſpectu etiam populi concubinas, cum quibus impudicæ frontis irreverentiam induentes, fœdas manus & fœtidas, quas ſordidis libidinoſæ coinquinationis fœcibus immerſerunt, non erubeſcunt, in ſuum periculum & ruinam populi ſacris miniſteriis immiſcere, a quibus ob publici concubinatus infamiam, quæ nulla poteſt tergiverſatione celari, ſecundum ſcita canonum tam quoad ſe, quam quoad alios ſunt ſuſpenſi: & nequis talium Miſſas audire præſumat, arctius in eorum contemptum canonicæ auctoritatis conſtitutio interdicit.*

Cleri fordes exponit.

XXIV. Quanta ſacerdotes concubinarii invehant mala.

*Per tales maxime nomen Domini blaſphematur in terris: per tales derogatur ſacramentis fidei orthodoxæ, cum vaſa Domini pollutis eorum contactibus profanantur: per tales perit erga religionem catholicam devotio reverentiæ Chriſtianæ: per tales decipitur populus in divinis, & eccleſiaſtica ſubſtantia diſſipatur. Hinc detrahitur verbo Dei, dum immundis talium labiis nunciatur: hinc hæretici muſſitant, & inſultant: hinc tyranni ſæviunt: hinc perfidi per*



Qui præſules iiſdem fordibus ſe inficiant.

*perſequuntur: hinc graſſantur audacius in Chriſti patrimonio ſacrilegi exactores, a quibus, proh pudor! ob hujuſmodi carnes putridas, quas diſciplinalis mucro non reſecat, ſicut debet, ſincerum catholicæ matris corpus in oſtentum ducitur & contemptum. Profecto patres, qui hujuſmodi filios ſub diſſimulationis conniventia fovent impune, etiam ſi cum Heli ſacerdote ſint boni forſitan in ſe ipſis, merito pro conſimilis negligentiæ malo repentina paris interitus ruina deiiceret de ſella retrorſum. Eccleſiæ quoque principes, qui zelo Finees * ardeant, non feruntur in tales, ſine cauſa videntur portare gladium poteſtatis, quem ad vindictam malorum, laudemve bonorum deſuper acceperunt.*

* ardentes

XXV. Divini judicii terror iis incutitur.

*Nos igitur cupientes tantum malum de medio Eccleſiæ, tantumque ſcandalum ab oculis fidelium removere, univerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta in virtute obedientiæ injungentes, ac vos ſingulos ſub obteſtatione tam judicii ſingularis, quo quiſque citatur ad Dominum de corpore mortis hujuſmodi, quam judicii generalis, in quo univerſi ſtabimus ante tribunal æterni Judicis, obſecrantes, quatenus in vobiſmetipſis expreſſius curetis oſtendere quam pie ad Deum, quam ſancte ad ſeipſos, quam juſte ad proximos oporteat cæteros in Dei Eccleſia converſari. Totius namque familiæ ſtatus & ordo vacillat, ſi quod requiritur in membris, in eorum capite non habetur: & in ejus ore adverſus peccantes neceſſe eſt redargutionis objurgatio conticeſcat, qui admittere cognoſcitur arguenda. Qua enim fronte fieri quis poterit morbi curator, dum languore conſimili detinetur? aut ſator virtutum, dum ſectator oſtenditur vitiorum?*

XXVI. Diſtringenda in reos eccleſiaſtica ſeveritas.

*Ad inquirendos autem, ac puniendos ſubditorum veſtrorum exceſſus, & maxime incontinentiæ fœditates in clericis, præſertim concubinariis manifeſtis, qui odorem fœtere faciunt domus Dei, tanto ferventius aſſurgatis, quanto damnabilius præteriretis eorum contagia incorrecta. Verum ut adverſus concubinarios hujuſmodi officii noſtri debitum, tam auctoritate noſtra, quam veſtra, liberius exequi valeatis, nos prædeceſſorum noſtrorum attendentes veſtigia, & plenius exprimentes, ſuper hoc proceſſus veſtros per appellationis objectum nolumus aliquatenus impediri. Si vero hujuſmodi concubinarii, quorum culpas contigerit canonica diſtrictione feriri, ſuper appellatione, aut abſolutione, vel reſtitutione ſua, literas apoſtolicas reportarint, illas, niſi forſitan in eis appellationis, aut excommunicationis, ſeu amotionis ſuæ hujuſmodi cauſam expreſſerint manifeſte, decernimus nullius eſſe momenti, ſed eis vel proceſſibus per eas habitis nequaquam obſtantibus, cenſura veſtræ animadverſionis in tales inviolabilem obtineat, firmitatem. Preces autem, monita, mandata, & præcepta noſtra ſuper his taliter implere curetis, quod converſationis honeſtas in clero, & devotionis antiquæ ſinceritas in populo per ſolicitudinis veſtræ diligentiam reformentur: cumque Princeps paſtorum advenerit, ab unoquoque noſtrum, fructum injuncti negocii quæſiturus, coram ipſo appareatis intrepidi, & dignam ſibi poſſitis villicationis veſtræ reddere rationem. Volumus autem atque præcipimus, ut tu frater archiepiſcope ſuffraganeis tuis, & aliis prælatis tuæ provinciæ, has literas ſine moræ diſpendio facias præſentari, ut ſuper præmiſſis præceptum noſtrum exacta diligentia exequantur. Dat. id. februarii pontific. noſtr. anno v.*

Conjecit has literas (*a*) Stero in annum MCCLX. quas ex adſcripta die in hunc annum referendas exploratum eſt: quaſque cum Salisburgenſi epiſcopo datas ſcribat, univerſos præſules ad reſtituendos collapſos in clero mores zelum explicare juſſos colligitur.

(a) Henr. Ster. in chr.

XXVII. Correpti Pariſienſes academici.

Gravioribus quoque literis Pariſienſis academiæ doctores perſtrinxit, Guillelmum e S. Amore pravarum opinionum erroribus infectum admiſiſſe, eique ſtudia ſua impendiſſe; unde graves in religioſos viros inimicitias ab eo ſubornati plures ſuſceperant, atque exercebant: quaſi enim academiæ cauſa, non ob ſcelera ſua fuiſſet cenſura apoſtolica percuſſus, ad redintegrandam illius dignitatem ſeſe adſtrinxerant: jam enim ſacerdotiis exutus fuerat, ac doctorum albo Pontificis auctoritate eraſus, de quo priſtinis honoribus reſtituendo cum libellum ſupplicem porrigerent academici, Pontifex pervicaciam hominis, qui nondum errorem ejuraſſet, objecit: rite tamen crimen expianti veniam eſt pollicitus (*b*).

(b) Ep. 152.

*Magiſtris, & ſcholaribus Pariſienſibus.*

*Inter alia, quæ olim pro univerſitatis, & diſciplinæ veſtræ profectu ſalubriter ordinanda proſpeximus, quod religioſi viri, præſertim fratres Prædicatores & Minores degentes Pariſiis, qui ſicut merito religionis, & vitæ decora membra univerſalis Eccleſiæ ſunt cenſendi, ſic eodem merito, & participatione doctrinæ, atque ſcientiæ univerſitatis veſtræ debent pars non incongrua, nec indigna videri; ejuſdem univerſitatis tam conſortio, quam beneficio gauderent in omnibus, ſub certa forma duximus ſtatuendum. Sed licet non forſan in omnibus, in plurimis tamen, animoſæ voluntatis arbitrio rationabilis æquitatis evertente, judicium aliqui contra ordinationem noſtram, cui voluntariæ approbationis aſſenſus, & promptæ obeditionis obſequium debebatur, præſumptuoſum rebellionis levavere calcaneum aliqui mandatorum noſtrorum vim, & poteſtatem in-*

*geniosis udinventionibus vacuantes, superficialiter sic nostris detulere sermonibus, quod verius illusisse probantur. Cum enim juxta ordinationem eandem prædictos fratres teneamini a vestro non separare consortio, quis non videat manifeste delusionis commentum, quod separando vos ab ipsis, prohibitam separationis pœnam eis infligitis indirecte, contra positam vobis ejusdem ordinationis legem communem privatis fraudibus rectissime moliendo?*

Ut imperia Apostolica tentarint deludere.

XXVIII. *Pro Guillelmo præterea de S. Amore, quem a communione vestra prorsus extraneum notissima culpa fecit, ad pristinum universitatis vestræ revocando consortium, conventum fieri, vel haberi tractatum, ne sopiti scandali rediret occasio, Apostolicæ sedis auctoritas interdixit: nihilominus autem quia nostis eosdem fratres propter transgressionis culpam, & prolatæ animadversionis pœnam, quas religioso timore devitant, nec posse nec velle, ubi habentur de prædicta revocatione tractatus, convenire vobiscum, quoties pro quibuslibet universitatis negotiis convenitis, hujusmodi tractatus reducitur, quo eisdem fratribus illicitum fiat vestris congregationibus interesse, in quo utique facto sagittæ nocere paratæ, quæ perverse mittuntur in alios, in spirituales plagas mittentium convertuntur. Caveant ergo sibi, qui tales struere non verentur insidias, ne dum aliis tendiculas * receptionis obiiciunt, ipsi in propositos sibi a nobis laqueos excommunicationis aliarumque sententiarum inciderint, a quibus nequibunt, cum voluerint, de facili expediri. Mirum si considerationis vestræ docta prudentia dignum venia judicet prædicti Guillelmi grave peccatum, quod nec confessionis humilitas, nec pœnitentiæ satisfactio, nec conveniens pœnitudinis indicium mitigavit: præsumptionis enim ejus audacia publicavit longe lateque se ipsam, eamque non tam condignæ, quam misericordis animadversionis ultio prædicavit: quod videlicet in perniciosam universitatis vestræ scissuram, & dissolutionem studii salutaris non est veritus ponere os in cœlum contra sedis Apostolicæ potestatem, adversus auctoritatem Pontificum, contra ministeria sacerdotum contra statum, & profectum religiosorum virorum, maxime Prædicatorum & Minorum, quorum sacra plantatio sanctam fœcundat, & venustat Ecclesiam, reprobe dogmatizans, & quantum in ipso fuit, disseminans in Ecclesia unitatis nefandi schismatis pestem, famosum infamemque conscribendo libellum, ne in ventum cederent contumeliosa, & damnabilia verba sua.*

* deceptionis.

Obiicitur Guillelmum e S. Amore molitum schisma inducere.

XXIX. *Porro quamvis eundem libellum in favillam, & cinerem ecclesia Romana damnaverit spiritu oris sui, ostendens hoc ipso quæ stipendia deberentur auctori, ipse tamen nec apud sedem Apostolicam, nec postmodum alibi constitutus suum super eodem libello, quem se composuisse non abnuit, humiliter confiteri curavit, & emendare commissum: sed in sua rigidus pervicacia eos, quorum animos incitare non desinit, temeritatis propriæ incentivo secum trahit in pertinacis, ut accepimus, obstinationis abyssum. Hæc quippe non est illa, quæ desursum venit, sapientia pudica, pacifica, & modesta, pro qua capessenda peregrinari, patriis relictis sedibus, elegistis: pro qua constituistis scholasticis vos exercere sudoribus: pro qua decreviistis nocturnis lucubrationibus fatigari: quam utique nemo pertingit, qui fuerit sapientiæ terrenæ, quæ animalis est, & maligna ac sanæ doctrinæ opposita, studiosus; hæc nempe carnalium, est deorsum emergens prudentia, qua secundum hominem ambulantes zelo & contentione rixantur, ac sibimet propter concupiscentiam, quæ in eorum membris militat, inquieti pacem ad Deum & proximos nescierunt.* Et infra: *Præfatus vero Guillelmus, pro quo per memoratos nuncios supplicastis, si convenientia humilitatis & pœnitentiæ signa monstraverit, per quæ appareat a via suæ pravitatis conversus, poterit Apostolicæ sedis non solum misericordiam, sed & gratiam promereri, &c. Addit paterna monita ut remotis jurgiis pacem colant, ac Dominicanos, & Minoritas infestare caveant. Dat. Anagniæ v. id. julii an. v.*

Si eum flagitii pœnituerit misericordia sedem Apost. usuram.

Præterea episcopo Parisiensi præcepit, (*a*) ut magistris illis significaret, ipsos contentas pontificiis sanctionibus pœnas incursuros, si vel religiosos suo consortio amovere, vel se ab eorum societate, quod in idem recideret, subducere affectarent: academiæ vero Parisiensi denuntiaret, eos sententia anathematis defixum iri, si commercium aliquod cum Guillelmo e S. Amore inirent, ac literas ab ipso privatim, aut publice exciperent, mitterentve, ne discordiarum nova fax animis iniiceretur.

(*a*) *Ib. ep. 197. ext. ap VVad. hoc ann. n. 6.*

Intentatæ censuræ.

Egregiam vero commendationem, qua celeberrimam academiam ornavit Pontifex ipso literarum exordio, silere non possumus. *Ex alto fuisse conspicimus civitati Parisiensi provisum, quod honorificata decore studii generalis & tantorum universitate scholarium illustrata præluceat orbis civitatibus, orbemque lucidum reddiderit sui luminis claritate: ipsa quidem universitas fons irriguus consuevit esse virtutum, universale speculum, mater studere volentium, & magistra scientiarum, ad singulos dona derivans, cunctosque illustribus radiis doctrinarum clarificans, &c.*

Parisiensis academiæ elogium.

XXX. Cæterum cum Guillelmus e S. Amore calumnias plures in viros religiosos mendicantes diffudisset, adeo ut ipsorum fama apud plures, qui virus hauserant, labo-

Adhibita contra Guill. e S. Amore libros remedia.



laboraret universis præsulibus literas dare se asseruit Alexander, ut sinistras eas opiniones pro concionibus sacris e populorum animis detergerent, atque etiam auctoris aculeatum librum, aliosque recenter editos, quibus religiosorum fama lacerabatur, ac pietas adducebatur in odium, intentato censurarum ecclesiasticarum terrore ab iis, qui eos servarent, exhiberi, ac publice flammis damnari jussit. Apparitorem etiam academiæ, qui sacram concionem habente S. Thoma Aquinate (*a*) libellum a Parisiensi episc. damnatum, calumniisque in religiosos viros consarcinatum promulgare ausus fuerat, percelli anathemate, suoque munere deturbari imperavit, regiamque in iis exequendis, si opus foret, auctoritatem adhiberi. Hæc fuere Pontificis ad capiendas vulpeculas, quæ vineam Domini demoliri nituntur, studia. Nunc de aliis gravioribus curis ad arcendos feros apros, qui eandem depasci, & evastare minitabantur, disseramus.

(*a*) *Ead. ep. 197.*

XXXI. Tartari occidentem sibi subiicere meditantur.

Impendebat occidenti Tartarici furoris terror, atque impetu toto in Ungariam irrumpere, & ad alias orbis Christiani provincias populandas penetrare apparabat. Quo vero Tartarus superbis sævissimisque consiliis viam muniret, missis ad Belam Ungariæ Regem oratoribus, illius gratiam colligere, ac sibi arctissimo fœderis vinculo illum devincire conatus est, ut ejus nimirum opera ad subiiciendum imperio suo reliquum Christianum orbem uteretur. Proposuit ergo optionem, ut vel filio suo Tartarorum Regis filiam uxorem acciperet, vel filiam suam ipsius filio conjugem desponderet: eoque sancito fœdere cum fortissimo Ungarorum exercitu Tartaris sese conjungeret, præiretque ad Christianos excindendos, ac demum quintam spoliorum partem, quæ de hostibus referrentur, recepturum: & ni oblatæ amicitiæ leges acciperet, crudelissimi belli terrorem incussit. Perfusus metu Bela, qui Tartarorum excursione præterita tot malis obrutus fuerat, ad Alexandrum oratores misit, propositaque imminentis mali formidine, obsecravit, ut promptissimum auxilium expediret laboranti Ungariæ. Et de Gregorio IX. questus est Ungariam in alia Tartarorum irruptione deseruisse, se quidem facile posse ab imminenti periculo evolare, ac procellæ minitanti subducere, si oblatas a Tartaro pacis & amicitiæ leges admitteret.

Belam Regem Ungariæ sibi tentant adjungere.

XXXII. Pontificiæ pro Ungaro confirmando curæ.

Acceptis tristibus nuntiis Alexander, Gregorium prædecessorem excusavit (*b*), si Fridericiano bello implicitus, ac rerum mole obrutus opem non explicuisset: adeo repentino impetu hostem irrupisse, ut prius illata clades fuisset, quam illius acceptæ fama pervenire potuisset. Tum quod ad leges fœderis propositas attineret; fœdissimas illas atque adeo funestas, ut sola cogitatione horrorem animo offundant: præterea si eas admittere in animum induceret, in ancipiti versari discrimine, an crudelis & infidus barbarus eas esset servaturus: hortatus denique est, ut impium fœdus generose respueret: spem suam in Deo, cujus causa ageretur, collocaret: non defuturum illi cœlitus auxilium: atque universum orbem Christianum ad propulsandum commune periculum vires suas conjuncturum, sedemque Apostolicam tot Reges fortissimos, regnaque florentissima ad arcendum Tartarum excitaturam. Querelas quoque alias objecerat Bela, quas Alexander fregit, omnemque illarum suspicionem subjectis literis, ad Belam ipsum datis, amovit.

(*b*) *Ibid. ep. 191.*

*Regi Ungariæ illustri.*

XXXIII. Ungarorum erga sedem Apost. studium eximium.

*Cum inter alia regna mundi, quæ fidei obediunt Christianæ, regnum tuum sincera in Deum, & sanctam ejus Ecclesiam devotione claruerit, sicut laudabilium operum testimonia libro illabilis commendata memoriæ manifestant, quibus utique progenitorum tuorum, & tua tempora in monimentum sæculorum succedentium decorantur; nescimus, quæ ratio cogitationi tuæ suadere potuerit, maternum Apostolicæ sedis affectum, quo in ipsius visceribus specialiter contineris, unquam in tuis necessitatibus voluntarie tepuisse. Præterea illa pupugit querela cor nostrum, quam literarum tuarum, & porrectarum nobis per dilectum filium magistrum Paulum præpositum ecclesiæ capellanum nostrum nuncium tuum, virum utique literatum, providum, & prudentem, ex parte tua petitionum præfatio continebat: licet credamus eam non ex jactura læsi animi, sed ex libertate filialis confidentiæ processisse.*

Abstergit Pontifex conceptas sinistras suspiciones ex animo Regis.

XXXIV. *Habebat namque præfationis continentia memoratæ, quod licet olim regno tuo sæva Tartarorum rabie lacessito, tu, ut populi tui reliquiæ salvæ forent, a felicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro contra eosdem Tartaros per venerabilem fratrem nostrum scilicet tunc Vvaciensem, nunc Penestrinum episcopum auxilium postularis, idem prædecessor quasi tuæ, ac patrum tuorum claræ devotionis oblitus, stragi populi tui etiam verbo compati noluit, nedum facto; quod credibile sibi videri non debuit de patre pleno visceribus pietatis, maxime, cum compertæ tibi tunc veritatis testimonium refragetur. Et quamvis post obitum ejus Apostolica sede vacante S. R. E. Cardinales tibi consolatoria, ut dicis, promissa transmiserint, quod eadem sedes postquam ei foret divinitus de Christiani populi pastore provisum, ad profligandas de tuis finibus nationes infestas opportunam solicitudinem adhiberet, tibi tamen, etiam post-*

Regis Ungari de Gregorio Papa querelæ.

*postquam Deus Ecclesiam suam de summo Pontifice ordinavit, ex spe data res aliqua non provenit: quin potius inde addita est afflictis afflictio, & mœstitia luctuosis, unde relevationis consolatio sperabatur. Postulans ergo tibi contra ingruentes eorumdem Tartarorum insultus nunc saltem Ecclesiæ consiliis, & auxiliis subveniri, expressisti, sicut placuit, quod ipsa in priori discrimine te deseruit, & contempsit.*

Ungarus contra Tartaros auxilium flagitat.

XXXV. *Si profecto, non dijudicans casus & tempora, censes indignum, quod prædicta sedes tibi tunc pro voto non affuit, & exinde dignam tibi existimas murmuris provenisse materiam, pone quæsumus ante oculos tuos, & attende propensius, quibus tunc temporis Ecclesia versabatur adversitatum fluctibus, & quibus difficultatum implicationibus tenebatur, quoniam iis perpensis eam, ut credimus, a vinculo improperii hujus in judicio regiæ considerationis absolves, & non ei sed malitiæ temporis, & malignitati turbantium pacem ejus, quicquid circa subventionem tuam olim omissum quereris, consentes imputandum. Mundus certe universus agnovit, & tu egregia universitatis ejus portio non potes non sensisse cum mundo, quod ea tempestate qua ecclesiasticæ subventionis imploraſti suffragium, Fridericus quondam Imperator acerrima in sedem Apostolicam tyrannide sæviebat, eam omnibus potentiæ suæ viribus persequendo, intendens, ut oppressa illa, & filiis ejus nomini suo absque ullo protectionis obstaculo subjugatis, ipse singulariter velut immane desolationis idolum præ cæteris coleretur.*

Excusatur Gregorius Papa.

XXXVI. *Pro sua igitur, & filiorum libertate tuenda tantis jam eadem Ecclesia erat fatigata dispendiis, tantis debitorum oneribus, quæ necessario subierat, premebatur, quod inter angustias suas in alienum præsidium respirare non poterat, & ad ipsorum, aliorumque debitorum reliquias, quæ adhuc solvendæ supersunt, facultates ejus usque modo sufficere nequiverunt. Nihilominus autem in tam vehementi procella, quæ multipliciter eandem concutiebat Ecclesiam memoratus prædecessor, dum pro communi salute decertans erat, potius filiorum adjuvandus suffragiis, quam in aliorum præsidium advocandus, causæ tuæ omnino non defuit, sed adesse studuit paternæ compassionis affectu, sicut exposita sibi tuæ conditionis flagitabat necessitas, & infausti temporis qualitas permittebat. Porro cum postquam sponsum secundum cor suum eidem Ecclesiæ, quæ diu vidua fuerat, miseratio divina providit, a regno tuo illo volente, qui habens in sua potestate ventos & maria, tranquillum de tempestate producit, gladius Tartaricus abscessisset, si necessitate spectante sperata de prædictorum Cardinalium pollicitationibus subventio non processit, notari de defectu fidei promissa non impleta non possunt, quæ fuerant in sublato jam necessitatis dumtaxat articulo persolvenda.*

XXXVII *Adjecisti præterea, quod cum ad restendum tantis hostibus non tibi sufficiant vires tuæ, si dictæ sedis auxilio modo finaliter destitui te contingat, cogeris, licet invitus & dolens, cum illis pacis & unionis fœdera copulare, ad quæ ipsorum monitis & precibus pluries invitaris: offerunt enim tibi, sicut tuæ narrationis series continebat, ut secundum optionem tuam, vel filio tuo filia principis Tartarorum, vel filio ejus filia tua matrimonio conjungatur. Venire tamen in fœdere pacis debet expressa conditio, ut filius tuus cum quarta populi tui parte præcedat eosdem Tartaros ad exterminium populi Christiani, habiturus jure belli quintam de spoliis & bonis, quæ subactis, vel deletis Christianis invaserint, portionem: addito quod ab ipsorum tributo, vel censu habearis immunis, & illa multitudo non introeat fines tuos, sed & nuntiorum comitiva, quos tibi ab eis aliquando negotiorum exigentia suaserit destinari, centenarium numerum non excedat.*

Iniquæ pacis conditiones a Tartaris Ungaro oblatæ.

XXXVIII. *Præter alia quæ asseruisti, silenda potius, quam dicenda, nimirum si contra prædictæ gentis impetum, nec de cœlo, unde solet interdum paucissimis in bello fidei, atque justitiæ contra plurimos provenire victoria, nec de terra, in qua illud est omnibus tecum commune discrimen aliquod tibi confideres, quod absit, auxilium affuturum; abhorrere tamen deberet Christianissimus princeps etiam regna quælibet mundi, etiam denique vitam propriam & suorum, regnis temporalibus præferendam, sibi tam detestabilibus, tamque probrosis compendiis præservare. Sanari quippe nonnumquam piguit viros fortes, cum suaderentur eis turpia remedia medicinæ; satius judicantes fortiter mori, quam vivere criminose: & generosis animis aliquando dignius visum fuit tristi affici exilio, quam regna cum pudore, ac scelere possidere, quia nil prodest homini mundum universum lucrari, cum animæ propriæ detrimento. Absit igitur a te, fili charissime, ut pro quocumque temporalis fortunæ, vel salutis vitando periculo ea unquam infamiæ nube obscurari consentias claritatis tuæ titulos; aut eo maculari perpetuæ ignominiæ opprobrio celsitudinem regni tui, quod abruptus a corpore fidelium, & fœdo fœdere infidelibus nationibus copulatus sias de propugnatore Christiani nominis fidelium impugnator. Vide quanti odii tibi præpares materiam, si adversus domesticos fidei, quam professus es, in arcum pessimum, quod dictu est horribile vertereris; & per te ad impugnandos alios principes, & populos Christianos barbaris nationibus aditus panderetur.*

Pontifex Regem hortatur ut fœdus impium respuat.

Sed



XXXIX. *Sed esto, quod ad evadendum quæcunque discrimina posset absque pudore confusionis admitti remedium hujusmodi pactionum, credendum est tamen illud non salutem tuam vel regni tui, sed periculum continere. Potes enim argumentis evidentibus didicisse, quod prædicti Tartari per insidiosas pactionum tendiculas plures gentes seduxerint in laqueos inexplicabilis captionis, illo prærogativæ privilegio apud eos gaudere non poteris, ut tibi promissorum, conventorumque suorum servent constantiam, quam aliis non observant. Certo nempe fidei vinculo teneri nequeunt, cum veram fidem non habeant infideles, quia nec ipsi religionis nostræ sacramentis judicant pondus auctoritatis inesse, nec sacramentis gentilium indubitatam fidem homo adhibet Christianus.*

XL. Deterret ab ineunda cum ethnicis affinitate.

*Matrimonii quoque nexus, nec Christiano paganum, nec Christianum pagano conjungit, quia etiam inter ipsos paganos, etsi verum sit, tamen propter defectum fidei non est ratum, & inseparabile apud eos matrimonii sacramentum.* Extrema hæc duo verba sumpta sunt latius pro conjugio, quod cum inter infideles ad sacramenti dignitatem non assurgat, ut merus contractus civilis dissolvi potest. *Si ergo, quod absit, filium, vel filiam tuam contingat gentilis connubii contagio maculari, ex hoc utique facto (quod non juris effectum, sed solam Creatoris tui contumeliam continebit) fœderi pacis, aut pactionibus mediis nihil proveniet firmitatis: & sic cum nonnisi in Domino lex Christiana permittat nubere Christiano, filius vel filia tua cum infideli uxore, vel viro execrabilium nuptiarum infame, ac captiosum contubernium sortiretur, & peribit, pro dolor! in obscœno adulterini thori volutabro lugenda eo tempore soboles principis Christiani.*

XLI. Formidanti animos addit.

*Execrare ergo christe Domini quæcumque, ubi ad improperium Christi tui a perfidis Christiani nominis hostibus proponuntur, & stans in justitia, quæ roborat thronos regum, inimicorum impetum non ita formides, quin Dei timorem eorum metui anteponas, & fortitudini hominum judices divinam potentiam præferendam. Non enim credere debes, te inter cæteros Christianos Reges in hoc discrimine cœlestibus auxiliis, Ecclesiæ suffragiis, aliorumque orthodoxorum principum, & fidelium populorum viribus deserendum, cum non in te solum, sed in universum genus humanum propter peccata plurimorum imminens tribulationis judicium excitetur. Scis enim, o piissime Rex, quia Deus, etsi miserator sit atque misericors, est tamen fortis & potens, dissimulans interdum misericorditer, sicut clemens, peccata hominum propter pœnitentiam fructuosam, interdum potenter visitans, sicut justus, animadversione vindictæ, ne semper dicat in corde suo insipiens: Non est Deus. Ad hoc enim immittuntur, justo Dei permittente judicio, hostilitates & fames, pestes & clades: ad hoc gens in gentem, & regnum concitatur in regnum: ad hoc seditiones & bella civilia commoventur. Hæc utique mala quid aliud sunt, nisi quædam stipendia peccatorum præcurrentia finale judicium, & ministrantia impiis primum gustum damnationis æternæ: piis vero significationem præstantia, ut fugiant a facie arcus extremum æternumque periculum comminantis?*

XLII. Perditi sæculi flagitia.

*Quid mirum, fili, si tribulationum gravium increbrescunt ærumnæ, cum refrigescente charitate iniquitas invalescat? Ecce jam in cœlum ascendunt, & commovent clamoribus zelum ejus hominum impietas erga Deum, indevotio erga sancta, inobedientia erga patres, infidelitas erga dominos, inhumanitas erga proximos, & erga impotentiores tyrannica oppressio fortiorum, qui volunt legem injustitiæ fortitudinem suam esse. Priscorum principum pia in sacras ædes largitio fit jam præda sacrilega tyrannorum, patrum eleemosynæ plerumque in filiorum crimina convertuntur, & in augumentum vitiorum omnium: sub tributo & servitute redigitur templum Dei, & sancta Ecclesia liberæ matris, quæ sursum est, filia nonnusquam exuitur dotalis privilegio libertatis.*

XLIII. Præceptum saluberrimum principi datum.

*Propterea, magnifice princeps, si vis ut nulla tibi nocere possit adversitas, fac ut nulla tibi, vel Christianissimo regno tuo iniquitas dominetur. Clareat semper tibi sincera devotio circa divini cultus honorem: integra sit divinorum eminitas ministrorum, eorumque vota sinantur fieri libera, ut possint esse canonica in spiritualibus gubernaculis ordinandis, ac exinde justitia, & judicium fiant per omnia correctio sedis tuæ. Sic enim subtus pedes tuos corruerent inimici, sic ipsa creatura pro te contra insensatos aperte pugnabit, sic Ecclesiæ subsidia, fideliumque juvamina contra hostes quoslibet tecum cum Dei auxilio prævalebunt. Quod si etiam justus sis, & ut justificeris adhuc, nihilominus aliquid pro fidei, libertatisque justitia voluerit te consilium Dei pati, id erit tibi non ad confusionem, sed gloriam: non ad damnationis judicium, sed ad beatificationis indicium: non ad damnorum incommodum, sed ad cumulum præmiorum, quia hoc præcipuum donum Dei est beatificans hominem, cui datur, ut in eum credamus, & pro ipso etiam patiamur.*

XLIV. Pollicetur Pontifex subsidia Ungaro.

*Sane petitiones tuas, quas præfatus nuncius ex parte tua nobis obtulit, audivimus aure benevola, & quas pro tempore, & loco potuimus, ad exauditionis effectum duximus affectu benignitatis solitæ admittendas. Non tamen ferat indigne sublimitatis regiæ altitudo,*

*do, si de mille ballistariorum subsidio, quod a nobis inter cætera postulasti, non est tibi eo, quo requisisti, ordine satisfactum: quia multo majus auxilium ex iis, quæ nunc tibi a sede Apostolica conceduntur, credimus proventurum. Romanam siquidem ecclesiam tot premunt arduæ occupationis molimina, totque gravant sarcinæ debitorum, quod æquanimiter assequi debet, si cum non possit commode, ad alia onera non assurgit. Acceptum quoque pietati regiæ forte decet, quod a necessitate præstandi quintam proventuum Templarios & alios religiosos milites, quibus a prædictis Tartaris, & aliis etiam infidelibus par discrimen in partibus transmarinis; & fratres Cisterciensis ordinis, qui piis votis & devotis orationibus Deum propitium assidue tibi reddent, esse volumus in genere factæ tibi a nobis concessionis exceptos: quos nihilominus, ut in imminentis necessitatis articulo circa defensionem regni tui, quæ suam continet, regis laboribus adesse procurent, exhortationibus & mandatis apostolicis excitamus. Si autem tibi necessitas, quam vereris, evenerit, Apostolica sedes tam invocando in tuum auxilium principes & populos Christianos, quam alia non negliget pro te salutaria contra Dei hostes, & tuos consilia cogitare.*

XLV. *Non insuper illa suggestio debet movere cor tuum, quæ sensibus regiæ serenitatis immittitur, videlicet quod prædicta sedes maxime in extraneorum provisionibus nimium gravaverit ecclesias regni tui, propter quod ne id de cætero fieret, supplicasti: licet vix regnum sit aliud in orbe terrarum cui minus competat hujusmodi querela quam tuo. Ecclesias igitur ipsas gravasse non credimus, cum maturitas dictæ sedis tantam hactenus modestiam observaverit, & deinceps ibi, & alibi observare proponat in beneficiis concedendis, ut exinde nulla cuiquam justæ murmurationis materia relinquatur. Quamvis nemo sibi possit hanc operum suorum gloriam vendicare, ut in iis aliquid homines voluntarie fingere, vel ingeniose adinvenire non possint, quod oblocutionis habeat calumniam, vel querelæ Dat. Anagniæ* II. *id. octob. an.* V.

Perhorruerat Christianus orbis ingruentium Tartarorum metu, sed divina clementia flagellum intentasse minasque objecisse contenta, immania barbarorum consilia discussit, quæ felicius ad delendos in oriente Saracenos conversa visuri sumus: sed prius nobis reliquæ occidentis res percurrendæ sunt. Richardum hoc anno ex Germania in Angliam venisse, tradit Parisius (*a*): cumque antea Anglos proceres certiores fecisset, summa se visendæ patriæ, atque amicorum in tuendorum cupiditate illectum, ipsos inter se agitato consilio ancipites admodum, quid statuendum esset, fluctuasse: non levis enim metus eos incesserat, ne fratres suos uterinos Anglia levi de causa tamquam ingentis criminis reos ejectos restituere patriæ meditaretur, atque in ipsos vindictam effundere, quod patrem Joannem fratresque, ac nepotes immerito exagitassent: appulisse interim feliciter Richardum paucorum comitatu succinctum, ut omnem conflandarum rerum novarum suspicionem deleret: illique obviam Henricum, ac proceres advolasse, atque ingenti pompa alacritateque exceptum fuisse.

Richardi electi Reg. Rom. in Angliam adventus.

(*a*) *Par. hist. Angl. hoc ann.*

Anglorum turbæ in Regem.

Subiicit auctor pacem, quæ inter Francorum Anglorumque Reges tractata fuerat, discussam, quæ quidem, cum a Nangio firmata, abrupta vero a Parisio dicatur, conciliandi ita sunt auctores, quod cum S. Ludovicus, ut refert idem Nangius, aliquo conscientiæ stimulo animum exulcerari sentiret ob Normanniam obtentam, quam avus ipsius Philippus parium Franciæ consilio sententiaque sibi adjudicatam invaserat, nonnullas pacis leges ad extinguendum scrupulum cum Anglo inire cupiisset, Henricus in Gallias profectus, in eas pacis conditiones descendit, ut omni jure, quod in Normanniam, Andegaviam, Cœnomaniam, Turoniam, Pictaviam sibi deberi contendebat, cederet: sanctus vero Ludovicus Petragorium ob jus dubium renunciatum in eum transfudit, ac Burdegalam, Bajonam, Aginnum, Xantonas, Lemovicam fiduciario jure confirmavit: atque insuper parium Franciæ numero ascripsit. XLVI.

Tractatus inter S. Ludovicum & Henricum.

Visæ eæ optimæ Anglo conditiones, cum certas provincias pro abjecto incerto jure obtineret: sed Legriæ comitissa, quæ nonnulla in Normanniam jura contendebat, eo jure, uti Henricus promiserat, cedere detrectante, tractatus omnis consenuit. Post hæc enarrata, interpositis nonnullis, quæ brevissime perstringit Parisius, historiæ finem adjecit. Quæ quidem maxima commendatione nobis una cum Baronio (*b*) digna visa est, si jacta passim in Romanos Pontifices convitia subornata mendaciis lector caverit; unde haud levis suspicio est, ab aliquo hæretico fœdatam, ut existimat, qui nostro Vallicellano codici, quo utebatur Baronius, hanc censuram præfixit: *Auctor multis in locis in Romanam curiam est injurius: forsan fuit ab hæreticis conspurcatus; legendus est propterea magna cum cautione.* Quod ad alterum opus Parisii historiæ adjectum attinet; quamvis Parisii nomine inscriptum sit, a Parisio non videtur emanasse, sed aliquem annalibus extremos annos apposuisse conjectura est, quod styli varietas arguit; tum perfricta fronte in Romanos Pontifices invehatur, ac longe effrænatius, ac liberius furorem effundat. Mira,

Re injecta dissolutus.

(*b*) *Baron. T.* XII. 1197. *n.* 16.

Parisius historiæ finem imponit.



ra res, ut omnium Pontificum famam laceret, omnium gesta in adversam partem detorqueat, mendacia consarcinet, calumnias ubique instruat aspergatque, si quod ulcus in iis appareat, illud laniare improba exaggeratione contendat. Quæ omnia imbutum odio animum ostendunt, ac suspicionem justam movent, adulteratam, ut dixi, auctoris historiam ab aliquo hæreseos labe infecto, qui suum in Ecclesiam odium sub alterius nomine, quo plus noceret, evomere voluerit. Parisium vero hoc anno e vivis sublatum tradunt novatores, (*a*) qui ipsius elucubrationes enumerant (*b*). [1]

(*a*) *Cent.* 13. *c.*10. *col.*1217.

(*b*) *Id. ib.*

XLVII. Ludovicus S. Ludovici filius moritur.

Ludovicum quoque majorem natu S. Ludovici Francorum Regis filium hoc anno extinctum, atque una cum eo præclaras spes, quas Franci de eo conceperant, emarcuisse refert Nangius (*c*): accidisse vero dum Henricus Angliæ Rex in Galliis ad sanciendam pacem versabatur; qui etiam feretro regios humeros in efferendo funere suppositit; lugubrem enim pompam describens auctor subdit: *Cujus corpus in abbatia montis Regalis patris imperio sepulturæ dandum prima nocte ad ecclesiam B. Dionysii delatum, monachis in decantatione psalmorum usque mane vigilantibus, custoditur: in crastino vero Rex Angliæ Henricus, & nobiliores barones Franciæ & Angliæ corpus defuncti assumentes aliquantulam partem itineris propriis humeris portaverunt.* Perculit inopinus filii casus parentem amantissimum: nec enim ipsius sanctitas naturam, ne doloris aculeos acerbissimos pectori paterno defigeret, prohibebat. Sensit quoque gravissimum ex eo mœrorem summus Pontifex, qui futurum Ecclesiæ potentissimum defensorem sperarat, atque ad emolliendum S. Ludovici dolorem sequenti anno mense februarii extremo (sub ipsa enim natalitia Domini defunctum tradit Westmonasteriensis (*d*) exaratis literis consolatoriis, suas quoque (*e*) lacrymas cum ipsius lacrymis miscere voluit.

(*c*) *Nang. de gest. S. Lud.*

Lugubres honores illi exhibiti.

(*d*) *Vvest. flor. hist.*

(*e*) *Alex.* I. 6. *ep.*26.

Consolatoriæ ad S. Lud. Pontificis litt.

*Regi Francorum illustri.*

*Vox horroris & mœroris, vox gemitus & lamenti sensibus nostris insonuit, quæ interiora cordis nostri quasi quodam diri vulneris telo transverberans, in capite universalis Ecclesiæ de tristi obitu claræ memoriæ Ludovici primogeniti tui fontem aperuit lacrymarum, nosque ac fratres nostros attonitos reddidit intentissima consideratione jacturæ, quam ex hoc eadem Ecclesia, & domus tua, charitatis apostolicæ probatissima filia, communiter sustulerunt. Inter mundi siquidem procellas, quæ assiduis adversus eandem Ecclesiam malignorum spirituum flatibus intumescunt, ipsa specialiter in regni tui prosperitate respirans, spem singularis præsidii sibi in fidei ejus inviolabili firmitate dispositi, in illum, quem genituræ series & rerum ordo jam certum præmonstrabat regni ejusdem hereditarium successorem, pari confidentia prorogarat: nimirum de ipso publica tenebat opinio, jugibus gratiosæ indolis proficiens incrementis, quod si decreta fatalia speratæ substitutionis ordinem non turbassent, idem paternæ disciplinæ salutaribus eruditionibus institutus, suis temporis te nomine, ac moribus reddidisset. Et quia velut germen odoris, fructus honoris & gratiæ, jam erumpentibus laudabilium studiorum floribus, producebat; unde sperabatur post te, instar tui religionis & fidei Christianæ virtutis brachium, fulcimentum domus, stabilimentum & gloria gentis suæ; quo ubere fonte lacrymarum regnum tuum flere sufficiat, se pignus tantæ fiduciæ, quæ ætatis futuræ tempora intrepide prospicere poterat, perdidisse?*

XLVIII. *Auget autem dolori nostro formidinem, qua veremur ne forte mœroris excessus animo tuo de tam amara carnis incisione charissime dominetur; & ne, si durum tibi divinæ voluntatis arbitrium impatienter accipias, Deum (quod absit) offendas, lædasque teipsum, & ponas in gloria spei tuæ scandalum, quæ cum infidelibus, quos resurrectionis futuræ nunc expectatio beata non recreat, contristari de dormientibus in Christo non patitur Christianos. Minuit autem hujus formidinis nostræ pavorem, quod exercitatum habeas animum ad patientiam in rebus asperis, & adversis: omnem fortunam superare, ferendo invicto pectore didicisti: & confidimus, quod hunc doloris accessum imperturbatus, quamvis turbatus exceperis quem alias irruentes intolerabilium fore casuum impetus non fregerunt. Ad nihilum quippe valet,*

Iniiciendа dolori fræna.

NOTÆ [1] Ravennense concilium a Philippo archiepiscopo celebratum, ut pecunia in Tartaros christiano orbi minitantes colligeretur celebratum, anno huic assignat Rubeus hist. Ravenn. lib. 6. Sed cum Philippus nonnisi exeunte hoc anno e vinculis sese subduxerit, non inani conjectura suspicor ad exordium sequentis anni referendum esse. Idque fieri posse salva fide codicis Ravennatensis, unde anni hujus notam hausit Rubeus, satis constat, cum veteri stylo in Italia obtinente annus nonnisi a martio exeunte inciperet. Congruunt hæc cum iis, quæ apud Nangium leguntur, asserentem in exordium sequentis anni Alexandrum literas in eadem Tartarorum causa ad Gallos dedisse, quas encyclicas ad omnes per Europam episcopos directas, non inviti credimus. Igitur Ravennatensis concilii tempus exordium anni 1260. statuendum est. MANSI

*let, nisi ad subversionem salutis & vitæ in memoria mortuorum ossa carnis immoderata spiritus exsiccare tristitiam, dolores animi non tam lenire quam etiam exaggerare mœroribus, & ad cruciatus exitialis augmentum vulnus concidere super vulnus, quoniam nemo per lamentationes & luctus revocari poterit a defunctis. Inter hæc autem potest propinatum tibi a Deo amaritudinis proculum temperare, quod vix tibi debebat cum multiplicatione soboris vita product, quin de alicujus eorum obitu, quorum ortus lætanter fortassis acceperas, aliquando tristareris: cum raro cuiquam in filiis felicitas fœcundæ generationis obvenerit, qui aliqua natorum sua funera metuerit non videre. Ergo si prout admonet inevitabilis mortalium sortis ambigua certitudo, eundem tuum secundum carnem, nostrum vero secundum spiritum, filium habuimus, tamquam aliquando amissuri; consequens est, ut postquam humanitatem nostram dolendus de ipso turbavit eventus, desinamus moleste ferre, quod ex necessitate futurum indicta naturæ mortis conditio promittebat.*

XLIX. Accommodanda divinis decretis voluntas.

*Gemitibus itaque, ac singultibus imperantes, dijudicemus, consulta ratione prudenter, quid sit quo super eum, quem tibi Dominus dedit & abstulit, vendicare tibi lucrum legitime debeas, aut querelam, præter momentaneum quoddam separationis incommodum, quo illum assumpsit superna vocatio, te reliquit. An lugendus est tibi, quæsumus, filius quia communis mortalitatis legem accepit, a qua divinæ potestatis auctoritas humanæ salutis auctorem, hominis filium, Deum & hominem non exemit? An quia flebile miserabilis vitæ hujus cito evasit exilium, & in desertum patriæ melioris, juxta spei nostræ confidentiam evolavit? An quia priusquam provectiorum ætatum experiretur ærumnas, & antequam malitia in eo perverterit intellectum, aut animam ipsius figmenta deciperent vanitatum, raptus est de iniquitatum medio, & miserante Deo in viventium fasciculo collocatus? An quia pueritiæ suæ læta & innocenti, ut creditur, sorte perfunctus, priusquam illum mortalis vitæ protractio robustioris adolescentiæ inficeret luxibus, aut ambitu juventutis afficeret aut conficeret, defectibus torpidæ senectutis, meruit quasi adhuc primævum, & tenerum germen de cedro regiæ sublimitatis abscindi, incorruptibiliter radicandus in desiderabili suspirii nostri terra, & eorum, qui agnum Dei mundis gressibus prosequuntur, felicissimis cœtibus inserendus? Hinc enim ex eo proculdubio spem de ipso complectimur, quod præoccupavit, ut gaudenter accepimus, in confessione humili, & sacramentorum fidei perceptione devota, facie indicans, quod in morte mortis stimulo superato in cœlestium potentiarum atria, post caput fidelium Christum per fidei meritum, nondum cognitis mundi negotiationibus, introivit.*

L.

*Cum igitur supervacaneum videri debeat & indignum gemitibus prosequi, quem ad gaudia transisse credimus angelorum, qui diruptis captivitatis corporeæ nexibus in libertatem spirituum exilivit, quæsumus charissime fili, & in debito charitatis exigimus ac mandamus, ut mœroris nube depulsa, si qua forsan adhuc exinde vultum regiæ serenitatis obnubilat, proveniens ex præmissis, & in ævum manturæ lætitiæ claritas te circumdet: ita quod proveniat in consolationis quoque nostræ profectum, ut qui fletum tuum venerint illacrymando diluere, potius inveniant, unde consolationis debeant referre solatium quam afferre: sic nempe viros decet, quibus debet robur firmitatis inesse, ne adversitatum congressibus impetiti, mollitie feminea sublabantur: sic ergo decet amicos, qui sublatos e medio fideliter dilexerunt, hac ab illis diversitate distingui, qui amicos interdum miserius deflent, quos negligentius habuerunt, & amare quemquam nisi perditum nescientes: tunc demum adhibent sera suæ affectionis indicia, ut dubium an viventem amaverint, non relinquant. Etenim quia indecens mœroris remedium est lassitudo mœrendi, licet a constitutione civili annus detur feminis ad lugendum, non ut tamdiu, sed ne diutius fletibus intabescant; nullum tamen viris a lege præscribitur flendi tempus legitimum, quia nullum eis ad hoc idoneum consulta prudentia judicavit; etsi sapientis auctoritas eis permittat paucissimos dies luctus ad charitatem fovendam superstitum, & inhumanitatis calumniam evitandam. Porro etsi superstiti, ut modicum super mortuum suum ploret, venerandæ imperet auctoritas vetustatis; venit tamen sub jubentis imperio intelligenda non tam forsitan plorandi actio, quam modicitas actionis; ut per hoc quem ad flendum emollit imbecillitas animæ indolentis, a multo lacrymarum profluvio compescatur. Veteribus tane patribus, ut longis indulgerent deplorationibus proximorum non solum suggerebat humanitas, sed quia quotquot universæ carnis debitum exolvebant, regnantis in omnes a primo parente mortis imperio, nec dum secundo Adam triumphante devicta morte, ad inferos descendere cogebantur. Nunc vero quando cum Christo in Deo fideliter morientium vita reponitur in excelsis, sine spei catholicæ injuria jam non possumus planctum producere super illos.*

Erigendus ad constantiam animus.

Non ita nunc atque olim indulgendum lacrymis.

LI.

*Igitur Christianissime princeps, cum lacrymam tuam, si quam forsitan vehementia doloris excusserit, funditus debeat matris Ecclesiæ tibi fideliter condolentis lacryma compassiva siccare, quoties memoriæ stimulo cor tuum aut charissimæ in Christo filiæ nostræ illustris Reginæ Francorum, consortis tuæ, pupugerit chari nati acerbus excessus, quidquid hinc mœroris infunditur, blanda hujusmodi cogitatio & dulcis abstergat, quia in Christo vivens multo magis gloriose, quam prius charissimis parentibus in resurrectione justorum, Deo dante, feliciter apparebit, & congratulabitur se viam vitæ illis erudientibus, tenuisse. Propterea Reginam eandem debiliorem corporis tui partem exhortationis assiduæ confortatione sustenta, ut iis, & tuis consolationibus animum sublevet, ne insidentibus nimium doloribus opprimatur; sed potius dum charissimus filius amare recolitur defuisse, suaviter in mentem utriusque recurrat quam tuto exitu vitæ mortalis spatia consummavit, in lucem repositus apud Deum, ubi eum non amissum habent superstites, sed præmissum.*

Fundendis potius precibus insistendum.

Christophori Regis Daniæ mors.

*Quamobrem si quid ei fortassis de contagio terrenæ habitationis, aut carnalis infectionis inhæsit, quod oporteat Ecclesiæ sanctæ suffragiis, vel charorum auxiliis expiari, vigilet circa eum paternæ, ac maternæ diligentia pietatis: nostræ quoque charitatis sinceritas ipsius apud Deum, in ipsa præsertim immolatione hostiæ salutaris, cum qua pro salute fidelium ante thronum Dei pia jugiter vota prosternimus, prout humana fragilitas permiserit, memor erit. Datum Anagniæ* III. *kalen. martii anno* VI.

LII.

Utque regiis funeribus alia regia funera conjungamus; gravi luctu confecta est hoc anno Dania, Christophoro Rege e vivis erepto [1], ejus sceptra Ericum puerum imbecillibus manibus excepisse, Albertus Crantzius (*a*) aliique memorant. (*b*) Arnoldus quoque Trevirensis archiepiscopus, quem nonnulli Arnulphum vocant, ecclesiam suam e vivis discedens turbis plenam reliquit, ut proditur (*c*): cui administrandæ Alexander Papa Henricum Metensem decanum præfecit, ac literis apostolicis instructum, ornatumque pallio Treviros misit: cum Henricum alterum Arnoldumque Romæ in consistorio de archiepiscopatu disceptantes ex ambito gradu submovisset.

(*a*) *Crant. in Dan. l.7. c.23.* (*b*) *Novat. ex eo cent. 13. c.16. col. 1346. & alii.* (*c*) *Chron. Trevir. & Hirsaug. atque ex ipsis Novat. ibid. c.10. col. 154.*





LIII. Et Theodori Lascharis Grecorum Imper.

Extinctum quoque hoc anno Theodorum II. Lascarim ex Georgio Logotheta colligitur, cum annis quatuor relictum a Vatacio patre sceptrum moderatus esset: quem in extremo vitæ actu pœnitentiæ Christianæ exemplum præbuisse refert: *Theodorum*, inquit, *Imperatorem morbus gravis invasit. Morbo medicinam facere medici haud poterant, frustraque remedia omnia, quæ malo succurrere posse videbantur, tentata sunt. Longo itaque tempore noxa conflictatus, & corpus omne exsiccatus prope finem in animo suo dedit pœnitentiæ locum, & monasticum habitum induens, quemadmodum res illius sedulo ac curioso intuitu mihi narrarunt, confessionem peccatorum animo generoso, ac magnifico dignam absolvit. Quippe evangelicam æmulatus peccatricem, Mythilenensem archiepiscopum pro delictorum confessione accersens, ante illius pedes in solum obvolutus, lacrymarum indefinenter fluentium rivis terram, in qua jacebat, consperfit, adeo ut ex illis lutum concinnatum sit. Sic qui illa conspexere, plane nobis affirmarunt. Et sæpe illud: Deserui te Christe, inter confessionis verba immiscens inclamabat.* Egregia quidem Christiani pœnitentis verba, sed utinam ille cœptam de orientalis ecclesiæ cum Romana conjunctionem perfecisset. Similia de illius pœnitentia refert Nicephorus Gregoras (*d*), atque ingentes pecuniarum acervos in eleemosynas effudisse: *Igitur ille ita ætate peracta nondum quatuor integros annos Imperio potitus, tanquam qui principium regnandi novembrem, finem vitæ fecerit mensem augustum. Cadaver illius in Sosandrum monasterium delatum, ubi Imperator & pater illius antea humatus est.*

Theodorus monasticum habitum induit.

Ipsius pœnitentia.

(*d*) *Niceph. Greg. hist. Rom. l.3.*

Gesti ab ab eo imperii tempus.

LIV. Joannes filius octennis sceptri successor.

Sexto ab ejus obitu die tradit Pachymerius (*e*) [2] insignem solis defectionem fuisse, adeo ut unius horæ spatio densissimæ horrerent tenebræ, stellæque in cœlo apparerent. Reliquit Joannem filium nondum octennem Imperii successorem: cui Arsenium patriarcham ac Muzalonem obscuro genere natum, sed ipsi charissimum, tutores attribuit. Sed veritus Muzalo ne honos invidiam principum atque exitium sibi crearet, in media procerum

(*e*) *Pachim. hist. Græc. l.1.*

Muzalo tutor cæsus in templo.

NOTÆ [1] Obiisse hoc anno Christophorum Daniæ regem, chronologi omnes Daniæ conveniunt; quem veneno enectum addit anonymus Danus a Ludewig in Reliquiis to. IX. num. I. vulgatus. Cum vero eodem anno paulo ante obitum Jacobum Lundensem archiepiscopum ex causa quadam ecclesiæ Danicæ die festa S. Agathæ captum in carcerem detrudisset, ut Danici scriptores apud eundem Ludewig affirmant, quanquam silent injuriæ hujus causam; ideoque interdicti sententiam in se, uxorem, totumque regnum provocaverit, idcirco extra ecclesiæ communionem obiisse suspicor. MANSI

[2] Errat profecto annalista, & cum eo Spondanus, aliique quotquot eclipsim solis, de qua Pachimerus, sexta ab obitu Theodori die contigisse affirmant. P. Jacobus Grantami, scripta de hoc argumento dissertatione, legenda inter observationes Pachimerianas Possini lib. 3. cap. 3. astronomico calculo diligenter subducto, demonstrat nullam anno 1259. post augustum

corona imposito munere abdicare se voluit: at illi non permiserunt, ac jurejurando sese astrinxere, nunquam illi opera, fide, consilio defuturos; nondum tamen novem dies ab Imperatoris funere effluxerant, cum nonnulli potentiores invidia perciti in eum conjurarunt, atque in ipso templo ad sacram mensam cum duobus fratribus fugientem obtruncavere. Sublato ita tutore Imperatoris pueri, de subrogando altero agitatur.

LV. Deliberant Græci de præficiendo reipublicæ strenuo viro.

Florebat inter cæteros proceres Græcos sanguinis rerumque gestarum dignitate Palæologus, cui principes habenas Imperii moderandas commisere, donec Joannes ad maturam ætatem pervenisset, insignibus tamen Imperii illum abstinere jussere. Quæ vero causæ Græcos ad summam illi conferendam auctoritatem impulerint, refert Georgius Logotheta (*a*): *Haud conveniens esse existimarunt Romanum Imperium, majestate ac numero tantum, a puerulo, qui vel fructibus allici poterat, vel talis adhuc luderet, gubernari: sed necessarium esse judicarunt eum clavum tanti Imperii tenere, & gubernacula reipublicæ tractare debere, qui tutam a naufragio navim, quæ adversariorum ventorum vi impeteretur, variorum fluctuum strepitu turbaretur ac obrueretur, & ut verbo expediam ingenti tempestate periclitaretur: ideoque gubernatore generoso, atque audace modo ad eam ab imminentibus opprimentibusque miseriis conservandam indigeret, conservare posset.* Subiicit pericula, quæ tum Imperio imminebant, in Asia quidem finitimos Turcos nondum cum Tartaris firmum fœdus coivisse, atque immanem aliquam irruptionem pertimescere. In Europam Michaelem despotam Manfredo Siculo Helena filia, Villarduinoque Achajæ & Peloponesi principi Annà thoro junctis, ob eas affinitates crevisse potentia, atque ad Naxium fluvium omnia rapere, Balduinum Constantinopoli bellica consilia meditari: atque ita undique cinctum hostibus Imperium periclitari. Addit auctor.

Græcarum rerum status.

*Proceres ergo, qui illud probe regeret, investigare: omnium tamen oculi in Michaelem Comnenum, cujus sæpius meminimus, ferri. Verum cum de hoc populus etiam expostulandus esset, ut cujusnam illæ sententiæ esset, ipsi experirentur, & in quem*

LVI. Delectus Mich. Palæologus.

(*a*) *Logoth. in hist. Constantinop. Leone Allat. interp.*

NOTÆ gustum mensem solis eclipsim perspicuam & insignem conspici potuisse, quod & confirmat Clavisius ad A. 1255. Igitur eclipsim hanc non quidem ad obitum Theodori referendam idem P. Grantami censet, sed a Pachimero designari opinatur eclipsim illam, quæ in tabulis astronomicis consignatur die 30. decembris anni 1255. qua Theodorus regnum capessivit. Hæc autem eclipsis, ait, quæ insignis fuit & horrenda, veluti prænuncia habetur a Pachimero brevis illius & infelicis imperii, quod Theodorus ipse gesturus fuerat. Hanc viri docti emendationem probo, & observo, quam cum textu Pachimeri conciliari nullo negocio posse agnosco. Scribit enim ille lib. I. cap. XIII. Theodori obitu enarrato: *nec plane improvisus accidit hic casus, quippe prænunciatus cœlesti portento; etenim sol defecerat ad horam tertiam, sextæ diei, & densa tenebræ cuncta comprehenderant &c.* deliquium istud solis, ait Pachimerus, casum principis prænunciavit. Male ergo in annalibus sextæ diei post ejus obitum assignatur; sed recte a Grantami de eclipsi in exordio imperii Theodori visa exponitur. At unde sexta illa dies, de qua Pachimerus, supputanda est? Ab imperii corona accepta die sacra natali J. C. ait Grantami; sed vereor ne Græci scriptoris mentem minus feliciter assecutus sit vir doctissimus. Solemne est Græcis ejus ætatis scriptoribus dies hebdomadæ numerali nota distinguere, *prima, secunda, tertia &c.* Sexta ergo dies est feria VI. in quam anno illo 1255. dies XXX. decembris cadebat, quæ altera est conjectura, qua chronologia hæc nostra asseritur.

Quo anno Theodorus obierit inter scriptores nostrates dissidium est. Cangius in historia Gallica C. P. lib. III. anno 1258. augusto mense affirmat, cujus opinionem pluribus fulcit Mauricius David sacerdos Divionensis, cujus librum illustris Toinardi beneficio accepisse se Johannes Boivinus in notis ad librum tertium Nicephori Gregoræ profitetur. Favere huic opinioni videtur Pachimerus, scribens lib. I. cap. XXIX. Michaelem acclamatum fuisse imperii consortem *Neomeniæ Hecatombæonis, indictione tunc currente secunda;* quæ temporis notæ indicant anni 1259. calendis januarii; ex quo confici posset Theodorum Michaelis decessorem, anno 1258. augusto mense diem clausisse. Verum augusto mense anni 1259. Theodorum decessisse tam certum est, quam quid aliud. Cum enim constet Johannem Ducam Theodori decessorem fato cessisse anno 1255. quo itidem anno, octobri mense exeunte Theodorus cœpit, ut in annalibus ad annum 1255. num. 76. relatum est, & Theodorus quatuor fere annis imperium illud administraverit, teste Gregorio Acropolita; ad augustum mensem anni 1259. deveniamus necesse est. Menses enim supra triennium, quos Johannes exegit in imperio, ita determinat idem Acropolita scribens, mense novembri cœpisse, & augusto mense decessisse, adeoque quot menses excurrunt ab augusto ad novembrim, tot illi defuisse ad quadriennium imperii. Illud pariter quatuor annorum imperium Theodoro vindicat brevis quædam chronologia desinens in Johanne Palæologo, quam e codice regio vulgavit Johannes Boivinus in notis ad librum I. Nicephori Gregoræ. Insuper captam fuisse urbem Constantinopolim die 25. julii anno secundo Michaelis notat Nicephorus Callistus in catalogo Patriarcharum C. P. vulgato a Bandurio in antiquitatibus C. P. tom. I. pag. 164. edit. Venet. Exploratum est autem casum hunc urbis accidisse anno 1261. quo cum Michael annum imperii secundum ageret; inde profecto liquet, imperium illud duci a calendis januarii anni 1258. minime potuisse, tunc enim mense julio anni 1261. imperii tertium annum numerasset. Firmum igitur ratumque sit, Michaelem imperii sui exordium anno 1259. habuisse. MANSI



*quem magis animis propenderet, cognosceret, interrogationes secundum genera & ordines institutæ sunt: primum quidem scisciti illi, universi confestim, unoque ore non alium præter Michaelem Comnenum Romanarum rerum tutorem, ac curatorem, & eum veluti dominum proprium agnoscere se velle fetebantur. Cum ex Latina natione quæreretur, non multa expectatione opus fuit, tamquam quæ subito Michaelem Palæologum omnium summum principem postulavit. Cum Scytharum quoque genus percontarentur, non turbate, sed Græce admodum prudenterque respondit, Michaele Comneno præstantiorem, cui summa Imperii dedi deberet, se tenere neminem alium contendebant. Quinimo facer Senatus, cum Michaelem Comnenum multo nisu rerum Romanarum administrationem detrectare, & lentius agere, atque deludere provinciam procrastinando, & forte etiam non multum ante tempus de Theodori Imperatoris filio sacramentum datum causantem patriarcha & cæteri omnes præsules non tantum voce, sed scripto etiam tomo, in quo ea continebantur, non modo eum pro tali conatu non esse apud justum judicem Christum rationem redditurum, sed coronis divinioribus potius coronandum, quod in salutem Christiani populi accessisset, suadebant atque concedebant: sicque ut Comnenus Michael metum animo pelleret, prudenter sane, & uti necesse erat, effecerunt.* Verum Palæologum hæc ad modestiæ pompam tantum præ se tulisse, ambitionemque texisse eo cautius, quo alta consilia perduceret, tum patuit, cum Joannem Theodori filium heredem Imperii luminibus orbavit. Subdit Logotheta varios gradus, quibus ad Imperium evaserit. *Ita primum quidem eum despotica dignitate exornant, mox tænia etiam despotica caput exornant, nec multum temporis processit & ipse volens nolens vi ab eminentioribus & quibus res publicæ erant, adactus ad imperatorium culmen ascendit: etenim qui in dignitate, & alii cohortium celebriores collocatum acclamationibus prosequuntur, & imperatorio diademate coronandus ad reginam Bythinarum urbium Niceam proficiscitur, in qua a patriarcha Arsenio corona Imperii decoratur.*

Ficta ambitiosi proditoris modestia.

Palæologus variis dignitatum gradibus exornatur.

LVIII. Quibus artibus tyrannidem arripuerit.

Agit etiam de Palæologo imperatoriis ornamentis insignito Nicephorus Gregoras (*a*), & Georgius Pachymerius (*b*), ac primum creditam administrandi Imperii auctoritatem sine insignibus regiis in eum transfusam, & paulo post ipsius studiosissimos, indicto ordinum conventu, proposuisse indignum videri, eum dignitate regiæ proxima carere, qui regni habenas moderaretur, atque adeo despotæ titulo tum ab Imperii herede Joanne, tum a patriarcha decoratum: denique dum bellum a Michaele despota atque Achajæ principe gereretur circa Magnesiam, a militibus clypeo elatum, salutatum Imperatorem; eoque audito patriarcham Arsenium ingenti timore perfusum, ne quid periculi Joannis heredis Imperii vitæ crearetur, tam ipsum quam cæteros ferire anathemate meditatum: sed mutato consilio Palæologum kal. decembris sacramento adegisse, pupillo Joanni nec vitam nec Imperium ademptum; verum antequam is mensis effluereret, senatus & cleri sententiis impulsum non sine ingenti levitatis nota Palæologo, diadema imposuisse: non tamen illi perpetuum decrevisse Imperium, sed jurejurando devinxisse, ultro adulto Theodori filio solio & sceptro cessurum.

Arsenii patriarchæ inconstantia.

Vana Palæologi promissa.

LVIII.

Timuere mox sapientes, quibus Joannes Lascaris curæ erat: ne, uti evenit, purpuræ fulgor ita Palæologi oculos perstringeret, ut Joannem pupillum non Imperio modo, sed etiam vita vel oculis orbaret: scribit enim hæc Pachymerius: (*c*) *Joannes Theodori Lascaris junioris filius balbutiente voce patriarchæ dixit, se vita contentum fore, modo ne quid gravius in se consuleretur.* Cæterum patriarcham curam Joannis gessisse, refert Georgius Logotheta (*d*) ac patriarchatu, cum Palæologum non obsequentem votis videret, nimirum ob arctissimæ custodiæ traditum Joannem, quem Magnesiam transmisit, ut refert Gregoras, ex concepto dolore abiisse, seque monasterio inclusisse; subrogatoque Nicephoro Ephesino, sed intra annum defuncto, Sebastocratoris opera ad sedem revocatum, e qua postea iterum dejectum ob pulsum juste sacris Palæologum, cum Joanni oculos adussisset, suo loco videbimus. Obsecundarunt Palæologi ambitioni assentatores, qui ad colligendam gratiam populumque fallendum, sparsere nonnulla præsagia, quæ ipsi Imperium portendebant, ut refert Pachymerius.

(*c*) *Pachim. eod. lib.*

(*d*) *Logoth. ubi sup.*

Ejusdem perjuria.

Patriarcharum Græcor. infelix conditio.

Præsagia ad Palæologi gratiam conficta.

LIX.

Tradit idem auctor, Sultanum Æthiopum magnificam legationem ad Palæologum decrevisse, atque inter cætera munera oratores obtulisse camelopardalim, deque coeundo fœdere interpellasse, illumque nefas duxisse Christianos cum crucis Christi hostibus pacem facere: sed a magnificis iis verbis ejus opera longe abfuere; cum non in finitimis Saracenis, sed catholicis expugnandis omnes conatus vireſque collocarit. Transmisisse ad ipsum etiam sub primis Imperii initiis oratores Balduinum, refert Logotheta: qui cum pro conficiendo fœdere amissas terras repeterent, Palæologum duro responso ipsorum petita post varia verborum ludibria refregisse, quæ ita exponit auctor infenso in Latinos studio (*e*). *Latini, qui Constantinopoli erant, & Baldui-*

Sultani Æthiopum legatio ad Palæologum.

Detrectat cum infidelibus fœdus coire.

Verbis facta dissensere.

Balduin. Imp. Constant. de pace cum Palæologo agit.

(*e*) *Georg. Logoth. ubi sup.*

LX.

(*a*) *Greg. l. 3.*

(*b*) *Pachym. hist. Græc. l. 2.*

*duinus illorum forte moderator ad Imperatorem legatos prætumida quædam, & pene absurda, quæritantes miserunt. Contemptius namque erga Imperatorem, tamquam qui tum primum Imperium assumpserat, affecti immoderatis postulationibus urgebant: & ab ipsa Thessalonica initium facientes, ut eam sibi, & reliquam omnem regionem Constantinopolim usque Imperator concederet, poscebant. Quibus auditis Imperator ad eosdem responsum lepidum sane, neque inventustum, dedit: eam scilicet urbem sui patriam quodammodo esse: in ea patrem suum, quem ipsi optime noverant, magnum domesticum principatum obtinuisse: in ea vitæ finem fecisse, in eaque cadaver illius sepulturæ mandatum. Quomodo itaque fieri potest eam urbem extra potestatem meam esse? Ubi hæc audiunt legati, aliqua concessurum nihilominus Imperatorem sperabant: & mutata oratione: Igitur, ajunt, Imperator, concede nobis ab Serris ipsis reliqua possidere. Et Imperator: Neque juste, neque decenter hæc postulatis: primum enim in ea a beatæ memoriæ Imperatore patruo meo loci dominatum habui: illic dominationis meæ exordia: illic militiæ prima incunabula, & loco tamquam familiari solo delector: haud itaque operæ pretium erit illum amittere. Legati de loco in locum facili negotio sermonem convertere, & cum nihil haberent, si quid impetrassent, eo contentos esse quasi victoriam essent consecuti: Et Imperator excipiunt, saltem nobis e Bolero ad nostra permitte. Tum Imperator, illis in locis sæpissime venationi operam dedi, indignum itaque videtur locis illis renunciare, ubi rursus venationi incumbere gestio, & ferarum capturis animum oblectare. Quid igitur nobis dicis? legati Imperatori responderunt: Ego quidem, inquit Imperator, nihil: sed si pacem ex me habere concupiscitis.* Et infra: *Volo Latinos, qui Constantinopoli sunt, Romano imperio eam tributi partem persolvant, quæ introitibus proportione respondeat. Hæc si præstare annueritis, pacem compono, sin minus, pugnam edico, quæ, Deo auspice, ut ita dicam, multo Romanis utilior erit. His Latinorum legati confusi Constantinopolim remeant.* Ut vero atroces minas Palæologus in opus perduxerit, atque Balduinum Constantinopoli deturbarit, suo loco dicetur. Hactenus de Græcorum rebus: quas si cuipiam fusius recensuisse videar, veniam dabit, si ad historiam ecclesiasticam illustrandam ob conjunctionem mutuam id factum animadverterit. Jam Syriacæ res sunt delibandæ.

Repulsi cum ignominia Latini oratores.

LXI. Hospitalior. & Templarior. dissensio.

Refugit quidem oratio lugubrem Terræ sanctæ statum exponere. Ardebat mutuis dissensionibus infelix illa Syriæ portio, quæ Christiana sacra venerabatur, nec immaniores hostes quam ipsos Christianos; imo quam eos, qui vitæ religiosæ professione propugnandæ fidei, ac Saracenorum conatibus continendis sese devoverant, sentiebat. Concitante enim humani generis hoste imbutos mutuo odio ex insana æmulatione concepto animos, Hospitalarii tantam Templariorum stragem edidere, ut vix acceptæ cladis nuncius superesset. Commoti mox qui in occidente versabantur, ad fusum fratrum sanguinem ulciscendum, in orientem confluxere. Tum ne opulentissimas possessiones ac domos amitterent, post funestas adeo calamitates ac discordias quid aliud expectari potuit quam quod divinum oraculum comminatur? *Omne (a) regnum in se ipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Quid porro de Hospitalariorum religioso cultu sancitum sit hoc anno a Pontifice prætermittendum non est visum, nec obruenda silentio insignia religiosi illius ordinis elogia, quæ subjecto diplomate continentur (b).

(a) Luc. c. 11.

(b) Alex. l. 5. ep. 172.

*Magistro & fratribus Hospitalis S. Joannis Hierosol.*

LXII. Elogia Hospitalior.

*Cum ordinem vestrum omnipotens Dominus in Ecclesia sua, velut columnam immobilem, super obedientiæ basem erexerit ad fulcimentum necessarium Terræ sanctæ, cujus estis athletæ inclyti, robusti pugiles, & propugnatores electi, & pro cujus defensione ad prælianduin prælia Domini contra sui blasphemos nominis salvificæ crucis vos armis insignibus accinxistis; cum etiam vos sitis proprius Dei * egregius, gens magnifica, & strenua, multitudo justorum, consilium & congregatio fortium, Regis Regum in quorum revera manibus gladii sunt ancipites, & ardentes lucernæ ad faciendam vindictam in nationibus, & serutandam Domini civitatem, digne ipsum ordinem & vos tanquam Christi milites, in quibus suscitavit Dominus in illis partibus fortium Machabæorum spiritum, & aliorum veterum earumdem partium bellatorum, congruis intendimus roborare favoribus, & condignis gratiis adaugere; illaque vobis concedere, quæ ad incrementum vestræ religionis dictæque terræ subsidium redundare noscuntur.*

* grex

LXIII.

*Sane quia intelleximus, quod inter fratres vestri ordinis milites & alios nulla distinctio per aliquam indumentorum diversitatem, sicut in plerisque aliis consimilibus sit religionibus, observatur; propter quod contingit, quod multorum nobilium, qui mundi relictis illecebris, sub ejusdem vestræ religionis habitu eligerent insistere prædictæ terræ præsidio, erga præfatum ordinem charitas refrigescit, nos cupientes ut idem ordo continuis, auctore Domino, amplificetur commodis, & votivis concrescat augmentis, apostolica vobis auctoritate concedimus, ut unanimiter statuere, ac deinceps inviolabiliter observare possitis,*

Religiosus eorum cultus designatus ab Alex.



* quod
* alterius

*tis, * apud fratres milites * ejusdem ordinis chlamydes nigras deferant, ut ab aliis ejusdem ordinis fratribus discernantur: in bellis autem, sive in prælii utantur jupellis & aliis superinsigniis militaribus, quæ sint coloris rubei, & in quibus etiam crux albi coloris sit in vestri vexilli modum assuta, ut in hujusmodi uniformitate signorum animorum identitas evidenter appareat, & ex hoc per consequens salus proveniat personarum. Nulli ergo &c. Datum Anagniæ III. id. augusti anno V.*

Symbolum crucis albi coloris iis attributum.

I. POtito utraque Sicilia Manfredo, cum ejus tyrannidis terror se per ditionem ecclesiasticam circumferret, Alexander Anglicanorum auxiliorum promissis delusus, ad ineundam cum victore pacem animum adduxerat anno a virgineo partu millesimo supra ducentesimum sexagesimum, indictione tertia, nisi tyrannus, qui arreptum scelere sceptrum confirmare solemni fœdere poterat, nimio Saracenorum, quorum vitia induerat, amore honestissimas leges non minore flagitio quam amentia respuisset. Accesserat superiori anno, tertio decembris die, e Græcia Peloponensi .. Despota, ut Matthæus Spinellus (*a*) e Juvenatio Manfredi eques emeritus narrat, quo Pontificem inter Manfredumque sororium concordiæ interpres foret; eo consilio, ut Manfredus arma in Græciam adversus Palæologum schismaticum Imperii pro Joanne Lascari moderatorem converteret (de quo bello nobis inferius agendum erit) ac Pontifex præteritis bellis fessus, cum ingentia mala, quæ Saraceni Manfredi stipendiarii religioni Christianæ in Italia inferebant, perpenderet, ac Siculorum citeriorum ulteriorumve, qui ob defensas Ecclesiæ partes patria bonisque dejecti erant, misereretur, Marino Capetio Manfredi oratori eas leges fœderis dixit, ut exules bonis restituerentur, ac Saraceni uti religionis hostes a Manfredo pellerentur.

(*a*) *Matth. Spinell. in annal. MS.*

De pace inter Alex. & Manfr. agitatum.

Postulata Pontificia.

II. Repulsa a Manfredo.

Verum tyrannus, cum justis postulatis annuere debuisset, a Deo adversus, atque in Saracenis spem omnem collocans, non Saracenos ejecturum, sed tantam novam eorum multitudinem, quanta erat stipatus, accersiturum respondit: ac dicta impia factis implevit. Addit namque memoratus auctor adeo ingentem Saracenorum, qui ex Africa venerant, multitudinem in Tarentino portu vigesima sexta maii die exscensionem fecisse, ut Barensis & Hydruntinus agri ea colluvie complerentur. Excibat ex Africa Manfredus Christi hostes, ut Christi vicarium crudelius vexaret, jactatasque olim a Friderico patre minas, sanctuarium Domini gentibus a se prostitutum iri, renovaret: Saracenos enim decima julii die in Campaniam effudit, a quibus quam impie sacra sint proculcata, non attinet dicere. Adversum quos Flandriæ comes excitus est, de quo sequenti anno. Manfredus vero mense septembri cinctus exercitu in Picenum atque Æmiliam irrupit, gravesque tumultus concitavit. Susceperat nimirum Gibellinæ factionis patrocinium, cujus ope ad universæ Italiæ dominatum contendebat; Hetruriam etiam, profligatis Guelphis Ecclesiæ fœderatis, gravi turbine paulo ante concussit.

Saraceni exciti ex Africa.

Immissi in ditionem ecclesiasticam.

Manfredi in Marchiam irruptio.

Gibellinæ factionis patrocinium ab eo susceptum.

III. Concitati in Hetruria motus.

Dediderant se Manfredo Senenses, cum a Florentinis acrius infestarentur, nonnullasque clades ab iis accepissent: ad quas ulciscendas Jordanum Manfredi ducem cum octingentis equitibus exceperant. Non iis tamen auxiliaribus copiis Manfredi, quæ Senensibus se conjunxerant, perterriti Florentini, adversus Senenses exeunte mense augusto castra movere; quam expeditionem anonymus auctor Gibellinæ factionis ita describit (*b*): *Eodem quoque tempore civitas Florentina cum parte Guelphorum &c. ad obsidionem civitatis Senensis, commorante ibi memorato Jordano comite cum stipendiariis regiis, viriliter præsumpsit accedere, factaque ibi mora, quam voluit, & usque ad civitatem eamdem, ingenti depopulatione peracta, exercitu numeroso, qui armatorum triginta millia continebat, ad invadendum via montis Alcini, quem victualibus & aliis opportunis munitum Florentini prædicti tunc in eorum potestate tenebant, per territorium Senarum prope civitate eamdem ad duo fere milliaria superbe processerunt, qui per aliam tutiorem viam illuc indemnes accedere potuissent.*

(*b*) *Anony. Sic. rer. auctor. Nang. in gest. S. Lud. hoc an. Ricor. hist. Flor. c.167. Jo. Villan. l. 6. c.8. & seq. Ptolem. Lucen. l.22. c.17.*

IV. Florentinorum expeditio in Senenses.

Accessisse Florentinos spe occupandarum proditione Senarum, referunt (*c*) Ricordanus ac Joannes Villanus [1]: atque ita cum nonnullis Senensibus Guelphæ factionis rem meditatos, ut portæ urbis venientibus aperirentur; sed contraria proditione versa aliorsum eorum consilia, rei exitu frustra exspectato. Pergit: *Contigit quod dictus Jordanus comes cum Theutonicis secum morantibus in Senensi populo cum parte Gibellinorum, Regis auspiciis, in Florentinos eosdem, & fautores eorum viriliter irruentes, ipsos commissis hinc inde conflictibus expugnaverunt. In cujus expugnationis eventu sic potentia Florentina defiorata emarcuit & defecit, quod ex eis eorumque complicibus præter occisos gladio, quorum non fuit numerus, perscriptus captivorum solummodo, quos regius carcer astrinxit, quindecim millia & ultra numero computentur. Versi sunt itaque subito dies solemnitatis ejus in luctum, sublatis in opprobrium honorum insignibus. Itaque eorum * superstitione deposita, qui dum in honore essent non intellexerunt, intellecta Regis ejusdem mandata devote suscipiunt, & reverenter ejusdem placitis colla submittunt.* Tribuunt eam Florentinorum cladem Ricordanus (*a*) ac Joannes Villanus (*b*) nonnullorum Gibellinæ factionis, qui in castris versabantur, proditioni, quos ita cum hoste conspirasse ajunt, ut conferto prælio fugam arriperent, ordinesque dissolverent: prostrato itaque reipublicæ flore reliquos, qui Florentiæ hæserant, metu perfusos victori portas aperuisse.

(*c*) *Ricor. & Villan. ubi sup.*

Infelici exitu confecta.

Cæsi magna strage Florentini.

* *superbia*

(*a*) *Ricor. hist. Flor. c.168.*

(*b*) *Jo. Vill. c.81. & alii.*

V. Manfredi jugum accipiunt.

Secundis hujus tyranni successibus infelices alterius tyranni marchiæ Tarvisinæ Alberici nimirum fratris Ezelini, exitus opponamus, ex quibus discere Manfredus potuit diuturnam non esse improbam felicitatem. Rapuerat (*c*) sæpius Albericus e parentum gremio virgines, ut stuprum inferret, uxores a viris arripuerat, ut libidinem effusam non tam satiaret quam irritaret; pari quoque crudelitate humani fundendi sanguinis avidissimus, sui terrore omnes oppleverat: sed tandem, divina illum urgente vindicta, cum ad castrum S. Zenonis se recepisset, Patavini, Vicentini, & Tarvisini obsidione eum cinxere, ac post mensium quatuor oppugnationem, a suis in hostium potestatem cum uxore, filiis sex, ac duabus filiabus redactus est, ipse per Tarvisii plateas raptatus gladiis in frusta concisus, ac demum flammis absumptus. Nec victorum ira insontium liberorum sanguini temperavit, quos pariter cum ejus uxore interemit. Ita intra undecim mensium spatium divino judicio Ezelinus, atque Albericus, quorum potentia cœlo æquata miseris videbatur, misere perierunt, omnisque eorum progenies ad æternum dedecus excisa est. At ab impii hominis supplicio ad voluntarias piorum pœnas ad crimina expianda susceptas digrediamur. [1]

(*c*) *Monac. Pad. chr. l.3. Bonif. hist. Tarvis. l.5. hoc ann. & alii.*

Alberici tyranni supplicium.

VI. Flagellantium secta ut exorta.

Insuetæ pœnitentiæ ardentissimo spiritu concussam totam Italiam, quæ in flagitiorum cœno antea volutabatur, ac flagrantissimæ pietatis sensu delibutos populos se flagellis publice cædere cœpisse, ac divinam misericordiam abscissis singultibus inclamare, remque Perusii primum, dein Romæ inchoatam, universos Italiæ populos pervasisse, narrat monachus Patavinus (*d*): [2] *In tantum itaque timor Christi irruit super eos, quod nobiles pariter & ignobiles, senes & juvenes, infantes etiam quinque annorum nudi per plateas civitatum, opertis tantundem pudendis, deposita verecundia, bini processionaliter incedebant; singuli flagellum in manibus de corrigiis continentes, & cum gemitu & ploratu se acriter super scapulis usque ad effusionem sanguinis verberantes: & effusis fontibus lacrymarum, ac si corporalibus oculis ipsam Salvatoris cernerent passionem, misericordiam Dei & Genitricis ejus auxilium implorabant: suppliciter deprecantes, ut qui in innumeris pœnitentibus est placatus, & ipsis iniquitates proprias cognoscentibus parcere dignaretur. Non solum itaque in die, verum etiam in nocte cum cereis accensis, in hyeme asperrima, centeni, milleni, decem millia quoque per civitates & ecclesias currebant, & se ante altaria humiliter prosternebant, præcedentibus eos sacerdotibus cum crucibus & vexillis. Similiter in villis & oppidis*

(*d*) *Chron. l.3.*

NOTÆ [1] PRælium illud memorandum Senenses inter ac Florentinos, iisque adjunctos Lucenses commissum fuisse hujus anni die IV. septembris adnotat vetus author chronici Senensis, vulgati rer. Italic. to. XV. Porro infelici hoc prælio Florentinorum ac Lucensium res plane attritas fuisse historici omnes narrant, nec silet annalista. Quot vero e Florentinis Lucensibusque ceciderint, non sane convenit inter plures, cum Senensis chronici author ultra decem mill. cæsos, undecim mill. captos scribat; alii ad XV. m. captos memorant. Sed de numero parum curandum cum de re constet, nam Senenses Florentinorum arcem montem Alcinum everterunt, ac eorumdem Florentinorum oppida XXVII. arserunt. Denique Pisarum urbs Florentinorum jugum excussit. MANSI



NOTÆ [1] ROlandinus, qui Tarvisinæ historiæ libros duodecim cum nece Alberici concludit, quædam adnotat, quibus luctuosi hujus casus historia suis temporum characteribus apte distinguitur. Narrat igitur Tarvisinos una cum armis sociorum sub ipsis ineuntis julii calendis obsidionem arcis S. Zenonis in Pedemontanis cœpisse, quibus urgentibus, cum Albericus proditione Germanorum, quorum præsidio defendebatur, destitutum se propugnaculo exteriori sentiret, una sibi relicta interiori turri, in qua se una cum uxore, & filiis concluserat, permisit familiaribus suis ut se vivum cum familia hostibus traderent. Illi pacto cum victoribus inito vitam redemerunt. Albericus vero cum uxore, & filiis venit in manus hostium, a quibus ipse cum filiis sex in frusta concisus fuit. Uxor vero & filiæ geminæ in incendio crematæ. Diem autem cædis hujus assignat 26. augusti. MANSI

[2] COEpit hoc anno Flagellantium secta, quæ a religiosis initiis nata in hæresim impiam degeneravit. De anno constat inter omnes coævos scriptores, uno excepto Jacobo de Varagine, qui episcopatum Genuensem sæculo hoc exeunte tenebat; nam in eo, quod scripsit, de rebus Genuensibus chronico, vulgato a Muratorio rer. Italic. tom. IX. exordium ejus anno sequenti MCCLXI. assignat. Forte tamen excusandus est, quod Genuenses facile pius iste furor nonnisi ineunte anno sequenti correpsit. Utcumque res sese habeat, ab hoc anno avelli non potest, reliquis omnibus scriptoribus assentientibus, præsertim Bartholomæo Scriba, qui annales suos Genuenses Caffarum continuantes cum anno 1264. claudit. De mense nihil certi proditur, quanquam anonymus auctor Memorialis potestatum Regiensium, vulgati a Muratorio rer.

*pidis faciebant, ita quod a vocibus clamantium ad Dominum resonare videbantur simul campestria & montana.*

VII. Plura ab iis explicata virtutum exempla.

*Siluerunt tunc temporis omnia musica instrumenta, & amatoriæ cantilenæ: sola cantio pœnitentium lugubris audiebatur ubique, tam in civitatibus quam in villis: ad cujus flebilem modulationem corda saxea movebantur, & obstinatorum oculi se a lacrymis non poterant continere. Mulieres quoque tantæ devotionis fuerunt minime expertes, sed in cubiculis suis non tantum populares, sed etiam matronæ nobiles & virgines delicatæ, cum omni honestate hæc eadem faciebant. Tunc fere omnes discordes ad concordiam redierunt: usurarii & raptores male ablata restituere festinabant, cæterisque diversis criminibus involuti, peccata sua humiliter confitentes, se a suis vanitatibus corrigebant. Aperiebantur carceres, dimittebantur captivi, & exules redire ad propria sunt permissi: tanta enim opera sanctitatis & misericordiæ, tam viri quam feminæ ostendebant, ac si timerent, quod divina potentia ipsos vellet igne cœlesti consumere, vel hiatu terræ subito absorbere, aut concutere vehementissimo terræmotu, seu aliis plagis, quibus divina justitia se ulcisci de peccatoribus consuevit. Super ista vero pœnitentia repentina, quæ ultra etiam fines Italiæ per diversas provincias est diffusa, non solum viri mediocres, sed & sapientes non irrationabiliter mirabantur cogitantes unde tantus fervoris impetus provenirent.*

VIII. (a) Stero apud Can. antiq. lect. to. 1. pag. 289.

Penetrasse flagellantium ritum in Germaniam tradit Henricus Stero (*a*) ac rem Perusii emersisse, cum monacho Patavino consentit, ac supplicationis obeundæ modum ita describit: *Erat modus ipsius pœnitentiæ ad patiendum durus, horribilis, & miserabilis ad videndum: nam ab umbilico sursum corpora denudantes, quadam veste partem corporis inferiorem usque ad talos tegentem habebant, & ne quis eorum agnosceretur, cooperto capite & facie incedebant. Procedebant etiam bini, terni, tanquam clerici, vexillo prævio vel cruce, flagellis semetipsos bis in die per triginta tres dies, & deinde in memoriam temporis humanitatis Domini nostri Jesu Christi super terram apparentis tamdiu cruciantes, quousque ad quasdam cantilenas, quas de passione ac morte Domini dictaverant, duobus, vel tribus præcinentibus circa ecclesiam vel in ecclesia compleverunt, nunc in terram corruentes, nunc ad cœlum nuda brachia erigentes, non obstante luto vel nive, frigore vel calore. Miserabiles itaque gestus ipsorum, & dira verbera multos ad lacrymas & ad suscipiendam eandem pœnitentiam provocabant. Sed quia origo ejusdem pœnitentiæ nec a sede Romana, nec ab aliqua persona auctorabili fulciebatur, a quibusdam episcopis & domino Henrico duce Bavariæ cœpit haberi contemptui, unde tepescere in brevi cœpit sicut res immoderate concepta.* Germaniam idem ritus pervagatur. Qua de causa obsolevit.

IX. Nec mirum cito labefactatam corruisse, cujus fundamenta super firmam petram jacta non fuissent. Dictis consonant, quæ ex Argentoracensi chronico atque ex Paralip. Urspergensi referunt novatores. (*b*) Ut vero ea res nonnullos viros pios gaudio perfudit, quod sanctitatem redolere ipsis videretur, ita nonnullos Italiæ tyrannos exterruit. Manfredus enim ac Palavicinus, ut testatur Monachus Patavinus (b) Novat. cent. 13. c. 5. col. 561.

NOTÆ rer. Italic. tom. IX. tradit die festa omnium sanctorum Mutinenses solemni verberantium supplicatione indicta Regium venisse, eorumque exemplo motos Regienses verberantium supplicationem instituisse, & Parmam se contulisse die martis post festum omnium Sanctorum. Locus ubi primum coitiones istæ cœperunt Perusina urbs statuitur ab omnibus. Quo vero authore cœperit vel in ipsis quidem ejusdem exordiis incompertum fuit. Nam Bartholomæus scriba, qui tunc annales suos Genuenses digerebat, vulgatum fuisse tradit religiosum hunc motum excivisse puerum quendam, adhuc in cunis vagientem; quanquam non defuisse, ait, qui ejus authorem dixerint Heremicolam quemdam, qui pro concione Perusinis indixit, ut imminens urbis suæ excidium pœnitudine averterent. Sed Jacobus de Varagine melius scribit motum hunc cœpisse *a pauperibus & simplicibus in Tuscia*. Ea occasione lites & discordias plane multas compositas fuisse notant omnes; quin & exules multi, quos patria sua extorres potentia partis adversæ egerat, remearunt ad propria. Sed ab ipso fere ejus exordio hæresim inter eos gliscere cœpisse, deduxisse mihi videor ex iis, quæ ad hunc annum notat Ricobaldus Ferrariensis in historia Imperatorum quam ex Eccardi scriptor. medii ævi to. I. dedit Muratorius rer. Italic. to. IX. scribit enim ille de verberantibus: *Sacrilegus habebatur qui id non ageret*. Brevi tamen furor iste cessavit, vel saltem elanguit; nam teste eodem Ricobaldo *post januarium sequentis anni* 1261. *paulatim defuit ea novitas, quæ appellata est verberamentum*. Verum privatæ Flagellantium coitiones non ita brevi cessarunt; quin & tunc instituta fuisse notat Spondanus ad hunc annum religiosorum hominum sodalitia, qui certis per hebdomadam diebus pium hunc pœnitudinis ritum prosequerentur. Vix tamen credo sodalitia piorum hominum, utcumque omnia ex tunc cœpisse, nam vetustius habuisse initium deduxisse mihi videor ex iis, quæ narrat anonymus author memorialis potestatum Regiensium scribens ad hunc annum, Regienses suos Mutinensium exemplo excitos convenisse simul omnes ad verbera sibi infligenda, omnes scilicet cum *episcopo & gonfalonibus omnium societatum*. Quæ nam societates istæ nisi piorum hominum sodalitia? Insuper *Laudensium* sodalitium Florentiæ ante aliquot annos viguisse diximus in nota ad annum 1264. 44. MANSI



(a) Monac. Pad. chr. l. 3.

vinus (*a*) perhorruere metu, ne populi eo pietatis sensu delibuti, Ecclesiæ partes amplecterentur, ac urbium, in quibus tyrannidem corripuerant, cives redintegrata inter se concordia, omnique odio deposito conciliati, servitutis ipsorum jugum depellerent: quare gravissimis pœnis id pœnitentiæ publicæ genus vetuere.

X. Flagellantes in hæresim lapsi.

Descivit postmodum ea pœnitentium pietas in hæresim fœdissimam, quodque cum tantæ sanctitatis pompa pulcherrimum initium duxisse videbatur, dæmonis arte in scelus & flagitium abiit. Siffridus (*b*) enim hæc de hæresi, quam perditissimi quidam, qui sese iis aggregarunt, simplicibus, & credulis mentibus afflavere: *Multa millia flagellantium prodierunt in mundum, dicentes neminem ab omnibus peccatis absolvi, si in tali secta per mensem non versaretur*. De eadem secta infelici, quæ misere suorum corpora excarnificabat, animasque æternis cruciatibus addicebat, tradit Joannes Longinus (*c*) ipsos inter cæteros errores, quamvis sacris ordinibus non initiatos, confessionis sacramentum sibi mutuo impertiri sacrilege affectasse: tum etiam asseruisse, posse se parentum atque amicorum animabus damnatis eo pœnitentiæ genere maximum solatium afferre: sed episcoporum, ac principum diligentia brevi in Polonia extinctam, ac pariter alibi ferro ac flamma deletam: tulisse vero famam ex Galliis erupisse, atque in Germaniam, tum ex ea in Poloniam se diffudisse: ex Italia vero in Gallias serpsisse vidimus superius. Auctoris verba adducimus.

(b) Siffrid. in epit. l. 2. an. seq.

Eorum errores.

(c) Longin. hist. Pol. l. 7.

XI. *Flagellatorum quædam secta, quæ primum ex Galliis & Parisiis manasse ferebatur, errores multiplices & pravitates continens, in Alemannia mox coalescens, & funiculos suæ perversitatis dilatans, etiam ad Poloniæ regiones pervenit. Incedebant siquidem homines sectam hujusmodi professi, processionaliter velatis capitibus, in claustralium morem corpore usque ad umbilicum denudati: flagellis quoque quadruplici corrigio connodatis, & nodos habentibus in extremitatibus, unus alterius dorsum acriter cædebat. Agebant insuper stationes, varias genuflexiones mirabiles, canendo carmen, quilibet juxta distinctionem suæ linguæ, inconditum: cum ex variis linguis & nationibus colluvies ipsa concreta esset. Mutuo insuper se, quamvis non ordinati, sed laici essent, de quantumcunque enormibus peccatis confessione audita absolvebant, & pœnitentes solemniter inducebant, asserentes sectam suam a Deo placitam existere, & animabus propinquorum suorum, etiam damnatorum in inferno existentium, & cœlos possidentium, & suis dum obirent adferre magnas consolationes & profectus. Dum autem secta hæc primum Cracoviam advenisset ecclesiis visitatis, & velut pœnitentiis expletis illico de Cracovia Prandotha episcopo, ni celeriter inde recederet, carceres illi comminante, se evolvit. Sed in cæteris Polonicæ ecclesiæ diœcesibus, Januſſio archiepiscopo Gnesnensi, & aliis episcopis Poloniæ eorum errores detegentibus, principibus Poloniæ, ne quis Polonorum errores hujusmodi sectaretur, sub gravi pœna & bonorum confiscatione mandantibus, secta ipsa irrisa & spreta est: apud vero alia regna igne & gladio deleta, errorque cæteris ejus sectatoribus illum deserentibus, & quod laudabatur, execrantibus, subito disperiit.* Repullulasse eosdem errores inter flagellantes nondum lapso adhuc sæculo, visuri sumus inferius: eamque sectam, cum Poloniam, Ungariam, Germaniam corripuisset, Clementis VI. severioribus edictis (*d*) dissolutam. Hic nonnulla de sedis Apostolicæ diligentia in excindendis hæreticis, qui hoc tempore vigebant, adjungamus. Repressi in Polonia. (d) Annal. Tom. XV. ann. Chr. 1349.

XII. Habita in hæreticos quæstio.

Navarunt diligentem operam in persequendis hæreticis eorumque fautoribus viri religiosi, quibus sacræ inquisitionis exercendæ provincia erat commissa. Verum cum nonnulli magistratus eorum zelo non obsecundarent in sententiis, quas tulerant fidei censores, in opus adducendis, non leviter eorum dignitas, atque auctoritas obsolescebat, ac pia consilia retardabantur. De quibus certior factus Alexander, apostolico diplomate (*e*) contulit, ut magistratuum hujusmodi segnitiem censuris possent castigare, atque etiam eos fidelium communione pellere, magistratuque submovere: ac ne ipsorum pia solicitudo improborum hominum nequitia eludi posset, sanxit (*f*) ut quoscumque ad exhibenda scripta & instrumenta ad cognoscendas fidei causas spectantia adigerent: redeuntes ad Ecclesiam anathemate liberarent: clerum populumque loci, in quo versarentur, convocare possent, ut peritos ac prudentes viros in ferendis sententiis adhiberent: accedentibus navatæ operæ gratia quadraginta dierum indulgentias conferre: denique sine forensi strepitu, submotis advocatis, munus exercere possent. (e) Extat. in Bullar. in Alex. (f) Ibid. Datæ censoribus fidei facultates.

Imminebat non leve fidei censoribus periculum, ne qui hæreticorum partibus contaminati erant, insidias eorum vitæ instruerent, ac tum maxime in itinere, cum ex uno loco in alium proficisci necessitas compelleret: quare Alexander, cum in Romana provincia Andream Minoritam exercendarum in hæreticos legum muneri præfecisset, gravissimis intentatis pœnis præsulibus, clero, ac magistratibus (*g*) injunxit, ut quoties rogati essent, ad iter tuto conficiendum stipatores darent. (g) Ibid.

(a) Ibid. rent. Imperavit (a) etiam Andreæ & Bartholomæo causarum fidei cognitoribus, ut hæreticorum eorumque fautorum bona fisco addicta, addicendave distraherent, atque in Romanæ ecclesiæ necessitates diligenter asservarent. Demum tertio idus decembris, datis Anagniæ literis (b) ad inquisitores Franciscanæ sive Dominicanæ familiæ, qui tota Italia ad perscrutandos profligandosque hæreticos sparsi erant, vetuit ne cœptas in hæreticos, suspectosve actiones judiciarias ad superiorum imperia intermitterent: Ex ascripta vero his literis aliisque die colligitur, biennium ferme Anagniæ exegisse Alexandrum, indeque Romam reversum.

(b) Ibid.

XIII. Exorta vero est in Urbe absente Pontifice inter religiosos viros ac basilicæ S. Petri canonicos de honoris gradu, præferendis signis, deque stipendiis exigendis in solemnis supplicationis pompa, quæ die S. Marco sacra ornari solet, quam Alexander diremit (c).

(c) Lib. 6. ep. 256.

*Rectoribus Romanæ fraternitatis, & clero Urbis.*

Exorta de solemni supplicat. inter canonicos & clericos controversia.

*Provida deliberatione decernimus, & irrefragabili constitutione sancimus, ut canonici tam sæculares quam regulares, & monachi omnium parochialium ecclesiarum cum crucibus, & aliis insigniis consuetis, ecclesiarum vero presbyterorum & diaconorum Cardinalium, & monasteriorum cum crucibus propriis & vexillis. Archipresbyteralium autem ecclesiarum, prioratuum, & cappellarum exemptarum, & omnium aliorum, quæ duodecim denarios, vel plures pro hujusmodi salario recipiunt, cum propriis omnino crucibus argenteis, aureis, vel aliis quas habent, & cum vexillis si habent, & portare consueverunt; clerici quoque aliarum cappellarum, quarum singulæ tantum octo denarios pro eodem salario recipiunt, vel cum propriis crucibus & vexillis, vel cum alienis etiam, sicut fuit hactenus consuetum, induti vestimentis sericis, aut superpelliciis, sive cotis, in eodem festo (nimirum S. Marci) vadant processionaliter annuatim ad basilicam supradictam, recepturi salarium, vel presbyterium consuetum, quod eis per canonicos ejusdem basilicæ, & unum de familiaribus nostris volumus exhiberi. Alii autem monachi, fratres Minores, Prædicatores, & Eremitæ, ac religiosi alii cujuscumque ordinis cum crucibus in eodem festo, processionaliter vadant ad basilicam memoratam, &c. incutit iis anathema, qui hanc constitutionem violarint. Dat. Anagniæ XII. kal. mai anno VI.*

Dirempta ab Alexandro.

XIV. Hæc ad veteres ritus observandos prætereunda non duximus. Nunc alia in jure ecclesiastico defendendo Alexandri edicta conjungemus. In Scotia Alexander Rex acerbiore ferebat animo Joannem Cheamum apostolica auctoritate Glasguensi sedi præfectum fuisse, conquestusque est suis juribus in eo etiam apostolico diplomate detrahi, quo percepta illius ecclesiæ vectigalia ab eo tempore, ex quo ipsius bonorum administratio fuerat commendata, repeterentur, ferente regionis consuetudine, ut redditibus non potirentur episcopi, ni fidei sacramento se devinxissent: cui respondit Pontifex (d) Joannem ab ea sede non dimovendum videri, cum pares virtues gerendo muneri afferret. Quod ad invadenda vectigalia ecclesiarum vacantium spectabat; eumdem colorem obtendebant regii oratores, singulos præsules, antequam possessionem inirent, obstrictos ecclesiarum bona regiæ beneficentiæ referre accepta, ac sacramento fidem devincire. Quo audito æquam tulit sententiam Pontifex, ut Joannes Cheamus in Regis Scotiæ verba vetere instituto juraret, ac Rex exacto sacramento omnia Glasguensis ecclesiæ vectigalia occupata restitueret: *Nos*, inquit in literis ad Regem Scotiæ datis, *qui semper ad hoc vigilanter intendimus, quod apostolicæ dignitatis honorem, & privilegium ecclesiasticæ libertatis in suo robore conservantes, aliquorum jura, vel approbatas consuetudines non lædamus, de prædictorum fratrum consilio duximus providendum, quod idem episcopus sub tuo conductu ad regalem præsentiam libere perveniat & secure, ac tibi, prout fieri consuevit, præstet fidelitatis debitæ juramentum, & præfata ecclesiæ suæ regalia, seu temporalia de manibus tuis recipiat subsequenter. Cæterum te securitatem hujusmodi, & assignationem regalium, seu temporalium ipsorum liberaliter adimplente, nos si quid per supradictas literas directas episcopis memoratis, seu quascumque alias contra te, aut regnum tuum propter hoc fuit hactenus ab eisdem episcopis, vel de cætero fuerit attentatum, penitus revocamus, &c.* Tenuit diutius in Scotia ea nefaria consuetudo, ut Reges vacantium ecclesiarum, vectigalia in suum ærarium derivarent; quam cum ab æquitate abhorrere perpendisset David Scotiæ Rex, illam regio decreto abolevit. Sed facile postea principibus suasit avaritia, ut bona ea ecclesiastica invaderent: qua de re gravissime questus Gregorius XI. apud Robertum Regem Scotiæ, hortatus est, (e) ut exemplo Davidis Regis bonis hujusmodi temperaret; de quo in decimo sexto annalium tomo dicemus (f).

(d) Ib. ep. 68.

Injustæ Regis Scotiæ querelæ.

Data illi imperia de restituendis ecclesiæ Glasguensis bonis.

Sancitum prius episcopum fidei sacramento devinctum iri.

Prava in Scotia consuetudo.

(e) Greg. XI. l. 5. ep. cur. pag. 180.
(f) Annal. to. XVI. ann. Chr. 1375.

XV. Cum vero de administratione & cura ecclesiarum, quæ apostolico muneri incumbunt, fecerimus mentionem, non prætermittimus ab Alexandro cultissimos sacrarum literarum scientia viros e religiosis sodalitiis ad episcopales sedes vocatos, atque inter eos Albertum, qui Magni nomen

Albertus Magnus creatus episc. Ratisponensis.



men sacrarum humanarumque rerum cognitione æquabat, e Dominicana familia, Ratisponensi ecclesiæ præfectum, (a) dum Coloniæ theologicas artes publice doceret: quare in Apostolicis literis Coloniensis lectoris nomine est insignitus. Meminit de eo Stero, dum ait (b): *Eodem anno floruit dominus Albertus natus de Laupingen magnus, episcopus Ratisponensis, frater ordinis Prædicatorum, & magister in theologia, magnus philosophus.* Anno vero sequenti addit auctor: *Frater Albertus Ratisponensis episcopus, fugiens tam magnam curam animarum, domino Urbano Papæ, affert voluntariam cessionem, cui succedit Dominus Leo ejusdem ecclesiæ canonicus.* Tanti viri, divinis humanisque scientiis expolitissimi elucubrationes enumerant Ptolomeus (c) Lucensis in historia ecclesiastica & Trithemius (d) aliique. Qui plura de eo cupiat, Leandrum (e) cæterosque Dominicanæ familiæ rerum scriptores consulat. Inter cætera quidem dignissima ipsius præconia illud sane commendatione celebrandum, S. Thomæ Aquinatis magistrum extitisse, de quo ferunt tanta contentione animi dicentem auscultasse, ut socii hebetis illum & obtusioris esse ingenii suspicarentur; cumque silentium initio teneret, bovem mutum per jocum appellatum: at postea rogatum ut quædam magistri dicta explicaret, tanto acumine ingenii ac ubertate explanasse, ut non Alberto secundus, sed ipsi antecellere videretur. Hic vero lectorem diligenter monitum velim, plura passim Alberti Magni nomine scripta circumferri, quæ ab ipso nunquam emanasse exploratum est: cum magica superstitione sint fœdata, sed ad conciliandam rei vel frivolæ vel scelestæ auctoritatem, piissimi & sapientis viri nomine subornata simplicibus obtruduntur.

(a) Alex. l. 6. ep. 20. & post eand. ep.
(b) Ster. apud Canis. ant. lect. to. 5. pag. 283.
(c) Ptol. Lucen. hist. eccl. l. 22. c. 18. 19.
(d) Trit. de scrip. eccl. & ex ipso inter alios Novatores cent. 13. c. 10. col. 1072.
(e) Leand. l. 3.

S. Thomæ magister extitit.

Spuria scripta Alberto attributa.

XVI. Funestum porro hoc anno in Germania exemplum orbi datum est quanto magicæ artes periculo ac lugubri exitu exerceantur; monitique mortales ad quæ infortunia cœca libido præcipites agat: horret sane animus tristissimum casum referre, sed Siffridum narrantem producimus: (f) *In diebus istius marchionis Henrici*, Misniæ scilicet, *accidit quoddam valde miserabile & horrendum in Friberga civitate dicti principis. Quidam enim scholaris amore cujusdam puellæ nimium stimulatus, consilium atque suffragium a quodam nigromantico promissa pecunia requisivit, ut sibi puellam impetret: ille autem in quoddam cellarium eundem scholarem secum ducens, & sphæras ac figuras (ut assolent) circum se super pavimentum describens, cœpit legere conjurationes diabolicas. Postquam autem multa phantasmata diaboli se utriusque oculis ingessissent, tandem diabolus in forma illius puellæ apparuit, seque illi in ejus amore ardere eminus exhibebat. Ille cœco amore ductus, cum manum extra sphæram extenderet, volens amasiam suam deprehendere, statim a dæmonio arreptus, & ab eo parietibus cellarii allisus & conquassatus, super nigromanticum illum est projectus mortuus. Tunc ille fere exanimis factus inde se movere non potuit, sed toto residuo illius noctis mortuum super se prostratum sustinens voces edebat miserabiles. Mane multi de civitate auditis hujusmodi clamoribus conturbati, & territi convenerunt, & ipsum inde seminecem eduxerunt.* Caveant ex eo mortales magicis ludibriis se committere, ac dæmonum lenocinia in carnificinam exire discant; sed de his hactenus: nunc Germanicarum rerum statum exponamus.

(f) Siffr. epit. l. 2. hoc ann.

Funesti magicæ artis exitus.

XVII. Dum Germania Alphonsi Richardique factionibus discissa fluctuabat, agitata fuisse consilia refert Longinus (g) de utroque principe exauctorando, cum nec communibus suffragiis designati, nec Germania oriundi essent; conjectasque in Primislaum omnium spes fuisse: illum vero superbia turgidum delatum honorem cum extremo rerum suarum exitio, ut docebit rerum exitus, respuisse, jactasseque apud suos Bohemicam coronam imperiali futuram superiorem.

(g) Longin. hist. Pol. l. 7. & Dubra. hist. Bohem. l. 17.

Imperium Regi Bohem. oblatum.

Nondum regiæ ornamenta dignitatis Primislaus acceperat, quibus cum indui solemni ritu pararet, nec tamen Moguntinus archiepiscopus, ad quem Reges Bohemiæ sacra unctione perungendi jus spectabat (is erat Wernerus Gerardi vita functi successor h) apostolica auctoritate confirmatus esset, Pontificem consuluit Primislaus ut decerneret a quibus regiæ inunctionis solemnia peragenda forent: cujus justis desideriis assensum est, (i) ac Pragensi Olomucensique episcopis demandatæ partes, ut vocata præsulum corona apostolica auctoritate Primislaum regia inunctione linirent: cautum tamen est Moguntinæ ecclesiæ jura ex eo non labefactatum iri.

(h) Serar. Moguntiacar. rer. lib. 5.

Regiam inaugurationem suscipere meditatur.

(i) Alex. l. 6. ep. 259.

*Pragensi & Olomucensi Episcopis.*

XVIII. *Quoniam ad subsistentiam multorum, & regimen præesse oportet unum singulare præcipuum, quia pluralitas in præsistentia scissuram induceret, & solidam gubernaculi disrumperet firmitatem, præeminent quidem ob hoc singulis regnis, & mundi provinciis singula regnantium solia, & singulæ principantium potestates: quia dum reges populis imperant, & populi regibus reverenter intendunt; dum ii humiliter subsunt, & illi benigne præsunt: dum congruis illi præeunt jussibus, & devotis isti animis obsequuntur, viget ex hoc in eisdem populis concordium unitas animorum, misericordia & veritas sibi obviant, & justitia & pax se adinvicem complectuntur. Ideo namque a summo illo Rege, per quem san-*

*singulis Reges regnant, & principes principantur: temporalis gladii ad malorum vindictam, laudemque bonorum terrenis est Regibus attributa potestas, ut assumpto ab eis dominandi officio, judicent in æquitate populos, & dirigant in terris subjectas sibi gentium nationes, quatenus sit voluntas eorum in executione justitiæ ac meditatio in lege rectitudinis & observantia sanctæ pacis. Ad quæ utique perfectius exercenda iidem Reges unctionis sacræ virtute, quam per venerabiles Christi ministros antiquo more suscipiunt, donum gratiæ recipiunt potioris, ut & in prosecutione justi regiminis fortius convalescant, & tam in se, quam in eorum subditis prudentiori & sanctiori spiritu dirigantur. Nam, etsi differat principis unctio a pontificis unctione, quia in capite pontifex ungitur, princeps autem in brachio, sive humero, vel in armo, in quibus principatus congrue designatur: quia etiam illius caput consecratur chrismate, brachium vero istius oleo delinitur; vehemens tamen est in ipsis Regibus hujus efficacia sacramenti, quoniam inuncto Saule, insiliit spiritus Domini super eum, & in virum alterum est mutatus; & in David, unctione suscepta, spiritus Domini est directus. Ad insinuandum quoque quod in Regibus esse debeat plenitudo virtutum, quod nec in eis est integra dominii temporalis auctoritas, capiti principis honorabile, ac venerabile sub circulari forma imponitur diadema: a quo siquidem principe, qui talibus decoratur insigniis, & titulis præsignitur, tamquam a capite subditis, velut membris recte vivendi modus indicitur, & modestiæ regula componitur, & dictatur.*

Pontifices in capite, Reges in humero inungendi.

Quid diadema imponendum Regibus significet.

XIX. *Sane charissimus in Christo filius noster illustris Rex Bohemiæ devotissimus Ecclesiæ filius præmissa, veluti princeps catholicus, diligenter attendens, ac sperans per hujusmodi unctionem spiritualis gratiæ rore perfundi, nobis humiliter supplicavit, ut cum progenitores sui Reges Bohemiæ inuncti, & coronati in Reges extiterint per archiepiscopos Maguntinos, qui fuere pro tempore; ac ipse per dilectum filium Maguntinum electum, pro eo quod nondum est ejus electio per sedem Apostolicam confirmata, inungi & coronari non possit, eum in Regem inungi, & regale diadema suo imponi capiti faceremus.*

Cur Rex Bohem. a Mogunt. electo sacrari non posset.

XX. *Nos igitur dicti Regis devotionem multimodam attendentes, & considerantes, quod progenitoribus suis, qui fuerunt ardentes catholicæ fidei zelatores, non solum derivatione sanguinis, sed & puritatis, ac bonitatis imitatione succedit; ac cupientes ob hoc eum in iis specialiter honorari, ipsius supplicationibus benignius inclinati, fraternitati vestræ mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum, adhibito vobiscum decenti episcoporum numero, tum propter ejusdem Regis honorificentiam, tum propter reverentiam sacramenti, sibi auctoritate nostra hujusmodi unctionem impendere, & capiti ejus imponere regale diadema curetis. Volumus autem, atque statuimus, ut nullum ex hoc in posterum pontificibus Maguntinis, qui erunt pro tempore, & ecclesiæ Maguntinæ aliquod præjudicium generetur, quin circa ipsius Regis successores exequantur libere, quod ad eos pertinet in hac parte. Ea vero quæ exhibiturus esset idem Rex archiepiscopo Maguntino, si inungeret & coronaret eundem, integre ab eodem Rege recipiatis, illa dicto electo, si eum confirmari contingat: alioquin ei qui prædictæ Maguntinæ ecclesiæ regimini præfuerit, fideliter transmissuri. Dat. Anagniæ II. nonas octob. anno VI.*

Data Primislao alterius ad id adhibendi auctoritas.

Sancitum non detrahi juribus ecclesiæ Moguntinæ.

XXI. Peracta res, ut apostolica sanxerat auctoritas. Emendandus vero ex his Longinus (*a*), dum Primislaum ambitionis perstringit, atque in crimen vocat, ducali fastigio non contentum regiam dignitatem usurpasse. Addit auctor ipsum uxori libellum repudii dedisse, atque ad monasterium, inducta Belæ Ungarorum Regis sorore, ablegasse, quod servandæ pudicitiæ voto sese ipsa, antequam nuberet, adstrinxisse diceretur: de quibus excusatoriæ ab Othocaro ad sedem Apostolicam datæ postea literæ (*b*). [1] Non levem sane gloriæ suæ effusæ libidinis labem impressit, quippe Nicolaum filium ac filias duas, dum matrimonio conjunctus erat, ex soluta suscepit, quos justorum natalium dignitate ornari studuit; ad quod obtinendum sedem Apostolicam deprecatus, ut sua auctoritate id decus ipsis conferret, ita Alexander ad ejus preces descendit (*c*), ut publica munera, honores, principatus gerere permitteret, in regnum tamen Bohemiæ sibi ex eo jus aliquod comparare, vel affectare vetuit: *Ecce apostolicas super hujusmodi dispensatione literas per dilectum filium magistrum Berardum de Furcon scriptorem nostrum latorem præsentium tuæ magnitudini*, Regem allo-

(*a*) *Longin. hist. Pol. l. 7.*

Sordidiores Regis Bohemi mores.

(*b*) *Ext. lib. priv. Rom Eccl. t. 1. pag. 253.*

Nothis fil. justor. natal. jura impetrat.

(*c*) *Lib. 6. ep. 125.*

NOTÆ [1] E Solemni hac coronatione, de qua in annalibus, Othocarus regni sui epocham auspicatur, ut ex literis ejus in annalibus legendis discimus. Sed ex illis literis pariter constat coronationem hanc nonnisi sequenti anno, & quidem post diem II. id. julii peractam. Nam in annalibus ad A. 1271. XXIX. ejus epistola eodem anno, & mense data recitatur, quam *coronationis suæ anno X.* signat. In spicilegio etiam Lunigii pag. 260. leguntur literæ Othocari signatæ *III. nonas martii coronationis suæ anno octavo, indictione duodecima*, quibus exprimitur annus 269. & regni epocha ab anno 261. repetitur. MANSI



Excipitur sceptro Bohemico non successuros.

alloquitur, *destinamus. Verumtamen scire te volumus, quod nequaquam nostræ intentionis extitit, vel existit, quod idem Nicolaus, vel dictæ filiæ, aut aliqua ex eis per hujusmodi literas, seu earum prætextu obtinere, vel habere possint regnum Bohemiæ, vel ejusdem regni regiam dignitatem, aut succedere in eisdem. Prædictum autem scriptorem ideo ad tuam duximus præsentiam transmittendum, ut hujusmodi intentionem nostram tibi aperte prædicat, & hæc omnia coram te ex parte nostra publice protestetur. Dat. Anagniæ XII. kal. novembris anno VI.*

Decrevit hæc Alexander gravissimas ob causas: quamquam etiam alios illegitimo thoro procreatos a sede Apostolica idoneos ad gerenda sceptra, natalium labe pontificia auctoritate deleta, renunciatos visuri sumus. De Primislai sive Othacheri bellis cum Ungaris opportuniore loco dicendum erit: nunc tristes Prussorum sub barbarico ferro pereuntium ejulatus nos ad se vocant. [1]

XXII. Christiani in Prussia concisi.

Excitarant in monte, cui S. Georgii nomen est, arcem Crucigeri, qua re Prutheni infideles ac Lituani lacessiti, collectis florentissimis copiis occurrentes sibi duos Prussiæ & Livoniæ, quos ducebant Crucigeri, exercitus, congressu inito, in Curlandia delevere, nonnullasque arces urgente fame ad deditionem compulere: non levi tamen strage ipsorum edita, victores postea repressi fuerunt. Sparso ad sedem Apostolicam Christianorum cladis nuncio, indoluit Pontifex, datisque ad Theutonicos religiosos Livoniæ, ac Prussiæ equites apostolicis literis (*a*) præcepit, ut crucis signa in hostes religionis attollerentur, populique ad arma capessenda incitarentur: *Vix absque lacrymis meditari, vel audire possumus, quod pro fidei negotio in Livoniæ, ac Prussiæ partibus, sub innumeris expensis ordinis vestri, & infinitis angustiis ad Dei gloriam magnifice jam promoto, plurimi ex fratribus ipsius ordinis per manus infidelium crudelissime sunt occisi. Quia vero idem negotium perire creditur, nisi per divinæ virtutis auxilium, & Apostolicæ sedis favorem in eo potissime roboretur, quod ad vos peregrinorum confluat multitudo, nos vestris luctuosis precibus inclinati, præsentium vobis auctoritate concedimus, quod in subsidium vestrum, & aliorum Christi fidelium manentium in partibus supradictis per fratres clericos ejusdem ordinis ad hoc idoneos in regnis, ac provinciis, & terris aliis, quæ vobis prædicta sedes ad idem subsidium deputavit, prædicari crucem sub illa forma cum omni diligentia faciatis, quam prædicta sedes per suas literas ad instantiam vestram dilectis filiis Prædicatorum & Minorum ordinum fratribus, ac etiam quibusdam episcopis dignoscitur commisisse, &c. Dat. Anagniæ X. kal. martii anno VI.* Quo vero magis ad pugnam in barbaros eosdem religiosos equites concitaret, spopondit (*b*) se in Apostolicæ sedis clientelam accepturum terras, quas hosti eripuissent; præterea sanxit (*c*), ut terrarum Curoniæ, & Curlandiæ partes duas, tertia episcopo reservata, obtinerent.

(*a*) *lb. ep. 28.*

Crucesignatas copias contrahi jubet.

(*b*) *Ep. 64.*

(*c*) *Ep. 35.*

XXIII. Necdum a tantis calamitatibus septentrionales Christiani respirarunt: Mendok enim sive Mendolphus Lituaniæ princeps, hoc anno ingenti instructo exercitu in Christianorum terras irruit, ac primum Mazoviam resistente vastavit, Plocensem urbem civibus desertam incendit, dein in Prussiam converso furore, quoscumque catholicos crudelissime enecavit: plures urbes recens extructas excidit, & crucigeris se in arcibus continentibus, ingentem armentorum multitudinem spoliaque innumera abduxit: captos vero Christianos avehere in servitutem dedignatus, horrendam eorum stragem edidit.

Mazovia a Lituanis vastata.

Ingentes ab iis strages editæ.

XXIV. Non suffecerat Christianis tot cladibus a paganis atteri (in quibus tamen maximo iis erat solatio, honesta accipere pro fide vulnera mortique pro Christo melioris adipiscendæ vitæ spe occumbere) nisi mutuis armis concurrerent, suum invicem sanguinem funderent, ac sitirent. Hoc enim anno Ungari, Bohemique magno animorum ardore prælio congressi sunt, in quo utriusque regni lectissimus flos miserrime periit, Bohemique cruentam victoriam retulere. Bellum illud movisse Othocarum Regem Bohemiæ refert Stero (*d*), quod moleste ferret a Bela Rege coactum olim fuisse Striria cedere, quam ad se una cum Austria attinere contendebat; castraque ad fluvium Mar-

Ungari & Bohemi de Styria dimicant.

(*d*) *Stero in annal. apud Can. to. 1. pag. 289. Dubrav. hist. Bohem. l. 17.*

NOTÆ [1] ANno huic adscribitur a Cossartio Arelatense quoddam concilium, quod sub Florentio, sedis illius archiepiscopo celebratum non ex titulo solum qui in MS. codice illi præfigitur, sed ex canonibus pariter illius ab Insulano concilio anni 1288. laudatis sub nomine concilii sub Florentio habiti satis constat. De anno nihil in MS. codice idem Cossartius reperit, cui ut anno huic adscriberet persuasit hæreticorum commentum illud, de quo in eodem concilio, sæculi nemoe hujus spatium tristariam dividendum esse, ejusque secundum, quod gratiæ appellabant durasse annis 1260. Sed inde recte quidem inferas concilium serius anno 1260. non vero ipso eodem anno coactum fuisse. Quin nec anno illo haberi potuisse ex eo arguimus quod Florentius e sede Ptolemaidensi ad Arelatensem nonnisi sequenti anno translatus fuerit, ut Sammarthani docent. MANSI

Parta a Bohemis victoria.

Marchin metatum, ex altera parte Stephanum juniorem occurrisse: inde prælio inito Ungaros, qui primi impetum in hostem impresserant, victos profligatosque, ac Regem accepto vulnere fuga salutem suæ consuluisse: pacem demum, Stiria Bohemo restituta, inter principes coaluisse. De eo bello ad hunc annum agens monachus Patavinus (*a*) dissentire in eo a Sterone videtur, quod Belam, non vero Stephanum gessisse dicat: atque eum tantum exercitum collegisse adiicit, ut centum millia equitum armatorum sub signis numeraret, cladique occasionem dedisse Cumanos, qui arcu & sagittis eminus pugnare assueti, cum Bohemorum & Theutonicorum præcipitem impressionem ferre non potuissent, in fugam conjecti eversique fuere: pugnæ vero initio plures e Bohemis periisse. Sed Steronem, ac Patavinum conciliat Longinus, dum ait Stephanum cum Bela in castris versatum, atque ab ipso cum parte copiarum ad lacessendum hostem missum, a quo fusus dum ad castra patris profugiebat, plures undis Moravæ mersos, quam prælio amisisse: iterumque bellum pro Stiria, cum effluxissent induciæ, pari ardore redintegratum, ac demum pacem inter eos, conjuncta affinitate coaluisse. De eo bello agunt S. Antoninus (*b*) continuator Parisii, aliique.

(a) Man. Pad. chr. l.3.

Pax inter eos affinitatibus firmata.

(b) Ant. p.3. tit. 19. c.7. §.6.

XXV. Coegit Ungarum fœdus pacisci cum Bohemo imminentium Tartarorum terror, cum ii ante bellum indixissent, atque jam signis victricibus pervasissent Poloniam, cui horrendas clades intulere. Sandomiria enim (*c*) atque ejus arce expugnatis, innumeros ferro peremere, reliquam multitudinem, fœminis elegantiori forma præditis atque adolescentibus servituti ipsa morte funestiori reservatis, in proximum fluvium pecudum more impulere, undisque mersere. Inde per circumposita excurrentes multam prædam abegere, Rutenorumque amicitia, & auxilio freti Polonia discessere. Ferebat fama, Casimirum Cujaviæ ducem Tartaros ad eam excidionem inferendam solicitasse: quare cæteri Poloniæ duces maxima ipsi damna injuriasque retulerunt.

(c) Longin. hist. Pol. l.7. Chrom. l.9. Novatores ex eo centur. 13. c.16. col. 1345.

Polonia evastata a Tartaris

XXVI. Nec septentrione modo ad subiicienda sibi Christiana regna imminebant Tartari, verum in oriente magnum terrorem incussere, ne fideles obruerent: nota enim ambitio, qua ad universi orbis monarchiam aspirabant; tum immensa eorundem potentia timorem geminabat: Sultanos enim, sub quorum armis toties succubuerant Christiani, obtriverant rapidissimis victoriis, quas hoc anno partas perstringit Sanutus (*d*): *Tartari violenter irrumpentes ceperunt Alapiam, Harenc, Haman, Calamelam, & Damascum, occidentes cunctos factos sibi obviam Saracenos: intrant deinde regnum Jerusalem, &c.* Hæc fusius describit Aytonus, (*e*) ut post Caliphium Baldacensem necatum Haolonus Tartarorum Rex Mangonis Can Imperatoris frater e Regis Armeniæ consilio Halappiam, deinde Syriam expugnarit: *Postquam Haolonus requievit per spatium unius anni*, nimirum capta Baldacensi urbe, *tunc misit ad Regem Armeniæ, quod veniret cum gente sua ad civitatem Robais in regno Mesopotamiæ, quoniam intendebat ire ad Terram sanctam, ut illam redderet Christianis. Unde Rex Aytonus bonæ memoriæ iter suum arripuit cum magna proborum armorum virorum equitum & peditum comitiva, quia tunc temporis regnum Armeniæ in tam prospero statu erat, quod facere poterat duodecim millia equitum, & quadraginta millia peditum armatorum: ego qui hoc tempore meo vidi, possum perhibere testimonium veritati. Cumque Rex Armeniæ venisset, sicut mandaverat Haolonus, & super negotio Terræ sanctæ simul colloquium habuisset, ait Rex Armeniæ Haolono: Domine, soldanus Halappi tenet totius regni Syriæ principatum, in quo quidem regno sancta Hierosolymitana civitas invenitur, & postquam intenditis Terram sanctam acquirere, sicut mihi videtur, primitus est Halappi civitas obsidenda, quæ totius regni Syriæ est caput & magistra: nam si civitas Halappi vestro subditur dominio, alias terras omnes poteritis faciliter obtinere.*

(d) Marin. Sanut. l. 3. par. 12. c.5.

(e) Ayton. hist. orien. l.1. c.28.

Rex Armeniæ vires cum Tartaris conjungit.

Consulit vertendos impetus in Halappiam.

XXVII. *Consilium itaque Regis Armeniæ placuit Haolono, unde fecit obsidere civitatem Halappi, quæ erat fortissima civitas muris circummunita, habitata, plena populis, & divitiis opulenta. Haolonus quoque cum meatibus subterraneis, cum onagris, arcubus & ballistis, & aliis generibus armorum variis, & diversis invadi fecit undique sic viriliter civitatem, quod licet inexpugnabilis videretur, ipsam tamen violenter novem dierum termino occupavit. In ipsa quidem civitate Halappi tantam divitiarum multitudinem invenerunt, quod vix esset credendum. Erat autem quoddam castrum in medio civitatis, quod se tenuit per undecim dies, postquam civitas jam extiterat occupata: demum vero per meatus subterraneos fuit captum, & capta fuit civitas Halappi, & deinde regnum Syriæ per Haolonum an. Domini * MCCXL.* Irrepsisse in numerorum ordinem errorem conspicuum est ex superius dictis, ac legendum MCCLX. in quo alii auctores consentiunt. Cæterum hæc victoria alia cumulata est, Damasco & Syria in Tartarorum potestatem redactis, ut auctor prosequitur (*f*).

Halappia impetu capta ab Haolono.

Syria sub jugum missa.

*MCCLX.

(f) Ib. c. 29.

XXVIII. *Quando vero Soldanus Halappi, qui vocabatur Melcknaser, qui tunc erat in civitate, intellexit quod civitas Damasci capta fuerat cum filiis & uxore, qui erant ibidem, nescivit ad consilium ponere seipsum, nisi quod ad pedes Haoloni venit misericordiam implorando; sperabat enim per hoc, quod sibi uxor & filii redderentur, & pars aliqua ad suum dominium tenendum: sed Soldanus fuit in sua opinione deceptus, quoniam Haolonus ad regnum Persarum destinavit ipsum cum filiis & uxore, ut absque inquietatione dominium Syriæ obtineret. His itaque peractis, de spoliis acquisitis in captione civitatis Halappi Regi Armeniæ Haolonus contulit magnam partem, & de terris etiam, quas occupaverat, Regi quamplures concessit. Unde Rex Armeniæ accepit plura castra regno suo vicina, & illa fecit * munerari ad suam liberam voluntatem. Post hæc Haolonus misit per principem Antiochiæ, qui Regis Armeniæ gener erat, dona; & ipsum principem plurimum honoravit, & dedit sibi privilegia gratiosa & omnes terras suæ jurisdictionis, quas occupaverant Saraceni, & quæ ad suum dominium redierant, jussit quod principi redderentur libere & quiete. Et postquam Haolonus ordinavit ea, quæ fuerant ordinanda circa negotium civitatum, & terrarum, quas occupaverat, dum intenderet se transferre ad regnum Hierosolymitanum, ut Terram sanctam liberaret de manibus paganorum, & illam restitueret Christianis, ecce nuntius venit tertia die, nova ferens de obitu fratris sui, & narravit qualiter post obitum Mango Can vacaverat Imperium Tartarorum, quod ejus quotidie præstolabatur adventus, ut ipsum ponerent in sede fratris sui. Haolonus quidem intellectis rumoribus de obitu fratris sui ineffabili fuit tristitia circumventus, unde ulterius non processit: sed ordinavit quemdam suum ducem nomine Guiboga, & dimisit ipsum cum decem millibus Tartarorum in custodiam regni Syriæ, & præcepit, quod Terram sanctam acquireret, & restitueret Christianis. Quo facto Haolonus festinanter recessit versus partes orientis.* Quibus consentanea Joannes (*a*) Villanus, & Marinus Sanutus (*b*) tradunt.

Sultanus in servitutem abductus.

Datæ Regi Armeniæ plures arces.

* muniri

Deliberat Olao de restituendo Hierosolyma Christianis.

Audita Mangonis morte revocatur.

(a) Jo. Villan. l.6. c. 61.

(b) Sanut. l.3. par. 13. c.7.

XXIX. Addictum fuisse Christianis Haolonum, sive Olaonem, quo nomine a Sanuto vocatur, atque etiam optime de fide nostra sensisse, & Christo, a quo victorias amplissimas de Mahometanis retulerat, nomen dare meditatum, atque etiam a Romano Pontifice, ut supremo in terris Christi vicario, baptismalia sacra misso oratore flagitasse, docent insignes literæ ad Olaonem datæ, quæ in nostro M. S. Vallicellano codice (*c*) nullo Pontificis, a quo exaratæ sint, inscriptæ titulo extant.

Ut de fide Christiana optime senserit.

(c) Vallic. MS. sign. lit. C. n. 49. pag. 24.

*Olaoni Regi Tartarorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*



*Exultavit cor nostrum in Domino, & in salutari suo noster animus multa lætitia dilatatur, cujus misericordia, ut firmiter credimus, tuæ mentis oculos dextera suæ pietatis aperuit, si, prout accepimus, a Deo tibi veri luminis splendor illuxit, quod ad agnoscendum Christianæ fidei veritatem plenis anhelas affectibus, & pleno corde suspiras. Nuper siquidem Joannes Ungarus, tuum in hoc se nuncium asserens, nostro apostolatui reseravit, quod tu ad salutem dirigens vota tua, votive desideras secundum veram catholicam evangelicamque doctrinam, quam sancta Romana ecclesia fatetur & prædicat, sacri baptismatis unda renasci, Christicolarum annumerari collegio, & Christiani nominis titulo insigniri. Ad quod idem nuncius ex magnitudinis tuæ parte petebat, per nos aliquem virum idoneum destinari, qui prædictæ doctrinæ præpollens scientia, & munditia vitæ refulgens, te suo sacro ministerio baptismi perducat ad gratiam, & per idem regenerationis lavacrum ejusdem sanctæ matris Ecclesiæ socians unitati sacris instruat institutis.*

Postularit a Rom. Pont. baptismalia sacra.

XXX. *Utinam princeps magnifice tibi nostri animi secretiora paterent: utinam patenter inspiceres, quanta nos hujusmodi tua petitio jucunditate respersit, quantam nobis, si de ipsa constitisset plenius, exultationis & gaudii materiam ministrasset, quam libenter extensis intimæ charitatis brachiis, & sinu pietatis aperto venienti ad salutem filio Apostolicæ sedis benignitas anhelo spiritu, & concitis gradibus occurrisset. Hoc etenim, salutem videlicet animarum in cunctis nationibus divinitus humilitatis nostræ curæ commissis, desideranter exquirimus: hoc plenis desideriis, & totis nisibus affectamus. O quanta infunditur menti nostræ jucunditas, dum intra pectoris claustra revolvimus, quam gratus Creatoris & Redemptoris tui, qui pro redemptione humani generis se passioni crucis exposuit, conspectibus appareres, si te tuosque subditos, qui ad meritorum tuorum cumulum, & æternæ retributionis augmentum tua creduntur in hoc imitari vestigia, insignitos baptismatis, & aliis Christianitatis insigniis ipsius præsentiæ in die tremendi judicii præsentares. O quanto securius tanta tuorum ex laudabili de inimici faucibus ereptorum caterva stipatus illud tam terribile judicium expectares!*

Pontificia ad eum gratulatio.

XXXI. *Considera fili, considera quam cito præterit figura hujus mundi, quam subito, quam facile hominis compago dissolvitur: & si hujusmodi propositum assumpsisti, constanter illud, & omni, qua poteris, celeritate prosequere, nec spiritum tam salutaris inspirationis extinguas sed ad salutem quodcumque potest manus tua instantius opereris. Nec illud tuæ circumspectionis considerationem prætereat, quam late, quam*

Urgetur ad consilium mandandum operi.

*quam abunde ad subjugandi Saracenorum regna potentiæ tuæ incrementa succrescerent, si Christianæ militiæ brachium tibi patenter & potenter, sicut ex Deo potest, assisteret, si tu sub Christianitatis clypeo divina fultus potentia Christianorum auxilio fulcireris, profecto ex hoc tibi, & temporalis fastigii culmina firmarentur, & ad æternam gloriam, dummodo te ad eam juxta catholicæ fidei documenta dirigeres, indubitabilem fiduciam præparares.*

XXXII. *Cæterum quia super præmissis memoratus Joannes de tuo beneplacito nullas nobis sufficientes literas, vel aliam certitudinem plenam exhibuit, venerabili fratri nostro patriarchæ Hierosolymitano A. S. L. viro utique magnæ auctoritatis, expertæ probitatis, & fidei; viro quem, tamquam gnum, nobile, ac unum de præcipuis honorabilioribus membris universalis Ecclesiæ, de cujus prudentia puritate, ac fidelitate, plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad hoc duximus eligendum; literas nostras dirigimus, ut ipse super præmissis firmum propositum tuæ serenitatis exploret, nobis quod invenerit rescripturus. Quocirca magnitudinem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, pro animæ tuæ commodo deposcentes instanter, quatenus eidem patriarchæ de prædictis tuæ voluntatis arcanum celeriter cum omni securitate revelles, ut nos certificati per ipsum, quæcumque ad id fuerint utilia, celeritate debita, ad quod nos paratos offerimus, prosequamur.*

Patriarcha Hierosol. rem accuratius explorare jubetur.

XXXIII. Divinæ providen. adoranda consilia.

Adoranda hic divina providentia est, quæ Tartaro huic tot tantasque victorias ad evertendam Mahumeticam superstitionem contulerat, illumque divinis instinctibus ad baptismi sacra amplectenda urgebat. Et quidem fidem Christianam professum esse refert Aytonus (*a*): ascribendum vero est hominum peccatis, si divinis consiliis exitus non responderint. At Olaono in orientem abeunte, cum Guiboga illius præfecto, qui Hierosolymitanum regnum Christianis restituere erat jussus, male gesta res; illiusque arma in nostros fortuito casu provocata sunt, ut Aytonus recenset (*b*): *Guiboga, quem Haolonus dimiserat in regno Syriæ, & in provincia Palæstinæ, terras illas tenuit pacifice, & diligebat multum Christianos: nam ipse fuerat de progenie trium Regum, qui venerunt nativitatem Domini adorare. Cumque dictus Guiboga solicite laboraret, ut Terram sanctam reduceret in potentiam Christianorum, ecce diabolus inter ipsum & Christianos illarum partium semen scandali & discordiæ seminavit: & hoc accidit tali modo. In terra enim de Belfortis, quæ est de dominio civitatis Sydoniensis, erant plures villæ, in quibus Saraceni certum censum Tartaris exhibebant: unde accidit, quod certi homines Sydonis & de Belfortis congregati in unum, iverunt ad villas Saracenorum & casalia, & deprædaverunt eos, plures interfecerunt Saracenos, alios vero cum magna multitudine bestiarum ducebant cum præda. Quidam vero nepos Guibogæ, qui ibi prope morabatur, cum parva equitum comitiva secutus fuit celeriter Christianos, qui talia fuerant operati, ut diceret, ex parte avunculi sui quod dimitterent prædam. Quidam ex ipsis Christianis irruerunt in eum, & occiderunt eum, & quosdam alios Tartaros cum eodem, & noluerunt restituere prædam. Quando Guiboga intellexit, quod Christiani interfecerant nepotem suum tali modo, confestim equitavit, & cepit civitatem Sydoniensem, & destruxit magnam partem murorum, paucos perdidit Christianos, qui ad insulam fugerant: numquam tamen postea de Christianis Syriæ Tartari fiduciam habuerunt, neque Christiani de Tartaris sunt confisi.*

(a) Hist. Orient. c. 32.

(b) Ib. c. 30.

Guiboga Olaoni præfectus.

Christianis favet.

Suscipit ex inopino casu cum iis simultates.

Sydonem evertit.

XXXIV. His consentientia de Sydone expugnata a Tartaris, nostrorumque trepidatione scribit Marinus Sanutus (*c*): *Capiunt*, inquit, *Sydonem; sed castrum maris nullatenus capere potuerunt. Ptolemenses vero eorum timore præciderunt viridaria extra civitatem, & turres viridariorum ad terram dejecerunt.* Perfusi eo metu Christiani Syri, missis nunciis ac literis Reges occidentales ad arma auxiliaria expediendа solicitarunt: legatum enim ea de causa in Angliam oratorem esse, narrat Westmonasteriensis (*d*) additque retulisse solitos Tartaros in prima acie omnes exteros belloque captos exponere, ut hostis in his occidendis fatigetur; nec viros modo, sed feminas ante retrove sagittandi peritissimas esse. Gallos pariter a Pontifice excitatos, ut laboranti Terræ sanctæ subsidia pararent, Nangius recenset. (*e*)

(c) Sanut. l. 3. p. 12. c. 5.

Christianorum Palæstinæ trepidatio.

Implorant occidentalium opem.

(d) Westm. Flor. hist. hoc ann.

(e) Nang. in gest. S. Lud.

XXXV. Concilium in Gallis de parandis auxiliis.

*Anno*, inquit, *Domini MCCLX. dominica in passione congregavit Rex Franciæ Ludovicus Parisiis concilium episcoporum, & principum regni sui, eo quod dominus Papa scripsisset ei Tartaros in transmarinis partibus irruisse, Saracenos vicisse, Armeniam, Antiochiam, Tripolim, & Damascum, Alapiam, & terras illas subjugasse; & tam Acconi civitati, quam toti Christianitati, periculum imminere. Unde ordinatum fuit de orationibus multiplicandis, processionibus faciendis, & blasphemiis in Deum puniendis, peccatis & superfluitatibus cibariorum & vestium reprimendis. Inhibita etiam fuerunt usque ad biennium torneamenta, & injunctum est quod non luderetur aliis ludis, nisi quod homines se exercerent in arcubus & balistis.* Cæterum quod de Antiochia & Armenia sub jugum missis ait auctor,

Decreta in eo lata.



ctor, non de bello iis illato intelligendum est, sed Aytonum Regem Armeniæ una cum genero principe Antiochiæ, dum occidentales mutuis discordiis impliciti justa non ferebant auxilia, se Tartarici imperii vectigales sponte constituisse, ut eorum armis a Saracenorum tyrannide vindicarentur, ut ex Aytono scriptore accuratissimo vidimus: unde Saraceni postea ob concitatos in se Tartaros efferati, primum in Armeniam, & Antiochiam, Guiboga jam victo, iras effuderunt; de quibus suis locis. Jam e Syria in Cyprum progreditur oratio.

XXXVI. Græci, & Latini archiep. in Cypro controversia.

Exarserat gravis controversia inter Germanum Græcum, & Nicosiensem Latinum in Cypro archiepiscopos de auctoritate in Cyprios Græcos, cum Germanus se legibus creatum a Græcis episcopis Innocentii Pontificis edicto contenderet, seque adeptæ dignitati asserere niteretur; negaret Nicosiensis archiepiscopus, unamque esse tantum metropolim a Cælestino institutam, a qua tum Latini tum Græci jura peterent, obiiceret: atque vi Germanum, ut vitio creatum archiepiscopali gradu deturbaret. Pluribus itaque injuriis affectus Germanus ad sedem Apostolicam provocavit, & causam suam argumentis fulciebat, quæ ex pontificia sententia (*a*) producimus [1].

(a) Lib. 6. ep. 121.

XXXVII *Alexand. &c. ad futuram rei memoriam.*

*Græcorum archiepiscopus inter alia proposuit coram nobis, quod cum olim episcopi Græcorum regni prædicti, sua vacante metropoli, præficiendi sibi eumdem G. vel aliam personam idoneam in archiepiscopum a fe. re. Innocentio Papa prædecessore nostro per ipsius literas, non obstante constitutione generalis concilii, vel bonæ memoriæ P. Albanensis episcopi, olim in illis partibus Apostolicæ sedis legati, licentiam impetrassent, ipsum G. in suum archiepiscopum elegerunt: & venerabilis frater noster Tusculanus episcopus, tunc in eisdem partibus dictæ sedis legatus (cui prædecessor ipse mandaverat, ut ei quem canonice prædicti episcopi eligerent, si personа esset idonea, munus confirmationis impenderet, eumque faceret a suis suffraganeis consecrari, præsentatam sibi ejusdem G. electionem confirmans, sibi fecit ab eisdem suffraganeis beneficium consecrationis impendi, recepta postmodum ecclesiæ Romanæ nomine tam ab ipso, quam a suffraganeis ipsis obedientiæ sponsione: dictique suffraganei sibi tamquam metropolitano suo canonicam obedientiam promiserunt, &c.*

Ut Germanus ad dignitatem evectus.

His addebat Germanus archiepiscopus, se inter Græcos Cyprios archiepiscopalis dignitatis pacifica potitum possessione, atque injuria vexatum ab archiepiscopo Nicosiensi, cujus procuratores contraria hæc argumenta, quæ subiiciuntur, de unica Latinorum metropoli attulere.

XXXVIII. Quæ objecta sint ab archiepisc. Nicosiensi.

*Proposuerunt ergo in judicio, quod processus circa promotionem ejusdem G. habitus nullus fuit, cum ad memoratos episcopos jus eligendi archiepiscopum nullo modo pertineret, ac ipsi electionis tempore, quam de ipso fecisse dicuntur, vinculo excommunicationis publice tenerentur; & literæ apostolicæ, in quibus prædicta fuit eis eligendi permissa licentia, per excommunicatos fuerint impetratæ: ex quibus causis pro parte ipsius Nicosiensis archiepiscopi per vicarios ipsius, qui tunc temporis absens erat, ne ad electionem, seu confirmationem, aut consecrationem procederetur hujusmodi, fuerit pro jure Nicosiensis ecclesiæ appellatum.*

XXXIX. * propter

*Præterea cum auctoritate felicis recordationis Cælestini Papæ prædecessoris nostri, qui insulam Cypri * per inobedientiam, & perfidiam Græcorum habitantium tunc in illa, exposuit Latinis catholicis occupandam, fuerint, ibi ejectis exinde Græcorum sedibus, quatuor pontificales Latinorum sedes erectæ, quarum pontifices in decimis & aliis ecclesiasticis juribus, quæ Græci episcopi in eadem habuerant insula, successerunt; & earum unam, Nicosiensem videlicet, idem Cælestinus cæteris prætulerit potestate, ut in tota eadem insula per dignitatem metropolitan. aliis ecclesiis præemineret; ac postmodum dictus Albanensis epi-*



NOTÆ [1] P. Martenius in collectione veterum monumentorum tom. VII. col. 170. & tabulario Engolismensi vulgavit synodicam concilii cujusdam Burdegalensis ad pontificem Alexandrum IV. in qua patres constitutiones a se latas pro expeditione Tartarorum, tum & alias præsenti rerum statui opportunas pontifici exponunt. Id vero concilium anno præsenti assignat Martenius persuasus authoritate Nangii, cujus verba in annalibus hinc recitantur. Sed nullus dubito, quin ad annum sequentem concilium istud referendum sit, indictum occasione novarum literarum Alexandri papæ, quibus pontifex auxilia in Tartaros solicitavit, ut legitur in annalibus ad A. 1261. VI. Non obscure id demonstrant verba illa canonis V. quo decernunt Patres commune subsidium, si quod deinceps periculum ex Tartaris imminuerit; illud tamen addunt, *a multis cessare dicitur, utpote Tartaris tam in transmarinis, quam in cismarinis partibus pro magna parte jam devictis*. Designari his victoriam de Tartaris a Sultano Babyloniæ anno 1260. die 3. septembris, teste Bernardo thesaurario, seu authore continuationis ad Tyrium relatam, tum & alteram ab Hungaris anno 1261. ineunte acceptam, satis constat. Non est igitur cur concilio huic, sedes alia, quam anno 1261. statuatur; & quidem ante Pentecostem ejus anni celebratum oportet, cum expectandum edicant Patres celebrem totius regni conventum a rege *ad quindenam Pentecostes* indictum. MANSI

Allata pro ecclesiæ suæ dignitate.

*episcopus suæ legationis auctoritate statuerit, & statutum ejus fuerit per sedem Apostolicam confirmatum, ut in tota insula prædicta quatuor Græci episcopi tantum essent, & certa sedium haberent loca intra diœceses Latinorum, qui utique postea Nicosiensi archiepiscopo tamquam metropolitano suo, & episcopis Latinis, in quorum erant constituti diœcesibus, se obedientiæ vinculo astrinxerunt; evidenter apparet, quod metropolitanus præter Nicosiensem archiepiscopum in eadem insula, quæ una est provincia, nec potuit nec debuit ordinari.* Disceptata itaque ac ventilata lite, Pontifex cum animadverteret ex morum diffonantia, tum ex eo quod diœceses nullis limitibus fixis circumscriptæ essent, facile Græcos inter & Latinos discordias emergere, ut eos mutuo amoris nexu conjungeret, hanc tulit sententiam.

XL. Decretum Alexandri de quatuor Græc. sedibus in Cypro.

*Irrefragabiliter ordinamus, ut in insula Cypri de cætero infra Latinorum episcoporum diœceses sub Nicosiensi metropoli quatuor dumtaxat existant Græcorum pontificales sedes, & ecclesiæ cathedrales olim per præfatum Albanensem episcopum locis specialibus assignatæ, cum quatuor solummodo in eadem insula fore noscantur episcopales sedes, & ecclesiæ pontificum Latinorum. Unam siquidem pontificalem sedem Græcorum in Nicosiensi apud Soliam, aliam in Paphensi apud Archinos; tertiam vero in Famagustana apud Carpasiam, & reliquam in Nimosien. diœcesibus apud Lefacaram consistere volumus, & ab iis denominari, & tam nomen quam dignitatem pontificalis officii habere pontifices, qui eas pro tempore canonice obtinebunt.*

XLI. *Porro quotiens quamlibet prædictarum sedium Græcorum præsule vacare contigerit, alter a clericis sedis ejusdem invocata Spiritus sancti gratia in episcopum eligatur, cujus electionem Latinus pontifex, in cujus diœcesi fuerit sedes illa si eam invenerit de persona idonea celebratam, canonice auctoritate ordinaria, rite, ac sine difficultate confirmet, sibique faciat per episcopos Græcos vicinarum diœcesum, quos ad hoc idem Latinus advocabit pontifex, munus consecrationis impendi; episcopalem solicitudinem, atque curam monasteriorum, ecclesiarum, cleri, & populi Græcorum in sua civitate, atque diœcesi consistentium, auctoritate propria commissurus eidem; & recepturus ab ipso juratoriam professionem obedientiæ in hanc formam.*

Sacramenti forma præstanda a Græcis episcopis.

XLII. *Ego... episcopus de Solia Nicosiensis diœcesis ab hac hora in antea fidelis ero & obediens sancto Petro, sanctæque Romanæ ecclesiæ, dominoque meo N. archiepiscopo Nicosiensi ejusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, nec in facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium quod mihi aut per se, aut per nuntium, vel per literas manifestaverint, ad eorum damnum nulli pandam. Papatum Romanæ ecclesiæ ac pontificatum Nicosiensis ecclesiæ, & regulas sanctorum patrum adjutor ero ad defendendum, retinendum, salvo ordine meo, contra omnes homines. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Legatum sedis Apostolicæ, quem certum esse cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

XLIII. *Et hanc formam ab episcopo Græco suæ diœcesis recipiet pro se ac ecclesia sua quilibet Latinus episcopus Regni Cypri. Quod si electionem illam cognoverit Latinus pontifex irritandam, ad cassationem ejus procedat sicut de jure fuerit procedendum. Episcopi vero Græci a Latino pontifice ad consecrationem electi Græci suæ diœcesis convocati, ad hoc sine moræ dispendio ex præsentis constitutionis, & ordinationis debito convenire, ac incumbentia consecrationis implere munera teneantur.*

XLIV. Qua Latini episcopi in Græcos auctoritate polleant.

*Sane Græcorum pontificum damnatio seu depositio, sive & translatio, ac cessio soli Romano Pontifici juxta prærogativæ apostolicæ privilegia reservetur, ut in illis sicut & in cæteris episcopis pontificalis dignitatis status & præcellentia manuteneatur: at cuicunque Græcorum ecclesiæ pastore vacanti Latinus pontifex auctoritate propria præsulem ingerere non præsumat, nisi forte ad eum illis negligentibus eligere, qui debebant, facultas ea vice ordinandi eandem ecclesiam de pastore juxta concilii generalis statuta fuerit per lapsum trimestris temporis devoluta; in quo etiam casu potestatem non habeat Latinus episcopus præficiendi ecclesiæ sic vacanti nisi personam Græcam, & tanto honori & oneri ex merito congruentem. Sedis vero Græcæ vacantis episcopo bona decanus, & capitulum ipsius sedis futuro pontifici custodiant fideliter, & assignent.*

XLV. *Cæterum episcopi ejusdem insulæ canonice ordinati, & de cætero etiam prædictis Græcorum sedibus ordinandi habeant in monasteriis, ecclesiis, cleris, & populis Græcis sibi commissis, & obtineant universa, quæ ad dignitatis, vel ordinis episcopalis officium pertinere de communi jure noscuntur: de quibus Latini episcopi, exceptis illis dumtaxat casibus, in quibus metropolitanus de jure potest jurisdictionem exercere, in suffraganei sui subditos nil usurpent. Causæ autem ad forum ecclesiasticum pertinentes, si emerserint inter Græcos, ad suum Græcum pontificem; si vero inter Latinum & Græcum, sive Græcus actor fuerit, sive reus, ad Latinum loci pontificem deferantur judicialiter dirimendæ: verum salva sedis Apostolicæ præeminentia, ad cujus præsidium omnes op-*



*pressi possunt immediate confugere, cum ab episcopo Græco appellandum videbitur ad Latinum episcopum, in cujus diœcesi idem Græcus consistit episcopus, & exinde ad Nicosiensem archiepiscopum, si opus fuerit, provocetur.*

XLVI. De jure dicundo.

*Præsenti quoque ordinatione censemus, ut in civitate, vel diœcesi Latini pontificis præter consistorium episcopalis sedis Græcorum, cum quo auditorium officialis, vel vicarii, si quem Græcus habet episcopus, unum & idem esse dignoscitur, nullum aliud habeatur consistorium jurisdictionis ordinariæ inter Græcos, nisi forte in aliqua ecclesia Græcorum regni ejusdem sit archidiaconatus, vel alia dignitas, annexum habens ordinariæ audientiæ consistorium ab antiquo, a quo ad ejusdem ecclesiæ Græcum pontificem, & exinde gradatim, subditi ejus, cum eorum intererit, provocabunt. Archiepiscopo denique, & episcopis Latinis pro offensis, vel injuriis, & juribus suis, ecclesiarumque suarum animadvertendi canonice in Græcos suarum civitatum & diœcesum in illis casibus competere volumus potestatem, in quibus eis de jure competit in Latinos.*

XLVII. Græcus episcopus ad Latin. Synodum vocandus.

*Ad synodum vero pontificis Latini Græcus episcopus, intra illius diœcesim sedem habens, semel in anno cum abbatibus & sacerdotibus suis, curam habentibus animarum, teneatur obedienter occurrere, ac synodalia ejus statuta, quæ tamen Græcorum ritibus fidei catholicæ non adversis, & a Romana ecclesia toleratis non obvient, recipere ac servare. Ne autem episcopi Græci onere duplici prægraventur, cum ipsos adire oporteat ex hujusmodi ordinationis debito episcopales synodos pontificum Latinorum, eos ire ad provinciale concilium decernimus non cogendos. In visitationibus etiam episcoporum Græcorum, vel subditorum eorumdem, illam habere volumus Latinos pontifices intra proprias civitates & diœceses potestatem, quam metropolitanis in visitationibus suffraganeorum suorum, & subditorum eorumdem concedunt canonicæ sanctiones. Archiepiscopo tamen, & episcopis Latinis cum suas diœceses circa Græcos jure diœcesano visitaverint, hoc in exigendis * procuratoribus indicimus temperantiæ moderamen, ut idem archiepiscopus quinque dumtaxat, Paphensis episcopus quatuor, Famagustanus tres, & Nimosiensis etiam tres a Græcis suarum civitatum & diœcesum procurationes in universo recipiant annuatim, quarum quælibet summa triginta solidorum Turonensium, vel tot bizantios, qui eidem summæ æquivaleant, non excedat.*

* procurationibus

De stipendiis Latino ecclesias Græcorum lustranti attribuendis.

XLVIII. *Verum licet procurationum numerum, visitationis gratia debitarum, considerata ipsorum paupertate Græcorum, duxerimus miseratione provida taliter moderandum; quia tamen Latinis episcopis ad hoc sunt ecclesiarum suarum bona concessa, ut in illis circa officii sui debitum indeficienter valeant militare, volumus ut si fidei orthodoxæ necessitas, aut sinceritas obedientiæ, quæ ecclesiæ Romanæ debetur, vel morum exegerit disciplina, quod iidem Græci pluries visitentur super hoc circa ipsos sine aliquo illorum gravamine visitationis debitum propriis sumptibus, quando tamen eis sacrorum canonum statuta id permiserint, impendere teneantur, cum & Apostolus Paulus, nostræ institutionis exemplar, interdum victum sibi manuum labore quæsierit, ne gravis esset iis, quibus Evangelium prædicabat, aut illi, quos sumptum prædicanti ministrare pigebat, ob hoc salutis ministerio privarentur.*

XLIX. *Plane jus percipiendi decimas in insula memorata pertineat ad ecclesias Latinorum; & in earumdem decimarum perceptione consuetudo a prælatis & clericis Latinis obtenta, & hactenus custodita servetur; per hoc tamen, quod in hac parte consuetudinem dicimus observandam, nemo se a solutione decimarum putet exemptum, quæ jure canonico & divino debentur. Porro licet ecclesia Græcorum regni Cypri, secundum hanc ordinationem, non sit nationis suæ metropolitanum in posterum habitura, volumus tamen præfatum Germanum archiepiscopum Græcorum, dum vixerit, dignitatis archiepiscopalis nomine, ac honore potiri: propter quod personam ipsius donec cesserit, vel decesserit, ab archiepiscopi Nicosiensis qualibet prorsus eximimus potestate; atque statuimus, ut ipso Germano cedente, vel decedente, nullus in præfato regno de cætero Græcorum archiepiscopus ordinetur, &c.* pluribusque interjectis, quibus Germanum variis prærogativis exornat, subjungit.

Archiepiscopalis dignitas Græcis post Germani obitum adimenda.

L. *Porro quando Nicosiensis archiepiscopus post præfati G. archiepiscopi cessionem, vel obitum Græcos suæ provinciæ in suffraganeorum suorum civitatibus, vel diœcesibus jure suæ metropolis, quod sibi competere volumus, visitabit, unicam tantum in qualibet civitate & diœcesi ab universis Græcis earum communiter procurationem recipiat annuatim, quæ LX. solidorum Turonensium summam, vel tot bizantios, qui illis æquivaleant, non excedat. Utrorumque igitur potestate, Latinorum videlicet & Græcorum pontificum regni Cypri, discretivis hujusmodi nostræ ordinationis (quam ad Syros ejusdem regni eosdem, cum Græcis mores, ritus, communisque juris censuram ab antiquo servantes, extendimus) limitibus designata, præsentis decreti auctoritate jubemus, ut neutri nostræ positionis terminos transilire, aut amplius sibi prælationis, aut libertatis vendicare præsumant: sed in Christo, qui est vera pax omnium, utrique tamquam invicem membra per unanimitatis coherentiam, & sub-*

*& subministrationis ordinem fiant ejusdem capitis idem corpus. Amen. Dat. Anagniæ per manum magistri Jordani S. R. E. vicecancellarii & notarii v. non. julii indictione 2. incarnationis dominicæ anno MCCLX. pontificatus vero domini Alexandri Papæ Quarti anno* VI.

LI. Trium principum expeditio adversus Palæologum.

Defluximus ad Imperii Græcorum res. Angelus Michael despota Epiri atque Ætoliæ cœptum jam cum Theodoro Imperatore, dum vivebat, bellum gerere in Palæologum pergebat, fretusque Manfredi Regis Siciliæ tyranni ac Guillelmi Willarduini Achajæ & Peloponnesi principis, quibus filias thoro junxerat, affinitate ac potentia, latius terminos principatus protulerat: adversus quem Sebastocrator a Palæologo missus, cum rem strenue gerere cœpisset, Michael adductus in discrimen auxilia a Manfredo, Willarduinoque amplissima contraxit. Et quidem Gregoras Manfredum bellum non tam soceri Michaelis adjuvandi, quam ditionis amplificandæ causa gessisse refert, tresque hos principes totius ab Jonio sinu Constantinopolim usque terrarum tractus præcipiti victoria subigendi spe elatos, eas provincias inter se sorte distribuisse. Georgius vero Logotheta Manfredi non meminit, sed quadringentos ab eo gravioris armaturæ equites submissos scribit: modumque adiicit, quo Sebastocrator Palæologi consiliis despotam una cum fœderatis profligarit, nimirum cum hostis armis gravioribus onustus esset, sui vero levioribus instructi, ardua semper loca insedisse, variisque congressibus cum iis, qui commeatus in castra deferebant, aut prædatum ibant, initis fatigasse. His addit Nicephorus Gregoras arte & dolo potentissimum exercitum dissipatum a Palæologi ducibus, quamvis longe viribus inferiores essent.

Palæologi ducum artes.

LII. (a) Greg. hist. Rom. l. 3. sub finem.

*Cum*, inquit, (*a*) *propius hostem castra movissent, quendam mittunt hominem valde idoneum ad concitandos & conturbandos hostiles exercitus, neque enim id fieri non poterat, cum Achajæ princeps & Siciliæ Rex alterius essent nationis & generis quam Angelus. Statim igitur is noctu per speciem transfugæ ad hostes transit, & clam cum Angelo Michaele principe Ætoliæ congressus: Scito, inquit, hodie tibi & tuis omnibus magnum periculum impendere: ambo enim generi tui tam Peloponnesi & Achajæ princeps, quam Siciliæ Rex clam per legatos pacem Romanis offerunt, si sibi certæ largitiones dentur. Si ergo salus tua curæ tibi est, quamprimum tibi prospicito, priusquam illorum pacificatio & concordia rata fiat. Obtemperat Michael, & re paucis suorum, quibus poterat & tempus sinebat, clam indicata, ante solis ortum fugit, eumque alii atque alii cum fugam susurrari audirent, sequuntur. Ita sparsim omnes Michaelis milites alii alios fuga antevertere studentes, in pedes sese conjecerunt. Mane vero socii experrecti, fugaque Michaelis cognita, cujus quæ causa esset, nulla consequi conjectura poterant, obstupescebant, nec armis lacessendos esse Romanos statuerunt, tum quod quid ageretur ignorarent, tum ob numerum suorum valde imminutum: itaque in fugam vertuntur, se a Michaele proditos esse rati. Eos igitur ita turbatos aggressi Romani maxima ex parte cæciderunt, cæteros paucis exceptis vivos ceperunt.*

Michael despota circumventus fallaci metu fugit.

Latini fœderati fusi.

LIII.

De submisso in Despotæ castra proditore non meminit Georgius Logotheta, (*b*) quamvis consentiat Michaelem Angelum una cum filio Nicephoro ac fidissimis insolito terrore perfusos intempesta nocte e castris fugam corripuisse, cum imperialis exercitus ad pugnam accinctus ad ferendam Prilapo opem accessisset: *Defector Michael & filius Nicephorus cum nonnullis aliis valde paucis, quibus cum consilia sua & actiones communicare sueverat, noctu equis invecti, viasque bene instructi sese repente abripuerunt. Mane ubi dies processit, ut milites Michaelis fugam cognoverunt, una & ipsi in fugam impelluntur. Romanum itaque agmen, & qui illud ducebant præstantiores, & defectoris quoque spurius filius Joannes Sebastocratori Joanni accurrentes se dedunt, & Imperatori fidem etiam sacramento obligant: princeps Achajæ sociique alius alio dispersi sunt. Princeps* (de Willarduino Achajæ & Peloponnesi toparcha loquitur) *sub palearum acervo absconditus, sed ex dentibus a quodam milite cognitus, namque dentes anteriores ingenti magnitudine prominebant, & colligatus ad Imperatorem advehitur, agminum nobiliores affinesque Aseldreci & Caritaniæ Joffredus, aliique illustrium plures ad Platamonem, alioque in loco capti vinctique ad Imperatorem conducuntur: auxiliaria item manus a Manfredo Siciliæ Rege defectori transmissa ad quingentos, ut diximus numerata, cum armis, & equis, a quatuor hominibus, magno nempe Domestico Alexio Strategopulo, Nicephoro Rimpsa, qui Turca origine Christianis nomen dederat, quorum fidem ingenuissime coluit, & reliqui duo, quorum nomina tempus nobis invidit, debellati sunt: & hi quoque constricti vinculis ad Imperatorem transportantur. Hac ergo victoria nostri imperatoriis consiliis potiti sunt, adeo ut fama illius ad ultima quæque orbis terrarum penetrarit, tales enim victorias haud plures sol videt: tunc porro oppida omnia, & regionem universam nostri subegerunt.*

(b) Georg. Logoth. in hist. Constantinop. Leone Allat. interpret.

Villarduinus princeps captus.

Manfredi copiæ captæ.

LIV. Tentata obsidione ac proditione Constantinopolis.

Afflixit ea clades in Græcia Latinorum res adeo, ut Palæologus in spem occupandæ Constantinopolis elatus vires omnes



nes dolosque ad eam sibi subiiciendam instruxerit. Tentasse illam obsidione vere appetente refert Georgius, & ex adverso borealis cornu urbis in loco, cui Galata nomen est, castra fixisse, atque in arce Galatæ oppugnanda moras duxisse, dum Aseles ipsius affinis in Constantinopolitana urbe vir præpotens proditionem urbis meditatam perduceret. Sed cum Balduinus claves portarum, quas ille noctu Palæologi copiis aperire promiserat, in regiam deferri jussisset, spe sua dejectum Palæologum, recessum adornasse Latinisque oratoribus pacem deposcentibus inducias ad annum tantummodo concessisse, cum jam Latina res pendere, atque in extremum discrimen adducta videretur: ut vero Alexii Strategopuli, quem ob partam de Michaele despota, & Willarduino principe victoriam Cæsaris dignitate insignierat, sequentis anni æstate Constantinopolim dolo, & proditione obtinuerit, inferius dicetur.

I. ANno Christianæ salutis primo supra millesimum ducentesimum sexagesimum indictione quarta Alexander IV. magna cum probitate pontificatu perfunctus, e vita discessit. De quo antequam sermonem instituamus, ea primum adducemus in medium, quæ hoc anno gessisse veterum monumenta tradiderunt. Ipsum sane egregiam solicitudinem in evellendis ex agro dominico hæreseon zizaniis collocasse, produnt ejus literæ, quibus Minoritis fidei censoribus consulentibus, an qui hæreseos labe inquinati essent, vel qui hæreticis operam studiumque contulissent, eosve in suas admisissent domos, atque ideo anathematis vinculo irretiti forent, ad ferendum testimonium admitti deberent, cum ex una parte, quia percussi anathemate, non audiendi viderentur; ex altera sæpius contra hæreticos lis instrui non posset, nisi eorum dicta, qui eadem labe aspersi erant, exciperentur; respondit Alexander in causa hujusmodi in gratiam fidei audiendos, eorumque testimonia admittenda. Ne vero sub laboris suscipiendi mole in re persequenda censores fidei fatiscerent, Pontifex ad levandum laborem singulis duos alios comites, imo plures, si opus foret, viros prudentia scientiaque præditos adjungi voluit (*a*) utque ad fidei negotium diligentius incumberent: permisit, ut si ex humana fragilitate in anathematis vel irregularitatis sententiam incurrerent, sibi invicem absolutionem impertiri possent; utque auctoritate ad munus demandatum recte obeundum instrueret, Innocentii IV. prædecessoris exemplo incutiendarum censurarum ecclesiasticarum potestatem contulit, ac pridie kal. martii leges a Pontificibus, atque a Friderico contra hæreticos latas corroboravit (*b*).

Alexandri adversus hæreticos studia.

An audienda hæreticorum testimonia.

(a) Pen. ad calcem director. inquis.

Data fidei censoribus auctoritas.

(b) Vvad. hoc ann. n. 3.

II. Dum hæc constituuntur in hæreticos, magno ardore adversus infideles septentrionales, præcipue hortatore Alexandro dimicatum est: sed, ut divinæ providentiæ altiora sunt judicia, succubuere sub barbarorum funestis victoriis Christiani, nonnullæque Prussiæ arces munitissimæ in paganorum potestatem cecidere. Concurrerant sub crucis signa generosissimi ex Polonia, Germania, Prussiaque milites, ut clades, quas antea vidimus a Mendolpho apostata Lituano Rege illatas, ulciscerentur: festoque purificatæ Deiparæ die exercitus Christianus in barbarum movit, (*c*) quod rigente asperiore hyeme tempus ad concretas glacie paludes, durata stagna, fluminaque, quibus ea regio crebro interfusa est, calcanda aptius videretur, primo impetu in hostilem regionem impresso, omnia obvia ferro, flammaque deleta. Cumque barbarus suis diffisus viribus in interiora sese subduxisset, Christianæ copiæ, meditullium regionis penetraturæ, quadrigas impedimentaque cum parte exercitus ad ea servanda reliquere: quo per exploratores cognito ethnici, contractis ingentibus turmis in sarcinas irruunt, castrisque facili pugna potiuntur. Pervenere cladis nuncii ad nostros, qui mox regressi in hostem spoliis incubantem provolant. Consurgit pugna asperrima: plures initio barbari cadunt: inde nutat victoria, ac demum arcano divini numinis, nostrorum facinora ulturi, consilio Christianus exercitus fusus fugatusque.

(c) Long. hist. Pol. l. 7.

Expeditio sacra in Lituanos.

Divisus Christianus exercitus.

Impedimentis potiti barbari Fideles profligant.

III. Parta victoria ethnici, sorte sæpius jactata, ac ter in Christianum Magdeburgo oriundum cadente, illum ritu sacrilego, equo insidentem ad grates dæmoni referendas concremarunt. Nec felicior comitis Barboygæ conatus, qui cum pietate ardens Christianis in Prussia perculsis opem laturus se contulisset, ac Zambienses lacessere populationemque agere cœpisset, commisso prælio, concisoque a barbaris exercitu, in hostium potestatem pervenit: inflatique secundis rebus ethnici longius victoriam protulere, ac nonnullas arces non tam armis, quam fame subegere, nomenque ex iis terris Christianum delevere. Tanta porro fame Christi fideles laborasse in obsessa arce, cui Gartensteyn nomen erat, refert Longinus, (*d*) ut dentes etiam amiserint, antequam deditionem hosti facerent. Acceptæ hujusmodi a paganis clades majorum impendentium malorum præsagia futura videbantur, ac Pontificem non levi mœrore perfuderunt.

Christianum equitem dæmonibus immolant.

Fames a fidelibus tolerata.

(d) Long. ubi sup.

IV. Obruebat eum immensa negotiorum moles, atque ad levandas curas, si cum pluribus eas partiretur, explicandaque in difficillimis rebus consilia, universæ Ecclesiæ utilitatibus consulturus, indixerat concilium Romæ quintadecima die post festum paschæ celebrandum: sed cum imminentium Tartarorum rumores increbrescerent, dilatum est, ne illius occasione bellico in eos apparatui aliquod impedimentum iniiceretur: nec falsus rumor: magno enim terrore irrupere in Ungariam. Verum Deus attriti toties populi sui miseratus, victoriam ad Christianos convertit: fusique sunt magna strage Tartari, atque ad quinquaginta duo millia cæsi. Patuit tum omnibus quam egregie rebus suis consulant principes, qui Christi vicarii monita pie excipiunt. Solicitatus fuerat a Tartaris Ungarus, ut societatem cum ipsis, ad edomandum orbem

Indictum Romæ concilium.

Extractum in longius tempus.



bem Christianum coiret, ac filiam Tartarici sceptri heredi desponderet; sed is Apostolicæ sedis a consiliis obsecutus, collocata in Deo spe, superbas infidelium minas ac pollicitationes sprevit, demumque gloriosissimum triumphum de barbaris reportavit.

V. Profligati in Ungaria Tartari.

(a) Vvestm. Flor. hist. hoc ann.

Celebrata concilia pro repellendis Tartaris in Anglia.

Et in Germania.

Felici eo nuncio accepto Alexander, metuens, ut Westmonasteriensis (*a*) ait, ne Tartari ad eluendam ignominiam majori postea impetu, majoribusque viribus succincti in Christianorum terras penetrarent, ad concilium iterum præsules confluere jussit, ut de apparandis copiis, ad eorum reprimendos impetus agitaretur: celebrata vero in Anglia concilia narrat idem auctor, in quibus populi ad crimina lacrymis expianda, servanda jejunia, fundendas preces misericordiamque a Deo eliciendam incitati, ut Tartaricam rabiem ab ipsis propulsaret: coacta quoque Maguntiæ a Wernero archiepiscopo, atque ab aliis præsulibus in suis diœcesibus provincialia concilia jubente Pontifice, ut populi ad molliendam divinam iram precibus solicitarentur. Tum ad capessenda contra Tartaros arma, crucisque accepto symbolo religiosam militiam profitendam, Alexander catholicos principes ac Reges ad Christianum nomen defendendum, ad cujus excidium barbara illa, & impia natio sese comparabat, accendit quæ Stero hisce verbis confirmat (*b*):

(b) Stero in annal. hoc ann.

VI. *Eodem anno dominus Alexander Papa direxit literas Regibus & ducibus, archiepiscopis & episcopis, & universis principibus Christianis hortando ipsos, ut contra horrendam rabiem Tartarorum consiliis & armis se præmunire deberent: nam iidem Tartari, devictis jam & deletis omnibus Regibus, & regnis Saracenorum in partibus transmarinis, Antiochiæ, ac aliis Christianorum terris, terrorem tam validum incusserunt, ut ad dictos Papam & Reges supplices, & frequentes legationes dirigerent pro succursu.* Egregiam ad depellendum impendens hujusmodi periculum navasse operam Alexandrum, indixisseque in singulis provinciis concilia, principesque ad conflandas conjungendasque contra Tartaros vires suas, ut Terræ sanctæ, Ungariæ, ac Poloniæ periclitantibus succurreretur, testatur etiam Urbanus in literis anno insequenti afferendis; iisque respondent, quæ ex Westmonasteriensi de missis legationibus attulimus. Pergit Stero (*c*): *Unde cum super hoc negotio concilium in octava Apostolorum Petri, & Pauli habendum Viterbii indixisset, ipse* VIII. *kal. junii diem clausit extremum.*

(c) Stero ibid.

Concilium Viterbii indictum.

VII. Alexander igitur expletis omnibus optimi Pontificis numeris hoc anno, ut antiqui pene omnes auctores tradunt, Urbanique infra adducendæ literæ patefaciunt, excessit e vita. De cujus obitu inter cæteros exactius hæc Matthæus Westmonasteriensis (*d*): *Eodem anno in festo S. Urbani Papæ & martyris, quod fuit* VIII. *kalend. junii obiit Papa Alexander;* consentitque Nangius (*e*): *Anno*, inquit, *Domini MCCLXI. in festo S. Urbani Papæ obiit apud Viterbium Alexander Papa.* Ipsum annos sex, menses quinque, dies totidem summum Pontificatum tenuisse dicendum est, renunciatus quippe fuit Pontifex XII. kalen. januar. an. MCCLIV. Quibus erroris Longinus (*f*) arguitur, dum ait, annis septem, & mensibus duobus sedisse. Superioribus consensit Ptolemæus Lucensis (*g*): *Alexander moritur in festo Urbani octavo kalend. junii, ut communiter historici tradunt, & hoc apud Viterbium: & in ecclesia S. Laurentii honorifice sepelitur.* Et infra (*h*): *Hic Pontifex hanc famam habuit, quod fuerit vir magnæ humilitatis & pietatis.* In quo sane eum opera sua sententiæ ab ipso in pontificio emblemate inscribi solitæ (*i*): *Suscipe Domine servum tuum in bonum;* accommodasse constat. Pergit auctor: *Unde tradunt historici, quod fuerit episcopus Ostiensis, & interdum ibat Ostiam & Velletrum, ibique prædicabat verbum Dei, vel coram se prædicari faciebat, ibidemque suis clericis ordines conferebat, & inde causas subditorum suorum assistebat secundum decentiam sui status. Decretales multas fecit, quæ in sexto a diversis titulis continentur. Pauperes religiosos multum fovit, &c.* Et quidem hoc ipso anno, Minoritarum suscepto patrocinio, avaros parochos anathemate percelli jussit, (*k*) qui fidelibus in Franciscanorum templis sepulturam deligentibus sacramenta in extremo vitæ discrimine porrigere detrectarent.

(d) Vvestm. Flor. hist. hoc anno.

(e) Nang. de gest. S. Lud. Theodor. Vallic. in vit. Urbani.

(f) Longin. hist. Pol. l. 7. hoc ann.

(g) Ptolem. Luc. hist. eccl. l. 22. c. 16.

(h) Eod. l. c. 17.

(i) Formul. Marin. Ebol. MS. pag. 56.

Alexandri elogium.

(k) Ext. dipl. apud Vvad. ex specul. Min.

Extat pietatis Alexandri insigne monumentum, quo & animæ suæ ac successorum Pontificum & Cardinalium animabus consuluit, hisque verbis in ceremoniali consignatum est (*l*).

(l) MS. bibl. Vat. sign. n. 4737. p. 87.

*Ordinatio Domini Alexandri Papæ IV. de suffragiis faciendis pro summis Pontificibus & Cardinalibus defunctis.*

Alexandri IV. sanctio de precibus fundendis pro Pontificibus & Cardinalibus defunctis.

*Cum fideles animas defunctorum sit salutare procurare consilium, & charitatis instinctu conveniat orationum suffragiis adjuvari, sanctissimus pater dominus Alexander Papa IV. de fratrum suorum unanimi consilio & assensu anniversarium sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificum & Cardinalium obeuntium nonis septembris annis singulis vesperis & vigiliis pro defunctis cum novem lectionibus & cum nota solemniter decantatis, statuit celebrari. Ipse Romanus Pontifex, assistentibus sibi Cardinalibus (ut moris est) missam pro defunctis solemniter celebret: ipsa die decen-*

De re sacra celebranda & erogandis eleemosynis.

*centos pauperes reficiat, & vigintiquinque quilibet Cardinalis: nec non dominus ducentas missas faciat celebrari, vel decantari. Ordinavit etiam, ut cum Romanum antistitem vita migrare contigerit, die defunctionis ipsius Cardinales solemniter & cum nota celebrent pro defunctis, & esum quinquaginta pauperibus pro anima defuncti Pontificis Cardinalis quilibet administret, & missas totidem pro defunctis faciant postmodum decantari. Ordinavit etiam, ut Cardinali obeunte tam idem Pontifex, quam Cardinales in capellis suis cantent cum nota solemniter pro defunctis idemque Romanus Pontifex ducentos pauperes pro ejus anima pascat, & viginti quinque quilibet Cardinalis: immo & ipse dominus Papa missas pro defunctis ducentas, ac vigintiquinque Cardinalis quilibet postmodum faciat celebrari.*

Cardinales in subrogando Pont. inter se divisi.

Quod vero ad interpontificii tempus spectat; illud ita consignat Westmonasteriensis memoratus: *Cessavit Romanus Pontificatus tribus mensibus & binis circiter hebdomadis. Cui tandem successit patriarcha Hierosolymitanus, & vocatus est Urbanus.* Longioris in electione celebranda moræ causam in Cardinalium mutuam invidiam, ob quam extra collegium quæsitus sit Pontifex, refert Sicularum rerum antiquus scriptor (*a*): *Papali curia morante Viterbii, ibique Alexandro IV. summo Pontifice viam universæ carnis ingresso, dum collegium Cardinalium, in quibus velut in montibus sanctis Ecclesiæ fundamenta sunt posita, habere incœperunt de pastoris substitutione tractatum, cum inter eos, vertiginis spiritu & invidiæ livore suffuso non possent in aliquo de gremio convenire, contigit quod Hierosolymitanus patriarcha natione Burgundus, * qui tunc ad curiam ipsam pro ecclesiæ suæ promovendis negotiis accesserat* (disceptaturus nimirum cum Hospitalariis, quibus Alexander monasterium S. Lazari Bethaniæ, ordinis Benedictini concesserat non sine gravi ecclesiæ Hierosolymitanæ incommodo: quæ donatio postea ab ipso pontificatum adepto rescissa est *b*) *concorditer ad apicem apostolicæ dignitatis assumptus sit. Itaque factus de petitore concessor, de subdito dominus, de filio pater, Papa Urbanus IV. meruit nominari.* Nec discrepant ab his monachus Patavinus, (*c*) Ptolemæus Lucensis (*d*), Longinus, (*e*) ac Theodoricus Vallicolor, (*f*) qui accurativis cæteris rem describit atque octo Cardinalium, duorum nimirum episcoporum, totidem presbyterorum, & quatuor diaconorum, qui ipsum elegere, nomina, patriam, ac titulos; tum mutua dissidia percenset. Cujus versus incompti si cui ingrati fuerint, is meminerit in his historiæ veritatem consectandam.

(*a*) Sicul. rer. auct. anonym. MS.

* Trecensis

(*b*) Urb. l. 1. ep. 13.

(*c*) Monach. Pad. chr. l. 2.

(*d*) Ptolem. Luc. hist. eccl. l. 22. c. 23.

(*e*) Long. hist. Pol. lib. 7.

(*f*) Theod. Vallic. in vita Urbani IV apud Masson. lib. 5.

*Urbani festo naturæ debita solvit*
*Quartus Alexander summus in orbe pater.*
*Unde pater mundi solum pendebat in octo*
*Fratribus, ipsorum nomina scire potes.*
*Isti Pontifices prior Odo, Stephanus alter,*
*Gallicus iste fuit, Ungarus alter erat.*
*Totque sacerdotes: genuisse Sabaudia primum*
*Dicitur Hugonem, qui Jacobita fuit.*

Eorum nomina & patria.

Is erat Hugo Dominicanæ familiæ alumnus, theologus scientiis, & scripturarum divinarum interpretatione, ut superiori tomo indicavi, (*g*) clarissimus: cujus opera egregia adhuc extant, atque jam recentibus typis Lugduni cusa sunt, quorum catalogus a pluribus (*h*) auctoribus texitur. Commendant ejus in pangendis Scripturæ sacræ concordantiis laborem S. Antoninus, (*i*) Leander, (*k*) & alii. Neque ipsius silemus elogium, quo a Card. Bellarmino ornatus est: *Hugo de S. Caro natione Burgundus ordinis Prædicatorum, Cardinalis S. Sabinæ ab Innocentio IV. creatus fuit anno Domini MCCXIV. & pie ac sancte obiit anno MCCLXIV.* Pergit Theodoricus.

(*g*) Annal. tom. 13. an. 1251. n. 13.

(*h*) Leand. de vir. ill. ord. Prad. l. 3. Trith. de script. eccles. Sixt. Senen. bibl. sacr. lib. 4. Possev. appar. sac. to. 2. & alii.

(*i*) Anton. 3. par. tit. 19. c. 5. § 2.

(*k*) Leand. ubi sup.

*Alter quem fovit Cistercius ordo Joannes*
*Nomine, natalis Anglia terra sibi.*
*Isti Levitæ Richardus & Octavianus,*
*Progenie clarus fulsit uterque satis.*
*Romanus primus, Tuscus fuit Octavianus.*
*Hic aberat mundi fata sequente patre.*
*Romanus patria ternus Levita Joannes,*
*Othobonus quartus Janua terra sibi.*
*Sanguine progenitus præclaro fulsit uterque:*
*Hi sunt qui poterant octo patrare patrem.*
*Sed quia diversi censent diversa, voluntas*
*Horum non potuit accelerare patrem.*
*Sic opifex rerum tantas in idonea lites*
*Tempora distulerat, cuncta futura sciens.*

Et infra:

*Hi patri Jacobo Hierosolyma quem patriarcha*
*Tunc habuit, sedem corde dedere pari.*

Jacobum patr. Hier. creant. Pontificem.

Ho-



*Horum qui precibus lacrymis consensit obortis,*
*Ecclesiæ murum sequo dat ipse Dei.*
*Urbanusque sibi nomen, sine nomine nec res*
*Extabat, nec ei re sine nomen erat.*

Renunciatum S. Joannis Baptistæ decollationis die festo tradit Longinus, (*a*) ad cujus dignitatis supremum apicem quibus gradibus ascenderit, tum illius primordia recensere ex duobus auctoribus, qui tum metro, tum soluta oratione ejus gesta futuris ætatibus ad Antheri nepotis Cardinalis gratiam precesque tradiderunt, decerpere operæ pretium erit. Ac primum quidem illius patriam, ac primam vitæ institutæ rationem ita describit Gregorius decanus (*b*): *Huic de catholicis orto natalibus Trecarum civitas nomini proprio cognomen adjecit, quæ civitas famosa populorum frequentia, & nemoribus, & pratis amœna, dulcem habitatoribus exhibet suis amœnitatem.* Parentum conditionem auctor premit silentio: quam humilem, & obscuram fuisse ajunt, patre nimirum sutore veteramentorum, ut refert S. Antoninus (*c*): *Etsi infimæ*, inquit, *conditionis fuit secundum sæculi vanitatem, quia filius pauperculi resarcientis sotulares in Francia, nobilissimus tamen sapientia, & virtutibus.* [1]

(*a*) Long. l. 7. hoc ann.

Urbani patria.

(*b*) Greg. decan. apud Masson. l. 5.

Et genus.

(*c*) S. Anton. 3. par. tit. 19. c. 13. in princ. & alii.

At quamvis ignobili stirpe fuerit satus, literis tamen in pueritia egregie excultum, ut propriis ornamentis, non alienis abundaret, refert memoratus auctor: *Idem vir dilectus Deo, & hominibus dum adhuc esset puerulus, Parisios mittitur, ut ibi armariolum puri pectoris scholasticis imbueret disciplinis. Ubi sic laudabiliter primo in liberalibus artibus, postmodum in scientia juris canonici superni numinis benedictione profecit, quod in utrisque cathedrali promeruit titulo insigniri. Cumque ipsius excellentis ingenii altitudo majorum profunda requireret facultatum, ad theologiæ studium se convertit, in qua sic laudabiliter dignoscitur profecisse, quod lingua ejus scribæ calamus prædicationis verbo singulos confovebat. Solum natale tandem repetens, ejus eximiæ sapientiæ, & ordinatæ vitæ fama laudabilis ad vicinos evolat & remotos. Itaque honorabilis præsul Laudunensis ecclesiæ eum in suum ar-*

Progressus in literis.



NOTÆ

[1] Renunciatur hoc anno in pontificem Urbanus hujus nominis IV. de quo plura in annalibus. Annus & dies electionis recte assignatur in annalibus; ad coronationem quod attinet (neque enim consecratione indiguit, qui Virodunensem primum, dein Hierosolymitanum episcopum egit) die IV. septembris ejusdem anni celebratam ex conjectura potius, quam ex idoneo quodam assertore Annalista censuit. Idem pariter eruisse sibi visus est Pagius in Breviario gestorum Summor. Pontif. to. II. part. I. pag. 203. edit. Lucens. ex obscuris quibusdam verbis Theodorici Vallicoloris. Sed hæc opinio plane certa efficitur testimonio Bernardi Guidonis, in vita Urbani IV. vulgata a Muratorio rer. Italic. tom. III. pag. 593. scribentis renunciatum fuisse pontificem *in festo decollationis S. Joannis, fuitque coronatus*, addit, *in ecclesia fratrum Prædicatorum Viterbii dominica prima* (nempe die IV.) *septembris anni MCCLXI.* Bernardus iste in exordio sæculi sequentis florebat.

Raynaldo vitio vertit Pagius in Breviario Pontificum, quod ne verbo quidem designaverit patriarcham, qui Urbano IV. pridem Jerosolymitano patriarchæ, suffectus fuit. Ipse vero ex Spondano scribit anno 1262. V. idus decembris datum illi successorem Guillelmum Agennensem in Aquitania jam pridem episcopum, quem Sanctonensem fuisse docet Bernardus Guidonis in hist. Fundat. Conv. Prædic. Id vero quanquam recte scribi potuit de electione, de consecratione tamen plane erroneum est, cum anno sequenti V. idus januarii Urbanus in literis ad Ægidium Tyriensem archiepiscopum datis signatisque anno pontificatus ejus II. *Guillelmum electum Hierosolymitanum appellet.* Extant illæ in Thes. anecdot. Martenii tom. II. col. 7. Quod autem ex eodem Spondano addit, Guillelmum brevem gessisse episcopatum, cum anno Urbani tertio F. Thomas ordinis Prædicatorum cathedram illam jam tenuerit, ut ex literis Urbani ad illum eodem anno signatis demonstratur; id utique apertissimi erroris revincitur ex literis Andreæ regis Hungariæ, quas legittimo Aliotti tabellionis sigillo munitas exhibet Cl. editor codicis diplomatici Melitensis to. I. pag. 109. Has literas datas anno MCCXVII. demum publica authoritate recognovit, & sigillo confirmavit Aliottus tabellio *die XXVII. mensis octobris decima indictionis* (a septembri mutatæ) *anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto.* Eas vero publica authoritate sic munitas novo iterum pondere firmavit Guillelmus patriarcha, testatus literas illas *bullatas bullo aureo* oblatas sibi fuisse, easque comperisse *per nominatum Aliottum publicum notarium fideliter exemplatas de verbo ad verbum*, cui proinde *transcripto sigillum suum superponi* jussisse. Vivebat ergo adhuc labente anno 1266. Guillelmus. Insuper de Guillelmo scribit Bernardus Thesaurarius, seu Tyrii continuator Gallicus, regni Hierosolymitani corona solemni ritu decorasse Hugonem de Lusiniano, qui non prius anno 1267. die natali Domini eam dignitatem obtinuit. Quin & annum ejusdem Guillelmi emortualem assignat scriptor ille, narrans anno 1270. die XXI. aprilis Guillelmum Ptolemaidæ decessisse. Ex his constat falli Spondanum scribentem extare literas Urbani IV. anno pontificatus sui tertio, idest anno 1264. ad Guillelmi successorem Thomam de Lentino datas. Non equidem nego extare potuisse literas aliquas Urbani anno illo ad patriarcham Hierosolymitanum scriptas; sed cum pro more literarum registri pontificii ejus ætatis patriarchæ ad quem directæ sunt nomen nullum exprimant, facile existimare potuit Spondanus ad Thomam patriarcham inscriptas fuisse, cum re ipsa ad Guillelmum missæ fuerint. Ea Spondani authoritas Bollandistas, Pagium juniorem, aliosque in errorem traduxit. MANSI

*archidiaconum evocavit: in qua ecclesia laudabiliter vixit, & honestæ conversationis habitum studuit conservare.* Complexum ideo singularibus studiis ecclesiam Laudunensem, ubi primum pontificatum iniit, ipsemet testatur in literis ad clerum Laudunensem (*a*): *Hæc ecclesia nos olim per nostræ successus ætatis fovit ut mater, pavit ut nutrix, protexit ut tutrix, edocuit ut magistra, & sicut benefica honoravit. Hæc statum nostrum primulum, primo canonicatus præbendæque beneficio, & postea officio archidiaconatus adauxit: ibi nostra studia suos primos habuere profectus: ibi suscepimus honorum nostrorum primitias, indeque ad ecclesias alias gradatim processimus, ascendendo semper per processum hujusmodi, provehente Deo, cathedram altiorem, &c.* ecclesiam Laudunensem ingentibus beneficiis ornaturum pollicetur. *Datum Viterbii v. kalendas junii ann. 1.*

(*a*) Lib. 1. ep. 136.

His consentit Theodoricus Vallicolor, (*b*) qui primos honorum gradus in Laudunensi ecclesia adeptos ita describit.

(*b*) Theod. Vallicol. in eleg. 4. apud Masson. l. 5. in Urb. IV.

*Expediebat enim mundi perque omnia patrem,*
*Plurima vidisse, plura docere suos,*
*Ut dominus factus dominari sciret, & ejus*
*Compatiens servis, sciret utramque viam.*
*Præsulis hic primo Lauduni clericus, inde*
*Parochiæ dictæ rector in urbe fuit.*
*Post hæc canonicus Lauduni factus, in illo*
*Quæ fiunt opera fert sua fama satis.*
*Corde tenus Domini lex, ejus passio, primo*
*Colloquiis ejus, Virgo beata fuit.*
*Canonicum post hæc suscepit, & archilevitam,*
*Lugdunum * tanti noverat acta viri.*
*Dogmate virtutis cum sic radiaret, ad aures*
*Summi Pontificis venerat ejus odor.*
*Hinc Pomerania, Livonia, Prussia poscunt*
*Legatum, cujus provida vita foret.*

Gesta ab eo munera.

* Leodium

Et infra:

*Qualiter in tanto se gesserit officio cur*
*Dicam? tæderet enumerare nimis.*
*Lites sedavit, pacem stabilivit, ab omni*
*Muneris excutiens accipiente manus.*
*Theutonicos fines iterato visere jussus,*
*Mittitur intendens pacificare viros.*
*Nam Rex Vuillermus electus in imperiales*
*Sedes, hos sævos senserat atque feros.*
*Qui dum commissis juris intendere vellet,*
*Mancipat hunc quidam nobilitate potens*
*Carcere: qui clausus est pabus vincla, labores;*
*Nec tamen omnipotens immemor hujus erat:*
*Sed monstrans in eo miracula, liberat illum.*
*Clam sic ad propria tecta reversus adest.*
*Post hæc Lauduni fuit archidiaconus, inde*
*Prædictus Papa pontificavit eum.*

(*c*) Greg. decan. in ejus vit. Hoesem. hist. episc. Leodien. in Henr. Cappavill. can. Leod. in tract. de fest. cor. Chr. c. 2.

Pepercisse illum suis prædonibus, cum adepto pontificatu ulcisci injuriam posset, inferius visuri sumus, eosque censuris clementer exolvisse: de aliis gestis, dignitatibus, Virdunensi nimirum episcopatu, cujus adepti honoris mentio est in pontificiis literis, (*d*) patriarchatu Hierosolymitano, & summo pontificatu, hæc Gregorius decanus consignat historiæ.

(*d*) Lib. 1. ep. 58. 85. & Theut. Vallic. ubi sup.

*Postmodum vero, Virdunensis ecclesiæ obeunte pontifice, dictus vir Deo plenus in ejusdem Virdunensis ecclesiæ episcopum honorabiliter est assumptus. Cui Virdunensi ecclesiæ cum aliquantis temporibus famosissime, & utiliter præfuisset, odor ejus bonorum operum montes transiliens, & mare perlustrans, ad partes ultramarinas pervenit: ubi sic corda incolarum de illis partibus commovit, & suavitate morum refecit, quod ecclesiæ Hierosolymitanæ Trecensis Jacobus B. Jacobo fratri Domini in tam eximio patriarchatu successit. In quo quidem patriarchatu sic patriarchis præfuit, & profecit, quod peregrini & incolæ ipsarum partium patrem, & pastorem amabilem se habere gaudebant. Porro cum pro Terræ sanctæ subsidio, & ejusdem Hierosolymitanæ ecclesiæ utilibus, & arduis negotiis idem pater necesse habuisset sedis Apostolicæ limina visitare, navigii subsidio maris pelagus navigavit, & ad civitatis Venetiarum litora veniens, & ad civitatem Anagniensem, ubi tunc sedes Apostolica residebat, se transtulit: in qua a bonæ memoriæ domino Alexandro Papa IV. qui tunc Romanam regebat ecclesiam ab ejus fratribus dominis Cardinalibus, & tota curia honorifice susceptus, & benigne tractatus, in eadem civitate aliquantis temporibus conquievit, subsidium Terræ sanctæ, & negotia ecclesiæ Hierosolymitanæ prædictarum felici consilio promovens, & procurans.* IX.

*Eodem vero Alexandro Papa in civitate Viterbiensi, ad quam cum tota curia, & eo-* X.





*& eodem patriarcha se transtulerat, diem claudente extremum, ipsa Romana ecclesia trimestri vacavit, eisdem Cardinalibus, inimico homine superseminante discordiam, non valentibus concordare. Sed cum Dei sapientia ab æterno alto providisset consilio, eumdem Jacobum, quem archidiaconum, episcopum, & patriarcham jam fecerat, summi pontificatus fastigio honoraxe, eorundem Cardinalium corda sic disparia ad tantam concordiam, & paritatem adduxit, ut concordi voto, voce, & animo eumdem Jacobum in summum Pontificem acclamarent: quem iidem Cardinales ad tantæ dignitatis sic promotum apicem Urbanum Papam IV. cum ingenti gaudio vocaverunt. In cujus promotione gaudet clerus, & populus, lætatur mater Ecclesia, & cuncti fideles jubilant, & exultant. O magna Dei Patris providentia! O altitudo divinæ sapientiæ, quæ tanto, & tali pastore suam sponsam matrem Ecclesiam illustravit!*

Suspexit quidem Urbanus divinæ providentiæ consilia, quæ ipsum per tot gradus provexerat, in literis encyclicis ad præsules, ac principes datis, illique tot honorum incrementa adscripsit: ac ne sub oneris (*a*) mole fatisceret, fidelium apud numen preces enixe imploravit.

(*a*) Lib. 1. ep. 1.

*Archiepiscopo Remensi, & suffraganeis ejus, ac abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, &c. per Remensem provinciam constitutis.*

Encyclicæ ejus literæ.

*O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Præcelsum quidem thronum cœlorum continens, intuensque profundas abyssos montium ponderans gravitatem, & amplitudinem terræ palmo concludens, summa sua sapientia recte universa disponit, ineffabili providentia rationabiliter moderatur immensa virtute firmiter stabilit, & mira prudentia salubriter dirigit, & gubernat. In quibus omnibus est profecto plus admirandum quam pensandum, plus laudandum quam scrutandum, plus stupendum quam loquendum, & plus verendum quam diffiniendum. In horum quippe investigatione, ac discussione sensus caligat hominis, mens hebescit, succumbit ingenium, & deficit intellectus, & quo plus cura hæc intenditur, eo minus de his apprehenditur, & in majorem horum incertitudinem incidit, qui ad eorum notitiam satagit pleniorem: quia in perquirenda divinorum operum ratione temere cogitatur, vigilatur improvide, studetur inaniter, & inutiliter laboratur. Hæc divinarum actionum incomprehensibilis altitudo, humanæ revera considerationis obtundit aciem, & perspicuum intelligentiæ confundit aspectum erga cœlestia pariter & terrena, cum viæ conditoris omnium sint adeo absconditæ, ac inexplorabiles in utrisque, quod omnino ignorantiæ nubilo celantur mortalibus, & numquam eis claræ cognitionis lumine innotescunt.* XI.

De divina providentia.

*Altum igitur, & arcanum providentiæ supernæ consilium, opportuna jugiter erga fidelium Ecclesiam opportune prospiciens, mira in ipsa miro modo pro mutabilitate temporum operatur: & quia sibi prælatorum regimen est potissime necessarium, sine quo vix subsisteret inter sæculi tempestates, circa præfectionem ipsius præsulum, & pastorum ostendit præcipue suæ sapientiæ magnitudinem, & inscrutabilis beneplacitum voluntatis, ut quæ in his sua profunda dispositione cum ratione, licet occulta, ordinat & consummat, sint nimirum hominibus in stuporem. Hinc evenit, quod in cathedra pastorali, quæ diversorum substitutione Pontificum, varietatem per tempora suscipit personarum, interdum senes junioribus, & juvenes aliquando senioribus præferuntur. Hinc evenit quod ipsa nonnumquam illos, quos virtutes & scientia magis insigniunt, nonnumquam vero minus talibus insignitos assumit. Hinc etiam evenit, quod aliquando eam hi, de quibus minus creditur & speratur, ascendunt. Simile quoque in præeminenti Apostolorum Principis sede contingit, quod sedentibus in ea pro tempore cursum finientibus vitæ suæ, alii juxta provisionem divinam, nutumque cœlestem ad culmen apostolicum subrogantur, & suscitantur in sede ipsa sacerdotes, & ministri fideles, qui vigilent super gregem, & juxta voluntatem Domini operentur. Digne igitur exclamatur: O superæminentia sapientiæ Dei, quam profundæ sunt cogitationes ipsius, quam sublime, & occultum ejus consilium, quam inexquisibilis sua dispensatio, & quam impenetrabilis suarum operationum abyssus!*

Ut sæpius humana spes fallatur.

*Sane felicis recordationis Alexandro Papa prædecessore nostro octavo kal. junii, videlicet in festo B. Urbani Papæ, & martyris, de carnis nexibus liberato, & ad gloriam supernæ patriæ, sicut speramus, assumpto; ac ejus corpore post celebratas solemnes exequias in Viterbiensi ecclesia honorifice, prout decuit, tumulato, fratres nostri episcopi, presbyteri, & diaconi Cardinales mox pro eligendo successore insimul convenerunt, affectus suos erigentes ad Deum, ut generali Ecclesiæ viduatæ pastorem idoneum consueta misericordia largiretur. Invocata ergo sancti Spiritus gratia, ut est moris, incœperunt protinus super electione summi Pontificis diligentem habere tractatum. Et licet studiose institerint, & studuerint instanter, ut cito consequeretur tantum negotium finem bonum; ac divinam clementiam devota, & sedula supplicatione pulsaverint, ut illum, qui sibi esset acceptus, & quem apud se ad onus apostolicæ servitutis elegerat, ac super cujus meritum considerationis suæ radius* XII. De obitu Alexandri.

*dius quiescebat, populo suo in rectorem celeriter concedere dignaretur; fuit tamen eorum in hoc desiderium aliquandiu moræ interventione suspensum, & ipsius consummatio negotii per alicujus temporis spatium retardata. Nam cum de summo, & universali præsule, de patre patrum, de pastore pastorum, & Christi vicario, ac successore præfati Apostolorum Principis ageretur, majorem utique providentiam, & ampliorem deliberationem res tam ardua requirebat.*

XIII. De Urbani electione.

*Demum autem post multam discussionem, longumque tractatum, ad personam nostram, cum tunc ecclesiæ Hierosolymitanæ gerentes regimen, pro suis negotiis apud sedem Apostolicam moraremur, sua unanimiter corda & animos concorditer converterunt, direxerunt vota, & firmavere consensus. Et quamvis inter eos essent, qui veluti digniores scivissent, & potuissent plenius & laudabilius tantum officium exercere; quamquam etiam multos extra suum collegium eorum anxiæ cogitationi, & explorationi solerti mundus offerret, quibus utpote potioribus magis decuisset imponi tantæ sarcinam dignitatis, ipsi tamen nostram insufficientiam aliorum sufficientiæ prætulerunt, nos ad summi pontificatus apicem communiter eligentes.*

XIV.

*Considerantibus itaque nobis difficultatem hujusmodi officii & laborem, ac Apostolicæ cathedræ præcellentiam, quæ in se præsidentem sicut altiori præfert honore, sic premit onere graviori: & attendentibus imperfectionem nostram multiplicem, ac tanti ponderis molem imbecillitati nostræ penitus importabilem, concussum est intra nos nimio stupore cor nostrum, & expavimus, ac hæsitavimus vehementer, quoniam vix particulares ferre valentes vigilias, ad universalem speculam vocabamur, & intolerabile apostolici ministerii jugum inferebatur instanter debilitatis nostræ cervici: ac meritorum suffragium non habentes angebamur ad suscipiendas Apostoli Petri claves, & gerendum ligandi, atque solvendi pontificium super omnes. Verumtamen ne videremur opus divinæ providentiæ impedire, aut nolle voluntatem nostram suo beneplacito conformare; ac ne corda electorum concordia per dissensum nostrum ad discordiam verteremus, voluntatibus tandem acquievimus eorumdem, submittentes nostros impotentes humeros ad portandum: non quod de aliqua nostra virtute fiduciam habeamus, sed quia speramus in illo, qui confidentes in se non deserit, imo propitius adest eis auxiliis opportunis, qui Ecclesiam sponsam suam de sublimi cœli solio intuetur misericorditer, & tuetur; ac pietatis suæ beneficiis non desinit exaltare.*

XV.

*Vestris igitur, & aliorum suffragiis propter imperfectionem nostram plurimum indigentes, universitatem vestram fiducialiter requirimus, & attentius exhortamur, quatenus assidua nos apud Deum intercessione juvetis, solventes pro nostro auxilio linguas in preces, & in orationes labia exercentes, humilitatem nostram sibi affectuosis supplicationibus commendando, & deprecationibus penes ipsum instando devotis, ut super nos imbrem gratiæ suæ pluat, & rorem solitæ benignitatis infundat, quod actus nostros dirigentes ad ipsum Ecclesiam suam, quam nobis comittere voluit, salubriter regere, ac de universo ipsius grege, vigilantiæ nostræ credito, curam gerere debitam, sicut expedit, valeamus. Nos vero firmiter in animo gerimus vobis, & vestris ecclesiis benignis adesse præsidiis, vestrumque profectum condignis favoribus procurare. Dat. Viterbii mense septembr. anno I.*

Urbani fidelium preces implorat.

XVI.

Extant in formulario MS. Marini Ebuli (*a*) Vaticani archivi ad sanctimonialem literæ nulla inscriptione consignatæ, quas Wadingus ab Urbano ad sororem Agnetem scriptas refert, (*b*) atque iis hunc titulum præfigit: *Agneti monialimonasterii S. Mariæ montis Lucidi Perusin. ordinis S. Damiani sorori nostræ*, quæ cum sententiarum pondere graves sint, prætermittendæ a nobis non sunt visæ: *Mirandum forte æstimas, dilecta in Christo filia, & soror in carne, postquam ad illud Apostolici culminis pænale fastigium, quod quidem animæ nostræ deliberatio non elegit, nos voluntas divinæ dispositionis, & utinam non indignationis assumpsit, anxiam te suspendit aliquantulum nostrarum expectatio literarum. Verum alia nostram, & alia disponit, ut credimus, cogitatio mentem tuam. Nam etsi forsan de gradu nostræ promotionis exultans quasi aliquid in nobis tibi prospere successerit, expectes animale cordis tui gaudium super hoc insinuationis nostræ relatione compleri; nos tamen tamquam tristia passos non læta in eo, quod de nobis contigit assecutos, nisi iis, quos nobis in adversis compati credimus, referre tam ingentem causam nostræ amaritudinis non delectat. Nempe si adhibitos nobis in hac gravi nostra mutatione sentires aculeos punctionum, quibus ad imponendam infirmis humeris gravissimam orbis sarcinam, & ad quotidianam universalis Ecclesiæ solicitudinem insufficientibus viribus tolerandam impellimur, judicares utique non congaudendum nobis, sed profusis lacrymarum imbribus condolendum, & quibus præcordia nostra istius altitudinis, in quam venimus, inquietationibus quatiantur, affectares potius ignorare, quam scire. Tunc beatitudinis alicujus gloriam esse putas de honoris celsitudine, qua præeminere videmur, nos interius affici nostro judicio, & exterius haberi felices judicio alieno? Potius illos felices judica quorum crux patet exterius, sed latiorem habent interius unctionem.*

(*a*) Formul. Marini Ebuli pag. 32. Ad sororem scribit.

(*b*) Vvad. hoc an. n. 6.

Quam invite Ap. sedem conscenderit.

*Signi-*



XVII.

*Significanda tibi hæc quidem fuerant, ut afflictionem viscerum nostrorum, quæ calix iste, quem coacti sumus bibere, conturbavit, paribus nobiscum gemitibus patiaris, quæ sola ex animo, tamquam proximior nobis præ cæteris in Domino, & in carne, in asperitate quacumque adurente cor nostrum dolere crederis vicem nostram. Sed quando vocationis vox illa terribilis in auribus nostris intonuit, quæ nos in hanc periculorum eminentiam supremæ speculationis invexit, tantus nos stupor absorbuit, quod potius mirari potes & quærere, si quid nobis remansit virium, si quid mentis, quam movere de nostra taciturnitate querelam. Adde quod inter ipsa nostræ promotionis auspicia nos frequens turbatio negotiorum impedit, & difficultatum undique ingruentium involvit, ita quod nulla quietis nostræ vacua curis hora relinquitur, & cordi nostro tempestuoso sunt etiam dormientibus nobis noctis silentia intempesta. Itaque dolere super nos potius, quam lætari te convenit, quod supra vires opprimimur, jugo, quod impositæ servitutis anxietatibus cruciamur, quod negotiorum supergredientium caput nostrum vexamur laboribus, quos nisi divina clementia, & pia Ecclesiæ patrocinia infirmitatem nostram adjuverint, quomodo poterimus sustinere? Ergo filia, quæ tranquilla sedes ad pedes Domini extra tumultus sæculi frueris optima portione, nos tam gravi occupatos ministerio, tot injunctæ solicitudinis turbationibus involutos adjuva quæsumus coram Deo suffragiis, quibus potes. Speramus enim, quod si ad aures Domini clamorem cordis tui affectus intensior introducat, plenius nobis divini favoris auxilium impetrabis, & tam tibi ad meritum, quam nobis ad consolationis solatium bene erit, cum in ministerio Domini negotium nostrum tuo senserimus otio relevari.* Verum dissimulare non possumus scrupulum, qui hæret animo, an superiores literæ non ad Urbanum, sed ad Clementem IV. spectant, cum inter Clementis literas inserantur in formulario Marini Ebuli idque styli ratio innuere videatur. Sed his missis beneficia apostolica, quæ, Urbanus ineunte pontificatu in S. Ludovicum ad ejus pietatem alendam contulit, (*a*) afferamus. [1]

(*a*) Ep. 21.

*Regi Franciæ illustri.*

XVIII.

*Personam tuam fili charissime, quam præ cunctis orbis Regibus, & principibus, chariorem nimium Apostolica sedes habet, intimæ affectionis brachiis, velut pater filium, dulcius amplexantes, ac cupientes præ nimia dilectione, quam ad te gerimus, tua desideria plus executione prævenire, quam exauditione complere, gaudemus quamplurimum, quoties a nobis aliqua quantumcumque ardua tua celsitudo requirit.* Et infra: *Quia cum omnes prædecessores nostri Romani Pontifices inclytos Reges Franciæ progenitores tuos speciali quodam privilegio, utpote speciales defensores fidei & libertatis ecclesiasticæ, fuerint prosecuti, nos qui natalis soli non immemores quadam naturali necessitudine plus cæteris prædecessoribus nostris tenemur, & volumus tuum solium, quod Deus adaugeat, honorare diligentius, favorabilius, & efficacius implere proponimus universa & singula, etiam non requisiti, quæ tuæ noverimus magnificentiæ complacere.*

Urbani lit. ad S. Lud.

Singularis inter Pontifices Regesque Franciæ necessitudo.

XIX.

*Ut igitur ex novo Romano Pontifice nova gratia potiaris, eoque sit tibi gratior, quod ipsam plures obtentu tui participaverint una tecum, nos supplicationibus regiis inclinati, quotiescumque te ad alicujus ecclesiæ, vel capellæ, seu altaris dedicationem, vel consecrationem ire, vel interesse ibidem contigerit, tibi & ob tui gratiam omnibus aliis vere pœnitentibus & confessis, qui ad eandem ecclesiam, vel cappellam, seu altare accesserint, illa die de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, annum unum, & quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Viterbii VI. kalen. decemb. anno I.*

Indulgentiæ S. Ludovico concessæ.

Cum sacelli vel altaris consecrationi interfuerit.

XX.

Ornavit etiam simili prærogativa piissimum Regem, ut quoties nimirum sacris concionibus interesset, centum dierum indulgentiam assequeretur, atque in ipsius gratiam iis omnibus, qui una cum ipso interessent, beneficium exporrexit. (*b*)

(*b*) ib. ep. 22.

*Regi Francorum illustri.*

*Etsi firmi propositi nostri sit Reges & principes pro singulorum excellentiis, quantum cum Deo poterimus, honorare; te tamen, quem Deus præ aliis utpote singularem in orbe dotavit virtutibus, ornavit militia, & opulentia stabilivit, quibusdam specialibus, imo spiritualibus gratiis proponimus insignire. Nec est mirum, si principem illum quem sic dominus noster Jesus Christus exaltavit in terris, Romanus Pontifi-*

NOTÆ

[1] Pontificis literas ad Agnetem sororem sanctimonialem ordinis S. Francisci annalista hic recitat; simul vero dubitare se profitetur num ad Clementem potius Urbani successorem, quam ad Urbanum ipsum pertineant, cum in formulario MS. Marini Ebuli inter epistolas Clementis IV. referantur. Sed recte notat Pagius in breviario Urbano tribuendas plane ex eo deduci, quod pontifex in ea epistola scribat Agneti: *Sola ex animo tanquam proximior nobis præ cæteris in Domino, & in carne &c.* Id vero Clemens sorori non scripsisset, cum illi filiæ geminæ fuissen. MANSI

*tifex ejus, cujus est vicarius, se voluntati conformans, extollat diversorum insigniis titulorum. Ut igitur in ipsis gratiarum Apostolicæ sedis primordiis cognoscas evidentius nostræ intentionis affectum; eoque sit tibi primordialis gratia gratior, quod plures ipsam obtentu tui participaverint una tecum; nos supplicationibus regiis inclinati, quotiescumque te ad audiendam verbi Dei prædicationem ire, vel in ea interesse contigerit, tibi & ob tui gratiam omnibus aliis vere pœnitentibus & confessis, qui prædicationi eidem interfuerint, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi centum dies de injuncta eis pœnitentia misericorditer relaxamus. Dat. Viterbii* XII. *kalend. decembris anno* I.

Aut faceras conciones audiverit.

XXI. Philippus filius iisdem privilegiis decoratus. (a) Ep. 27.

Decoratus est iisdem pene beneficiis sacris Philippus (*a*) sceptri Gallici heres, auctusque indulgentiis, cum sacelli vel altaris consecrationi interesset; cujus amplissimum elogium silere non possumus.

*Nobili viro Philippo primogenito charissimi in Christo filii nostri Regis Franciæ illustris.*

*Exulta proles regia, exulta fœcunda, utinam fœcunda soboles, gaude & lætare felix alumne, ac redde altissimo in humilitate cordis plenitudinem gratiarum; ex eo videlicet, quod divina providentia ad regni, ut speratur, fastigium te reservans personam tuam ornavit prudentia, decoravit mansuetudine, ac clementia insignivit, tibique inter alia multiformia dona concessit, quod præclaris vestigiis paternis inhærens, ac eis te ultra juvenilem ætatem moribus & devotione conformans, primogenituram ad te sorte devolutam humana videtur quodammodo non minus imitatione virtutum, quam propagatione sanguinis vendicare: per quod speratur, quod omnipotens Deus, qui te fecit uniformiter, ut placuit, felicitatis paternæ participem, expertem paterni meriti non relinquet: quin potius multiplicabit in te gratiarum dona, tuamque personam replebit virtutum affluentia, fœcunditate prolis, & ut diutius ei servire valeas, longævitate dierum, &c. Datum Viterbii* XIII. *kalend. januarii anno* I. Iisdem quoque prærogativis Regem, (*b*) ac Reginam (*c*) Navarræ, quibus Galliarum Regem Theobaldi socerum decorarat, (*d*) exornavit. Roberto vero comiti Atrebatensi S. Ludovici nepoti permisit, ut cum Amicia quarto consanguinitatis gradu sibi conjuncta nuptias celebraret (*e*).

Illius elogium.

(b) Ib. ep. 33. 34. (c) Ep. 31. (d) Ep. 29. 30 (e) Ep 26.

XXII. Manfredus Sarracenorum exercitum immittit in Pont.

Quam egregie de Ecclesia meruerant ii principes, quos Urbanus apostolicis beneficiis est complexus, tam male meruit Manfredus, qui Saracenorum exercitum in Campaniam infudit: quam cum vastarent infideles, Urbanus mox atque pontificiam tiaram solemni ritu accepit, crucesignatas copias contraxit, ac perfidos gloriosissime expulit; quibus Parisii continuator, (*f*) Bernardus, (*g*) ac Longinus (*h*) consentiunt, qui eo tempore Siciliam Carolo traditam adjecere: de quo nos suo loco sermonem instituemus; eam enim rem sequenti anno legatum agitare jussit, quam tamen definire vetuit. Hic vero prætereundum silentio non visum est, quod Matthæus Spinellus suis annalibus tradidit, (*i*) Neapolitanorum oratores tertia septembris die hujus anni Manfredum rogasse, ut pacem cum Pontifice iniret; Neapolim enim sacrorum usu mulctatam: ac tum Manfredum subjecisse, non sua, sed Pontificis Romani, qui ipsum regno (nimirum flagitio invaso) deturbare niteretur, culpa bellum geri: missurum Neapolim trecentos Saracenos, qui sacerdotes ad sacra peragenda adigerent; detrectantes, sive regulares, sive sæculares ad triremes detruderent: tum vero oratores tyranni flagitium execratos orasse, ne Saracenos Neapolim mitteret: nec enim a civibus intra portas exceptum iri; ac tum Manfredum his auditis excanduisse: cum vero Neapolis in discrimen adducta esset, ne ad libertatem aspiraret, Joffredum ad eam in obsequio Manfredi continendam missum. Addit idem auctor, quinta ejusdem mensis Flandriæ comitem cum Gallis in Campaniæ finibus castra pontificia castris Manfredi admovisse, in quos cum Saraceni fuissent immissi, tanto ardore prosiliisse in infideles, ut sine opportuno Siculorum auxilio de iis actum foret: perturbatum vero Manfredum, hostium audacia appetente, duodecimo septembris die castra retro flexisse, atque aditus Neapolitani regni præsidiis muniviſse. Cum vero Flandriæ comes in citeriorem Siciliam penetraturus crederetur, Romam versus signa convertisse, excitum scilicet ad Romanos, qui rebellionem moverant comprimendos: ac tum (*k*) a perduellibus Manfredum solicitatum, ut exercitum ad Urbem promoveret, publiceque professum se Romanis auxilio non defuturum. Hæc Spinelli M. S. sermone Italico, quæ Summontius etiam ex ipso narrat. Concitatos quidem per hæc tempora graves tumultus in Urbe Pontificis absentia demonstrat, de quibus ex Theorico Vallicolore iterum erit agendum.

(f) Continuator Par. hist. Angl. (g) Bern. Guido in chr. Rom. Pont. (h) Long. hist. Pol. hoc ann. (i) Mat. Spinell. MS. hoc ann.

Sacerdotes divina prophanare recusantes detrudi ad triremes a Sarracenis jubet.

A Flandris crucesignatis repellitur.

(k) Summon. in hist. Neap.

Tumultus in Urbe concitat.

XXIII. Urbanus Cardinales creat.

Interea numero Cardinalium admodum imminuto, cum Alexander nullum purpura donasset, Urbanus quarto sui Pontificatus mense, nimirum decembri, in solemnibus quatuor anni empestatum jejuniis, ex antiquo Romanorum Pontificum usu illum amplificavit, de quibus hæc monachus Patavinus (*l*) prodit: *Iste quarto mense sui Pontificatus numerum Cardinalium ampliavit, præclaros viros vita & scientia insignitos ad tam sanctum collegium promovendo, de quorum numero divina providentia faciente extitit vir benignissimus Simon de monte Silice canonicus Paduanus, quem tam forma corporis, quam nobilitate generis, & gratiosis moribus, & multiplici scientia divina gratia decoravit.* De Cardinalibus hoc anno, ac sequenti creatis aptiore loco cum Theodorico Vallicolore scriptore accuratissimo iterum inferius. At cum nonnullæ ad sedem Apostolicam querelæ de Simone, ut colligi videtur, delatæ essent, sanxit (*a*) Urbanus, ut antequam in presbyterum promotus esset, nec cardinalatus insignia gestaret, nec consiliis Cardinalium sese immisceret, aliosve ipsis attributos redditus ad se derivaret: quid vero de ipsius dignitate decernendum foret, se suo tempore definiturum.

(l) Monac. Pad. chr. l. 3. hoc ann. & Bern. ubi sup.

Simon Patavinus renunciatus Card. postulatus judicio.

Quid de ipso sancitum sit. (a) Lib. 1. ep. 37.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Apostolica constitutio.

*Licet dilectum filium magistrum Simonem canonicum Paduanum promovendum in presbyterum Cardinalem ecclesiæ Rom. de fratrum nostrorum consilio duxerimus evocandum, diligenti tamen cum eisdem fratribus deliberatione præhabita, & auditis, ac intellectis ipsorum consiliis, diffinimus, decernimus, ac præsenti edicto statuimus, quod idem Simon priusquam per nos in presbyterum sit promotus, nequaquam in collegium, seu consortium, vel ad tractatus, aut consilia Cardinalium admittatur, nec de ipsorum habeatur, seu reputetur collegio sive quantum ad consilia, vel tractatus, sive quantum ad partem habendam de communibus obventionibus, vel quantum ad quæcunque, vel alia cardinalatus insignia interim deferat, vel utatur eisdem. Cum autem tempus advenerit ordinationi faciendæ competens, nos consideratis his, quæ interim de ipso Simone, seu circa statum ejus invenerimus, faciemus auctore Domino, quod fuerit faciendum. Nulli ergo &c. Dat. Viterbii* v. *id. januarii anno* I. Elapsoque subinde mense ejus argumenti literas (*b*) de Simonis causa cognoscenda dedit; superatæ tandem obtritæque omnes eæ difficultates, quas ejus gloriæ æmuli concitarant, ut ex monacho Patavino colligitur. Et quidem diplomati insequenti anno monasterio S. Mariæ in Insula Pomposia concesso, duo ejus nominis presbyteri subscribuntur; alter tituli S. Martini, alter S. Cæciliæ decorati, quorum primum ex Patavino agro oriundum Urbanus IV. pluribus postea ditionis ecclesiasticæ provinciis amplissima potestate præfecit. Simonem vero a Bria Martini accepto nomine summum Pontificatum gerentem visuri sumus.

(b) Ep. 46.

XXIV. Salisburgenses canonici cum Philippo exauctorato concordiam ineunt.

Hoc anno Salisburgensium canonicorum collegium innumeris calamitatibus attritum sub potentia Philippi intrusi succubuit, ac Bohemiæ Rege solicitante, Udalrici partibus abiectis, qui ipsos, nec se tueri poterat, cum Philippo exauctorato concordiam, salva summi Pontificis reverentia obedientiaque, pepigit. Emersisse sibi ex magna calamitate videbantur, cum in novas sese conjecere: Bavariæ enim dux, Udalrici causa suscepta, Salisburgum anno sequenti invasit, urbisque partem subiectis facibus delevit, & arcem ad cives continendos atque edomandos imposuit. Utque omnia quæ ad infelicem illius ecclesiæ contrariis bellorum turbinibus fluctuantis statum describendum congeramus, anno MCCLXIII. Bavariæ dux, admoto exercitu, urbem iterum oppugnavit, ac fortuito casu perterritus obsidionem induciis initis solvit, cum nimirum pacato ac sereno cœlo horrendum tonitru summo fragore detonuisset: inde urbe pulsus est Philippus.

Salisburgum captum a duce Bavariæ.

Iterum ab eo oppugnatum.

XXV. Philippus invasor pulsus.

Demum summus Pontifex miseram ejus ecclesiæ sortem, quam plures principes lacerabant, miseratus, Regis Bohemiæ fidei ipsam commendavit: qui regia potentia fretus brevi tempore maximam ditionis partem obtinuit. Uldricus demum post varias procellas, quibus jactatus fuerat, cum ab Apostolicæ sedis legatis ob non solutam vim auri promissam, anathemate percussus bis fuisset, anno MCCLXIV. Salisburgi exceptus, quiete optata potiri putabat, cum intra menses quatuor honoris tantis laboribus adepti pertæsus, ac populi pervicacis edomandæ pertinaciæ imparem se agnoscens, non minus pene ut parta dignitate sese exoneraret, laboravit, quam pro ea asserenda atque ab invasore vindicanda desudarat. Assensit ejus votis Clemens IV. primis pontificatus auspiciis, cumque regendæ illi ecclesiæ potentioris alicujus principis, qui rebellibus frænum inijceret, atque invasores comprimeret, operam necessariam exploratum esset, tractandis illius gubernaculis Vvladislaum Poloniæ ducem S. Hedvvigis nepotem Clemens idem admovit an. MCCLXV. atque insequenti summa pompa exceptus mœrentem atque afflictam tot præteritis calamitatibus ecclesiam præsentia sua recreavit, erexitque. De iis fusius Salisburgense chronicon (*c*): nunc ab occidentalibus rebus ad orientales stylum traducimus.

Uldricus restitutus sedi.

Dignitate abit.

Wladislaus Salisburgensi ecclesiæ præfectus. (c) Chro. Salisburg. apud Can. ant. lect. tom. 6. pag. 1267. &c.

XXVI. Capta a Græcis Constantinopolis.

Refugiebat hactenus oratio lugubrem orientalium rerum statum attingere: quassatum enim adversis bellorum turbinibus, ac diu nutans Latinorum in oriente Imperium, nonnullorum Græcorum proditione, qui Constantinopoli versabantur, tandem hoc anno corruit: quodque in Balduino cœperat, in altero Balduino interiit. Crebris incursionibus Latinorum ter-

terras solebant Græci lacessere atque infestare, ut sensim eorum vires eliderent, ac Guillelmum Villarduinum Peloponesi atque Achajæ principem sibi occurrentem cum exercitu fuderant, eumque prælio ceperant, nec prius vinculis emisit Palæologus, quam sibi aliquot arces munitissimas redemptionis ergo tradidisset. Ea victoria tumidus Palæologus Alexium Cæsarem Strategopulum jubet cum exercitu in Constantinopolitanum agrum excurrerre, ac facinus aliquod egregium in Latinos moliri. Tum funesto casu Latini exercitus sui florem e Constantinopoli una cum Justiniano patriarcha adversus Pontum Euxinum ad obsidendam Daphnusiam eduxerant. Denudata itaque præsidio suo civitate regia, Græcisque, qui Latinos sibi dominari animo iniquiore ferebant, referta, Alexius Cæsar captata occasione in aliquos Græcos incurrens, qui condendis frugibus dabant operam, quique Constantinopoli erant oriundi, eos ad defectionem solicitat, de statu urbis diligentius inquirit, inflat ingentibus promissis, si ad recuperandum Imperium opem porrigere velint, hortatur ut depellant e cervicibus Latinorum jugum, majorumque gloriam ac facinora æmulentur. Deliniti promissis proditores spondent se vigiles cæsuros noctu, ac portam, quæ Deiparæ Fontanæ ædes spectabat, effracturos: significant etiam patere cuniculum, per quem quinquaginta armati irrumpere ad excubias trucidandas possent. [1]

Ut Cives genere Græci proditionem cum hoste contrarint.

XXVII. Nec segnius in opus perductum est facinus, quam audacter fuerat meditatum, quod a Georgio Logotheta (a) subjectis verbis describitur: *Ex improviso Cæsar Alexius Strategopulus noctu adveniens in eam*, Constantinopolim scilicet, *impetum fecit: & cum viros secum haberet nonnullos ex urbe fugitivos & rerum illius appri-*

(a) Logot. in hist. Constantinop. Leone Allat. interp.

NOTÆ [1] SErmo hic in annalibus de expugnatione urbis C. P. quam cecidisse in manus Græcorum die XXV. julii inter omnes convenit, ait Joannes Boivinus in notis ad lib. IV. Nicephori Gregoræ. De anno dissident nonnulli; alii enim cum anno superiori; alii vero cum præsenti rem illigant. Sed a præsenti removeri haudquaquam potest, cui Georgius Logotheta, qui tunc vivebat, assignat. Idem pariter adnotatum est in fronte codicis cujusdam bibliothecæ regis Galliæ notati num. 1852. ubi hæc Græcis expressa literis leguntur: *mensis augusti* an. VIMDCCLXIX. (mundi idest 1261.) *indictione IV. introducti sumus Deo juvante in urbem CP.* Vide Boivinum ibid. Denique ad chronologiam hanc accedit Nicephorus Callistus in catalogo patriarcharum CP. vulgato a Bandurio Imper. Oriental. part. I. lib. VIII. pag. 171. edit. Venet. Quanquam enim in ejus textu legitur capta urbs a Romanis (nempe a Græcis) anno 1665. qui respondet anno Christi 1257. cum tamen cecidisse subdat die 25. julii feria secunda; nec dies illa julii in eam feriam, nisi in anno 1261. inciderit, satis ex his arguitur mendum in textum irrepsisse ut legendum fuerit anno 6769. Porro ex adnotatione regii codicis superius relata corrigitur lectio vitiata Acropolitæ, cujus verba recitat annalista hic n. 31. Pro eo enim quod ibi legitur Michael CPolim venisse die XIII. augusti, & sequenti die in urbem introisse emendandum est die XIV. prout etiam Acropolitæ Græcus textus exhibet.

Denique Arsenii in patriarchatum restitutio, quæ ex Acropolitæ narratione præcessisse urbis expugnationem censeri posset, postponenda plane est; cum Nicephorus Callistus in suo catalogo diserte scribat: *capta CPoli rursum præfuit Arsenius sacer an.* 2. Forte igitur Michael ante urbem captam de eo revocando cogitabat; sed reipsa nonnisi urbe jam capta rediit, prout ex Pachimero, aliisque satis constat.

Ad excæcationem Johannis quod attinet, si vera scribit Nicephorus Gregoras, lib. IV. cap. III. tradens Johannem in obitu patris annum gessisse ætatis VI. exeuntem; cum vero lumine orbatus fuit decimum attigisse, cum quo pater anno 1259. diem clauserit, fiet inde ut Johannes nonnisi anno 1263. orbari luminibus potuerit. Hanc chronologiam Johannes Boivinus in notis ad Gregoram lib. 4. sequutus est. Ex his ergo deducimus synodum schismaticorum cujus meminit annalista num. 33. quæque in collectionibus omissa per incuriam est, ab hoc anno, cui in annalibus illigatur ad annum 1263. promovendam esse.

In fine hujus anni adde quæ sequuntur ex annalibus contractis: *Hoc anno decembri ineunte auctus est ab Urbano senatus cardinalium, inter quos adjecti sunt Guido Grossus archiepiscopus Narbonensis qui Clementis IV. accepto nomine Urbano successit, in cardinalatu vero Sabinensis episcopus renuntiatus est, Jacobus Sabellus Romanus, creatus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, pontificatum vero postea adeptus Honorii IV. nomen gessit; reliqui Henricus archiepiscopus Ebredunensis, qui Ostiensi episcopatu ornatus est, & Rodulphus episcopus Ebroicensis creatus episcopus Albanensis: presbyteri vero cardinales renuntiati sunt Simon de Monte Silice in agro Patavino, atque ideo dictus Patavinus SS. Silvestri & Martini tit. Equitii; Antherus Trecensis Urbani nepos tit. S. Praxedis. Alii diaconi fuere Gotifredus Asestrinus, Henricus, S. Georgii in Velabro, & Ubertus Senensis S. Eustachii. De hac cardinalium creatione meminit his verbis monachus Patavinus:* Iste, *inquit*, quarto mense sui pontificatus numerum cardinalium ampliavit, præclaros viros vita & scientia insignitos ad tam sanctum collegium promovendo, de quorum numero divina providentia faciente extitit vir benignissimus Simon de monte silice canonicus Paduanus, quem tam forma corporis, quam nobilitate generis & gratiosis moribus & multiplici scientia divina gratia decoravit. At cum nonnullæ ad sedem apostolicam querelæ de Simone, ut colligi videtur delatæ essent, sanxit Urbanus, ut antequam in presbyterum promotus esset nec cardinalatus insignia gestaret, nec consiliis cardinalium sese immisceret, aliosve ipsis attributos redditus ad se derivaret: quid vero de ipsius dignitate decernendum foret se suo tempore definiturum. Cæterum discussa re, Simonis famæ pristinus splendor assertus est. MANSI



*prime gnaros, ex iisque sciscitans cognovisset foramen urbis muris inesse, per quod armatus miles introire posset, nulla mora operi incumbit, & per illud quidam ingreditur, quem sequitur alius, & alterum tertius: & hac ratione quindecim & forte plures viri urbem introeunt. Et cum in ipso muro quendam, cui custodia demandata erat, comperissent, quidam ex illis muro conscenso arreptum pedibus extra muros proiiciunt, alii sortitis securibus & portarum vectibus disruptis in urbem ingressum liberum exercitui aperiunt. Hac ratione Cæsar Strategopulus, & cum eo Romani universi ac Scythæ, ex iis enim eorum copiæ conflatæ quoque erant, urbem ingressi sunt. Cives re improvisa percussi, ut quisque poterat saluti suæ consulere; hinc quidem monasteria petere, & monasticum habitum, ut cladem evitarent, induere; mulieres in murorum foramina conniveri, & in cellis obscuris, reconditisque abscondi, civitati imperans Balduinus, in magnum advolare palatium. Qui vero Daphnusiam abjerant Latini, & cum illis potestas nihil eorum, quæ gerebantur, edocti, cum nihil adversum Daphnusiam perpetrare potuissent, opem enim illis tulerat Deus, retrogressi in urbem contendere, & super summum virtutum principis Michaelis templum in amplo situm convenientes, nihil adhuc eorum, quæ patrabantur cognoscere. At ubi eo convenissent, certiores redditi in urbem gressus festinant: verum Romanæ copiæ, ubi id audiunt, igne in Latinorum domos prope litus adjacentes immisso eos corrumpunt, & ante alios Venetorum aliarumque deinceps nationum, quas campos vocant. Latini, ubi incendiis urbem inflammari conspiciunt, manibus diverberatis, quotquot habere potuerunt ex suis intra, & alia navigia assumptis, retrocessere: ex triremibus vero una in magnum palatium progressa Balduinum pene non vivum captum recepit. Et ita ea res evenit: & Constantinopolis, ita Deo annuente, rursum sub potestate Romani Imperatoris jure & utique merito venit vigesima quinta mensis julii indictione quarta anno ab orbe condito sex millesimo septingentesimo sexagesimo nono, postquam hostes ea potiti fuissent annos quinquaginta octo.*

Tumultus in capta urbe cohorti.

Daphnusia redeunt Latini.

Domibus faces injectæ a Græcis.

Balduini Imp. fuga.

XXVIII. Hæc Logotheta, qui in consignando expugnationis Constantinopolis tempore errare non potuit, cum rem præsentem oculis hauriret, ac nostræ chronologiæ consentit. Hunc vero annum expresse denotat, vel eo maxime dum Latinos annis quinquaginta octo Constantinopolim tenuisse ait, quos anno millesimo ducentesimo quarto illam expugnasse in superiori tomo vidimus: ex quo fragmentum Pachymerii corrigendum, dum annos quinquaginta & menses octo occupasse habet. Nec jam percensendæ sunt nobis diversæ auctorum sententiæ, qui impulsorum Constantinopoli Latinorum designando tempore inter se discrepant: collocata enim in luce veritate oppositam illi falsitatem discuti mox atque evanescere necesse est. Ad confirmanda porro dicta Georgii ex literis Urbani IV. sequenti anno nonis junii ad S. Ludovicum datis, quibus ad restituendum Imperio Balduinum hortatur (a) aliisque ea de re scriptis, conspicuum argumentum petitur. Consonat etiam monachus Patavinus (b) illius temporis scriptor, qui tradit Latinorum classem, quæ Daphnusia solverat, Latinos ex incendio & Græcorum ferro fugientes illius diei vespere ac nocte insequenti excepisse, tantum fuisse illorum numerum, ut præ commeatus inopia maxima eorum pars fame exaruerit, antequam ad Eubœam, sive Nigropontum appellere possent.

(a) Ep. 129. 131. 132. 133.

(b) Monac. Pad. chr. l. 3.

Pars eorum qui in naves evasere, fame extincta.

XXIX. Tradit Gregoras, ad amplificandam suorum victoriæ pompam, Alexii Cæsaris copias ad octingentos tantum milites ascendisse, quibus freretus urbem regiam cepit, quam tres Græcorum Imperatores maximis exercitibus succincti frustra tentassent. Verum longe majores copias duxisse Alexium videtur, cum Urbanus in literis suis (c) Palæologum dicat numerosum exercitum ad occupandam proditione Constantinopolim immisisse. Ubi tantæ rei fama ad Palæologum Græcorum Imperatorem pervenisset, repente Constantinopolim advolavit cum exercitu raptim collecto, ut suis opem ferret, si forte Latini Daphnusia reversi cum iis congrederentur. Rem ita memoratus auctor enarrat (d): *Imperator, Meteorio exiens, mirandum in modum suo bono gaudens Constantinopolim celerrime festinabat, metuens ne Latini Daphnusia revertentes, & urbem introgressi pugna valida cum Romanis confligerent, & numero superiores extra muros eiicerent: sed hæc minime contigerunt, quippe qui re subita atque improvisa animos deturbati fugam præripuere, ut superius enarravimus, Imperator iter solicitabat, & Calami collibus emensis prope Achyras castra posuit; tum Balduini forte regiæ Constantinopoli imperantis regia insignia allata sunt. Hæc autem erant operculum Latino more efformatum unionibus inter & supra caput saxulo rubeo, cocco tincti calicei, & ensis ex serico rubro tegumento indutus. Tunc multitudo etiam rem ita fuisse persuasa est.*

(c) Urb. IV. l. 1. ep. 129.

(d) Georg. Logot. ubi sup.

Palæol. Constantinopolim advolat.

XXX. Addere hic juvat oraculum calamitatum prænuncium, quæ ex Constantinopoli capta emerserunt: diffusa late Constantinopoleos expugnatæ fama, ferunt (e) Theodorum virum prænobilem Græcum magna rerum peritia ac sapientia præditum, qui tunc in Asia gravissimo mor-

(e) Apud Sansouv. de reb. Turc. par. 2.

Vaticinium de Constantinop. a Turcis capien.

morbo implicitus decumbebat, ea audita in tristes ejulatus prorupisse, quod inde Christianæ religioni certissimum discrimen ac Syriæ, ipsiusque Græcorum Imperii excidium impenderet, Imperatores Constantinopolim sedem translaturos, Asiamque viribus ad comprimendos Saracenos destitutum iri, sensimque ab iis debellata Asia in Europam quoque trajecturos, eamque perdomituros: eductisque ex altissimo pectore suspiriis, in adversum latus sese convertentem animam inhalasse. Sed ad Palæologum, ingressum in Constantinopolim magnificum apparantem, redeamus.

XXXI. Pergit Georgius, Imperatorem, dum animo cogitaret ea pompa in urbem ingredi, quæ numinis potius, quam Imperatoris gloriam commendaret, decrevisse Nicephorum Blemmydam accersere, ut precationes componeret: sed cum ille Ephesi ageret, sese Palæologo ad eas sacras preces condendas exhibuisse ac brevi tredecim conscripsisse; tum quo apparatu suum in urbem ingressum celebrarit, describit: *Imperator decimotertio augusti die Constantinopolim pervenit, neque illo eodem die urbem introit, sed apud Cosmidii monasterium, quod prope Balchernas locum, tentoria locat: ubi cum pervenisset, postero die Constantinopolim hoc apparatu ingreditur. Et cum patriarcha Arsenius abesset, precationesque illæ omnibus audientibus a præsule quopiam recitandæ essent, Cycici metropolita Georgius, quem Clidam cognominabant, defectum supplevit. Ipse enim in unam ex aureæ portæ turribus ascendens, secumque Deiparæ imaginem ex monasterio Hodigorum portans, omnibus audientibus recitavit. Interim Imperator capitis tegumento regio deposito, flexisque genibus in terram provolvitur, omnesque qui cum eo erant post eum in genua procumbunt. Sed præcatione prima finita diaconus indixit, ut assurgerent omnes; qui stantes, Domine miserere, centies numerantes acclamarunt. His etiam finitis a præsule rursus alia precatio enunciatur, itaque ut in prima, ita in secunda, & in aliis factum est, & sic deinceps usque ad completam precationum omnium recitationem. Sacris precationibus ac ceremoniis fine imposito, Deo magis convenientibus quam Regi, portam auream Imperator ingreditur pedes. Imperator cum Dei matris imagine proficiscebatur. Cum ad Studii monasterium ventum est, ibidem immaculatissimæ Matris De imagine relicta, equum conscendens ad Sapientiæ Dei templum pervenit, in quo Christo domino adorato, gratiisque uti par erat relatis, ad magnum palatium appellit. Exultatione itaque, & ingenti lætitia & inenarrabili gaudio Romanorum omnis sexus repletus gestiebat: namque qui non saltaret, vel illudibundus exiliret nullus erat, tantæ rei assensum vix præstans propter improvisum opus & superaffluentem voluptatem. Quando vero & patriarchæ ingrediendum erat Constantinopolim, post nonnullorum dierum excursum, sermonibus, suasionibusque adductus introit. Imperator interim in sacram regiam magnæ Sapientiæ sacrarium ad cathedram pontifici consignandam proficiscitur. Cum Imperatore omnes in dignitate constituti, & patritiorum præcipui, & plebs universa accurrerat. Ibi Imperator manum patriarchæ continens, Tene, inquit, thronum tuum domine, & a qua tamdiu aberrasti, cathedra fruere.*

Palæologi triumphus.

At non diu Palæologus Arsenium sede Constantinopolitana, e qua verum Justinianum patriarcham pepulerat, potiri permisit; sed quo scelere legitimo heredi Imperii sceptrum eripuit, ecclesiasticam auctoritatem in patriarchis pro arbitrio pellendis intrudendisque invasit. Cum enim Joannem, cui sceptrum debebatur, adolescere, ac non dubia virtutis signa prodere videret, ut excuteret timorem, ne sibi diadema aliquando eriperet, aduri ipsi oculos ignito crepitaculo, ut refert Pachymerius, (*a*) jussit, duasque illius sorores Theodoram filiam Theodori Lascaris Latino non admodum prænobili, qui casu Constantinopolim advenerat, despondit; alteram Irenem Vigintimilio comiti Genuensi in Italiam avehendam uxorem tradidit, ne quis Græcorum ob regium Lascarorum sanguinem Imperio inhiaret.

XXXII.

Joannes Lascaris oculis orbatus.

(*a*) *Pachym. in hist. Græc. l. 3.*

Audito Palæologi facinore Arsenius, cui moriens Theodorus Lascaris filium commendarat, justum anathema in Palæologum fulminavit, qui aliquot diebus simulata animi demissione divinis abstinuit, animadversaque patriarchæ constantia, de gradu dignitatis subornatis criminibus, deturbare eum meditatur. Nec defuere assentatores, qui principis consiliis obsecundarent. Cogitur in Imperatoris palatio conciliabulum, ad quod vocatus patriarcha accedere abnuit: in eo accusatur Azatinem Turcorum principem, per ea tempora morantem Constantinopoli, ad sacra admisisse: quamvis non ignoraretur eum Christianis parentibus oriundum ac baptismo ablutum erga religionem egregie affectum esse (illum vero a Tartaris pulsum tradit Pachymerius (*b*) quos Tocharos sive Scythas vocat, ad Imperatorem confugisse, & Calyphios, Persasque ab iisdem Tartaris profligatos) cumulata alia instructa crimina, ob quæ in exilium ejectus est atque ad patriarchatum a Palæologo Germanus Adrianopolitanus episcopus, vetere amicitia ipsi conjunctissimus, excitus est.

XXXIII. Arsenius Palæologum ferit anathemate.

Pellitur patriarchali sede.

(*b*) *Id. ib.*

Secundarum rerum cursu elatus Palæologus proferre ulterius terminos Imperii cogi-

XXXIV.



Alexius adversus Epiri despotam missus.

cogitabat, Alexiumque Cæsarem, cujus opera Constantinopolim ceperat, post decretum atque exhibitum illi triumphum, adversus Michaelem Ætoliæ atque Epiri despotam exercitu valido stipatum misit: sed ille adverso casu afflictus, amisso exercitu, in hostis potestatem pervenit, servitutique est mancipatus, qui Imperium Constantinopolitanum Palæologo compararat. Nec caruit aliis etiam adversariis Palæologus, qui bello duriore ipsum appetiere: quamvis enim omnem metum exuisse Joanne legitimo Imperii Græcorum herede oculis orbato videretur, tradit tamen (*a*) Pachymerius Trinaciotas & Zygitas, qui montana Niceæ incolunt, cæcum quendam erronem pro Joanne excæcato Imperatorem salutasse, ac diu Palæologo fortissime pluribus commissis prœliis restitisse, atque ab armis tandem, cæco illo in Persidem ablegato, discessisse.

In acie capitur.

(*a*) *Pachymer. in hist. Græc. l. 3.*

Adversa nonnulla patitur Palæologus.

XXXV. Galata sive Pera Genuensibus tradita.

Cæterum potiti Constantinopoli Græci omnes Latini generis ejecere, ne forte aliorum exemplo urbem aliquando proderent: quorum cum ingens multitudo esset, ex adversa Bosphori Thracii parte circa Galatam, Pisanis, Venetis ac Genuensibus locum ad inhabitandum attribuere, qui in celeberrimum emporium ob mercium invehendarum opportunitatem ac immunitatem vectigalium effloruit, ubi suos quique magistratus Veneti bajulum, Pisani consulem, Januenses potestatem haberent; immunem vero ait Gregoras (*b*) portum promisisse Genuensibus Palæologum, si eorum ope Constantinopolim obtineret, atque eorum gratia id præstitisse, quamvis sine ipsorum opera eam recepisset. Verum Nangius asserit (*c*) Genuenses odio percitos in Venetos Græcis ad occupandam Constantinopolim operam tulisse: quorum sane ac Venetorum funestæ dissensiones in Syria etiam rem Christianam attriverunt. Nec minus postea nocuere in disturbando bellico apparatu, qui a Balduino, Gallis, ac Venetis pro amisso Imperio recuperando instruebatur, de quo anno sequenti; cum Urbanum effusis suspiriis acceptam Ecclesiæ cladem deplorantem, ac Balduinum expeditionem in occidente conflare molientem intuebimur.

(*b*) *Greg. l. 4.*

(*c*) *Nang. in reb. gest. S. Lud. hoc ann.*

XXXVI. Institutus equester ordo B. Mariæ.

Institutus est hoc anno equester ordo B. Mariæ Virginis auctoribus aliquot viris nobilibus Italis, qui vitæ sanctioris studio se dediderunt. Neque cœlibes modo, qui in monasteriis arctiora instituta sectarentur; sed etiam conjugati, qui honeste & pie filios educarent, religioso hoc sodalitio comprehensi: quibus disciplinæ sacræ formula ab Urbano subjecto diplomate indicta est (*d*).

(*d*) *Lib. 1. cp. 128.*

*Urbanus, &c. ad futuram rei memoriam.*

*Sol ille verus.* Et infra: *Hac siquidem luce perfusi nobiles viri Lodderengus de Andalo, Gramons de Gazanimicis cives Bononienses, Selanca civis Reginus, Rainerius de Adelardis civis Mutinensis, & alii plures de civitatibus eorumdem, qui hujus sæculi spretis vanitatibus in otio dulcis contemplationis divinis perseveranter vacare laudibus ferventi spiritu appetunt, nobis devote ac humiliter supplicarunt, ut eis & omnibus, inclytum Christo cum ipsis cupientibus impendere famulatum, aliquam certam regulam, seu vivendi regulariter formulam specialem, sub cujus observantia salubri virtutum domino magis placere valeant, statuere ac condere curaremus. Nos itaque piis supplicationibus & salubribus desideriis favorabiliter annuentes, infrascriptam regulam studiose compositam præfatis nobilibus omnibusque illam profitentibus, & sub ipsa divinis omnino se beneplacitis dedicare volentibus concedimus de fratrum nostrorum consilio perpetuis temporibus observandam. Quam utique regulam appellare volumus ordinem militiæ beatæ Mariæ virginis gloriosæ, ut qui professi fuerint hanc regulam tanquam speciali, & perpetuo designato ordine taliter nuncupentur, videlicet fratres ordinis militiæ beatæ Mariæ Virginis gloriosæ. Regula vero talis est. Fratres milites clerici & laici, qui in conventibus, seu in conventualibus ecclesiis dicti ordinis fecerint, professionem regularem faciant secundum regulam B. Augustini, prout in forma inferius annotata expressam esse dignoscitur, vivant sub obedientia prælati, seu in omnimoda castitate & in habitu honesto, & in aliis etiam honestatibus eis competentibus. Infrascriptum modum jejunandi, & cibariorum usum observent, & proprium a se studeant abdicare. Non vadat aliquis sine socio fratre vel religiosa persona, videlicet ipsius ordinis de loco ad locum, neque septa monasterii absque licentia sui prioris egredi quoquomodo præsumant. Omnes similiter communi dormitorio jaceant, & in communi refectorio comedant.* Et infra: *Fratres prædicti ordinis conjugati, & alii, qui in domibus propriis voluerint commorari, promissionem faciant secundum formam inferius annotatam: Vivant sub obedientia prælatorum suorum, &c. Dat. Viterbii x. kal. januar. anno I.*

Formula disciplinæ S. Augustini illi præscripta.

Clerici & conjugati illi sodalitio possunt adscribi.

I. Praecipuæ res hoc anno gestæ.

ATtulit redempti orbis annus millesimus ducentesimus sexagesimus secundus indictione quinta, ingentes Urbano quarto summo Pontifici labores, cum regna atque imperia Christianorum principum ea affectantium, concussa fluctuarent, occidentali quidem Alphonsus Castellæ ac Legionis Rex, Richardus Cornubiæ comes, & Conradinus Friderici II. ex Conrado nepos, inhiarent: orientale laceraret Palæologus, ac Balduinum jam majori illius parte depulisset: Siciliam opprimeret Manfredus, atque ad occupandam reliquam Ecclesiæ ditionem, astu, consilio, ferro, flammaque incumberet. Ad discutiendam in primis ac dirimendam nobilem illam Richardum inter & Alphonsum electos de Imperio controversiam intentus, Castellano legati opera, post sua exaggerata merita suæque causæ commendatam dignitatem, ad accipienda ornamenta imperialia vocari exposcenti, rescripsit (*a*) perplexam admodum, atque involutam causæ æquitatem, cum ex adverso Richardus Imperium sibi deberi contenderet, nec summo in eum amori ita indulgere sibi non licere, ut inflexam justitiæ lancem non teneret; atque adeo de utriusque jure diligentius se cogniturum.

*Alphonsus Rex Castellæ imperialia insignia postulat.*

(*a*) *Urban. l.* 1. *ep.* 91. & *MS. Vallic. sig.* C. 49. *pag.* 1. Pontificis responsio.

*Illustri Regi Castellæ ac Legionis.*

II. Ea de re Urbani lit.

*Cesserunt nobis ad gaudii & exultationis multæ materiam ea, quæ dictus filius magister R. notarius tuus a te pro Imperii Romani negotio ad sedem Apostolicam destinatus, vir utique industrius & sedulus, tui zelator honoris, ad tui exaltationem nominis & magnitudinis tuæ laudem proposuit, in nostra & fratrum nostrorum præsentia constitutus. Inter alia namque inclyta celsitudinis regiæ, ac tuorum progenitorum merita, quæ facunde recensuit, & fœcunde, & prudenter exposuit te devotionem sinceram & intentionem puram erga Deum & Romanam ecclesiam matrem tuam incessanter habuisse hactenus, & constanter habere velle indefesso proposito in futurum; quodque intentis studiis ipsius Ecclesiæ commoda prosequi votive desideras, ejusque humiliter parere beneplacitis, & consiliis firmiter adhærere proponis. Circa quod tuum laudabile propositum, & regiam prudentiam dignis in Domino laudibus extollentes, divinam imploramus clementiam, ut ille, in cujus manu Regum corda consistunt, & ubi voluerit ea pro beneplacito suæ voluntatis inclinat, serenitatem tuam in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integræ religionis studio in tempora longiora conservans, virtutibus tuis semper adiiciat, & ipsas successivis adaugeat incrementis.*

Commendat Urbanus Alphonsum studia sua Ecclesiæ detulisse.

III. *Licet autem idem magister commissæ sibi legationis fidelis & diligens prosecutor, inter cætera, quæ circa prædicti Imperii negotium petiit, postulaverit instanter te per nos ad ipsius Imperii fastigium evocari, coronam ejusdem de nostris manibus suscepturum, nosque personam tuam potentia & magnanimitate sublimem sinceris affectibus prosequamur; ex officii tamen debito libram justitiæ gestantes in dextera, ipsius jussibus vota nostra subiicimus, ipsam illæsam servare studemus. Et ideo dilecto filio nostro nobili viro Richardo comite Cornubiæ super hujusmodi negotio Imperii jus suum, ut asserit, prosequente, ac suis nunciis super eodem multa capita nobis & eisdem fratribus nostris proponentibus pro parte ipsius, moleste ferre regia mansuetudo non debet si rebus sic se habentibus votis ejusdem magistri ad præsens annuendum non duximus in hac parte: præsertim cum tam tui quam præfati Comitis nuncii, apud sedem Apostolicam constituti se nolle in hoc ipsius sedis subire judicium frequenter duxerint proponendum. Cæterum memoratum magistrum, quem in tui prosecutione negotii fidelem comperimus, quem discretum suis consideratis actibus reputamus, & suis exigentibus meritis carum habemus, ad tuam præsentiam, quia ipsius reditus tuis commodis expediens creditur, redeuntem tuæ celsitudini commendamus, & si forsan ipsum vel alios nuntios apud Apostolicam sedem te habere contigerit, eos gratanter videbimus, & ad nos in quibuslibet negotiis volumus recurrere confidenter. Datum Viterbii* XV. *kal. maii*.

Recusat Alphon. sedis Ap. judicium in controversia Imperii subire.

IV. Dum contrariis inter se discissi studiis Germaniæ principes pro Richardo Alphonsoque contendebant, nonnulli Germaniam pacaturos arbitrabantur, si utroque depulso ad Conradinum Imperium deferrent: quæ res cum Ecclesiæ maximæ injuriæ ac periculo verteretur, Bohemiæ Rex, pro suo in Apostolicam sedem egregio studio, missis oratoribus, Urbanum monuit quid nonnulli electores molirentur. Urbanus ergo prædecessorum exempla sectatus, rescripsit, (*b*) ne unquam Conradinum ad Germaniæ regnum Imperiumve evehi consentiret; eademque archiepiscopis Maguntino, Trevirensi, Coloniensique imperia dedit. (*c*) Præterea Maguntino partes injunxit, ut coelectoribus denuntiaret, ipsos anathematis sententia percussum iri, si Conradinum eligerent, cum Ecclesia ex hoc in summum discrimen adduceretur, novoque inflammando bello funestæ faces subiicerentur.

Germani Conradinum Cæsarem creare deliberant.

Rem vetat Pontifex.

(*b*) *Lib.* 1. *ep.* 102.

(*c*) *Ibid. ep.* 107.

*Illustri Regi Bohemiæ.*

V. *Dilectum filium* (*d*) *magistrum Petrum capellanum & nuntium tuum, nec non, & literas quas nobis ex parte regiæ præsentavit, affectione paterna recepimus, & tam ea, quæ idem nuntius, quem de multa diligentia, solicitudine, ac prudentia commendamus; quam etiam quæ eadem literæ continebant, plene advertimus, & intelleximus diligenter; uberem tuæ circa Romanam matrem ecclesiam devotionis affluentiam ex eo specialiter dignis laudum titulis efferentes, quod regiæ circumspectionis industria, de honore ipsius ecclesiæ solicita, pervigil, & attenta, ea quæ circa negotium Romani Imperii in Alemanniæ partibus disponuntur, ad præsens præsentiens per eumdem nuntium, nec non & per prædictas literas nobis ad nostram, dictæque ecclesiæ præmunitionem, atque cautelam inter alia significare decrevit, qualiter venerabilis frater noster archiepiscopus Maguntinus tibi, & aliis principibus regni Theutoniæ, ad quos Romani Regis in Imperatorem promovendi spectat electio, certum de novo diem & locum præfigere, ac assignare curavit, quo personaliter conveniatis in unum de electione ac creatione futuri Regis ad invicem tractaturi; & qualiter etiam in illis partibus vulgaris rumor insonuit, quod nonnullorum ex prædictis principibus ad hoc tendit intentio, ut videlicet Conradus puer natus quondam Conradi filii quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris ad Romani culmen Imperii sublimetur.*

(*d*) Ep. 102.

Scribit ea de re ad Bohemiæ Regem.

VI. *Nos autem attendentes, quod ad intimandum nobis talia ex multa cordis, quam ad nos & prædictam geris ecclesiam puritate ac sinceritate animi processisti, tuam propter hoc devotione multiplicibus gratiarum actionibus prosequimur superno Regi, per quem regni tui moderaris habenas, laudes debitas exolventes, quod tam carum, tam placidum, tamque devotum habemus in te filium, probitate quidem, ac bonitate præfulgidum, & multarum virtutum gratia præpollentem: propter quod ad personam tuam copiosa mentis affectione dirigimur, cogitantes semper, & infra cordis intima revolventes quid gratiæ, quid favoris filio possimus impendere tam excelso; & quibus honorificentiis suum insignire statum magnificum valeamus.*

Gratias agit electorum consilia sibi aperuisse.

VII. *Verum quia prædictus Fredericus, ejusque progenitores, & posteri, aliorum persecutorum excedentes tyrannidem, gravioribus eamdem ecclesiam affecerunt injuriis, & oppressionibus durioribus afflixerunt; & velut in cædem & exterminium ejus tendentes furoris arcum, & feritatis gladium acuentes, diris illam ubilibet tribulavere flagellis, & usque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt; nos considerantes, quod in hoc pravo genere, patrum in filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt; ac volentes periculis, quæ prædictæ imminerent ecclesiæ, si dictus Conradus puer assumeretur, quod absit, ad regiam, vel Imperatoriam dignitatem, apostolica diligentia præcavere; prædictum archiepiscopum, & alios ecclesiasticos principes coelectores ipsius felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri super hoc inhærendo vestigiis, monendos, rogandos attente duximus, & hortandos, nostris eis in virtute obedientiæ sub debito fidelitatis, quo nobis & ecclesiæ prædictæ tenentur, ac sub pœna excommunicationis, quam ex tunc in eos protulimus, districte dantes literis in præceptis, ut memoratum Conradum puerum nullo umquam tempore in Regem eligant, nec nominent, neque consentiant in eumdem: ita quod excommunicati existant, si contra mandatum nostrum facere, vel venire præsumpserint, & eumdem Conradum nominaverint, vel elegerint, aut in ipsum consenserint, seu opem, vel operam, consilium, auxilium, vel favorem, ut eligatur impenderint; & etiam si ejus nominationem & electionem non impediverint toto posse: & si forte ad ipsius electionem, vel nominationem aliquo tempore processerint, noscant se prius excommunicatione ligatos: aliis vero coelectoribus suis auctoritate apostolica firmiter inhibeant, ne ipsum Conradum ad hoc nominent, vel eligant, nec in eum consentiant, promulgando eadem auctoritate, in eos excommunicationis sententiam, si contra hanc inhibitionem venire tentaverint; ita quod si eum ullo umquam tempore nominare, vel eligere, aut in ipsum consentire præsumpserint, noscant se prius excommunicationis vinculo alligatos, & ex hoc ipso, si de prædicto Conrado quicquam in hac parte attentatum fuerit, sit prorsus vacuum, irritum, & inane.*

Exponit Friderici, & filiorum tyrannidem.

Prohibitum jam ab Alex. ne Conradinus ad Imperium eveheretur.

Incussæ principibus, si contratendant, pœnæ.

Pronuntiatum irritam fore Conradini electionem.

VIII. *Nos quoque nihilominus in omnes electores, qui præmissum puerum ad hoc nominare, vel eligere, seu in ipsum consentire, aut opem, vel operam, consilium, auxilium, vel favorem, ut eligatur, dare præsumpserint, excommunicationis sententiam duximus promulgandam: quam statim per illos, antequam ad nominationem, vel electionem aliquam aliquo tempore procedatur, reliquis suis coelectoribus præcepimus innovari: quod si non fecerint eo ipso se noverint excommunicationis laqueo innodatos. Ideoque serenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus hujusmodi processum nostrum prudenter considerans & discutiens sapienter, sic illum semper habeas ante oculos tuæ mentis, ut si ullo umquam tempore electioni faciendæ de Rege Romanorum te interesse contigerit, attente provideas, ne hujusmodi excommunicationum sententiis quomodolibet involvaris, nominando, vel eligendo prædictum puerum, aut exhibendo ad hoc, ut eli-*

Renovatæ superiores censuræ.

*eligatur, consilium, auxilium, vel favorem. Dat. Viterbii III. non. junii an. I.*

IX. Manfredus Regis Arag. affinitatem affectat.

Agitabat ita in Germania Conradinus sibi viam munire Imperio, cum Manfredus qui ficta illius morte Siciliam invaserat, veritus ne regno tandem pelleretur, quo suam tyrannidem stabiliret, cum Aragonum Rege per legatos egit de filia cum Aragonii primogenito matrimonio conjungenda, petieratque ut ipsum cum Pontifice Urbano conciliaret. Iis ergo Manfredi promissis pellectus Aragonius ad Pontificem de eo in ipsius gratiam restituendo scripserat, seque ad pacem eam constringendam Romam profecturum. Cui Urbanus cum nefandissimo tyranno, qui post Tarentinum principatum ipsi ab Ecclesia nullis ejus meritis concessum, Ecclesiæ ditionem invasisset, Sarracenis sese conjunxisset, ad catholicos Ecclesiæ studiosos proterendos Siciliam conficta Conradini nepotis morte occupasset, principes nonnullos fraudibus sustulisset, ecclesias vexasset; nunquam pacem initurum. Demum Regem ipsum ab illius affinitatis contrahendæ mente nisus abducere, quantam labem suo generi ex eo inureret, proposuit (*a*), e quibus dicta superius de Manfredi tyrannide confirmantur.

Urbani lit. ad Reg. Arag.

(*a*) Ib. ep. 92. & MS. Vallic. sig. C. 49. pag. 3.

*Regi Aragonum Illustri.*

*Dilectus filius frater ... nuncius tuus vir utique providus, quem contemplatione mittentis & tuæ insuper probitatis obtentu affectione paterna recepimus, nostram præsentiam adiens, Manfredi quondam principis Tarentini querelas, de duritia, quam ipse falso imponit ecclesiæ Romanæ conflictas, ac oblationem pacis, quam se idem Manfredus multipliciter ab eadem ecclesia expetiisse asserit, proculdubio simulatam, prudenter exposuit, & speratum tuæ sinceritatis ac devotionis affectum ad nos & eandem ecclesiam nobis & nostris fratribus reseravit. Retulit namque dictum Manfredum tibi per suas literas & nuncios graviter fuisse conquestum, quod licet ipse ad obtinendam sedis Apostolicæ gratiam studiis continuatis institerit, & per tractatus varios totis viribus laborarit, multiplici tamen ipsius instantiæ opposuit semper rigor Ecclesiæ sine causa repulsam: quare idem se in hoc beneplacitis tuis exponens petiit, ut ad tractandam concordiam inter ipsum & dictam ecclesiam interponeres personaliter partes tuas. Ad cujus instantiam tu credens ipsum in veritatis simplicitate procedere, ac intendens in hoc nostra & ipsius ecclesiæ commoda procurare, id te facturum nobis per eundem nuntium & literas liberaliter obtulisti.*

Suam ad pacem conciliandam operam defert.

X. Urbani ad Jacob. Reg. responsa.

*Sane, fili charissime, tuam tuorumque progenitorum devotionem ad memoratam ecclesiam frequenter operis exhibitione probatam, fratrum nostrorum & communi testimonio novimus, ipsamque ac tuam & eorumdem progenitorum facta magnifica, quæ ad exaltationem sui nominis, & Christiani cultus ampliationem dignata est dextera Domini, tuo & ipsorum ministerio, misericorditer operari, habentes in apostolicæ mentis conscripta sacrario; & intra pectoris cellam meditatione frequenti ac commemoratione celebri recensentes, illam concepimus de tua serenitate fiduciam, hoc de te spe firma & indubitata tenemus, quod sic in te Dei charitas vigeat, sic zelus domus Domini te comedit, quod ad ea, quæ ipsius incrementa respiciunt, vel procurare possent, aut conservare prosperum statum ejus, te libenter exponeres, nec in hoc laboribus parceres vel expensis. Sed illud profecto in admirationem, immo in stuporem quodammodo nos inducit, quod licet universis mundi nationibus pateat memorati Manfredi malitia, licet ipse tanquam in malorum profundum demersus, Deum contemnens, & homines, quasi frons meretricis facta sit ei, nimis impudenter fere cunctis publicavit detestabiles actus suos, ipsaque rei evidentia doceat, eum quo ad tractatus concordiæ in falsitatis duplicitate procedere, ac in corde & corde prosequi, imo solum proloqui verba pacis; tamen providentia regia ejus suggestionibus fraudulentis aures, quod ex tua forsan puritate procedit, inclinare videtur; & ideo cogimur licet inviti, aliqua de abominationibus suis & multiplicibus ac importabilibus offensis, quas contra Deum & matrem Ecclesiam continuando multiplicat, & multiplicando accumulat incessanter, tibi non sine multa cordis amaritudine saltem summotenus explanare.*

Mulcet initio pluribus encomiis.

Impudentiam & scelera Manfredi exponit.

XI. Ut rebellionem in Ecclesiam moverit.

*Hic siquidem licet a principio post obitum Conradi fratris sui, felicis recordationis Innocentio Papæ prædecessori nostro fidelitatis præstito corporaliter juramento, ipsum regnum Siciliæ pacifice intrare permiserit, eum & Romanam ecclesiam verum ejusdem regni dominum recognoscens; licet idem prædecessor affectu paterno cupiens eum mansuetudinis multæ dulcedine, ad sui Creatoris gratiam revocare, ipsum ut filium receperit in visceribus charitatis, & principatum Tarentinum de mera liberalitate, cum nullum idem Manfredus jus haberet in eo, sibi sponte concesserit, & alias eum largifluis munificentiis & magnificis largitionibus honorarit; tamen quasi e vestigio tantorum beneficiorum oblitus, & ad omnia factus ingratus, ut fusi sanguinis semitas sui faceret processus initium, cum conceptum virus amplius celare non posset, quondam Burrello de Anglone comite, fideli Ecclesiæ, in conspectu quasi prædecessoris ejusdem crudeliter interempto, dum Ecclesia quadam materna fiducia in ipso quesceret, erigens statim captata opportunitate rebellionis calcaneum contra eam ad Saracenos Luceriæ, per quos in Christianos immanitates exercuit, & exercet innumeras, declinavit; ac pactionibus & colligationibus initis cum eisdem contemptoribus & persecutoribus Crucifixi ac nominis Christiani, ad occupationem prædicti regni manus extendens, illud sub simulata nepotis sui nati memorati Conradi protectione tutoria, præsumpsit occupatum aliquandiu detinere: ac tandem idem iniquitatis filius, ejusdem nepotis morte conficta, regnum ipsum tamquam hereditatem propriam occupavit; & nativitatis suæ primordia non attendens, non erubuit, sed præsumpsit in regalis dignitatis opprobrium, & cunctorum fulgentium hujusmodi claritate, quam ipse sua contagione commaculat, regium in eo nomen assumere per se ipsum, tantæ proditionis notam in suum nepotem, cujus se tutorem asserebat & bajulum, non abhorrens, nec ostentationem suæ confusionis aspiciens: cum obveniens improbis dignitas non dignos efficiat, sed prodat potius & prædicet indignos.*

Tyrannidem Saracenorum opera exercuerit.

Notat furto genitum, eaque etiam de causa sceptro indignum.

Nepotis proditorem fuisse.

XII. Oppressisse ecclesias.

*Et ut tali principio sequentia concordarent, & ipse non rector, sicut nec erat, sed raptor potius appareret, vacantes in eodem regno ecclesias occupavit & occupat, non vacantes spoliat; prælatos ipsarum & alios (quorum aliquos diris carceribus mancipavit, quos etiam sicut laicos talliis & exactionibus aggravat) facit solum in contemptum clavium; cum per prædecessorem nostrum sit variis excommunicationum sententiis innodatus; & contra interdictum Ecclesiæ, quod profecto suspicione non caret hæreticæ pravitatis; quantum in eo est, profanare divina. Nonnullos quoque barones regni præfati, pro eo quod prædecessori & ecclesiæ prædictis, licet de ipsius beneplacito adhæserunt, crudeliter interemit, quamplures incolas regni ejusdem magnates & alios inhumaniter exulare cogendo, nec in iis parcendo sexui vel ætati.*

Hæresis nota non carere.

Crudelem & in libidines effusum.

XIII. Hæc latere Regem Aragonum non posse.

*Numquid igitur, ut cæteras obscenitates ipsius, quibus labia nostra polluere nolumus, omittamus, saltem ista tam publica, tam manifesta te latent? Numquid ista tuum præterire potuerunt auditum? Hæc tamen in Christo, si pœnitens se habilitasset ad gratiam, ob salutem ipsius libenter, prout deceret, pertransisset Ecclesia, & ei ad suum gremium redeunti, tanquam filio perdito venienti de longe, apertis brachiis occurrisset, immolatura pro eo in ubertate divinæ laudis vitulum saginatum. Propter quod tam tempore felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, quam nostro suos nuncios, non sine multorum scandalo, quamquam ipsius malitia sibi non esset incognita; ut tamen obstetricante saltem manu colubrum educeret tortuosum, & ipsum a peccatorum nexibus liberatum de faucibus sempiternæ mortis eriperet, eadem Ecclesia benigne recepit, & varios cum ipsis tractatus inivit: sed ipse illis pendentibus a suarum iniquitatum prosecutione non destitit, imo ipsis eo vacavit instantius, eoque periculosius institit, quo minus poterant eo tempore fideles Ecclesiæ, de ipsius insidiis dubitare. Hujusmodi namque tempore idem per suos satellites quondam Bussarium nuncium memorati sui nepotis in terra Ecclesiæ, ac sub ipsius securitate morantem, fecit occidi; & in Ecclesiæ devotos, in Tuscia versutiis & armis insiliens, ipsos, non sine multa strage hominum, damnis & injuriis multis afflixit. Ut de morte quondam Petri de Calabria, quem simili modo peremit, & de occupatione marchiæ Anconitanæ, quæ est Ecclesiæ specialis, ac invasione Tusciæ, aliarumque terrarum Imperii per suos ministros, & cæteris similibus, imo etiam longe deterioribus taceamus. Post quæ omnia in nimiam erectus superbiam, & quasi pullum onagri se liberum natum putans, tractatus omnes, quanquam eos non acceptasset Ecclesia, sicuti nec debebat, prorsus omisit. Licet enim post vocationem nostram ad apostolatus officium, ad nos plures nuntios destinarit, nosque ipsos benignitate solita duxerimus admittendos, nulla tamen per ipsos nisi deluſoria quædam audivimus, nec digna relatu. Propter quod magnificentiam tuam decere non credimus, nec te volumus quantumcumque libenter tua frueremur grata præsentia, pro hujusmodi tractatibus laborare: sed de liberali oblatione tua tibi grates uberes referentes, celsitudinem tuam affectuose rogamus, quatenus sinistris ejus suggestionibus non præstes auditum, nec ipsius fraudibus te patiaris involvi. Cæterum quia zelo sinceritatis intimæ, circa tuæ magnitudinis incrementa semper intendit Ecclesia, quia continua benevolentiæ studia gessit olim & gerit in votis, augmentis exaltare magnificis & insignire titulorum concessione sublimium nomen tuum; nos, qui prædecessorum nostrorum vestigia * ... circa te proponimus in affluentia benedictionis & gratiæ, silere non possumus, quin mentem nostram tibi paternis affectibus exprimamus.*

Qua clementia Ecclesia in Manfredum sit usa, significat.

Flecti numquam potuisse.

Alia Manfredi flagitia.

Orator Conradini cæsus.

Exacitati in Etruria Ecclesiæ fœderati.

Invasa Marchia Anconitana.

Rogat Jacobum ut a Manfredi studio se retrahat.

* sequi

XIV. Ne affinitatem stirpis suæ claritate indignam contrahat.

*Considera igitur fili, considera tui generis claritatem, quantaque diebus antiquis, quorum memoriam non existit, generositate illustris floruit domus tua: quanta tibi dederit Dominus potentia, & personæ strenuitate vigere: quot & quanti regiæ dignitatis participes, tibi proxima consanguinitatis & affinitatis linea conjunguntur. Quomodo igitur tandem cadere potuit in cor tuum; quomodo potuit animi tui sublimitas inclinari, ut de contrahendo matrimonio inter primogenitum tuum illustrem, & natam memorati Manfredi verba etiam patereris audire? Nunquid contemnitur ab aliis mundi principibus natus tuus? Nunquid deerit ei de stirpe regia decens conjux? O quantum dedecus tali connu-*

*nubio tantam generis dedecorare prosapiam! O quam detestabile tam devotum Ecclesiæ filium, ipsius inimico & persecutori manifesto, vinculo tantæ conjunctionis astringi! Nonne posses amare dolere, si ex tali nuru tibi proles accresceret, toti tuo generi, eique conjunctis, & tibi maxime pudori futura? Certe in te non bene primis ultima responderent: sed ipsi tibi omnino dissimilis appareres, si tu ab ipsa ætate tenera inimicos Ecclesiæ, ac Christianæ fidei persecutus, nunc maturiorum constitutus annorum, talium aliquem in tui derogationem nominis, tanto favore ac benevolentia prosequaris. Nec enim præterit regiæ considerationis intuitum, quod ex tali conjunctione memorato Manfredo nimius favor accresceret, non sine magna offensa Dei & Ecclesiæ, quam ipse totis persequitur nisibus; & tuæ magnitudinis læsione, dum ei te conjungendo, qui sic eandem impugnat Ecclesiam, ab ipsa separari & adversari nimirum videreris eidem.*

Priora gesta eo facto obscuratum.

XV. *Absit itaque, absit quod in gloria tua maculam tantam ponas. Absit ut talis unquam tibi nota possit imponi. Absit ut contra claram tuam & ejusdem generis tui famam suspicio in te qualiscumque succrescat, quod a solitis devotionis, & affectionis semitis erga Deum & Romanam ecclesiam dicaris quomodolibet claudicare. Profecto, princeps inclyte, si te nequaquam ab hujusmo conjunctione retraheret, nativa nobilitas, & votum debitæ conservationis ipsius, devotio saltem matris Ecclesiæ, in te ac tuis progenitoribus radicata, revocare deberet. Placeat igitur excellentiæ tuæ paternis acquiescere monitis, & nostris exhortationibus promptum accommodare consensum, ut prosecutioni conjunctionis hujusmodi amplius non insistas; sed ab ea tam tui tuorumque honoris intuitu, quam divini amoris obtentu omnino desistas, ut tibi famæ servetur integritas, & illibata tui generis claritas conservetur: Dat. Viterbii* VI. *kal. maii*. Indignum se venia cumulatis tot sceleribus Manfredus reddiderat, atque a ratione alienum videbatur, ut quod regnum per scelus pepererat, fictæ demissionis beneficio sibi assereret. Nec ille tamen etiam cum sedis Apostolicæ gratiam ambire simularet, ab inferendis gravissimis Ecclesiæ damnis destitit, ut ex Urbani literis (*a*) colligitur.

(*a*) *Lib. 2. ep. 13.*

XVI. S. Ludov. cœptam cum Jacobo Rege affinitatem abrumpit.

Ut porro Aragonum Rex ob suam in contrahenda cum Manfredo affinitate facilitatem, illius enim ambitionem inferendæ in domum aliquando Siculæ coronæ spes titillabat, correptus est, ita S. Ludovicus summas a Pontifice laudes promeruit, qui cum jam amotis consanguinitatis impedimentis Alexandri IV. auctoritate, Aragonum Regis filiam Ysabellam Philippo filio uxorem accipere in animum induxisset, atque etiam sponsalia apud Claramontem in Arvernia maxima pompa celebrari jussisset, percussoque inter ea regna pacis fœdere, Aragonius quidquid in civitatibus Carcassona, Biterris, & Amiliano possidebat, ut testatur Nangius (*b*) Franco cederet, Francus vero sese jure in gratiam Aragonii exueret, quod in comitatus Devesandum, Ampuriarum, Rocilionis, Barcinoniæ, & Cathaloniæ contendebat; accepto tamen nuntio Aragonium cum Manfredo Ecclesiæ infensissimo hoste affinitatem junxisse, atque illius filiam majori natu filio uxorem dedisse, a cœptis resiliit. Eam enim maculam Rex Ecclesiæ amantissimus, tuendæque illius dignitatis studiosissimus, suscipere in se noluit, ut jungere cum iis affinitatem diceretur, qui cum Ecclesiæ hostibus fœdus pepigissent. Pulcherrimum factum Urbanus collaudavit, egregiamque in Apostolicam sedem voluntatem hisce literis (*c*) commendavit, quæ extant in codice M. S. bibliothecæ nostræ Vallicellanæ pervetusto cum pluribus aliis, quorum nonnullam particulam nimia vetustas erasit.

(*b*) *Nang. in gest. S. Lud. Reg.*

(*c*) *MS. Vallic. sig. lit. C. n. 49. pag. 2.*

*Regi Francorum illustri.*

XVII. Urbani lit. ad S. Lud. Gratulatur Arag. Regis affinitatem reliquisse.

*Nuper de Viterbio recedentes declinaturi apud Montem Flasconem, castrum Ecclesiæ speciale, ac inibi ad vitandos fervores æstivos aliquandiu moraturi, per dilectum filium nobilem virum Joannem de Valencenis quasdam serenitati regiæ decreveramus literas destinandas. Ad gaudium etenim cedit nobis & consolationis multæ materiam, cum tua frui non possumus ad præsens grata præsentia, vel te visitare nostris interdum, vel tuis aliquando recreari. Sed nobis ad idem castrum pervenientibus, & occurrente nobis dilecto filio magistro Joanne Parisiensi, nuncio venerabilis fratris nostri Tyrensis archiepiscopi, stylum gratanter convertimus ad delectabilia nostris affectibus de te relata per eum. Ipse siquidem nuncius bonus de terra longinqua, de tua tuorumque incolumitate, ac statu prospero regni tui, nostrum replens animum gaudio, nos & fratres nostros de paritatis tuæ constantia, immensa nimium jucunditate perfudit. Retulit namque, quod licet ad præfati regni quasi partes ultimas accessisses, pro matrimonio inter dilectum filium primogenitum tuum, & dilectam in Christo filiam natam charissimi in Christo filii nostri illustris Regis Aragonum contrahendo, comperto tamen, quod idem Rex filiam Manfredi quondam principis Tarentini persecutoris Ecclesiæ manifesti, variisque ligati excommunicationum sententiis, ut de aliis taceamus, primogenito suo non sine magna derogatione sui nominis matrimonialiter copularat, omnino ab ipsius matrimonii prosecutione desistens, in spiritu devotionis & solitæ sinceritatis abundantia illud Deo & nobis acceptum non*





*non immerito eloquium protulisti, quod nullo modo tuus animus pateretur, te vel tuos alicui, qui se cuiquam inimico, vel persecutori Ecclesiæ qualiscumque obligationis vinculo astrinxisset, alicujus affinitatis fœdere copulari, ne sic cum inimicis Ecclesiæ natorum aliquem nuptiarum * illicitis quoquomodo recedere videreris. O utinam... liquido tibi pateret... sicut pro certo credimus, quamquam nobis & eisdem fratribus votivum hujusmodi tuæ devotionis... eloquium, profecto merito exultares, quod tantum nobis & ipsis fratribus exultationis materiam præstitisti: plus enim in iis animo in Domino psallimus, quam literis exprimamus attendentes, quod tu benedictionis filius, honoris tuæ matris Ecclesiæ zelator eximius, votis ipsius non tantum cordis verbi & operis conformi promptitudine te conformas, sed ea omni solicitudinis studio niteris prævenire.*

* jungens nexibus.

XVIII. Eximium ejus in Ecclesiam studium commendat.

*Lætamur igitur & gaudemus in iis procul dubio de te ipso, qui non solum progenitorum tuorum gesta recolenda prosequeris, & laudabilia vestigia imitaris, sed generis tui successor non degener eos virtutibus conaris excedere, quibus in tantæ prosapiæ claritate non indigne succedas. Lætamur etiam nimium, & non sine causa gaudemus, quod mater Ecclesia in te, quem sui prosequtorem honoris, & libertatis ecclesiasticæ protectorem assiduum experitur, secura quiescit; nec pateris ipsam aliquibus solicitari molestiis, aut solicitudinibus molestari, ne cujusvis fraudibus ab ejus separeris gremio vel uberibus abducaris. Digne itaque Petri successor & vicarius Jesu Christi teste veritate fatetur, te singulare suæ fortitudinis brachium: merito, communis assertionis testimonio concurrente, te prædicat incommutabilem Ecclesiæ ac præcipuum defensorem. Sicut enim Petrus, Jacobus, & Joannes a Domino in montem excelsum assumpti, & post transfigurationem ipsius apparentibus illis Moyse & Helia, tandem voce Patris audita timentes in faciem ceciderunt, sed tacti, & auditis per ipsum confortationis eloquiis, ne timerent suos levantes oculos neminem nisi solum Jesum vidisse leguntur, sic nos & prædicti fratres, ingruentibus frequenter diversarum procellarum fluctibus, & multiplicibus turbinibus tempestatum, quæ in hujus mundi pelago multoties concutiunt Petri navem, in altitudine cogitationis erecti levamus in circuitu nostræ considerationis aciem: sed in urgentium necessitatum articulis efficaciter Ecclesiæ assistentem te solum singulariter intuemur.*

XIX. Laudes in Deum refert.

*Super his igitur, Domino quas possumus, & tuæ celsitudini referentes gratiarum multimodas actiones, quæsumus ut ipse auctor salutis & pacis, te ac regnum præfatum in statu prospero, & tranquillo, per tempora longiora conservet, & te de sua benignitate concedat, quod intenta mente consideres, & una nobiscum solitam solicitudinem ferventius adhibeas, ut status Ecclesiæ ad salutem fidelium de bono procedat in melius, & ad honorem divini nominis exaltetur, ad quod regalem celsitudinem eo vacare speramus instantius, eoque libentius laborare, quo nos & Ecclesia ipsa, qui te inter cæteros catholicos mundi principes, specialem filium reputamus, personam tuam, præclaris exigentibus meritis, uberiori prosequimur charitate;* quamvis vero huic epistolæ non sit adscripta dies, cum tamen Pontifex Viterbio Montem Flasconem se contulisse affirmet tempore æstivo, non ante saltem XIII. kal. aug. qua die epistolam CXVI. ad archiepiscopum Tarantasiensem Viterbii dedit scriptam esse, dicere oportet.

XX. Amplissimam gratiam S. Ludovico refert.

Præclaram vero gratiam Pontifex S. Ludovico sedis Apostolicæ studiosissimo retulit: de transfundendo enim in ejus fratrem Carolum regno Siciliæ, cui Manfredus Aragonii affinitate elatus incubabat, meditata a prædecessoribus consilia perducere decrevit. Alberto namque notario suo partes injunxit, (*a*) ut cum Carolo Provinciæ comite de Sicilia ipsi tradenda tractaret: nil tamen, nisi sede Apostolica facta certiore, definiret. Jam enim Edmundus ab Alexandro eo regno, ut vidimus, indutus suo jure ceciderat, cum Henricus Angliæ Rex ipsius pater initas cum Pontifice leges non servasset; neque uti in se gravissimis adjectis pœnis admiserat, expeditionem ad Manfredum deturbandum adornasset, inanesque tantum conatus profuso ærario suo adhibuisset: cum tamen adversus tyrannum plus ferro, quam auro pugnandum fuisset. Cum vero Siciliæ regnum Francis deferret Albertus nuncius S. Ludovicus, (*b*) cujus purissima conscientia ne minimam quidem labeculam scienter pati poterat, nonnullam sensit religionem, num aliqua injustitiæ species subesset Siciliam admittere, cum si ab illius jure Conradinus vere excidisset, jam in Edmundum Angliæ Regis filium transfusa esset. Ad Constantinopolitanum vero Imperium, ac Terram sanctam defendenda, de quibus etiam erat agitatum, sese ultro obtulit: quo accepto Pontifex Albertum notarium monere jussit Regem, ut eam conscientiam poneret, nullam injustitiam subesse, remque a Cardinalibus atque a se ad examen adductam, præfideret potius summam a Deo gratiam eo facto initurum.

(*a*) *Lib. 2. ep. 8. Ptolom. Luc. l. 22. hist. eccl. c. 25.*

Transferendi in stirpem Gallicam regni Siculi consilia meditatur.

(*b*) *MS. Vallic. sign. lit. C. n. 49. pag. 142.*

*Dilecto filio magistro Alberto notario nostro.*

XXI. *Tuas nuper recepimus literas inter cætera continentes, quod charissimus in Christo filius noster Rex Francorum illustris, verbis proculdubio subdolis aliquorum intendentium ipsum avertere a negotio, ad quod*

Insignis conscientiæ puritas S. Ludovici.

*quod cum ipso tractandum te misimus, aures credulitatis inclinans; & eorundem fingentium Conradinum nepotem quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, vel si dictus Conradinus, ut eorum verbis utamur, a suo jure cecidit, nobilem virum Edmundum natum charissimi in Christo filii nostri Regis Angliæ illustris per concessionem sedis Apostolicæ in regno Siciliæ jus habere suggestionibus informatus; licet in hujusmodi assumptione negotii ecclesiæ Romanæ zeletur honorem & felicitatem, ad Constantinopolitani subventionem Imperii, ac Terræ sanctæ subsidium, ad quæ ferventer aspirat, prudenter attendat; tamen dubitat, nec immerito si veritas præmissis adesset, non sine multorum, ut asserit, scandalo jus invadere alienum. Sane dum ex his, & aliis ejusdem Regis Francorum gestis magnificis, & laudabilibus actibus suæ fidei magnitudinem diligenter attendimus; dum ipsum exultanti animo contemplamur, tanta conscientiæ puritate vigere, quod tanquam princeps Christianissimus, & suæ innocentiæ sedulus conservator, in singulis suis processibus prævio rationis judicio, & comite sincero charitatis affectu procedens ad ea, quæ Christianæ fidei exaltationem, & ipsius ecclesiæ Romanæ respiciunt, totis conatur nisibus, proximi læsionem abhorret, scandalum refugit, metuit animæ suæ periculum, & divinæ majestatis veretur offensam; illi nec mirum sacrificium laudis offerimus, in cujus manu regum corda consistunt: illi toto mentis affectu, quantum possumus, gratiarum exolvimus actiones, qui ejusdem Regis Francorum animum direxit in talia, illius nihilominus clementiam implorantes, ut memoratum Regem in hoc integræ religionis studio, in hac fidei puritate per tempora longiora conservet. In ipsius namque prosperitate prosperari reputamus Ecclesiam, sperantes, quod ipsa ejusdem Regis viribus, quas ipse suorum prædecessorum felicium inclytus imitator in servitium fidei, & Ecclesiæ præfatæ libenter exercet, in suis necessitatibus semper, auctore Domino, fulcietur, & tam idem Rex ipsius Ecclesiæ, quam eadem Ecclesia Regis ejusdem mutuis juvabuntur auxiliis, & favoribus fovebuntur. Verum illam debet idem Francorum Rex de nobis, & fratribus nostris cepisse fiduciam, illud debet indubitate tenere, quod ipsum tamquam prædilectum, & Romanæ ecclesiæ filium, & in ejusdem affectibus inter cæteros regiæ dignitatis principes, suis & progenitorum suorum exigentibus meritis singularem, ea dilectionis singularitate prosequimur, quod nec personam aut terram periculis ingerere, nec famam scandalo aut detractioni subiicere, nec animam suam, cujus nobis licet immeritis curam novimus esse commissam, salutis vellemus discrimini subjacere; quodque nos & fratres ipsi, sic nostras intendimus conscientias divinæ majestatis virtute præambula mundas Domino conservare, sic animas nostras salutis auctori desideramus, ipso qui potest favente sermoni, gratas & acceptas offerre, quod in prædictorum Conradini & Edmundi, vel alterius cujusquam præjudicium, cum conscientiarum scrupulo divini offensa numinis nullo modo aliquid faceremus, &c.*

Veretur aliena jura invadere.

Laudat Albertum, studia & industriam ad serenandum S. Ludovici animum, eamque religionem excutiendam contulisse: datque imperia, ut tractatum cœptum promoveat.

XXII. Fidei censores creati in Liguria & Insubria.

Nec Urbanus modo ad defendenda Ecclesiæ jura incubuit, sed maxime pontificias curas pro fide illibata servanda, atque erroribus amputandis defixit. Testes apostolicæ literæ ad Dominicanæ familiæ alumnos in Insubria, ac Liguria fidei censores missæ, (*a*) quibus ea ipsos auctoritate instruxit, consiliisque, ac prærogativis ad partes impositas egregie sustinendas munivit, quibus antea Alexandrum Minoritas, qui eodem munere fungebantur, instruxisse vidimus. Jussit ergo strenue provinciam sibi demandatam exequi, ne temere imperirentur iis absolutionem, qui ficta pietate scelus colorarent; neminem sine diœcesanorum consilio sententiis suis percellerent: examine diligenti coram viris prudentibus testes discuterent, dictaque scriptis notarii opera mandarentur: religiosi, & clerici tabelionatus officium in eo casu gerere possint, si ante sacros ordines religiosumve habitum susceptos id exercuissent: testium nomina ubi periculum aliquod ipsis impenderet, secrete coram viris probis enuntientur: quoslibet peritos, ut in ferenda sententia assistant accersere, populum aut clerum loci cogere, venientibus viginti aut quadraginta dierum indulgentias apostolica auctoritate impertiri, sine forensi strepitu judicia exercere possint: sanctiones apostolicas, atque edicta Friderici Patavii olim contra hæreticos promulgata, summa religione observent. Apostolicis etiam beneficiis fidei censores complexus est, ac ne aliqui obstarent quin adversus hæreticos injunctam provinciam exercerent, gravissimas minas jecit, se cœlum & terram adversus eos armaturum, crucesignatos reges, principes, ac populos, ad eos delendos, in aciem educturum, atque impulsurum. Navata etiam opera ab ejusdem ordinis religiosis viris adversus hæreticos in Aragonia ad abolendas Albigensium reliquias. Sed ab impiis insectandis ad sanctos meritis affectos honoribus digrediamur.

(*a*) Extat apost. lit. in cod. Vallic. sig. C. n. 49. pag. 118. & in Bul. in Urb. IV.

Data iis pontificia monita.

XXIII. Richardus episc. Cicestrensis sanctis adscriptus.

Hoc anno Urbanus cœlitum catalogo aggregavit (*b*) B. Richardum episcopum Cicestrensem, cujus miraculorum gloria cum

(*b*) Theodor. Vallicolor. in Urb. vita apud Masson. l. 5. & alii.



eum late pervagata esset, Angliæ Regis procerumque precibus adductus Alexander editas ejus opera divinitus admirandas res in publicas tabulas referri, atque examine ecclesiastico discuti jusserat. Inter cæteras ejus virtutes, mira corporis integritate enituisse, refert Urbanus in diplomate pontificio, atque ita in suscepto consilio constantem extitisse, ut cum frater, ut ipsum ad prænobilis puellæ conjugium adduceret, primogenituræ jura, ac patrimonium in eum refundere cuperet, numquam inflecti, ac blandientis voluptatis illecebris, bonorumque ostentatione subornari potuerit: B. Edmundi archiepiscopi, cui summa familiaritate conjunctus fuit, in regenda ecclesia Cantuariensi curas, levavit; tum ad sedem Cicestrensem evectus, ut virtutum micantes radios undique diffuderit, carnemque asperrime vitæ genere edomarit, enarrat Pontifex (*a*).

Ut caducas opes abjecerit.

XXIV. *Ipse vocatus ad regimen ecclesiæ Cicestrensis factus est solito longe magis vigil ad curam, non segnis ad opus, suavis ad mores: ex tunc ei fuit pauperum cura major, habitus abjectior, gestus & affatus humilior. Ex tunc ipse in persecutionum perpessione fortior, in libertatis ecclesiasticæ defensione constantior, in justitiæ censura inflexibilior, in oratione ferventior, in eleemosynarum largitione profusior, in proprii corporis castigatione rigidior: districtior in observantia disciplinæ, in carnis & spiritus lucta prudentior. Horum collucta tionem frequenter in ipsa luctatus, prudenter attendit, studuit luctari prudentius: carnem coegit servire spiritui, abjecit ancillam & filium ejus, carnem & carnis incentiva prosternens vigiliis, quas spreto cubili pervigil observabat, refocillavit spiritum, pavit jejuniis, multa orationum assiduitate nutrivit. O virum industrium! O circumspecti athletæ prudentiam! Carni arma debilitationis imposuit, ut armis fortitudinis spiritus armaretur. Illi dedit arma terrestria, ut spiritus arma cœlestia commodius toleraret: ut enim carnis carie caute careret, effectu vere Mardochæus effectus, ipsius & nomen & omen assumpsit, dum nominis interpretationem implevit, impudentis carnis factus amara contritio, & ipsam amare conterens impudentem. Posuit enim vestimentum ejus cilicium, & ipsius stimulos corigia ligneis, & ferreis pungente stimulis se nudum comprimendo repressit, loricamque superinduens, arma macerationis adjecit. O pugnantis cauta sagacitas, sagaxque cautela! O dolus bonus in hostem! Sic armavit adversarium, ut armis debilitaret armatum, cum debilitato secure confligeret, in conflictu quietius vinceret de armato * virtuosius obtineret.*

Magnas in episcopatu virtutes explicuerit.

Voluptates voluntariis pœnis fregerit.

* victoriam

XXV. *Hæc miranda, hæc laudanda belli victoria, non in exercitus multitudine, sed de cœlo veniens fortitudo. Hoc opus illius, in cujus conspectu non est differentia in multis liberare, vel paucis. Hoc opus illius, qui docuit lucernam accensam non poni sub modio, se candelabro superponi. Hoc illius opus, qui quod verbo docuit, opere in B. Richardo complevit. Ipse enim pater luminum, qui ei dedit per tenebras mundi hujus in suo lumine ambulare, in ipso meritorum lucernam accendit. Ipse illam candelabro mirabilium operum superimposuit, ut per clara merita, quasi luna resplendens, tandem per miraculorum evidentiam in solis fulgorem proficeret, & quasi sol in templo Christianæ fidei refulgeret; nec latterent in abditis tantæ opera claritatis, quæ idem summus opifex per eum non solum cum ipso regnantem, sed etiam adhuc, licet præter carnem, tamen in carne viventem dignatus est mirabiliter operari, patientibus ad beneficium, videntibus & audientibus admirandum imitationis exemplum, & proficiendi doctrinam; quorum de multis aliqua, onerosæ multitudinis vitandæ gratia, brevis series reserabit.*

Præclara de parto ab eo triumpho encomia.

XXVI. *Quodam siquidem edulitatis tempore ad ejusdem beati viri eleemosynam inopinata concurrente inopum copia, panem qui ad nonaginta refectionem pauperum distributione solita æstimatus, occurrentis multitudinis vix parti minimæ concurrebat in numero, vivus panis qui de cœlo descendit, ad ipsius benedictionem abundare fecit in tantum, quod præter existimationem astantium refectis abunde fere tribus millibus pauperum, consuetas recipientium portiones, de supernæ abundantia pietatis superabundaverunt partes, quæ secundum eandem distributionem centum adhuc pauperes refecissent. Hic, resolutionis sui corporis tempore propinquante, per plures dies ante horam mortis certam, licet ipsam nihil incertius, facti subsecuta veritate dictum certificante prædixit. Post cujus transitum corpus ipsius, antea gravatum vigiliis, terræ duritia, in qua frequenter solebat decubare, confractum, jejuniis maceratum, macerationibus multis afflictum, præter humanum morem nitidissimum apparuit, ut probaretur pressuris talibus non oppressum, sed potius expolitum. Ad ipsius invocationem contractos, quorum membra naturaliter gressui ministrantia, ita totaliter plurium annorum paralysis inveterata contraxerat, ut eisdem membris hujus ministerio ineptis redditis, nulla omnino daretur gradiendi facultas, ille cujus mira sunt opera, subito membris ipsis in solitam virtutem erectis, in liberi gressus libertatem erexit. Antiquatas fistulas plurium ossium extractione concavas, & sine spe sanitatis stillantes saniem, ejusdem sancti meritis, ulceribus etiam repente sanatis, divinæ pietatis affluentia desiccavit. Tres mor-*

Mortem suam prædicit.

Splendet post mortem ipsius corpus.

Miracula ejus ope imploratæ edita.

*mortuos, quorum unum currentis currus per medium rota compresserat, reliquos vera febris extinxerat, ille qui mortem moriendo destruxit, precibus sub ejusdem porrectis nomine inclinatus suscitavit ad vitam. Et quod non est prætereundum silentio, sed solemni vulgandum gaudio, in humanum corpusculum vestigio inhumandum, utpote de corpore matris natum exanime, de utero transferendum ad tumulum, ejus invocato nomine, animam viventem animarum creator infudit, &c. Dat. Viterbii x. kal. martii pontificatus nostri anno* I.

Indulgentiæ sepulcrum ejus adituris propositæ.

Cumque tot miraculorum fama illecti populi ad ejus sepulcrum colendum convolarent, Pontifex ad alendam confirmandamque eorum pietatem, die festo adeuntibus, indulgentias contulit: elapsoque mense v. kal. aprilis translati sanctissimi pignoris celebritatem quotannis fieri concessit (*a*). Vitam ipsius duobus libris complexam Rodulphum Ciceſtrensem tradit Card. Baronius (*b*).

(*a*) *Lib.* 1. *ep.* 70. *ext. in dict. eod. Vallic. pag.* 120. *& in Formul. Marini Ebuli pag.* 214. *n.* 2154.
(*b*) *Bar. in Mar. Rom. die* 3. *apr.*

XXVII. S. Richardo Angliæ clarissimo lumini novum Germaniæ decus Ulricum Racemburgensem episc. conjungemus, quem virtutibus præsertim effusa in pauperes liberalitate non disparem numen pari miraculo exornavit. Rem narrat Albertus Crantzius (*c*): *Grauarium*, inquit, *suum plenum farina & frumento totum in manus pauperum exhausit, ita ut nihil sibi ac familiæ reservaret. Supervenere pauperes, qui eleemosynam efflagitarent: vocato procuratore jussit, ut pauperibus consuleret dans quidquid superesset: erat enim annonæ caritas insignis, & fames valida super terram. Procurator sciens granarium evacuatum respondit nihil superesse, quo pauperes consolaretur, sed omnia in similes usus dispensa. Fiducia plenus dixit illi episcopus: Vade & vide si forte vel modicum supersit, ut non vacui discedant pauperes. Vade in nomine Domini, & da eis; forte arbitratus, quod dispensator timidius consuleret futuro tempori, cum revera nihil superesset. Mira res, & veterum miraculis merito comparanda: granarium aperuit, & frumento atque farina plenum reperit, & pauperibus abundanter elargitur. Ubi innotuit res gesta Pontifici, resolutus in lacrymas Deo omnium largitori largas gratias persolvit.* Hæc Crantzius, atque ex eo novatores (*d*): qui quidem, ut animales homines non percipientes quæ sunt spiritus Dei addunt: *Si modo credere fas est*. Verum non abbreviatam in miraculis patrandis manum Domini sensit Polonia in B. Hedwige, cujus sanctitatis gloria innumeris miraculis, quæ quotidie patrabantur adeo excrevit, ut Poloniæ proceres ad Urbanum IV. oratores miserint, (*e*) qui ab ipso flagitarent, ut eam SS. albo adscriberet: quibus auditis, ut maturius deliberaret, Wolmiro Waladislaviensi episcopo, Dominicanorum præfecto provinciali munus imposuit, ut ecclesiasticum examen de illius miraculis instituerent.

(*c*) *Crantz. metrop. l.* 8. *c.* 29. Ulricus episc. Racemburgen.

Quam Deo grata esset ejus in pauperes liberalitas miraculo ostensum.

(*d*) *Cent.* 13. *c.* 10. *col.* 1098. Centuriatorum impietas.

Institutum de S. Hedwigis miraculis religiosum examen.

(*e*) *Long. hist. Pol. l.* 7. *hoc an.*

XXVIII. B. Ægidius moritur.

Extinctum est hoc anno Franciscanæ familiæ lumen pulcherrimum B. Ægidius D. Francisci quondam socius, quem allocutum esse, vidisseque felicem se putabat S. Bonaventura. Singulari veneratione Romanam ecclesiam est prosecutus, & audiens Heliam ab ea ad Fridericum II. defecisse, statim subortis lacrymis magno dolore percitus in terram se prostravit, atque in pulvere volutatus est, dictitans velle se quantum posset in terram deprimere, cum ille infelix, dum in sublime enitebatur, misere corruisset. Adeo divinarum rerum contemplatione capiebatur, ut solo paradisi audito nomine, extra sensus ipsius animus evocaretur. Ferunt aliquando virum insignem, e Dominicana familia de virginitate Deiparæ ambigentem, ad ipsum se contulisse, eoque veniente virum Dei divinitus cognito dubio, quo a dæmone agitabatur, baculo terram percussisse, adjecisseque: *Frater Prædicator, S. Maria virgo est ante partum*; ac mox elegans lilium e terra emersisse, iterumque ea percussa dixisse; *Frater Prædicator, S. Maria virgo est in partu*; ac statim aliud erupisse, tertio solum ferientem dixisse: *Frater Prædicator, S. Maria virgo est post partum*; ac tertium lilium cultissimum e terra sese extulisse, ac mox abacta alterius tentatione aufugisse. Edidit plura in vita miracula, ac post mortem majoribus effulsit, quæ si quis cupiat, S. Antoninum (*f*) Wadingum (*g*) in Minoritarum annalibus consulere poterit. Tanto viro aliisque non minus insignibus efflorescente Franciscanorum familia Oliverius Firmiensis episcopus ab Urbano expetiit, ut episcopatus munus abiicere atque ad Minores se recipere posset: ac Pontifex Colocensi archiepiscopo partes injunxit, (*b*) ut inquireret, quid magis Ecclesiæ utilitatibus conducere videretur.

Insignia nonnulla ejus gesta.

(*f*) *Ant.* 3. *p. tit.* 24. *c.* 7. §. 11. & 12.
(*g*) *Wad. in annal. Minorit.*

Oliverius Firmiensis episcopus.

(*b*) *Lib.* 2. *ep.* 33.

XXIX. Septentrionales ad repellendos Tartaros se accingere meditantur.

Excepit per hæc tempora Urbanus Nidrosiensis archiepiscopi aliorumque Septentrionalium præsulum oratores, qui ipsum de subsidio in Norvegia contra Tartaros comparando, certiorem fecere. Alexander enim prædecessor, cum unius regni etiam florentissimi vires Tartaris Terræ sanctæ, Poloniæ, Ungariæque imminentibus, atque ad alia regna vastanda penetrare molientibus, resistere non posse videret, orbis Christiani defensioni consulturus, cum adverteret œcumenicam synodum sine maximis difficultatibus celebrari non posse, in singulis provinciis concilia a metropolitanis indici jusserat, in iisque decerni, quas copias ad infringendos Tartarorum conatus, quæve pecuniarum subsidia submitti possent, ut eo pacto totius Christiani populi vires simul conflarentur. Paruere antistites, atque constituto Apostolorum Petri & Pauli festo oratores, uti jussi erant, transmisere. Sed Alexandro defuncto, Cardinales vacante sede sine certo responso remisere: Urbano demum Pontificiis gubernaculis admoto, septentrionalium regionum procuratores rediere, quos ille rerum mole obrutus cum hisce literis ad suos præsules dimisit, (*a*) præcepitque ut cœptis strenue operam navarent, ac subsidia promissa diligenter compararent. [1]

Alexander IV. ipsos ad id excitarat.

Data ab Urbano ipsorum oratoribus responsa.

(*a*) *Lib.* 1. *ep.* 100.

*Archiepiscopo Nidrosiensi, ac Bergensi, Alloensi, Orcadensi, & Stavvangrensi episcopis.*

*Sibi, & gregi sibi commisso solicitus felicis recordationis Alexander Papa prædecessor noster, prout sui apostolatus officium exigebat, certis alienæ cædis exemplis admonitus, & malorum instantium non dubiis rumoribus excitatus; cum sævissimum Tartaricæ feritatis gladium, quo filios hominum pro parte jam maxima in suorum peccaminum ultionem digne commota indignationis divinæ severitas, ut residui salubriter paveant, flagellari permisit, cautis prudentiæ sensibus prospexisset, non potuit dissimulare, nec debuit, quin clamaret præmuniens diligenter, & præmovens fidelium præcipue pastores & principes, ut secum expergiscerentur & surgerent, ac in alienis periculis propria præcaventes ante sera tempora tempestiva remedia præpararent.*

XXX. De indictis ab Alex. provincialibus in Tartaros conciliis.

*Ne vero generalis convocatione concilii, quod arduæ rei necessitas flagitabat, ob incommoda temporum, locorum distantias, viarumque discrimina generalitas gravaretur, aut necessariæ provisionis utilitas incurreret ex nimia tarditate defectum, præfatus prædecessor a Christianis principibus, prælatis, atque collegiis solicite inter alia requisivit, ut circumspectæ deliberationis examine providerent, quibus modis, quibusve remediis, atque subsidiis ecclesiasticis, & mundanis ad resistendum prædictis Tartaris, tam in Terra sancta quam impetunt, quam in regno Ungariæ, atque terra Poloniæ aliisque locis, unde ad alia occupanda Christianorum regna violentum molientur ingressum, conflarentur in unum vires populi Christiani, cum tantæ, tamque improbæ multitudinis irruptionibus cohibendis unius regni quantumlibet præpotentis non credantur sufficere facultates: quæ insuper regio, cui, quibusve modis, & viribus contra eosdem Tartaros succurrere teneretur: quæ demum & qualia subventionis auxilia particulariter ob hoc indici deberent cleris, & populis Christianis, & de reliquiis nihilominus providentiæ opportunæ suffragii in tantum negotium, illudque contingentia conferendis, secundum datam ipsis prudentiam, Deum & universale periculum habendo præ oculis; cogitantes, super omnibus deliberatione habita diligenti usque ad octavam Apostolorum Petri & Pauli nunc proximo præteritam, aliquos procuratores, & nuncios providos & discretos sufficienter instructos, ac plenum habentes a prælatis collegiisque mandatum super præmissis omnia faciendi, quæ ipsi possent, si præsentes essent, efficere, ad sedem Apostolicam destinarent, per quos eorum communicato consilio dicta sedes statueret, quæ in tam arduo Christianitatis negotio publicæ salutis utilitas postularet.*

Formidanda eorundem potentia.

Ut Romanus Pontifex fideles in eos concitarit.

XXXI. *Receptis itaque hujusmodi literis apostolicis Christiani principes, & ecclesiarum prælati, ac ecclesiastici viri diversorum regnorum deferentes Apostolici patris mandatis & monitis, ut decuit reverenter, ad Apostolicam sedem procuratores, & nuncios transmiserunt. Sed quia dictus prædecessor noster jussus a Domino migrare de sæculo isto nequam, positam omnibus legem fatalis conditionis impleverat, venerabiles fratres episcopi, & dilecti filii nostri presbyteri, & diaconi sacrosanctæ R. E. Cardinales, prædicta tunc sede vacante, hujusmodi nuncios honorificentia, qua decuit, admittentes; ac benevolam præsentiam, & audientiam impendentes, eisdem literas & mandata, quæ attulerant, fecerunt sibi protinus exhiberi, quibus inspectis, attentius & propensius quia ipsi tunc occupati circa tractatus, qui tunc eis de substitutione Romani Pontificis imminebant, cum eisdem procuratoribus in remediis adhibendis contra pestem hujusmodi efficaciter procedere nequiverunt, procuratores & nuncios ipsos, ne suos dominos, aut eos mora gravaret longior, dimiserunt eodem non intermisso, sed ad plenioris instructionis consilium remisso negotio, donec prædicta sede ordinata, de pontificatus apostolici successore consequeretur super eo ecclesiasticæ solicitudinis instantia exitum concupitum.*

Abrupit mors Alexandri consilia.

XXXII. *Licet igitur vos nuncios, & procuratores vestros propter hoc ad prædictam sedem*

NOTÆ [1] De Tartaris christianos infestantibus prætereunda minime duco ea quæ continuator Gallicus historiæ Tyrii seu Bernardus Thesaurarius ad annum hunc adnotat. Narrat enim Saracenos hoc anno Antiochiam obsedisse, sed concitati ab Armeniæ rege in illos Tartari, barbaros defendere res suas obsidione dimissa coegerunt. Obsidio ista Antiochiæ sedulo distinguenda est ab altera quam sequenti anno die XIV. aprilis Bendochar, seu Bandochar qui Babyloniæ Sultanum interfecerat, tentavit, de qua annalista ad A. 1263. I. & Bernardus Thesaurarius ad eundem annum. MANSI

*dem tarde miseritis, quod opinamur ex multa locorum distantia, cum in ultimis terræ sitis constituti finibus, contigisse; nos tamen, quos omnipotens Dominus, licet immeritos, ad summi Apostolatus apicem sublimavit, eosdem nuncios & procuratores vestros benigne ac clementer admisimus, necnon & literas, quas nobis ex parte vestra tulerunt, attente perlegimus, & intelleximus diligenter. Sed quia mens nostra in nostræ hujusmodi novæ promotionis initio multarum solicitudinum, & diversarum curarum obsidione vallata super prædicto negotio, quod non ultimam requirit diligentiam, plene adhuc deliberare nequivit; præfatos nuncios & procuratores vestros ad vos cum memoratæ sedis gratia duximus remittendos, fraternitatem vestram monentes, rogantes attentius, & hortantes, ac per apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus intendentes vobis ipsis, & Christiano populo, in quo vos posuit Dominus principes & pastores circa prædictum negotium contra Tartaros prosequendum, quæ necessitati conveniunt, & utilitati expediunt generali, prudenter & solicite cogitetis, illud in omnibus & per omnia, juxta formam per literas memorati prædecessoris vobis traditam, prudentibus consiliis, sedulis studiis, & provisionibus circumspectis taliter dirigatis, ut prompti inveniamini, & parati ad ea, quæ per ejusdem negotii promotionem, tam circa subsidium, quod propter hoc in regno Norvvegiæ ad præsens colligitur, ut scripsistis, quam etiam circa alia, quæ ipsius regni, & reipublicæ Christianitatis commodum respiciunt & profectum, vos duximus requirendos. Dat. Viterbii v. idus junii anno 1.*

Urbanus ea perducere differt.

XXXIII. Schismaticorum potentia invalescit.

Nec solum Tartari Ecclesiam oppugnabant, verum etiam Græci schismatici catholicorum res admodum afflixerant. Palæologus namque Balduino Imperat. Constantinopolitano dejecto, depulsoque regia urbe, ut reliquum Imperium in suam potestatem redigeret, anhelabat. Nec fregit animos adversis casibus Balduinus; cum Venetorum enim duce conjunctis armis ad recuperandam Constantinopolim expeditionem conflabat: nec illi Urbanus auxilio defuit; Minoritis enim imperavit, (a) ut incitandis ad arma sacra populis navarent operam, pro Constantinopoli e Græcorum manibus eripienda, indulgentiasque profecturis pollicerentur, quas pro Terræ sanctæ subsidio bellum inituri consequerentur.

Balduinus Imp. auxilia comparat.

(a) Lib. 1. ep. 129.

Hortatur fideles Pontifex ut illius signa sequantur.

*Ministro provinciali ordinis fratrum Minorum in regno Franciæ.*

XXXIV. Ea de re Urbani lit.

*Orta est nobis de partibus Romaniæ multæ turbationis materia, & exinde prosilierunt jacula, quæ diris puncturis affecerunt, & afficiunt intima cordis nostri. Ecce siquidem in regione illa contra fidelem populum schismaticorum erectus est gladius, undique ad subvertendum catholicorum statum gravis persecutionis turbo prorupit, propter quod cultores fidei orthodoxæ hostilibus inibi quatiuntur insultibus, & Christiana religio variis & diversis adversitatibus impugnatur. Palæologus namque schismaticus, qui Græcorum Imperatorem vocari se facit, postquam illius perfidæ gentis obtinuit principatum, contra populum Latinorum, qui in illis partibus commoratur, cœpit in eum furoris tyrannidem inhumaniter exercere; sicque adversus eum una cum subjectis sibi Græcis nationibus conspiravit, quod ad illius exterminium, & subversionem tota suæ malignitatis convertit studia, direxit intentionem, & animum præparavit, improbe sperans se posse de facili, Latinis ejectis, exinde Constantinopolitani Imperii dominium integre obtinere. Congregato igitur post debellationem, & captionem dilecti filii nobilis viri Guillelmi de Vvillarduin principis Achajæ, exercitu copioso, & civitatis Constantinopolitanæ finibus appropinquans, civitatem eandem, cum non posset illam violenter capere, proditionaliter occupavit, collocans in ea superbiæ suæ sedem in sempiternum opprobrium Latinorum.*

Graves de Palæologo querelæ.

Captum ab eo Achayæ principem.

Expugnatam proditione Constantinopolim.

XXXV. Rom. ecclesiæ ex eo tristi casu luctus.

*O quantos concepit dolores, o quot suspiria protulit, o quam acerbas effudit lacrymas Romana mater ecclesia, cum audivit, quod prætactam civitatem, quæ in ejus permanens unitate in suo gremio altius relucebat, amisit. Recolens etenim quod multo tempore anxie vigilavit, laboriosa studia intentis vigiliis annectendo, ut civitatem tam inclytam & famosam, tamque insignem & amabilem obtineret; memor etiam solicitudinem, suspiriorum, & laborum, quibus fel. recordationis Innocentius Papa III. prædecessor noster illam Imperialem urbem ad unitatem catholicam conquisivit; & audiens eam sic probrose deperditam, & ab ejus obedientia & devotione subtractam, acuti doloris gladio sua præsensit viscera perforata. Veruntamen quantumcumque immensum ex hoc flebili casu civitatis ejusdem dolorem concepit & mœrorem, nequaquam ob hoc cecidit spes ipsius, nec fuit animo consternata, quin de ipsius civitatis, & per consequens dicti Imperii recuperatione solicite cogitaret, confidens in illo, qui est in se sperantium fortitudo, quod post hujus percussionis dolorem, consolationis opportunæ medelam misericorditer adhibebit. In hoc enim claret excellentia fidei, super cujus petram eadem ecclesia fundata consistit quia quanto gravius ecclesia ipsa impetitur, tanto persistit constantior, quoniam immobile accepit in Christo, qui est veritas, fundamentum. Nam licet antiquis temporibus eadem ecclesia memoratum Imperium amare planxerit, ab ejus unitate subtractum; licet diutinas & in-*



*& innumeras amaritudines, & afflictiones pertulerit de suorum inibi dimicantium oppressionibus filiorum; semper tamen animo fortis stetit, nec unquam, quæ potuit, illuc subsidia destinare cessavit: quia sibi continue divina potentia in tanti prosecutione negotii necessariæ subventionis largitione providit, corda fidelium ad præbendum ei super hoc assidue accendendo, ex quibus innumeri jam, effuso in pugna tam salutifera sanguine, cursum vitæ præsentis sub glorioso triumpho martyrii feliciter consummaverunt.*

XXXVI. Palæologus in Achajam & Peloponesum conatus effundit.

*Verum quia dicti Palæologi nequitia, faventis temporis tumefacta suffragio, prædicta urbe, quæ memorati Imperii caput existit, taliter occupata, ad occupationem residui ejusdem Imperii, videlicet principatus Achajæ ac Moreæ, ferventer anhelat, nos attendentes, quod Ecclesiæ corpus ex membri tam chari, scilicet Imperii prætacti carentia, si prætactum residuum, quod absit, occuparetur ab eo, notam probrosæ deformitatis incurreret, & sustineret debilitatis dolendæ jacturam; considerantes etiam quod charissimus in Christo filius noster Balduinus illustris Imperator Constantinopolitanus, & nobilis vir dux Venetorum, sicut ejusdem Imperatoris, & ejusdem ducis nuntii nobis in nostra constituti præsentia retulerunt, una cum prælatis & baronibus principatus jam dicti magnificum tam per mare, quam per terram pro succursu ejusdem Imperii jam disposuerunt facere apparatum; ac volentes eos in hoc fidelium Christi præsidiis adjuvari, digne providimus fore ab eisdem fidelibus opportunum propter hoc suffragium postulandum.*

Balduinus & Veneti in eum fœdera coeunt.

XXXVII. *Tuæ igitur discretioni per apostolica scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus tam per te, quam per alios fratres tui ordinis, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, proponens eisdem fidelibus per regnum Franciæ, nec non per alia loca, per quæ tua administratio se extendit, juxta datam tibi a Deo prudentiam verbum crucis, eos attentis, & sedulis exhortationibus inducere non omittas, ut pensantes provide quam sit necessaria nunc Imperio prætacto festina subventio; advertentes etiam, quod per Imperii prætacti succursum catholicæ fidei & ecclesiasticæ libertatis augmentum, nec non & Terræ sanctæ liberatio specialiter procurantur; ad succurrendum eidem Imperio, ac Latinis morantibus in eodem, quinimo ad Imperium ipsum eripiendum de manibus adversariorum contra prædictum Palæologum, & fautores ipsius assumpto crucis signaculo, viriliter & festinanter exurgant: prædicto quoque fidelibus ipsis quod dictus dux Venetorum omnes crucesignatos hujusmodi suo potenti navali stolio illuc deferri faciet sine naulo.*

Pontificiæ in vocandis ad crucis signa fidelibus curæ.

XXXVIII. Indulgentiarum præmia iis proposita.

*Nos etiam de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa, quam nobis licet indignis Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus eidem Imperio, ac Latinis in personis vel bonis eorum succurrentibus illam suorum peccaminum veniam indulgemus, ipsosque illo privilegio eaque volumus immunitate gaudere, quæ prædictæ Terræ sanctæ subvenientibus in generali concilio sunt concessa: non obstante sedis Apostolicæ indulgentia, qua fratribus tui ordinis dicitur esse concessum, ne de causis vel negotiis, quæ per literas apostolicas committuntur eisdem, se intromittere teneantur, nisi de indulgentia hujusmodi expressam faciant mentionem. Ut igitur utilius & facilius commissum tibi hujusmodi ministerium exequi valeas, tibi & fratribus ejusdem ordinis, quos ad hoc cooperatores elegeris, convocandi ob id cleros & populos locorum, in quibus hujusmodi verbum crucis proponere vos continget, quotiescumque & ubicumque videris expedire, ut processionaliter prædicationibus vestris cum devotione intersint; necnon largiendi omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad hujusmodi convocationes, & prædicationes vestras accesserint, quadraginta, vel centum dierum indulgentiam, juxta tuæ discretionis arbitrium moderandam, plenam concedimus auctoritate præsentium potestatem. Dat. &c.* Exaratam vero epistolam par est credere, cum sequentes ad S. Ludovicum scripsit, nimirum ineunte junio hujus anni. Per id quoque tempus scriptæ plures (a) ad Agennensem episcop. quibus imperavit, ut ad ferenda Constantinopolitano Imperio auxilia decimas in Francorum regno cogeret.

(a) Ibid. ep. 131. 132. 133.

XXXIX. Balduinus ad Urbanum se confert.

Accesserat ad sedem Apostolicam Balduinus, ac sui aspectu Pontificem dolore confoderat, depulsum solio per nefariam proditionem tantum Imperatorem intueri: pervenerunt etiam Venetorum oratores, qui Urbano promisere omnes sine ullo nauli pretio trajecturos, qui eam expeditionem susciperent. Diuque tanta re discussa atque agitata, Pontifex ex Cardinalium consilio ad S. Ludovicum Francorum Regem, Andream archidiaconum Paphensem misit, ut ipsum ad restituendum Imperio Balduinum, Ecclesiæque jacturam sarciendam incitaret, literisque (b) certiorem fecit Venetos, classem maximam instruere, Moreæ atque Achajæ principes pedestrem exercitum terra adducturos.

(b) Ep. 30.

*Regi Franciæ illustri.*

Apost. ad S. Ludov. lit. ut opem Balduino ferat.

*Si mater Ecclesia in opportunitatibus reipublicæ Christianitatis, ac in suis tribulationibus calamitatibus, & pressuris ad te, fili charissime, tuumque famosissimum & Christianissimum regnum habet frequenter cum fiducia magna recursum; si suas afflictio-*

*ctiones, quadam materna tibi familiaritate communicat, & suorum incendia vulnerum tibi tamquam perito & experto eorum medico confidenter exponit, sperans illa salubribus tuarum consolationum leniri posse fomentis indubitata; quam de probato tuæ circa illam compassionis affectu, & sinceritatis effectu, firmiter obtinet, hoc efficit certitudo. Licet enim omnipotens Dominus magnifica prole multorum fidelium Regum, & principum orbis terræ, quos eadem mater Ecclesia baptismi regeneratione parturivit in filios, ipsius Ecclesiæ fundaverit uterum; iidemque Reges & principes una tecum ejus sæpe angustias viderint, ipsiusque clamores frequenter audierint; tu tamen solus ejus semper doloribus condolens & compatiens passionibus pio corde, mœrores & clamores ipsius numquam sub dissimulatione transisti, sed illos patulis suscipiens auribus velut Christianæ fidei athleta fortissimus, ac robustus pugil, & propugnator electus ad ejusdem Ecclesiæ præsidium vexillo devotionis explicito, prompto semper assurrexisti animo, eique in cunctis suis necessitatibus, indeficientibus tuæ potentiæ viribus astitisti: ita quod secundum dolorum suorum multitudinem consolationes tuæ lætificaverunt ejus animam, illamque fecerunt multotiens a suis anxietatibus respirare.*

Præclarum S. Regis in rem Christianam studium commendat Urbanus.

XL. Spes de eo conceptas exponit.

*Digne igitur de te, Christianissime princeps, inter cæteros catholicos mundi principes Regis æterni sponsa confidit: merito in tuo præsidio spes firmavit, & auxilium a te, cum temporis opportunitas suggerit, & necessitas exigit, confidenter expetit, & indubitanter expectat: præsertim cum præteritorum exhibitio certa sit significatio futurorum. Sane olim dum rumor horribilis de amissione civitatis Constantinopolitanæ nostrum percussit auditum, nostrique cordis intima doloris acuti gladio penetravit, nos ex rumore hujusmodi, veluti ex quodam terrifico sonitu vehementer attoniti ex immensi acerbitate mœroris stupidos sensimus sensus nostros, devotas preces effundentes Altissimo, & Ecclesiam suam sanctam, quam ejus indignatio continuis Christiani populi lacessita peccatis, in mutilationem membri tam nobilis flagellari permiserat, in hujusmodi necessitatis articulo non relinquens, ei suæ dulcedinis porrigeret ubera, nostræque aciem redderet circumspectionis attentam ad indagandum omnia, per quæ tanto ipsi Ecclesiæ illato vulneri de opportunis possemus remediis providere. Cumque noster propter hoc animus urgentibus undique diversarum cogitationum fluctibus æstuaret, demum ad te dictumque regnum tuum convertimus nostræ considerationis intuitum, ac super te ipsumque regnum noster animus, curis ob hoc fatigatus innumeris requievit, sperans promptum tuæ solicitudinis studium, ac magnificum dicti regni auxilium invenire totaliter expositum, & paratum ad salubre in hac parte consilium apponendum.*

XLI. *Firma ergo de tanti principis, tantique regni potentia concepta fiducia, nostras tibi, & universis prælatis ejusdem regni super subventione Imperii Constantinopolitani ejus, conquassationibus, ac prædictæ civitatis amissione sub certa forma duximus literas nuper destinandas, venerabilem fratrem nostrum episcopum Agennensem, cui hujusmodi negotium per alias nostras commisimus literas, ad te dictosque prælatos propter hoc specialiter, & fideliter transmittentes.*

Agennensis episcopus missus in Galliias.

XLII. *Verum quia dolor plagæ hujusmodi, sensibus nostris infixæ, nuper ex amari cruentatione clamoris charissimi in Christo filii nostri Balduini illustris Imperatoris Constantinopolitani, ac ambasciatorum nobilis viri Rainerii Zeni ducis, & communis Venetorum, & aliorum Latinorum quamplurium de ipso Imperio ad nostram præsentiam accedentium, crudeliter extitit innovatus, quia etiam Ecclesiæ facies in aspectu tam charissimi filii, in quo, proh dolor! ob sinistrum dictæ civitatis eventum, & si non dignitatis, potestatis tamen imperialis vigor emarcuit, magnæ confusionis, & multæ ignominiæ fuit rubore perfusa; nos, quod vix sine lacrymis videre possumus, eumdem fidelissimum in Christo Imperatorem, & totius Romaniæ moderatorem de imperialis culminis solio a Græcis schismaticis in perpetuum Latinæ gentis opprobrium sic probrose dejectum; cupientes, ut memoratum Imperium, & per consequens Terra sancta, cujus etiam negotium agitur in hac parte, celerem & optatum speratæ subventionis consequatur effectum; cum & barones, & proceres, & magnates Latinæ gentis, qui principatus Achajæ, ac Moreæ, aliarumque multarum terrarum, & insularum ejusdem Imperii dominium obtinent, cum strenua multitudine bellatorum per terram, & prædicti dux & commune Venetorum cum magnifico stolio galearum per partes maritimas ad resistendum potenter occupatoribus ejusdem Imperii, & ad reprimendum eorum conatus præcipites; iidemque dux & commune ad exhibendum omnibus dicto Imperio succurrentibus passagium sine naulo, sicut per suos nobis promiserunt nuncios, sint parati; dilectum filium Andream de Spoleto archidiaconum Paphensem capellanum nostrum, virum utique expertæ prudentiæ, & examinatæ virtutis, ad te, quem zelus comedit domus Dei, nec non ad dictos prælatos pro acceleratione dictæ subventionis auctore Domino procuranda, de fratrum nostrorum consilio fore providimus transmittendum, ut quo nos ferventiores in hujusmodi negotio, tu dictique prælati esse noveritis, eo & vos ad hoc pronio-*

Quantum dolorem Pontifex e viso Balduino ejecto ab Imperio acceperit.

Latinorum orientalium in Palæologum conatus.



*ores reddamini, & etiam promptiores.*

XLIII. Apostolica ad S. Regem adhortatio.

*Ideoque serenitatem tuam rogandam duximus attentius & hortandam, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus considerans quod si residuum ejusdem Imperii, quod absit, dictorum Græcorum pateret aggressibus occupandum, via præcluderetur, & transitus dictæ Terræ sanctæ volentibus subvenire; ob reverentiam Apostolicæ sedis & nostram, immo potius divinæ majestatis intuitu, & tu ipse, sicut tuum decet honorem, dicto Imperio & Venetis, qui ejusdem Imperii existunt participes, & Latinis ibidem morantibus dexteram tuæ protectionis & subventionis extendas; & prædictos prælatos, ut de honorabili subsidio, secundum quod per alias eis injunximus literas ad requisitionem memorati episcopi non differant providere, diligenter inducas. Nam si in ipso regno, quod est omnium Christianorum regnorum speculum & exemplar, tantæ pietatis opus validum sumpserit Deo favente principium, ad alia regna mundi, quæ Christiana professione censentur, favorabilius extendetur. Taliter itaque in eodem regno tuo hujusmodi negotium inchoari procures, quod alia prædicta regna ejus imitatione ad exequenda in hoc nostra beneplacita vehementius attrahantur, tuque a Deo exinde, quæ propriis solet compensare actibus, consequi merearis. Cæterum eundem capellanum solita benignitate recipiens, & honorificentia condigna pertractans, sibi in iis, quæ tuæ magnificentiæ super præmissis ex parte nostra oretenus dixerit, adhibeas firmam fidem, illaque libenti anno exequaris. Dat. Viterbii non. junii anno 1.* Imperatori etiam Constantinopolitano, nimirum Balduino tribuit, (*a*) ut consilio Rhotomagensis archiepisc. atque episc. Agennensis ex iis pecuniis, quas in Galliis collegissent, partem principibus, ducibus, aliisque nobilibus viris tribuere posset, quos ad ferendas Imperio suppetias pellexisset: atque Agennensi episcopo ea de re literas (*b*) dedit.

(*a*) Ib. ep. 134.

(*b*) Ib. ep. 135

XLIV Exorta inter Margaretam Reginam & comitem Andegaviæ controversia ea retardat consilia.

Egregie animatus erat ad defendendam Ecclesiæ dignitatem, vindicandumque a Græcis Imperium S. Ludovicus, ut ex literis Pontificiis suo insinuandis loco videbimus, implicitus tamen erat gravissimis negotiis, quæ ipsius ardorem animi retardabant. Equidem incumbebat ad sopiendam inter uxorem, ac fratrem Andegaviæ & Provinciæ comitem controversiam; ad quam dirimendam Ebredunensem & Narbonensem archiepiscopos abhibuerat: qui cum ab Urbano essent exciti, ab eo flagitarat, ut in Galliis agere pro discordia illa concilianda permitteret. Sed Pontifex excusavit sese admodum comiter, sibi non licere, cum tantos viros in Cardinalium collegium adscisceret haberet in animo, ac longe meliorem operam Ecclesiæ universæ navaturos, exploratum esset.

*Ludovico illustri Regi Franciæ.*

XLV. S. Ludov. Urbanum rogat ut Ebred. & Narbon. achiep. ad eam sopiendam mittat.

*Scripsisti pridem nobis, Christianissime princeps, devotis apud nos precibus insistendo, ut cum tu venerabilem fratrem nostrum Ebrudunensem archiepiscopum pro quodam arduo & secreto negotio, quod nullatenus expressisti, duxeris retinendum, ejus absentium excusatam habere, ac eum ab injuncta sibi a nobis obedientia per apostolicas absolvere literas curaremus. Nobis igitur nostrum tibi rescribentibus beneplacitum in hac parte paulo post recessum nuntii responsum super hoc nostrum tuæ magnitudinis deferentis, supervenerunt quædam aliæ tuæ literæ, per quas hujusmodi expressisti negotium, & nos attente rogasti, ut cum occasione comitatus Provinciæ int charissimam in Christo filiam nostram illustrem Reginam Franciæ uxorem, & dilectum filium Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem germanum tuos ab olim fuerit materia dissensionis exorta, prædicto Ebredunensi, necnon & venerabili fratri nostro Narbonensi archiepiscopis, quorum præsentia plurimum necessaria esse dignoscitur ad hujusmodi discordiam sopiendam, remanendi in ultramontanis partibus, quousque tam utilis pacis negotium ad finem aliquem perducatur, vel saltem usque ad unius anni spatium concederemus licentiam, & liberam facultatem; & per nostras literas injungeremus eisdem, ut in prædicto negotio ad requisitionem tuam vigilem abhiberent solicitudinem, & operam diligentem.*

XLVI. Pontificium ad eam conciliandam studium.

*Sane, fili charissime, hoc semper optavit Romana mater ecclesia, & ad hoc studium efficax & attentam vigilantiam incessanter impendit, ut Christianissimum, & famosissimum regnum tuum, cui ex alto Dominus in omnibus benedixit, cujuslibet exinde turbationis nube fugata, serena continuæ pacis amœnitate gauderet, & quibusvis discordiarum surculis ab eo funditus extirpatis ac concordiæ inibi seminario superfuso, ejus incolis quietæ tranquillitatis, & tranquillæ quietis fructus produceret amabiles, & prædulces: nec immerito, quia hoc est regnum in cujus integritatis odore prædicta ecclesia in cæterorum fere regnorum, provinciarum orbis terræ scissuris afflicta, & animo fatigata respirat. Hoc est regnum, cujus potentia eidem ecclesiæ contra ejus persecutores in cunctis ipsius tribulationibus constantia semper affuit inconcussa. De hoc etiam regno semper Reges prodiere catholici, qui claris fidei, & devotionis titulis præsigniti Deo se gratos per sanctæ conversationis merita, & ecclesiæ prædictæ acceptos per obedientiæ promptitudinem exhibere multipliciter curaverunt.*

Egregia regni Francor. elogia.

XLVIII. *Porro, etsi Romani Pontifices prædecessores nostri pro conservatione pacis ipsius regni*

*gni solicite suis temporibus laborarint, efficacem ad id opem & operam impendendo, nos tamen qui ortum de regno ipso produximus, eo ferventius, & libentius opportunitatis tempore ad ipsius regni commoda promovenda nostra totaliter converteremus studia, & animum pareremus, quo arctius ad hæc ex naturæ lege tenemur, & quo etiam ejusdem ecclesiæ utilitas, quæ ipsius regni est annexa profectibus, ad id propensius nos inducit. Quin imo scire te volumus, quod adeo ardenter mentis nostræ zelus ad tuam tuorumque heredum, ac ipsius regni exaltationem totis anhelat affectibus, quod pro bono salubri, & prospero ipsius regni statu non recusaremus personam nostram exponere laboribus & dispendiis, si necessitas immineret.*

LXVIII. Excusat Urbanus tantos viros ecclesiæ necessarios.

*Verumtamen, sicut tuæ circumspectionis industriam credimus non latere, urgens Ecclesiæ generalis non dissimulanda necessitas, nos statim postquam summi sacerdotii cathedram divina dispositione conscendimus, reddit multipliciter anxios in exquirendis viris secundum cor nostrum idoneis ad Cardinalatus officium assumendis. Videntes etenim, quod Petri navicula, nostro commissa regimini, in mari hujusmodi sæculi constituta, erat adeo continuis procellarum insurgentium undique collisa fluctibus, & pestilentium ventorum turbinibus conquassata, quod multorum & peritorum nautarum consiliis & auxiliis indigebat, qui nobis & scirent & possent constanter assistere, ac consulere sapienter, qualiter illam ad laudem & gloriam divini nominis possemus salubriter gubernare; viros nobis elegimus fortes & ad bella doctissimos, qui die noctuque ambirent lectulum Salomonis, & in quorum manibus gladios poneremus ancipites, & ardentes lucernas ad faciendum vindictam in nationibus, & scrutandum Domini civitatem.*

XLIX. *Inter alios autem, quos nostrum & fratrum nostrorum consilium ad gerendum tanti onus officii utiles fore decrevit, ad prædictos archiepiscopos aciem mentis nostræ convertimus, & pensatis omnibus, quæ pensari in tam ardui qualitate negotii debuerunt, ipsos Narbonensem videlicet ad Sabinensis, & Ebredunensem ad Ostiensis ecclesiarum regimen duximus evocandos, sperantes magna per eos non solum Romanæ, sed etiam universali Ecclesiæ commoda provenire. Propter quod nostris eis sub certa forma in virtute obedientiæ dedimus literis in præceptis, ut ad præsentiam nostram festinanter accederent, collegio Cardinalium prædictæ Romanæ ecclesiæ, per nos solemniter aggregandi.*

Narbonensem arch. ad Sabinensem ecclesiam & Ebredunensem ad Ostiensem traduci.

L. *Et licet ipsi moram protraxerint hactenus in suis partibus longiorem, nos tamen, & fratres diligentius advertentes, quod cum ipsi ubilibet Deo fuerint per opera laudabilia utiles & exempla salubria fructuosi, ædificantes multipliciter ad salutem, moram quam in prædictis partibus protrahunt eidem Ecclesiæ, quæ plurimum eorum præsentia indiget, dispendiosa est plurimum & damnosa; quodque nec ejusdem Ecclesiæ, nec ipsorum expediret honori, neque possent etiam suum deinceps adventum sine gravi nota differre; considerantes insuper, quod ejusdem negotii sicut ex petiti termini prolixitate percepimus, adeo est cruda & indigesta materia, quod nondum aliquod digestivi tractatus præparatorium sumpsisse videtur, propter quod non de facili medicinalia remedia pacis admitteret, neque de levi, nec in brevi finem reciperet concupitum, præhabito super hujusmodi negotio prædictorum fratrum nostrorum, cum multa deliberatione consilio; dispendiosum & grave nimis dictæ generali Ecclesiæ fore prævidimus, eisdem archiepiscopis remanendi ulterius proper hoc in præmissis partibus licentiam elargiri: præsertim cum, sicut alias tibi scripsisse meminimus, regii lateris comitatus multorum circa se virorum habeat copiam peritorum, per quorum solicitudinem potest memoratum pacis negotium efficaciter promoveri.*

Eam controversiam nisi longo tempore componi posse.

Non deesse Regi alios prudentia insignes ad eam conciliandam viros.

LI. *Ideoque serenitatem tuam rogandam duximus attentius & hortandam, quatenus convertens diligentius attentionis oculos ad præmissa, & considerans cuncta discrete, non moleste feras, si tuis in hac parte votis per nos hac vice non extitit satisfactum. Si enim prædicta omnia, & singula discusseris sapienter, nequaquam ambiginus quin a te, qui prædictæ Ecclesiæ commoda tua propria reputas & profectus Ecclesiæ provenientes eidem tibi existimas provenire, hujusmodi nostra responsio inspectis, ut convenit, circumstantiis universis, rationabilis & idonea censeatur. Dat. apud Urbemveterem* XII. *kal. novemb. an.* II.

LII. De quatuordecim Cardinalibus partim hoc, partim superiori anno creatis meminit vitæ Urbani scriptor (*a*) hisce verbis: *Sane, cum idem dominus Urbanus eandem Romanam ecclesiam videret satis in numero Cardinalium diminutam, volens defectum hujusmodi reparare, ut Urbanus nomine urbanitatem in verbo & opere demonstraret, duas ordinationes, unam in decembri, aliam in maii mensibus fecit: in quibus * Cardinales quatuordecim ordinatos ostendit huiusmodi numero, mystice * que per eosdem Cardinales ex præceptorum legis & quatuor Evangeliorum doctrina fidelium cordibus deberet inseri & inserta fideliter custodiri.* Complexus est elego carmine horum Cardinalium nomina Theodoricus Vallicolor: qui tamen in eo emendandus dum Guidonem archiepiscopum Narbonensem, qui in pontificatu Clementis IV. nomen sortitus est, in prima Cardinalium creatione donatum purpura innuit.

(*a*) *Greg. decan. Bajoc. apud Masson. in Urb. IV.*

* per

* quod

*Sane*



*Sane cum dicti fratres a Cardine pauci*
*Essent, his sedem multiplicare placet.*
*Vera salus ubi consilium: quare pater istos*
*Conjunxit lateri, cum fuit ordo prior*
*Isti Pontifices Rodulphus, hic Ebroicensis*
*Præsul consiliis moribus aptus erat.*
*Huic archipræsul Narbonæ nomine Guido,*
** Cui successit ei sæcula jure regens.*
*Presbyteri bini Simon Paduanus, & alter*
*Simon, cui patria Gallica terra fuit.*
*Hi tres levitæ Gotifredus, Jacobusque,*
*Tertius Hubertus, clarus uterque fuit*
*Atrætum primum genuit: Sabella secundum,*
*Alter Lombardus nomine stirpe potens.*
*Continuit fratres hos prima creatio septem.*
*Altera tot quorum nomina cerne loca.*

Cardinales ab Urbano creati.

* Qui

*Ann. Eccl. Tom. XXII.*

*Ebredunensis tunc archiepiscopus hic sit*
*Præsul, & Henricus nomine dictus erat.*
*Hujus contulerat prædicto pontificatum*
*Hugoni Papa, qui bene cessit ei.*
*Hique sacerdotes Antherus in urbe Trecensi,*
*Progenitus Papæ sanguine, corde nepos.*
*Burgundus patria fuit & Cistercius abbas*
*Alter promotus, Guidoque nomen ei.*
*Hujus enim titulum retinebat primo Joannes,*
*Præsul de Portu postea factus adest.*
*Guillemus Rhemis tunc archilevita, decanus*
*Lauduni factus, tertius inter eos.*
*Hannibal huic quartus genuit quem Roma, duoque*
*Levitæ qui sint, carmina nostra docent.*
*Jordanum genuit urbs Terracina, Mathæum*
*Roma, tot Urbanus fecit in orbe patres.* [1]



NOTÆ. [1] CUm secunda cardinalium promotio majo mense celebrata fuerit, teste Gregorio Bajocensi in vita Urbani; & ex epistola Urbani anno secundo die XII. Kalendas novembris data constet Narbonensem, & Ebreduensem archiepisc. adhuc tunc episcopatus suos retinuisse; vix impetrare ex me possum, quominus eorum translationem illius quidem ad Sabinensem, hujus vero ad Ostiensem ad majum anni sequentis transferam. Neque aliter suadent verba epistolæ, qua pontifex scribit se de consilio fratrum suorum *evocandos* duxisse utrumque præsulem ad purpuram. Rogat insuper S. Ludovicum, ut præsulem utrumque Romam dimittat, ad parendum pontificio præcepto, quo jussi fuerunt ad *præsentiam* pontificis *festinanter accedere*, *collegio cardinalium Romanæ ecclesiæ per* pontificem *solemniter aggregandi*. His verbis nihil aliud exprimi quam voluntatem pontificis de cooptandis illis in cardinalium collegium, arbitror. Quæ si vera sint, optime ex hac epistola colligit annalista erraſſe Vallicolorem, qui in priori cardinalium promotione Narbonensem episcopum accitum fuisse ad Sabinenses insulas affirmat. Vicissim autem ipse in eo corrigendus, quod promotionem secundam integro anno anticipet.

Verum re majori diligentia discussa arbitror utriusque electionem eo tempore quo a Scriptoribus huc usque consignatur accidisse. Nimirum Narbonensis in priori cardinalium promotione anni 1261. Ebreduensis vero in altera anni 1262. Sed cum uterque renunciatus suis quisque annis cardinalis dignitatem respuerit; ideo non prius illam adiisse censeo, quam post XII. Kal. novembris anni 1262. Id equidem de Narbonensi constat ex literis Urbani ad illum datis, quas ex antiquo pontificis illius registro vulgarunt PP. Martene, & Durand in collectione monum. to. II. col. 1256. Exprimit in illis pontifex quanta animi contentione Narbonensis ille oblatam sibi dignitatem respueret; mandatque, ut cunctatione quacumque submota Romam certa die pergat ad cardinalitiam purpuram induendam. MANSI

I. Clades rei Christianæ inflictæ.

DEvoluti sumus ad Servatoris annum sexagesimum tertium supra millesimum ducentesimum, sexta indictione, qui ob calamitates ab Sarracenis locis sanctis inflictas, Græcorum in Constantinopolitano Imperio grassationem tumultus occidentalis Imperii ex principum discordiis, Manfredi in regno Siculo ferocientem tyrannidem luctuosissimus, ingentes Rom. Pontifici labores & curas attulit. Utque lugubris anni historiam a calamitosissimo Terræ sanctæ statu exordiamur, tristem rerum faciem, laniatamque a Tartaris ac Babyloniis Syriam proponemus. Improvisam Bendocdaris irruptionem Sanutus hisce verbis describit (*a*): *Bendocdar cum triginta millibus equitum venit ante Ptolemaidem* XIV. *die aprilis. Sequenti die impetuose nimis usque ad portas civitatis prosiliit, viridaria combussit, fuitque civitas in periculo magno valde.* Et infra: *Eodem quoque mense Saraceni destruxerunt monasterium Bethlemitanum.* Ex his Urbanus ingenti affectus dolore lugubres ad S. Ludovicum literas (*b*) scripsit, quo ad defendendam Terram sanctam incitaret.

(*a*) *Sanut. l.3. p. 12. c.6.* Sultani in Palæstinam irruptio.

(*b*) *Urb. l. 2. ep.206. Ext. etiam in cod. Vallic. sign. C. n.49. p.5.*

II. Urbani de ea ad S. Lud. lit.

*Vocem terroris audivimus, formido & non est pax. Hæc vox multi doloris nuntia, super vulnerum nostrorum dolores adiiciens, in excelsis audita est de partibus orientis: vox quidem lamentationis, fletus, & luctus. Residua namque Christicolarum paucitas transmarina lamentatur, nec immerito, flet & luget: formido enim & fovea & laqueus super eam, & quæ fugisse credebat a facie formidinis Tartarorum, a Babylonis furore confunditur, in ejus foveam incidit, & ipsius laqueis irretitur: propter quod multiplicatis afflictionibus, lamenta multiplicans desuper ingeminatis doloribus fletus ingeminat, & de continua & intolerabili persecutione, quæ jam exterminium comminatur extremum, clamores, luctum continuando, frequentat. Clamat ad Christi vicarium, Christianos principes, & te principaliter, Christianissime principum, interpellat. Opprobriis satiata tuæ post Deum potentiæ brachium vindicem expetit, graviter sauciata: tibi vulnera detegit, a te singulariter operam medicantis expectans.*

Ejus opem expoſcit.

III. Quantum dolorem hauserit, dum loca a se olim lustrata excisa accepit.

*Verum dum ea, quæ de statu miserabili Terræ sanctæ venerabilium fratrum nostrorum ... & dilecti filii ... lacrymabilis insinuatio per literas patefecit & nuntios, anxii referre satagimus, in seipsam mens nostra reflectitur, & loca dudum corporali præsentia cognita, quorum destructio tam calamitosa describitur, repræsentativa quadam commemoratione, quasi præsentialiter intuetur. Tunc paternum subit affectum, ut ex intimis suspiria prodeant, oculi solvantur in lacrymas, singultus erumpant, ad quæ tam antiquarum oppressionum terræ illius consideratione inducimur, quam illatarum noviter recentia provocamur. Cujus enim animus omnis compassionis expers sine suspiriorum succedentium sibi frequentia, sine lacrymarum profluvio, sine succussione singultuum, aut antiquas ipsius recensebit angustias, aut considerabit instantes: cum in antiquis, unde graviter dolere possit, inveniat; & in instantibus materia multa timoris & mœroris occurrat? Nam si antiquas & antiquatas jam illius terræ pressuras pii judicii censura discutiat, o quanta Christicolis causa doloris & horroris ingeritur, si debita inter cætera pietate considerent, post strages fidelium varias, post alternatos frequentissime successus prosperos & casus adversos, sacratissima illa loca, quorum alterum oriens ex alto Virginis puerperæ partui & suo dignissimo deputavit ortui; alterum vero ipse idem actor, vitæ suæ, passioni & morti delegit, per immundissimos Saracenos occupata violenter ab olim detenta viliter, & ipsorum vilissima contrectatione polluta!*

Fundendæ a Christianis lacrymæ.

IV. In grave periculum adducti Christiani.

*O quanta compassione moveri debent Christiani cujusque præcordia, si prudenter intelligat, diligenter attendat, quis status erat iis quasi diebus pusilli gregis Dominici, residui videlicet, in regione illa populi Christiani, cum Tartarica feritas multitudine numerosa prævalida, & sævitia innata terribilis sic in convicina regna & partes invaluit, quod eorum aliquibus depopulatis omnino, & ipsis ac aliis subjugatis, & suæ subditis ditioni; modicum illud Christianitatis residuum & comminationum inculcatione terrebat, & ei jugum suæ importabilis servitutis, vel ipsius excidium variis terroribus minabatur. Si autem ad eam, quæ nunc imminet, & dissimulari, non potest, ejusdem terræ desolationem dirigimus nostræ considerationis intuitum, hinc timor, hinc mœror, hinc ploratus & ululatus incolarum regionis illius: hinc nobis & cunctis fidei Christianæ cultoribus pudoris novi suffusio, & pudor confusionis immensæ, si Redemptoris nostri & piissimæ suæ genitricis tam atroces injurias de cætero vel patientia damnabili toleremus, vel damnosa tolerantia patiamur.*

V. Excindunt Saracenos Syros Tartari ac postea ipsi delentur.

*Ecce etenim dum divina providentia in Saracenorum perfidiam Tartarici gladii ultionem, quasi sui virgam furoris exercens, totam terram Alapiæ usque Hierusalem eorum spurcitia purgavisset, & tandem Tartaris exterminatis, exinde fidelibus in partibus illis solum hostis Babylonius superesset, eisque adeo videretur arridere prosperitas, ut abbreviatis viribus hostium, immo etiam ipsis hostibus pro magna parte deletis, ad recuperanda deperdita spes pateret, & prospori status redintegratio sponderetur; Christianis negligentibus causam Christi, perfidus Soldanus Babyloniæ treugarum & pactorum fide, quam cum Christianis ipsis injerat, infideliter violata, cum exercitu copioso, quem in gravi multitudine congregarat, castrametatus inter montem Thabor & Naim, & tota Christianorum terra usque ad portas Accon occupata hostiliter, & inter admiratos suos pro libito distributa, per varios nuntios a Christianæ fidei cultoribus, aditus, solicitatus multipliciter & solicite requisitus in aliquo inclinari non potuit, nec moveri.*

Divinæ in ea re providentiæ consilio male usi Christiani.

VI. Gravissimæ ab eo illatæ clades.

Prosequitur lacrymis madenti stylo describere quas clades Babylonius Christianis intulerit, ut Nazaret non occuparit modo, sed etiam everterit, ut ecclesiam montis Thabor per summum religionis nostræ contemptum solo æquarit, ut alia sacra templa exciderit ac funestarit, ut planitiem Acconensem ufferit, plures arces ceperit, Acconem in summam rerum inopiam ac periculum adduxerit, divinaque tantummodo providentia muniti pauci crucesignati fortissime ejus impetus exceperint ac propulsarint: & quamvis hostis abscesserit, majoris tamen belli metum impendere, & quamprimum majoribus copiis instructiorem rediturum. Proinde enixe illum hortatur, ad defendendam religionem, ac loca sancta tot divinis mysteriis consecrata, ab infidelium contumeliis excidioque vindicanda prosiliret.

VII. Nazaretanam basilicam evertit Sultanus.

*Quin idem profanus hostis radicati prosecutor odii, quod contra Christianum nomen & cultum, de iniqua editus radice, conceperat, dolos præparans, iniquitatem pariens, sic in venerandam ecclesiam Nazarenam, infra cujus ambitum Virgo virginum salutata per angelum de Spiritu sancto concepit, & ipsius partus angelico extitit prænuntiatus affatu, manus non solum occupatrices, sed etiam destructrices injecerit, quod ipsam, per sacrilegos & nefandos iniquitatis suæ ministros desæviens, redegit ad solum, ejusdem structura nobili omnino destructa.* De amplissimo, inquam, illo templo eleganti opere extructo loquitur, quod sacram ædiculam ambitu suo continebat, in qua incarnati Verbi mysterium erat peractum. Hanc vero divina providentia servatam, atque in Dalmatiam primum, in Italiam postea mutatis sæpius locis divinitus translatam videbimus inferius, quæ a loco, in quo ultimo quievit, Lauretanæ nomen accepit: *Ecclesiam in capite montis Thabor in Dominicæ transfigurationis honorem constructam, ac ecclesiam de Cabula, ubi Deus & homo unigenitus Dei Filius Jesus Christus post resurrectionem suam cum discipulis suis, vera & infallibia resurrectionis ejusdem & suæ humanitatis eis exhibens argumenta comedit, sacrilegio simili demolitus, & post paucos dies planiciem Accon aggressus, ipsam quam jam incursuum multiplicatione concusserat, multis vexavit incendiis, ac turri Doc, circa quam castra fixerat, igne supposito, capta & diruta; custodumque ipsius aliis morti traditis, reliquis, ut diutius morerentur, captivitati servatis.*

Sacra Deiparæ ædicula servata: quæ postea divinitus in Italiam translata.



VIII.

*Demum civitatem Accon invadens eam, quam multæ caristiæ coarctarat inedia, circumadjacentium viridariorum manertis ignis voracitate consumptis, primum sagittis impetiit, & postmodum alis equitum ordinatis, cum equitatus & armorum fragore per cœmeterium beati Nicolai transitum faciens, contra paucos milites Christianæ religionis athletas, qui extra fossatum civitatis ejusdem ad ipsius tutamen & propriam defensionem exierant, dimicaturus cum eis, immo verius ut in spiritu superbiæ suæ credebat, eos absorpturus, accessit. Sed, ut firmiter credimus, astitit de cœlo prædictis athletis auxilium: astitit illius potentia, in cujus conspectu non est differentia in multis liberare vel paucis. Ipse illos de manibus inimicorum eripuit: ipse civitatem prædictam a rugientibus præparatis ad escam suæ virtutis potentia liberavit: nam paucis ex dictis militibus, qui montem hujus sæculi signo crucis vivificæ insigniti tam felici martyrio finierunt, transeuntibus, ut speramus, ad vitam, reliquos sagittarum & spiculorum pluviam, quæ grandinis more undique dissultabant, ferre amplius non valentes, memorato tamen Gaufrido & aliquibus aliis, licet paucis, vulneratis ex eis, civitas ipsa sola Dei virtute recepit.*

Ejus impetus ægre ab Accone propulsati.

Compulsi intra mœnia crucesignati.

IX.

*His fili carissime, his, & his similibus, immo etiam gravioribus agitatur Terra sancta procellis: his trahitur fluctibus, his tempestatibus fluctuat. Talibus inibi Christianitas lacessitur injuriis, talibus lassatur augustiis, talium pressurarum mole comprimitur. Et profecto, si tu præcipue ac cæteri catholici mundi principes vestros subduxerit humeros, immo nisi ei celeriter subventionis porrexeritis dexteram, irremediabiliter, ut creditur, opprimetur. Licet enim impiissimus ille Soldanus, hostis Christianitatis, infestus, constantiam Christifidelium in defensione prædictæ civitatis expertus, ad tempus ut occuparet Crater & Montiskegalis castra, quorum dominum proditorie captivarat, abscesserit, suo in diversis locis exercitu derelicto, ut fideles per frequentes ipsorum insultus atterat, & eos in suo reditu facilius debellet attritos; comminatus est tamen se post modicum temporis eo instructiorem hominibus,*

Nonnullæ arces a Babyloniis proditione occupatæ.

Jactatæ a Babyloniis atroces minæs.

*nibus, armis & instrumentis bellicis rediturum, quo ad delendum de terra illa omnem catholicæ fidei & Christianorum memoriam ipsum vacaturum instantius præteritorum conjectura portendit: si enim quæ gesta sunt dissimulationis conniventia non transimus, satis advertere possumus quod ad exterminandum omnino in supradictis partibus Christianitatis reliquias civitatem prædictam, ejusdem Christianitatis in partibus ipsis robur, tam potenter, tam ardenter invasit, ad abolendum pro posse nomen Domini omnino de terra annunciationis ipsius, & conversationis loca destruxit, quasi matrem piissimam tam chari ..... injuriæ filii ..... offensam ipsius parturirent offensæ, prædictam Nazarenam ecclesiam ut præmittitur destruendo, sævivit in ipsam.*

* *premerent*
* *vel unigeniti.*

X. Ardens zelo exhortatio ad fideles in impios accendendos.

*Ha Deus, erectus est inimicus, manum suam misit hostis ad cuncta desiderabilia Terræ sanctæ, vineam Domini aper de silva sine obice contradictionis exterminat, singularis ferus nullo impediente depascitur. Ha Deus, non inveniet advocata nostra patronum gentis Christianæ patrona? Non inveniet defensorem peccatorum, refugium ad quem confugiat non habebit? Deus judex justus, Deus ultionum Dominus suorum prosecutorem jurium, & injuriarum non habebit ultorem? Absit, absit, ut desit Virgini tua maxime, aliorumve Christi fidelium in tanta necessitate devotio. Absit, quod præmissum Christianitatis residuum derelinquatur excidio, bestiarum dentibus exponatur. Absit, ut Redemptoris nostri negotium, quod tu & tui progenitores inclyti tot estis huc usque prosecuti laboribus, tam immensis sustinuistis expensis, tuo & eorundem principum destitutum auxilio, & per hoc finali præcipitio derelictum in illius desperationis barathrum corruat, quod ut resurgat in posterum spei reliquiæ non supersint. Accendant igitur zelum tuum tot & tantæ tui contumeliæ Salvatoris.*

XI. Pontificia ad S. Regem obsecratio, ut periclitanti Syriæ auxilia submittat.

*Exurgat, quæsumus, magnificentia regia, exurgat in adjutorium Christo suo. Consurge, fili, Domino adversus malignantes, & adversus operantes iniquitatem ei perseverantia consueta consiste. Cæterum licet nonnullos alios orbis terræ magnates ad subveniendum terræ prædictæ literis nostris hortemur, quia tamen tuum specialiter, serenissime Regum, orat & implorat, auxilium causa Regis æterni excellentiam regiam affectuose rogamus & obsecramus in domino Jesu Christo, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quod illius suæque genitricis vindicandis opprobriis, super quem pro nobis opprobria exprobrantium ceciderunt, auxiliantem dexteram regiæ majestatis extendens, ad præstandum terræ memoratæ subventionis celeris ac opportunæ remedium, prout ipsius pensatis conditionibus, quas tua sublimitas non ignorat, expedire putaveris, ita promptum exhibeas regalis pietatis affectum, quod cæteri fideles ad festinum ejusdem terræ succursum, quem ipsius extrema necessitas instanter exigit, tuo inducatur exemplo: sicque divinæ potentiæ virtute præambula reprimantur nationis pravæ atque perversæ conatus; & inimicorum fidei consternatis cornibus, fidelium cornua exaltentur, Domini liberetur hereditas, Christianus populus de ore leonis & bestiæ manibus eruatur; tibique non solum de beneficiis, quæ tu ipse illi terræ impenderis, sed & de iis quæ ab aliis te in hoc laudabiliter imitantibus impendentur, merces accrescat retributionis æternæ, &c. Dat apud Urbemveterem XIII. Kal. septembris.*

XII. Christiani Syri oratores ad poscenda auxilia mittunt.

Accessere repetiti nuntii, Willelmus nimirum Tripolitanus ordinis Prædicatorum, ac dein Bethlemitanus episcopus, qui exposuere quantum impenderet Terræ S. discrimen; quo terrore bellum hostis compararet: atque Urbanum rogavere, ut subsidium aliquod tum ad muniendas aggeribus arces, in quas Sarracenus suos impetus impressurus videretur; tum ad redintegrandas copias submitteret. Proinde scriptis literis ad S. Ludovicum, qui Francorum sceptra moderabatur, expetiit (*a*) ut centesimam, quam in Galliarum parte pro Terræ sanctæ auxilio colligi jusserat, urgente tanta rerum necessitate, daret operam, ut in eos usus protuendo Christiano nomine impenderetur: *Cum*, inquit, *dictus Soldanus, qui ad exterminium prædictorum Cristianorum frequenter anhelat, adveniente veris tempore, quo Reges & principes consueverunt ad bella procedere, intendat conflatis & collectis undique suis viribus potentatus, hostiliter ingredi; & aggredi terram ipsam suumque in illa exercere furorem, &c.* Interjectis nonnullis subdit se in eam rem Tyrensem archiepiscopum instruxisse auctoritate, ut colligendam in Galliis, nonnullisque circumjectis locis centesimam ipsi oppigneret, ut ex ea sumptus, quos in rem Syriacam profuderit recuperet. Cum vero Joppensis arx ad Babyloniorum impetus propulsandos magnis operibus firmanda sit, ita rem gerat, ut convertendam in propugnacula excitanda muniendaque pecuniam Joppensi comiti non tradat, sed a piis viris e consilio Hierosolymitani patriarchæ expendatur; fauste demum ac feliciter sancto Regi precatur his verbis: *Taliter igitur apostolicas preces adimpleas, quod unigenitum Dei Filium Jesum Christum, qui te fecit oleo sacri chrismatis christum suum, propitium exinde tibi constituas & benignum nosque devotionem tuam, quam in adimplendis divinis & apostolicis beneplacitis promptam sem-*

(*a*) Lib. 2. ep. 45. 76.



*semper invenimus & paratam, dignis ob hoc laudum præconiis attollamus. Dat. apud Urbemveterem VII. id. januar. anno III.* Simili etiam ad Regem Navarræ argumento literas misit (*a*) ut centesimam cogi, imperaret.

(*a*) Reg. post eand. ep.

XIII. Galli præsules a conferendo ære subsidiario alieni.

Non ea, qua par erat in hujusmodi eroganda quinquennali centesima ad instaurandas res Syriacas promptitudine cum pontificiis votis consensere Gallicani præsules, e quibus Remensis, Senonensis, & Bituricensis archiepiscopatibus clerus iniqua a se extorqueri literis expostulavit: quas gravissimis sententiis refellit Urbanus, objecitque pudore suffundi debuisse viros ecclesiasticos pietate ac religione vinci a laicis, qui non modo in ea justissima causa suas opes, verum sanguinem profunderent. Inscriptæ sunt Remensi archiepiscopo ac suffraganeis in pervetusto Vallicellano MS. pergameno (*b*) literæ, atque eodem exemplo ad Bituricensem & Senonensem archiepiscopos, & ipsis obnoxios præsules transmissas notat: *Circa Terræ sanctæ subsidium prudenter vestra remurmuratio substitisset, ut meditatione debita recensentes, quod & principes sæculares & alii laici ad vindicandas nostri Redemptoris injurias spontanei se frequenter & potenter accingunt ad liberationem dictæ terræ, se periculis & sua dispendiis liberaliter exponentes; nequaquam ipsi tantæ necessitatis tempore, immani scilicet Tartarorum imminente tyrannide, subventionem de ipsius Redemptoris patrimonio negaretis. Profecto multa clericis & prælatis præcipue causa pudoris ingeritur, si nolint ipsi onera levia digito movere pro Domino, dum laici fere importabilia gaudenter & libenter assumunt; si clerici contra persecutores nominis Christiani de Christi patrimonio subventionem denegent, & laici eos de bonis propriis personarum non vitando pericula, persequuntur. O quantus rubor, si recte pensetis sit in regno cœlorum a laicis præveniri! Non patiamini quæsumus in iis amaritudine nos tanta perfundi, ut desit præsertim nobis Ecclesiæ regimini præsidentibus terræ præfatæ succursus, qui ad illum procurandum pro viribus eo amplius & officio & affectione tenemur, quo specialiori charitatis affectu ad ipsum afficimur, & plenius gerendo inibi patriarchatus officium vidimus & palpavimus necessitates ipsius. Cum igitur urgens compellat necessitas, pungens arctet conscientia, ingens ad hoc invitet affectus, terræ præfatæ nullo modo deesse proponimus, sed eidem firmo proposito adesse intendimus, quantum cum Deo poterimus toto posse, &c.* addit archiepiscopo Tyrensi exigendæ quinquennalis centesimæ munus imposuisse, quæ in Terræ sanctæ subsidium convertenda sit.

(*b*) MS. Vat. sign. lit. C. n. 49. pag. 145.

Objurgantur ab Urbano.

Indignum vinci zelo a laicis.

Non Sarracenorum modo, verum Tartarorum etiam excursionibus patuisse Palæstinam deplorat Pontifex, cum, quamvis ipsos Antiochiæ obsidionem superiori anno pulsis Saracenis solvisse referat Sanutus, (*c*) atque Armenis favisse ea causa suberat, quod ipsorum vectigales se constituissent; Latini vero, qui erant in Syria, aberant longe ab eorum subeunda servitute, ac Bethlemitanus episc. eos defixit (*d*) anathemate, qui se ipsis subiicerent. Quorum gravem & intolerabilem tyrannidem indicat Pontifex in literis ad Ægidium archiepiscopum Tyrensem datis, quem ad contrahendas crucesignatas copias legatum crearat; fideleſque his verbis ad eos propulsandos accendit (*e*): *Non sint filii devotionis immemores, quod ipse Christus in terra illa in forma servi carnem nostræ mortalitatis indutus, crucis non metuit subire tormentum, ut mortem nostram moriendo destrueret, & vitam resurgendo fidelibus repararet. Quæsumus diligenter attendant, qualiter illa miserabilis regio depressa jacet, diris angustiata flagellis; quodque in eam pestis Tartarica supervenit, cujus tanto potius, nimirum futuri, vicinique formidantur incursus, quanto gravius ille sævus & damnabilis Tartarorum populus terram, quam suæ subiicit servituti, intolerabilibus exactionibus opprimens, sic illius incolas torquet immaniter & affligit, quod degentes sub eorum tyrannide libentius metas mortis eligerent, quam sic vivendo tanta subire genera tormentorum. Exurgant itaque fidei zelatores ad defensionem dictæ regionis ejusdem Redemptoris martyrio consecratæ, nec ad id tepescant eorum animi, sed ferventibus desideriis accendantur. Hoc enim ipse Dei Filius inter cætera solicitudinis humanæ servitia gratissimum reputat, & ob illa rependit præmia, quæ principaliter affectare debemus & petere, dum in valle positi præsentis miseriæ indulta nobis excurrimus tempora servitutis*, &c. imponit munus Ægidio archiepiscopo Tyrensi, ut in Franciæ regno, ac Metensi, Tullensi, Virdunensi, Leodiensi, & Cameracensi provinciis, fidelibus religiosam militiam professuris symbolum crucis conferat, ad quorum pietatem sacris præmiis incitandam veniam criminum arma suscepturis, vel stipem erogaturis impertitur, additque: *Tibi, & prædictis, quas in hoc cooperatores elegeris, convocandi ob id quotiescunque & ubicunque videris expedire, cleros & populos locorum, in quibus te, vel ipsos proponere contigerit verbum crucis, ut processionaliter cum devotione conveniant, & prædicationibus vestris intersint; cleros eosdem ad id, si necesse fuerit, per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compellendi, ac pro eisdem prædicationibus ferias, prout expedire videris,*

Tartari Latinos suæ subiicere servituti affectant.

(*c*) Sanut. l. 3. p. 12. c. 6.

(*d*) Urbi l. 3. ep. 155.

(*e*) Lib. 2. ep. 235.

Eorum tyrannidis immanitas.

Ad eam propulsandam concitati fideles.

Sacram militiam professuris indulgentiæ propositæ.

Antiquus in promulganda cruceata expeditione ritus.

*deris, indicendi; concedendi quoque omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad easdem convocationes & prædicationes vestras accesserint, centum dierum indulgentiam; plenam concedimus auctoritate præsentium potestatem, &c. Dat. apud Urbemveterem* VII. *kal. maii anno* II.

XIV. Quam vero Tyrensi archiepiscopo in Galliis provinciam commisit, aliis etiam præsulibus, ad rem gerendam idoneis, aliis in locis, ut Waltero episcopo Wigornienſi (*a*) in Anglia, episcopo S. Andreæ (*b*) in Scotia, archiepiscopo Nidrosiensi in Dania, (*c*) ac plurimis archiepiscopis atque episcopis in cæteris regnis (*d*) demandavit, tum beneficiis apostolicis cruce insignitos est prosecutus. (*e*) Vacabat pastore Hierosolymitana sedes, ex quo ab ejus ecclesiæ administratione Urbanus, ad tenenda totius orbis Christiani gubernacula traductus, solium apostolicum conscenderat: atque adeo patriarcham tanto muneri virtutibus non imparem præfecturus, episcopum Agennensem ad ejus sedis dignitatem transtulit, (*f*) ac legationis gerendæ in Syria, Armenia, Cypro, Antiocheno principatu, insulisque adjacentibus partes injunxit, (*g*) ejusque muneris insignibus decoravit: (*h*) quæ tamen tunc esset depositurus, dum Cardinalis legatus præsens iis locis adesset. [1]

(*a*) *Lib.* 2. *ep.* 259. & *l.* 3. *ep.* 69. 71. 75. (*b*) *Eod. l.* 3. *ep.* 74. (*c*) *Ib. ep.* 39. (*d*) *Reg. post ep.* 69. (*e*) *Ib. ep.* 70. 72. 73. Villelmus episc. Agennen. fit patriarcha Hierosol. (*f*) *Lib.* 2. *ep.* 52. 98. (*g*) *Ib. ep.* 104. 105. (*h*) *Ep.* 106.

XV. Auxit Palæstinæ calamitates, non solum Tartaros & Sarracenos, quamvis inter se infensissimos, in illius exitium consensisse, sed Genuenses quoque ac Venetos, qui tutari eam armis debuissent, ob mutua odia ipsam in discrimen adduxisse. Venetos enim hoc anno instructa ingenti classe Tyrum, ubi Genuenses publica prætoria habebant, oppugnasse, refert Sanutus; (*i*) sed Acconenses laborantibus tulisse auxilia, pugnamque diremisse. Luxit sane gravissime horum discordias Pontifex, quæ quanta invehérent rei Christianæ mala, ita in hortatoriis ad pacem literis (*k*) flebiliter exposuit: *Magnis onusta dispendiis, variisque plena periculis inter vos & dilectum filium commune Venetorum dudum coorta dissensio non solum multa vobis, & ipsis cum gravi animarum discrimine in personis & rebus gravamine irrogavit, immo etiam graves maxime in transmarinis & Romaniæ partibus intulit hactenus religioni Christianæ jacturas; & eo graviores proculdubio comminatur, quo dissidentibus vobis adinvicem, per quos solebant eisdem partibus opportunæ defensionis contra insultus adversos prompta remedia provenire, in eas hostes fidei liberius debacchantur, &c.*

(*i*) *Sanut. l.* 3. *p.* 12. *c.* 6.

(*k*) *Extat in Cod. Vall. sign. lit. C. n.* 49. *pag.* 153.

XVI. Tristis catholicæ rei in Græcia status.

Urebant etiam Pontificis animum præter Syriæ tuendæ consilium, curæ aliæ gravissimæ pro recuperando Constantinopolitano Imperio, quod Palæologus invaserat, avertendisque majoribus malis, quæ earum partium catholicis a schismaticis imminebant. Verum obstabant ejus desideriis Genuenses, qui tum odio in Venetos inflammati, cum quibus graviores inimicitias maxima religionis clade gerebant; tum Græcorum promissis allecti Palæologo sese contra Balduinum ac Venetos conjunxerant, atque anathemate ideo defixi in pertinacia hærebant. Ingenti igitur ob id dolore affectus Urbanus ad senatum populumque Januensem literas paterni amoris notis insignes dedit, (*l*) quibus hortatus est, ut ejusmodi fœdus, cujus causa sacris erant interdicti, dissolverent, Ecclesiæque justissima imperia capesserent: & quo eos urgeret acrius, Turritanum archiepiscopum legationis munere auctum ad eos misit, (*m*) ut incusso anathemate, urbisque archiepiscopali dignitate exuendæ terrore aferendo Palæologo auxilio, servandoque cum ipso fœdere abduceret, cogeretque classem ad schismaticorum gratiam instructam revocare; quos etiam in concordiam cum Venetis redigere studuit (*n*).

Genuenses Venetorum odio schismaticis favent. Anathemate percussi.

(*l*) *Lib.* 2. *ep.* 44. Minatur Pont. archiepiscopalem dignitatem ablaturum.

(*m*) *Ib. ep.* 92. 93. *l.* 3. *ep. curial.* 5.

(*n*) *Ib. ep.* 6.

XVII. Urbani lit. ad Genuen. Illatam inde Ecclesiæ perniciem exponit.

*Attendentes*, inquit, *& flebili meditatione pensantes, castrorum aliorumque locorum incendia & depopulationes, strages corporum & interitus animarum, ac alia periculosa dispendia, quæ reipublicæ Christianitatis, ex discordia olim inter vos & Venetos suscitata, accidisse hactenus & accidere jugiter dignoscuntur; & considerantes, quod hujusmodi occasione discordiæ corpus generalis Ecclesiæ membro nobilissimo, Imperio videlicet Constantinopolitano, totaliter mutilabitur, nisi aliter super hoc duxerimus providendum; disposuimus firmiter in animo nostro inter vos & Venetos ipsos pacis cogitare consilia, & omnem, in quantum apostolica se extendat auctoritas & potestas, adhibere opem & operam efficacem; firmo intendentes proposito, & intentione stabili proponentes sic hujusmodi pacis, & concordiæ inchoare tractatum, ut absque intermissione insistamus eidem: & tamdiu continua illum vigilantia prosequamur, donec idem tractatus ad finem, faciente Domino perducatur optatum, &c.* Addit imperia, ac preces, ut excurrentis unius mensis spatio oratores ad sedem Apostolicam mittant de summa tractandæ pacis auctoritate instructos.

Oratores mittere jussi ad controversiam componendam.

XVIII. Palæologus Cyprum sibi subiicere meditatur. Latinos Cyprios insidiarum admonet Urbanus.

(*a*) *Lib.* 2. *ep.* 50.

Latinarum opum præda illecti Græci, non apertis modo armis in Latinos grassabantur, suique terrorem late circumferebant, verum clandestinas etiam insidias ac proditiones conflabant. Cumque accepisset Pontifex Palæologum Cypro inhiare, atque arcana de ea in suam potestatem redigenda consilia moliri, moderando illi regno præfectum, aliosque nobilitate magis conspicuos admonuit, (*a*) ut caverent a Palæologi insidiis, ne illis se irretiri atque occupari paterentur.

XIX. Pro recuperanda Constantinopoli indicta ecclesiasticis subsidia.

Comparabantur interim toto orbe Christiano subsidia pro recuperando Imperio, imperabantur ecclesiasticis ad bellicos sumptus tolerandos instruendamque expeditionem pecuniæ. At illi non æque pontificiis desideriis, privati commodi nimium tenaces, ac publici immemores, responderunt. In Galliis quidem Rhemensis, Senonensis, ac Bituricensis provinciarum antistites & clerus, quos superius de exacta pro Terræ sanctæ afflictis rebus erigiendis quinquennali centesima conquestos vidimus, ad porrigenda pro Constantinopoli recuperanda pecuniarum subsidia difficiles se præbuere, atque alias querelas adjecere, importunis oneribus modo in levanda Ecclesia, modo in conferendis sacerdotiis fatigari: quæ singula refregit suis literis Pontifex. Quod vero ad rem Constantinopolitanam spectaret; magna sententiarum gravitate eos convicit, (*b*) ut cum ipsi cum cæteris fidelibus in unum Ecclesiæ corpus coalescerent, ipsorum esse partium insigni adeo Ecclesiæ membro laboranti, scilicet Constantinopolitano Imperio, opitulari.

(*b*) *Ext. in MS. Vall. sign. lit. C. n.* 49. *pag.* 145.

XX. Galli præsules ea impendere detrectantes objurgati.

*Vellemus*, inquit, *circumspectionem vestram diligentius attendisse, quod omnes sumus unum corpus in Christo: vellemus vos attenta consideratione notasse, quam sit nobile membrum universalis Ecclesiæ Constantinopolitanum Imperium, & forsan subtractionem ipsius ab ejusdem Ecclesiæ unitate non possetis æquanimiter tolerare. Puderet enim vos, cum ejusdem corporis tam grandia membra sitis, insensibilitatis argui per prophetam, ex quo eo non solum in ejusdem Imperii occupatione percussi & læsi graviter non doletis, sed etiam in tam gravi læsione medicum aspernari videmini cum lenitate medentem; dum pro ipso Imperio exhortationibus benigne monentis petita subventio non coactione jubentis extorta querelandi videtur vobis materiam præstitisse: cum tamen petitionem hujusmodi oblationis promptitudine debuisset vestra devotio prævenire, nunc præcipue, nobilissimæ scilicet civitate Constantinopolitana, quæ caput est ipsius Imperii, per schismaticos, proh dolor! occupata, & charissimo in Christo filio nostro Balduino Imp. Constantinopolitano miserabiliter exulare coacto. Cæterum quia dum monitionibus circa charos insistitur, licet ipsi monentis instantiæ obstaculum voluntatis opponant, non est tamen desistendum a cœptis; nos qui sincera vos in Domino charitate complectimur, & plenis desideramus affectibus memorato Imperio subvenire, de ipsorum fratrum consilio monitionibus insistimus solitis; & vos exhortationibus, quibus possumus, invitamus, ut in spiritu pietatis eidem compatientes Imperio sibi petitæ subventionis dexteram porrigatis ne id Imperium in Christianæ religionis opprobrium ab eisdem schismaticis occupatum detineatur ulterius; sed ipsius liberatio vestro proventura subsidio vobis apud homines laudem pariat & meritum comparet apud Deum.*

XXI. Castellæ clerus ut id onus declinet provocat ad sedem Apost.

Perstrinxit etiam simili sententiarum pondere Castellæ & Legionis præsules, qui ut pontificia postulata eluderent, provocarant ad sedem Apostolicam, mox atque a nuncio pontificio nonnulla subsidia pro re Constantinopolitana instauranda exposci acceperant; suosque ad Urbanum oratores, ut eo se onere liberarent, transmiserant. Sed discussis eorum in consistorio Cardinalium rationibus, cum leviores essent, rei Christianæ afflictæ in oriente, atque admodum attritæ subvenire sunt jussi hisce (*c*) literis, in quibus post expressum dolorem ex Constantinopoli a schismaticis expugnata conceptum subjungit: *Demum dolor plagæ hujusmodi nostris infixæ visceribus ex amari cruentatione clamoris charissimi in Christo filii nostri Balduini illustris Imp. Constantinopolitani, & aliorum quamplurium Latinorum exulantium de Constantinopolitano Imperio, & ad nostram præsentiam accedentium, crudeliter extitit innovatus, & ejusdem Ecclesiæ facies in aspectu tanti filii, in quo, proh dolor! ob sinistrum dictæ civitatis eventum, etsi non dignitatis, potestatis tamen imperialis vigor emarcuit, magnæ confusionis, & multæ ignominiæ fuit rubore perfusa. Verum quia ipsorum Græcorum superbia, faventis temporis tumefacta suffragio, ad occupationem principatus Achajæ ac adjacentium regionum, quas Latini inhabitant, in elationis spiritu propter hoc ferventius anhelabant, & in Latinorum ipsorum exitium effundebant rancorem, quem adversus eos jam in cordis utero diutius gestaverunt; diligentem in hac parte tractatum cum*

(*c*) *Lib.* 2. *ep.* 26.

Necessitas ferendæ Græciæ opis iis exposita.

NOTÆ [1] P. Franciscus Pagius in Breviario gestor. Pontif. Romanor. Raynaldum accusat, quod patriarchæ Hierosolymitani, in locum Urbani substituti, non meminit. Qua in re falli virum doctum constat, ex iis quæ in hoc paragrapho leguntur de Episcopo Agennensi ad Cathedram Hierosolymitanam promoto; idem est enim Guillelmus, qui reipsa Urbano in ea Ecclesia regenda successit. Quamquam in eo errat Annalista quod electum hoc tantum anno commemoret, cum forte superiori anno exeunte assumptus fuerit ut in Nota ad A. 1261. VIII. scripsi. Patriarcham hunc legatione sedis Apostolicæ, & administratione Ecclesiæ Acconensis auctum hoc anno die XXV. septembris Acconem pervenisse scribit Bernardus Thesaurarius seu Tyrii Gallicus continuator. MANSI

*cum fratribus nostris habere curavimus super inveniendis remediis, quibus hujusmodi adversitatis eventibus posset occurri: & tandem in hoc deliberatio nostra resedit, ut cum istud tanquam fidei negocium communiter omnes, & præsertim ecclesiasticos viros tangat, eorum saltem ad conservandas ejusdem Imperii reliquias implorare auxilium curaremus.* Subdit ipsos longe a pontificiis votis abhorruisse, qui mox atque Raimundum Paphensem canonicum ad contrahenda in id bellum pecuniarum subsidia acceperint, ad rem discutiendam iniqua provocatione usi, ac nuntios ad sedem Apostolicam transmiserint: sed cum nullas æquas rationes adduxerint, ad ea subsidia pendenda adhortatur: *Scituri pro certo, quod acceptius nobis erit & gratius id, quod de bonis vestris pro subventione hujusmodi libenter duxeritis impendendum, quam si multo majora per coactionem, quæ meritum consuevit excludere, propter hoc solvere vos contingat. Dat. apud Urbemveterem* x. *kal. novembris anno* III. Eadem dedisse imperia Anglis præsulibus refert Matthæus (*a*) Westmonasteriensis, Leonardumque ac Berardum pontificios notarios Anglicanum clerum Westmonasterii coegisse, ac proposuisse ut Ecclesiæ, quæ Balduino ejecto gravissimam cladem senserat, pro restituendo certo pecuniæ subsidio adessent: eos vero hoc responso petita refregisse, consumptam, exhaustamque opibus ob seditiones Angliam, alieno egere potius auxilio, quam ut pro restituendo extero principe, quod reliquum erat fortunarum, profundere possit. Nec modo pro erigendo imperiali solio everso Balduini Pontifici laborandum erat, verum etiam pro fulciendis reliquis orientalis Imperii Latinis principibus, quorum res a Palæologo concussæ, atque in periculum adductæ erant; ut docent, præter superiores, Urbani literæ ad Patracensem, Corinthiensem, Atheniensem, & Thebanum archiepiscopos, Coronensem, Olonensem, Lacedæmonium, & Nigropotensem episcopos, abbates, cæterosque earum regionum præsules ut ad commune arcendum periculum communes opes Willemo Villarduino Achajæ principi, bello a Palæologo lacessito, ad contrahendas copias præberent (*b*).

Intentatis censuris stipem conferre jussi.

(*a*) *Vestm. Flor. hist. hoc ann.*

Anglicani præsules detrectant Balduino opem ferre.

Palæologus Achajæ principem bello petit.

(*b*) *Lib.* 2. *ep.* 94.

XXII. Pontificis gratiam ambit.

Quamvis vero Palæologus ita Latinos bello persequeretur, instabat tamen apud Pontificem, ut Græcorum ecclesiam Romanæ conjungeret, sive pertimesceret, ne sacra Latinorum expeditio conflaretur, ac principibus catholicis pro restituendo Balduino in arma consurgentibus, sustinendæ belli moli imparem se fore diffideret; sive divinæ misericordiæ radiis collustratus, schisma abjurare ex animo percuperet; literas ad Pontificem dedit, (*c*) quibus ipsius gratiam exambivit: ac post effusas amoris atque observantiæ in Pontificem notas, agnitumque Petri ac successorum primatum, questus est, Januenses ob ictum cum Græcis fœdus, anathemate percussos: adjecit se ultro nullis monitis solicitatum in amplexus patris ruere, quos si filio dare atque explicare Pontifex aspernaretur, se coram divino numine, ac mortalibus omni criminis suspicione purissimum futurum, omnemque invidiam in Romanam ecclesiam derivatum iri: quod vero ad dogmata ac ritus, quibus Græci a Latinis discreparent, confecta prius Græcos inter ac Latinos pace, contentionem omnem sopitum extinctumque iri. Quibus respondit (*d*) Pontifex magno se gaudio ex tam felici nuntio delibutum, atque ad ipsum apocrisarios suos mittere: moram vero injecisse, quod Willarduinum Achajæ principem ab ipso bello appetitum accepisset, quod argumento videbatur a suscepta mente & consilio discessisse.

(*c*) *Theodor. Vallicol. in Urban. vit. apud Masson. l.* 5.

Contestatur si a gremio Ecclesiæ repellatur rei invidiam Ap. sedi adhæsuram.

(*d*) *Lib.* 2. *ep.* 158.

*Palæologo Imperatori Græcorum illustri viam agnoscere veritatis.*

XXIII. Urbani ad Palæolog. literæ.

*Imperialis excellentiæ nuntios, videlicet Maximum dictum Alufardum monachum, Andronicum dictum Muzalonem, & Michaelem dictum Abalantem; nec non & literas, quas ex parte tui culminis præsentarunt, cum ingenti gaudio, & exultatione, ac honorificentia condigna recepimus: & tam ea, quæ coram nobis & fratribus nostris dicti proposuere nuntii, quam earumdem literarum seriem, quas de Græco transferri fecimus in Latinum, plane advertimus & intelleximus diligenter. Sane in literis ipsis in primo utique salutationis alloquio nos Papam veteris Romæ, throni Apostolici successorem, & spiritualem tui patrem Imperii recognoscens, deinde de charitate utilia subjunxisti, dicens quod Imperium tuum charitatem libenter amplectens, ac habens zelum Dei, & zelans pacis & concordiæ bonum, te ad mittendum dictos nuntios, & prædictas literas præparavit. Scripsisti etiam quod nos, qui patres sumus, ad te, quem asseris nostrum devotissimum filium, paterni affectus viscera nullatenus aperimus, quantumcumque tu filius nos diligas sicut patrem. Nam licet statim capta Constantinopolitana urbe alias nobis epistolares literas miseris, eandem intentionem, idemque propositum continentes; nihilominus tamen propter ardens tuum in hoc desiderium, prædictos nuntios cum hujusmodi literis mittere decrevisti, postulans ut circa priorem unitatem in Dei Ecclesia renovandam pater filio conjungatur, quoniam si hoc Dominus ex alto permiserit, nullus pro certo præsumet contra ipsam Ecclesiam superbire: quia nec rex, nec princeps aliquis apostolicæ audebit resistere jussioni. Ad-*

Honorum tituli a Palæolog. delati Pontifici.

Capta Constantinopoli redire in gratiam cum ecclesia flagitarat.



XXIV. Questus erat Genuenses ob junctum cum ipso fœdus anathemate percussos.

*Adjecisti quoque, quod Imperium tuum multo fuit dolore turbatum, intellecto quod nos contra Januenses, pro eo quod se tibi vinculo confœderationis astrinxerunt, excommunicationis duxeramus sententiam promulgandam, apud ipsos, ut ab hujusmodi confœderatione discedant, præceptis & monitis apostolicis insistendo: propterea miratus es valde, quod nos, qui magni & primi sacerdotis locum tenere dignoscimur, hoc jubemus, guerram paci, & bellum amicitiæ præponendo: cum tamen & Januenses, & Græci Christiani existant, nec sit incongruum cum Christianis amicitiam & unionem colere Christianos. Descripsisti etiam multa mala, quæ contigerunt populo Christiano a tempore, quo Latinæ gentes Græcorum terram, ut tuis verbis utamur, velut sortem propriam acceperunt, imponens Latinis eisdem templorum conculcationes, & exterminia divinorum, & quamplura, quæ in sacris illarum partium ædibus per eos asseris attentata. Quæ quidem quoniam facta sunt, & præterierunt, & quod factum est, pro infecto haberi non potest, in eisdem literis videbaris appetere, ut hinc inde inimicitiæ dissolverentur, abiicerentur scandala, & omne removeretur obstaculum, ad quod pedes suos possent offendere Christiani: præsertim cum tu, sicut asseris, in toto desideres mentis affectu; & si nos ad hoc ex corde velimus intendere, nihil est, quod tantum bonum valeat prohibere: sed cum nos, qui patres sumus, te in hoc debuerimus implendo patris officium prævenisse, tu nos in hac parte præveniens, pacem nobis & concordiam obtulisti, propter quod ad consummationem tractatus hujusmodi reputabis nos amplius obligatos; expresse protestans, Imperium tuum, id quod in eo est, jam laudabiliter explevisse; ac posse dicere coram Deo & angelis ejus, qualiter cucurristi ad patrem tanquam filius, patris amator, debitam nobis habitudinem, & convenientem honorem ac dispositionem sponte ac liberaliter offerendo: unde si filium currentem pater repelleret, Imperium tuum se de hoc coram Deo & ejus angelis excusaret.*

Patrata a Latinis in Constantinopolitana expugnatione descripserat.

XXV. Adjecerat ea firmata fidei controversias facile diremptum iri.

*Addebas præterea, quod de dogmatibus fidei, & consuetudinibus, seu ritibus ecclesiasticis nullum tunc sermonem in eisdem literis faciebas: nam si in iis aliqua esset discordia, pace præmissa, præhabitaque inter Latinos & Græcos, hæc solverentur facilius & celerius sopirentur. Demum autem tua sublimitas tam per easdem literas, quam per memoratos nuntios cum multa petivit instantia, ut apocrisarios, seu legatos nostros, homines videlicet pacis & pacificos Christi discipulos, non gaudentes in vanitate verborum, nec bono pacis mundanam sapientiam præponentes, ad tuam præsentiam mitteremus: cum per ipsos tuum expectet Imperium recipere a nobis, & prædicta sede responsum. Nos igitur prædictis literis debita coram fratribus nostris attentione discussis, Deo patri omnipotenti, a quo bona cuncta procedunt, & in cujus manu Regum corda consistunt; & qui etiam quocumque vult illa sine obice difficultatis inclinat; millemodas gratiarum retulimus actiones: totaque Romana mater Ecclesia in laudis supernæ jubilum assurrexit, pro eo quod Spiritus sancti gratia videbatur mentales tanti principis oculos sui fulgoris radiis illustrasse, ac ostendisse sibi viam catholicæ veritatis, per quam ad matrem filia, pars ad totum, & membrum reducatur ad caput. Hoc enim eadem Romana semper affectavit ecclesia, & ad hoc indesinenter suæ studium considerationis inflexit, ut Græcorum ecclesia suæ reficeretur lacte dulcedinis, suosque effluentis educaretur uberibus charitatis; ita quod ovile dominicum sub unius pastoris regimine alimenta doctrinæ salutis acciperet, & nomen Domini sub uno veræ fidei dogmate utilius & salubrius invocaret.*

Concordiam Græcos inter & Latinos flagitarat.

Gratias agit Deo Imperatoris mentem collustrasse.

Exponit Rom. Ecclesiæ in adducendis ad conjunctionem Græcis desiderium.

XXVI.

*Volentes itaque, quinimo toto mentis cupientes affectu, tam utili, tamque fructuoso tractatui diligenter, & ferventer insistere, ac nostros propter hoc ad te apocrisarios juxta imperialis petitionis desiderium destinare, memoratis tuæ celsitudinis nunciis paterna benignitate dimissis promisimus, quod circa mittendas ad te personas idoneas, in quarum ore verba responsionis apostolicæ ponerentur, libenter tuæ satisfaceremus beneplacito voluntatis. Licet ergo eisdem tuis præcedentibus nuntiis vellemus nostræ super hoc intentionis affectum perducere, faciente Domino, celeriter ad effectum; longa tamen loci distantia, qua dilecti filii Simon de Alvernia, Petrus de Moras, Petrus de Crista, & Bonifacius de Iporia, fratres ordinis Minorum, latores præsentium, apocrisarii nostri tunc temporis morabantur, nostris super hoc votis contra spem nostram obstaculum dilationis ingessit. Infesti quoque rumores, qui ad audientiam nostram medio tempore pervenerunt de persecutionibus, molestiis, & pressuris, quæ nobili viro Guillelmo de Villarduin principi Achajæ, devotissimo utique dictæ matris Ecclesiæ filio, ejusque terris & insulis, ac Latinis morantibus in eisdem, per tui viros Imperii jugiter inferuntur, celerem expeditionem legationis hujusmodi retardarunt, cum per hujusmodi tuorum operum novitatem resiliisse a concepto proposito, nec in eadem voluntate persistere credereris.*

Retardatum hactenus a nunciis mittendis ob Achajam bello lacessitam.

XXVII. Viros religiosos ad rem tractandam ad ipsum recessuros.

*Veruntamen quia tanti boni prosecutio non potuit apud nos, nec debuit per aliquod, quantumcumque verisimile retractivum finaliter impediri; cum cæteris mentis nostræ desiderabilibus id specialiter præferamus, ut Christiana plebs sub orthodo-*

Reddita Palæologo ab Urbano responsa.

*xæ professione fidei, atque cultu proficiat & in idem individuum collegium unius pastoris, si detur, magisterio & custodia muniatur; ecce prædictos fratres, viros utique religione conspicuos, & in lege Domini eruditos, pacificos, & ramum olivæ in ore gestantes, veritatis etiam evangelicæ professores, amatores, & cultores humilitatis, qui Christum sequendo pauperem, sæculo cum suis divitiis & deliciis derelicto, ad solam cœlestem patriam tota mentis attentione suspirant; ad tuam magnitudinem, tanquam pacis angelos de fratrum nostrorum consilio destinamus: sperantes in illo, qui arcem possidens unitatis, universitati rerum, quas condidit, suæ vestigium unitatis impressit; per quam ad suum principium recurrentes, ab eo recipiunt perfectionis finem, a quo subsistendi sumpsere primordium; & quod aures imperialis magnitudinis ad eorundem fratrum salutaria monita efficaciter inclinabit, tibique tribuet ex alto virtutem cogitandi vias Domini, tuosque pedes in ejus testimonia convertendi præduce charitate; quæ, sicut literarum tuarum habet assertio, tuum excitavit & induxit Imperium ad pacem a nobis & concordiam requirendam; & super qua etiam, veluti supra solidum fundamentum literarum ipsarum structuram quasi totaliter erexisti.*

Eorum commendatio.

XXVIII. Conjungendarum ecclesiarum zelum pontificium significat.

*Et licet nos, qui vices illius, licet immeriti, tenemus in terris, qui charitatem docuit, charitatem dilexit, charitatem ostendit, & charitatem misit in mundum, verba charitatis a te proposita in ipso earumdem exordio literarum charitative recepimus, & libenter audivimus; Deo, qui charitas est, labiorum nostrorum propter hoc vitulos immolantes; devote supplicantes eidem, ut te per suam clementiam ad illius veræ charitatis affectum, per quam in Deo maneas, & Deus in te dignetur tanquam in suo habitaculo permanere; ex zelo tamen sincerissimæ charitatis proculdubio procedere noveris, quod te & cunctos populos, quos tuum regit & gubernat Imperium, ut ad veritatem redeatis catholicam, totis anhelamus affectibus, & vos, ut ad sinum matris Ecclesiæ convertamini, promptis desideriis invitamus: quoniam hujusmodi unio sive connexio salutaris, si placeret Altissimo, quod nostris & tuis temporibus fieret, cordi nostro inæstimabilis gaudii rorem infunderet, & anxiæ propter hoc nostræ mentis ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo, nostrumque animum panem salutis & fructum animarum desiderabiliter appetentem, pabulo reficeret charitatis. Tunc enim nobis & ipsi Ecclesiæ proveniret magnum & desiderabile salutare, cum videremus varias gentium nationes sub ejusdem observantia fidei in unum acceptabilem Christo populum congregatas. Tunc etiam exultatione nimia hilarescceret totius orbis, quia valde bonum & jucundum existeret fratres simul in domo Domini habitare.*

Provocat Græcos ad mutuam cum Latinis charitatem.

XXIX. Commendatam in evangelio fuisse.

*Hæc, inquam, domus est Ecclesia Christi firmiter ædificata, & bene fundata supra firmam petram fidei orthodoxæ, quam ipse Christus suo fundavit sanguine pretioso; & in qua multitudini credentium est cor unum & anima una: unus Deus, una fides, & unum baptisma: & in qua etiam tota fidelium multitudo uni corpori comparatur, dicente Apostolo: Multi unum corpus sumus in Christo. Cujus quidem corporis unitas a Spiritus unitate procedit, qui etsi sit unus, pro suo tamen arbitrio membris ipsius Ecclesiæ diversitatem influit gratiarum. Propter quod idem Apostolus enumeratis Spiritus sancti donis ait: Hæc autem operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Et post pauca subjunxit: In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati fuimus. Hæc quidem ecclesiastici corporis unitas, per inconsutilem Domini tunicam, quæ divisis aliis vestibus, uni tantum cessit in sortem, non immerito figuratur. Hanc unitatem piscina probatica designavit, in qua unus tantummodo sanabatur, extra ipsam languentium multitudine remanente: quoniam in hujus unitatis circuitu impii ambulant, & in eam intrare renuunt, ut sanentur. Hanc etiam unitatem commendat sponsus in canticis dicens: Una est columba mea: una perfecta mea; quamquam plures reginas adolescentulas, & concubinas esse describat.*

Laudatam in canticis.

XXX. Petri & successorum primatum ostendit.

*Ut igitur hujusmodi unitatis gratia firma & illibata penitus servaretur, unum eidem unitati Dominus, videlicet B. Petrum Apostolorum principem caput constituit & magistrum, ut illam quasi Noe arcam, extra quam animantia derelicta in aquas diluvii submerguntur, in ipso Apostolorum principe, velut in uno cubito consummaret, eique magisterium Ecclesiæ suæ conferens & primatum, oves & agnos suos illi pascendos, præmissa trina dilectionis interrogatione, commisit; tradens ei claves regni cœlorum, cum libero ligandi, atque solvendi pontificio & plenaria potestate. Et ne ipsius principis fides deficeret aliquando, pro ipso efficaciter exoravit; quod cum postmodum aliarum ecclesiarum nonnullæ fuerint hæreticorum errore fœdatæ, Romana ecclesia, cujus idem beatus Petrus magister extitit, immaculata remansit, nullamque prorsus labem contraxit hæreticæ pravitatis. Unde reliqui Apostoli hujusmodi institutionem dominicam etiam post Christi ascensionem inviolabiliter observantes, recognoverunt eundem B. Petrum fore Christi vicarium, & super eo primatus officium in omnibus obtinere. Ad verbum namque ipsius B. Petri surgentis in medio fratrum, unanimiter per Apostolos*



*los ad electionem Mathiæ proceditur: surrexit enim in medio, tanquam ardens igne Spiritus sancti loco magistri, qui ei commiserat gregem suum; & tanquam honorabilissimus, cui omnes pariter intendebant. Ejus quoque sermonibus illi qui blasphemabant Apostolos, immo sanctum Spiritum convincebantur. Multa insuper fidelium millia ipsius prædicatione convertebantur ad fidem; in qua quidem prædicatione se ferventer, & ardenter velut Christi vicarius exercebat.*

XXXI. Consentire huic veritati sanctos patres ostendit.

*Neque huic institutioni dominicæ sancti patres postmodum restiterunt: sed ipsius principis successorem, tanquam illum, qui Christi vices in terris obtinet, venerantes, & ad ejus judicium in fidei recurrentes dubiis, ejus auctoritate hæreses condemnarunt, manentes sicut membra in eorum capite, Apostolico scilicet throno Pontificum Romanorum, a quo quærendum est, quid sit tenendum, quidve credendum; cum ejus sit reprehendere, statuere, ordinare, disponere, præcipere, solvere, & loco illius ligare qui ædificavit illum, & quod nulli alii, sed ipsi soli, quod plenum est, tradidit & concessit. Huic etiam throno omnes catholici jure divino caput inclinant, & primates mundi veram confitentes fidem, tanquam ipsi domino Jesu obediunt & intendunt; ac in illum tanquam in solem respiciunt, & ab eo lumen veritatis, & fidei ad salutem recipiunt animarum; prout nonnullorum sanctorum patrum tam Græcorum, quam aliorum scripturæ veridicæ asseverant. Porro cum præcellens Ecclesiæ prædictæ auctoritas & potestas & evangelico roboretur privilegio, & quamplurium sanctorum doctorum testimonio fulciatur, nequaquam expediens fore decrevimus plura horum super hoc scripta producere, quia supervacaneum prorsus existeret solem adjuvare facibus, & id quod est in cœlo & in terra notorium, scripturarum suffragiis comprobare. Sed utinam imperialis judicium rationis nos throni Apostolici successorem, & spiritualem tui patrem Imperii, sicut verbo in tuis literis, sic & opere recognosceret, ac nobis debita jura redderet reverentiæ filialis.*

XXXII. Apostolica studia Palæologo non defutura spondet.

*Utinam illam charitatem, cujus te asseris sectatorem, circa nos & thronum ipsum efficaciter demonstrares, ad gregem redeundo dominicum ac recipiendo te ipsum, & in tuto matris Ecclesiæ gremio, ubi consolationis maternæ dulcedinem cum cæteris orthodoxis mundi principibus degustares: ubi etiam in cunctis tuis opportunitatibus indesinenter tibi adesse sentires prompta sui præsidii favorabilis adjumenta. Nam si hoc tibi Spiritus, qui ubi vult spirat, cœlitus inspiraret, non solum ostenderemus & aperiremus tibi paterni affectus viscera, verum etiam te intra illa tamquam præcordialem & charissimum filium locaremus, tibique in tui sustentatione & exaltatione solii monstraremus, quantum thronis regalibus Apostolicæ sedis gratiam & communionem habentibus sit necessaria, fructuosa, & utilis potestatis apostolicæ plenitudo. Neque volumus diffiteri, quinimo constanter asserimus, quod maxima eidem Ecclesiæ, ac tibi etiam ex tui conversione Imperii utilitas multorumque incrementa profectuum spiritualiter, & temporaliter provenirent, quia & ejusdem corpus Ecclesiæ ex membri reintegratione tam nobilis appareret, & existeret in omni parte sui elegantissime venustatum: & membrum ipsum non languesceret, neque tabesceret extra corpus; sed validum ex illo suscipiens incrementum favoris & honoris vigorem resumeret, & humorem: illamque curam teneram, vigilemque solicitudinem de tuo Imperio eadem haberet Ecclesia, quam habet de cæteris orbis terræ regnis atque provinciis sub salubri ejus obedientia constitutis, quorum potestates & principatus adeo fovet, protegit, & gubernat, quod si nonnunquam inter hujusmodi regna, sive provincias dissensionum scandala, seu tumultuantium bellorum discrimina forsitan oriantur, statim eadem Ecclesia in medias filiorum furentium partes prosiliens, & strictos jam vel stringendos gladios de manibus altercantium confidenter eripiens, per auctoritatem sit inter ipsos imperiosa placidæ pacis autrix.*

Utilitates in eum schismate abolito derivandas adducit.

XXXIII. Sedem Ap. in rebus trepidis Regum catholicorum asylum esse.

*Reges quoque catholici, cum inter ipsos aliquid dissensionis emergit, vel cum vassalli eorum præsumunt contra eos calcaneum rebellionis erigere, mox habent ad portum Ecclesiæ prædictæ recursum, ejusque salubre consilium & auxilium implorantes, tranquillitatis & pacis remedia infallibiliter ab ipsa recipiunt; facitque ut inter discordes & turbatos eorum animos serena concordia, & concors serenitas reformetur, sedentur seditiones a subditis concitatæ & litigantium clamores queruli conticescant. Præterea circa heredes parvulos regnorum hujusmodi, si quos, parentibus eorum Regibus deficientibus in pupillari ætate remanere contigerit, eadem Romana ecclesia piæ matris assumit officium, ac diligenter & utiliter ipsorum gerit regimen & tutelam: eorum hereditates & regna, cum necessitas imminet, etiam suis propriis sumptibus, a quibuslibet invasoribus & occupatoribus defendendo. Hæc autem & alia quamplura refugia invenerunt semper, & inveniunt apud eandem Ecclesiam fidelia & obedientia sibi regna, Reges & principes orthodoxi. Unde si tu, quod ferventer appetimus, inspiratus a Domino ad ejus obedientiam recta mentis intentione redires; tanto promptiora favoris & præsidii juvamina tuum in illa inveniet Imperium in tua tuorumque heredum defensione, ac exaltatione perpetua, quan-*

*quanto ferventioribus desideriis eadem Ecclesia festa paschalia tuæ jucundæ conversionis expectat; quantoque attentioribus studiis te ad ejus utilitatem conversum in suæ charitatis amore ac gratia retineret.*

XXXIV. Si redeat ad gremium Ecclesiæ, non Genuenses modo, sed alios principes ipsi fœdere conjungendos.

*Quæsumus ergo, quinimo tuam excellentiam obsecramus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, ut illud laudabile ac salubre propositum, quod tuæ literæ jam super hoc te concepisse testantur, in partum, sublata qualibet difficultate ac dilatione, producas; redeundo celeriter ad amplum, & spaciosum ejusdem gremium, ubi indubitanter invenies tibi & semini tuo perpetua solidæ firmitatis sedilia præparata: & ubi etiam non solum tu, sed & tua posteritas futuris temporibus recumbere poterit confidenter, quia si te in consilia meliora retuleris, & ad eandem Ecclesiam in spiritu humilitatis redieris; non solum auxilium Januensium, quorum amicitiam nos tibi subtrahere velle conquereris, & aliorum fidelium Latinorum potentiam, verumetiam si opportunum fuerit, vires omnium orthodoxorum Regum, ac principum orbis terræ, in tuum, tuique solii fulcimentum conflare, ac provocare studebimus inter te & ipsos indissolubilis fœdera dilectionis ad laudem, & gloriam divini nominis & Christianæ religionis augmentum. Sed quamdiu ipsi Romanæ ecclesiæ inobediens, & throno Apostolico indevotus extiteris, salva conscientia sustinere non possumus, quod dicti Januenses, vel alii quicumque Latini tibi auxilium præbeant vel favorem, cum sit prorsus incongruum, ut obedientiæ filii cum filiis inobedientiæ per alicujus confœderationis commercium misceantur; præsertim cum posset per tale commercium status inobedientium fortius ad inobedientiam roborari. Posset etiam de facili puritas filiorum obedientium ex socia conversatione, & familiaritate, quam cum inobedientibus contrahunt, in sinceris eorum moribus maculari. Si ergo contra eosdem Januenses processimus, hac de causa Imperialis circumspectio non miretur cum officii nostri debitum impleverimus in hac parte: nec per hoc aliquis, rationis judicum, & non voluntatis sequens libitum, juste contra nos potest arguere, quod guerram paci & bellum amicitiæ præponamus: cum talis confœderatio, seu amicitia in guerram, bellum, & scandalum prædictæ Romanæ ecclesiæ, suorumque fidelium filiorum, quos ante oculos suos in ejus gremio cum eorundem favore Januensium opprimis, cedere totaliter dignoscitur.*

Indignas videri catholicorum cum schismaticis coitiones.

XXXV. Schismaticos ab æternæ salutis via aberrare.

*Et cum simus illius vicarii Veritatis, quæ ait: Ego sum via, veritas, & vita; propter quod veritatem diligere, veritatem ostendere, veritatem sequi, veritatem omnibus dicere, ac veritatem etiam supra tecta prædicare tenemur, tacere in hoc non possumus, nec debemus, nec volumus veritatem: quod omnes illi, qui throno apostolico non obediunt, quantumcumque Christianos se nominent, dominicis obviant institutis, & in Deum peccant mortaliter, & graviter oculos divinæ majestati offendunt. Nam quanta sit inobedientiæ culpa, verbo Samuelis ostenditur asserentis, quod quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ acquiescere nolle. Monstratur etiam & exemplo Dathan & Abiron, qui propter inobedientiæ malum ab Altissimo pœna gravissima sunt puniti, terra eos cum suis omnibus absorbente. Hæc autem tibi dicimus more periti medici nolentes palpare vulnera inobedientiæ telo transfixa, & ideo verba nostra patienter audias, & sapienter advertas, ut tibi, auctore Deo, proficiant ad salutem. Meliora sunt enim, Salomone teste, diligentis vulnera, quam fraudulenta oscula odientis. Ad nostrum nempe spectat officium, ubi necessaria est increpatio, non tacere; sicut conticent canes muti non valentes latrare: sed secundum Apostolum arguere, obsecrare, & increpare in omni patientia, & doctrina.*

Refutantur Palæologi querelæ.

*Verum quanta mala populo Christiano contigerint a tempore dissensionis & divisionis hujusmodi, nullatenus ignoramus: quinimo dum hæc ante oculos nostros reducimus, producimus, ab imis amara suspiria, nec possumus lacrymas sustinere, dolentes super illis, qui primi a prædictæ Romanæ ecclesiæ obedientia recedentes, inter Latinos & Græcos tanti materiam scandali reliquerunt. Nam si Latini Græcos diversis temporibus impugnarunt, hoc proculdubio non fecerunt tantummodo causa acquirendi eorum terras, & divitias temporales, sed ut per vexationem Græcis intellectus, qui noluerunt intelligere, ut bene agerent, præstaretur. Propter quod si templa divina, & ædes sacræ per aliquos latrunculos, seu per aliquos prædatores destructionis exterminium, sicut in terris guerrarum fluctibus æstuantibus consuevit contingere, forsitan incurrerunt, nullus sanæ mentis vel debet, vel potest id Latinis omnibus imputare; sed hujusmodi latrunculis & prædatoribus, imo potius illis, qui prout dictum est, inter utramque gentem dissidii zizania seminaverunt.*

XXXVI. Adhortatio Pont. ad pium desiderium in opus perducendum.

*Quia vero pacem videris appetere, & petere, ut hinc inde solvantur inimicitiæ abiiciantur scandala, & omne removeatur obstaculum, ad quod Christiani possent offendere pedes suos; nos tuum in hoc salubre & laudabile desiderium dignis laudum præconiis attollentes, ad Imperialem notitiam præsentium tenore deferimus, quod cum illius Regis pacifici vices geramus in terris, qui unicum sacrificium per mortem Patri se obtulit, ut secundum Joannem filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in*



*in unum; & qui, secundum Apostolum est pax nostra, faciens utraque unum; & qui etiam ad passionem accedens, de pace condidit testamentum; veram pacem & concordiam quærimus, & ad talem pacem inter utrumque populum, auctore Domino, reformandam, vigilanter & efficaciter intendere volumus: per quam utique pacem copula rectæ charitatis & fidei cordibus inseratur, & quæ unitatis vinculum operetur, procul depellat odia, rancores abiiciat, fuget invidiam, excutiatque livorem; paret mentes, corda conciliet, & societ voluntates. Unde si talem pacem tua nobis offert serenitas; nos illam & libenter admittimus, & desideranter amplectimur, firmo intendentes proposito, & intentione stabili proponentes, secundum Psalmistam, inquirere ac sequi eam; ac pro ipsa, si opus fuerit, superimpendere nosmetipsos. Sed quia non esset vera, nec stabilis, quæ super firmo non consurgeret unitatis & fidei fundamento, non debuit dogmata fidei nec ritus ecclesiasticos tua postponere magnitudo, cum non sit dubium omnem pacem, & omnem concordiam tanquam adjectivum ex hujusmodi debere subsequi substantivo. Nam cum hæc principaliter insideant menti nostræ & cordi nostro; cum etiam circa hæc specialiter nostræ diligentiæ studium, & Apostolicæ sedis versetur intentio; inconveniens satis fuit illa postponere, quæ præponi potius debuissent. Nos autem, quia utrumque volumus, utrumque credimus, & utrumque votis anxiis expectamus, prædictos nostros apocrisarios pro utroque negotio; ut scilicet de dogmatibus fidei, ritibusque ecclesiasticis, & de pace, & concordia cum tuo tractarent Imperio, ad te duximus destinandos &c. Dat. apud Urbemveterem v. kal. augusti pontif. nostri anno II.*

Conciliandæ inter ipsum & Balduinum paci incubitum.

XXXVII. Apocrisarii Apostolici ad reducendos Græcos pluribus instructi prærogativis.

(a) Ib. ep. 185.

Vetat Urbanus Achajæ principem Palæologo bellum inferre.

(b) Ep. 188.

(c) Ep. 189.

Instruxit Minoritas, quos tantæ obeundæ legationis munere decorarat, ut summa auctoritate (*a*) veniam Græcis, qui Ecclesiæ sese aggregarent, impertirentur, atque inter suos agere & cum iis communicare permitterent: si qui clerici Ecclesiæ se submitterent, prærogativis clericorum potirentur; aliisque pluribus ad solvendas censuras, & propagandam pietatem privilegiis auxit. Cum vero antea Urbanum Palæologo indixisse viderimus, ne Villarduinum Achajæ principem bello peteret, ita vicissim istum apostolicis literis bellum Palæologo inferre, aut in Græcorum ditionem irrumpere, grassarive vetuit; (*b*) monuitque legationem a se ad Palæologum mitti: utque Romanæ sedis apocrisarios debitis officiis prosequeretur, imperavit, (*c*) ac regionum earundem proceres ad id præstandum est cohortatus.

XXXVIII. Alphonsus & Richardus electi certant de Imperio.

Dum hæc agebantur, Alphonsus Castellæ Rex ac Richardus Anglus de Imperio occidentali apud Apostolicam sedem certabant. Extat publicum monumentum, quo Alphonsus procuratores instituit, ut a Pontifice insignia Imperii deposcerent contenderentque occupantis conditionem meliorem esse non debere; utque sua in Imperium jura defenderent, agerent ac responderent: & quidquid suo nomine actum foret, ratum se habiturum chirographo & sigillo regio confirmavit.

(d) Lib. privil. Rom. Eccles. T. 2. pag. 249. MS. Vall. sig. lit. B. n. XII. pag. 212.

Mittit Rex Castellæ oratores ad Urb. ad poscenda Imperii insignia.

*Pateat (d) universis præsentem literam inspecturis, quod nos Alphonsus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Castellæ, Toleti, Legionis, Galleciæ, Sibiliæ, Cordubæ, Murciæ, Giennæ, & Algarbiæ Rex facimus, constituimus, & ordinamus nostros procuratores, actores, & negotiorum nostrorum gestores venerabiles patres dilectos fideles nostros Martinum Legionensem, & Garciam Silvensem episcopos, & magistrum Joannem Alphonsi notarium nostrum, & archidiaconum Compostellanum, & magistrum Rodulphum de Podio Bonizi nostrum notarium, generales & speciales omnes in solidum, ita quod occupantis non sit melior conditio, ad petendum pro nobis, & pro nomine nostro a summo Pontifice, & venerabilibus patribus Cardinalibus Imperii coronam nobis debitam: & ad agendum, & respondendum, defendendum, & tractandum jura nostra Imperii, & omnia factum ipsum contingentia, & quicquid honori nostro viderint expedire, sive in ordinario judicio, vel extraordinario agatur: promittentes nos ratum, & firmum quicquid per eosdem vel aliquem ipsorum circa præmissa, vel in præmissis nomine nostro actum fuerit, habituros. In cujus rei testimonium præsentem literam fecimus sigilli nostri munimine roborari. Actum Sibiliæ Rege imperante kal. februarii anno Domini MCCLXIII. Petrus Stephanus fecit scribi.* Exceptis perhumaniter auditisque Castellani oratoribus, rescripsit Pontifex, (*e*) ab ipsis quid in tanto negotio decretum esset, accepturum: atque oratorum fidem, ac diligentiam collaudavit.

(e) Extat in MS. bibl. Vallic. sig. lit. C. n. 49. pag. 6.

XXXIX. Dirimendam causam suscipit, si electi inter se consentire non potuerint.

Cum jam diutius Ecclesia expectasset, ut principes æmuli Imperii concordiam inter se inirent, atque hactenus Romani Pontifices conciliatorum munus frustra gessissent, Urbanus ingruentium in Imperio malorum mole coactus, judicis partes assumere compulsus est. Fluctuabat enim misere Germania, dum incerto rectore careret, intestinæ dissensiones lacerabant populos, justitia jacebat, scelus vindicis Imperatoris terrore solutum libere caput efferebat, obsolescebat religionis ac disciplinæ ecclesiasticæ decus: ecclesia etiam Romana cum advocato, ac defensore careret, cincta undique hostibus parem cladem sentiebat. Prænobilem ergo controversiam, in qua de Imperio agebatur,

Petitis annuere differt Urbanus, ac legatum in Castellam mittit.

Urbani constitutio.

tur, decidere meditatus Urbanus, in deliberationem adduxit in primis, quo titulo Alphonsus Richardusque insigniendi in actis publicis viderentur: ac post librata diligenti examine utriusque in Imperium jura, cum hinc Richardus ab Alexandro in Romanorum Regem electus in suis ad eum literis vocatus esset, atque etiam Aquisgrani diademate redimitus; hinc Alphonso major principum numerus Imperium detulisset; utrumque in Apostolicis literis in Romanorum Regem electum appellare decrevit (*a*).

(*a*) Lib. 2. ep. 220. Ext. in eod. bibl. Vallic. sig. C. 49. pag. 11.

*Urbanus, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

XL. Argumenta pro Richardo Anglo, ut electus Romanorum Rex nuncupetur.

*Ordinato nuper Imperii negotio, prout consideratis diligenter petitionibus partium, vestrisque consiliis credidimus expedire, dubitatio incidit, quo titulo uterque ad idem Imperium electus in nostris literis sit censendus, pro parte quidem dilecti filii magnifici viri Richardi comitis Cornubiæ dicebatur, ipsum in eisdem literis in Romanorum Regem electum, & coronatum nominari debere, cum per felicis recordationis Alexandrum Papam prædecessorem nostrum, & a nobis etiam in quibusdem literis ad ipsum, licet super alio directis negotio, sic extitit nominatus: sicque cum jam sit in possessione, vel quasi hujus tituli, non potest de cætero ei talis titulus sine injuria detrahi, nec est aliquatenus detrahendus: præsertim cum multi ex vobis tempore prædecessoris ejusdem super hoc deliberatione præhabita, ipsum taliter nominarint. Charissimo autem in Christo filio nostro Regi Castellæ illustri pro eo non deberi talis titulus videbatur, quia idem Rex, nec quoad hunc titulum, cum numquam per papales literas taliter intitulatus extitit, nec quoad alia fuerit in aliqua possessione, vel quasi regni Alemanniæ assecutus: nec debet status pendentis negotii cum alterutrius partis præjudicio immutari.*

Quid Alphonso Regi objectum.

XLI. Contraria pro Alphonso argumenta.

*Pro memorato vero Rege Castellæ suggerebatur e contrario, nullo modo comiti memorato, sed ipsi Regi regni Alemanniæ titulum ascribendum, cum plures de principibus electoribus vota sua direxerunt in Regem eumdem, & ipsum ad prædicta regnum, & Imperium legitime duxerunt eligendum: præfato vero comiti nec per electionem, quæ de ipso facta dicitur, cum nulla fuerit in regno, & Imperio supradictis; nec per superius allegata pro ipso in regio titulo sit jus aliquod acquisitum: literæ namque dicti prædecessoris nostri nullum sibi quoad regium titulum jus dederunt, cum sint literæ placentia quædam, ne dicam adulatoria, non diffinitionem aliquam continentes: quod etiam ex eo apparet, quia licet super hoc per ipsum prædecessorem, & fratres suos fuerit interdum deliberatio habita, numquam tamen fuit aliquid diffinitum: & ideo non est verisimile quod per dictas literas voluit super eodem aliquid diffinire; unde per easdem literas nulla necessitas nobis indicitur observandi, quod continetur in eis, vel ipsius prædecessoris in hoc vestigiis inhærendi. Nec literæ nostræ, si etiam ut dicitur præcesserunt, ad id aliquid operantur, tum quia non super Imperii negotio, sed super quadam pecuniæ quantitate, quæ ab ipso comite venerabili fratri nostro Portuensi episcopo debita dicebatur, confectæ dicuntur; propter quod super alio fidem non faciunt, nec jus tribuunt, sicut per instrumentum super alio confectum, in quo vir & mulier se conjuges nominant, matrimonium non probatur: tum quia si data earundem literarum, si forsan appareant, attendatur, aperte liquebit, quod eo tempore transierunt, quando nos qui non fueramus de collegio Cardinalium super hujusmodi negotio non eramus, nec esse poteramus instructi. Cardinalium etiam quorumdam literæ, per quas ipsi comiti sub regio nomine scriptum fuisse dicitur, nequaquam in hoc suffragari videntur eidem, cum non fuerint habita communi deliberatione, nec de omnium consensu concessæ: quod etiam ex eo apparet quod non omnium Cardinalium, sed aliquorum tantummodo sigilla eisdem literis fuisse dicuntur appensa.*

Richardo objecta.

XLII. *Cum igitur ex prædictis prædecessoris ejusdem, nostris, vel Cardinalium literis, nullum sit dicto comiti circa titulum, de quo agitur, jus vel possessio acquisita, nulla dici posset injuria vel detractio fieri, si de cætero in literis dirigendis ad eum idem titulus minime poneretur; nec status instantis negotii censeri in ipsius comitis præjudicium immutari, si prædicto Regi, qui sicut prædicitur, propter electorum pluralitatem potior allegatur in jure, adderetur electi titulus, cum rei veritate concurrens. Sed allegatio immutationis hujusmodi eidem comiti potius efficaciter videtur obstare, pro eo quod adscriptio tituli, quam per literas dicti prædecessoris, nostras, & Cardinalium sibi factam allegat, pendente negotio non cognitionabiliter, nec partibus constitutis, cominus facta fuit. Nos itaque iis & aliis, quæ circa hæc movere poterant, plene discussis; auditis quoque vestris consiliis, ut lignum in medio paradisi positum veraciter præsentemus, medium decrevimus eligendum, nec subinclinati ad dexteram, vel sinistram. Et ideo cum tam memoratus comes, quam præfatus Rex electi fuerint, nos veritatem sequentes, sine alterutrius partis præjudicio utrumque ipsorum decrevimus in nostris literis nominandum in Romanorum Regem electum. Actum apud Urbemveterem* VII. *id. aug.*

Definit Pontifex utrumque electi Romanorum Regis titulo decorandum.

XLIII. Concipit in Urbanum iras Richardus.

Pupugit ea res admodum Richardum, cum hujusmodi pontificiam sententiam in Alphonsi gratiam editam videret: numquam enim hactenus Apostolica sedes Alphon-



phonsum in Romanorum Regem electi titulo insigniverat: quo tamen Richardus ab Alexandro fuerat ornatus. Nec defuere, qui Richardum exasperarent, insusurrarentque, si superstes vitæ diutius fuisset Alexander, ipsum Imperii insignia certissime consecuturum: injuriam ipsi delato Alphonso eo titulo illatam. Hisque ac similibus Pontificem apud Richardum in suspicionem adduxerant, Regi Castellæ studere. Quam Urbanus detergere ex ejus animo nititur: (*a*) rem definiri nondum potuisse, cum tantis implicita difficultatibus esset: nec moleste ferre debuisse, si Castellæ Rex titulo electi in Regem Romanorum insignitus esset.

(*a*) Ep. 221. & eod. cod. Vallic. pag. 12.

*Charissimo in Christo filio Richardo in Romanorum Regem electo.*

Mulcere illum literis nititur Pontifex.

*Utinam, fili charissime, ad plenum tibi pateret nostræ ad tuam magnificentiam sinceritatis affectus. Utinam plenæ intelligeres nostri erga te animi puritatem: etenim profecto cognosceres, nos tamquam patrem benevolum more paterno de tam chari filii gaudere profectibus, & processus nostros, interpretis calumniosi non admisso susurro, filiali benevolentia æstimares, obstruerentur circa te ora iniqua loquentium, locus detractioni non esset, detractori non panderetur aditus, nec præstaretur auditus. Sed ecce, princeps inclyte, non desunt, ut audivimus, qui apud tuam excellentiam contra nos sine causa, non tamen malitia multa, submurmurare non desunt, qui tuam devotionem turbare studentes, actus nostros calumnientur injuste, illud ad quod facti qualitas, immo necessitas rationis debito nostro præsidente proposito nos coegit, trahentes ad notam & malitiose fingentes, quod detrectavimus hactenus nostras tibi mittere literas, ne te nominaremus in Romanorum Regem electum: cum tamen fel. recordat. Alexander Papa prædecessor noster non solum electum, sed etiam coronatum te in suis literis nominarit. Verum iis pro nobis veritas ipsa respondet: ipsius evidentia tales formalitatum figulos, & ipsorum figmenta confutat. Novit siquidem circumspectionis tuæ prudentia, quod charissimus in Christo filius noster Rex Castellæ ac Legionis illustris se a majori parte principum, in electione Regis Romanorum vocem habentium, electum affirmans, tibi super obtinenda imperialis culminis dignitate, in quo sibi jus plenum quæsitum asserit, se opponit: nec te latere credimus quanta instantia, quantaque diligentia multiplicatis successive nunciis tam nostris quam prædecessoris prædicti temporibus, idem Rex apud sedem Apostolicam jus hujusmodi extiterit prosecutus.*

Aspersam sibi invidiam, ac suspicionem detergit.

Ostendit Alphonso electi Regis titulum deferendum fuisse.

XLIV. In neutram partem se propendere debuisse.

*Tuis igitur, & ejusdem Regis procuratoribus varia hinc inde, immo diversa & adversa proponentibus, non in figura judicii, sed petitiones alternis vicibus alternando, nos præsertim cum ad Apostolatus officium præter Cardinalatus gradum fuerimus miseratione divina vocati, de hujusmodi negotii meritis notitiam non habentes, sub tantæ varietatis incertitudine, in tanto & tali negotio, & maxime inter tantos; nec accelerare potuimus, nec debuimus præcipitare judicium, aut alterutri partium in alterutrius præjudicium titulorum adjectione, vel nominum, seu cujuscumque alterius favoris indiciis tam præcipitanter exhibere gratificationis affectum. Et licet idem prædecessor tibi favorem circa prærogativam alicujus intitulationis impenderit, non tamen nos decuit facilitate præcipiti sequi hujusmodi processum prædecessoris ejusdem, quem fratrum nostrorum, sicut ex eorum fida relatione didicimus, communis & decisiva collatio non præcessit: intendimus enim in conspectu suo dirigere Domino vias nostras, sic pro viribus nostros processus dirigere; illa etiam communis eorundem fratrum consilii matura directione, ac directa maturitate firmare, quod nec in ambiguitatis lubricum incidant, nec de revocatoria correctione formident. Propter quod demum, cum eisdem fratribus plena deliberatione præhabita, quod habere debes acceptius, tibi electionis titulum, ex qua, si tamen sit legitima, jus solet acquiri, duximus ascribendum. De coronationis actu, qui pro te allegabatur, pro eo mentione non habita, quia nec electis in Imperatorem concorditer in salutationis alloquio de coronatione aliquid adiici consuevit, ea inter cætera, ut dicitur, ratione, quia cum tres coronæ tali debeantur electo, aut pro singulis ipsarum, ad veritatem exprimendam, esset singularis, quod absurditatem saperet, expressio facienda; aut quod videtur verius, & consuetudo approbasse dicitur hactenus, pro nulla ipsarum est coronationis titulus exprimendus.*

Alexandri exemplo, qui rem non contulisset cum Cardinalibus, non fuisse insistendum.

Cur ipsum coronatum non appellarit.

XLV. Urgente Alphonso æquitati deesse non potuisse.

*Cæterum cum memoratus Rex, sicut præmittitur, legitime se contendat electum & nobis adhuc jus partium sit incertum; pro eo maxime, quod, sicut per alias literas tuæ magnitudini directas exprimitur, coram nobis vel prædecessore præfato, ut coram judice, nondum nisi novissime aliquid propositum extitit vel petitum; æquitas justitiæ non permisit, denominatione in Romanorum Regem electi tam solemniter tibi concessa, ipsam sæpedicto Regi suis procuratoribus instanter, ut saltem æqualiter vel concederetur vel denegaretur instantibus, & super hoc justitiam sibi petentibus exhiberi; non sine gravi materia scandali denegare: maxime cum per intitulationem hujusmodi non intelligatur alterutrius accrescere juri vel detrahi, donec de ipsius juris meritis finaliter pateat, & doceatur aperte, in cujus persona electi descriptio, cum electionis veritate concurrat. Quæsumus itaque, fili, non accomo-*

*modes aures malevolis, qui suam forte quærerent in tua turbatione quietem, & in alienis dispendiis sua lucra venantur; sed nostrorum processuum causas, ordinem, ac rectam & puram procedentis intentionem, tuo prudenti consilio & spiritu quieto discutias: & proculdubio animus in quietis serenitate dijudicans, in illis invenit unde rectum sequendo judicium, omni super præmissis turbationis materia submota, quiescet: nec causa querelæ supererit, nec via reprehensioni patebit. Dat. apud Urbemveterem 2. kal. septembris.*

XLVI. Utrumque electum Urbanus in judicium vocat.

Incurrenda erat Urbano, in quamcumque partem sententiam ferret, alterius principis inimicitia: nec suspicio aberat rem demum in bellum erupturam. Ad quæ declinanda tentandam iterum inter utrumque concordiam visum est, quos ut inflecteret, legatos in Hispaniam, & Angliam transmisit. Ne tamen judicis æqui partibus deesset, si paterna illi monita respuissent, peremptorium causæ decidendæ diem sextum Kal. maii indixit, missis de ea re eodem exemplo ad Alphonsum, ac Richardum literis, (a) a quarum exemplum infra scriptum est.

(a) *Urb. lib. 2. ep. 212. & MS. Vall. C. 49. pag. 7.*

*Richardo in Romanorum Regem electo.*

De Pontificatu & Imperio a divina providentia constitutis.

*Qui cœlum terramque regit, is nimirum cœli novit ordinem, & in terra potest cœlestis ponere ordinis rationem. Is exempla de superioribus ad inferiora derivans, sicut in firmamento cœli duo luminaria magna constituit, ut mundum vicibus suis illustrent, sic & in terris maxima dona sua, Sacerdotium videlicet & Imperium, ad plenum spiritualium mundanorumque regimen, ad firmamentum Ecclesiæ militantis instituens, utriusque potestatis ita discrevit officia, ut eorum officiosa diversitas nulla sibi adversitate dissentiat; sed in commissi executione regiminis ex officii debito in voti unitate concordet; & ipsorum proculdubio profutura concordia alterutrius alternis fulta præsidiis, ac utriusque mutuis fota favoribus, opus justitiæ liberius operetur, pacem mundo pariens, tranquillitatem inducens, & nutriens unitatem. Imperium siquidem ad salutem sacerdotali auctoritate dirigitur, & ipsius adjutum suffragiis, sedatis procellosis interdum imminentium tempestatum turbinibus, tranquillum redditur & quietum. Sacerdotium vero pium & tutum debet habere refugium imperialem mansuetudinem, cum sua veneratione conjunctam, ut Imperii Romani fastigium, & ejus culmini præsidens, specialis advocati & defensoris præcipui circa Ecclesiam gerat officium, & in ipsius fortitudine brachii defensentur Ecclesiæ libertates, & jura manuteneantur ipsarum, extirpentur hæreses, cultus Christianæ fidei amplietur, & inimicis consternatis ejusdem, in pacis pulchritudine sedeat populus Christianus, & in requie opulenta quiescat.*

XLVII.

*Verum humani generis inimicus, pacis impatiens, amator litium, discordiæ seminator, utriusque profectibus invidens, claræ memoriæ Vuillelmo Romanorum Rege rebus humanis exempto, inter te & charissimum in Christo filium nostrum Regem Castellæ, ac Legionis illustrem in Romanorum Regem electum circa obtinendam ejusdem Imperii dignitatem contentionis materiam suscitavit, ut vobis circa hoc contendentibus careret imperialis regiminis commodis orbis terræ, & tanti brachii, tam utilis, tam necessarii, tam chari carentiam ex ipsius Imperii vacatione diutina molestam admodum & nocivam, damnosa experientia, Ecclesia prædicta sentiret. Sentit utique, sentit mater Ecclesia tam populi sibi commissi, quam suam gravem de hujus contentione jacturam: crevit namque perversorum audacia, & ipsorum abundante malitia, dum eodem vacante Imperio ipsi Ecclesiæ defensionis debitæ suffragia subtrahuntur, liberius peccatis insistitur, hæreses pullulant, scandala suscitantur, multiplicantur cædes & strages; injuriæ invalescunt, in persecutionum turbinibus Petri navicula fluctuat; & interdum qui fidelium ipsius censeri nomine gloriantur, in arcum perversum fidei debitum non servando, conversi eam in suis juribus injuriose impetunt & molestant, illa nunc denegando pro libito, nunc illicite occupando. Propter quod eadem Ecclesia non immerito hujusmodi vacationem deplorat Imperii, de animarum periculis, quæ peccandi libertas ingerit, ex intimis longa trahens suspiria ingemiscit. Ex eo insuper quam dure, quam graviter materna ejus viscera quatiuntur, quod, ipsa tam charos filios, tam inclytos principes in suo sentiens utero collidentes, prudenter advertit tuam & prædicti Regis potentiam, in Christi blasphemos, & inimicos nominis Christiani potenter, & magnifice more solito exercendam, in proprium & grande domesticorum fidei detrimentum talibus contentionibus implicari. Hæc ergo & alia incommoda dissensionis hujusmodi eadem Ecclesia materno pensans affectu, in iis auxilii sui dexteram non subtraxit, sed vigilavit attentius, attentione solicita vigilanter intendit, multaque solicitudine pervigil laboravit, ut discriminibus tantis occurreret, teque ac ipsum Regem a discordiarum dispendiis præservaret.*

Coorta mala ex Imperii dissensione.

XLVIII. Cur Pontifex de adjudicando Imperio sententiam distulerit.

*Et licet inter vos judicis partes assumere non sine causa distulerit; præsertim cum tam tui quam ipsius Regis nuntii in recordationis felicis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, nostra, & fratrum nostrorum præsentia constituti, super prædictis judiciarium Apostolicæ sedis examen expresse usque ad hæc tempora declinarint; dilationem tamen hujusmodi illa etiam utilitatis utriusque partis consideratio, & paternæ pietatis cautela pro vobis consilium capiens persuasit, ut vestris animis ad hoc habilitatis interim ad reformanda inter vos amicitiæ fœdera congruentia tempora captarentur, & remedia promptiora paterent, per quæ discordiæ occasione sublata vos glutinum solidæ charitatis uniret; ac in vestræ soliditate concordiæ, quam tractatus, qui super hoc in vos dicebantur haberi, promittere videbantur, sub sui principis ducatu pacifico daretur eidem sabbatismus Imperio; & sedatis scandalis, ipsius subditis quietis optatæ jucunditas proveniret, pestis exterminaretur hæretica, animarum pericula vitarentur, Ecclesia cæsareo munita præsidio, & ab hostilibus erepta persecutorum incursibus respiraret: ac eorum, qui sub simulatæ fidelitatis audacia nocent silentius, temeraria nocendi confidentia refrænata, suorum jurium integritate gauderet. Hæc quidem hactenus expectavimus anxii: hæc desideravimus anxia expectatione diutius: in iis prædecessoris, nostra, & fratrum nostrorum solicitudo non defuit, secundum apostolicæ circumspectionis judicium de contingentibus nil omittens.*

Agitatum inter Alphon. & Rich. de concordia sed frustra.

XLIX. Pontificis studium pro pace inter eos concilianda.

*Et quamquam, ut votis nostris satisfieret in hac parte, hucusque non fuerit ex alto concessum; tamen ad id semper nostra suspiravit intentio, ad id plenis desideriis anxiamur, non proponentes a cœptis desistere; quin circa negotium hujusmodi sub spe illius, qui facit magna, & inscrutabilia; qui facit concordiam in sublimibus, prosequi pacis semitas intendamus, quidquid per nuncios & procuratores partium coram nobis novissime his diebus propositum petitum fuerit, & responsum. Et quidem venerabilis frater noster Laurentius episcopus, & dilectus filius Vuillelmus archidiaconus Roffensis, ac Robertus de Baro procuratores & nuncii tui, a te plenariam potestatem habentes, ut in nostro consistorio tua proponerent negotia, & peterent cum solemnitate, qua conveniret, vocationem tuam solemniter ad coronam; ac universa & singula circa hæc gererent, agerent fideliter, ac procurarent, quæ per vestros nuncios ac procuratores, ad hoc specialiter deputatos legitime possent agi, peti, ac etiam procurari; quibusdam consuetudinibus prælibatis, quas servandas in electione Romani principis asserebant; proposuerunt inter cætera tam per electionem de te, ubi, quando, & a quibus debuit, legitime celebratam; quam per consensum tuum in ipsam, unctionem, coronationem, inthronizationem in sede magnifici Caroli, & alia subsecuta tibi electo, prædictis consuetudinibus observatis, & nulli alii plenum jus, quoad proprietatem, & possessionem in præfatis regno, & Imperio acquisitum, ac regium nomen, & Imperii diadema indubitate deberi: & supplicaverunt instanter, ac inter alia humiliter petierunt, tibi & hujusmodi nomen ascribi, & te per nos inungendum, consecrandum, & coronandum in Romanorum Imperatorem, advocatum, & defensorem Ecclesiæ, ad ipsum diadema de nostris suscipiendum manibus, sine dispendio ulterioris moræ vocari, & apostolicum tibi favorem impendi: petitionem hujusmodi variis tam facti, quam juris allegationibus, & quampluribus nihilominus præmissis protestationibus fulcientes; ac dicentes ipsam per contradictionem memorati Regis, vel electionem, si qua de ipso facta fuerat, utpote contra prætactas Imperii consuetudines, post electionem tuam non cassatam, nec cassandam, etiam ab iis, qui saltem tunc nullum jus habebant id faciendi, præsumptam non debere aliquatenus impediri.*

Richardi ad imperium jura.

Alphonsi electio posterior Richardi electione.

L.

*Ex parte vero supradicti Regis per venerabiles fratres nostros Garsiam Silvensem, & fratrem Dominicum Abulensem episcopos, ac dilectos filios magistrum Joannem capellanum nostrum archidiaconum Compostellanum, & Radulphum de Podio Bonizi ipsius Regis procuratores, actores, & negotiorum gestores generales & speciales, ita quod occupantis non sit melior conditio; mandatum habentes ab eodem Rege ad petendum pro ipso, & suo nomine a nobis, & prædictis fratribus nostris coronam Imperii, & assignari sibi diem ad recipiendam ipsam; & ad agendum, respondendum, defendendum, & ad tractandum jura sua, & Imperii, & quidquid honori suo expedire viderent, sive in ordinario, sive in extraordinario judicio ageretur; fuit ei contra propositum, eundem Regem ad prædicta regnum & Imperium a majori parte principum vocem in hujusmodi electione habentium electum fuisse legitime, ac esse in ipsis regno & Imperio potiorem. Iidem insuper procuratores & nuncii electionem de te factam, inunctionem quoque, coronationem, ac cætera subsecuta ex eadem electione tua ex diversis causis tam contra te, quam contra electores tuos, & electionem ipsam oppositis penitus nullam esse; nec dicti Regis electionem, quamquam posterius celebratam, impedire potuisse, multipliciter allegantes; cum instantia postularunt ipsi Regi consuetum favorem, & debitam in hujusmodi negotio justitiam exhiberi: apertius exprimentes hanc fore justitiam debitam, hunc esse favorem in talibus consuetum: videlicet, quod quando aliqui ad Imperium in discordia principum eliguntur, sedes Apostolica illum, qui electus est a parte majori, personæ impedimentis cessantibus, denunciat electum canonice, ac Regem nominat, parte aliqua non citata; & ei favorem præstat, illique terminum ad recipiendam coronam assignat, etiamsi alter taliter electorum regni*

Alphonsus a majori principum parte vocatur ad Imperium.

Ejus ad Imperium jura.

*gni possessionem præsumpserit occupare: sicut in electionibus Lotharii & Conradi, Othonis & Philippi, ac aliorum plurium observatum fuisse dicebant.*

LI. Richardi oratores non negant subire Pontificis judicium.

*Eisdem autem præfati Regis Castellæ nunciis petitioni prædictæ super debita justitia exhibenda porrectæ insistentibus, nos memoratum Roffensem episcopum, & alios tuos procuratores de prædictorum fratrum consilio duximus requirendos, si vellent super præmissis subire tuo nomine nostrum & Apostolicæ sedis examen. Qui habito consilio responderunt, quod cum sis princeps catholicus, nobis & ecclesiæ Romanæ devotus, ipsam caput Christianitatis & fidei, tuamque matrem & dominam recognoscens; nec intendas illius declinare judicium, in quibus illud subire debes, & de jure teneris; & in Imperio jus habeas, ac regni Alemanniæ, & ejus jurium possessionem obtineas; parati erant, in quantum prædicti mandati, quod a te habebant, se vires extendunt, pro te ac tuo nomine, tamquam pro Rege vero, ac legitimo possessore, judicium nostrum & ecclesiæ Romanæ subire, siquis appareret, qui te super præmissis velit impetere, aut aliquid quocumque modo proponere, per quod tibi possit aliquod præjudicium generari; salvis semper in omnibus & per omnia jurisdictione, potestate, officio, auctoritate, dignitate, honore, ac libertate sacri Romani Imperii, ejusque principum, ad quos specialiter spectat Romani Regis electio, & quibus præjudicare non intendebant, vel alias quomodolibet derogare; petitionem tuo præmissam nomine nihilominus repetentes. Ecce, fili charissime, dum ad petitionem justitiæ ab una parte proceditur, nec ab altera judicio ceditur, sed ipsius præsecutioni constanter instatur; nos qui sperabamus, quod per tuam & ipsius Regis concordiam, & concordem supradicti ordinationem Imperii, desideratæque quietis nobis serenitas arrideret, in judiciorum inquietos anfractus ingerimur, & expetitæ justitiæ instantia in ipsorum nos fluctus impellit. Ecce pacem expectavimus, & non venit: quæsivimus bona, & turbatio strepitus judicialis offertur. Profecto non id desiderabat Ecclesiæ imperiali auxilio relevanda necessitas: non id exigebant laceræ partes Imperii occupatricibus expositæ manibus direptorum: non id requirebat Christianitatis iis temporibus miseranda conditio, quam intrinseca plusquam * ... Tartaricæ feritatis affligunt. Quibus potius debebatur, ut per tractatus pacificos Cæsarei culminis accelerandæ provisio in unitate capitis juribus redintegratis Imperii contra tot discrimina provideret.*

Pontifex invitus descendit ad litem diffiniendam optatque ut electi tractent inter se pacem.

* civica odia

LII. Legatos ideo ad utrumque mittit.

*Nos itaque pacis cogitationes solicite cogitantes, ac de illius sperantes omnipotentia & immensa virtute, sub quo curvantur qui portant orbem; qui ventis imperat, & ad ejus nutum stat spiritus procellarum; pacis tractatibus providimus insistendum. Et ideo hinc inde propositis a nobis, & prædictis fratribus nostris in discussionem exactæ deliberationis inductis de ipsorum consilio tam ad magnificentiæ tuæ præsentiam, quam ad ipsum Regem Castellæ nuncios deliberavimus destinandos, qui vos ad pacem invitent: ad quod dilectum filium magistrum Guillelmum capellanum nostrum archidiaconum in ecclesia Parisiensi, virum utique providum, consilii maturitate conspicuum, a nobis, ac eisdem fratribus plurimum merito suæ probitatis acceptum; de cujus industria, & fidelitate nos & ipsi fratres plene confidimus; ad tuam magnificentiam specialiter destinamus. Et nihilominus cum simus omnibus in justitia debitores, nec debeamus eam personis denegare sublimibus, qui super ipsa, etiam ab humilibus requisiti, nostri partes officii non negamus, te ac eundem Regem Castellæ citandos decrevimus: & te de sæpe dictorum fratrum consilio peremptorie præsentium tenore citamus, ut secundo die maii primo venturi apostolico conspectui per procuratores idoneos te præsentes, qui tuæ conscientiæ conscii legitimum & plenum a te mandatum habeant ad pacis tractatum, si Dominus dederit, ineundum; & ad procedendum in ipso negotio prout honori Ecclesiæ ac pensata talis & tanti conditione negotii sine offensa justitiæ videbimus expedire. Dat. apud Urbemveterem 2. kalend. septembris.*

Ne desit justitiæ utrumque peremptorie citat.

LIII. Alphonsi, & Richardi oratores coram Urbano causam dicunt. Pontifex disceptatæ controversiæ ordinem exponit Richardo. (a) *Extat in eod. Vallic. M. S. pag. 9.* Servandæ in electione Regis Roman. leges. Electorum numerus. Consuetudo Imperii in celebranda electione.

Comparuere coram Urbano & Cardinalibus utriusque designati Regis oratores, causæque argumenta explicuere: cujus disceptationis seriem Richardo Pontifex exposuit, ut siquæ ab ipsius oratoribus prætermissa ad causam stabiliendam, vel ad dissolvenda quæ Alphonsus objecerat, haberet argumenta, in medium adduceret.

*Richardo in Romanorum Regem electo.*

*Qui (a) cœlum terramque regit, is nimirum &c. ut supra, usque peti, & etiam procurari coram nobis, & eisdem fratribus proponere curaverunt quasdam consuetudines circa electionem novi Regis Romanorum in Imperatorem postea promovendi, apud principes vocem in hujusmodi electione habentes, qui sunt septem numero pro jure servari; & fuisse hactenus observatas a tempore, cujus memoria non existit: secundum quas infra annum & diem, postquam vacat Imperium, talis debet electio celebrari, quacumque parte ipsorum anni, & diei, quam ad hoc idem principes duxerint deputandam: & ad archiepiscopum Maguntinum, & comitem Palatinum Rheni, vel ipsorum alterum, altero nequente, vel forsitan non volente, pertinet ad electionem ipsam celebrandam, diem præfigere, ac cæteros electores principes*



Quis diem præfigere debeat.

*convocare. Quibus omnibus, vel saltem duobus ex ipsis die præfixa convenientibus apud oppidum de Franchenford, intus vel extra ipsum oppidum, in terra quæ dicitur Francheserde, loca quidem ad hoc deputata specialiter ab antiquo ad electionem ipsam procedi potest, & debet secundum morem ipsius Imperii approbatum: & electione taliter celebrata, electus, si electioni consenserit, ante Aquisgranum per dies aliquos facta mora, infra annum & diem post celebratam electionem eamdem, quando electus voluerit, per Coloniensem archiepiscopum, ad quem id ex officio suo spectat, inungitur, consecratur, & etiam coronatur: quo facto cuilibet via præcluditur contra electionem, vel electum, jam Regem Romanorum effectum, dicendi aliquid, vel etiam opponendi: sed idem electus prædicto modo inunctus, consecratus, & coronatus pro Rege habetur, & ei tamquam Regi debet a subditis & vasallis Imperii obediri, suo more homagia & fidelitatis juramenta præstari assignari civitates, oppida, castra & specialiter castrum de Treveles, ac alia jura Imperii infra annum & diem a tempore coronationis ejusdem: ita quod si qui de vasallis Imperii ei homagia non præstiterint consueta, & non reddiderint civitates, castra, & alia supradicta, illis, quæ ab Imperio tenent eodem, sunt eo ipso privandi.*

LIV.

Quis in discordia judex dubiæ electionis.

Quando concorditer censeatur elect.

Quando in discordia.

*Et si votis principum, ad quos spectat eligere, ad eligendum convenientium, divisis in plures, duo in discordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebit, vel ad prædictum comitem Palatinum, tamquam ad hujusmodi discordiæ judicem est recursus habendus, ni forsan super electione vel coronatione hujusmodi suborta discordia, per appellationem vel querelam prædictorum principum ad examen sedis Apostolicæ, quo casu ipsius est in tali causa cognitio, deferatur. Intelligitur autem is electus esse concorditer, in quem vota omnium electorum principum, vel saltem duorum tantummodo in electione præsentium diriguntur:* cum nimirum duo tantum comitiis interfuerint, a quibus Richardi oratores ejus electionem jure celebrari potuisse contendebant: idque adversus Alphonsum, a Trevirensi archiep. tantum præsente Francofurti Regem designatum: *in discordia vero is etiam reputatur electus, de quo in loco non solito electio celebratur, & in termino de communi consensu dictorum principum non statuto, quem si forsan prædicti principes infra annum & diem a tempore vacantis Imperii concorditer statuant, licet non exprimant quod ipsum peremptorium esse velint; terminus tamen ab eis præfixus taliter peremptorius reputatur. Porro idem procuratores iis & aliis quibusdam prælibatis consuetudinibus adjecerunt, quod vacante Romano Imperio, die per omnes prædictos principes pro celebranda Regis Romani in Imperatorem postea promovendi electione statuto in octavis Epiphaniæ anno Domini MCCLVI. apud memoratum oppidum de Franchenford, quinque tantum de dictis principibus tum per se, tum per alios, videlicet bonæ memoriæ Coloniensis archiepiscopus pro se, & bonæ memoriæ Maguntinus archiepiscopus, * ea vice in hoc commiserat vices suas, & dilectus filius nobilis vir comes Palatinus apud Francheserd: bonæ memoriæ vero Trevirensis archiep. & dilectus filius nobilis vir dux Saxoniæ intra dictum oppidum convenerunt. Cumque iidem Treverensis archiep. & dux Saxoniæ præfatos archiepiscopum Coloniensem & comitem, nec ipsum oppidum intrare permitterent, nec ad eos exire vellent, super hoc sæpius requisiti dicti archiepiscopus Colonisnsis & comes; attendentes ex lapsu temporis periculum imminere, si forsan non fieret electio illa die, quæ ad hoc fuerat peremptorie constituta: præsertim cum de anno & die post vacationem Imperii quindecim dies solummodo superessent, infra quos nullo modo potuissent propter locorum distantiam, & alias facti circumstantias præfati principes iterum convenire, cum prælatis, ducibus, & aliis ibidem præsentibus; deliberatione præhabita, de ipsorum communi consilio & assensu ad electionem procedere decreverunt: & tandem præfatus Coloniensis pro se, ac dictis Maguntino, cujus vices gerebat, & comite præsente ac consentiente, divino nomine invocato, te in Regem Rom. elegit, & mox electionem hujusmodi magnatum & aliorum astantium copiosæ multitudini publicavit.*

Quot electores per se vel procuratores interfuerint.

* qui

Trevirensis archiep. & dux Saxon. ingressum negant Palat. & archiep. Coloniensi.

Qui Richardum elegerat.

LV.

*Cui electioni per charissimum in Christo filium nostrum Regem Bohemiæ illustrem post paucos dies consensu præstito, demum tu ad tuorum electorum & aliorum Imperii optimatum, qui propter hoc ad te in Angliam accesserunt, instantiam & requisitionem instantem eidem electioni post diligentem super hoc tractatum habitum consensisti, ac personaliter Alemanniæ regnum ingressus, & moram apud Aquisgranum, quantum decuit, faciens, nec inveniens resistentem, postmodum fuisti per sæpedictum Coloniensem archiep. ad cujus id spectabat officium, consecratus, inunctus, coronatus, ac inthronizatus regio more in sedem magnifici Caroli, nullo se inibi coronationi tuæ realiter aut verbaliter opponente: recepisti quoque homagia magnatum regni ejusdem, ac fidelitatis etiam juramenta: obtinuisti ornamenta, & insignia imperialia, quibus Rex Romanorum solet ornari, cum Romæ inungitur, consecratur per manus summi Pontificis, & sacrum Imperii suscipit diadema; & sine quibus*

Is a Coloniensi coronatus Aquisgrani.

Imperii obtinet insignia.

*bus aliquis ad inunctionem, consecrationem & coronationem hujusmodi nec solet, nec debet admitti. Reddita insuper tibi fuerunt quamplura oppida, castra, villæ, ac jura Imperii tamquam Regi: tuque ipsius regni possessionem adeptus, ipsam tenes & per sex annos & amplius tenuisti.*

LVI. *Ex his autem procuratores tui arguere nitebantur, quod cum memorati Trevirensis archiep. & dux Saxoniæ, recusando dicto die procedere; reliqui vero, non veniendo ad terminum concorditer assignatum, se alienos ab electione reddiderunt ea vice; tu ab omnibus principibus vel saltem ab iis, in quos totaliter jus eligendi reciderat, censeri debes electus: & pro certo ac indubitato ponentes jus in regno & Imperio supradictis tibi electo, prædictis consuetudinibus observatis ubi & a quibus id fieri debuit, & nulli alii acquisitum; ac regium nomen & Imperii diadema indubitate deberi, supplicaverunt instanter, & humiliter petierunt tibi & hujusmodi nomen ascribi. Maxime cum antedictus prædecessor, id tibi de fratrum suorum consilio adscripsisset, te in eisdem regno & Imperio quibuslibet aliis præferendo, sicut per ipsius literas ostendere nitebantur: teque per nos inungendum, consecrandum, & coronandum in Romanorum Imperatorem, advocatum, ac defensorem Ecclesiæ, ad ipsum diadema de nostris suscipiendum manibus sine dispendio ulterioris moræ vocari & apostolicum tibi favorem impendi: præsertim cum non tantum major pars principum prædictorum, immo omnes, excepto nobili viro marchione Brandeburgensi, qui etiam paratus est tibi obedire, ut iidem nuntii proponebant; electioni de te factæ consentiant, & tibi tam ipsi quam alii magnates Alemanniæ generaliter tanquam suo Regi obediant & intendant: petitionem suam illa indubitata, sicut asserunt, in Imperio, & jure munita consuetudine fulcientes, qua dicunt electo in Regem Romanorum, secundum solitum morem Imperii ubi & a quibus debet, & postmodum per supradictum Coloniensem archiepisc. inuncto, consecrato, & coronato eo ipso regium nomen acquiri; & si electæ personæ impedimenta non obvient, vocandum sine dilatione aliqua per summum Pontificem ad coronam: ad id non solum morem Imperii approbatum, sed etiam quondam felicis recordationis Innocentii Papæ III. prædecessoris nostri decretalem epistolam allegantes; ac dicentes, per contradictionem memorati Regis Castellæ, vel electionem, quæ de ipso facta dicitur, petitionem præmissam non debere aliquatenus impediri; cum secundum prædictas consuetudines sit ei jam cujuslibet contradictionis via præclusa, & electio ipsa nulla fuerit ipso jure, utpote post annum & diem contra easdem Imperii consuetudines, & termino ad hoc statuto, de communi principum prædictorum consensu transacto, & post electionem tuam legitimam non cassatam, a solo nominato Trevirensi; qui propter nova pedagia, quæ in terra sua imposuit, erat tunc excommunicatione ligatus, nulla omnino forma servata; in camera ejusdem Treverensis archiep. contemptis aliis principibus, clandestine attentata: cum nullam ab eisdem principibus super hoc potestatem haberet; quam si etiam ab aliquibus habuisset, sicut quædam pro parte altera exhibitæ literæ innuebant; formam tamen ipsius, quæ secundum tenorem literarum ipsarum ad certam diem se tantummodo extendebant, non eligendo ipsa die, minime observavit.*

Literæ Alexandri Richardo favent.

Electio Alphonsi post annum & diem contra consuet. Imperii facta.

LVII. Alphonsi juris defensio.

*Ex parte vero supradicti Regis Castellæ per venerabiles fratres nostros Garsiam, Silvensem, & fratrem Dominicum Abulensem episcopos, ac dilectum filium magistrum Joannem capellanum nostrum archidiaconum Compostellanum, ipsius procuratores, actores, & negotiorum gestores generales & speciales omnes in solidum; ita quod occupantis non sit melior conditio; mandatum habentes ab ipso, ad petendum pro eo & suo nomine a nobis & prædictis fratribus nostris coronam Imperii, & assignari sibi diem ad recipiendum ipsam, & ad agendum, respondendum, defendendum, & tractandum jura sua & Imperii, & quicquid honori ejus expedire viderent, sive in ordinario, sive in extraordinario, judicio ageretur; fuit e contra propositum, quod prædictus dies octavarum Epiphaniæ non ad eligendum, sed ad tractandum super electione faciendi Regis & Imperatoris; & ad assignandum diem ad celebrandum electionem eamdem, non per omnes, sed quosdam ex ipsis principibus extitit assignatus. Qua die præfati Trevirensis archiepiscop. & dux Saxoniæ pro se, ac dilecto filio nobili viro marchione Brandeburgensi, qui eidem Trevirensi archiep. vices suas commiserat; necnon & procuratores memorati Regis Bohemiæ ad prædictum oppidum tamquam viri pacifici accesserunt. Supradicti vero Coloniensis archiepiscopus, & comes cum ingenti armatorum multitudine ad loca circumvicina ipsius oppidi advenientes, requisiti per Trevirensem archiep. ducem, & procuratorem prædictos, qui eorum impressionem verisimiliter formidabant, ut iidem oppidum intrarent cum societate decenti, de assignanda die ad electionem celebrandam, prout terminus exigebat, si ad hoc essent habiles, una cum ipsis pacifice tractaturi; non solum id facere contempserunt, verum etiam proprii prosecutores arbitrii præsumpserunt te in Regem Alemanniæ, non sine multo contemptu aliorum principum, nominare.*

Qui eum elegerint.

Colon. arch. & Palat. detrectant ingredi nisi cum armatis.

LVIII. *Memorati autem Trevirensis archiep. dux & pro-*



Objecta contra archiep. Colon. & Palat. ut inhabiles.

*curator nominationem hujusmodi attendentes penitus esse nullam (præsertim cum dicti Coloniensis archiep. pro eo, quod in bonæ memoriæ P. S. Georgii ad velum aureum diaconum Card. tunc legatum in Alemanniæ partibus manus injecerat, ac venerabilem fratrem nostrum Paderburnensem episcopum præsumebat detinere captivum, propter quod per eundem etiam legatum excommunicatus extitit; comes vero propter clericorum & religiosorum cædes & notorias captiones; & quia contra sententiam felic. recordationis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri, quondam Friderico olim Romanorum Imperatori & Conrado nato ejus præstiterat publice consilium, auxilium, & favorem; erant ipsius electionis tempore tam a canone, quam ab homine variis excommunicationibus innodati; & Maguntinus archiep. cujus idem Coloniensis archiep. se vices gerere asserebat, in vinculis teneretur; propter quod carens arbitrii libertate, præstare non potuit, prout jura exigunt, liberum in electione consensum, nec etiam de facto præstitit ad electionem celebrandam) certum terminum statuerunt subsequentem dominicam passionis, quo quidem termino usque ad proximam dominicam palmarum, continuato de die in diem; & memorato Maguntino tunc a vinculis liberato Coloniensi archiep. & comite requisitis, & nolentibus interesse; dictus Trevirensis archiepisc. a Rege Bohemiæ, duce, & marchione sibi super hoc potestate commissa, dictum Regem Castellæ suo & illorum nomine publice & solemniter in eodem oppido de Franchenford, Dei nomine invocato, in Romanorum Regem & Imperatorem elegit, & electionem ipsam omnibus astantibus publicavit: idemque Rex Castellæ, ipsa electione sibi per quamplures magnates Imperii, ad ipsum propter hoc in Hispaniam accedentes, postmodum præsentata, electioni consensit eidem. Ex præmissis sane iidem procuratores & nuntii prælibati Regis Castellæ, dicentes electionem ipsam ubi & a quibus debuit celebratam legitime, allegabant electionem eandem impediri non potuisse per tuam, quæ, sicut dicunt, nulla extitit ipso jure. Nam cum prædictus dies octavarum non ad eligendum, sed ad tractandum de statuta die, & ipsam statuendam ad electionem celebrandam novi Regis fuerit non per omnes prædictos principes, sed per aliquos ex eis, ut præmittitur, assignatus; qui etiamsi ad eligendum statutus fuisset per majorem partem eorundem principum, minoris partis non obstante contradictione, mutari & prorogari potuit & extitit prorogatus; constat electionem de te maxime per pauciores de ipsis principibus excommunicatos ipsa die octavarum factam nullam penitus extitisse.*

Colonien. & Magun. archiepisc. & comes renuunt accedere.

Archiep. Trevir. a Rege Bohem. march. Brand. & duce Sax. procuratione accepta Francofordii Alphonsum eligit.

Contendit Alphonsus Richardi electionem nullam.

*Excommunicationem etiam contra memoratum archiepiscopum Trevirensem objectam, & consuetudinem, quæ de celebranda a tempore vacantis Imperii infra annum & diem Regis Rom. electione præponitur, ac alias omnino negantes, allegabant, quod si veritate hujusmodi propositio fulciretur, electio tua, quæ quindecim diebus de ipso tempore adhuc exstantibus celebrata fertur, ex hoc etiam nulla esset: cum non licuerit minori parti, majori contempta, diem ultimam ipsius temporis prævenire. Per quæ apparere dicebant, quod electores ejusdem Regis Castellæ, nolendo die illo eligere, non fuerunt eligendi jure privati, nec si etiam, ut pars adversa proponit, ad minorem partem renuisset exire. Nam cum infra prædictum oppidum, de Franchenford Romani Regis & Imperatoris, & non alibi debeat electio celebrari, minor pars non poterat ad locum alium coarctare majorem. Adjecerunt præterea inunctionem, consecrationem, coronationem, ac possessionem prædictas, quam quidem possessionem omnino negabant; & cætera pro parte tua inducta, cum ex electione tua, quæ ut prædicitur, nulla extiterat, secuta fuerint; tanquam nulla, nullum potuisse tuo munimentum afferre, aut ejusdem Regis Castellæ juri præjudicium generare: subjungentes Coloniensem archiep. supradictam consecrationem, vel inunctionem, seu coronationem, quæ jus tribuant, dare non posse nisi ei, qui a majori & saniori parte prædictorum principum est electus: alioquin illa sequeretur absurditas, quod solus Coloniensis archiep. precibus inductus vel corruptus pretio, cui vellet Imperium dare posset.*

LIX. Non potuisse minorem electorum, numerum alios ad rem decernendam adigere.

LX. Argumentum de Alexandri literis confutatur.

*Quod autem de literis supradicti prædecessoris Alexandri præmittitur, in quibus tibi regium nomen dicebatur adscriptum, teque in prædictis regno & Imperio aliis fuisse prælatum, multipliciter confutabant; tum quia quoties coram ipso prædecessore Alexandro, ac fratribus suis de Imperii negotio agebatur, idem prædecessor Alexander publice asserebat, quod super eodem negotio nihil in dicti Regis Castellæ præjudicim attentaret; quod etiam ipsi Regi Castellæ per literas, & quondam A. de Ferentino suum capellanum & nuntium intimavit; propter quod prædictæ per te inductæ literæ merito sunt suspectæ, nec credendæ de ejusdem prædecessoris Alexandri conscientia emanasse; tum etiam quia si de ipsius conscientia & fratrum suorum consilio processissent, cum injuriosæ sint, debent merito revocari. Unde iidem Regis Castellæ procuratores & nuntii electionem de ipso factam, electione tua prædicta, & iis, quæ pro te fuerunt objecta, nequaquam obstantibus, fore legitimam, utpote celebratam a majori parte ipsorum principum*

*pum, quos iidem procuratores & nuntii variare non potuisse allegant, & variasse non credunt; immo fictione juris ab omnibus, cum alii utpote inhabiles electioni non potuerint, vel saltem noluerint in loco solito & tempore debito interesse, ac ipsum potiorem in prædictis regno & Imperio arguentes; cum instantia postularunt ipsi Regi Castellæ consuetum favorem &c. ut in alia usque observatum fuisse dicebant, ad hoc prædictam decretalem epistolam inducentes: eisdem autem præfati Regis Castellæ nuntiis petitioni prædictæ, &c. ut in alia usque in finem.*

LXI. Cur producta controversia.

Retardarunt Anglicanæ turbæ, quibus Richardus implicitus erat, ne Imperii controversia dirimeretur, de quibus inferius. Scripsisse vero eodem argumento Urbanum ad Alphonsum Castellæ Regem, ut suam vicissim causam tueretur, abunde colligitur: quem quidem parta rebus in Hispania gestis gloria admodum commendabat. Retulerat ipse de Sarracenis Hispanicis plures victorias, ac late Christianum nomen amplificarat: atque hoc ipso anno Mahomadem Granatæ & Hudielem Murciæ Reges, qui in ipsum armorum coitionem fecerant, ac Marrocio auxilia exciverant, contudit (*a*). Contraxisse ingentes copias ea industria, refert Mariana, (*b*) cum vectigalis immunitate plures voluntarios pellexisset ea lege, ut annis singulis trium mensium spatio cum armis & equo ipsius castra sequerentur. Intentum bello Maurico Pontifex summis laudibus decoravit in ea epistola, qua ipsius pium consilium eligendæ in templo S. Cruci sacro sepulturæ in insula Gaditana, quæ in freto Herculeo jacet, collaudavit, præcepitque eo flagitante auctoritate apostolica, ut nullus, si in eo consilio perstaret, opponere sese auderet. Susceperat ideo hujusmodi consilium eximius princeps, quia ea insula invadendæ Africæ ob commodissimum portum magni rei Christianæ momenti videretur, ac si ipsius cineres in ea jacerent insula, ea re Hispanos Reges ad eam a Sarracenis defendendam excitatum iri: quare Gaditanum oppidum, ut Sarracenis terrorem iniiceret, altissimis mœnibus fortissimisque propugnaculis munivit.

Alphonsus Mauros Reges comprimit.

(*a*) *Marian. de reb. Hisp. l. 13. c. 15.*

(*b*) *Id. ib.*

Sequentibus regia castra vectigalis immunitatem spondet.

*Regi Castellæ ac Legionis illustri.*

*Excelsum fecit in terris, qui habitat in altissimis Deus, pro eo potissime regnum tuum ipsius terminos magnifice dilatando, quod regia celsitudo suam ab ipso, qui eam sibi tribuit potentiam, gratitudine debita recognoscens, non ad oppressionem fidelium, sed propagationem fidei, & divini cultum nominis per populorum multiplicationem fidelium augumentandum adversus nationes exteras jugiter experitur. Ex hoc namque ipse Deus tam progenitores tuos, quam & tuam magnificentiam exultationis, & lætitiæ oleo præ particibus tuis ungens, tibi nomen fecit grande supra nomen magnorum, qui sunt in terra, tibi & dicto regno in rore cœli, & terræ pinguedine uberrime benedictione impensa, propter quod Romana ecclesia mater tua super te filio benedicto & Christianissimo principe jucundatur & gaudet; ac preces ad Deum fundit assiduas, ut ab omni te adversitate custodiens, concedat quod per regnum temporale, quod obtines, felici commercio tibi pateat expeditius transitus ad æternum.*

Cur sepulcri locum in Gadibus delegerit.

De ea re Urbani ad Alphonsum lit.

Amplissima elogia in eum collata.

LXII. Collaudat illius consilium in Gadibus sepulcrum delegisse.

*Et quidem plura sunt, & maxima, quæ de regalis excellentiæ virtuosis, & strenuis actibus recenseri possunt: sed admirandum nostris nuper venit insinuatione regia sensibus, & stupendum propositum, quod de regalis corporis sepultura non a suggestione humana, sed a spiritu Domini concepisti: per quod liquido datur intelligi, quod pro fide dilatanda catholica, & fidelium robore decertare cupias etiam rebus humanis exemptus, ut quod vivens regium corpus nondum efficere potuit, efficaciter exanime in tuæ salutis compendium prosequatur. Nam cum insula Gadicensis, in qua, ut asseritur, est maris portus accommodus & tranquillus, propter mediterranei structuram maris Africæ sit infesta plurimum; & ad ejus conquisitionem janua possit esse fidelibus, si superexcrescentibus Christianis incolis repleatur; tu id tamquam fidelissimus princeps prudenter attendens, ut tua clara memoria postquam in Domino requieveris, Reges, qui tibi successerint, ad ipsius loci custodiam & augumentum animet & inducat, ac propter hoc fideles populi libentius inibi eligant incolatum; apud ecclesiam sanctæ Crucis quam in ipsa insula loco dicto Caliz, ut taceamus de fulciendis nunc per te herculeis ædificiis & mœnibus restaurandis antiquis, miro facis opere fabricari; quamque nos ad tuam instantiam per nostras literas pontificalis cathedræ titulo decorari mandamus, elegisti deliberatione pia & provida sepulturam, a nobis suppliciter postulans, ut quod a te de sepultura hujusmodi pro fidei, fideliumque favore factum est, apostolicæ acceptationis robore munientes, id adimpleri districtius mandaremus.*

Eam insulam adversus Mauros munivisse.

Ecclesiam S. Crucis cathedralem constituisse significat.

LXIII.

*Nos itaque cum nullus ibi de tuis majoribus, cujus ad id affectione traharis, fuerit tumulatus, verisimili conjectura tenentes, quod hæc laudabilis & accepta Deo, ut credimus, dispositio regiæ sepulturæ de fidei & charitatis fervore tantum processit, tuis postulationibus annuendo, eam gratam & acceptam habemus; auctoritate præsentium universis clericis & laicis, quorum intererit, sub pœna excommunicationis districtius injungentes, ut te circa sepulturam ipsam in dispositione hujusmodi finaliter perdurante, cum de hac luce Deo*



*Deo vocante migraveris, corpus tuum honorifice in dicta ecclesia sanctæ Crucis, quantum in ipsis fuerit, faciant sepeliri, nec aliquatenus super hoc venire præsumant contra regiam voluntatem. Nulli ergo &c. Dat. apud Urbemveterem XII. kal. septemb. anno II.* Silere aliud eximii erga Hispanos studii pontificii signum non possumus, qui ad restituendum Palentiæ literarium decus, quod admodum defloruerat, apostolica auctoritate eas prærogativas Palentiæ doctoribus, ac scholasticis, quibus Parisiensis alteriusve loci academia potiretur, impertiit, (*a*) ut Hispanos ad scientiarum decus cum armorum gloria conjungendum incitaret. Jam ab Hispanicis rebus ad Italicas nos convertamus.

Palentina academia privilegiis decorata.

(*a*) *Ib. ep.* 103.

LXIV. Res Italicæ.

Manfredus ad dicendam causam a Pontifice vocatus.

Non subjecerat modo suæ tyrannidi Siciliam Manfredus, verum confirmatis viribus Italiæ quoque dominium affectabat, ac marchiam Anconitanam, aliasque ditionis ecclesiasticæ terras invaserat. Quem ut coerceret Pontifex, legibus primum agendum censuit. Indixerat ei diem anno superiori, ut se Apostolicæ sedi ad objecta diluenda sisteret; ac de Ariana civitate excisa, Thomasii aliorumque nobilium crudelissima nece, effuso multorum innoxio sanguine, oratore Conradini per insidias & scelus trucidato, contempta ecclesiastica auctoritate, coactis ad divina coram excommunicatis facienda sacerdotibus, impenso Sarracenis favore, vectigalibus attritis populis, exhaustisque pauperum opibus purgaret. At Manfredus sive ut Pontificis studia inanibus officiis ac ficta submissione eluderet, sive ejus gratiam conciliare ad avertenda imminentia pericula cuperet, proposuit oratorum opera velle se in tanto negotio non procuratorio nomine, sed præsentem respondere. Verum Urbanus, ne quas vafer & improbus vir insidias artesque instrueret, nonnullas ipsi leges, si accederet, præscripsit, quas si infringeret, denunciavit tutum iter sibi non futurum; aliarumque pœnarum minas incussit, quas subjecto diplomate (*b*) complexus est: misitque viros graves, qui ipsum ad servandas propositas leges, antequam itineri se accingeret, sacramento adigerent.

(*b*) *Ep.* 13.

*Universis nostris, & Ecclesiæ Romanæ cæterisque Christifidelibus.*

LXV.

*Olim in die Cœnæ Domini proximo præterito, quo videlicet die annis singulis, apud sedem Apostolicam de universis mundi partibus innumerabilis fidelium convenit multitudo, Manfredum quondam Principem Tarentinum super certis articulis præsente ipsa multitudine manifeste citavimus, ut in kal. aug. proximo præteritis coram nobis per se, vel per solemnes procuratores cum sufficienti mandato comparere curaret, facturus & recepturus super illis, quod justitia suaderet: videlicet super destructione civitatis Arianensis, quam per Saracenos fecit funditus dissipari, & super interfectione turpissima Thomasii de Oria, & Thomasii de Salice, ac super crudeli & proditiosa occisione Petri de Calabrea comitis Cataneani, & horrenda effusione sanguinis multorum fidelium; nec non super eo, quod in derogationem auctoritatis ecclesiasticæ, vel censuræ, quæ fulcimentum est catholicæ fidei atque robur; & in ipsius detractionem fidei pluribus jam annis sibi fecit, & facit adhuc publice celebrari, vel quantum in eo est potius profanari divina: quod non caret scrupulo hæreticæ pravitatis. Et citatus propter hoc a felic. recordationis Alexandro Papa prædecessore nostro, quia in præfixo ei termino, nec post etiam comparere curavit, fuit per prædecessorem eumdem excommunicationis vinculo hac de causa specialiter innodatus.*

Quæ objecta Manfredo scelera.

Ariana civitas excisa.

Proceres Siculi trucidati.

Violata ecclesiastica interdicta.

Contumacia in Alexandrum IV. judicio illum postulantem.

LXVI. Sarracenici ritus suscepti.

Sicilia tyrannide oppressa.

*Super eo etiam quod ipse Saracenorum ritus, illosque in suis quotidianis obsequiis notabiliter secum tenens, & præferens Christianis in opprobrium fidei orthodoxæ, regnum ipsum Siciliæ ad servilem, & ignominiosum statum redegit, ejus incolis & habitatoribus propter acerbas & intolerabiles exactiones vix valentibus respirare; ac super dira nece proximis sibi sanguine illata per ipsum. Super eo insuper quod Conradum Bußarii nuntium & vassallum Conradi pueri, nati quondam Conradi filii quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, fecit proditionaliter trucidari: & super enormibus & fœdis ejus excessibus, de quibus manifesta infamia denotatur; & pluribus aliis, quæ in hujusmodi nostræ citationis forma plenius continentur.*

Orator Conradini trucidatus.

LXVII. Objecta flagitia diluere Manfredus nititur.

*Sed idem Manfredus quondam princeps Tarentinus suos nuncios tunc ad præsentiam nostram misit, qui aliqua pro eo in nostro consistorio proponentes, nisi sunt eumdem multipliciter excusare. Nos autem auditis & intellectis quæ iidem proposuere nuncii, duximus fore in negotio per viam inquisitionis in iis, in quibus opportunum foret, & alias etiam procedendum, prout videremus secundum justitiam expedire. Verumtamen quia quidam ex fratribus nostris absentes erant, & plures ex iis, qui tunc aderant, non erant moram continuaturi nobiscum; hujusmodi nostrum processum usque ad octavas festivitatis B. Martini proximo futuræ duximus suspendendum, prædicentes quod ex tunc in præfato negotio, prout suaderet justitia, procedere curaremus.*

LXVIII. Fingit ad causam defendendam accessurum.

*Eodem igitur appropinquante termino, idem Manfredus, judicem Aitardum de Venusio, & Joannem de Brundusio notarium familiares suos ad sedem Apostolicam destinavit, qui a nobis & prædictis fratribus cum instantia petierunt, ut cum idem Manfredus tam arduum, tamque grave,*

*ve, ac grande negotium aliquibus committere nunciis, seu procuratoribus non intendat; sed velit pro illo personaliter nostro se conspectui præsentare, & securitatem ei plenariam & licentiam veniendi ad nos tute per terram, & districtum Ecclesiæ largiremur. Nos autem volentes super iis, præsertim cum fidei negotium agatur, specialiter in hac parte cum ea maturitate ac gravitate procedere, ut processus noster nequeat aliquorum detractorum morsibus, vel obloquiis subjacere; petitam securitatem eidem Manfredo de fratrum nostrorum consilio sub certa forma, inferius annotata, in veniendo hac vice pro eodem negotio, & morando ac per octo dies, in quibus exire possit, terram Ecclesiæ, postquam a nobis licentiam redeundi habuerit, tenore præsentium elargimur: dantes ei licentiam & liberam facultatem ingrediendi propter hoc terram, & districtum Ecclesiæ, ac tute ad nos per terram, & districtum hujusmodi veniendi: & universis nostris, & ipsius Ecclesiæ fidelibus firmiter inhibentes, ne ipsum cum infrascripto armatorum, ac personarum, & evectionum numero ad nostram præsentiam accedentem, in persona, vel rebus turbare, vel offendere, seu quomodolibet molestare, aut impedire præsumant.*

Leges ab Urbano ei impositæ.

Vetatur exercitum ducere.

LXIX. Adigitur sacramento ecclesiasticam ditionem non turbaturum.

*Verum quia ipse tamquam temerarius ad terram Ecclesiæ, sicut evidenter apparet de marchia Anconitana, & nonnullis aliis terris ad Ecclesiam ipsam spectantibus, violentas manus extendit; volumus ad præsens hoc saltem modo nobis, & eidem Ecclesiæ ab hujusmodi suis temeritatibus præcavere, quod non in occulto, sed in dilecti filii fratris Gualasci de ordine fratrum Minorum pœnitentiarii, & Jacobi præpositi Ebredunensis cappellani nostrorum has literas deferentium, & plurium aliorum præsentia corporale juramentum exhibeat, vel per alium in animam suam faciat exhiberi, quod nullos armatos nullasque personas, & evectiones ducet, nec patietur venire secum ultra numerum infrascriptum; & quod sic veniendo, vel morando, aut redeundo Ecclesiam vel terram, seu fideles ipsius non offendet, nec per suos offendi faciet, vel permittet; neque operabitur, vel machinabitur aliquid in dispendium Ecclesiæ, terræ, aut fidelium prædictorum; quodque moram nisi tantum in prædictis octo diebus in terra ejusdem Ecclesiæ non faciet, plusquam ei fuerit de licentia nostra permissum.*

LXX. *Cæterum quia ubi de negotio fidei agitur, omnis sinistræ suspicionis, violentiæ, vel impressionis cujuslibet est prorsus amovenda materia; ne labores & studia, quæ pro laude Dei, & prospero statu suorum fidelium impenduntur, in eorum quod absit, dispendium convertantur; propter quod sic intendentes eidem Manfredo in hujusmodi suo adventu ad nos de opportuna securitate consulere, quod in turbationem ipsius negotii non redundet, ac tranquillus status terrarum ejusdem Ecclesiæ non turbetur; ipsi Manfredo auctoritate apostolica districtius prohibemus, ne ultra octingentarum personarum, de quibus possint esse centum dumtaxat armatæ, & septingentarum evectionum numerum, quem eis auctoritate prædicta taxamus, ad sedem Apostolicam secum ducat: immo quod contra formam prohibitionis hujusmodi, terram ipsius Ecclesiæ aliquatenus ingredi non attentet. Si enim contra hujusmodi taxationem nostram terram ingrederetur eamdem, tunc manifestum esset & liquidum, quod ipse non ad subeundum Ecclesiæ judicium, ut pacificus & quietus accederet, sed potius tamquam hostis ad impedimentum, & confusionem negotii fidei orthodoxæ, quod agitur, ve in eo debitus posset haberi processus; & ad turbationem status ipsius terræ, ac eorundem fidelium prosiliret: propter quod si id fieri contingeret, liquidius, & evidentius de pravitate hæretica suspectus, & notabilis redderetur, nosque liberius & rationabilius possemus super hoc procedere contra eum: cum impedire, vel confundere dictum negotium esset evidenter fovere hujusmodi hæreticam pravitatem.*

Præscriptus illi armatorum numerus adducendus.

LXXI. Præfixas leges violanti incussæ pœnæ.

*Quod si forte ingredi terram eamdem hujusmodi non præstito, ut dictum est, juramento vel plures armatos, personas, & evectiones duxerit, vel secum venire permiserit, quam taxatio prædicta contineat, spreta prohibitione prædicta; aut longiorem moram, nisi solum in præfatis octo diebus, traxerit in eadem terra, postquam a nobis habuerit licentiam redeundi; vel in veniendo, aut morando, seu redeundo Ecclesiam, aut terram vel fideles ipsius offenderit, vel fecerit, seu per suos permiserit offendi; aut operatus, vel machinatus fuerit aliquid in dispendium Ecclesiæ, terræ seu fidelium prædictorum; eo ipso sit anathematis vinculo innodatus, & nihilominus hujusmodi nostræ securitatis literæ vacuæ sint penitus & inanes, nullam ei securitatem, quomodolibet tribuentes. Prædictos autem pœnitentiarium & cappellanum, viros utique providos & discretos, & nobis ac fratribus nostris acceptos, ad eundem Manfredum duximus destinandos, ut ei literas easdem assignent, & referant sibi nihilominus ex parte nostra præmissa omnia viva voce: quodque prædictum juramentum in eorum præstetur præsentia, sicut superius est expressum. Dat. apud Urbemveterem III. id. novembris anno II.*

LXXII. (a) Theod. Vallic. apud Masson. de Episc. Urb. l. 5.

Non admisit dictas sibi leges Manfredus, de quo ait Theodoricus Vallicolor (a).

*Nil*



*Nil veri tenuit, immo perjuria verbis*
*Ipsius, & fraudes actibus ejus erant.*

Manfredus fidem violat.

Perrexit itaque vafer tyrannus Pontificem insectari bello, miscere Urbem tumultibus, ejusque dominium affectare: Picenum vexare, in patrimonium B. Petri irrumpere, imo etiam Urbanum suæ tyrannidi subiicere molitum narrat memoratus Theodoricus: atque ob id Joannem Marerium, qui Saracenorum & aliorum impiorum exercitui præerat, Apuensem urbem opprimere conatum, ut adjunctis sibi Etruscis Gibellinis, ac Petro e Vico, & Germanis, Urbem veterem, ubi Pontifex & Cardinales versabantur, expugnaret. Auctoris incultos versus ad rem confirmandam afferimus.

Oppugnat Pontificem.

*Nam Florentini, Pisani, deinde Senenses,*
*Petrus de Vico Theutonicique sui,*
*Summum Pontificem cum fratribus Urbevetanis*
*Tentassent ab eis obsidione capi.*
*Ut patre sublato, juxta temeraria cordis*
*Manfredi placita, flaret in orbe pater.*

Addit Theodoricus insana consilia a numine dissipata, Joannemque Marerium insigni clade affectum a crucesignatis, fugatumque. Nec solum in Italia ad religiosam militiam accepto crucis symbolo profitendam vocabat fideles pro defendenda Ecclesia Urbanus, sed in aliis quoque provinciis: & in Sardinia quidem Arborensis archiepiscopus Sardos cruce insignibat, inter quos Guillelmus Toparcha Arborensis sacro bello se devovit. Districtæ præterea in Manfredianos censuræ, quibus Recanatenses, quorum urbs ob securas Manfredi partes episcopali dignitate exuta fuerat, reversi ad obsequium soluti (a) sunt: Florentini aliorum commercio interdicti, eorumque bona proscripta.

(a) Lib. 3. ep. cur. 30. Ibid. pag. 142.

LXXIII. (b) S. Ant. 3. par. tit. 19. c. 7. §. 4.

Cecidisse (b) sub Manfredi tyrannidem Florentinos superius vidimus, cum cæso juxta fluvium Arbiam eorum exercitu consternata plebs victoris jugum accepit: qua etiam clade Lucenses, qui una cum Florentinis sociis expugnandarum Senarum spe profecti (c) fuerant, involuti; ac plures ex ipsis strenui milites in captivorum numerum, qui ad quatuor millia ascenderat (d) venerant (e): in quos Senenses ultionis appetitu efferati (f) crudeliores se præbuere: diris enim ipsos carceribus macerarunt, utque graviori ac intolerabili ære se redimerent compulere. Flexus igitur ad misericordiam Urbanus, tum partium studio, cum Lucenses Ecclesiæ causam in Manfredum tuerentur; tum apostolici muneris religione ductus, gravissimis literis Senenses ad mansuetudinem traducere nisus est (g).

(c) Id. ib. §. 3.

(d) Ib. §. 4.

(e) Jo. Villan. l. 6. c. 87.

(f) MS. Vall. sig. lit. C. n. 49. pag. 143.

*Potestati, capitaneo, antianis, consilio, & communi Senensi spiritum consilii sanioris.*

(g) Ext. ibid.

Urbani lit. ad Senen.

*Non sine turbatione mentis attendimus, sed referimus cum dolore, quod vos quasi penitus ignorantes, quod Dei benignitas ad pœnitentiam vos adducit, iram vobis thesaurizatis in die iræ secundum cor impœnitens, & vestram duritiam obstinatam, dum Deum, nos, & Romanam ecclesiam damnabiliter contemnentes, nostra monita & præcepta, quibus apud vos frequenter institimus, ut Lucanos captivos; quos quidem deberetis in manus vestras potius occulto Dei judicio, quam virtute propria traditos existimare; redderetis pristinæ libertati, non solum exaudire contumaciter renuistis, verum etiam viam facientes semitæ iræ vestræ, carceris durioris angustias exaggerastis postmodum & exaggeratis in ipsos, ac exactionum onera importabilia, sicut infausta nuper relatione didicimus, inculcatis. Nunquid non hæc attendenti patri tristitiam ingerunt? Nunquid non referentem doloris acerbitate respergunt? Profecto in iis & captivis ipsis compatimur, & vobis nihilominus condolemus. Licet enim vos, adhærendo inimicis Ecclesiæ, ac ipsius tam graviter persequendo fideles, & aliis innumeris contemptibus & offensis nos & eamdem impetatis Ecclesiam, & ad iracundiam multipliciter provocetis; nos tamen illius vices gerentes, licet immeriti, qui cum iratus fuerit non obliviscitur misereri, maternæ dulcedinis non possumus oblivisci, quin vos, quos devotos filios experiri deberet Ecclesia, doleamus acerbe sic in regionem dissimilitudinis abiisse: quin amare turbemur, quod vos, quorum salutem appetimus, & ex officii debito procurare tenemur, non solum ea, per quæ potest eadem provenire, contemnitis, sed etiam in contrarium laboratis. An ignoratis; quod pietas ad omnia utilis promissionem vitæ præsentis habeat & futuræ? An nescitis, quod evangelica veritas misericordes beatos asserit, & ipsis misericordiam pollicetur? Nonne nostis scriptum esse, quod qui misericordiam non fecit, judicium sine misericordia patietur? Quomodo igitur sic efferato animo quadam ferali sævitia, & omni quasi naturæ humanæ, quæ inter homines cognationem quandam constituens, alterum insidiari alteri censuit nefas esse, fœdere dissoluto, in homines arbitrio vestræ voluntatis expositos sic inhumane sævitis? Certe adeo ipsis etiam animalibus ratione carentibus est insita pietas a natura, quod eorum aliqua quadam generositate prædita inoffensos præterire dicuntur, quos antea impulerunt: & vos, proh pudor! sic ferarum ferocitatem exceditis, quod in eos, qui ante faciem ve-*

Proponit ob oculos divinas in ipsos iras asperari.

In Lucanos crudelia odia exercere.

Misericordiam, divinæ intuitu, exuendam non fuisse.

*vestram, prout Domino placuit, cecidere, immanitates multimodas exercetis; non attendentes, quod animus hominis eo debet esse clementior, quo potest esse vehementior ad nocendum, & quo magis illius misericordiam imitari tenetur, ad cujus imaginem est formatus: ut sicut Pater cœlestis misericors est, sic & homines, quantum patitur humana fragilitas, misericordes se studeant exhibere. Cæterum quia mensura qua mensus quis fuerit, remetietur eidem, desideramus vos diem disceptationis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ut in ejus aspectu, qui in æquitate populos judicabit, æqualia meritis tribuendo, non vos contingat severitatis subire judicium, sed ipsius potius misericordia præveniri.*

Eo promptius explicandam clementiam, quo potentia auctiores fuerint.

LXXIV. *Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pro divina, & Apostolicæ sedis reverentia prædictis captivis exactiones hujusmodi sine difficultate, qualibet remittentes, ac nullas de cætero imponentes eisdem, ipsos vel omnino libertati reddatis; vel saltem sic leniter, sic benigne, sic humane tractetis, quod illius misericordiam, cujus miserationes super omnia opera ejus, exinde non immerito sperare possitis. Aliqui, cum eisdem captivis nos deesse non deceat, mercatores ac alios cives vestros, & ipsorum debita per varias mundi provincias mandabimus detineri, ac ipsis captivis pro eisdem exactionibus de præfatis debitis satisfieri faciemus ad plenum: & contra vos ac civitatem vestram, tam per privationem bonorum & privilegiorum, commune vestrum, seu singulares personas contingentium, quam alias spiritualiter & temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus.*

Ni diras exactiones remiserint, pœnas intentat.

LXXV. Incussit similes minas Pisanis Urbanus, ut ipsos ab insectandis Lucensibus, viribus ex accepta memorata clade attritis, abduceret, atque a Manfredi partibus ad Ecclesiam revocaret. Tentarat id quidem antea, misso Gualone apostolico nuncio, quem Manfredi studio turpiter Pisis exire coegerant: nec tamen ex ea accepta injuria destitit Urbanus, sed cœptis Mansuetum Minoritam, Sigerum e Saxen Prædicatorum priorem, ac Guidonem A. S. N. jussit incumbere: ad quos plures extant literæ (*a*). Increpuit etiam senatum populumque Pisanum, (*b*) ut eos flecteret ad officium: objecitque quanto ingrati animi vitio se inquinassent, qui post accepta tot ab Ecclesia beneficia semper cum persecutoribus illius ac tyrannis sensissent; ac post immane illud flagitium, quo sacrilegis manibus in Cardinales & antistites, qui a Gregorio IX. ad concilium Romanum celebrandum adversus Fridericum exciti erant, injectis, se devinxerant; in gratiam facile admissi, mox defecissent turpiter ad Manfredum conjunctique Ecclesiæ hostibus illius fœderatos & clientes Lucenses scilicet, bello lacesserent.

(*a*) *Lib.* 2. *ep.* 129. 147. 179. 180. 181. 182. 183. & *l.* 3. *ep. cur.* 32.
(*b*) *Extant apostolicæ lit. in MS. Vall. C.* 49. *p.* 143.

*Considera*, inquit, *considera, populo, quod inviti, & dolentes referimus, usque adhuc duræ cervicis: populo dure corde, perceptæ ab Ecclesia benignitatis immemor, ingrate. Considera quæsumus & attende, qualiter ab olim inimicis Ecclesiæ contra ipsam astiteris: quam graves & amaras offensas, reverentiæ filialis debito relegato, eidem variis temporibus irrogaris, in ipsius membra præcipua, ecclesia Romanæ videlicet Cardinales, & prælatos alios, ut cætera taceamus, non solum manus iniiciendo sacrilegas, sed ipsos etiam captivando. Hæc fecisti: sed eadem Ecclesia, gestans ubera piæ matris, nec virgam paternæ castigationis omittens, & tacuit differendo vindictam, & arguendo ad correctionem tui te multipliciter invitare procuravit. Reminiscere itaque miserationum ipsius, & exuberantem erga te suæ charitatis affectum diligenter attende. Nonne quidem has, & alias a te illatas innumeras dissimulavit injurias? Nonne siluit? Nonne in te ad ipsam, licet sero, redeunte quievit: immo etiam te benigne, ac gratanter admisit? Nec tamen adversus eam eo magis vestra cessavit adversitas, sed vos in arcum perversum subita & damnabili mutatione conversi, tergum, non faciem vertistis eidem, nec ab ipsius persecutione solita destitistis. Quinimmo dum sedes Apostolica in vobis, quos sibi per exhibitionem tantæ gratiæ tamquam speciales filios vendicabat, secura quiesceret, vos Manfredo quondam principi Tarentino, inimico & persecutori manifesto sedis ipsius; excommunicationis & interdicti sententias, quas in adhærentes eidem, & vos specialiter propter hoc tam nos, quam dilectus filius magister Gualo notarius noster in partibus Tusciæ Apostolicæ sedis legatus justitia exigente protulimus, damnabiliter contemnentes; contra inhibitionem sedis ejusdem in ipsius grave dispendium adhæsistis: ac injurias accumulantes injuriis, & offensas inculcantes offensis, eodem legato, non sine gravi sedis memoratæ contemptu, de civitate vestra; cum spretis omnino ejus monitis præfato Manfredo, ipsius etiam receptis nunciis, pareretis, propter quod legatus ipse tute morari non poterat; exire coacto, cum capitaneo & aliis complicibus & fautoribus Manfredi ejusdem, Lucanos & alios nostros & ecclesiæ Romanæ fideles studuistis semper, nec adhuc desinitis impugnare.*

Urbani lit. ad Pisanos.

Proponit ob oculos injurias ab illis inflictas.

Cardinales & præsules ad concilium evocatos cepisse.

Admissos post immane illud scelus in gratiam.

Turpiter tamen iterum ab ecclesia defecisse.

Adhæsisse Manfredo ejus hosti.

Censuras eccles. sprevisse.

Legatum A. S. ejecisse.

Lucanos invasisse.

*Nunquid hoc meruit offensionum vestrarum tam prompta remissio? Nunquid hoc reconciliationi vestræ tam gratanter acceptæ, tamque acceptatæ faciliter debebatur. O utinam perceptas a prædecessoribus nostris, nobis, & Ecclesia ipsa gratias & excessus multiplices, quos in eandem Ecclesiam, nos, & fideles prædictos commisistis hactenus, & multiplicatis assidue, quibusque in vos iram Domini provocatis, in statera recti libraminis appendere studeretis! profecto illi quasi arena maris graviores comparatione hujusmodi apparerent, argueretque vos vestra malitia, & tam reprehensibilis aversio increparet. Attendite, filii, attendite quæsumus, utinam filii non privigni, quod ex continuatione talium saltem nostris temporibus eo detestabilioris ingratitudinis notam incurritis, quo majorem a nobis, dum præfatæ Hierosolymitanæ curam gereremus ecclesiæ, ac utiliorem in vestris necessitatibus spiritualiter & temporaliter efficaciam percepistis: ad correctionem nostram corda vestra convertite, nec sit vobis delectabile amplius contra nos & fideles eosdem aggregare de cætero tantarum congeries offensarum. Cæterum quia clamavimus hactenus, nec extitit qui audiret; vocavimus, & contemptibiliter renuistis; manus nostras extendimus, & qui aspiceret non fuit in vobis: sed despexistis nostra consilia, & increpationes neglectui tradidistis: en vobis spiritum nostrum ostendimus, & proferimus verba nostra, & cum ad excusandas excusationes in peccatis colorem quærere consueveritis, de contentionibus, & querelis, quas contra memoratos Lucanos vos asserebatis habere; nos ut de cætero hujusmodi cesset occasio, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus super prædictis cum eisdem Lucanis, qui in hoc ad mandatum nostrum consentire curabunt, in aliquos probos, & idoneos viros infra instantes octavas B. Martini compromittere studeatis, & a prædictorum fidelium molestatione quomodolibet desistentes, ac a præfatis Manfredo, & fautoribus recedentes omnino, aliquos solemnes nuntios sufficiens ad hoc & plenum a vobis mandatum habentes, ad præsentiam nostram circa eandem terminum mittere procuretis, &c.* Addit minas, eorum urbem archiepiscopali dignitate exutum iri, ni justis imperiis obsequantur.

LXXVI.

Jubet eos ad sedem Ap. oratores mittere.

LXXVII. Obduruere (*a*) in pertinacia Pisani, a quibus Lucanos atroci bello petitos, ac pluribus attritos cladibus Ricordanus (*b*) & Jo. Villanus (*c*) docent; extantque ad eosdem Lucanos in vetusto M. S. pergameno nostræ Vallicellanæ bibliothecæ literæ (*d*) pontificiæ, quibus ipsos Urbanus ad constantiam confirmat, ne eorum susurris subornari se patiantur, qui ipsos in Manfredi partes student dolo pellicere, ut miseræ mancipent servituti: *Prospera*, inquit, *quæ de manu Domini suscepistis debita commemoratione pensantes, illud adversitatis, quod novissime vestris, cum Pisanis Domini & Ecclesiæ inimicis confligentibus, accidisse dicitur, levius supportate. Si enim considerare velitis, quanta virtute, quam laudabili fama vobis dedit Altissimus eis hactenus non solum eis resistere, sed etiam de ipsis, eos debilitando viribus, depauperando rebus multipliciter triumphare, profecto patienter sustinebitis, si post recuperatum viriliter castrum, quod proditorie per ipsos fuerat occupatum, vobis contra eos per omnia non cessit ad votum. Estote itaque forti animo, nec corda vestra concidant a facie alicujus adversi: sed recensentes attente, quam fideliter, quamque constanter vos & progenitores vestri pro vestra, & civitatis vestræ libertate tuenda indefesso studio, & intrepidis animis laborastis, in fidei vestræ constantia perseverare studete: nec accommodetis aures vestras fallacibus suggestionibus aliquorum, qui Manfredi quondam principis Tarentini persecutoris Ecclesiæ, salutis vestræ ac libertatis æmuli, vos forsan libenter addicerent servituti, &c.* Succubuisse demum Lucenses, atque ad Manfredi partes desciviisse, refert Ricordanus, (*e*) cum cincti undique hostibus essent, & jam pluribus oppidis ab hoste mulctati, tum ut captivos a Senensibus in vinculis ex clade Arbiana tentos reciperent; initaque tacita coitione Florentinos exules aliosque Guelpharum partium Luca pepulisse: quam rem hoc anno auctor consignat.

(*a*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 31.
(*b*) *Ricord. hist. Flor. c.* 173.
(*c*) *Jo. Villan. l.* 6. *c.* 184. 185. 186. 187.
Detrectant Pisani apostolica imperia. Lucanos solatur.
(*d*) *Cod. Vallic. sig. lit. C. n.* 49. *pag.* 147.

Veterum victoriarum refricat memoriam.

Ne dolis studentium ipsos in patres Manfredi trahere circumscribi se patiantur.

Parum valuere pontificia monita.

(*e*) *Ricord. c.* 172. *Jo. Villan. l.* 6. *c.* 86.

LXXVIII. Depressa adeo ecclesiastica res erat, ac Pontificis fœderati Manfredi potentia in eas adducti angustias, ut cinctus undique periculis Urbanus (*f*) externa auxilia evocarit. Provinciam anno superiori traditam Alberto notario nuncio apostolico vidimus, ut cum Carolo Andegaviæ comite de transfundendi in ipsum Siculi regni legibus agitaret; nil tamen cum ipso statueret. Cumque ferocientem in dies Manfredum atque Ecclesiam insectantem, ac Saracenos audacia & scelere invalescere in Apulia videret, Cardinalium, archiepiscoporum, & episcoporum synodum, ut refert Ricordanus, (*g*) coegit, ac Manfredi sceleribus expositis ex patrum consilio Carolum Siciliæ Regem designavit ea lege, ut Ecclesiam ab hostium suorum injuriis vindicaret, regnumque armis tyranno deriperet; de quo hæc Theodoricus rudi carmine. (*b*)

*Cognoscens igitur pater hæc, orbisque saluti*
*Campatiens, versat plurima corde suo.*
*Italiæ strages & bella retundere nitens,*
*Siciliæ regnum, quod mala tanta tulit,*
*Et Græcos servare fidem, conamine toto*
*Pensans; consuluit quid faceret super his.*

(*f*) *Urb. l.* 2. *ep.* 163. 164. 168. 169. Guelphos Luca depellunt. Accersere externa auxilia meditatur Pontifex. Urbanus Siciliæ regnum in fratrem S. Ludov. transfert.
(*g*) *Ricor. c.* 175. & *Ant.* 3. *p. tit.* 19. *c.* 13. *ante* §. 1.
(*b*) *Theod. Vallic. apud Massov. de epis. Urbis l.* 5.

Ad

*Ad regale genus Francorum, catholicumque,*
*Dulciter inflexit cor pietate gemens.*
*Magnifico Carolo comiti bonitate probato,*
*Siciliæ regnum conditione dedit.*

De cœpto tractatu intelligendum est, qui in plures annos extractus. Legavit itaque Cusentinum archiepiscopum ad S. Ludovicum Francorum, & Henricum (*a*) Anglorum Reges; ad Gallum quidem ut ipsum ad mittendum exercitu valido succinctum fratrem permoveret: alterum vero ne æmulationis studio rem disturbaret, obsisteretque una cum Edmundo filio, quem Siculo regno ab Alexandro IV. certis legibus donatum vidimus, ne regni illius jura, quæ tueri non poterant, in Carolum Andegaviæ, & Provinciæ comitem transfunderentur. Graves enim ii querelas effuderant, eripi Anglicanæ genti post tot profusos sumptus sceptrum Siculum, ut in Gallos traduceretur. Quos Urbanus blande admonuit (*b*) jactatas injuria eas querelas, totiusque Sicularum rerum successus seriem exposuit acceptas conditiones non impleviſse: Manfredi vero tyrannidem adeo augeri, atque opprimi Ecclesiam, ut illa diutius strenuo defensore carere non possit. Atque ea videntur ardua negotia, quæ Pontifex Cusentino archiepiscopo cum Henrico Rege agitanda demandasse scripsit in iis literis, (*c*) quibus Regem ipsum ex adversa valetudine recreatum est gratulatus, quæ cum amplissima Henrici encomia, ac paternum Urbani in eum studium explicent, prætereundæ omnino a nobis non sunt visæ.

(*a*) *Ibid. ep.* 161. & 162. Cusentinum archiep. in Galliam & Angliam mittit. Solicitat Anglum ne Gallis expeditionem Siculam suscepturis obsistat.

(*b*) *Ib. ep.* 160.

(*c*) *Ep.* 165.

Mulcere verbis conatur.

LXXIX. Præclara Henrici elogia.

*Dum annalium Romanæ ecclesiæ volumina legimus, & prædecessorum nostrorum Romanorum regesta Pontificum vigili attentione revolvimus, eximia utique tuæ sinceræ devotionis opera, & præclara tuæ puræ fidei rectitudo, quibus placere Deo, & eidem Ecclesiæ matri fidelium ab annis teneris studuisti, sic in promptu nobis occurrerunt, quod nequimus ab illis nostræ mentis aciem declinare: cum quasi quædam fulgentia in Ecclesia Dei sidera luceant, & ab aliis sicut magna luminaria discernantur. Tu etenim, sicut tuorum laudabilium prædicat fama gestorum, & nos etiam nullatenus ignoramus, in augumentatione cultus fidei orthodoxæ solicitus, in conservatione libertatis ecclesiasticæ pervigil, in ecclesiarum aliorumque piorum locorum constructione benevolus & benignus, in gratiis & beneficiis erga personas ecclesiasticas regulares & sæculares valde munificus, ac in obedientiæ promptitudine circa eamdem Ecclesiam stabilis & accensus; digne meruisti dies tuos divina tibi favente clementia in pace & tranquillitate deducere, ac in statu prospero sub tutrice Dei dextera, & protectione sedis Apostolicæ conservari. Dat. apud Urbemveterem v. kal. aug. anno* II.

Vix e morbi periculo Henricus emersérat, cum civilium bellorum undique cinctum se periculis vidit: quæ demum ipsum omnia comparandæ Siciliæ consilia abiicere coegerunt. Ut vero primum Anglicarum turbarum rumor ad aulam pontificiam affluxit, mox Urbanus Henrico apostolicam operam ad sedandos excitatos tumultus detulit (*d*) erexitque ad constantiam: *Fili charissime confide in Domino, & in ipsius omnipotentia confortare. Speramus enim quod cum sibi, prout creditur, placeant viæ tuæ, inimicos tuos convertet ad pacem. Speramus quod cum tibi, sicut de te habet fama laudabilis, non dominetur iniquitas, adversitas non nocebit. Speramus quod ille qui mari terminum posuit, ultra quem intumescere non audeant fluctus ejus, contra te vel tuos, quæ nunc imminere dicitur, tempestatem invalescere non permittet: sed serenitatis gratæ successus præsentis temporis nubilum terminabit. Nos autem ad omnia, quæ ad tuam & tuorum prosperitatem, ac memorati regni tranquillitatem & pacem expedire putabimus, per dilectum filium... virum utique providum, & discretum, ac nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum; quem propter hoc de fratrum ipsorum consilio ad tuam præsentiam destinamus, & cui te fidem adhibere volumus, plenius intelligere poteris; libenter apostolicæ partes solicitudinis apponemus.*

LXXX. Henricus e morbo erectus bello civili implicatur.

(*d*) *Ext. in MS. Vall. bibl. sig. lit. C. num.* 49. *pag.* 4.

Defert ei Pontificium studium Urbanus ad illud sapiendum.

Colligitur ex aliis literis nuntium, de quo loquitur Pontifex fuisse Guillelmum capellanum pontificium archidiaconum Parisiensem, quem Urbanus plurima instruxit auctoritate (*e*) ut Henricum sacramenti religione, quo se proceribus ad communicanda cum illis patefacta sibi pontificia arcana devinxerat, ac etiam omni alterius iniqui jurisjurandi nexu exolveret.

Nuncium mittit in Angliam.

(*e*) *Lib.* 3. *ep.* 4.

Contulit vero nuncio Urbanus illicita Henrici sacramenta dissolvendi facultatem eo consilio, ut proceres conjuratos, qui Regem fœda perjurii nota aspergebant, ei facilius conciliaret. Fluxisse enim inde mali labem referunt auctores, quod Henricus Rex latas Oxonii (*f*) anno superiori leges regio jurejurando confirmatas, mutata voluntate, ut regiæ dignitati auctoritatique adversantes rescindere niteretur: quæ res adeo proceres ac populos in Henricum efferavit, ut adversus ipsum conflata gravissima coitione in arma consurrexerint. Cum vero Richardus Cornubiæ comes in Regem Romanorum electus periculosissimam dissensionem dissimularet, nec fratri ad rebelles comprimendos opem ferret, increbuit rumor

LXXXI. Exorti belli civilis causæ.

(*f*) *Vestmon. flor. hist. continuator Par. Nang. in S. Lud. gest. & alii.*

Richardus in suspicionem conjurationis in fratrem adductus.



mor in curia apostolica Richardum belli illius incentorem esse: cum plerique sentirent neminem arma in Regem ausurum attollere, vel mutire, si Richardus, qui maximis in Anglia opibus ac potentia florebat, fraternam causam susciperet. Qua fama adductus Urbanus graves ad Richardum ipsum literas dedit (*a*) maximum suo nomini dedecus allaturum, si fratris solium everti pateretur, nec quantocyus periclitanti opem ferret: in eam quidem sententiam se non posse adduci, ut qui fratrem a primis annis summo amore coluisset, modo illum abjecisse arbitraretur.

(*a*) *Urb. l.* 3. *ep. cur.* 10.

Ad ferendam fratri opem ipsum Pontifex excitat.

*Charissimo in Christo filio Richardo in Romanorum Regem electo.*

LXXXII. Abhortere ab ipsius præclaris gestis quæ fama illi asperſit.

*Habentes recta consideratione respectum ad præterita tempora, in quibus in omni devotionis, & fidei genere tua laudabiliter studia exercuisse te novimus & sub quorum diversitate famam tui honoris, & nominis gloriosis actibus & gestis magnificis, & in cismarinis, & in transmarinis partibus solemnem, & celebrem reddidisti; nullatenus credere possumus, quod princeps tam catholicus, tam fidelis, tam pius, tam misericors, tam benignus, sanguinis violato fœdere, sic negligenter toleret, ut frater innocens opprimatur, sicque patienter sustineat, ut regii culmen honoris deprimatur in ipso & regalis in eo dignitatis fastigia prosternantur. Absit enim, Christianissime princeps, ut in mentem nostræ credulitatis ascendat quod tui sacrarium pectoris, quod totius devotionis & fidei esse consuevit armarium, tam detestandæ, tamque abominabilis machinationis habitaculum statuatur. Absit, ut fama volatilis sic suæ suggestionis jaculis nostræ contra te conscientiæ penetralia vulneret, ut credi possit a nobis, quod fraternus amor, quo dictum Regem ab annis prosecutus es teneris, defectus in te tam deformis, tamque notabilis iis diebus dispendia sentiat & detrimenta tam tenebrosæ, tam obscuræ, ac tam horribilis eclipsis incurrat. Absit etiam, ut rationis nostræ judicium illis narrantibus fidem adhibeat, pe quos tota tibi hujusmodi tempestas turbationis imponitur, ac fratris & nepotum tuorum exheredatio tuæ prorsus ascribitur libito voluntatis. Verum quia tuis & progenitorum tuorum claris exigentibus meritis fervidi sumus, & esse tenemur tuæ famæ perspicuæ tuique clari nominis zelatores; nos diligentius attendentes, quod rumor hujusmodi ex crebra multorum relatione jugiter invalescit; ac pati nolentes, quod tuæ oculatæ circumspectionis industria non reddatur per apostolicæ insinuationis eulogium in iis pervigil, & attenta serenitatem tuam, quam prosperis semper cupimus abundare successibus, solicitandam, rogandam attente duximus, & hortandam, quatenus præmissa omnia infra tui claustra pectoris attenta meditatione revolvens, & considerans, quod oportet tuam magnificentiam super iis pro tui famosi conservatione nominis aliter providere, ob reverentiam Apostolicæ sedis, & nostram, tuumque honorem in dicti Regis auxilium sic magnifice, sic potenter, & patenter exurgas, ut dissipentur inimici ejus, & fugiant a facie ejus qui oderunt eum, ejusque innocentiam persequuntur, &c. Dat. apud Urbemveterem* XVI. *kal. octobris anno* III.

Sine proprio dedecore fratrem non posse deseri.

Pontificia ad illum adhortatio.

Detersit Richardus factis egregiis aspersam sibi conspirationis in fratrem notam, monitisque pontificiis excitatus arma in conjuratos capessivit: sed dum una cum Henrico perdendis hostibus avidius inhiaret, eorum furorem sensit: at de his postea. Præcipua vero ejusmodi belli civilis fax Simon e Monteforti Leycestriæ comes, non Anglorum, sed Francorum nobili stemmate ortus Simonis illius Montfortii, *viri*, ut ait Nangius (*b*) *Christianissimi & æque in armis strenuissimi filius, qui in expugnando Albigensium hæreticam pravitatem in obsidione Tolosæ civitatis ictu mangonelli interiit, & ad Dominum tamquam martyr, ut creditur, transmigravit;* sed longe ab illius pietate degener: illum enim armis rem Christianam auxisse vidimus; filius vero pulsus in exilium e Galliis, & ingratus in Henricum Regem, cujus sororem uxorem duxerat, perturbata bello civili Anglia, rei Christianæ maximam cladem intulit, ac bellum sacrilegio exorsus, primo impetu Petrum Herefordiensem episcopum in ecclesia sua versantem cepit, atque ideo Urbani jussu (*c*) a Cantuariensi archiepiscopo anathemate est defixus. Nec ullas partes prætermisit Pontifex, ut Simonem ad officium pelliceret: increpuit enim literis (*d*) tantos tumultus in Anglia concitasse, resciditque (*e*) inita ab ipso cum aliis conjuratis fœdera: cumque Guillelmus archidiaconus sapiendis tumultibus auctoritate par non esset, Guidonem Cardinalem legatum misit, cujus saluberrimis monitis parere jussit. Rem significavit Urbanus S. Ludovico Francorum Regi, rogavitque (*f*), ut regiam auctoritatem in opprimendo eo bello adhiberet, Reginam etiam Margaritam est adhortatus, ut virum ardentius ad id incitaret. Gessit morem sanctus Rex, utpote divino amore incensus, qui non alere inter finitimos discordias, sed ipsos mutua pace conjungere nitebatur, partesque arbitri inter Henricum Regem & proceres Anglos suscepit (*g*). Ut vero proceres illius sententiæ parere detrectarint, sequenti anno dicetur. Jam de legato in Angliam misso cœptam orationem prosequamur.

LXXXIII. Paret monitis Ap. Richard. Simon Leycestr. comes illius belli fax.

(*b*) *Nang. in gestis S. Lud.*

Ingratus ejus in Regem Henr. animus. Episcopum Hereford. in ecclesia capit. Anathemate devinctus.

(*c*) *Urb. l.* 3. *par. altera ep.* 325.

Eum Urbanus ad officium revocare nititur.

Rescindit conjuratorum fœdera.

(*d*) *Lib.* 3. *ep.* 188.

(*e*) *Lib.* 2. *ep.* 207.

Mittit legatum Card. in Angl.

Rogat S. Lud. operam ad sapientam discordiam jungat.

(*f*) *Lib.* 3. *ep.* 189.

(*g*) *Vvestm. in flor. hist. Theodor. Vallic. ubi sup. & alii.*

Com-

LXXXIV. Guido ep. Sabin. eam legationem obit.

Commissum igitur est tantæ legationis munus Guidoni episcopo Sabinensi (*a*) viro ad res gerendas singularis industriæ exploratæque, qui postea summum pontificatum accepto Clementis nomine gessit, quemque Theodoricus Vallicolor ea laude exornat, ut in rebus politicis versatissimum divinisque addictissimum dicat. De cujus legatione hoc diploma ab Urbano datum (*b*).

(*a*) *Lib.* 3. *ep.* 184. 185.

(*b*) *Extat in formul. Mar. Ebuli pag.* 87. *n.* 747.

*Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis & episcopis ac dil. filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, & aliis ecclesiarum prælatis per regnum Angliæ constitutis.*

LXXXV.

*Licet cunctis Christicolis ac Christicolarum singulis regionibus Deo & Apostolicæ sedi devotis in iis nostræ solicitudinis studium debeatur, nosque ad ipsos libenter possibilitatis suæ ministerium extendamus; tamen quanto charissimum in Christo filium nostrum Regem & charissimam in Christo filiam nostram Reginam illustres, ac natos ipsorum, ac inclytum regnum Angliæ solitam ab olim multa devotione clarescere, in quo semper cultus orthodoxæ fidei viguit, incrementa suscepit & libertas ecclesiastica munimentum; ac dilectos filios nobiles viros barones, magnates alios & cæteros incolas regni ejusdem infra claustra pectoris in singularitate dilectionis habemus; tanto circa prosperum statum ipsorum fervor apostolici favoris exuberat, & ad tranquillitatem eorum totis nisibus procurandam cum affectionis paternæ plenitudine singularius cogitamus. Audito itaque surgentis fremitu tempestatis, qua regnum prædictum hostis antiquus, pacis æmulus, zizaniæ seminator, generali turbatione conquassat; particularibus nihilominus dissidiis in singulis quasi ejusdem regni partibus suscitatis; nos ad adhibendum circa prædicta remedium eo propensius exurgimus eo vigilantius excitamur, quo ipsius regni fluctuatio, de cujus ingentem susciperemus tranquillitate lætitiam, paternum animum durius inquietat.* Et infra: *In Regno namque prædicto adeo, sicut non solum fama referente, sed etiam fide dignorum relatione percepimus, validæ commotionis horror invaluit, & locum sibi dissensio, quæ detrimenta solet vastitatis inducere, vendicavit, quod prædictis Rege, Regina, eorumque natis, ac nonnullis aliis ejusdem regni personis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus; ex altera ad invicem diffidentibus, & inter eos odii & rancoris igne succenso, regalis magnificentiæ culmini subditorum adversione detrahitur a subditis.* Et infra: *dilatantur & amplius hujusmodi turbationis incommoda, cum ipsius prætextu contigerit aliquos ecclesiarum prælatos regni præfati, viros utique venerandos, nec non & alios clericos capi personaliter & captos bonisque propriis enormiter spoliatos carceri mancipari, & squaloribus inediæ carceralis affligi: quorum quidam adhuc detineri dicuntur, nonnullis ex eis liberationem suam redimere pro magna pecuniæ quantitate coactis. In conferendis quoque beneficiis ecclesiasticis regionis illius, exclusis illis ad quos eorum spectat collatio, se ingerunt alieni: & tam contra institutionem clericorum, quam per alios diversos modos & casus præfata ecclesiastica libertas infringitur, & ipsius privilegio derogatur. Incidentibus insuper occasione turbationis hujusmodi variis & diversis aliis discriminosis casibus, & detestandis excessibus in regni dissidium memorati; propter quod non immerito accenditur zelus noster, & ignis in nostræ meditationis anxietatibus exardescit; dumque cogitationibus profundis immergimur & laboriosis vigiliis fatigamur, quærentes anxie opportunum in tantæ necessitatis articulo remedium adhibere, licet desideremus interdum quod cum honore Dei & Ecclesiæ ac salubri statu fidelium nostram possemus inibi exhibere præsentiam, ut quo mente ferimur, ibi præsentialiter existentes divina fulti potentia proprios per evidentiam operis explicaremus affectus; quia tamen id conditio nostra non patitur, quia ingruentium negociorum varietas non permittit, ad venerabilem fratrem nostrum * G. episcopum Sabinensem, ut fortem mittamus ad fortia & suis robustis humeris onera grandia imponamus; nostræ convertimus deliberationis intuitum, & in suarum consideratione virtutum sibi a Domino in abundantia concessarum, de concedentis omnipotentia, & immensa virtute sperando nostræ fluctuationis anxietas conquiescit.*

* Guidonem

Turbidi Anglicarum rerum status descriptio.

LXXXVI. Insignia Guidonis Card. postea Clementis IV. elogia.

*Cum enim, sicut experientiæ probatione didicimus, dederit ei Dominus os & sapientiam, linguamque adjecerit eruditam, ut sciat quando debeat proferre sermonem; cum ejus sicut adipe & pinguedine repleverit animam, ut vigeat in ipso rectitudo judicii, consilii providentia, rigiditasque censuræ, in adversitate securitas, in prosperitate devotio, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas, & in arduis experientia multipliciter approbata; speramus nec immerito, quod actus suos illo dirigente, qui novit ac prava in directa, & aspera in vias planas; illo convertente, qui potest, in prædictis per suæ circumspectionis industriam, utili providentia, & utilitate provida consuli poterit, & utiliter subveniri. Et ideo licet nos & fratres nostri tanti viri præsentia, utpote nobis & ecclesiæ Rom. pernecessaria, careamus: inviti tamen, cogente nos tam urgenti & inevitabili necessitate regni prædicti & paterno affectu, quem ad idem regnum, natos ipsorum & ecclesiam Anglicanam, barones, magnates, & incolas prædictos gerimus; ipsum, de cujus claris meritis plenam*





Angli Hibernique illi parere jussi.

*nam in Domino fiduciam obtinemus, ad regnum prædictum, plenæ legationis officio sibi commisso inibi, ac in Vallia, & Hibernia, ut evellat & destruat, dissipet & disperdat, ædificet & plantet, sicut viderit expedire; de prædictorum fratrum consilio tanquam pacis angelum destinamus. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, vobis per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus eundem episcopum, quem inter alios fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, immo potius nos in ipso benigne recipientes, & tractantes honorificentia debita, ipsi tanquam Apostolicæ sedis legato intendatis humiliter & devote, &c. Dat. apud Urbemveterem* x. *kal. decemb. anno* III. Auctus (*a*) est pluribus ad strenue munus obeundum prærogativis, quæ in Marini Ebuli formulario Vaticano recensitæ sunt: atque inter alia, ut si posceret necessitas crucis signa in conjuratos attolleret. De qua legatione Theodoricus Vallicolor, monachus Patavinus, Matthæus Westmonasteriensis, & alii meminere. Ut vero a perduellibus aditu in Angliam prohibitus fuerit, sequenti anno dicetur: nunc ad septentrionales res digredimur.

(*a*) *Urb. l.* 3. *pag.* 191. *ad* 199. *Theodor. Vallic. ubi sup. Mon. Pad. in chron. l.* 3. *Vvestm. Flor. hist.*

LXXXVII. Pruteni Cruciferos affligunt.

In Prussia barbari potiti victoria, arcem prævalidam cruciferis eripuere atque in vicinas terras ad agendas prædas excurrere. Recreata vero (*b*) est Polonia ex diuturnis Lituanorum grassationibus, quorum proceres adversus Mendolphum summum regionis principem conjuravere, cum nimia illius potentia suam infringi arbitrarentur. Cœpere primum in vulgus ipsius gesta traducere, quod ad Christianorum sacra, abjectis patriis ritibus se contulisset, ac Lituaniæ jura ad exteros, cruciferos scilicet, traduxisset: conflataque hoc modo illi populi invidia in apertum facinus erupere. Conspirationis princeps inter cæteros potentia & opibus florentissimus Mendolphi nepos erat, qui ipsum quiescentem ex insidiis obtruncavit, ejusque filiis, quos capere potuit, trucidatis, tyrannidem invasit. An Mendolphus apostasiæ suæ vindice numine eos, a quibus subornatus fuerat, carnifices expertus pœnas luerit; an vero iterum Christianorum amplectendæ religioni animum applicuisset, non bene nobis exploratum; conjectura tamen est rediisse ad fidem, cum hoc anno Urbanus Cracoviensi episc. referenti Lituanos Christiana religione imbui in votis habere, baptismi iis populis impertiendi provinciam demandarit (*c*).

(*b*) *Long. hist. Pol. l.* 7. *hoc an.* De Mendolpho Lituanorum principe.

Imposita ab Urbano episc. Cracoviensi provincia baptismi Lituanis impertiendi.

(*c*) *Lib.* 3. *ep.* 79.

LXXXVIII

*Cum, sicut lectam coram nobis dilecti filii nobilis viri ducis Cracoviensis petitio continebat, Lituani, & nonnulli alii illarum partium pagani, qui civitatem, & diœcesim Cracoviensem frequenter impugant, venire cupiant ad Christianæ fidei unitatem; nos qui ad augmentum divini cultus totis affectibus aspiramus, prout ex injunctæ nobis tenemur officio servitutis, illorum in hac parte propositum in Domino commendantes, ejusdem ducis supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ mandamus, quatenus eisdem Paganis, ne (quod absit, videantur, velut oves sine pastore relinqui) evangelizare salubriter per te, vel per alios religiosos, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, verbum Dei, ac baptismatis, & alia ecclesiastica exhibere auctoritate nostra studeas sacramenta; faciens nihilominus fundari in eisdem partibus ecclesias ad opus hujusmodi conversorum: non obstantibus quibuslibet religiosorum ipsorum consuetudinibus, vel statutis contrariis, per quæ hujusmodi processus negotii impediri valeat, vel differri. Contradictores, &c. Dat. apud Urbemveterem* 2. *kal. januarii anno* III. Descivere a pio consilio Lituani, quos atrox bellum gessisse cum Christianis, donec eorum barbaries divina clementia mollita est, suis locis visuri sumus. Hic addemus insigne miraculum, quod in viri sancti lingua accidit, quæ Evangelium Christi magna cum laude prædicarat.

Propagandæ in iis provinciis fidei atque ecclesiar. erigendarum.

LXXXIX.

Exhumabantur S. Antonii (*d*) vulgo e Padua nuncupati ossa, ut solemni pompa in recens templum, ad illius honorem a Patavinis ob liberatam illius precibus Ezelini tyrannide urbem conditum, transferrentur; cum cæteris consumptis carnibus ipsius lingua corruptionis omnis expers, nativoque rubore suffusa inventa est. Quam in manus pie suscipiens qui Minorum familiæ præerat (is erat Bonaventura sanctorum postea catalogo adjectus) in hæc verba admirabundus erupit: *O lingua benedicta, quæ semper Deum benedixisti, & alios benedicere fecisti, nunc manifeste apparet, quanti meriti fuisti;* eamque Patavinis proceribus pretiosa theca includendam eo miraculo stupore defixis tradidit.

(*d*) *S. Ant.* 3. *p. tit.* 23. *c.* 4. §. 6. *Vvad. in annal. Min. T.* 2. *hoc ann. n.* 14.

Lingua S. Antonii corruptionis expers.

XC.

Digredimur a sancto Minorita ad Minoryssas, quarum religiosa disciplina in meliorem formam a Simone tit. S. Cæciliæ Card. redacta, atque ab Urbano confirmata est. Cum vero ipsæ hactenus variis nominibus interdumque moniales, nunc sorores, modo dominæ, alias inclusæ pauperes ordinis S. Damiani appellarentur, titulo ordinis S. Claræ decorandas censuit Pontifex, omniaque privilegia sub cujuscumque appellationis forma concessa rata esse imperavit (*e*): *Decens arbitrantes & congruum, ut idem ordo vester, qui ut præmittitur, in prædicta beata Clara suæ institutionis sumpsit auspicia; cujusque, ut firmiter credimus, apud Deum meritis & intercessione protegitur, & apud homines laudibus attollitur & favoribus*

Clarissæ eodem ubique nomine insigniri jussæ.

(*e*) *Extat ea de re dipl. in M. S. bibl. Vall. sig. lit. C. n.* 49. *pag.* 151.

*ribus ampliatur, ejus insigniatur & nomine; ipsum decernimus ordinem S. Claræ de cætero uniformiter nominandum: statuentes quod immunitates, libertates, indulgentiæ, & privilegia quæcumque vobis seu eidem ordini a præfata sede, sub quacumque nominatione concessa, nihilominus robur obtineant firmitatis: & ita per omnia ipsis uti possitis, ac si a principio sub hoc titulo sub hac nominatione concessa fuissent.* Complexus etiam est alias religiosas familias amplissimis studiis Urbanus, atque inter cæteras sacro Servorum B. Mariæ virginis ordinis potestatem contulit, (*a*) ut solemnia comitia celebrarent, supremumque præfectum crearent: quod etiam a Cemente IV. (*b*) & Nicolao IV. (*c*) ratum habitum est. Ex quibus intulit postea Benedictus XI. (*d*) religiosæ Servitarum disciplinæ formulam ab sede Apostolica confirmatam quodammodo fuisse; qua de re suo loco agendum erit. Sed ad Urbanum revertamur: qui vetera omnia jura monasterii S. Mariæ siti in insula Pomposia corroboravit: cujus diplomati (*e*) hæ subscriptiones adjectæ.

Confirmata earum privilegia.

(*a*) *Extat ejus diploma in centuria* 1. *Annal. Serv. B. M. lib.* 3. *c.* 8.

Data Servitis præficiendi sibi Prioris auctoritas.

(*b*) *Extat ejus dipl. ibid. cap.* 11.

(*c*) *Lib.* 5. *cap.* 9.

(*d*) *Lib.* 6. *cap.* 5.

(*e*) *Extat ejus exemplum apud nos.*

*Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*
*Ego Odo Tusculanus episcopus.*
*Ego Stephanus Prænestinus episcopus.*
*Ego Radulphus Albanensis episcopus.*
*Ego Henricus Ostiensis, & Velletren. episcopus.*
*Ego frater Joannes Portuen. & sanctæ Ruffinæ episcopus.*
*Ego Guido Sabinen. episcopus.*
*Ego Simon tit. sancti Martini presbyter Card.*
*Ego Ancherus tit. S. Praxedis presbyter Card.*
*Ego frater Guido tit. Laurentii presbyter Card.*
*Ego Guillelmus tit. sancti Marcelli presbyter Card.*
*Ego Simon tit. sanctæ Cæciliæ presbyter Card.*
*Ego frater Ambaldus Basilicæ* XII. *Apostolorum presbyter Card.*
*Ego Bardus sancti Angeli diaconus Card.*
*Ego Joannes sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus Card.*
*Ego Ottobonus sancti Adriani diaconus Card.*
*Ego Jacobus sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus Card.*
*Ego Ubertus sancti Eustachii diaconus Card.*

Cardinalium Urbano assidentium nomina.

*Dat. apud Urbemveterem per manum mag. Michaelis de Tolosa S. R. E. vicecancellarii id. novemb. indictione* VII. *Incarnationis Dominicæ anno MCCLXIII. pontificatus vero domini Urbani PP. IV. anno* III.

Ineun-



I. INeunte anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, indictione septima Urbanus, cum Manfredum atque præcipuos illius tyrannidis administros Ubertum Palavicinum marchionem, Richardum Casertanum, & Thomam Acerrarum comites, adeo omnem ex animo pietatem exuisse videret, ut ecclesiasticæ pœnæ pro iis ad officium adigendis inflictæ, haberentur ludibrio, nec parum apud probos defloresceret pietas, divinusque cultus exolesceret; lati superiore anno inclinante ecclesiastici interdicti severitatem ita temperandam censuit, (*a*) ut in templis sine augustiore pompa, obseratis foribus, ejectisque iis, qui anathemate devincti essent, sacramenta subministrari, divinaque peragi mysteria liceret. Ad frangendos vero armis impios, quos cœlestium armorum terror non perculerat, ne periclitanti deesset Ecclesiæ, ejusque clientibus Pontifex, ad Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem ejusdem S. Regis fratrem animum convertit: præstantem animis principem, impigrum ad bellicos labores, ad arduaque gerenda audacem, addictissimum Ecclesiæ, magna quæque ac sublimia mente agitantem; atque ad tantam rem perficiendam in Gallias legatum misit. Cæterum Siciliam primo delatam ab Urbano S. Ludovico, ut eam armis uni filiorum compararet, eumque officiosissime respuisse; consensisse tamen ut frater Andegaviæ & Provinciæ comes regnum admitteret, ad quod e Manfredi tyrannide eruendum operam suam viresque est pollicitus; probant Urbani literæ, quas ad Reginam Francorum scripsit, (*b*) quibus rogavit, cum Carolo pacem conciliaret, ut laboranti Ecclesiæ opitulari posset.

Latæ superiori anno censuræ ad piorum gratiam mitigatæ.

(*a*) *Urb. l.* 3. *ep.* 35.

Frangere armis aggreditur quos censuris non potuit.

Gallorum potentiam implorat.

(*b*) *Cod. MS. bibl. Vall. sig. lit. C. n.* 49. *pag.* 12.

*Reginæ Francorum illustri.*

*Nosti filia, quod illum prosequentes singularis dilectionis affectum, quem ad inclytam domum Franciæ ab olim eadem gessit & gerit Ecclesia, quique in nobis supra nostros prædecessores variis ex causis exuberat, regnum Siciliæ, quod est ejusdem Ecclesiæ speciale, charissimo in Christo filio nostro Regi Francorum illustri viro tuo, ad opus alicujus ex communibus natis vestris duximus liberaliter offerendum. Verum ab eodem Rege tanquam Christianissimo principe super hoc responso devoto, sed non pro voto recepto; quia inter cæteras graves molestias & amaras, quibus in partibus Italiæ memorata vexatur Ecclesia, illæ mentem nostram molestant gravius & pungunt acerbius, quas in regni prædicti occupatione, ac alias ab ipsius occupatore sentimus; ad providendum eidem Ecclesiæ, contra tantas dicti occupatoris injurias levavimus in circuitu nostræ considerationis oculos: & ut præfati Regis potentiam, quam, velut tutricem Ecclesiasticæ libertatis præcipuam, in ipsius nato desiderantes quæsivimus, nec habere juxta desideria nostra potuimus, experiremur saltem propitiam in germano; ad eundem comitem nostræ deliberationis convertimus aciem, cum ipso super facienda sibi regni concessione prædicti tractatum, de memorati Regis conscientia & beneplacito, ineuntes. Et quia speramus, quod idem comes, afflictionibus nostris & Ecclesiæ prædictæ compatiens, suis non parcet laboribus; sed in præmissis ejusdem Ecclesiæ defensionem, ad nostræ petitionis instantiam, de prædicti Regis consilio, laudabilia prædecessorum suorum vestigia imitaturus, assumet; ne ipsius & prædicti Regis tam pium in hoc propositum, occasione discordiæ, quæ inter te ac eundem comitem esse dicitur, impediri vel retardari contingat; serenitatem regiam rogamus, monemus, & hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus prudenter attendens, quantum sit dispendiosa tua, & comitis prædicti dissensio, quæ in commotione vestra multorum commotis animis, & plurimorum cordibus in vestra turbatione turbatis, causam posset mutuis dare periculis, & periculose utriusque impedire profectus; ac provide pensans consideransque salubriter, quod pax Domini, ad quam tanquam fide præclaram & devotione ferventem aspirare te credimus, sine pace proximi non habetur; excellentiæ regalis animum cum eodem comite ad concordiam & pacem inclines, ipsumque tibi teque ipsi studeas in unitate solidæ charitatis unire, ne per scissuram hujusmodi vestra in partes scissa minuatur potentia: sed hinc inde incrementa suscipiens, alternis crescat augmentis.* Expetiit (*c*) etiam a S. Ludovico, ut pacem inter ipsos conciliaret, ac fratrem ad opitulandum Ecclesiæ adduceret: iterumque ejus uxorem solicitavit, (*d*) ut facilem se componendæ controversiæ præberet. Præterea Carolum rogavit, (*e*) ut in admittendis Siciliæ regni, ac senatoriæ dignitatis pactionibus legato assentiretur, & cum Margarita definiendæ liti non adversaretur.

II. Ea de re ad Reginam Francorum literæ.

Exponit ut uni ex filiis Siculum regnum deferentibus S. Ludovicus non assenserit.

Conversam propterea ad Carolum illius fratrem Ecclesiam.

Rogat controversiam de Provin. comitatu componat.

(*c*) *Ib. ep.* 96.

(*d*) *Ib. ep.* 97.

(*e*) *Ib. ep.* 98.

III. Romani Carolum Urbis senatorem designant.

Dum vero cum Provinciæ atque Andegaviæ comite de conditionibus transfundendæ in illum Siciliæ agitaretur, Romani Carolum Urbis senatorem creavere: quæ res non ita sedi Apostolicæ grata extitit, quod evocatis Romam exteris principibus, Pontificum majestas imminuenda, summaque ipsorum in Urbe auctoritas labefactanda senatoris hujusmodi

In eo jura pontificia violant.

di potentia timeretur. Verum qui nunquam in secundo rerum successu, vel leviori premente necessitate, ita ad magistratum Urbis gerendum exteros principes exciri passus esset Pontifex; ob ingruentia tamen mala quibus undique cingebatur, adhibitis in consilium Cardinalibus, ad certas conditiones descendit, quibus ipsi senatoris dignitatem non perpetuam, ut Romani detulerant, sed ad certum tempus permisit. Quo vero quam poterat optimas sedis Apostolicæ conditiones efficeret; plures rei cum Carolo agitandæ, tam regni Siculi, quam Urbis magistratus ad eum derivandi, e Cardinalium consilio leges præscripsit (*a*).

Urbanus tempori se accommodat.

(*a*) *Urb. l. 3. ep. cur. 84.*

*Ad perpetuam rei memoriam. Diffinitio inter fratres super senatu Urbis & regno Siciliæ.* [1]

IV. Dictæ Carolo a Pont. leges pro ea gerenda dignitate.

*Prima forma cautionis, quæ videtur a comite requirenda, hæc est. Præfigetur ei tempus triennii, vel quadriennii, vel ad plus quinquennii, ultra quod nequeat tenere senatum: & dabit suas patentes literas, & promittet sub pœnis infrascriptis, quod ultra tempus, de quo cum eo conventum fuerit, non tenebit, senatum, nec se de eo quoquomodo per se, vel per alium intromittet, & quod si infra illud tempus, de quo conventum fuerit, regnum Siciliæ totum, vel majorem partem ejus, cui minor non possit resistere, acquisierit, ad mandatum Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, senatum dimittet omnino, ex tunc per se, vel per alium non resumpturus eumdem: & hæc omnia, & singula se firmiter, ac fideliter servaturum firmabit proprio juramento. Quod si contra præmissa, vel aliquod de præmissis venerit, vel fecerit, præter reatum perjurii, idem comes excommunicationis, & terra sua ubilibet constituta interdicti incurreret sententias eo ipso: quas sententias si per mensem sustinuerit, eo ipso cadat a jure senatus: & si postea de facto senatum tenere contenderit, seu per se, vel per alium de ejus regimine se quoquomodo intromiserit, cadat eo ipso ab omni jure sibi quæsito in regno Siciliæ.*

Certi temporis limitibus Romanæ rei administratio circumscripta.

Intentatæ comiti si pontificia jussa respuat, pœnæ.

*Secunda forma hæc est. Promittat comes quod bona fide dabit operam, ut Romanis non juret regere Urbem ad vitam, sed quamdiu sibi placuerit, tenere senatum. Quod si obtinere hoc poterit, juret comes quod non tenebit senatum ultra quinquennium, seu ultra illud tempus citra quinquennium, de quo conventum fuerit inter ipsum & dictum Cardinalem; & quod si infra illud tempus, de quo conventum fuerit, regnum Siciliæ totum, vel majorem ejus partem, cui minor non possit resistere, acquisierit, ad mandatum Romani Pontificis, qui fuerit pro tempore dimittet senatum omnino, ex tunc per se, vel per alium non retenturus eundem. Si autem dictus comes a populo Romano obtinere non possit, quod non teneatur Urbem regere vita sua, promittet comes, quod postquam concesserimus ei regnum Siciliæ, & ipse totum illud vel majorem partem ipsius acquisierit, vel si forte, quod absit, illud acquirere non poterit; postquam de hoc liquido constiterit, ipse dimittet senatum, cum a nobis vel successore nostro de plano, non servata juris solemnitate, decretum fuerit, quod illum debeat dimittere: adjecto expresse in eodem decreto, quod senatum sine ecclesiæ Romanæ præjudicio & animæ suæ periculo tenere non potest; & quod dictum senatum potest dimittere de jure sine offensa juramenti, quod præstitit, & præstabit in adventu suo Romanis: & tunc, ut*

V. Alterius cum eo tractatus ineundi forma.

NOTÆ [1] ELectio comitis Andegavensis in senatorem urbis decreta a Romanis fuit anno præcedenti ante diem III. idus Augusti; cum eadem die scriptæ sint a Pontifice ad Albertum Notarium A. S. L. literæ legendæ apud Martenium Anecdot. to. II. col. 28. in quibus Pontifex Legatum suum de electione illa certiorem facit. Simul vero mandat, ut suo nomine Comitem roget, ne electionem illam respuat, cum in ejus locum, siquidem illam recusasset, substituendus a Romanis fuisset Alfonsus, qui cum Manfredo affinitate conjunctus, minus opportunus regendæ Urbi extitisset. Aliis vero literis eodem anno 1263. VIII Kal. Januarii ad eumdem Albertum datis certas cautiones præscribit, sub quibus eidem Carolo Senatoria dignitas permittitur ab Ecclesia. Significat enim deliberatum ea de re fuisse inter Cardinales ac decretum, ne permitteretur, eam dignitatem perpetuo suscipere; cum tamen de certo tempore præscribendo ageretur, non convenisse inter se Cardinales scribit Pontifex, quod alii triennium, alii quadriennium definirent. Quare Pontifex Legato injungit, ut Carolum juratum adigeret Urbem regendam ad triennium susciperet, vel si negaret ea conditione se onus susceptum, terminum prorogaret ad quinquennium. Id si pariter recusaret, proponeret Legatus Comiti ut oblatam a Romanis dignitatem, non quidem perpetuo, sed ad arbitrium voluntatis suæ retinendam susciperet; sponderet autem Pontificio Legatus eam dimissurum ad nutum Pontificis. Id vero si non admiserit Comes, mandat Pontifex ne Legato rem quam tractandam susceperat desereret; sed statim de omnibus Pontificem certiorem faceret. Simul autem cum iis literis mittit ad Legatum suum Urbanus folium earum cautionum, quas Annalista hic recitat. Quas proinde ad annum superiorem referenda esses ideo constat, quod illas clausas transmittit in literis anno superiori die VIII. kal. januarii datis. Insuper ex argumento earumdem literarum a nobis expresso constat noluisse pontificem ut suscepta a Carolo duce tractatio penitus abrumperetur, si idem Carolus conditiones præscriptas admittere recusasset. Qua in re corrigendi sunt annales in quibus §. 6. legimus, pontificem voluisse totum abrumpi, siquidem Carolus in proposito perstitisset. MANSI



*ut dictum est, eumdem senatum omnino dimittet. Et hæc omnia jurabit, & promittet sub pœna, & cautionibus supradictis.*

VI. *Tertio promittet, quod in dimissione senatus dabit operam bona fide, ut idem senatus ad ordinationem Romani Pontificis & Ecclesiæ revertatur cives scilicet Romanos ad hoc, sicut melius & honestius poterit, inducendo. Jurabit etiam, quod dum senatum tenuerit, nil scienter in terris Ecclesiæ, de maniis scilicet & feudis, in ejusdem Ecclesiæ præjudicium, vel suorum faciet contra ipsam Ecclesiam, & ecclesiasticam libertatem: quod si ipse, vel sui fecerint, id sine moræ dispendio revocabit. Et istæ cautiones omnino habeantur ad minus; & meliores, si potuerunt obtineri. Si autem dictus comes prædictas promissiones, & cautiones facere recusaverit, idem Cardinalis, dimisso regni negotio, ad sedem Apostolicam revertatur: præmissa protestatione de jure Romanæ ecclesiæ in senatu & reddat in hoc placabilem Regem Franciæ, Romanam ecclesiam excusando: cum per eam non stet, quin negotium cum eodem comite modo debito consummetur. Hoc autem modo super senatus articulo datis consiliis diffinimus: hoc addito, quod si idem Cardinalis super regni negotio cum dicto comite non potuerit convenire, nec in prima, nec in secunda forma, nec in alia qualibet, procedat super senatus articulo cum eodem: imo jus nostrum, & Romanæ ecclesiæ in dicti regis, præsentia contestetur eidem, & dicat expresse, quod sine animæ suæ periculo, & Romanæ ecclesiæ præjudicio nequit susceptum Urbis regimen retinere.*

Si his legibus Carolus non assenserit jussus legatus Siculi regni tractatum abrumpere.

VII. Cum ancipiti metu plerique Cardinales fluctuarent, ne Carolus delatam a Romano populo senatoriam dignitatem ad vitam tenere meditaretur, quo facto supremæ Pontificis in Urbe auctoritati detraheretur; Urbanus S. Ludovicum solicitavit (*a*) ut fratrem ad præscriptas, de senatu Urbis gerendo leges admittendas perpelleret. Tum ad Carolum scripsit (*b*) ut cum ex iis principibus genus duxisset, qui se suaque omnia singulari titulo ac nexu Ecclesiæ consecrassent; quique non minus in ipsum virtutes, tuendæque Apostolicæ sedis dignitatis studium quam nobilitatem transfudissent; delatum Urbis magistratum perpetuum non acciperet; cum supremum in Urbe dominium administrationemque ad se spectare illustre atque exploratum esset. Quod si ipsum hortatus esset, ut delatum a populo Romano magistratum admitteret, quo facilius adipiscendo Siciliæ regno iter sibi munire posset; numquam tamen sui fuisse consilii, ut Urbis regimen in reliquam vitam susciperet, cum hinc gravissimæ in sedem Apostolicam injuriæ ac damna redundarent: neque unquam assensurum, ut quisquam, quantumvis arctissimo in Ecclesiam studio devinctus princeps, hujusmodi magistratum in reliquam ætatem capessat. Hortatur (*c*) propterea, ut alterii præscriptarum conventionum assentiatur, legatique apostolici consiliis ac monitis obsequatur.

(*a*) *Ib. ep. 94.*

(*b*) *Ib. ep. 93.*

Agit cum S. Lud. Pontifex, ne Carolus senatoriam dignitatem ad vitam accipiat.

Carolo pontificia de ea re consilia aperit.

(*c*) *Ep. 93.*

VIII. Assensit pontificiis monitis Carolus: de quo senatore creato a Romanis, dum alii Manfredum, alii Petrum Regis Aragonum filium ad eam dignitatem vocarent, hæc cecinit Theodoricus. (*d*)

(*d*) *Theod. Vall. apud Masson. de Epis. Urb. l. 5.*

*Interea populus Romanus ab Urbe potentes*
*Plures ejecit, prædominante carens.*
*Unde petit dominum, cui tradat jura senatus,*
*Prædicto Carolo pars cupit una dare.*
*Altera Manfredo dicto, pars altera nato*
*Aragonum Regis, qui gener hujus erat.*
*Attendens igitur pater iste pericula, si non*
*Tunc acceptaret Carolus ista comes,*
*Ipsi mandavit quod penitus omne senatus*
*Jus acceptaret, nempe salubre sibi.*
*Post Rex Francorum super his deliberat: inde*
*Acceptare jubet, quod sibi Roma dabat.*

IX. Transmisit itaque Carolus Gontelinum (*e*) delecta Provincialium manu stipatum (de cujus gestis dicetur inferius) ad suas in Urbe gerendas vices, defendendasque adversus Manfredi ac fœderatorum conatus: eoque facilius ad præscriptas in suscipiendo ad tempus magistratu leges admittendas adductus est, quo illum ingens muniendi sibi ad Siculum solium itineris spes titillabat. De quo regno Carolo deferendo alteram superioris decreti partem edidit (*f*) hisque monitis & auctoritate Simonem tit. S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem; cui rei cum Carolo constituendæ, firmandæque provinciam injunxerat; instruxit (*g*) in deferendo regno non avidum se ac præcipitem, sed gravem potius ac difficilem, quo magis Ecclesiæ utilitatibus consuleret, exhiberet: & conditiones, quas proponeret comes, temperaret. Ubi vero ad certas conditiones ambo consensissent, ut eæ coram Rege perlegerentur, operam daret. Præterea commissa auctoritas est, ut Romanæ ecclesiæ nomine Siciliæ regnum ipsi transcribendum polliceretur.

(*e*) *Urb. l. 3. ep. cur. 125. Theodor. Vall. ubi supra.*

Obsequitur Urbano Carolus.

(*f*) *Urb. l. 3. ep. cur. 84.*

Ut legatus in promittendo Siculo regno se gerere debeat.

(*g*) *Ib. ep. 85.*

X. *Possit præfatus Cardinalis promittere dict. comiti nostro & ecclesiæ Romanæ nomine, quod postquam sine gravi scandalo ecclesiæ Gallicanæ de assignanda sibi decima, quam petiit, ordinatum fuerit & concessum; & negotium, pro quo charissimus in Christo filius noster Henricus Rex Anglorum illustris, & Edmundus natus ejus sunt auctoro-*

Antequam regnum conferat Urbanus nonnulla confici postulat.

Henrici & Edmundi jurium in Siculum regnum controversiam definiri.

*ctoritate nostra citati, fuerit per nos, Deo favente, decisum; & pax inter charissimam in Christo filiam nostram Margaritam, illustrem Reginam Francorum & ipsum comitem fuerit reformata; vel saltem per eundem Cardinalem, vel per alium seu alios, quos idem Francorum Rex duxerit deputandos, super pace hujusmodi talis tractatus processerit, quo ipse Francorum Rex contentus existat; dabitur eidem a nobis regnum Siciliæ cum juribus, & pertinentiis suis sub conditionibus tractatis, & hinc inde firmatis, seu acceptatis: non mutandis, nec augendis, vel minuendis in totum, vel aliquam sui partem. Et de sic dando regno prædicto dabit suas literas dicto comiti Cardinalis: & de sic recipiendo comes versa vice suas dabit literas Cardinali. Finalem autem concessionem, & investituram regni prædicti nobis duximus reservandam. Et hæc super senatus, & regni prædictorum negotiis diffinimus, & hujusmodi nostram diffinitionem volumus firmam, inconcussam, & stabilem ac immutabilem, & inviolabilem permanere. Actum apud Urbemveterem in camera palatii episcopalis, præsente fratrum nostrorum Collegio* VII. *kal. maii anno* III.

Contentionem de comitatu Provinciæ conciliari.

XI. Simonis auctoritas certis limitibus definita.

Instruxerat vero legatum auctoritate Pontifex, ut Caroli comitis petita mollire ac temperare posset: quod cum latius patere videretur, iis terminis circumscripsit, ut de postulatis tantummodo intelligeretur, quæ comes Alberto notario exposuisset, eaque apostolicis literis insinuavit (*a*). Querebatur (*b*) primum, graviorem sibi decem millium unciarum auri censum imponi, cum suo periculo incertos eventus suscepturus esset; atque iniquum admodum videri tantum vectigal pendere, etiam si omnes proventus suos pro Ecclesiæ defensione exhausisset: præsertim cum novo Regi explicanda in plures esset liberalitas, plureſque secum proceres adducere deberet, quos sine maximis effusis muneribus suis obsequiis astringere ac devincere non posset. Flagitarat etiam, ut numerus sibi sanguine conjunctorum, qui jus ad capessendum hereditario titulo regnum obtinerent, augeretur. Poposcerat, ut adjecta de majori Tusciæ, vel Insubriæ parte obtenta conditio mitigaretur, cum facile heredes latere posset, quæ major pars censenda videretur. Expetierat ut illud caput, in quo expressum erat, ut si quis posterorum Imperium, vel Insubriam, Tusciamve adipisceretur, in alterum Siciliæ regnum transfunderetur: tam ad feminas, quam masculos sese porrigeret: si ipse adornaret expeditionem, ductaretque exercitum, ad certum militum numerum non adstringeretur: denique quod de renovando procerum singulis annis fidei sacramento appositum erat, relaxaretur;

(*a*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 86. 87. 88.
(*b*) *Ep.* 86.

Quas leges Carolus temperandas poposcerit.

cum perfidiæ nota quodammodo aspergi iis videretur.

XII. Suscepisse oblatam adversus Manfredum provinciam Carolum, refert Nangius (*c*) qui superiora a nobis e pontificio regesto recensita subjectis verbis complectitur: *Anno Domini MCCLXIV. Urbanus Papa nequitiam Manfredi tyranni terminare desiderans, tamquam ad suæ defensionis dexteram recurrit ad Franciam, & per Simonem S. Cæciliæ presbyterum Card. Carolo comiti Andegavensi, fratri Regis Franciæ Ludovici, regnum Siciliæ, ducatum Apuliæ, & Capuæ principatum misit, sibi & heredibus suis usque ad quartam generationem possidendum, si contra Manfredum tyrannum insurgeret & sanctam Ecclesiam ab ejus invasione custodiret. Usurpaverat enim ille tyrannus, sicut supertus dictum est, regnum Siciliæ contra nepotem suum Corradinum, & terram Apuliæ, Calabriæ, & Campaniæ, ac totum B. Petri patrimonium vi & potestate sibi vendicans illis in partibus occupaverat, & ecclesiis sibi subjectis multa gravia inferebat. Mox igitur idem Carolus donum oblatum lætus suscipiens, & tamquam filius obedientiæ mandatis apostolicis obediens, contra dictum tyrannum arma corripuit, & undecumque potuit expeditionis suæ materiam præparavit.* Impulisse, Carolum ad Siculi regni armis comparandi capessendam provinciam, quamvis arduam & plenam periculis, illius uxorem Beatricem, quæ Reginæ nomen exoptabat, ne tribus sororibus Reginis inferior videretur (*d*) refert Monachus Patavinus; votique factam compotem videbitur inferius: ac rara Berengarii Provinciæ comitis felicitas extitit, ut cum prole mascula careret, quatuor filiæ, quas susceperat, totidem regibus, nimirum Ludovico Francorum, Anglorum Henrico, Richardo electo Romanorum, Carolo Siciliæ & Hierusalem in matrimonio fuerint collocatæ.

(*c*) *Nang. in gest. S. Lud.*

Suscipit Carolus comparandæ sibi armis Siciliæ provinciam.

Uxor in eam rem stimulos ei admovet.

(*d*) *Mon. Pad. chr. lib.* 3. *Hoc sem. hist. Leod. in Henr. c.* 6.

Rara comitis Provinciæ felicitas quatuor filias totidem Regibus despondentis.

XIII. At Manfredus imminentis belli terrore perfusus, atque ira & furore æstuans, extremos in Ecclesiam impetus exeruit; geminoque exercitu ex sceleratissimis quibusque conflato, pontificiam in Tusciam ditionem, ubi agebat Urbanus, ac ducatum Spoletanum aggressus, gravissimis periculis Urbanum circumfudit, quæ Pontifex ipse scriptis ad S. Ludovicum Francorum Regem literis, (*e*) lugubri oratione descripsit.

Manfredus ob promissam Carolo Siciliam iras in Urbanum effudit.

(*e*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 95.

*Ludovico illustri Regi Francorum.*

*Ecce, fili charissime, Manfredus quondam princeps Tarentinus innumerabilibus injuriis & offensis, quibus Romanam hactenus vexavit ecclesiam, non contentus; prætextu negotii regni Siciliæ, quod inter nos & dilectum filium nobilem virum Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem, germanum tuum, agitur; durius & aspe-*

Significat Pont. S. Ludovico Manfredi insultus.



*asperius solito continuis Ecclesiam ipsam aggressibus impetit, assidua persecutione concutit, rabie tyrannica distrahit, & diversis aliis tribulationum generibus incessanter affligit adeo, quod eadem Ecclesia tot malis afflicta, tot attrita molestiis, totque flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare. Nam præter id, quod idem Manfredus, qui Saracenorum ritus amplectitur, ac illos in quotidianis ejus obsequiis notabiliter secum tenet, & præfert eos in opprobrium catholicæ fidei Christianis, Saracenorum ipsorum præcipue consilio, auxilio, & favore prædictam impugnat Ecclesiam; præter illud etiam, quod archiepiscopales, episcopales, & alias prædicti regni Siciliæ ecclesias, & monasteria detinet, seu detineri facit damnabiliter occupata, in eorum aliqua fictos & perniciosos intrudendo ministros, vel jam intrusos nefarie confovendo; quædam vero pro suo commendando libito, & illorum convertendo in usus proprios periculose proventus; pullulant fere ubique per Italiam hæseres, cultus divinus minuitur, fides orthodoxa premitur, immo deprimitur, & opprimitur status fidelium: ancillantur ecclesiasticæ libertates, & jura ecclesiastica conculcantur. Prælati quoque, & alii clericali militia præsigniti pœnas subire coguntur exilii, capiuntur, & ignominiose tractantur, ac in atroces detruduntur carceres, mutilantur, & morte turpissima condemnantur. Spoliantur sacra & pia loca, tam religiosa quam alia, possessionibus & aliis bonis suis: & cum sint divino dicata cultui, ad usus deputantur illicitos & profanos, despiciuntur, & abominationibus sordidantur. Nonnulli quoque clerici divina coguntur officia in locis ecclesiastico interdicto suppositis, in contemptum clavium ecclesiæ, celebrare, & exhibere sceleratis, excommunicatis, & impiis ecclesiastica sacramenta. Pontificalis parvipenditur auctoritas & potestas: ecclesiastica censura contemnitur: pereunt animæ, trucidantur corpora, incenduntur urbes, destruuntur castra, infringitur stratarum securitas, spoliantur viatores: Saraceni, & schismatici Christicolis præferuntur: defenduntur hæretici adeo, quod in nonnullis locis non audemus procedere contra ipsos. In aliquibus vero terris prædicatores evangelicæ veritatis verbum Dei proponere fidelibus prohibentur: in quibusdam vero hæreses publice prædicantur. Quamplura insuper alia detestabilia & abominabilia committuntur, quæ divinæ oculos Majestatis offendunt, scandalum in Ecclesia commovent, & tremendum ecclesiasticæ censuræ vigorem debilitant, & conculcant; nec potest ipsa Ecclesia, prædicti persecutoris invalescentibus viribus, opportunum super his remedium adhibere: cum nuper etiam idem Manfredus truculentas manus in viscera ejus immittens, quosdam Theutonicos, suæ utique persecutionis ministros, in patrimonium B. Petri in Tuscia, in quo nos cum tota nostra curia residemus, destinare præsumpserit in nostrum & ipsius Ecclesiæ opprobrium, turbationem provinciæ, suorumque fidelium nocumentum. Alias etiam militum copias in ducatum Spoletanum disponit mittere, ut nos, & prædictam Ecclesiam in quadam quodammodo sagena concludens, sic arctet undique vias, & sepiat transitus, ut nullus ad nos venire valeat, vel nos aliquos extra curiam nostram destinare possimus. Verum quia cœlestis altitudo consilii liberationem prædictæ Ecclesiæ tibi tuæque Christianissimæ domui reservavit; & velle videtur, ut jugum oneris ejus, & sceptrum exactoris ejus per tui regni potentiam superentur; ecce dilectum filium nostrum Simonem tit. S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem ad Christianissimum regnum tuum pro negotio dicti regni Siciliæ (a quo utique regno panditur omne malum) ipsius Ecclesiæ, & tantorum periculorum causa procedit in personam memorati comitis, in quem suæ devotionis & strenuitatis pensatis meritis oculos mentis nostræ direximus, auctore Domino, promovendo, commisso ei plenæ legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinamus, &c.* Addit preces, ut afflictæ misereatur Ecclesiæ, atque ad eam ex Manfredi tyrannide liberandam vires explicet. *Dat. apud Urbemveterem* V. *non. maii anno* III.

Queritur Saracenos a tyranno in Eccl. immissos.

Fidei causam in periculum adduci.

Ecclesiasticos viros immanissimam persecutionem pati.

Vastari patrimonium B. Petri a Germanis

Legatum mitti significat.

XIV. Nec modo Ludovicum Francorum Regem, ut fratri Carolo suppetias ferret, excitavit; verum Alfonsum Pictaviæ & Tolosæ comitem, qui accepto crucis symbolo bello sacro in Saracenos se devoverat, solicitavit, ut permutato voto fratri Carolo vires conjungeret: nam comparato a Carolo Siculo regno, facile in Græcos & Sarracenos arma victricia circumferenda. Descriptis enim angustiis superioribus, in quas Manfredus Ecclesiam conjecisset, addit (*a*): *Nobis, sic in arcto positis, nulla via patet, nullaque commodatur omnino facultas subveniendi necessitatibus Terræ sanctæ ac Imperii Romaniæ: sed eadem inimicorum arbitrio exponuntur. Propter quod sedes Apostolica non indigne considerans, quod memorato Manfredo de dicto regno dejecto; & ad ipsum eadem Ecclesia per se vel per aliquem Regem devotum eidem, auxiliante Domino, restituta; ipsius relevarentur angustiæ, tantis occurreretur iniquitatibus, & ad succurrendum celerius & facilius Imperio, & Terræ prædictis via promptior panderetur; de ipso regno duxit, prout tua novit sinceritas, disponendum, &c.*

Alfonsum Pictaviæ comitem ad conjungenda cum fratre arma solicitat.

(*a*) *Ext. in MS. Vall. sig. lit. C. n.* 49. *pag.* 154.

Parta Sicilia, schismaticos & Saracenos facilius subactum iri.

XV. Ad reprimendos interea Manfredi conatus Pontifex, dum externa opperiebatur auxilia, tres legatos cum amplissima po-

potestate creavit, Simonem nimirum tit. S. Martini presbyterum appellatum Patavinum in Piceno, (a) ad lapsas res ob cladem insignem a comite Jordano Manfredi duce Simoni electo Veronensi pontificio præsidi illatam (is sævæ hostium servituti fuerat mancipatus: *Dum*, ut ait Clemens (b) in literis ad Jacobum Regem Aragonum, cujus gratiam apud Manfredum pro eo liberando adhibuit, *suorum castrorum acie ordinata, contra hostium agmina sub vexillis Ecclesiæ consueto suo animi vigore procederet*) instaurandas; Matthæum S. Mariæ in porticu diaconum in patrimonio B. Petri in Tuscia (c) ad Petri e Vico, qui Germanico equitatu a Manfredo accepto grassabatur, impetus reprimendos; atque Ottobonum S. Adriani diaconum in Perusino comitatu (d) cum amplissima in pluribus provinciis legatorum potestate præfecit: eumque propositis indulgentiarum præmiis, ac dato crucis symbolo, fideles ad sacram militiam, pro tuenda adversus crudelissimos hostes Ecclesia, jussit accendere: quorum opem hisce adhortationibus interpunctis suspiriis implorabat (e).

(a) Lib. 3. ep. 233. Theo. Vallic. in vit. Urb. apud Mass. ubi sup.
(b) Clem. tom. 2. pag. 1.
(c) Urb. l. 3. ep. cur. 161. &c. Tres Cardinales legati creati.
(d) Ib. ep. 145. 146.
(e) Lib. 3. ep. 235.

XVI. Immissi a Manfredo in Ecclesiæ terras Saraceni.

*Attendant devoti Ecclesiæ filii: attendant & videant exterminium fidei, & matris considerent necessitates extremas. Immo si filii vicem maternam doleant, eidem celeri subventione succurrant, nec dissimulent amplius tam graves matris injurias; sed graviter tantis ipsius provocentur offensis. Accendatur velut ignis zelus omnium ad vindictam. Proh pudor! patietur Christiana devotio Agarenos, quos ipsa ejusdem matris Ecclesiæ commonitionibus excitata solet in ultimis quasi terræ finibus persequi, nunc eandem matrem Ecclesiam in suis visceribus persequentes? Facti sunt hostes matris in capite, & deerit suffragium filiorum? Matrem inimicus circumdedit; mandavit adversus eam in ipsius circuitu hostes ejus, qui eam lacessunt injuriis, damnis afficiunt, & ad ipsius internecionem elaborant; & in auxilium filii non exurgent? Absit, absit, ut in hac causa fidei sibi ipsis fideles deficiant. Absit ut Christi negotium, qui est ejusdem caput & sponsus Ecclesiæ Christicolæ derelinquant, &c. Dat. apud Urbemveterem* XII. *kal. junii anno* III.

XVII. Concurrere in auxilium Pontificis fideles, maximaque eorum multitudo crucem induit: ac neminem pene fuisse in curia apostolica, qui se triumphali illo symbolo non insigniret, refert Theodoricus. (f) Nec defuit Ecclesiæ suæ sponsæ Christus, qui insigni miraculo Saracenicarum copiarum ducem blasphemum velut alterum Pharaonem submersit. Cujus historiæ veritatem ex Gregorio decano Bajocassium, (g) qui ad Antheri Cardinalis tit. S. Praxedis pontificii nepotis gratiam, precesque Urbani vitam conscripsit, decerpimus: *Hujus temporibus, cum quidam Manfredus nomine, Friderici quondam Imperatoris, filius, ut dicebat, contra mandatum Ecclesiæ, & violenter, pro qua etiam violentia idem cum suis fautoribus fuerat excommunicatus, regnum teneret Siciliæ occupatum, & sua potentia terram patrimonii B. Petri intenderet occupare; pro cujus occupatione quendam magnum exercitum Saracenorum, & quamplurium infidelium usque ad castrum Arronis Spoletanensis diœcesis destinavit; idem dominus Urbanus venerandus Pontifex, sicut erat providus, verbo prædicationis per se proposito; in cujus ore tantam Deus gloriam infundebat, quod quilibet ipsum devote audiens verbum recipiebat, & radicabat introrsum; Christianorum multitudinem tam ingentem per suam prædicationem convertit, quod contra prædictum exercitum infidelium innumera fidelium crucesignatorum ad se multitudo accurrit. Et cum magno equorum armatorum, & apparatu rerum in bello utilium copia eisdem infidelibus obviantes, sperabant cunctis in bello congredi, & dictæ Ecclesiæ vincere inimicos: sed Omnipotens suam & Ecclesiæ suæ causam agi conspiciens, non in viribus hominum vel equorum victoriam habere voluit; sed potius elegit se dominum magnis, & miris prodigiis demonstrare. Nam dux exercitus eorumdem infidelium Percevallus, vocatus de Auria, cum magnas minas faceret contra Deum, & ipsum Christum, in suis confabulationibus blasphemaret; ac cum quodam fastu quandam parvam aquam, & in profunditate modicam pertransiret in magno dextrario phaleris & multis superbitionibus decorato, ut eandem patrimonii terram intraret; divina faciente clementia, dextrarius ipse subito in eadem aqua cecidit: & mox sessor ejusdem tam miro modo est nequiter suffocatus, quod idem Percevallus, nec ejus dextrarius videri postea potuerint, vel etiam inveniri. Quod mirum ejus exercitus, & gens videns, statim eorum cordibus virtute divina commotis, se dederunt in fugam sine duce & ordine: unus alterum non expectans, die & nocte per devia fugientes ad ejusdem regni terminos, non sine magno timore, & metu corporum redierunt. Quos cum prædicti fideles & crucesignati insecuti fuissent, ceperunt innumeros, & quamplures armis & gladio peremerunt. O mira misericordia Dei Patris, quæ sic suam defendit Ecclesiam, quod non bello, sed tantis reddit eximiis victoriis insignitam!*

(f) Theo. Vall. apud Mass. l. 5.
(g) Greg. decan. apud eund.

Sacra militia in Manfredum indicta.

Percivallus Oria Saracenorum dux.

Aquis submersus.

XVIII. Ascribit divino miraculo ejusdem Percivalli infidelium ducis Negræ aquis absorpti mortem Theodoricus (h) Vallicolor carmine incompto, ubi Manfredum, e Campania fugatum, post aliquas hostiles ad Romam occupandam irruptiones Percivallum immisisse ad Pontificem obruendum apud Urbemveterem recensuit.

(h) Theod. Vallic. ubi sup.

*Sed Percivallo jam dicto præduce, castrum*
*De Cellis turbam jussit adire suam.*
*Hicque morata diu, nequiens transire per urbem*
*Vi Tyburtinam, cætera castra capit.*
*Cumque Reatina modicum distaret ab urbe,*
*Ad flumen Nigræ concomitata venit.*
*Hujus enim turbæ ductores Odo, Joannes*
*Marerii dominus, servus, & absque fide*
*Pandulphus dominus Alabii, plures quoque tanti*
*Fautores sceleris præteriere vadum.*
*Hosque fere sequitur exercitus omnis, & ipsi*
*Qualicumque modo læsio nulla datur.*
*Sed Percivallus ut plumbum lapsus in undis*
*Mergitur, hocque tulit ultio digna Dei.*

Ascripta res miraculo.





*Tale Dei sit judicium, miracula tanta,*
*Quod juxta meritum reddit utrisque suum.*

Prosequitur auctor, ut Urbanus infidelium terrore cinctus, dum Urbeveterem morabatur, fideles propositis indulgentiarum præmiis ad Ecclesiam accepto crucis symbolo tuendam accenderit; ingentique collecto exercitu crucesignatorum, de Saracenis aliisque Christiano nomine indignis Manfredianis, Percivalli Negra mersi infelici interitu perculsis, gloriosissimam præsente numine victoriam reportarit. [1]

XIX. Urbanum Petrus e Vico oppugnat.

Texit eadem divina providentia Pontificem adversus impetus Germanici equitatus, quem Petrus e Vico, ad redigendum in servitutem B. Petri patrimonium, a Manfredo acceperat. De cujus excursionibus, & rebellium perfidia tristes sunt subjectæ Urbani querelæ in literis, quas hoc anno ad Matthæum S. Mariæ in Porticu diaconum Cardinalem A. S. L. v. id. augusti scripsit (a): *Proximis jam innotuit & remotis, dum tales, nobis in eodem patrimonio residentibus, copiosa Theutonicorum agmina, quos dictus tyrannus*

(a) Lib. 3. ep. cur. 163.



NOTÆ [1] Gesta omnia ab exercitu pontificio in Manfredum ejusque duces per totum anni hujus tractum non ab alio melius repetenda esse censeo, quam ab ipso Urbano, qui literis ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis per Galliam datis hoc anno die 16. Kal. augusti diligenter persequitur cuncta, quæ a se suis ex hostibus perferenda erant. Narrat igitur casum Percivalli de Auria, & cum ea in re nihil ferme habeat supra ea quæ in annalibus traduntur, ideo historiam hanc ex pontifice narrare ommitto. Unum superest emendandum; male scilicet in annalibus referri Percivallum cum ingenti exercitu ad opprimendum pontificem Urbe veteri agentem perrexisse. Copias enim ducere illum ut urbi Romæ improvisus superveniens illam caperet, affirmat in iis literis pontifex. Addit vero, Manfredum ipsum copias ingentes per dies illos cogere, ut ingentem comparatum exercitum duceret *ad obsidendum nos, & curiam nostram in civitate Urbevetana*. Ex iisdem pariter literis, sicut & ex aliis ejusdem pontificis datis ad Manfredum, constat in referendo nomine electi Veronensis ab annalista erratum fuisse, quem enim Simonem appellat idem scriptor, in utrisque his literis est *M. Veronensis electus*. Male etiam adscribit annalista num. 21. solutionem obsidionis castri de Vico; adscribit, inquam, copiis a Manfredo submissis; teste enim eodem Urbano Manfredus quidem copias ad succurrendum obsessis comparaverat; sed transitum prohibentibus Capuanis confectam viam relegere coactus fuit. Denique ex eisdem literis tota hujus belli hoc anno gesti historia suis temporum discriminibus ita distinguenda est. Post abscessum Simonis cardinalis a pontifice, (ita enim ferunt literæ illæ) nempe maii mensis exordium, Romani urbem Sutrinam a Petro de Vico occupatam, recuperarunt; statimque ad obsidendum Vicum copiæ ductæ; sed Romanis quibusdam ex Petri fautoribus deferentibus expeditionem, Romamque redeuntibus, primo quidem causa colligendarum messium, dein vero nescio quid aliud obtendentibus, Petrus metu solutus resumptis viribus improvisus supervenit Tusculanis in obsidione munitionis Abloneti cujusdam ecclesiæ proditoris agentibus, eosque facile vicit fugavitque. Hac victoria audacior factus in patrimonium S. Petri in Tuscia excurrit. Interea Manfredus ingenti comparato exercitu ex Germanis, Saracenis, Cumanis, & Siculis suppetias Petro laturus venit; sed transitum negantibus Campanis vacuus rediit in Siciliam, copiis suis Princivallo de Oria commissis. Principallus ad fines usque regni Neapoletani successit, ubi ultra mensem substitit, tum in ducatum Spoletinum deflexit. Sed ne ulterius progrederetur vetuit inopinus & mirabilis casus, de quo in annalibus. Nec interim pontifex iners languebat; nam copias undique comparabat, quibus Principallo occurreret, præfecto illis Bonifacio de Cannossa, quem marescialium suum constituit. Tum misit A. (Annibaldum, seu Hanaibaldum) presbyterum cardinalem basilicæ SS. XII. apostolorum ad Narnienses, O. (Othobonum) tit. S. Adriani ad Perusinos, Tridentinos, & Assisienses, & M. (Matheum) S. M. in Porticu ad Spoletanos, ut gentes illas ad arma pro ecclesia capienda solicitaret. Significat etiam cardinali legato pontifex meditari se universis S. R. E. copiis J. (Jacobum, S. Mariæ in Cosmedin præficere. Hæc pontifex in epistola data Urbeveteri die XVI. Kal. augusti, quam proinde diem hæc omnia præcessisse oportet; tum addit misisse se S. (Simonem) S. Martini in Marchiam. Insuper per eos dies Manfredum copias undique excire, addit, ut se (pontificem nempe) & cardinales, Urbeveteri expugnata, in potestatem redigeret. Ex his, quantum arbitror, tempus & series rerum hoc anno gestarum explicatur. MANSI

*in suæ furentis persecutionis ministros assumpserat, in patrimonium ipsum ante oculos nostros immittere præsumpserunt: sicque cum Theutonicis ipsis, & aliis complicibus, & fautoribus eorumdem prædictam Ecclesiam in suis fidelibus continuis aggressibus impetunt, & molestant.* At non impune crimen Germanicæ illæ copiæ tulere, quæ magna ex parte concisæ sunt apud castrum Bledæ a Pandulpho Anguillariæ comite: qui tamen dum fugientes hostes insequebatur, ab iis captus est. Editam vero ingentem Germanorum stragem notat Theodoricus Vallicolor his verbis (*a*).

(*a*) *Theod. Vall. ubi sup.* Germanicæ copiæ concisæ.

*Tantus in Italia conflictus tempore nostro*
*Non fuit: hi pereunt, hi pereundo ruunt.*
*Theuthonicique, licet in primo marte feroces*
*Essent, Ecclesiæ terga dedere viris.*
*Papaque Matthæo terras a cardine dicto*
*Petri commisit, armaque mille dedit.*

XX. Conjuratio ad urbem pontifici eripiendam.

Cum aperta vis non succederet, scelus dolo hostis aggressus est: non enim patrimonium modo B. Petri, verum circumjecta Urbis quoque loca, Ostiam, Sutrium, Tybur, ac Romam ipsam, conflata proditione, sibi subiicere Manfredus est meditatus. Usus est ad perducenda nefaria consilia Petri e Vico, qui diuturnum bellum cum Pandulpho Anguillariæ comite gerebat, Urbisque præfecturam affectabat, perfidia: quem acceptis a Manfredo nonnullis Germanicis copiis Sutrium improviso adventu oppressisse, Sicularum rerum auctor anonymus refert; (*b*) remque paucis post diebus gestam, quam Gontelinus e Gallia ad gerendas senatoris vices accessisset. Cujus auctoris quamvis flagitia Ecclesiæ hostium elogiis exornantis, verba afferre placuit.

(*b*) *Sicul. rerum auct. anonym. MS.*

XXI. Sutrium opprimit.

*Post paucos autem dies*, nimirum ab ingressu Gontelini in Urbem, *petitionem & instantiam dicti Petri*, scilicet e Vico, *liberalitas regia*, ita Manfredianus auctor tyrannidem illius, Ecclsiæ ditionem invadentis colorat, *quæ devotis proximis, & remotis opportune porrigit de more suffragia, quamdam quantitatem Theutonicorum sub præsidatu cujusdam familiaris sui nomine Francisci Trevisii in ejusdem Petri subsidium destinavit. Cum autem dictus Petrus tam gentis ejusdem auxilio, quam partis suæ favore confisus, contra hostes suos animum roborasset; & civitatem Sutrinam, cujus idem majorem partem habere videbatur, violenter intravit, eamque regio dominio subdit, ac fidelitatis fecit sacramenta præstare.* Attolli in perfidum hominem crucis signa Urbanus jussit (*c*) quam provinciam Bethlemitano episcopo, vices pontificias gerenti in Urbe, imposuit: tum Gontelinus prosenator Romanas acies eduxit, Sutriumque restituit Ecclesiæ, ut subjungit auctor. *Interea vicarius Urbis, populusque Romanus pro recuperanda civitate Sutrina communiter exeunt, & cum civitatis mœnibus appropinquassent, priusquam ad impugnationis & conflictus signa perveniant, civitatem ipsam propter subitam & mobilem revolutionem civium ad manus suas, & dominium revocarunt, discendentibus inde cum fuga supradicto Petro de Vico & aliis de comitiva sua: qui non potuerunt sic omnes illæsi discedere, quin plures Theutonici de stipendiariis regiis cum eodem Petro morantes equis, & omnibus armis amissis evaserint; & quin nonnulli etiam ex eis in Romanorum manibus in carcere remanserint: ac in castro vici, in quo se receptaverunt dicti Petrus & sui, ipsorum obsidione circumdantur, & machinis, caveis, & multis impugnandi generibus instanter urgentur.* Consentiunt auctori anonymo pontificiæ literæ (*d*) ad Jacobum Gontelinum senatoris munus vice Caroli agentem datæ, quibus magnis effert laudibus populum Romanum adversus Petrum e Vico perduellem Ecclesiæ concitasse, atque oppidum e Vico, in quo hostis perditissima consilia conflabat, obsidione cinxisse. Sed illam irrito conatu solutam, cum Manfredus recentia auxilia Petro e Vico submisisset, atque etiam plures Romani Petrum e Vico penitus profligare ac delere detrectarent, narrat memoratus auctor.

(*c*) *Lib. 3. ep. cur. 64.*

In eum crucis signa elata.

Prosenator Gontelinus Sutrio ipsum depellit.

Commendatur a Pontifice.

(*d*) *Ib. ep. 125.*

Oppidum e Vico obsidet.

XXII. Obsidio dissolvitur.

*Romanorum innata dissensio, & natura semper ad dissentiendum proclivior, quæ numquam commune commodum, sed privatum dumtaxat affectat, cum jam expugnationis ipsius castri diem cerneret esse propinquum, nutantibus animis illorum de illo exercitu & divisis, rei cœptæ, & jam votivæ depopulationis parte non expectat eventum. Sed vicarius urbis Jacobus de Gualtelino de Provincia oriundus, qui jam pro domino Carolo venerat pridem a Gallia, mature debitum exolvens, exercitus vota divisa præsentiens; & majoris partis exercitus ejusdem mentes, quæ non libenter ad finale dicti Petri exterminium accedebant, sic intra se cognoscens, quasi quadam machinatione corruptus; quando Theutonici intra clausuram burgi morantes, qui de Tuscia venerant ad defensionem ipsius, de se videbantur victoriam polliceri; discedendi licentia popularibus data cohortibus & militantibus in dictis catervis, scilicet dissoluto exercitu, cogitur ab obsidione recedere.*

XXIII.

Et sane infectos tyranni partibus fuisse plures Romanos, non solum ex eodem auctore, sed etiam ex Urbani literis constat:



Richardus Annibaldus Ostiam occupat.

stat: inter quos Richardus Annibaldus a majorum fide degener a Pontifice ad tyrannum descivit, Ostiamque occupavit. Ad cujus perfidiam comprimendam Urbanus Bethlemitano episcopo, cui, ut dixi, suas in Urbe vices commiserat (*a*) scripsit (*b*). Mulcere etiam amantissimis verbis, atque ad officium pellicere rebellem nisus est (*c*) ut Ostiam episcopo restitueret. Adhibuisse quidem omnes conatus Manfredianarum partium Romanos, ut Carolum, cujus adventus terror impendebat, aditu prohiberent, testatur Sicularum rerum scriptor anonymus, qui etiam Manfredum Tyburtinos exercitus sui mole obruere meditatum innuit (*d*): *Non solum Rex Manfredus ad impediendum adventum ipsius Caroli, sed cives Gibellini Romani vigilanter intendunt, parati undique solicite bellare. Jam per maris excubias multitudo galearum invigilat, & voluit parata æmulis classica numerosa concertari. Jam Theutonicorum voluntas sirenescit effrænis, & eorum signa, velut ex eventu forent futuro victricia, in partibus Tyburtinis prope Cellas circa regni confinia pompose descensa præfulgent.*

(*a*) *Ib. ep. cur. 39.*
(*b*) *Ep. 40.*
(*c*) *Reg. post 49.*
Manfredus Tyburtinis imminet.
(*d*) *Anony. auct. ubi sup.*

XXIV.

Fracti sunt tyranni conatus, cum Pontifex Tyburtinos ad constantiam confirmasset: ad quos extant literæ (*e*) hortatoriæ, ut forti animo Manfredi impetus propulsarent. Dissipata pariter illa immanis proditio, quam Petrus e Vico ad subiiciendam Manfredo Romam cum aliquot perfidiæ sociis conflarat; & hostes, qui ad insulam in medio Tyberi sitam penetrarant, a Gontelino prosenatore Gallo cæsi captive, Petro e Vico cum tribus sociis vix ex ea clade pedem efferente. Quam rem idem auctor ita consignat historiæ: (*f*) *Interea tamen, cum per Romanam ecclesiam domino Carolo ad prosequendum regni negotium esset in ipsius regni concessione omnino stabilitum, quod saltem ipse personaliter Romæ deberet adesse; Rex prædictus principiis solicitus obstans, tam per mare, quam per aridam ipsius Caroli nisus est adventum præcidere, ut per lapsum temporis Carolus idem ab accessione hujusmodi cederet, & dictus Rex postea ejusdem Ecclesiæ reconciliare se posset affectibus. Unde sub ipsius Regis toto conamine quosdam fovebat honoribus in Urbe, qui cum quibusdam aliis Gibelinis ad impediendum memorati vicarii & Caroli dominium diverterent, quibuscum suorum equitum comitiva per certas Urbis portas certa hora repente intrent, ut non solum contra eundem vicarium, sed contra Guelphos Urbis, qui Caroli promovebant excellentiam, toto posse confligerent. Apud castrum Cerveteris quantitate quadam equitum congregata, versus Urbem tota nocte deproperat; ita quod in auroræ titulo Urbis mœnibus appropinquat: & dum solus cupit dona prævenire fortunæ, vel potius infortunii calicem prægustare, ne sibi forte mora posset imbecillitatem animi imputare, protinus subintrat Urbem: domos quasdam, quas tenebat, & quas faciebat tunc vicarius custodiri, animose invadit. Est enim Romæ locus ab utroque Tyberis latere circum se positi divisus, ad quem præstant aditum pontium munitæ conformiæ, insula Lycaonia ex antiqua nuncupatione vocatus. Hic absque montuosa eminentia, & sine munitione murorum est per se valde tutus & fortis; ita quod longo tempore potest ab insultatione quorumlibet defensari.*

(*e*) *Ib. ep. 41.*
Romam proditione sibi subiicere meditatur.
(*f*) *Petrus Vallic. in Urbani vita.*
Petri e Vico proditio.

Urbem tacite ingreditur.

XXV. Acerrime cum prosenatore dimicat.

*Ad hunc autem cum idem Petrus cum suorum equitum comitiva procederet, præsentitus a loci ejusdem custodibus, ita secreto nequiens se, ut credebat, reducere; se & suos juxta eumdem locum, qui Piscanula dicitur, receptavit, quasdam domos inibi muniens, & communis viæ fortificans passus, ut imminentem inimicorum incursum, qui jam erant contra eum venturi, subcaute posset evadere. Cumque vicarius prædictus cum quibusdam suis commilitonibus de Provincia, Romanorum Guelphorum non expectato subsidio, ad expellendum dictum Petrum & gentem suam decenter accinctus armis & equis accederet; conflictus primordia reportavit diversa. Licet enim utraque pars, Provincialis videlicet & Gibellini Romani, qui cum dicto Petro aderant, dure ac fortiter conflixerint, in ipso tamen principio vicarius cum suis repellitur. Sed occurrente sibi per insulam supradictam domino Joanne de Savello, homine securi cordis, qui honorem supradicti Caroli tota mentis affectione zelabat, eodemque ab alia illius contratæ parte cum gente dicti Petri viriliter confligente, dictus vicarius contra hostes resumit vires: & animum, & belli perurgens insultum, eumdem Petrum convertit in fugam, hos milites ejus perdit, illos capit, & carceribus mancipat: & tam gloriosissimum & victoriosissimum ex ipsius hostibus triumphum consequitur, quod hostes omnes, prædicto excepto eodem Petro, cum tribus tantum sociis fugæ præsidio ab hostili tempestate subductis, vel crudelis gladius excidiose contrivit, vel Capitolii carcer adstrinxit. Ex hac itaque debellatione quamplurium Gibellinorum fuerunt corda concussa, &c.* His consentanea scribit Theodoricus Vallicolor (*g*) de conjuratione ab Ecclesiæ hostibus conflata ad Urbem opprimendam, divinæque providentiæ tribuit illam a populo Romano patefactam, discussamque fuisse.

Joannes Sabellus periclitanti Romæ saluti fuit.

Hostes cæsi captive.

(*g*) *Theod. Vallic. ubi sup.*

XXVI. Insigne in Urbevetano agro editum miraculum.

Hoc porro calamitosissimo tempore, quo grassari immissos a Manfredo Saracenos, aliosque impios ecclesias immanibus sacrilegiis violasse in patrimonio B. Petri vidimus, divina providentia insigne miraculum edidit, ut homines ad sanctis-

simi Eucharistiæ sacramenti venerationem excitaret. Faciebat rem divinam in agro Urbevetano sacerdos, cum dominici sanguinis guttulam in corporalia effluere passus est: quæ, cum complicasset, in omnibus illis plicis purissimo sanguine purpurata visa, atque etiam nonnullis in locis sacræ hostiæ forma expressa apparuit. Rem adeo admirandam consignat historiæ S. Antoninus (*a*) subjectis verbis. *Tunc cum curia residebat Urbanus in Urbeveteri, ubi in loco non multum distanti apud Vulsinum, in quadam ecclesia sacerdote celebrante miraculum factum est ex ipso sacramento: nam cum post confectionem sacramenti gutta aliqua sanguinis ex calice profluxisset in corporale, sacerdos ad occultandum defectum suæ negligentiæ cooperuit partem corporalis pluribus plicis hoc faciens. Sed reperta est per omnes plicas illas transisse, & reliquisse ibi rubeam admodum sanguinis formam hostiæ in pluribus partibus corporalis: quod quidem corporale ad perpetuam rei memoriam in ecclesia cathedrali Urbisveteris pro reliquiis reservatum est: & aliquando populo ostenditur cum magna veneratione.*

(*a*) S. Anton. 3. par. tit. 19. c. 13. §. 1.

Sacramentales vini species in sanguinem versæ.

XXVII. Festum Corporis Domini ab Urbano institutum.

Injecit tantum prodigium Urbano occasionem instituendæ quinta feria, ab octava Pentecostes recurrente: festivitatis, permotumque aliis etiam gravissimis rationibus ipse testatur, ut nimirum tepescente aliquorum de tanto Sacramento fide, instructa ingenti pompa illius celebritate, impiorum perfidia pudore confunderetur, atque accenderetur bonorum pietas. Et quamvis institutio corporis & sanguinis dominici sub sacris speciebus in incruento Missæ sacrificio feria quinta hebdomadæ sanctioris recolatur; quia tamen Ecclesia tum in plangenda Domini acerbissima morte piis ritibus occupata est, non ita inter luctus medios expromendæ pro tanto beneficio lætitiæ vacare posse in diplomate apostolico edisserit (*b*) post celebratas augustissimi Sacramenti laudes, atque illius demonstratam veritatem: *Licet hoc memoriale Sacramentum in quotidianis missarum solemniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur & dignum, ut de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam & insaniam, memoria solemnior & celebrior habeatur. In die namque cœnæ Domini, quo die ipse Christus hoc instituit Sacramentum, universalis Ecclesia pro pœnitentium reconciliatione, sacri confectione chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & aliis quamplurimum occupata, plene vacare non potest celebrationi hujus maximi Sacramenti. Hoc enim circa sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa observat Ecclesia, ut quamvis in litaniis & missis, ac aliis etiam ipsorum memoriam sæpius renovemus; nihilominus tamen ipsorum natalitia certis diebus per annum solemnius recolat, festa propter hoc eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solemnitatis debitum aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut alias ex humana fragilitate omittitur; statuit ipsa mater Ecclesia certum diem, in qua generaliter omnium sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebratione communi quidquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum existeret, solveretur.*

(*b*) Lib. 3. ep. cur. 160. ext. etiam in Bullar. in Urb. IV.

*Potissime igitur exequendum est erga hoc vivificum Sacramentum corporis, & sanguinis Jesu Christi, qui est sanctorum omnium gloria & corona, ut festivitate ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo, quod in aliis missarum officiis circa solemnitatem est forsitan prætermissum, devota diligentia suppleatur: & fideles festivitate ipsa instante intra se præterita memorantes, id, quod in ipsis missarum solemniis sæcularibus forsan agendis impliciti aut alias ex negligentia, vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus, & animi puritate restaurent. Intelleximus autem olim, dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam catholicis revelatum festum hujusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum.*

XXVIII. Cœleste visum S. Julianæ objectum.

Gerebat Urbanus archidiaconatum in Leodiensi ecclesia, cum S. Juliana virgo divino lumine collustrata tum illi, tum aliis viris pietate & doctrina conspicuis, divinam de solemni celebritate institutæ a Christo Eucharistiæ peragenda voluntatem aperuit (*c*). Cui divinitus objectam hanc speciem Chapeavillus canonicus Leodiensis in suo tractatu de origine festi corporis Domini refert (*d*): *Tempore juventutis suæ, quoties Christi virgo Juliana orationi incumbebat, magnum ei signum & mirabile apparebat. Apparebat, inquam, ei Luna in splendore, cum aliquantula tamen sui sphærici corporis fractione: quam cum multo tempore conspexisset, mirabatur multum, ignorans quid illi prætenderet.* Addit auctor, ut sancta Juliana post graviores animi æstus, fusasque ad Deum preces, divini consilii particeps effecta sit: *Tunc*, inquit, *revelavit ei Christus in Luna præsentem Ecclesiam; in Lunæ autem fractione defectum unius solemnitatis in ecclesia figurari, quam adhuc volebat in terris a suis fidelibus celebrari.* Cum illa demisse de se sentiens arduam provinciam suscipere expavesceret, demum rem totam inter alios Roberto episcopo Leodiensi detexit: qui vocato theologorum concilio, ac dein synodo coacta, in sua diœcesi solemnem diem instituit (*e*): cujus literæ a memorato auctore afferuntur. Oraculum vero de ea celebritate in universo orbe propaganda ab Urbano impletum

(*c*) Hocsem. in Henrico Gueld. c. 6. & Joan. Chapeav. in not. ad Hocsem.

(*d*) Idem Chap. in tract. de vera orig. fest. corp. Dom. c. 2.

Illius explicatio.

Ut Robertus episc. Leodien. id festum corporis Domini celebravit.

(*e*) Idem c. 6.



tum est, cum hæc sanxit: *Nos itaque ad corroborationem & exaltationem Catholicæ fidei digne ac rationabiliter duximus statuendum, ut de tanto Sacramento præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solemnior & specialior annuatim memoria celebretur: certum ad hoc designantes & describentes diem, videlicet feriam quintam proximam post octavam pentecostes, ut in ipsa quinta feria devotæ turbæ fidelium propter hoc ad ecclesias affectuose concurrant, & tam clerici quam populi gaudentes in cantica laudum surgant: tunc enim omnium corda & vota, ora & labia hymnos persolvant lætitiæ salutaris: tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, devotio plaudat, jubilet chorus, puritas jucundetur: tunc singuli alacri animo, puraque voluntate, conveniant, sua studia laudabiliter exequendo, tanti festi solemnitatem celebrantes, &c.* Hortatur Christianum populum, ut conceptam de tanto Sacramento fidem pietatemque in ea celebritate servanda incendat; iisque indulgentiarum præmia pollicetur, quæ subsecuti postea Pontifices ad stimulandam religionem auxere (*a*): *Postmodum*, inquit Hocsemius, (*b*) *continue per plures ecclesias in Germania & Francia a clero & populo celebratum. Sed demum per alias universaliter recipitur ecclesias, cum Joannes Papa XXII. constitutionem Urbani super hoc factam, quæ incipit: Transiturus de hoc mundo ad Patrem; quam Clemens Papa V. observari districte præceperat ab omnibus in concilio Viennensi; fecisset cum cæteris Clementinis constitutionibus celebrari.* De his pluribus auctores catholici. Cæterum ex superioribus refelluntur blasphemi Centuriatores (*c*) aliique hæretici, qui non ex divino, sed diabolico objecto viso duxisse initium impie ac sacrilege effutiunt. Sed improborum mittamus deliria, atque ad Urbanum in moderandis ecclesiis, & aliis ad divinum cultum spectantibus apostolicas curas explicantem redeamus.

(*a*) S. Ant. ubi sup. cap. 13. §. 1.

(*b*) Hocsem. in Henric. Gueldren. c. 6.

(*c*) Centur. 13. c. 6. col. 633.

XXIX. Archiep. Turritanus legatus in Sardinia.

Irrepserant ad ecclesiasticos honores in Sardinia, & Corsica impares doctrina, & virtutibus viri: unde divini numinis cultus exolescebat: ad quem restituendum Pontifex Turritano archiepiscopo in iis insulis obeundam apostolico nomine legationem demandavit, atque literis archiepiscopos, episcopos, abbates, & alios dignitate ecclesiastica decoratos, eum honore debito & amore complecti jussit: (*d*) legato vero imperavit, (*e*) ut in præsules insularum Sardiniæ & Corsicæ, qui doctrina tanto gerendo muneri necessaria ornati non essent, inquireret, atque ad sedem Apostolicam, justam sententiam excepturos, transmitteret. Nec doctrinam modo, verum etiam vitæ sanctitatem in præsulibus exegisse ostendunt datæ ad episcopum literæ, (*f*) quem vitiis dignitatem contaminasse fama attulerat. *Si quando*, inquit, *ecclesiarum prælatos, quos divina dispositio statuit per altitudinem dignitatis in specula, ut quasi lucerna super candelabrum positi aliis doctrinæ lumine viam veritatis ostendant, & eos ad salutem laudabilium operum vehiculo exemplari ducant, prolabi contigerit in devium; cum peccantium sublimitas majora facit judicia peccatorum, tanto ipsi majori profecto reatu delinquunt, quanto potiori honore funguntur; & eo periculosior esse dignoscitur lapsus ipsorum, quo in gravius eorum cedit exitium, & in subditorum vergit perniciem per exemplum. Ipsi namque laxando, instigante humani generis inimico, voluntatem habenas, semet in lacum miseriæ, ac in lutum fecis immergunt: & qui deputati fuerant ad directionem & regimen populorum, facti eis in deviationem potius & ruinam, se tot mortibus dignos reddunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt, &c.*

(*d*) Lib. 3. ep. 99.

(*e*) Ib. ep. 100. Præsules indocti exauctorati.

(*f*) Ext. in MS. Vall. sign. lit. C. n. 49. pag. 148. Quantum a vitiis abhorrere debeant.

XXX. Urbani in hostes clementia.

Egregium vero Urbanus Christianæ mansuetudinis exemplum in remittendis hostibus injuriis explicuit: cum enim ad efferendas tuendasque Willelmi Regis Romanorum partes nuncii apostolici partes in Germania sustineret, a nonnullis hostibus captus traditusque vinculis, e quibus non sine miraculo ereptus est (*g*) gloriosissime pepercit, cum adepto pontificatu injuriam ulcisci poterat. De qua re subjectum diploma (*h*) præterire silentio non possumus.

(*g*) Theod. Vallic. in vit. Urb.

(*h*) Lib. 3. ep. 731.

*Priori fratrum Ordinis Prædicatorum in Confluentia Trevirensis diœcesis.*

*Gemma nulla splendidior in summi Pontificis ornatu geritur, quam sit humilitas, regina virtutum omnium, & corona præfulgida electorum, nec non divinæ gratissimæ majestatis oculis, & perpetuæ meritoria claritatis. Hanc etenim cœli decus, & terræ decorem cœlestis agni benignitas ita nobis per suam gratiam amabilem reddidit, & nostris affectibus cum sinceræ charitatis insignis alligavit, quod spinam omnis odii, seu rancoris a corde nostro præcidimus; & dilectionem illorum in ipso firmissime solidamus, qui nostram innocentiam quandoque calumniis, & interdum gravibus afflixere jacturis. Sane tunc temporis, quo felicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster Lugduni manebat, nos (qui archidiaconatus Laud. officio eodem tempore fungebamur, de speciali mandato prædecessoris ejusdem ad partes Alemanniæ pro quibusdam ecclesiæ Romanæ negotiis accedentes) Hermannus de Vvillemsdorp miles senior, ac Hermannus junior, & Conradus ejusdem loci fratres, necnon Euheardus de Bicken laici cum quibusdam suis complicibus Trevirensis diœcesis ausu capi sacrilego, & spoliatos qui-*

*bus-*

*busdam equis, ac certa pecuniæ summa, & quampluribus aliis bonis nostris; detineri fecerunt aliquandiu captivatos, clementissima Regina cœlorum illam nobiscum misericordiam faciente, quod de captivitate hujusmodi per suæ virtutis auxilium fuimus liberati. Nunc autem Hermannus junior, & Conradus, ac Eubeardus prædicti, sicut ipsi nobis significare curarunt, ad cor Domino inspirante reversi, de illa prædictorum bonorum parte, quæ provenit eisdem, ac etiam de illatis injuriis parati sunt nobis satisfactionem, juxta suæ possibilitatis exigentiam impertiri: quare humiliter petebant a nobis, ut cum ipsi propter inimicitias, quas se incurrisse asserunt capitales, & viarum discrimina graviora ad præsentiam nostram venire non possint; dictumque Hermannum seniorem jamdudum ex quodam pietatis affectu absolvi fecerimus, per te ipsum providere ipsis in hac parte salubriter curaremus. Quia vero illius officii dignitatem nos, licet immeriti, ex divina provisione suscepimus, in quo & inimicos diligere, & persecutoribus nostris etiam pie tenemur orationis subsidio subvenire, discretioni tuæ præsentium auctoritate committimus, quatenus Hermannum juniorem, Conradum, & Eubeardum prædictos, cum super hoc ab ipsis fueris humiliter requisitus, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrisse noscuntur, vice nostra juxta formam Ecclesiæ prorsus absolvas, & injungas eis pœnitentiam salutarem.*

Remittit iis omnem injuriam.

Sibi erepta condonat.

*Cæterum eisdem, postquam absolutionem hujusmodi secundum præmissam formam fuerint assecuti, benigne denunties, quod omnem injuriam & offensam irrogatam nobis ab ipsis eis remittimus, & emendam, seu restitutionem pecuniæ, seu bonorum, in qua pro damnis illatis teneri personæ nostræ noscuntur divinæ pietatis intuitu liberaliter relaxamus; injungens eis nihilominus in virtute præstiti juramenti, quod abstineant de cætero ab hujusmodi injuriis & rapinis. Dat. apud Urbemveterem* VII. *id. jul. anno* III.

XXXI. Adscripta hisce literis, atque aliis pluribus dies Urbanum commoratum Urbevetere docet, ubi biennium egisse Theodoricus addit: sed demum hoc ipso anno, cum Urbevetani quandam ecclesiæ arcem invasissent, ingruerentque hostes, Perusium se contulit; de quo nobis agendum erit, cum de illius morte differemus inferius. Nunc ad S. Ludovicum digredimur, cujus insignia elogia literis ad Templarios datis (*a*) de creando Americo Franciæ, ut ajunt, præceptore, commendata silere non possumus: *Habet*, inquit Pontifex, *universalis Ecclesia in charissimo in Christo filio nostro Rege Francorum illustri, unde in Rege suo Christo Jesu canticis & hymnis exultet. Habent in Christo religionis cujusque cultores, unde Domini nomen in choro laudent ac tympano, & psalterio psallant ei. Ipsius namque Regis Francorum pectus pissimum, gratiæ cœlestis dono perfusum, sic ad cunctas orbis ecclesias & personas ecclesiasticas, religiosas præcipue, ubertim ubera suæ pietatis effundit, ut ipsum experiatur quotidie omnis Christiana religio singulare præsidium, & præcipuum sentiat libertas ecclesiastica munimentum. Vos autem in eo ad singularis jubili canticum causa singularis invitat: si enim prudenter attenditis: si qua decet attentione notatis, quanta idem Francorum Rex ordinem vestrum, & jura ipsius custodiæ diligentia protegit, & quam diligenti protectione custodit; quantaque vos, & cunctos ejusdem ordinis professores charitatis singularitate prosequitur; profecto cogemini exauditionis promptitudine loquente fateri, dignum fore, nec minus debitum, ut quæ a vobis nunc, præsertim cum vestrorum incremento profectuum & multi apud eum favoris augmento, dignanter exposcit, liberaliter consequatur, &c.* Regiis precibus apostolicas adjungit, ut Americo id munus deferant: de quo etiam ad patriarcham literas dedit, (*b*) ut ipsos ad regiis votis gerendum morem adduceret.

(*a*) *Ext. in cod. Vallic sig. lib. C. n. 49. pag. 149.*

Urbani lit. ad Templarios.

S. Ludovici eximia elogia.

(*b*) *Ibid. ep. 57.*

XXXII. Egregio quidem virtutis exemplo S. Ludovicus, quamvis Angliam Franciæ æmulam esse non ignoraret, bellumque in Gallias quoties intestinis vacaret dissidiis, traducere consuevisse, regnique limites aucupata occasione proferre latius posset; comparandæ tamen sibi æternæ gloriæ amplificandæque, quam perituræ fucatæque avidior, Anglum inter, ejusque optimates pacem conciliavit: cujus facti gloriam Urbanus gratulatoriis literis commendavit, (*c*) sententiamque ad Regis Anglorum gratiam Ambiani in celeberrimis procerum conventibus latam corroboravit. Agebatur an Rex Angliæ sanctitas Oxoniæ leges servare teneretur, quas ille regiæ majestati adversas, ac per vim extortas, atque ideo infringendas contendebat: quin etiam summus Pontifex dati tunc sacramenti religione illum solverat: (*d*) verum nobiles suæ libertatis, vel potius augendæ potentiæ, regiæque imminuendæ avidissimi, datam fidem violare non posse asserebant.

S. Ludovici in pacanda Anglia studium.

(*c*) *Lib. 3. ep. cur. 52. 53.*

(*d*) *Ibid. ep. 56. 62.*

XXXIII. At non diu tenuit in Anglia pax, quam Rex sanctus Ambiani sanxerat: novarum enim rerum cupidi proceres, cum ex regia auctoritate pristino splendori restituta rescissis legibus, quas per vim & metum ab Henrico Oxonii extorserant, suam imminui ac labefactari interpretarentur; Leycestriæ & Gloverniæ comitibus præcipuis belli facibus, in arma coorti sunt: commissoque prælio, dum Eduardus Londinenses in fugam aversos ma-

Anglor. procerum ab Rege defectio.



ternæ injuriæ ulciscendæ causa longius persequitur, ex ejus absentia debilitato regio exercitu, cum maxima ejus pars ad diripienda rebellium castra sese effudisset, occasionem aucupati regias copias perrupere: atque in ardentissimo conflictu Henricus ac Richardus in potestatem hostium devenere. Reversus victor Eduardus, patrem captivum reperit, illiusque recuperandi cupidus prælium redintegrat: sed a suis, quos pavor minimus perculerat, destitutus cedere prælio coactus est. Hæc erat funesta rerum Anglicanarum facies, quæ Pontificis animum maximo dolore confecit: utque auctoritate apostolica comprimeret, qui regiam calcaverant, Guidonem Sabinensem episcopum legationis munere auctum, qui sub Clementis nomine postea pontificatum gessit, in Angliam ire jusserat: sed perduelles vias undique armatis obsepsere, ne appellere posset: quos legatus, excitis nonnullis ex Anglia episcopis, anathemate perculit, Angliamque interdicto subjecit. Hæc pluribus Theodoricus Vallicolor, (*a*) Matthæus Westmonasteriensis, (*b*) & Continuator Parisii: quorum duo postremi procerum defectionem perperam defendunt. Cæterum ingentes ejusmodi in Anglia tumultus non solum illud regnum quassavere, verum etiam obstitere, ne Germania tot annis ob duorum Regum electionem jactata conquiesceret.

Henricus & Richardus in rebellium manus incidunt. Eduardus Henrici fil. redintegrat prælium sed a suis deseritur. Guido Card. legatus arcetur aditu in Angliam.

Synodum in Galliis cogit ac rebelles percellit anathemate.

(*a*) *Theod. Vallic. ubi sup.*

(*b*) *Vvestmon. in Flor. hist.*

XXXIV. Nec in Anglia modo nobiles adversus Regem suum insidias conflavere, verum simile quoque flagitium Navarræ proceres tentavere: atque coacto concilio, percussoque fœdere e suis unum elegere, cui jurejurando morem gerere sese devinxere. Quæ res cum regiam auctoritatem elideret, Pontifex defendendas Navarræ Regis partes suscepit, atque archiepiscopo Burdegalensi provinciam demandavit, (*c*) ut ad iniquum fœdus dissolvendum operam navaret.

Navarræ proceres coitionem ineunt in Regem. Urbani jussu dissoluta.

(*c*) *Lib. 3. ep. 97.*

XXXV. Fremebant tum temporis maritimæ Hispaniæ Africæ objectæ partes Saracenico bello: & Alfonsus ad procerum Angliæ, qui Imperii æmulum carcere inclusserant, causam defendendam inhians, arma ad propulsandos Mauros, (*d*) qui ex Africa ingentes copias Hispaniæ invexerant, convertere coactus (*e*) est. Exciverat ipsos Mahomad Alhamar Rex Granatæ Castellanæ aulæ fiduciarius, qui communicatis cum Hudiele Murciæ Rege defectionis consiliis, Christianorum jugum rebellibus cervicibus depellere conatus est. Attulere ingentes prima irruptione Christianis clades Sarraceni: ad quos comprimendos Alfonsus Hispalim, raptim collecto exercitu, se contulit, commissoque prælio maximam eorum stragem edidit, multoque Christiano cruore stetit victoria. Excivit in auxilium Aragonum Regem Jacobum, qui in Mauros egregia virtutis bellicæ facinora explicuit, Murciamque expugnavit: de qua parta victoria suo loco inferius differetur (*f*).

Africani in Hispanias irrumpunt.

(*d*) *Joann. Marian. de reb. Hisp. l. 13. c. 15.*

(*e*) *Monach. Pad. chr. l. 3.*

A Mahomade & Hudiele Mauris Regibus exciti. Fusi prælio ab Alf. Castellæ Rege.

Jacobus Rex Arag. in belli societatem venit.

(*f*) *Ann. 1266.*

Interea flagitaverat ab Urbano Alfonsus, ut Hispalensi archiepiscopo apostolica auctoritate concederet, ut crucem non in sua provincia modo, sed tota Hispania sibi præferre posset. Quamquam enim ex antiquo more id omnes in Hispania archiepiscopi præstarent, atque eodem jure potiri se posse non ambigeret; id tamen a Pontifice concedi & confirmari postulabat: suasque etiam archiepiscopus preces cum regiis conjunxerat porrexeratque, quas Urbanus benigne admisit (*g*).

XXXVI. Archiep. Hispalensis in tota Hisp. crucem sibi præferre potest.

(*g*) *Lib. 3. ep. 302.*

Adjungimus Hispanicis rebus, Alfonsum Castellæ & Legionis Regem, Richardi in Imperio æmulum, magna contentione apud sedem Apostolicam, ut sibi Imperiale insigne decerneretur, institisse. Præfixerat, ut vidimus, peremptorium terminum Pontifex electis Regibus ad dicendam causam: & quidem Alfonsi oratores, qui antea apostolicum judicium subire recusarent, affuere: Richardi vero, qui admiserant, non stitere. Quod cum ob subitos bellorum ingruentium motus, quibus Anglia fluctuabat, ipsomet Richardo capto a perduellibus, accidisset; Pontifex dicendæ causæ diem protrahendum hisce literis decrevit (*h*).

XXXVII. De Imperii inter Alfonsum Regem Castellæ & Richardum controversia.

(*h*) *Ibid. ep. 314.*

*Urbanus, &c. ad futuram rei memoriam.*

*Inter charissimos in Christo filios nostros Alfonsum Regem Castellæ ac Legionis illustrem, & Richardum in Romanorum Regem per electiones varias in discordia celebratas electos, super obtinenda Imperii dignitate, inimicus homo contentionis materiam suscitavit. Et licet tam tempore fel. recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, quam nostro, ad sedandam contentionem ipsorum, sedis Apostolicæ circumspecta provisio diversos exquisierit modos, & vias; & propterea voluntatem in hoc nihilominus partium, expresse litigare se nolle dicentium, prosequendo, distulerit inter eas judicis partes assumere; quia tamen id juxta ipsius sedis desideria provenire non potuit, tandem procuratores memorati Regis Castellæ in nostra & fratrum nostrorum constituti præsentia, inter cætera cum instantia postularunt, ipsi Regi consuetum favorem, & debitam in hujusmodi negotio justitiam exhiberi: procuratores vero memorati Richardi simili petitione, ac nonnullis aliis præmissis, quæ putabant suæ intentioni congruere, obtulerunt ejus nomine se paratos (quantum mandati, quod ab eodem Richardo habebant, se vires extenderent) ecclesiæ Romanæ, ac nostrum subire judicium, si quis forsitan appareret, qui eum super præmissis*

(*b*) *Ibid. ep. 314. Ext. etiam in dicto Cod. Vall. pag. 13.*

Ut ii subterfugerint stare judicio Alexandri IV.

Subjecerint se postea Urbani judicio.

Ut Pontifex ad conciliandam inter eos concordiam incubuerit.

*sis vellet impetere, aut aliud proponere, per quod posset præjudicium ei generari. Nos autem eorumdem electorum concordiam, tanquam toti mundo perutilem, nobisque ac ipsi ecclesiæ Rom. votivam & pacificam, prædicti ordinationem Imperii multo desiderantes affectu, deliberavimus sic petitioni exhibendæ justitiæ, ad quam partium instantia nos cogebat, annuere, quod tractatus concordiæ, ad quos nostra suspirabat, & adhuc suspirat intentio, nequaquam deserere videremur; & ideo ad eosdem electos nuntios nostros, qui eos ad pacis unitatem inducerent, duximus destinandos, ac ipsos nihilominus de prædictorum fratrum consilio, per eosdem nuntios citari fecimus, ut secundo die mensis maii proximo prædicti, apostolico conspectui se per procuratores idoneos præsentarent, qui eorum conscientiæ conscii, legitimum & plenum mandatum ab ipsis haberent, ad pacis tractatum, si Dominus concederet, ineundum; & ad procedendum in ipso negotio, prout honori Ecclesiæ ac pensata talis & tanti conditione negotii, expedire sine offensa justitiæ videremus: sicut in literis nostris, super citationibus confectis hujusmodi, plenius continetur.*

Præfixerit utrique electo diem ad causam dirimendam judicio.

XXXVIII Comparuere Alfonsi oratores.

*Adveniente vero termino memorato, & pro eodem Richardo nemine comparente cum sufficienti mandato ad ea, quæ in præmisso continentur citationis edicto; venerabilis frater noster Martinus Legionensis episcopus, & dilecti filii magistri Joannes Alfonsus capellanus noster archidiaconus Compostellanus, & Rodulphus de Podio Bonizi comparentes pro eodem Rege, ac sub sigillo ipsius literas exhibentes (per quas tam eorum singuli, quam venerabilis frater noster G. Silvensis episc. procuratores, actores negotiorum gestores ab ipso Rege constituuntur, & ordinantur in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, ad petendum a nobis Imperii coronam, quam idem Rex sibi debitam asserit; & ad agendum, respondendum, defendendum, & tractandum jura sua Imperii, ac omnia factum ipsum contingentia, & quidquid honori ejusdem Regis expedire viderent, sive in ordinario, sive in extraordinario judicio, ageretur) inter alia petierunt præfatum Regem, ad suscipiendum de nostris manibus Imperii diadema vocari, & juxta petitiones alias porrectas ab ipsis, & in nostra & eorumdem fratrum præsentia repetitas in negotio prædicto procedi, diversæ partis absentia non obstante; præsertim cum nihil ab ipsa peterent, sed ad exauditionem petitionis suæ nostrum officium implorarent. Verum dilecti filii magistri Guillelmus Roffensis archidiaconus, & Guillemus de Corneria capellani nostri, ac Robertus de Barro, qui alias pro eodem Richardo hujusmodi negotium fuerant prosecuti, quibusdam exhibitis pro ipso excusatoriis literis, ejusdem electi absentiam (cujus causas, videlicet turbationem regni Angliæ, ac alias dicebant esse notorias) excusantes allegabant, eo absente ac taliter impedito, non esse in prædicto negotio procedendum. Licet enim ab ipso nihil per partem alteram peteretur, illud tamen petebatur, quod non poterat sine præjudicio juris ipsius, quod eumdem Richardum plenum in Imperio habere dicebant; quin potius sine illius extinctione concedi: unde cum hujusmodi petitio ipsum contingat, & principaliter jus ipsius impugnet, illius discussio ejusdem Richardi præsentiam per se, vel per alium sufficientem ac plene instructum, ad tantum negotium, quod eodem Richardo taliter impedito, fieri non poterat, proculdubio exigebat: propter quod dicebant, in eodem negotio non debere, ac petebant, nullo modo ipso sic absente procedi.*

Postulaverunt Regis nomine imperiale insigne.

Excusat se literis Richardus si procuratores non miserit.

XXXIX. Urbanus sententiam ferre differt.

*Nos autem his & aliis, quæ fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis, & cum eisdem fratribus nostris plena deliberatione discussis; licet invenerimus pervenisse ad utramque partem præmissæ nostræ citationis edictum; tamen circumstantias tanti negotii & totius orbis turbationes multiplices, quæ non solum partes easdem, sed & nos & ecclesiam Rom. circumstrepunt, attendentes; ac illam sequentes juris censuram, qua humanum esse censetur, propter casus fortuitos dilationes accipi; deliberavimus cum eisdem fratribus nostris, in præsenti negotio processum nostrum, quoad ea, quæ præmissa citatio continet, ad præsens, ex præmissis; & aliis justis causis & evidentibus sustinendum. Et ideo juribus partium, & ipso negotio in omnibus & per omnia in eo statu, in quo nunc sunt, omnino manentibus, terminum usque ad annum, computandum a festo B. Andreæ Apostoli venturo proximo prorogamus, præmissum interim nullo modo neglecturi negotium: sed sicut in votis gerimus, sic illi cum diligentia vacaturi, quod etiam si medio tempore, Domino favente sermoni, ad expediendum ipsum, vel alia in illo, ut circa illud ordinanda competens via patuerit, ad ea, illo qui potest nostrum dirigente processum, prout expedire videbimus, procedemus.* Consentiunt his quæ scribit Theodoricus Vallicolor (*a*).

Quem terminum constituerit.

(*a*) Theod. Vallic. in vita Urb.

*Quamvis egregie proponeret utraque pro se*
*Pars, coram Papa causa vocata fuit.*
*Sed cupiens animo tantis imponere factis*
*Finem, præfatus pastor utrumque citat.*
*Richardus minime venit, nec misit: ab ejus*

*Hosti-*



*Hostibus & dicto Simone captus erat.*
*Solemnesque viros Hispanus misit, & ejus*
*Cordis secretum certificarat eis.*
*Sed quia tunc aberat pars altera, terminus alter*
*Assignatur eis sufficiensque dies.*

XL. Illum non assecutus rem indecisam relinquit.

Decidere causam de Imperio Alfonsum inter & Richardum controversam Urbanus non potuit, cum ad diem ab eo sequenti inclinante anno constitutam superstes vitæ non fuerit: atque ita res, dilata toties, exitu carnit. Ac demum sublato Richardo, Alfonsoque jure cedere coacto, Rudolphus Habspurgensis comes Imperio est potitus, sed de his postea. Interea pendente de Imperio lite, dum electi bellis gravissimis implicíti, Alfonsus in Hispania contra Mauros dimicaret; Richardus procerum Angliæ in fratrem conjuratione oppressus esset; Germania diversis factionum turbinibus agitabatur: quibus concussa gravissime Colonia fluctuavit. Conjurarant Colonienses in Engelbertum archiepiscop. quem superiori anno sacratum ab Urbano, atque in ea sede confirmatum ostendunt literæ pontificiæ: ac præsulem nihil cogitantem repentina impressione facta in palatio ceperant, prosciderant contumeliis, per plateas raptarant; denique una cum ipsius fratre domino e Falkember in carcerem compegerant. Sed cum meritum sceleris supplicium imminere præsagirent, ea lege ipsum carcere eduxere, ut sacramento sese devinciret, nunquam de acceptis injuriis conquesturum, ultionemve expetiturum. Quo audito Urbanus, sacramentum, ut plenum fraude vique extortum, convulsit: atque archiepiscopo in eos, qui divina præsentibus iis, qui tantum admiserant scelus, celebrarant, animadvertere imperavit (*a*).

Neuter ex electis potitus Imperio sed Rudolphus.

Graves in Germania ob interregnum turbæ.

Coloniensium in episcopum conjuratio.

(*a*) Lib. 3. ep. 149. & cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. pag. 149.

XLI. Urbani lit. ad archiep. Colon.

*Nos qui fratrum & coepiscoporum nostrorum offensas proprias reputamus, illatas tibi tam graves, tam atroces, & enormes injurias non tam in tuum opprobrium, quam in illius contemptum cedere, qui (evangelica veritate testante) se in suis ministris recipi testatur & sperni; nec minus in prædictæ Coloniensis ecclesiæ, ac ecclesiasticæ libertatis grande dispendium vergere non indigne pensantes; ac volentes propterea, frater, inductum contra hæc jusjurandi vinculum, quo te detentus in carcere, ut prædicitur, obligasti, de apostolicæ dissolvere plenitudine potestatis; te ab hujusmodi juramento, quo tam grandi malefactorum astutia diceris obligatus, ut eo non obstante jus tuum persequi, ac injuriam in te ipsi ecclesiæ tuæ illatam ulcisci libere valeas, sicut hujusmodi juramento non præstito id licite facere potuisses; nec propterea reatum perjurii, seu quamvis infamiæ notam incurras, cum trahi non debeat ad coactæ voluntatis opprobrium, quod illicita conditio necessitatis extorsit; auctoritate præsentium duximus absolvendum. Cæterum quia nonnulli presbyteri & clerici Coloniensis, prædictorum excessuum non ignari, coram præfatis sacrilegis scienter præsumpserunt & præsumunt celebrare divina, ne ipsorum insolentia remaneat impunita, volumus quod tam auctoritate nostra, quam tua contra eos officii tui debitum exequaris, &c. Dat. apud Uebemveterem VIII. id. martii.*

Rescissa a Pontif. juramenta iniqua.

Sacerdotes qui rem divinam coram sacrilegis peregere, munere exauctorari jussi.

XLII. Ut Colonienses archiepisc. e vinculis eduxerint.

Non impulsi sceleris conscientia archiepiscopum Colonienses restituerant libertati, sed ingruente illius clientum ac fœderatorum exercitu perculsi. Cum enim ipsorum rebellionis fama percrebuisset, Leodiensis ac Monasteriensis episcopi, Luxemburgensis dux, & comes Gueldrensis Coloniam advolarunt, ut archiepiscopo opem ferrent: at ii numquam laxare vinculis voluere, ni dicti episcopi ac viri prænobiles jurejurando fidem obligarent, se ipsis contra archiepiscopum auxilia laturos, si ultionem aliquam ob id reposcere meditaretur. Quo ad sedem Apostolicam perlato, Urbanus hujusmodi sacramenta rescidit, ne pessimi exempli pernicies in alios serperet, Colonienses anathemate defixit, (*b*) & archiepiscopum violatam ecclesiæ suæ dignitatem jussit ulcisci: & ne episcopi Leodiensis, & Monasteriensis, Luxemburgensis dux, Gueldriæ comes, aliique viri principes aliqua religione in suscipienda Coloniensium causa tenerentur, ipsos Pontifex omni jurisjurandi præstiti nexu exolvit: qua de re extant literæ ad episcopum Leodiensem datæ (*c*).

(*b*) Urb. l. 3. ep. 151.

(*c*) Ib. ep. 149. ext. in cod. Val. sign. lit. C. n. 49. p. 149.

XLIII. Jacobus archiep. Lundensis sede dejectus.

Ut archiepiscopum Coloniensem adversus rebelles subditos Urbanus tutatus est, ita principum majestatis ab audacium injuriis vindicandæ cupidus, Jacobum Lundensem, (*d*) [1] gravissimarum in Regem Da-

(*d*) Ib. ep. 147.



NOTÆ [1] SErmo est hic in annalibus de subtractis a pontifice præsulatus insignibus Jacobo Lundensi in Dania archiepiscopo. Suspicor tamen pontifici in ea sententia ferenda multa per dolum & calumniam obrepta fuisse. Jacobus regiæ domus indignationem ante aliquot annos subiens, carcerem primum, dein & exilium toleravit; qua de causa interdicti sententia primo per totam Daniam, dein ea relaxata, omnia ea loca eidem censuræ subjecit, in quibus defuncti Enrici uxor vidua regina Margarita agebat. Demum Guido cardinalis (S. Laurentii in Lucina, ut arbitror) in Daniam veniens, pluribus egit ut pacem reformaret. Sed re frustra tentata, e regno egressus regem filium Enricum cum matre censura inussit. Ex quo intelligimus Jacobum archiepiscop. eorum criminum, de quibus accusabatur, reum minime habendum. Cæterum eundem Jacobum hoc anno iter ad urbem suscepisse tradit quidam ex anonymis rerum Danicarum chronologis apud Ludevvig Reliquiar. to. IX. ex quibus scriptoribus superiora omnia desumpsi. MANSI

Daniæ injuriarum reum, missis nuntiis, (a) dignitate cedere jussit, cum ob id, tum vero maxime, quod ad tantam proterviam pervenisset, ut orationem dominicam ac symbolum emendare, vel corrumpere potius, ausus esset: quo facto hæreseos suspicione laborabat.

(a) Ep. 148.

Utque impium præsulem ornamentis honoris exuit, ita marchionem Misnensem ob insignem illius pietatem collaudavit, cujus sensu delibutus singulis diebus incruento dominici corporis sacrificio interesse cupiebat: permisitque, (b) ut si qua premeret aliquando necessitas, circa ultimam noctis horam celebrandam rem divinam coram se peragi juberet.

Illius Vesania in symbolo & oratione dominica corrigendis. (b) Ep. 116.

XLIV. Ingentibus vero laudibus pium Othocari Bohemiæ Regis in amplificanda, tuendaque adversus barbaros fide zelum extulit; accenditque (c) magis, ut in Rhutenos, Lituanos, ac fœderatos impios alios Christianæ religionis hostes arma susciperet: ingentibus enim cladibus Poloniam ac Prussiam conjuncti Pruthenis infidelibus, cum sustinendis eorum viribus cruciferi equites pares non essent, attriverant (d). Ad quorum frænandum furorem sacram militiam Pontifex, dato crucis symbolo, indixit: (e) atque Othocaro Regi omnes Rhutenorum & Lituanorum terras armis comparandas apostolica auctoritate attribuit (f).

(c) Lib. 3. ep. 670.

(d) Long. in hist. Pol. lib. 7.

(e) Dubrav. hist. Bohem. lib. 17.

Accendit Othocarum Reg. Bohem. in eos Pont.

(f) Eid. ep. 670. Urbani lit. ad Regem Bohem.

*Regi Bohemiæ illustri.*

*Agimus Deo laudes & gratias, quod sicut famæ tuæ præconium patenter insinuat, tu velut fidelis athleta Christi solerter intendis ad ampliandum inter barbaras nationes cultum nominis Christiani. Unde tibi, velut catholico & devotissimo principi, cum fiducia scribimus, super his maxime, quæ augumentum orthodoxæ fidei contingere dignoscuntur. Accepimus enim quod Rhuteni schismatici, & Lituani, ac alii habitantes in eorum confinibus, qui Deum non colunt, sed blasphemant potius nomen ejus, una cum Tartaris eorum complicibus, quibus sunt fœdere damnato conjuncti; Poloniam hostiliter frequenter invadunt, eis nemine resistente. Ipsi etiam, quicquid est in Prussia per dilectos filios fratres domus hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Jerosolymitanorum auxilio sedis Apostolicæ, Christique fidelium, non absque plurima effusione sanguinis acquisitum, conantur destruere, intendentes fidem Christianam exinde totaliter extirpare. Ideoque serenitatem regiam rogamus, & hortamur attente, tibi nihilominus in remissionem peccaminum suadentes, quatenus ad ejusdem fidei tuitionem, & sui cultus ampliationem contra schismaticos, & alios prædictos potenti manu procedas. Nos enim apostolica tibi auctoritate concedimus, ut terræ Rhutenorum & Lituanorum, quas per ministerium tuum ad Christianam fidem, favente clementia divina, converti, vel per te expugnari contigerit; dummodo prædictis fratribus, seu quibuscunque aliis catholicis jus in terris eisdem non competat; collocatis in eis Christi fidelibus in tuo, & heredum tuorum dominio perpetuo debeant permanere. Dat. apud Urbemveterem* II. *nonas junii anno* III.

Poloniam & Prussiam a schismaticis & infidelibus vastatam exponit Pont.

Rhutenorum & Lituan. terras armis comparandas ipsi attribuit.

Excitatum refert Dubravius (g) apostolicis monitis Othocarum Regem crucis, symbolum accepisse in Rhutenos & Lituanos, atque una cum Austriacis Moravisque, Brumone Olomucensi episcopo, & Othone marchione Brandeburgensi ex sorore nepote, quadrato agmine in hostem Prussiam infestantem movisse: quem cum primo impetu fregisset victos ad Christiana sacra amplectenda adegisse. Addit auctor de baptismo magna pompa duobus Pruthenorum ducibus impertito: divisi quippe animis & religione erant Prutheni, e quibus ii, qui Ecclesiæ nomen nondum dederant, Rhutenis, Lituanis, ac Tartaris, a quibus cruciferos magnis attritos cladibus vidimus, erant conjuncti: *Duces primum a Brumone episcopo aqua & chrismate tinguntur, quorum alterum Rex de more a lavacro suscipit, alterum Otho Brandeburgensis: atque uterque nomen suum suscepto imponit, Rex suum Othocarum, Otho item suum Othonem vocans: ambosque Rex veste ex serico candida auroque intertexta induit, & ut amicos consalutat. Post hos cætera multitudo certatim ad fontem sacrum properabat, non ex eo loco tantum, sex ex tota insuper Prussia, quam Rex usque ad mare victor peragravit.* Subdit urbem Montemregalem in maris littore ad Pruthenos in officio continendos magnis operibus a Rege conditam; & aliam a Brumone episcopo, cui suum nomen indidit, ut in ea episcopus præesset: atque Othocarum, iis gloriosissime perfectis, jactare solitum, se a mari Adriatico ad oceanum Bohemiæ terminos protulisse.

XLV. (g) Dubrav. lib. 17. Eximia Othocari facinora in Prussia.

Victi barbari baptismo lustrati.

Extructæ ab Othocaro arces.

Bohemia ab eo amplificata.

Simili religionis Christianæ amplificandæ zelo Boleslaum Pudicum Cracoviæ ducem adversus Jaczvingos sacra arma suscepisse, Longinus refert: (h) quo bello Jaczvingorum gentem ita deletam tradit, ut ipsorum nomen suis temporibus omnino interiisset. Masloviæ, Russiæ, ac Lituaniæ terras conterminas incolebat, sæpiusque in Boleslai Pudici Cracoviensis, & Sandomiriensis ducis ditionem magno terrore excurrebat: quæ res principem ad nationis ferocissimæ exitium perpulit: cujus etiam loca Pontifex, cum eam sub jugum misisset, ob illius perfidiam concesserat. Erant ii ad bellum audaces, laudisque apud suos comparandæ avidissimi: unde cum eorum gesta, qui fortiter occubuissent, decantari apud ipsos solerent, ea spe immortalitatis gloriæ incitati,

XLVI. (h) Longin. hist. Pol. 17. hoc an.

Jaczvingi infideles a Boleslao Pudico profligati.





tati, omnia penetrabant discrimina, nullam quamvis iniquam pugnam detrectabant; adeo ut decem ex ipsis centum Christianos lacesserent, aut vincere, aut mori paratissimi. Quare cum numero obruendi forent, maximo exercitu succinctus in eorum terras Boleslaus irrupit, atque instructo agmine in formidandum hostem movit. Barbarorum dux Comath in Christianos aciem educit, commissoque prælio anceps diu extitit victoria: demum barbari, fugere nescii, Polonorum gladiis concisi fuere. Supererat imbellis Polonorum multitudo, quos omnes Boleslaus intentata capitis sententia baptismi sacra amplecti jussit: alii ad Lituanos fugere, alii in Poloniam concessere; gentisque nomen extinctum est.

Excisum penitus barbaræ gentis nomen.

XLVII. Erecta etiam in Lithuania Christiana res: nam Stroynath tyrannus Christianorum hostis (a), qui Mendolpho anno superiori occiso principatum corripuerat, cruore partum, cruore amisit: Voyslak enim Mendolphi filius, qui in Russia disciplinam monasticam colebat, patris necem ulturus in Lituaniam venit, insidiisque tyranno comparatis, e medio ipsum sustulit; & quamvis in monachum attonsus, coronam cruentam capiti imposuit.

Stroynat Lituan. tyrannus cæsus. (a) Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann. Voyslak monachus paternum regnum suscipit.

XLVIII. Quod ad Tartaros spectat, quos una cum Lituanis, ac Rhutenis Poloniæ, & Prussiæ magnas clades intulisse, ex pontificiis literis datis ad Bohemiæ Regem vidimus. Moliebantur illi exitium aliquod Christianæ reipublicæ inferre: utque sua felicius consilia perducerent, Ungarorum Regis affinitatem iterum expetebant, ut ejus fulti potentia, atque aditu in Christianorum terras excurrendi libero dato, Europam suæ tyrannidi subiicere possent. Quo accepto Urbanus Belam literis apostolicis monuit (b) ne ea affinitate genus præclarissimum fœdaret: tum ad Stephanum ejus filium, ut ab ea longe abhorreret; tum ad regni præsules, (c) ut ad rem discutiendam incumberent scripsit. Porro Tartarorum Regem cum Ungaro affinitatem jungere affectasse ex superioribus vidimus.

Ut Tartari Ungaros sibi fœdere devincere nitantur. Pontificium pro abrumpendo eo tractatu studium. (b) Lib. 3. parte altera ep. 111. (c) Reg. post cand. ep.

*Charissimo in Christo filio Belæ illustri Regi Ungariæ.*

Literæ Urbani ad Ung. Regem.

*Per facti evidentiam tibi, & universitati fidelium de regno Ungariæ in perpetuum deplorandum agnoscitur, qualiter damnabilis feritas Tartarorum suam potentiam ad Christianæ religionis exterminium experitur. Digne igitur non solum admiratione concuti, sed debemus etiam stupore perfundi, dum per aliquos fide dignos, corde tamen anxios, & oculis lacrymosos, nobis asseritur, quod tibi a Tartarorum ipsorum calliditate subdola, per quosdam fallaces ipsorum nuncios, vel potius exploratores pestiferos suadetur, ut tu & charissimus in Christo filius noster Stephanus Rex primogenitus tuus eis astringi parentelæ vinculo, vel uniri quocunque amicabili fœdere studeatis: quasi te, ac primogenitum ipsum, & alias prædicti regni personas inclinatas & discretas ita fore simplices arbitrentur, ut nolitis jugiter habere præ oculis, qualiter item jam dicto regno facta per ipsos olim fuerit effusio sanguinis innocentis.*

Admonet Pont. Belam Regem periculi.

Fraudes barbarorum aperit.

XLIX. *Ha Deus! quæ conventio lucis ad tenebras vel quid ad plebem catholicam & devotam cum infidelium communione perfida, seu damnatorum hominum participatione dolosa? Vel quid etiam lupos rapaces, & perditionis, ac dispersionis semper avidos, cum Pastoris æterni contumelia, & Agni cœlestis offensa ovium gregi mitissimo applicari, vel columbas colubris conuiri? Ha Deus! quod ad gentem impiam & a sancti nominis tui notitia penitus alienam, ad hoc intendere, ut redemptos gloriosо pretio tui sanguinis sub quodam consanguinitatis, vel affinitatis, aut confœderationis amictu possint suæ perfidiæ contagio maculare; ac in illam per consequens devenire potentiam, ut de Ungariæ partibus & locis conterminis deleatur omnino tuæ reverentia majestatis. Sit igitur in odium tibi, fili charissime, temporibus audivisse præteritis, vel in diebus audire futuris, quod gens tam spurcida, tam profana tecum vel cum eodem primogenito, aut cum aliquibus personis eximiis regni tui commune quid habeant, nisi forte quod veniat ad Regis æterni cultum beatissimum; si tamen hoc ei desuper sit concessum: vel quod opportuno loco, & tempore se videat sub vexillo tuæ celsitudinis, favente virtutis divinæ subsidio, ruinam irreparabilem incurrisse.*

Infidelium affinitatem detestandam esse.

L. *Ecce, fili charissime, nostrum super præmissis affectum sub quodam verborum compendio districte ac plenarie audivisti. Attentius itaque ac vigili sedulitate conspicuus habearis, ut si amodo tibi, vel eidem primogenito, aut quibuscumque aliis præfati regni potentibus verbum de tam indigna & iniqua materia proponatur, illud tam cito per tuas literas, & nuncios speciales ducas in notitiam sedis Apostolicæ, ut super hoc ab ipsa tibi decens & salubre possit consilium provenire: alias autem cor nostrum profundi doloris pungeretur aculeo, nec possemus conniventibus transire oculis, aut sine debitæ studio ultionis, si quod absit, tua sublimitas propriæ voluntatis arbitrio, vel pernicioso alicujus instinctu seducta, faceret, aut permitteret aliquid in hac parte fieri, quod divinæ, ac nostræ posset voluntati oppositum existimari, seu prædicti regni tranquillitati contrarium, aut redundans in catholicæ fidei detrimentum. Datum apud Urbemveterem* V. *kal. februarii anno* III.

Objectæ illi minæ si affinitatem cum Tartaris junxerit.

LI. Dissipatus fœderis tractatus. Regina Ung. pauperibus arcem attribuit, ut in ea se recipiant.

Discussa sunt ea Tartarorum fœdera, atque Ungari ad excipiendos eorum impetus se compararunt. Obtinuit vero a Bela Regina Ungariæ, piissima femina, ut arcem munitissimam in montis supercilio excitaret, quo pauperes, ac viduæ, quoties Tartari irrumperent in Ungariam, confugere possent: infestabatur enim hisce temporibus hujusmodi Tartarorum excursionibus Pannonia. Cujus arcis donationem ab Rege factam Pontifex sua auctoritate communivit (a). Nec modo Tartari verum etiam Cumani, qui in eodem regno versabantur, graviora mala ac damna fidei Christianæ inferebant. Quare Urbanus Strigoniensi & Colocensi archiepiscopis canendi in eos sacri classici, & cruceata signa explicandi provinciam injunxit (b) ut eos, qui baptismo abluti essent, Christiano ritu vivere cogerent, alios ad baptismi sacra suscipienda inducerent.

(a) Eod. lib. pag. 336.

Religiosa in Cumanos indicta militia.

(b) Ib. pag. 337.

Ad baptismum compelli jussi.

LII. Exorta inter Belam & Stephanum periculosa discordia.

Cum vero ad felicem Ungariæ statum mutua parentis Regis, ac filii animorum consensio necessaria esset; admonitus Urbanus quosdam præsules intempestivis susurris eorum principum iras asperare atque animos abalienare; priori provinciali Prædicatorum partes injunxit, ut apostolica auctoritate ejusmodi perniciosos homines compesceret: atque archiepiscopum Strigoniensem & Vesprimiensem episcopum, ut ad perficiendam rem operam collocarent, solicitavit. Cæterum exarsere adeo odia, ut Bela ac Stephanus primogenitus, improborum susurris in odia efferati, adversis exercitibus concurrere meditarentur, ac Stephanus filius Cumanorum auxilia sibi adscisceret, Bela excire alios barbaros cogitarent, Pontifex, ut ad priorem amorem ipsos revocaret flebilibus literis Belam hortatus est, (c) ut discordiarum semina præfocaret: misereretur Ungariæ, quæ a paganis conculcanda erat: arma in Saracenos, non in propria viscera vertenda: illa incendia instinctu dæmonis excitari.

Urbani pro ea sopienda studium.

(c) Ib. ep. 112.

*Belæ illustri Regi Ungariæ.*

Aliæ Urbani lit. ad Regem Ungar.

*Nimis aliquando fuit nobis horridum audire discrimina illata regno Ungariæ a feritate damnabili Tartarorum: horribilius quidem & amarius est cordi nostro illa percipere, ad quæ humani generis inimicus te & charissimum in Christo filium nostrum Stephanum Regem primogenitum tuum dicitur instigare. Sane tristes audivimus, & referimus cum dolore, quod inter te ac eumdem primogenitum materia dissensionis exorta, ipse contra te Cumanorum, tuque contra eum paganorum de Livonia & aliorum infidelium vicinorum auxilium intenditis invocare; ac hostilem congressum adinvicem experiri: de quo non solum prædicto regno, sed etiam multitudini fidelium, manentium in locis conterminis, grave in personis & rebus posset periculum imminere.*

LIII.

*Quia vero nil magis nostris incumbit affectibus, quam quod universi Christi fideles ad obtinenda transitoriæ pacis gaudia, & consequenda quietis æternæ premia, favente Regis æterni clementia, disponamus; celsitudinem tuam affectione paterna requirimus, & per Dei misericordiam obsecramus, ac etiam nihilominus sub excommunicationis pœna tibi districtius inhibemus, quod ad tam crudele propositum exequendum aliquo modo non procedas, sed ad hoc tui dirigas virtutem animi, & acumen convertas ingenii: ut tu & idem primogenitus in tranquillo & suavi regimine fidelium vestro dominio subditorum sitis unanimes, & alios bonis operibus in conspectu Dei & hominum relucentes, divitias & thesauros vestros, quos in vestram & regni præfati effundi perniciem inconsulte suggerit impetus voluntatis, in pietatis opera conversuri; scilicet in subsidium Terræ sanctæ, vel in consolationis abundantiam ecclesiis, monasteriis, & aliis piis regni prædicti locis, destructis per Tartaros, opportunam seu necessariam orphanis pupillis, & viduis, aliisque pauperibus, & egenis. Hæc etenim sancta opum effusio erit vobis in acquisitionem perpetuam clari nominis, vel potius ad gloriæ meritum, quo civium gloriosa fruitur acies æternorum. Hæc etiam bonorum beata dispersio aliorum excellentiæ principum erit in salutiferæ largitatis exemplum.*

Monet Ungaricas opes ad augendum divinum cultum vertendas.

*Tu igitur, fili charissime, infusam cordi nostro tristitiam de illa intentione pessima, quam tu & idem primogenitus ad instinctum tenebrarum principis damnabiliter concepistis, festinus nobis convertas in jubilum, & toti cœlesti curiæ in solemnia gaudiorum; pro firmo ducens, quod si tu & idem primogenitus nostri desiderii pietatem promptis affectibus ad effectum in hac parte duxeritis, nos semper vobis in Domino gratiosos & affabiles sentietis: alias autem vestro commodo & honori graviter derogasse dolebitis, si quod a nobis tam pie, tam affectuose deposcitur, in negligentiam transeat, vel contemptibiliter omittatur. Dat. apud Urbemveterem* IV. *non. februarii anno* III.

LIV.

Perstrinxit (d) aliis literis Urbanus Stephanum Regis Belæ filium, arma in parentem movisse; ac ne impietatis notam susciperet, in patris obsequium jussit procumbere: valuereque adeo pontificia studia, ut Bela ac Stephanus prima naturæ fœdera redintegrarint (e). Rem vero memorabilem hoc argumento narrat Thomas Cantipratensis (f), Reginæ Ungariæ Deum oranti, ut virum ac filium ad bellum paratos in mutuam concordiam adduceret, B. Joannem episcopum Bossinensem se videndum objecisse, precesque cœlo exceptas significasse. Cujus

(d) Urb. l. 3. post ep. 112.

Stephanum jubet parenti obsequi.

(e) Ib. pag. 338.

(f) Lib. 2. c. 57. n. 59.



Conciliata inter Belam & Steph. concordia. Promissa a B. Jo. Bossinensi Reginæ Ung.

jus auctoris verba referre placuit: *Filius suus primogenitus congregato exercitu maximo dimicare voluit contra patrem: pro quo Regina mater, nimirum gravissime conturbata, tota nocte præcedenti, cujus sequenti die futura congressio putabatur, in oratione se & lacrymis dedit, tam pro filio, quam pro viro Rege solicita. Fiducialius autem oratione directa ad magistrum Joannem, quem multum in vita dilexerat, & fratrem quendam ejusdem ordinis, quem jam defunctum confessorem habuerat; ambo eidem Reginæ semivigilanti apparuerunt. Cui magister Joannes sereno vultu prædixit, inquiens: Quoniam in nostris orationibus mediante clementia Dei fiduciam habuisti, ecce prædico tibi, quoniam antequam comedas, nuncius dicet tibi, quod pacificati erunt pater & filius, in bonum omnibus ordinatis.*

LV.

Hactenus Cantipratensis, qui cum hæc a Regina scripta ad Dominicanos in Argentinensibus comitiis ad transferendas B. Joannes reliquias congregatos anno MCCLXI. referat, (a) dicendum est, vel mendum in numerum annorum irrepsisse, vel ante hunc annum etiam alias Belam ac Stephanum inter se gravissime dissensisse. Inita porro inter eos pace Stephanus non levi injuria matrem ea occasione affecit, cum plura loca ad Ungarorum Reginas spectantia, veluti pacis tractatu comprehensa, sibique attributa, occupasset: qua de re Urbanus a Regina admonitus Stephanum ea matri restituere (b), objecta censurarum religione, jussit: *Non attendens*, inquit, *quod res inter alios acta alteri præjudicare non debet, prætextu cujusdam compositionis, quæ sine ipsius Reginæ assensu inter te, & Regem eumdem patrem tuum olim intervenisse dicitur, quasdam villas, & terras Bistichæ, Rodana, Zolosum, & Querali vulgariter nuncupatas; quas & cæteræ Reginæ Ungariæ, quæ præcesserunt eamdem a tempore, cujus memoria non exiſtit, tenuerunt pacifice, & quiete; contra justitiam occupasti, & occupatas detines in ejusdem Reginæ præjudicium & gravamen. Quare ipse Rex prædictus*, nimirum Bela pater, *per eundem nuncium instanter postulari fecit a nobis, ut prædictæ Reginæ super hoc faceremus justitiæ plenitudinem exhiberi. Nos itaque considerantes attente, quod ex occupatione, & detentione injusta villarum & terrarum hujusmodi non modicum tuæ famæ deperit & saluti; maxime cum dictorum Regis & Reginæ sublimitas, sicut audivimus, sit exinde turbata graviter & offensa; magnitudinem tuam rogandam attente duximus & monendam, quatenus provide considerans, & diligenter attendens, quod cum Regis æterni benignitas jam terras & bona plurima tuæ subjecerit potestati, & de ipsius clementia spes firma geratur, quod personam tuam adhuc multipliciter exaltabit; te ad materna jura, vel ad quorumcumque bona fidelium, qui omnium de Regno Ungariæ propulsare teneris injurias, non decet illicite aliquatenus inhiare, supradictas terras, & villas ei, pro Apostolicæ sedis & nostra reverentia, prompta liberalitate restituas: dictorumque regis, & reginæ placare animum, nec non benedictionem ipsorum assiduam promereri per exhibitionem filialis reverentiæ non postponas. Datum apud Urbemveterem* XVII. *kalend. augusti anno* III. Dedit aliis (c) literis Strigoniensi archiepiscopo, Jauriensi & Vesprimiensi episcopis imperia, ut Stephanum saluberrimis monitis ad matri jura erepta restituenda flecterent; detrectantique censurarum terrorem incuterent. Atque hæc de Ungaricis suffecerint: jam ad Græcorum res orationem traducimus.

(a) Ib. n. 58.

Stephanus in matrem non minus quam in patrem ingratus.

(b) Lib. 3. pag. 338.

Materna oppida, ac prædia occupat.

Arguitur a Pontifice.

(c) Reg. post eand. ep.

Græcorum res.

LVI.

Ferociebant Græci ex capta Constantinopoli, ac totos impetus ad delendas Latinorum reliquias convertebant: maxime vero occupandæ Achajæ animis armisque inhiabant, in quam sæpius excurrere, ussere agros, tantamque intulere vastitatem, ut maximam incolarum partem his fessam calamitatibus depulerint: adeo ut reliqua eorum impetus sustinere amplius non posset, nisi in occidente expeditio aliqua ad ferendam opem pararetur. Præsulum ergo aliorum precibus solicitatus Urbanus, Trajectensi episcopo indicendi in schismaticos sacri belli partes commisit (d) hortatusque est, ut sua aliorumque opera ad capessendam crucem populos pro concione incenderet.

Reliquias Latinorum ex oriente meditantur excindere.

(d) Lib. 3. ep. 180.

*Urbanus, &c. Sane Græci schismatici ex captione Constantinopolitanæ civitatis elati vento superbiæ, municipibus & opibus roborati, & ad impugnandum plus solito fideles illarum partium vicinitatis opportunitate paratiores effecti; ad terram principatus Achajæ depopulatrices manus extendunt: & ut ibidem in devotis Ecclesiæ filiis extinguant penitus nomen matris, quamlibet partem principatus ejusdem continuis persequuntur insultibus, quamduris obsidionibus illius municipia, & civitates angustant, & ibidem irremediabiliter omnem terræ faciem, cunctis ad usum generis humani nascentibus ex ipsa denudant: tantumque jam inibi diminuerunt numerum fidelium populorum, & tantum eos qui residui sunt, prædis & aliis diversis afflictionibus attriverunt, quod vix aliqua superest fiducia seu spes, ut iidem absque aliorum fidelium Christi succursu, diu valeant persequentium manus effugere, & terram illam vero Christi cultui conservare; prout hactenus per literas prælatorum, principum, & baronum illarum partium, ac speciales nuncios ad Apo-*

Urbanus episc. Trajectensi præcipit, ut militiam religiosam indicat.

Principatum Achajæ invadunt Græci.

*sto-*

*stolicam sedem exinde transmissos nobis innotuit evidenter, &c. Dat. apud Urbemveterem* III. *id. maii anno* III.

LVII. Eandem provinciam Coronensi (*a*) atque Argolicensi (*b*) episcopis contrahendi crucesignatorum exercitus pro recuperando Imperio Constantinopolitano demandavit; solicitavitque Burgundiæ ducem (*c*) ut ad bellum sacrum sese accingeret, atque ad Imperium orientale Ecclesiæ restituendum copias compararet: jamque affulgere videbantur præclaræ spes, cum Genuenses a Palæologi fœdere abducti essent, atque etiam triremes, quas Græcis in auxilia submiserant, revocassent. Ad quod pontificiis imperiis adacti fuere: atque Urbanus certior factus, Genuensi archiepiscopo præcepit (*d*) ut urbem interdicto solveret, quo ob initam cum schismaticis armorum conjunctionem percussa fuerat, cautionesque idoneas a Genuensibus postularet. Redintegrandæ vero inter eos ac Venetos pacis, quæ maximo rei Christianæ detrimento dissoluta fuerat, cupidissimus Pontifex literas tum ad Genuenses (*e*) tum ad Raynerium Zenum Venetorum ducem (*f*) pro concilianda concordia misit (*g*) Legatum quoque ad rem felicius conficiendam ad utriusque reipublicæ senatum, nimirum Ambrosium Urbevetanum Dominicanæ familiæ virum insignem ire jussit, quem maxima sanctitatis opinione floruisse refert Leander (*h*).

(*a*) *Ib. ep.* 181.
(*b*) *Reg. post eand. ep.*
(*c*) *Ib. ep.* 182. Plures alii præsules fideles ad sacrum bellum accendere jussi.
Genuenses initum cum Palæologo fœdus dissolvunt.
(*d*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 42.
Fidelium cœtui restituti.
(*e*) *Ep.* 138.
(*f*) *Reg. post eand. ep.*
(*g*) *Ib. ep.* 137.
(*h*) *Leand. l.* 5.

LVIII. Palæologus sibi metuens poscit Rom. Ecclesiæ aggregari.

Sive stabiliendi Constantinopolitani solii causa, seu vera pietate ductus Palæologus, maximo se conjungendæ Græcorum ecclesiæ cum Latina desiderio ardere præ se ferebat, ex quo Pontifex, in conciliandis contrariis dogmatibus & schismaticis revocandis intentus, belli suscepta in eum consilia abiiceret, nec crucesignatorum copias ad repetendum Imperium Balduino subministraret. In missis vero ad Urbanum literis (*i*) significavit, se posterioris anni præterita hyeme Crotoniensem episcopum, Græcum quidem genere, sed in Romanæ ecclesiæ sinu educatum Constantinopolim excivisse, ut sibi Latinorum fidem enuclearet: magnum se ex illius sermonibus gaudium hausisse, comperisse Romanæ ecclesiæ dogmata Græcæ dogmatibus consona: mittere se ad ipsum Crotoniensem episcopum, qui ardentem ejus ad pacem conficiendam, promerendamque Romanæ ecclesiæ gratiam, animum significaret.

(*i*) *Ext. apud Urb. l.* 3. *ep. cur.* 34.
Fatetur Græcos patres Latinorum dogmatibus consentire.

*Venerabili patri patrum beatissimo Papæ veteris Romæ, Imperii nostri domino, Urbano sacrosanctæ & apostolicæ sedis summo Pontifici divina voluntate, & providentia majori moribus & vita & doctrina coram Deo & sanctis reverendo; Michael in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, ac novus Constantinus salutem & reverentiam filialem cum competenti fidei Christianæ honore & divorum canonum.*

*In omnibus orationibus nostris vestram, licet indigni, & vestrorum fratrum S. R. E. Card. ad Deum filiali affectione memoriam facimus, quatenus septiformi gratia Dei paracleti, qua totum Ecclesiæ corpus coadunatur, compaginatur, sanctificatur, & Deo Christo legitimo suo sponso per vos ad nos & ad omnia membra sanctæ matris Ecclesiæ cujus caput est Christus, per suam virtutem ipse cœlitus destinare dignetur: in futuro vero cum beatissimis verticibus chori Apostolorum, videlicet Petro & Paulo, a pastorum pastore Christo Deo, qui propter nos beneplacuit sibi sicut ovis occidi; vos dignos faciat coronari. Per præsentes quidem literas sacrosanctæ vestræ paternitati, & vestrorum fratrum discretæ dilectioni notificamus, quod transactis temporibus beatæ memoriæ Imperatorum prædecessorum nostri Imperii multoties legati, & nuncii hinc & inde directi fuerunt ad componendam pacem, unitatem, & gratiam reuniendæ in Christo Deo Ecclesiæ, quam pravi & schismatici præsules dilaceraverunt: & hi medicamen aliquod non portarunt, sed magis, ac magis prædictæ Ecclesiæ schisma & discordiæ creverunt propter sermonis divinæ Scripturæ non puram expositionem, & divinorum sacrorum dogmatum, quæ in libris sanctorum patrum continebantur, declaratione non sinceram: & prædicti nuncii immediate loqui ad invicem ignorabant, sed eorum colloquium per illos, qui in medio stabant interpretes, non existentes sufficientes in scientia, nec potentes capere amborum intellectus; cum recte ac vere non potuissent exponere, & in pilam reducere ambarum ecclesiarum dogmata; ad centrum veritatis, & normam veræ fidei pervenire minime potuerunt: & sic odium fraternum extinctivum amoris fraterni & obnubilativum rationis veræ fidei ad lites & contentiones, ad superbiam & contumaciam; nec non ad strepidum armorum, & sanguinum effusionem & ad omnem injustitiam juris divini & divinorum canonum semper crevit: & hæc quidem erant miserrima, & lacrymarum bene digna scientibus & salutem earum desiderantibus animarum propter brevitatem temporis hujus sæculi, quod post præsentis vitæ transitum ad comparationem perpetui & futuri sæculi pro nihilo reputatur.*

Lit. Palæolog. ad Urbani.

Sedis apostolicæ primatum agnoscit Palæol.

Illius color ad schisma præteritum excusandum.

LIX. Nicolaus episc. Crotonien. excitus Constantinopolim.

*Cumque quarto anno nostri Imperii primo præterito vox lætitiæ ab occidente cor nostrum tetigerit, & insonuerit auribus nostris, quæ animi nostri accendit affectum, quod a patria & origine gentis nostræ Romæorum generationis divina gratia & planta proveniens, & de virenti viridario transplantata; & ad hortum similem insertæ sanctæ matris Romanæ ecclesiæ atque literis sacris, & scientia divinæ Scripturæ & dogmatibus utriusque ecclesiæ adornata, & inspiratione sanctissimi Spiritus animata, & augmentata ad fructum odoris; perveniens ad Imperium nostrum transportavit; Nicolaus videlicet venerabilis præsul Crotoniensis, de quo per multorum relationes virorum venerabilium veritatem dicentium sensimus, ipsum esse Dei cultorem diligentem, & catholicæ fidei discretum, & verum prædicatorem & in omnibus sermonibus piæ fidei sine personarum acceptione zelatorem reuniendæ omnis matris Ecclesiæ sine falsitate utriusque partis, verum dispensatorem divinæ Scripturæ, & quæ sunt sanctorum patrum fidum expositorem: cui tertio anno nostri Imperii tranquillitatis animi nostri literas direximus, rogantes eundem, quatenus amore Dei, patriæ, & omnium nostrorum clandestine ad majestatis nostræ præsentiam personaliter se conferret, ut ex ore ipsius veritatem fidei, quam confitetur sancta & catholica Romana Dei Ecclesia; & doctrinam divinarum scripturarum, quam ad eruditionem proponit ipsa Romana ecclesia; & formam vestri divini sacramenti immediate Græco audiremus sermone, nec non hauriremus vestram & vestrorum fratrum plenariam voluntatem. Ipse autem Dei spiritu motus in hac hyeme præterita in vigiliis Dei Christi nativitatis ad Imperium nostrum accessit: quo viso lætati sumus ac si sanctæ paternitatis vestræ faciem videremus. Qui omnia, quæ sunt veræ fidei, per ordinem reseravit, quæ recte percepimus, & corde & animo illustrati invenimus sanctam Dei ecclesiam Romanam non alienatam a nobis in divinis piæ fidei dogmatibus; sed ea fere nobiscum sentientem, & concantantem. Prædictus namque præsul ejusdem Ecclesiæ doctrinam; & sanctorum patrum ejus, videlicet S. Silvestri Papæ, Damasi, Cælestini, Agathonis, Adriani, Leonis majoris, & junioris, Gregorii dialogi, Hilarii Pictavensis, Ambrosii Mediolanensis, Augustini Hipponensis Africæ, Hieronymi, Fulgentii, & aliorum expositiones, & dogmata rectæ fidei reseravit nostro Imperio, sicut isti sancti exposuerunt prædicta: quæ invenimus concordantia sermonibus sanctorum patrum ejus, videlicet Athanasii Alexandrini, Basilii Cæsareæ, & Cappadociæ, Gregorii magni Theologi, Gregorii Nysseni, Joannis Chrysostomi cum utroque Cyrillo, & similia sapientes omnino: quæ cum omni fide purissima percepimus, veneramur, credimus & tenemus: nec non & omnia sacramenta ejusdem ecclesiæ Romanæ veneramur, effectum credentes habere ea in animabus justis, quæ Deo coniuntur, conjunguntur, ac confirmantur.*

Ab ipso eruditur Palæologus.

Is fatetur sanctos patres Latinos, & Græcos consentire.



LX. Mittit Nicolaum ep. Croton. pro redintegranda ecclesiarum conjunctione.

*Cæterum vestram sanctam paternitatem rogamus, quatenus sicut princeps omnium sacerdotum, & universalis doctor catholicæ Ecclesiæ, solicitetis continua promptitudine ad reuniendum eandem Ecclesiam amodo, cui loco beati Petri Deus præcipue vos præfecit; quia jam & nostram tranquillitatem ad hoc peragendum paratam sanctitas vestra habet, ipsi matri nostræ Ecclesiæ omnes gentes, & patriarchales sedes extento divina potentia brachio nostri Imperii, ac omnes nationes ad devotionem, obedientiam & amorem ejusdem Ecclesiæ nostri tranquilli Imperii potentia subjugabit. Quare dictum præsulem cum præsentibus literis fidei nostræ catholicæ non ficte, sed ex bona conscientia, ex animo Dei amore accenso ad vestram sanctam reverendam paternitatem remittimus, ut ipse omnia, quæ apud nos & una nobiscum, & nos cum eo protulimus & ordinavimus; ac nostram voluntatem & propositum vestris sacris auribus oretenus referet Deo dante. Quocirca in Domino supplicamus vestræ beatæ affectioni, quatenus eundem cum aliis discretis & sanctis viris suffultis & præmunitis legatis vestræ sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ ad nostrum Imperium revocetis, ac celeriter remittatis ad nostrum Imperium paternitas vestra sancta: qui nobis plenarie vestram voluntatem & affectionem reseret, & una nobiscum omnia, quæ sunt veræ fidei, reuniendæ Ecclesiæ opere infallibili valeat percomplere: nam Imperium nostrum omne propositum animi nostri sanctitati vestræ hactenus multoties præsentavit. Remanet ergo totum negotium ad discretionem vestræ piissimæ sanctitatis, & exinde de cætero Imperio nostro in Dei testimonio accusatio aliqua non potest opponi.*

LXI. Exceptis Palæologi literis perfusus gaudio Urbanus, ad rem tot sæculorum continentibus votis expetitam, atque Ecclesiæ amplificandæ perutilissimam promovendam; ne segniter se gerere, vel ansam calumniatoribus porrigere videretur, ubi nonnulla de ecclesiæ Romanæ primatu præfatus, singula literarum Imperialium capita percensuit; hæc ad Palæologum respondit (*a*): ac viros doctrina excultissimos, peritiaque rerum instructissimos cum eodem episcopo Crotoniensi dimisit.

(*a*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 134.

*Michaeli Palæologo illustri Imperatori Græcorum gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futuro.*

Urbani ad Palæol. literæ.

*Excellentiæ Imperialis epistola nostris comprehensa luminibus, & ad fratrum nostrorum solemniter, prout tanti negotii exigebat qualitas, redacta notitiam, nos itemque fratres ex amœna lectione ipsius, veluti ex præsentialibus serenitatis tuæ affatibus recreati; Patri luminum, a quo est datum omne optimum, & omne donum perfectum, & medullatum cum omnimodæ devo-*

Ob eum illustratum numini gratias agit.

*devotionis incenso gratiarum obtulimus holocaustum: exultantes alacriter, & unanimiter collaudantes, & benedicentes Dominum, qui tantam nobis dignatus est facere gratiam, quod in diebus nostris per tuæ solicitudinis ministerium aperiatur via compendii salutaris, per quam Ecclesia Dei ad antiquam & tranquillam prioris unitatis semitam redeat; & grex Dominicus, ad caulam unam eandemque congressus, sub unius pastoris regimine, & in unius professione fidei gubernetur salubrius, & in ejus observantia firmius solidetur. Et quidem digne gaudemus, excellentissime Imperator, quod ex his, quæ in vestra præmissa continentur epistola, ferventem te cognoscimus erga nos, & fratres nostros, ac eandem Romanam ecclesiam sinceritatis affectum, & ad utriusque unionem ecclesiæ zelum ardentis charitatis habere: dum inter occupationes multiplices, quibus animum tuum continua reipublicæ cura solicitat, & procellosus frangendorum sæcularium fluctus involvit; pro nobis, eisdemque fratribus, & Ecclesia intentis frequenter, ut scripsisti, apud Deum vacas orationibus: & pro unitate renovanda in Ecclesia Dei adeo utiliter & efficaciter laborasti, quod agnita per eundem episcopum concordi variarum & diversarum sententia scripturarum; quas sancti patres tam Latini, quam Græci in orthodoxæ fidei fulcimentum sub diversitate temporum ediderunt; & quadam laudabili ejusdem professione fidei in prædicta epistola ex tui prosperitate ingenii & cum puritate fideliter expressa & simpliciter denotata, illud desideranter appetis, & constanter prosequi velle videris, quod eadem Romana desiderat, & semper desideravit ecclesia; & quod etiam prædecessores nostri Romani Pontifices a tempore, cujus non extat memoria, cunctis studiis, cunctisque nisibus penes prædecessores tuos Græcorum Imperatores studuerunt, licet eorum studia desideratum fructum non produxerint, promovere.*

LXII. Gratulatur abolendi Græcorum schismatis consilia suscepisse.

*Lætamur etiam, & merito in jubilum supernæ laudis assurgimus, quod præparata est jam materia & via etiam expedita ipsi Ecclesiæ ad sui animi desiderium, suæque intentionis propositum de unione hujusmodi celeriter obtinendum: cum numquam ita certa de hoc spes, firmaque sibi fiducia exhibita fuerit, quemadmodum memoratæ tenor epistolæ ad ea, quæ prædictus episcopus (quem tamquam virum circumspectum & providum, eruditum in lege Domini, ac fervidum tui honoris, & nominis zelatorem, & in nostris & prædictorum fratrum nostrorum oculis multipliciter gratiosum benigne recepimus, & diligenter audivimus) nostro apostolatui expressit oretenus, nobis de ipsius unionis negotio præbuerunt. Gloria igitur in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, quia ecce nunc acceptabile tempus advenit, ecce nunc dies salutis gratia plenus adest. Exurgant ergo omnes fidei catholicæ zelatores, & una cum prædicta Romana ecclesia eorum matre immensa jucunditate lætentur, quod Imperator tantæ potentiæ, & qui tam magni Imperii moderatur habenas, promptum se exponit & offert ad fidem catholicam propagandam in gentibus, ad exaltationem ipsius Ecclesiæ, apud nationes etiam barbaras procurandam, & cultum divinum sub Apostolicæ sedis magisterio ubilibet ampliandum.*

LXIII. Comparandam ex eo gloriæ immortalitatem proponit.

*Sed non minus ex præmissis in te, inclyte Imperator, eximiæ, debet exultationis causa consurgere: non minus cor tuum debet ardere, tuusque magnificus animus in gaudiis dilatari: pensando namque præmium, quod tibi pro tantæ pietatis opere divina dispensatio compensabit; considerando quoque, quod pro re tam sancta, tam utili, tamque Deo & Ecclesiæ fructuosa, funiculo tuæ magnitudinis & potentiæ per cuncta mundi climata extendetur latius, & dilatabitur amplius vita tua, & post tui dissolutionem corporis numquam tui memoria nominis morietur; potes utique non immerito Deo salutari tuo, pro cujus honore tantum Ecclesiæ suæ sponsæ bonum promoves, jubilare, sibique devotas gratiarum actiones exsolvere pro eo, quod tibi scire, posse, ac velle de alto concessit inveniendi ac prosequendi vias & modos, quibus, remotis a tanto negotio cujuslibet veteris difficultatis obstaculis, tam damnosa gentis utriusque dissensio de facili amodo divina favente clementia sopiatur:* Et infra.

Apostolicos mitti significat.

LXIV. Apostolica adhortatio ad rem perficiendam.

*Ideoque Imperialem excellentiam rogamus attentius & hortamur, obsecrantes te per aspersionem sanguinis Jesu Christi, quatenus attendens provide, quod mora semper extitit nociva paratis, quodque tantæ salutis opus non est aliquatenus differendum; nostras & prædictorum fratrum nostrorum animas ulterius non suspendas: sed tamquam solaris radius de cujuslibet obscuræ dubietatis caligine in auroram lucidam festinanter erumpas, & consurgens in Ecclesiæ fundamento patefacias toti mundo tuæ bonæ super hoc intentionis splendorem, tuique laudabilis propositi claritatem. Accelera quæsumus ad paratos tibi cum desiderio maternæ susceptionis amplexus, & confidenter paternæ charitatis brachiis te committas: ita quod mater sub longiori expectatione ulterius non languescat, nec patris fauces exclamando ad te altius raucæ fiant. Cæterum prædictos episcopum, nempe Nicolaum Crotoniensem, Gerardum & Raynerium,* erant ii Minoritæ, *cum omni benignitate recipias, eorumque exhortationibus aures tuæ serenitatis inclines: ipsi enim sinceritatem animi, favoris plenitudinem,*



*dinem, & amoris affectum, quibus te tuumque Imperium prosequi Deo auctore proponimus, ac nostram & dilectorum fratrum nostrorum intentionem tibi apertius poterunt indicare. Dat. apud Urbemveterem x. kal. julii pontificatus nostri ann. III.*

Exorta inter Nicosiens. archiep. & Græcos discordia.

LXV. De misso episcopo Crotoniensi ab Urbano ad Palæologum, ut ipsum orthodoxa fide imbueret, Græcosque ad obsequium sedis Apostolicæ revocaret, meminit Theodoricus Vallicor (*a*). Magno quidem animorum ardore de perducenda ad exitum utriusque Ecclesiæ conjunctione agitatum: sed ii omne labores tum incassum cecidere. Palæologus enim, qui se in maxima discrimina adductum intuitus rem ardentius urserat, ubi periculis se emersisse vidit, rem in longius tempus extraxit. Ingentia illum sane adiisse pericula, testatur Gregoras (*b*): Constantinus enim Bulgarorum Rex ab uxore Joannis Lascaris excæcati sorore ad vindictam excitatus; atque Sultani Azatinis, qui ad Ænum oppidum amandatus erat, promissis illectus; in Thraciam, conjunctis sibi Scythis, copias infudit, omnibusque vastatis parum abfuit quin Palæologum e Thessalia recedentem caperent, nisi ille antevertens hostis consilia, superatis montibus, qui juxta Ganos sunt, ad maritimam oram accurrisset; inventisque duabus triremibus Latinis, iisque exceptus Constantinopolim petiisset. Sed missis Palæologi rebus, ad quem Ecclesiæ restituendum laboratum est; nunc ad Græcos in Cypro agentes, conjunctos quidem Romanæ ecclesiæ, sed graviter a Latino archiepiscopo dissidentes, nos convertamus.

(*a*) Theodor. Vallic. in vit. Urb. apud Masson. l. 5.

(*b*) Greg. l. 4. Palæologus a Rege Bulgar. in discrimen adductus.

LXVI. Diuturnas Græcos inter ac Latinos regni Cypri præsules controversias dederat Alexander, sed Græci ac Syri non stetere pontificiæ sententiæ, atque a Nicosiensi archiepiscopo insulæ metropolita defecere: cumque archiepiscopus infanda crimina, quæ Nicosiæ patrabantur, plectere meditaretur, magistratuumque auxilio destitutus impunita relinquere cogeretur, vitia in dies pullulabant. Quo audito Pontifex ad regiæ procuratorem, ac proceres scripsit (*c*) ut archiepiscopo Græcos Syrosque ad officium revocanti, immaniaque illa crimina, adulteria, ludos nefarios, in quibus numen blasphemis sæpius vocibus peteretur aliaque scelera punienti opem explicarent: ni facerent, se archiepiscopi eorum auxilio destituti in eos latas sententias firmas justasque habiturum: *Quamquam a tempore, quo in regno Cypri auctoritate sedis Apostolicæ fuerunt Latinorum ecclesiæ institutæ, inter ipsorum & Græcorum regni ejusdem ecclesias super diversis articulis materia dissensionum usque ad moderna perducta tempora, felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri ordinatione salubri extiterit terminata de Apostolicæ plenitudine potestatis; nonnullæ tamen personæ quidem tam ecclesiasticæ, quam sæculares, Græci videlicet & Syri regni ejusdem, contra ordinationem hujusmodi temeritate propria, ut dicitur, venientes, non solum ipsam, prout tenentur observare, contemnunt; verum & contra venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Nicosiensem, & Latinorum ecclesias, quibus antea, sicut fertur, suberant & parebant, superbiæ calcaneum erigentes, in eorumdem archiepiscopi & ecclesiarum offensam, conspirationes & conventicula præsumptione damnabili facere non verentur, jura, honores, immunitatem, ac libertatem ecclesiasticam, quantum in eis est, pro viribus annullantes. Sed & licet nonnulli tam clerici quam laici Nicosiensis civitatis & diœcesis, Dei timore postposito, ad scelera, ut fertur laxent habenas; & eorum aliqui publicis adulteriis polluantur, & alii Christum & sanctos ejus lacessere blasphemiis, alii sortilegiis, alii axardorum ludis, in quibus frequenter illicite jurant similiter, & dejerant: plerique vero aliis diversis & enormibus non dubitent criminibus inquinari; & quod est detestabilius, quidam in profundum malorum execrabiliter corruentes perire cum Sodoma non pavescant; si quando tamen idem archiepiscopus, ad quem ex suo spectat officio, de sua metropoli extirpare prædicta & alia vitia, & in agro Domini sibi commisso inibi plantare, virtutes, ad correctionem talium velit sui officii debitum exequendo procedere, imponendo pœnas, prout excessuum & personarum qualitas exigit, in quantum decet ecclesiasticum judicem & modestiam officii pastoralis; tu, fili bajule, non attendens quod hoc solum plectendo, vel ignoscendo bene agitur, ut vita hominum corrigatur, asseris (nonnullis ex vobis, filii nobiles, in hoc consentientibus) sic ad te spectare hujusmodi correctionem excessuum, quod archiepiscopus, nisi contra suos servos & clericos, intromittere se non debeat de corrigendis eisdem: propter quod ejusdem archiepiscopi officio circa hoc per vos, non sine animarum periculo, impedito, dum inter vos, & ipsum archiepiscopum de hujusmodi jurisdictione contenditur, crimina remanent incorrecta, delinquentium ausus excrescit, peccandi consuetudo quasi pro lege defenditur, & enormes quotidie multiplicantur excessus; ipsiusque archiepiscopi officium adeo non solum vilipenditur, sed & inutile redditur, & quasi penitus enervatur, quod jam non archiepiscopus, sed simplex potius videatur esse sacerdos: cum tamen, ut dicitur, prædicta omnia, utpote juri consona, exercuerit libere usque modo, &c.* Post mixta pre-

(*c*) Ext. in MS. cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. pag. 144.

Urbani literæ ad Cyprios.

Objurgati proceres Cypri archiepiscopo auxilio deesse.

precibus imperia, ut archiepiscopo Nicosiensi in emendandis Græcorum vitiis, & Alexandri edicto mandando operi studeant, intentat cœlestes minas, nisi archiepiscopo ad coercenda ea scelera opem præstiterint: nec sedem Apostolicam censuras ipsis merito incutienti defuturam renuntiat. Qui perpenderit atrocibus adeo flagitiis Cyprios fuisse contaminatos, non mirabitur, si barbarorum prædæ, ac furori postea expositi fuerint, cum eorum posteri mensuram peccatorum patrum suorum implevissent. Sed a Cypriis ad Palæstinos sermonem convertamus.

LXVII. Palæstinæ motus.

Adducti erant Palæstini in maximum discrimen a Bendocdare Sultano Babylonio, ob partam de Tartarorum duce victoriam ferociente: in quem cum Haolonus Rex Christianorum Asiaticorum succinctus copiis signa attolleret, magno rei Christianæ exitio e vivis ereptus est. Quem cum de religione optime meritum viderimus, insignia aliqua ejus gesta, quamvis nullo certo anno consignata, adducenda ex Aytono visa sunt. Igitur auctor, ubi antea perstrinxit ipsum adeundi Tartarorum supremi Imperii spe ab Hierosolymis restituendis Christianæ religioni fuisse revocatum, contendisseque in Mediam; tradit cum filio principis Batho, de cujus ingentibus victoriis alias dictum est, acies commisisse, sed infausto pugnantium utrimque exitu: *Haolonus*, inquit, (*a*) *dum in Taurisio moraretur, ecce nuncii venerunt ad eum, qui retulerunt sibi, quod* * *Barchat cum maximo apparatu incedens intenderet hereditare, si posset. His quoque rumoribus intellectis Haolonus, continuo gentem suam congregavit, & obviavit inimicis suis super quodam flumine congelato, ibique fuit ingens prælium inchoatum: propter multitudinem gentium, & equorum glacies rupta est, & submersi fuerunt tam ab una parte quam alia triginta millia Tartarorum. Exercitus vero utriusque partis absque alio processu redierunt tristes propter amissionem suorum.* Et nonnullis interjectis de subortis inter Tartaros & Christianos discordiis, de quibus antea egimus, ac duce Haoloni profligato a Saracenis, subdit de bellico apparatu ab eo instructo: *Quando vero Haolonus intellexit de soldano Ægypti, qui regnum Syriæ invaserat, & fugaverat gentem suam, continuo suum exercitum congregavit, & misit ad Regem Armeniæ, & ad Regem Georgiæ, & ad alios Christianos partium orientis, ut venirent parati contra Soldanum Ægypti & alios Saracenos. Cumque Haolonus jam suum exercitum congregasset, invasit eum quædam infirmitas, quæ eum detinuit per spatium quindecim dierum: & ex illa infirmitate obiit Haolonus: cujus rei causa Terræ sanctæ negotium, jam incœptum, fuit totaliter perturbatum post obitum Haoloni. Abaga filius ejus tenuit dominium patris sui, & rogavit Cobila Can Imperatorem avunculum suum, ut ipsum in dominio suo confirmaret: & hoc fecit libenter, unde vocatus fuit Abaga, & cœpit dominari anno Domini MCCLXIV.*

(a) Ayton. hist. orien. c. 30. Sanut. l. 3. p. 13. c. 7.

* al Bartat

Insigne inter Tartaros civile prælium.

Haolonus signa vertit in Saracenos.

Morbo extinguitur.

Abaga filius ei succedit.

LXVIII. Cæsarea dolo capta.

Affectum egregie Abagam fuisse erga Christianos, ac de armorum fœdere ad excindendos Saracenos ineundo cum fidelibus agitasse consilia, visuri sumus inferius. At Bendocdar Sultanus, dum fingit in Tartaros, non in Christianos ductare exercitum, blandis verborum leneciniis Cæsariensis decepit: atque ita dolo hoc anno Cæsaream in suam redegit potestatem; de quo hæc Sanutus (*b*): *Eodem anno* XXVI. *januarii* * *Bendocdar cepit Cæsaream per proditionem, cujus timore Ptolemenses turrim molendinorum prosternunt, & ecclesiam Arsus obsidens undique vallavit.* Irrepsit in Sanutum error in designando tempore ac XXVI. junii non januarii legendum putamus, cum sequenti anno Clemens æstate hac captam fraude conqueratur: (*c*) de cujus excidio & aliis secutis cladibus tristia lamenta fundentem inferius audiemus. Quæ interim horum malorum ignarus Urbanus pro instaurandis rebus Syriacis auxilia compararet, prosequamur. Habita sunt eo urgente Parisiis publica regni comitia, pro expeditione in sancta loca adornanda: de qua re Christianos Syros Pontifex certiores fecit, (*d*) ut induerent generosos spiritus ad Saracenorum impetus elidendos, auxilium ipsis cruce signatorum non defuturum. Cumque discordia ipsorum animos discindi accepisset, (*e*) gravissime imperavit, ut firmissimam pacem redintegrarent, cum ex mutuis inimicitiis maxima Terræ sanctæ exitia crearentur. Principes vero occidentales, qui in arma sacra consurrexerant, collaudavit, animosque ad penetrandas obvias difficultates incitavit: Borchardi (*f*) enim Vindocinensis, atque etiam Blesensis (*g*) comitum pietatem in crucis insignibus corripiendis laudibus extulit. Pauperum etiam Paganorum ac Judæorum Syriæ, qui ad Christianorum sacra se conferebant, curam gessit, & patriarchæ Hierosolymitano Apostolicæ sedis legato necessaria illis suppeditare jussit, (*h*) quo cæteros ad Christianorum ritus ea benignitate pelliceret. Contulisse etiam se ad Christianorum sacra Saladini olim Soldani e Coscejo filium ostendunt Urbani literæ: qui ut pii principis rebus ad vitam sustinendam necessariis consuleret, eas partes priori S. Genovefæ Parisiensis commisit (*i*).

* junii

(b) Sanut. ibid. Jordan. MS. bibl. vatic. sig. n. 1960. & alii.

(c) Clem. IV. to. 2. ep. 79.

Urbani studia pro Syria recuperanda.

(d) Urb. l. 3. ep. cur. 154.

(e) Ib. ep. 153.

Dissentientes Christianos Syros jungere amicitiam jubet.

Comites crucis symbolum accipientes commendat.

(f) Lib. 3. ep. 209.

(g) Ib. ep. 174.

Neophytorum necessitati providet.

(h) Lib. 3. part. altera ep. 796.

Soldani e Coscejo filius baptismo lustratus.

(i) Lib. 3. pag. 329.

LXIX.

Agitantem majora Urbanum IV. pro Saracenorum conversione, Ecclesiæque amplificandæ gloria consilia mors obruit: quam quidem auctores immanem cometem portendisse existimarunt, cum antequam ipse morbo implicitus esset apparuerit; eaque nocte, qua e vivis sublatus est, consumptus in auras evanuerit. Deo eo comete non Urbani modo obitus, sed ingentium aliarum conversionum prænuntio inter alios Ricordanus, (*a*) Stero, (*b*) Patavinus monachus, (*c*) Andreas Dandalus, (*d*) Longinus, (*e*) ac Theodoricus Vallicolor (*f*) agunt, cujus postremi incomptos versus ob lucem, quam historiæ afferunt, adducimus: ex quo errorem, qui apud continuatorem Parisii typographi incuria irrepsit, dum Parisiis obiisse scribitur, emendes.

(a) Ricord. hist. flor. c. 175.

(b) Ster. in annal.

(c) Monach. Pad. chr. l. 3.

(d) Andr. Dand. hist. Ven. l. 7. c. 7.

(e) Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann.

(f) Theod. Vallic. apud Mass. l. 5.

*Lectica vehitur in burgum Perusii, quo*
*Ecclesiæ sancti ponitur ipse Petri.*
*Ecclesiæ sumpsit ibi sacramenta, diemque*
*Extremum clausit luce sequente Jovis.*
*Quo moriente, velut mortem cognosceret ejus*
*Apparens, minime stella comata fuit.*
*Unde putes recte dominum regnasse, tacere*
*Cujus tot signa non potuere necem.*

Cometes obitum Urbani portendit.

(g) Greg. Decan. apud Mass. l. 5.

Consonat cum Theodorico Vallicolore Gregorii decani (*g*) historia de Urbani gestis conscripta: *Hic Urbanus patrum pater, mitis, pius, benignus, munificus, gratiosus, & omni bonitate refertus rexit ecclesiam Romanam annis tribus mensibus duobus, & obiit in civitate Perusina: & quiescit in ecclesia cathedrali civitatis ejusdem, quæ B. Laurentii ecclesia est vocata. In cujus obitu, quia mire vixit & miraculose in Ecclesia Dei, ut dictum est habuit incrementa, magnum mirum apparuit: nam per tres menses antequam de hoc mundo migrasset ad Dominum, quædam stella cometes continue usque ad diem obitus hominibus est ostensa, qualis nunquam visa dignoscitur temporibus retro actis: quæ dicto Pontifice in Domino dormiente, ulterius non est visa per aliquem. Per quod signum creditur & speratur quod ad cœli transierit sanctas mansiones, propter quod sidus dignoscitur miraculose commotum.* Sedisse vero annos tres mensem unum dies quatuor liquido constat, cum an. MCCLXI. festo decollationis S. Joannis Baptistæ, die nimirum IV. kal. septembris pontificium solium conscenderit, atque e vita VI. non. octobris discesserit, ut testatur Clemens ejus successor in literis encyclicis de inito pontificatu, quas nos anno proximo ineunte afferemus. Gerendarum rerum peritia floruisse munera a prædecessoribus ei imposita, totque honorum emensi gradus probant. Præterea inter cætera templa quæ magnifice excitavit vel instauravit, in fundo paternæ domus ecclesiam in S. Urbani honorem condidit, ut testatur Clemens (*b*) quartus in literis ad decanum & canonicos in ea Trecis institutos, quam pluribus prærogativis ad decorandam prædecessoris memoriam insignivit.

Gesti pontificatus tempus.

Paterna domus Trecis in ecclesiam versa.

(b) Clem. l. 1. ep. 148. ext. in formul. Marin. Ebuli pag. 8. Theod. Vallic. in Urb. vit. Gregor. decan. ubi sup.

LXX.

Præsetulisse ingentem lætitiam ex Urbani morte Manfredum ac sequaces, tradit Ricordanus (*i*). Et quidem Senenses, qui illius factione erant infecti, sede vacante exercitum ad Urbemveterem promovisse, atque hostili furore grassatos in patrimonio B. Petri, ostendunt increpatoriæ Cardinalium literæ (*k*).

(i) Ricord. hist. flor. c. 175.

Senenses vacante sede Urbemveterem tentant.

*Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosanctæ R. E. Cardinales, potestati, consilio, & communi Senensium spiritum consilii sanioris.*

*Queritur mater Ecclesia, querelas ingeminat eadem orbis caput, domina & magistra. Vos, quos doctrinæ catholicæ pabulo nutrivit & erudivit, his verbis afflatur: Si mater sum ego, ubi est honor meus? si domina ego sum, ubi est timor meus? Hæc quid a filiis matri debeatur insinuant: quid erga præsidentes in subditis exigatur, ostendunt: matri siquidem honorem; timorem vero præsidentibus suggerunt adhibendum.* Et infra: *Vos, prout veridica fide dignorum relatione percepimus, minime attendentes, quod matris, quæ viduitatis gravatur incommodis, per filios adiicendum non erat angustiis; nec fuerat, præsertim hoc tempore, super dolorem vulnerum a vobis eidem illatorum addendum, ipsam dum sponsa noviter subtracti quasi adhuc busta prosequitur, novis injuriis provocatis; dum ad suam & totius orbis necessariam provisionem enititur, & pro generalis pastoris substitutione laborat, eam ad alia consideranda & tractanda distrahitis, & tam necessarios conatus ipsius, non sine gravi animarum & famæ vestræ discrimine, quantum in vobis est, quam periculosissime impeditis, impugnando patrimonium ejus in Tuscia, & civitatem Urbevetanam ipsius Ecclesiæ specialem, ac inter cæteras ejusdem patrimonii devotam ab antiquo fidelem; ac districtum ipsius guerra, ei edicto publicæ diffidationis indicta, per masnatas & insultus varios, infestando. Suntne ista consolationis remedia, quæ afflictæ matri afflictionis tempore præsentatis? Suntne ista vestræ correctionis indicia, & propitiationis oblatio, quæ pro excessibus & offensis vestris offertis? Aliud certe vester & ipsius status Ecclesiæ, ac ipsius conditio exigebat. Quia vero non est abbreviata manus Domini, ut humiliare non possit elatos, & confringere pertinaciter resistentium cornua superborum; nos qui salutem vestram appetimus, & vestra, ouctorumque Christicola-*

(k) Ext. in MS. Vall. sig. lit. C. n. 49. pag. 153.

Correpti a Cardinalibus.

*colarum pericula proculdubio abhorremus, vellemus vos vindicem Altissimi dexteram remedio celeris conversionis ad ipsum corde contrito, & humiliato spiritu prævenire. Ideoque universitatem vestram monemus, & hortamur attente, vobis nihilominus præsentium tenore mandantes, quatenus, ab iis, quæ circa prædicta, & præcipue circa patrimonii civitates & districtus molestias prædictorum temere attentata sunt, hactenus desistentes, de cætero similia nullatenus attentetis: scituri quod si nostris monitis & mandatis parere contempseritis in hac parte, nos tam habitos contra vos ejusdem sedis prosequendo processus, quam etiam alias ad vestras insolentias compescendas, prout expedire viderimus, procedemus, &c. Dat. Perusii* IV. *non. novemb.*

LXXI. Repressi a Carolo.

Sprevere Senenses Cardinalium justa imperia: sed eorum insolentia non impune abiit; sequenti enim anno, cum latius etiam furorem circumferre molirentur a Gallis repressi, maximisque damnis affecti fuere, ut Clemens Ottobono (*a*) S. Adriani diacono Card. significavit: *Senenses*, inquit, *abstulerant Urbevetanis duo castra, & per biduum fuerunt ante Radicofanum. Postea retrocesserant: & audito quod Rex Siciliæ misit Urbevetanis auxilium, recessere confusi: & Urbevetani castris recuperatis intraverunt terram Senensium usque ad octo milliaria prope civitatem, & magna præda abducta, & villis campanis consumptis incendio redierunt, &c. Datum Perusii* VIII. *kal. septemb. anno* I.

(*a*) *Clem. IV. t.2. ep.74.*

Ereptum e vivis hoc anno Azonem marchionem, Estensem egregium Ecclesiæ propugnatorem, refert monachus Patavinus: (*b*) quem ait Opizonem, ex Raynaldo filio in Apulo carcere susceptum, heredem principatus reliquisse: ante Urbanum vero defunctum, plures ejusdem Urbani literæ tum ad Opizonem, (*c*) quibus conceptum ex avi morte dolorem mulcet; tum ad Venetos (*d*) atque alios, quos Opizonem ab Azone apostolicæ clientelæ commissum tueri hortatur, datæ ostendunt.

Azo march. Estensis moriens Opizoni nepoti principatum relinquit.

(*b*) *Mon. Pad. chr. lib.* 3. *Reg. hist. l.* 3.

(*c*) *Lib.* 3. *ep.cur.* 4.

(*d*) *Ib. ep.* 48. *& seq. post eund. ep.*





I. Guido Sabinen. ep. Card. Pontifex eligitur.

EXcurrebat duodecimi a Christo nato sæculi annus sexagesimus quintus indictione octava, cum dissidentibus iis, ad quos summi Pontificis electio pertinebat, ejus ope, qui fidelium mentes voluntatesque discissas conjungit, Guidonem episcopum S. R. E. Cardinalem Sabinensem Petri successorem renuntiarunt, de cujus primordiis hæc monumentis tradidit Ptolemæus Lucensis (*a*): *Anno Domini MCCLXV. Clemens IV. in cathedra Petri sedet. Vacavit Ecclesia tunc post mortem Urbani mensibus* V. *Hic natione Provincialis de villa S. Ægidii vocatus Guido Fulcodii sedit annis tribus, mensibus novem, diebus vigintiquatuor, & vacavit etiam annis duobus & mensibus novem. Vincentius dicit annis tribus: quod forte dicit, quia eo tempore, quo Gregorius* X. *fuit ultra mare, se habuit etiam ut vacans. Hunc communiter historici sic describunt, quod fuerat vir magnæ probitatis & exempli, quia omnem statum mundi expertus est; & in quolibet virtuose se habuit & gratiose: primo quidem uxoratus filios, quos habuit, in cultu enutrivit divino: advocatus in utroque jure in curia Regis Ludovici sancti gratiam habuit in conspectu ejus; unde & ipsum de suo secreto fecit consilio: mortua vero conjuge, vitam clericalem assumpsit, & in brevi tempore factus est propter sua merita Aniciensis episcopus, inde assumitur in archiepiscopum Narbonensem propter exempla virtutum, quas videbant de ipso.*

(*a*) *Ptol. Lucen. l. 22. c.29.*

Ejus primordia.

De episcopatu Anicienſi (*b*) & Narbonensi (*c*) archiepiscopatu gestis testes sunt ejusdem Clementis literæ, quibus apostolica studia in eas ecclesias explicat: atque etiam in postremis addit e Narbonensi provincia originem traxisse. Pergit Ptolemæus Lucensis (*d*): *Propter quæ omnia*, nimirum eximia virtutum ornamenta, *Urbanus prædecessor ejus Cardinalem Sabinensem facit, ac tandem ab eodem Papa Urbano in Angliam legatus mittitur propter turbationem inter Regem Henricum & comitem Simonem Montisfortis. Existens in Francia, quia in Angliam transire non potuit, eligitur in Papam: sed scrutinio retento mittitur pro ipso a collegio.* Hæc Ptolemæus, quibus consentanea Jordanus (*e*) iisdem fere verbis affert: consentiunt quoque Bernardus Guido, (*f*) Martinus Polonus, (*g*) &, ut alios omittamus, appendicis Parisio adjectæ auctor, verbisque parum ab eo discrepat. [1]

(*b*) *Clem. l.2. ep. 158.*

(*c*) *Lib.* 3. *ep.*31.

(*d*) *Ptolem. Luc. hist. eccl. l.22.c.* 30.

(*e*) *Jord. MS. Vat. bibl.*

(*f*) *Bern. in chr. Rom. Pont.*

(*g*) *Mart. Pol. l.*3. *in Clem.* 4. *S. Anton.* 3. *p. tit.* 20. *c.*1.

Ut vero eximiis virtutibus fulsit, quibus omnium amorem admirationemque sibi conciliavit, ac tot honorum gradus est emensus; ita patrem sapientissimum nactus erat, qui ipsum ad virtutes non tam

II. Clementis pater pietate conspicuus.

NOTÆ. [1] DE mense & die, qua Clemens electus, dissidium est inter veteres, coævosque scriptores non facile componendum. Martinus Polonus orbatam pontifice sedem nonnisi diebus V. vacasse scribit. Ex quo demum fieret die VIII. mensis octobris anni 1264. Clementem renunciatum pontificem fuisse; cum tamen extet apud Raynaldum anno 1264. §.81. cardinalium vacante sede scripta epistola data IV. nonas novembris anni 1264. Ptolemæus Lucensis vacasse sedem notans mensibus quinque, electionem hanc ad sequentis anni 1265. mensem februarium protrahit. Qua in re conveniunt & Baronii schedæ MSS. in quibus electionem diei IX. februarii, coronationem vero diei XXII. februarii, quæ tunc dominicalis erat assignatur. Utramque sententiam componere operosum esse censet Pagius in Breviario in Clemente IV. Mihi tamen sicut persuasum est non errare Baronium, qui hæc forte e probato aliquo MS. codice desumpsit (nisi forte duxerimus anticipandum electionis diem ad V. Februarii festo S. Agathæ sacrum cum Bernardo Guidonis in Clemente IV. & Joanne Iperio in chronico S. Bertini); ita pariter censeo non temere abiiciendam esse fidem Martini Poloni, qui eo tempore florens comperta narrabat; utrumque autem componendum esse in hunc modum censeo. Clemens absens adhuc, & in Galliis agens electus fuit, ut coævi scriptores omnes fatentur. Sed antequam electio ista palam annunciaretur, clam admonitus fuit, qui raptim veniens, invitus & reluctans electioni de se factæ assensum præbuit. Hinc fit ut duplex ejus electio distingui possit, seu potius divortium fuit temporis inter electionem ipsam, & assensum electioni præstitum. Martinus diem & tempus electionis indicat; reliqui omnes diem produnt qua electus palam renunciatur. Conjecturæ huic meæ lucem affundit epistola quædam, quam in registro Clementis e Trecensi codice vulgarunt PP. Martene, & Durand anecdot. to. II. Hanc epistolam dedit Clemens adhuc Sabinensis episcopus ad Carolum Andegavensem comitem, monens illum, ut quandoquidem urbem senatorio nomine regendam suscepisset, eaque de causa S. Gantelmum vicarium suum eo transmisisset, pecuniario subsidio illi assisteret. Signatur illa *in vigilia epiphaniæ* hujus nempe anni 1265. cum anno præcedenti, die & mense illo Carolus nondum senatoriam dignitatem suscepisset; sequenti vero anno 1266. Clemens pontificia jam dignitate suscepta nunquam se Sabinensem episcopum non vero Romanum pontificem appellasset. Locus unde illa data est non subditur; sed vix credo Guidonem adhuc in Galliis agentem nec de pontificatu quidquam cogitantem, hoc negocium cum Carolo tractandum suscepisse. Venerat ergo jam episcopus iste Sabinensis in Italiam; & cum electio ejus in pontificem eventum ejus præcessisset, ut coævi omnes scriptores fatentur; hinc non plane inanem esse conjecturam meam inferas, qua primam ejus electioem ad diem VIII. mensis octobris anni 1264. anticipavi. MANSI

tam verbis, quam exemplis perpoliebat: adeo enim præstanti fuit religione, ac pietate, ut contemptis humanæ vitæ delitiis, asperrimo vitæ generi, Carthusianorum familiam ingressus, sese addixerit: & magna sanctitatis opinione ac fama apud homines collecta, diem extremum piissime clauserit, ut e Clementis ipsius literis (*a*) elicitur.

Chartusianis se addixerat.

(*a*) *Clem. l. 4. ep. cur.* 10.

III. Ornavit cæteras virtutes singulari modestia: profectus enim Perusium sine pompa, simulato, ut volunt, (*b*) cultu, impositum sibi onus excutere eo studio conatus est, quo cæteri dignitatum fulgore perstricti eas ambiunt; utque Longinus (*c*) scribit: *Vix cum lacrymis Cardinalium vinci potuit*. Ac demum, ne divinæ providentiæ reluctari videretur, summum pontificatum, omnibus effuso gaudio exultantibus, flens ipse ac mœstus admisit. Redimitus paulo post solemni ritu pontificia tiara encyclicas ad orbis catholici præsules acceptis pro emblemate iisdem prædecessoris verbis (*d*) FAC MECUM DOMIME SIGNUM IN BONUM; de susceptis Ecclesiæ gubernaculis literas dedit (*e*): atque ad implorandam divinam opem pro iis egregie moderandis incitavit.

(*b*) *Long. hist. Pol. l.* 7. Perusium sine pompa se confert novus Pont.

(*c*) *Ptol. Lucen. hist. eccl. l.* 22. *c.* 30. *& alii*. Solicitat frustra Cardinales alium designent Pontificem.

(*d*) *Formul. Marebuli pag.* 54.

(*e*) *Clem. lib.* 1. *ep.* 1. *qua ext. etiam in eod. for. pag.* 28. *n.* 167.

*Clemens, &c.*

*His diebus felicis recordationis Urbano Papa prædecessore nostro* VI. *non. octobris viam universæ carnis ingresso, & sicut de largissima Dei pietate confidimus, post labores ad præmium evocato; tantique patris defuncti corpore, prout est juris & moris, cum honore & reverentia ecclesiasticæ tradito sepulturæ; episcopi, presbyteri, & diaconi Cardinales habito super futuri Pontificis electione tractatu, in nos tandem, licet immeritos, de legatione, quam susceperamus in Angliam, redeuntes, & per aliqua terrarum spatia ab Apostolica sede remotos, suos oculos injecerunt, nos in ecclesiæ Romanæ Pontificem eligentes. Cumque demum Perusium venissemus & insufficientiæ nostræ multiplicis non ignari, tam importabilis oneris ferre sarcinam, tamque eminentis honoris fastigium conscendere merito formidantes, demum ad concordiam fratrum instantiam, tanto supposuimus oneri humeros imbecilles; solicitudinem nostram proiicientes in illum, & in eo figentes anchoram spei nostræ, qui dat lasso virtutem, & iis, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat, infirma mundi nonnumquam eligens, ut ad sui nominis gloriam fortia quæque confundat.*

IV. Urbani prædecessoris mortis tempus.

V. Præsules ad ecclesias probe administrandas hortatur.

*Rogamus itaque universitatem vestram, & per Dei misericordiam obsecramus, quatenus pensato prudenter, quod vobis præmium supernæ charitatis acquiritis, si circa nos divina patientia generalis Ecclesiæ regimini præsidentes, plenæ devotionis studium exponatis; ab illo, cujus adiuvanda potentia per gratiam dat esse fortissima, quæ sunt fragilia per naturam, impetretis orationum auxilio, ut solicitudinem nobis ab ipso creditam sic exequamur exemplis & meritis, quod inde accrescat nomini suo gloria, Christianus populus salute ac tranquillitate proficiat, & tandem nobis, ac vobis æterni luminis claritas illucescat, &c.* Spondet Apostolicis studiis numquam iis defuturum. *Dat. Perusii* VIII. *kalen. martii anno* 1.

VI. Certiores facti Christiani Reges (*f*) Clementem in Petri cathedra Urbano successisse, gratulatorias illi literas transmisere: e quibus Bela Ungariæ hasce omni officiorum genere refertas dedit (*g*).

(*f*) *Reg. post eand. ep.*

(*g*) *Ext. in l. priv. Rom. eccl. T.* 2. *pag.* 162.

*Sanctissimo patri ac domino, domino Clementi divina providentia sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifici, Bela Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Chrovatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæque Rex, devotus ipsius filius, devota pedum oscula beatorum.*

Regis Ungar. ad Pontif. literæ gratulatoriæ.

*Ex ineffabili, & immenso æternæ beatitudinis fonte misericordiæ abundans fluvius terris illapsus creditur, dum vestram beatitudinem Pater misericordiarum Ecclesiæ pretioso suo plantatæ sanguine præfecit; ut juxta principis Apostolorum prædecessoris vestri, cujus fidem obtinetis & locum, auctoritatem pascatis gregem Domini immarescibili pro corona. Sane audito eo, quod personam vestram (cujus jamdudum præconia de cultu justitiæ, de zelo fidei, & de misericordiæ lenitate per plurimorum, respuentium mendacia, relationem veridicam, nostræ se mentis obtutibus præsentarant) divina providentia sacræ Urbi & orbi pariter præfecisset; effecti sumus in virtutum Domino hilares & jucundi; sperantes sacrosanctam matrem nostram, beatitudini vestræ commissam, vestra nos respiciente gratia, consolationis uberibus recreare, remotis paternaliter his, qui justis nostris desideriis forsitan se opponunt. Cum enim vergente in senium sæculo, humana natura quanto per processum temporum a perenni fonte creationis suæ fit remotior, tanto sit proclivior ad sinistra, extinguitur in plerisque devotio, delitescit sinceritas, & fidelitas terreno domino debita dissolvitur: quæ sola dat fidei servandæ ad Deum evidens argumentum; quibus utique corruptelæ subjectis vesana lingua interdum in ipsorum dominorum depressionem falsa confingere non formidat. Et ob hoc decebat, ut talis orbi daretur divinitus Pontifex, qui aboleret illicita, protervas linguas compesceret, dilataret funiculos fidei, & zelum justitiæ ampliaret: per quem devotorum intenderetur devotio, & iniquitas repressionem reciperet correctivam. Proinde cum & apostolica benignitas, & innata beatitudinis vestræ nobilitas nobis suggerant; nosque attrahant & in-*



*ducant, ut in nostris ad vos agendis, qui estis Petri successor & vicarius Jesu Christi, debeamus recurrere cum fiducia filiali; non credentes in nostris justis desideriis nos perpessuros, repulsam, tot præsertim in vobis virtutum sublimitati vestræ cohærentium concurrentibus radiis, seu fulgore; duximus ad vestram felicitatem dilectum & fidelem clericum nostrum magistrum Ladislaum capellanum vestrum, archidiaconum S. Eustachii in ecclesia Strigoniensi, familiarem, notarium, & apocrisarium aulæ nostræ, ut nostram devotionem sanctitati vestræ humiliter repræsentet, & mentis nostræ beatitudini vestræ secreta, detegat & arcana.* Et infra: *Ad hæc compositionem & ordinationem inter nos & filium nostrum Regem Stephanum mediantibus venerabilibus patribus Strigoniensi & Colocensi archiepiscopis factas, nominatim a beatitudine vestra petimus confirmari. Dat. apud Phyzegni anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto,* v. *kal. aprilis*.

VII. Gratulati pariter sunt Clementi de adepta dignitate Jacobus Aragonum, Theobaldus Navarræ, S. Ludovicus Galliarum, Alfonsus Castellæ & Legionis Reges; tum plures Reginæ: quibus singulis alias dedit literas, e quibus, cum miram rerum humanarum despicientiam ac sanctitatem oleant, nonnullas insignes sententias decerpere visum est. Reginæ quidem Navarræ S. Ludovici filiæ non gaudiorum segetem ac materiam in apostolico fastigio, sed lacrymarum reperisse significavit (*a*). Hæc vero ad illius virum Theobaldum omnibus virtutibus ornatissimum principem scripsit (*b*): *Si ita nostro, fili charissime, prout scribis, congaudes honori, compati te volumus nihilominus oneri, quod nostros adeo deprimit & aggravat humeros imbecilles, ut in tantæ prælationis ascensu; considerantibus nobis fideliter, & quantum oneris imminet; citra Deum occurrere nequeat, quod delectet. Ille tamen nos recreat, qui creavit; & in illo consolationem recipimus, qui sperantes in se non deserit, lasso virtutem tribuens, & his qui robusti non sunt, robur multiplicans: ab Ecclesiæ nascentis initiis mundi hujus infirma eligens, & per ea fortia subigens & confundens. Sane tuæ serenitatis receptis literis, quæ tuæ devotionis fervorem, quem ad nos & ecclesiam Rom. habere te asseris, ostendebant, &c.*

(*a*) *Tom.* 2. *ep.* 7.

(*b*) *Tom.* 2. *ep.* 10. Piæ Clem. ad Theobaldum Reg. Navar. lit.

VIII. Simillima est literarum sententia, quas ad Francorum sanctissimum Regem Ludovicum dedit, (*c*) in cujus aula versatus fuerat, regiisque consiliis adhibitus: *olim extitit nobis gratum: erat enim & justum, te nominare dominum: pulchrum quidem, nam & verum, te dicere amicum. Sed ad pontificatus apicem sola Dei miseratione provecti dulciori te nomine filium appellamus, ut annexa dulcedo nomini dulcorem internæ dilectionis ostendat.* Tum non ad ostentationis pompam, sed ad commendationem veritatis sancto Regi, caducarum rerum amore avulso, significat se non erigi fastu, non corrumpi delitiis, nec opum fulgore perstringi: *Illud scias, quod in suscepto regimine nec honos nos erigit in superbiam, quem onus importabile comitatur; nec dissolvunt delitiæ, quas conflictus curarum eliminat; nec divitiæ sibi subiiciunt, quas nunquam nobis permisimus dominari: imo quod læti referimus, quem servum habere nequeunt, & comitem dedignantur.* Et supra excusat se, si ejus preces non admiserit: *Probrosum*, inquit, *tibi non reputes nostræ ac tuæ honestatis intuitu pati in aliquibus te repulsam, qui legisse te recolis & audisse Vas electionis præclarum, Apostolorum principis coapostolum non auditum petitione tertio repetita, &c. Dat. Perusii* VIII. *id. maii an.* 1.

(*c*) *Ib. ep.* 12.

Aliæ ad S. Ludov. Reg. Franc.

Egregia de opum contemptu sententia.

IX. Consentiunt superioribus, quæ respondit Alfonso Castellæ & Legionis Regi (*d*) gratulanti de accepto Clementis nomine, cum S. Clementis festo die in lucem prodiisset, eoque postea recurrente, ingentia a Deo beneficia accepisset: *Flendi potius, quam gaudendi materiam apud nos invenimus: nec tamen animus noster deiicitur, cui consolationis remedium ingerit inexhausta divinæ pietatis abyssus, quæ quos conformes suo invenit beneplacito, non sic elevat ut allidat; imo potius opus imperfectionis abhorrens, sic humiles erigit in sublime, sic & locum humilitatis propriæ conservantibus reverenter manum non subtrahit adjutricem. Sub illius igitur confidentia, qui sperantes in se non deserit, ad fortia manum misimus & ad gravia coaptavimus humeros imbecilles, & quod possibilitas nostra non obtinet, in eo nos posse confidimus, apud quem non est impossibile omne verbum.* Tum ipsi Ecclesiarum regni sui decus ac jura commendat; cumque minus honesta per oratores a Clemente petiisset, ad repulsæ emolliendum dolorem urbane addit: *Sic te strenuum Christi pugilem, sic custodem populi sui vigilem, operum attestatione demonstres, ut cum hactenus in hac parte multos & magnos Reges viceris, nunc vincere sutagas & teipsum, &c.*

(*d*) *Ib. ep.* 82.

Aliæ lit. ad Alfonsum Castell. Regem.

Spes in Deo constituisse significat.

Commendat ipsi Ecclesias

Ut post victos Reges seipsum vincat hortatur.

X. Tot modestiæ singularis signa, quæ in superioribus ad Reges literis præ se tulit, non subornata ad pompam fuisse, secuta opera demonstrarunt: qui enim honores opesque sibi non optabat, derivare in sanguine conjunctissimos contempsit; unde non acquiescens carni & sanguini ipsos in priori conditione perstare voluit. Hæc enim nepoti, qui jam summos honores sibi augurabatur, rescripsit, (*e*) quæ tanti Pontificis redolent sanctitatem.

(*e*) *Tom.* 2. *ep.* 548.

*Pe-*

*Petro Groſſo de S. Ægidio.*

Nepotem priſtina fortuna contentum eſſe jubet.

*Multis de noſtra promotione gaudentibus, nos ſoli ſumus, qui certius immenſitatem oneris experimur: & ideo quod aliis gaudium, nobis metum ſubminiſtrat & fletum. Sane ut ſcias qualiter his auditis debeas te habere, ſcire te volumus, quod humilior debes eſſe: neque enim quod nos vehementer humiliat, noſtros debet extollere; maxime cum honor ſæculi momentaneus ſicut ros tranſeat matutinus. Nec ad nos te, vel fratrem tuum, vel de noſtris aliquem venire volumus ſine ſpeciali mandato: quia ſpe ſua fruſtratos, ſi ſecus præſumerent, oporteret redire confuſos. Sed nec in tuæ ſororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem: quia nec nos haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam cum filio ſimplicis militis deſponſaveris, in trecentis turonenſibus argenti tibi proponimus ſubvenire: & ſi altiorem quæras, nec a nobis denarium ſperes unum: & hoc ipſum ſecretiſſimum eſſe volumus, & tibi & matri ſolummodo eſſe notum. Illud etiam ſcias, quod nullum nullamque de ſanguine noſtro ſub noſtræ ſublimitatis obtentu inflari volumus: ſed tam Mabiliam, quam Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent, ſi eſſemus in ſimplici clericatu. Giliam viſita, & dic ei, quod locum non mutet; ſed remaneat apud Suſam, & omnem maturitatem & habitus honeſtatem obſervet; & preces pro aliquo non præſumat aſſumere: nam & ei pro quo fierent eſſent inutiles, & ipſis qui rogaverint dannoſæ: & ſi per aliquos ex hac cauſa munera offerantur, ea reſpuat, ſi vult noſtram gratiam obtinere. Dat. Peruſii in die perpetuæ & Felicitatis.* Subduntur in regeſto hæc verba: *In ſuæ creationis principio.* Suſceptam eam piam mentem poſtea non poſuiſſe, quamvis facile filias ampliſſimis viris collocare in matrimonio potuiſſet, ex S. Antonino conſtat, (*a*) cujus hæc verba ſunt: *Dicitur in laudem tanti viri, quod cum duas filias nubiles haberet, & nuptui tradere quæreret; non tamen de patrimonio Crucifixi, ſed tantum de proprio, quod non maximum erat, eas dotare vellet; attendentes ad divitias pontificales ſeu Eccleſiæ, cum de illis nil expectare valerent, illas innuptas dimiſerunt: unde & meliori ſponſo Domino Jeſu Chriſto traditæ ſunt in virginitate Deo obſequentes.*

(*a*) S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 1. §. 11.

Vetat ſuos ullas ipſi preces commendatitias porrigere.

XI. Triſtis orbis Chriſtiani hoc tempore ſtatus.

Sub ſancto adeo Pontifice Eccleſia e magnis, quibus premebatur, anguſtiis feliciter emerſit. Cum enim pontificatum adiit, triſtiſſima erat plurium regnorum ac provinciarum facies: lacerabatur Italia Manfredi tyrannide, & pars illius maxima ab Eccleſia diſciſſa, orbata ſacris, a Saracenis conculcata jacebat: fluctuabat Germania in contraria duorum principum Richardi & Alfonſi electorum in Romanorum Reges ſtudia divulſa, tumultuabatur Dania, & graviſſimis diſcordiis laniata in proprium exitium ruebat: Ungariæ ac Poloniæ graviſſimus Tartarorum, veluti jam jam irrumpentium, terror impendebat: ſquallebat in lacrymis ac mœrore Anglia ſuo Rege perduellium crudelitate vinculis irretito: graſſabantur in Hiſpania Saraceni: convulſum a ſchiſmaticis Conſtantinopolitanum Imperium, ac graviora in dies Latinorum reliquiæ vel patiebantur vel timebant: in periculum adducebatur Terra ſancta, adeo ut Pontifex, quem unum tot luctus ac mala totius Chriſtiani orbis obruebant, vere diceret ſibi non gaudiorum pompam, ſed lacrymarum materiam delato pontificatu ſuppeditatam fuiſſe. Suſcepto igitur apoſtolico munere adverſus Manfredi tyrannidem primas curas convertit, quo perdomito ad cætera felicius inſtauranda perficiendaque ſe accingeret: ac ſuſcepta de transfundendo in Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem regno Siculo a prædeceſſore conſilia urgere cœpit: & Simoni tituli S. Cæciliæ presbytero Cardinali A. S. L. injunctum ab Urbano in Galliis munus confirmavit: (*b*): utque cruce inſignitos pro ineunda expeditione Hieroſolymitana abſolveret nuncupato voto, cum non tanta Syriæ inſtaret neceſſitas, illudque cum Sicula converteret, poteſtatem fecit; ac S. Ludovicum Regem Francorum ad explicandam liberaliter operam fratri eſt adhortatus: (*c*) cum ex eo Francorum gloria, Italiæ pax, Eccleſiæ decus, Conſtantinopolitani Imperii ſalus, Terræque ſanctæ libertas penderent.

Manfredi tyrannidem edomare aggreditur Pontifex. Simonem Card. in commiſſa ab Urb. legatione confirmat. Crucefignatos ſigna Caroli ſequi jubet.

(*b*) Clem. l. 1. ep. cur 1.

(*c*) Ib. ep. 2. MS. Vall. ſig. lit. C. n. 49. pag. 14.

Aggreſſus eſt Carolus (*d*) maximis animis ſuſceptam defendendæ Eccleſiæ provinciam: quamvis enim Manfredus alpes Palavicini opera præcluderet, cum Piſanis mari pararet inſidias, Tybridis fauces ſudibus, & ſaxis obſtruere niteretur; mare etiam procellis armatum conjuraſſe videretur, dictitans (*e*) virtutem fortuna ſuperiorem, ſuperatis omnibus periculis Romam feria quarta ante pentecoſten, claſſe invectus pervenit (*f*) atque a civibus honorificentiſſime exceptus ſenatoriam dignitatem adiit. Sed cum pontificium jus læſiſſet ob plures e Gallica nobilitate in Lateranenſe palatium ad id inhabitandum inductos, ſubjectis literis a Clemente perſtringi (*g*) meruit: *Attentaſti ſane pro tuo libito, & forſitan ſine alicujus neceſſitatis intuitu, quod nullus principum devotorum hactenus attentavit: dum gens tua Lateranum palatium tuo mandato ut dicitur, indecenter intravit: quamquam a quibuſdam dicatur, quod alicujus auctoritatem habuit vel aſſenſum, cui nec de jure nec de noſtro beneplacito poteſtas in hoc aliqua competebat. Et licet jam*

XII.

(*d*) Sicul. rer. anonym. auct. Ptol. Luc. hiſt. Eccl. l. 22. c. 31. Ning. in geſt. S. Lud. Maſſon. in Lud IX. & alii.

Caroli in Urbem ingreſſus. Suos in Lateran. palatium inducit.

(*e*) Ricord. Maleſp. hiſt. flor. c. 177. Jo. Vill. l. 7. c. 3.

(*f*) Clem. T. 2. ep. 18.

(*g*) Ib. ep. 21.



Acriter a Clem. corripitur.

*jam tuæ literæ contineant, quod confidens de noſtra gratia facturus eras, quod tamen jam feceras; hoc ſcire te volumus & pro certo tenere, quod nunquam nobis placere poterit, ſenatorem Urbis, quantæcumque ſit celſitudinis, quantumque favore ſit dignus, in alterutro palatiorum noſtrorum in Urbe moram trahere: cum & futuro proſpicere velimus diſcrimini, & Eccleſia, cui præſidemus immeriti, præeminentiam ſingularem nolumus noſtro tempore deiici; per te maxime, quem ad ejus exaltationem vocavimus & honorem. Tu ergo, dilecte fili hæc moleſte non ferens, conſtitutus in Urbe, quæ tot abundat domibus ſpatioſis, ad locum alium conferre te ſatage. Nec te dicas de noſtris domibus inhoneſte dejectum: ſed potius honeſtati tuæ conſultum, &c. Dat. Peruſ. XIV. kal. jun. an. I.*

XIII. Carolus veniam poſcit.

Reprehenſus a Pontifice Carolus mox, amantiſſimi filii more, parenti chariſſimo obſequentis, errorem demiſſione delevit: ſeque ad Clementis voluntates flexit. Paucis vero poſt diebus pontificio juſſu ab Anibaldo baſilicæ duodecim Apoſtolorum presbytero, Richardo S. Angeli, Joanne S. Nicolai in carcere Tulliano, & Jacobo S. Mariæ in Coſmedin diaconis Cardinalibus in Lateranenſi baſilica Siculi ſceptri juribus, initis ſolemnibus pactionibus, acceptoque vexillo (*a*) donatus eſt. De quibus pactionibus Ptolemæus Lucenſis (*b*) tradidit, conventum eſſe: *Circa regimen, regni videlicet, ſecundum ſtatuta Regis Guillelmi, de quo dictum eſt ſupra, ad quæ obſervanda ipſum ſub fidelitatis juramento aſtrinxit. Eodem etiam juramento ipſum arcet circa factum Imperii, quæ quidem pacta adhuc extant: quod * debet ſe de ipſo ingerere, nec electioni de ſe factæ conſentire vel ipſum proſequi: aliter ipſo facto cadit a jure regni.* Adjectæ ſunt plures aliæ leges, quarum præcipuas ex Cardinalium memoratorum literis (*c*) excerptas ſubiicio.

(*a*) Ib. ep. 73.

(*b*) Ptol. Lucen. hiſt. eccl. lib. eod. c. 30. Jord. MS. Vat. bibl. ſignat. n. 1960.

* non Pactiones illum inter & Eccleſiam initæ.

(*c*) Ext. in l. privil. Rom. eccl. to. 3. pag. 19.

XIV. Deficiente herede legitimo regnum ad eccleſiam devolvendum.

*Conditiones ſunt hæ. Si in veſtro, vel heredum veſtrorum coitu legitimum, prout ſubſequitur, heredem vos aut ipſos, quod abſit, non habere contigerit, regnum ipſum ad Romanam eccleſiam, ejuſque diſpoſitionem libere revertatur. Deſcendentes autem ex vobis & veſtris heredibus Siciliæ Regibus mares & feminæ in eodem regno ſuccedent: ſic tamen, quod de liberis duobus maribus in eodem gradu per eandem lineam concurrentibus, primogenitus, & de duabus feminis, primogenita, & de mare & femina in eodem gradu ſimiliter concurrentibus, maſculus omnibus aliis præferatur. Si vero vos, quod abſit, ſine liberis ex vobis legitime deſcendentibus mori contigerit, poſſit vobis in regno & terra prædictis ſuccedere dumtaxat nobilis vir Alfonſus comes Pictavenſis germanus veſter: & ſi dictus Alfonſus vobis non ſupervivere t, poſſit vobis ſuccedere unus ex filiis domini Ludovici illuſtris Regis Francorum, videlicet major natu poſt illum, qui ſuccedit in regno Francorum. Et hæc gratia, vel ſucceſſio tam ex parte veſtra, quam ex parte illorum erit tantummodo perſonalis; ita ſcilicet, quod ad nullum filiorum, vel heredum ipſius Alfonſi, ſi Alfonſum ipſum præmori vobis contigerit, hujuſmodi ſucceſſio ſe extendet: ſed hujuſmodi major natu ſuccedet in regno Siciliæ & terra prædictis. Similiter etiam, ſi nullus filiorum, vel heredum ipſius majoris natu vobis non ſupervixerit, hujuſmodi ſucceſſionem habebit; ſed regnum Siciliæ & terra prædicta ad Romanam eccleſiam ejuſque diſpoſitionem libere devolventur.*

Qui ſuccedere poſſint Carolo ſine filiis morienti.

XV. Et qua ratione.

*Si vero Alfonſum & majorem natu prædictos vobis præmori contigerit, nullus alius vobis ſine liberis ex vobis legitime deſcendentibus in eiſdem regno & terra ſuccedet: ſed liberum erit eidem Romanæ eccleſiæ de ipſis regno Siciliæ & terra diſponere juxta ſuæ beneplacitum voluntatis. Si autem prædictos Alfonſum & majorem natu poſt ſucceſſionem hujuſmodi, aut eorum heredes ſine liberis ex ipſis legitime deſcendentibus mori contigerit, regnum Siciliæ ac terra prædicta ſimiliter ad eandem Romanam eccleſiam, ejuſque diſpoſitionem libere revertentur. Sed & ſi aliquem de aliis ſucceſſoribus veſtris Regem vel Reginam Siciliæ ſine legitima prole ſui corporis mori contigerit, in futurum ſuccedent eidem, ſervatis gradibus, ſi ſuperſtites fuerint, hæ perſonæ, videlicet Regis, vel Reginæ ſine prole legitima ſui corporis deſcendentis frater, vel ſoror ac collaterales ſuperiores mares & feminæ, ut puta patrui & avunculi, amitæ & materteræ; & ſurſum uſque ad quartum gradum dumtaxat, illis collateralibus, quos vos habetis ad præſens, & habebitis, dum vixeritis, & qui poſt veſtrum obitum ex eiſdem forſitan orientur, exceptis. Collaterales etiam inferiores ſuccedent ſimiliter mares & feminæ, utpote nepos vel neptis ex fratre, vel ſorore; & inferius uſque ad eundem tantummodo quartum gradum. Quod autem de feminis rectæ lineæ, ac collaterali um ſuperius eſt expreſſum, intelligendum eſt tam de nuptis, quam etiam de innuptis: dummodo nuptæ ſint fidelibus, & Eccleſiæ devotis. Et ſicut inter has perſonas gradus ſervari volumus, ut ſcilicet prior gradus poſteriori gradui præferatur: ſic & in eodem gradu pluribus concurrentibus, priorem natu poſteriori, & marem feminæ in hujuſmodi ſucceſſionibus volumus anteferri. Perſonarum autem hujuſmodi nulla ſuperſtite, regnum ipſum, ſicut prædicitur, ad Romanam eccleſiam & ejus diſpoſitionem libere revertatur.*

Varii ſucceſſionum gradus.

XVI.

*Quod ſi forte deficientibus maſculis contigerit feminam innuptam in regno ſuccedere,*

Ut feminæ sint successuræ.

*dere, illa maritabitur personæ, quæ ad ipsius regni regimen & defensionem existat idonea: Romani tamen Pontificis prius super hoc consilio requisito. Nec nubet nisi viro catholico & ecclesiæ Romanæ devoto: & si contra hoc fieret, licebit eidem Romano Pontifici contra ipsam ad privationem prædictorum regni & terræ sine figura judicii, & absque omni juris solemnitate, in quacumque ætate filia ipsa consistet, procedere, si hoc ei videbitur expedire. In regnum vero & terram prædicta nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus. Ad hoc tam vos, quam vestri in regno heredes regnum & terram præfata nullatenus dividetis: sed semper illa unus tantum sub ipsis conditionibus immediate ac in capite ab ecclesia Romana tenebit. Vos autem, nobis recipientibus vice prædicti summi Pontificis & ecclesiæ Romanæ, præstatis ad præsens juramentum fidelitatis, reservata receptione ligii homagii eidem summo Pontifici juxta ipsius mandatum: & tam vos eius successoribus canonice intrantibus, expressis eorum nominibus, & ipsi Ecclesiæ, quam vestri in ipso regno heredes sub propriis nominibus prælibato summo Pontifici, & hujusmodi ejus successoribus, dictæque Ecclesiæ ligium homagium facietis, & dictum juramentum fidelitatis, faciendo mentionem de præsenti instrumento, seu literis, præstabitis in hunc modum: Ego Carolus, &c.* Concepta est iisdem sententiis hujusmodi sacramenti forma, atque ea qua Petrum Aragonum, Joannem Anglorum Reges, Parasonum Calaritanum toparcham, & alios sedi Apostolicæ se obstrinxisse vidimus. De eo vero nuncupando hæ leges dictæ.

Sacramentum a Carolo præstitum.

XVII. Ut illud a Regibus Siculis Pontifici exhibendum sit.

*Hujusmodi autem homagium vos & dicti heredes facere, & juramentum fidelitatis præstare secundum præscriptam formam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses; si vero eum extra Italiam esse contigerit, infra annum, postquam regni dominium adepti fueritis, teneamini: & singulis ipsis successoribus & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabitis tam ipsum homagium, quam hujusmodi juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romanæ ecclesiæ vos & heredes vestros vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis & ligium homagium Romano Pontifici & eidem Ecclesiæ; dummodo ad hoc vobis tutum locum statuant, & assignent; vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ, vel alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eandem formam, & homagium recipiat, destinare.* Paucisque interjectis, de

De Imperio & Siciliæ regno non conjungendis.

non conjungendis Sicilia & Imperio sancitum: *Jurabitis vos ad hoc specialiter obligantes, quod nunquam per vos vel alios, seu quocumque modo procurabitis, ut eligamini, vel nominemini in Regem, vel Imperatorem Romanorum, vel Regem Theutoniæ, seu dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, vel majoris partis earumdem Lombardiæ, vel Tusciæ: & si electionem, vel nominationem ad Imperium, vel ad regnum Romanorum, seu ad regnum Theutoniæ, aut ad dominum Lombardiæ, vel Tusciæ, seu majoris partis earum, de vobis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni, vel nominationi assensum præstabitis; vel intromittetis vos ullo modo de regimine ipsius Imperii, vel regni Romanorum, seu Theutoniæ, aut Lombardiæ, seu Tusciæ, vel majoris partis earum.* Atque intermissis pluribus, quibus singulæ leges eo spectantes descriptæ sunt, & optio datur, si vocaretur ad Imperium, alterius principatus habenas capessere: de censu pontificio ærario annis singulis inferendo hæc constituta sunt.

Neque Etruria, Insubriave.

XVIII. Vectigal annum pendendum Ecclesiæ.

*Pro toto vero generali censu ipsorum regni & terræ octo millia unciarum auri ad pondus ipsius regni in festo B. Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici, & Romanæ ecclesiæ annis singulis persolventur. Si vero vos, vel vestri in dicto regno heredes, quocumque termino non solveritis integrum censum ipsum; & expectati per duos menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfeceritis; eo ipso eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino infra subsequentes duos menses eumdem censum sine diminutione qualibet non persolveritis, totum regnum ac tota terra prædicta ecclesiastico erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino infra duos menses per plenam satisfactionem illius ejusdem census vobis duxeritis consulendum; ita quod, transactis eodem termino & duobus proxime sequentibus mensibus, non sit de octo millibus unciarum hujusmodi primi termini ipsi Ecclesiæ integre satisfactum ab eisdem regno & terra cadetis ex toto: & regnum ipsum & terra ad Romanam ecclesiam integre, & libere revertentur.*

XIX. Equus albi coloris recurrente triennio offerendus.

Constitutum præterea est, ut recurrente tertio quoque anno equum eximium albi coloris Carolus, & successores offerant Pontifici, accepti pontificia liberalitate Siculi regni ergo. Tum ut trecentos equites egregie armis instructos trimestri integro, laborante bello ditione ecclesiastica regiis sumptibus in Ecclesiæ obsequio sustentent, idque officium, si ita Pontifici visum sit, cum maritimis auxiliis commutent. Beneventum, ejusque agrum, suis limitibus ex apostolico placito definiendum, Ecclesiæ reservatum censeant: atque ad eam instaurandam urbem necessariam materiam æquo pretio suppeditent. Ad ecclesiasticum vero jus asserendum in Sicilia id cautum est, ut omnia bona mobilia, vel immobilia restituantur ecclesiis, quæ a tyrannis erepta essent: tum in creandis præsulibus libertas nullatenus violetur: *Omnes insuper ecclesiæ, tam cathedrales quam aliæ regulares & seculares, nec non & omnes prælati & clerici, ac universæ personæ ecclesiasticæ, seculares & religiosæ, & quæcumque religionis loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem, sive in electione, vel post regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur: quam utique libertatem vos & vestri in regno heredes semper manutenebitis.* Et infra: *Omnes etiam causæ, ad forum ecclesiasticum pertinentes, libere absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur & ventilabuntur coram ordinariis, & aliis ecclesiasticis judicibus, & terminabuntur per eos: & si ad sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eandem venire sedem, pro appellationum prosecutionibus, libere & absque inhibitione aliqua permittantur. Sacramenta vero fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem.*

Servandum jus ecclesiasticum.

XX. Leges præteritorum tyrannorum abolendæ.

Conventum etiam est, ut iniquæ leges a Friderico, Conrado, aut Manfredo, qui tyrannidem antea exercuere, adversus ecclesiasticam dignitatem latæ abrogentur: ac veteres a Guillelmo II. Siciliæ Rege promulgatæ, quæ ad ecclesiarum, vel populi commoda spectant, restituantur. Adjecta quoque ea lex, ut Carolus ac successores Siciliæ Reges nullum fœdus cum gentilibus, Saracenis, schismaticis, catholicis adversus Romanam ecclesiam coire possint: tum de exercitu in hostem conflando, ac regio de conventis superioribus diplomate edendo conditum est. *Actum Romæ apud Lateranum in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana ante sacratissimum altare ipsius basilicæ* IV. *kal. junii anno Domini MCCLXV. pontificatus vero prædicti domini Clementis PP. IV. anno* I. Hæc ubi constituta sunt ab Anibaldo basilicæ duodecim Apostolorum, Richardo S. Angeli, Joanne S. Nicolai in carcere Tulliano, & Jacobo S. Mariæ in Cosmedin diaconis Cardinalibus, Clemens Apostolica auctoritate singula communivit. *Nulli ergo &c. Dat. Perusii per manum magistri Michaelis de Tolosa S. R. E. vicecancellarii* II. *non. novembris indict.* IX. *incarnationis dominicæ anno* MCCLXV. *pontificatus vero domini Clementis PP. IV. anno* I.

Guillelmi II. restituendæ.

XXI. Clemens de accepto regio nomine Carolo gratulatur.

Perfecta ea celebritate Carolus, missis ad Clementem literis, regio nomine veteres titulos exornavit: ex quo quantum gaudium hausisset Pontifex, aliis significavit, utque bene cœpta prosequeretur, fausta illi pluribus precatus est (*a*): *Tuæ magnitudinis nobis literæ, per nostrum nuper nuncium assignatæ, regii nominis novum titulum & excellentiæ regalis solium exterioribus oculis offerentes, totum nostrum interiorem hominem tanto gaudio perfuderunt, ut levatis in cœlum manibus dicere Domino cogeremur: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Sane confidimus in eodem, cujus perfecta sunt opera, quod tuæ promotionis initia successu firmaturus optato corroborabit in judicio & justitia regnum tuum, hostes sub pedibus tuis conteret, & tibi barbaras subiget nationes, &c. Datum Perusii* v. *id. jul.* Ducendi ob id in Siciliæ regnum exercitus ad illud e Manfredi manibus vindicandum potestatem contulit (*b*). Quo vero major Carolo auctoritas conciliaretur, de eo solemni ritu regiis insignibus ornando agitatum est: nec enim spes aberat Siculos facile deserto tyranno illius obsequiis se addicturos, designata est (*c*) dies sacra epiphaniæ Domini proxime appetentis anni ita flagitante Carolo, quem extremo hoc anno Clemens certiorem fecit, (*d*) se Albanensi episcopo & quatuor aliis diaconis Cardinalibus munus injunxisse, ut ipsum & uxorem dignitatis regiæ ornamentis insignirent, atque ob pacta, quæ ipsum inter ac Pontificem intercederent, clientelare obsequium ac munus Cardinalibus deferret; cum nec facile adire Pontificem, nec Pontifex Romam sine graviori incommodo conferre se posset.

(a) T. 2. ep. 32.

(b) Ib. ep. 73. 77.

(c) Ibid. ep. 126. Ad regiam inunctionem Cardinales designati.

(d) Lib. 1. ep. cur. 26.

XXII. Manfredus Ecclesiam in magnas angustias coniicit.

Cum novum ac legitimum Regem adversus suam tyrannidem assurgere videret Manfredus, in summas angustias Ecclesiam conjecit. Exhaustum erat pontificium ærarium, consumptum bellis præteritis, tantumque etiam alieni æris susceptum ut ipsarum etiam Urbis ecclesiarum possessiones pignori Clemens subiiceret: *Ecce*, (*e*) inquit in literis ad Simonem tit. Sanctæ Cæciliæ presbyterum Cardinalem, *pro ipso Rege Siciliæ possessionis ecclesiarum Urbis, exceptis S. Petri & S. Joannis Laterani, & Cardinalium ecclesiis & hospitalium & monialium, obligavimus usque ad centum millia librarum proventuum, si ea poterimus invenire: & exponemus ecclesias magno periculo, &c.* Atque adeo arctatus erat sanctissimus Pontifex, ut cum inde premeretur inopia, eaque persuaderet, ut arte aliqua ad corradendas pecunias uteretur, hinc abduceret numinis divini timor, magno virtutis exemplo induxerit in animum, egestatem æquo animo pati, atque ab alienis opibus puras manus servare; susceptumque consilium Cardinali S. Nicolai in carcere Tulliano significarit: *Angit nos cogitatus assiduus de paupere statu nostro, cujus relevationem Deo committimus: pro cujus amore & proximorum exemplo nostram æqua-*

(e) T. 2. ep. 67. Extrema Ecclesiæ inopia.

Insignis Clementis in ea toleranda integritas.

*æquanimiter patimur paupertatem, & ab omni extorsionis & quæstus specie abstinemus.* Nec dissimulavit Carolo calamitosissimum Ecclesiæ statum: *Vide*, inquit, (*a*) *partes orbis concussas, & scire poteris causas inopiæ. Anglia adversatur, Alemannia vix obedit, Francia gemit & queritur, Hispania non sibi sufficit, Italia non subvenit, sed emungit: & unde potest Romanus Pontifex, si Deum timet & reveretur homines, sibi vel aliis in militia, vel pecunia subvenire?*

(a) Ib. ep. 52.

XXIII. His angustiis pressus S. Ludovici Francorum Regis opem imploravit, (*b*) exposuitque quanto furore Manfredus ob excitum Carolum Ecclesiam concutere niteretur.

(b) Eod. T. 2. ep. 43.

*Clemens, &c. Regi Francorum illustri.*

S. Ludovici opem implorat.

*Sicut Pharao contemptus surgit in scandalum, sic perditionis nuncius & iniquitatis alumnus Manfredus, quondam princeps Tarentinus, videns ipsius (nimirum Caroli) adventum, & prævidens extinde se præcipitio proximum & debitæ ruinæ vicinum; ex eo spiritu nimis temerariæ præsumptionis assumpto, quod idem Rex suum præmissis ex causis iter accelerans venerat, equis ut præmittitur & pecunia immunitus, quod militiæ Regis ejusdem per eumdem Manfredum variis impedimentis oppositis via non patet, nisi forte in magna multitudine veniat, tunc præsertim cum auxilio Mediolanensium facile transitura; vires suas conflavit in unum, fatagens præfatum Regem, vel per repulsæ opprobrium, vel per conclusionis dispendium confundere in sinu Ecclesiæ matris suæ, ac ipsam Ecclesiam in eodem. Ecce fili satis clamat ad te facti istius qualitas, satis etiam fratris charitas interpellat: amanti enim sufficit nunciare: sufficit, ut noveris tu, qui quos debes amare, non deseris: sufficit ut firmiter credimus, immo pro certo supponimus, matri tam pro filio suas necessitates exponere: sufficit fratri apud fratrem, gerentem nihilominus erga se patris affectum, talibus interpellare precibus, & ipsum ad succursus accelerandum remedium taliter provocare. Attendatur itaque zelus filii, fratris, & patris: nec in tanta necessitate affectio si accumulata deficiat matri, filio, & germano: ad quod & nos ex intimo mentis affectu quas possumus deprecatorias persuasiones & persuasorias preces adiicimus, pietatem regiam monentes, orantes & obsecrantes in Domino Jesu Christo, ac in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus, prædicta pia qua decet meditatione considerans, memorato Regi compatiaris, & nobis, &c. Dat. Perus. XV. kal. aug. ann. I.*

XXIV. Extant plures eo argumento Clementis literæ ad S. Regem deprecatoriæ, (*c*) quæ legentibus lacrymas eliciant. Silere vero ex illis eas non possumus, quibus eumdem Francorum Regem ad commiserationem, descripto ita Ecclesiæ laborantis statu, excitat (*d*): *Et temporis qualitas: & perurgens nos cogit necessitas tuam, fili charissime, magnitudinem excitare ad compatiendum Ecclesiæ matri tuæ, quam licet aliquibus retro temporibus nunc ex uno latere, nunc ex alio vel bella finitima, vel remota concusserint; jam Domino permittente, quasi quatuor ventis cœli in maris medio confligentibus, undique concurrentia mala perturbant, & ad partem quamcumque se verterit, præter regnum tuum a Domino benedictum, quod pro sua pietate Dominus conservet, audit continuos ecclesiarum gemitus, oppressiones pauperum, scissuras principum, tumultus frementium populorum; videt colla calcari fidelium & exaltari cornua impiorum.*

(c) Ib. ep. 66. 102. 108. 109.

(d) Ib. ep. 66.

Exponit Franciam sedis Ap. asylum esse.

Lugubribus iterum iterumque literis, cum tardiora viderentur auxilia, sanctum Regem interpellavit: *Clamamus*, (*e*) inquit, *nec cessamus; immo potius quasi tuba vocem exaltare compellimur, fidei Christianæ naufragium, & Ecclesiæ sanctæ Dei, & charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Siciliæ illustris perspicacibus oculis intuentes angustias.* Decreverat nimirum Manfredus non irruentem in regnum Carolum expectare, sed ultro adoriri, atque Urbe exturbare: pollebat enim ingentibus viribus, ac vicinas nonnullas arces obtinebat. De quo ancipiti discrimine hæc Clemens ad Ottobonum S. Adriani diaconum Cardinalem scripsit (*f*): *Manfredus cum suo exercitu Saracenorum & aliorum infidelium venit Cellas, & si Urbi appropinquaverit, quod non creditur, timemus de congressu cum charissimo in Christo filio nostro Rege, qui in hoc animosior, quam vellemus, nulla potest ratione compesci. Dat. Perusii XIV. kal. augusti an. I.* Adductis ita in extremum discrimen rebus, Pontifex Cardinalibus, qui in Urbe versabantur, dedit imperia, ut Carolum a committendo universo certamine absterrerent: *Attendentes* (*g*), inquit, *pondus negotii & sequelam, cum eodem Rege, cui super his scribimus, collatione habita, eum moneatis & efficaciter inducatis, ne seipsum præcipitet, & nos ac universalem Ecclesiam huic exponat discrimini. Sed saniore fretus consilio, superveniens expectans auxilium, suam patiatur audaciam fræno prudentiæ interim cohiberi. Datum Perus. XV. kalend. augusti anno I.*

XXV.

(e) Ib. ep. 108. Ingentes Clementis angustiæ.

Manfredus Carolum adoritur.

(f) Ep 44.

Vetat Pontifex Carolum cum Manfredo dimicare.

(g) Ep. 42. Auxiliares copias jubet expectare.

Magna prudentia elusos fuisse Manfredi impetus, rerum exitus edocuit: tyrannus enim, cum ad certamen Carolum elicere non potuisset, fraudesque dissipatas vidisset, in citeriorem Siciliam se recepit. Cujus recessum Clemens dicto Ottobono S. Adriani diacono Card. Piceni præfecto significavit (*a*): *Venerat Manfredus Ecclesiæ persecutor usque ad Cellas, & aliquamdiu fuit ibi cum exercitu copioso, ad civitatem Tyburtinam anhelans, quam sperabat sibi proditionaliter reddi: in quo deficiens, inflexo per gyrum itinere, venit ad Matricem, & eam obtinuit, & proditores nostri Cassiani se reddiderunt eidem. Cumque ducatus planitiem ingredi minaretur, accepit de regno nuncium, & quidquid ipse tulit, quod nescimus, in regnum rediit festinanter, dimissa militia Vicovari. Rex autem Siciliæ, moratur in Urbe &c. Dat. Perusii VIII. kal. septemb.*

Irriti Manfredi conatus.

(a) Ib. ep. 74.

XXVI. Præstolabatur Carolus ex Clementis consilio auxiliares Gallorum copias, quas Pontifex propositis indulgentiarum præmiis ad Manfredum Ecclesiæ persecutorem reprimendum evocabat. Bituricensi enim, Narbonensi, ac Senonensi archiepiscopis pandendi sacra signa, militesque cruce insigniendi provinciam demandarat (*b*).

Sacra expeditio in Galliis promulgata contra Manfredum.

(b) Lib. I. ep. cur. 25. Apostolicæ lit. ad Narbonen. & Senonen. archiep. Manfredi flagitia.

*Clemens, &c.*

*De venenoso genere, velut de radice colubri virulenta progenies Manfredus quondam princeps Tarentinus egressus, ab incunte ætate, paternis se conformans nequitiis, nisus est, quantum potuit, paternam sævitiam superare. Qui sicut impius, in pessimis rebus exultans, gloriatus est esse ac dici Ecclesiæ persecutor, ad depressionem orthodoxæ fidei, enervationem juris ecclesiastici, & jugem turbationem Italiæ, prout patet, per opera damnabilia progenitoris imitatione suspirans. In qua voluntate perfida non solum perseverans, sed crescens, quantum in eo est, profanavit sacra, religiosa fœdavit, destruxit ecclesias, afflixit viros ecclesiasticos, & alios tam nobiles, quam populares, & pupillis & viduis non pepercit; alias molitus totis viribus acceptum virus effundere, ac iniquitatem tam innatam, quam a patre propagatam in matrem Ecclesiam parturire: & ut ad suæ intentionis perfidiam posset pervenire facilius, Saracenis & aliis inimicis Ecclesiæ in Christianorum dispendium speciali se amicitia copulavit. Idem quoque regnum Siciliæ ad Romanam ecclesiam pertinens, ut de aliis taceamus, invadens, ac regnicolas perfidia inhumana contractans, quantum ex ipsius regni opibus lædat Ecclesiam, turbet Italiam, & alias etiam remotas partes concutiat, non solum vicinis est notum, sed ad extremos orbis angulos jam pervenit. Et licet Ecclesia tamquam pia mater, longo tempore dissimulaverit ista, credens quod ille ad cor rediens pœnitentiam ageret de commissis; quia tamen de die in diem fiebat deterior, & pejora prioribus cumulabat, quadam inevitabili necessitate oportuit nos pro Ecclesiæ defensione athletam assumere, ipsumque erigere ad illius proterviam retundendam. Cujus rei causa charissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Siciliæ illustrem, quem more progenitorum suorum Apostolica sedes semper invenit ad beneplacita sua paratum, vocavimus ad hujusmodi negotium, eique prædictum regnum de fratrum nostrorum consilio duximus conferendum; firma spe fiduciaque tenentes, quod per ipsius strenuitatem, fidelitatem, & potentiam idem regnum optata pace fruetur, gaudebit Italia, a bellis, & turbationibus intestinis quiescens, Imperii Romaniæ status reformabitur, & Terræ sanctæ in manu valida succurretur, &c.* Proponit indulgentiarum præmia religiosam in Manfredum militiam accepto crucis symbolo professuris. *Dat. Perusii IV. non. septembris anno I.*

XXVII. Excitavit ad crucem induendam pro justa adeo causa Antissiodorensem episcopum, (*c*) ut præclara sua eloquentia tum exemplo plures ad Caroli castra alliceret, tum etiam ad tolerandos sacri belli sumptus Gallicanum clerum, ut subsidiarium æs conferret, est deprecatus (*d*): *Eja*, inquit, *dilectissimi fratres & filii, si quæ vobis sunt viscera pietatis, larga se vestris animis ingerit compassionis materia, dum Romanam ecclesiam matrem vestram, dum virum magnificum & illustrem non sibi, sed mundo genitum, Regem Siciliæ in tantis auditis angustiis constitutos. Quin etiam totius Christiani populi discrimina ex præmissis potestis colligere, cum si, quod absit, inimicus Dei & catholicæ fidei persecutor nostro pugili, peccatis exigentibus, prævalet, primis malitiæ suæ finibus non contentus, conatum suum ad majora porriget, quæ nondum vidit oculus, nec cujusquam auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, &c. Dat. Perusii XV. kal. decemb. anno I.*

(c) Tom. 2. ep. 97.

(d) Ibid. ep. 100. Subsidiariæ decimæ a Gallicano clero postulatæ.

XXVIII. Gallici exercitus in Italiam adventus.

Exciti interea pontificiis clamoribus Galli crucesignati Italiam parabant ingredi: quos cum Palavicinus Manfredi dux, aliique Gibellini Insubriæ aditu arcere molirentur, Pontifex religiosam militiam in pluribus Italiæ provinciis ad struendum venientibus facilius iter promulgari jussit (*e*). Creatique ea de causa in Insubria ad rem promovendam legati primum Cusentinus (*f*) archiepiscopus, dein Simon tit. S. Martini presbyter Cardinalis. Commota vero Gallorum adventu Italia, ut recreati pontificii, ita Manfredi studiosi animis labare cœperunt, atque ad Ecclesiæ castra transvolare nonnulli cupiere. Inter quos Pisanis redire velle cum ipsa in gratiam præ se ferentibus, id maxime optanti Carolo rescripsit Clemens, (*g*) absolvi non potuisse, cum Manfredianos finibus suis arcere nollent. Cæterum plures Florentini (*h*) traducti sunt in partes Ecclesiæ: tum Brixiani, (*i*) Anibaldus (*k*) & Petrus (*l*) e Vico Romani patri-

(e) Lib. I. ep. 160. 161. 162. 163. 167. 169.

(f) Tom. 2. ep. 54. l. 1. ep. 6. Territi Pisani Ecclesiæ gratiam affectant.

(g) Tom. 2. ep. 115. Plures ad Ecclesiæ partes revocati.

(h) Lib. I. ep. 142.

(i) Ep. 165.

(k) Ib. ep. cur. 12.

(l) Lib. I. ep. 84.

tritii, qui Ostiam & Centumcellas occuparant; (a) Recanatenses, ac Fulginates, (b) quorum urbs episcopalis sedis dignitati restituta: redacti in mutuam concordiam Ariminenses (c) a memorato Simone Cardinale. Ad conjungendos quoque mutuo fœdere Mediolanenses (d) Gaufridus e Bellomonte legatus transmissus. Palavicinus enim ipsos in mutuas clades commiserat, atque in suas partes Mediolani magistratus traxerat (e).

(a) Ib. ep. cur. 7.
(b) Ib. ep. 18.
(c) T. 2. ep. 92. 93. 95.
(d) Lib. 1. ep. 159.
(e) T. 2. ep. 84.

XXIX. In his Insubriæ turbis implorabat Montisferrati marchio Pontificis auxilia, cui Clemens hæc rescripsit (f): *Si sumptus in bellis legitimis tenetur Ecclesia ministrare, suæ sibi nequaquam sufficerent facultates, cum requirat expensas innumerabiles Hispania, Constantinopolis, Terra sancta, Prussia, Livonia, & multæ aliæ regiones, in quibus fidelibus cum infidelibus fere continuus est conflictus. Ideoque mirari non debet tua discretio, fili, si guerras Longobardiæ nostris humeris non imponimus: nam Imperii onera, ad quæ vix sufficit ipse Imperator, ferre nulla ratione possemus: & præsertim hoc tempore, quo ea premimur paupertate, ut ipsis quotidianis & domesticis sumptibus minus plene respondere possimus. Dat. III. kal. aug. pontificatus anno* I. Sed de Italicis rebus hactenus: nunc ad pontificium zelum in tuendo jure ecclesiastico stylum convertamus.

(f) T. 2. ep. 49. Montisferrati marchio tuetur partes Ecclesiæ.

Subsidiarium æs postulanti quid responderit Pontifex.

XXX. Non ipsis pepercit Regibus, qui dignitatem ecclesiasticam imminuebant, vel jugo graviore præsules & clericos premebant: sed constantia Apostolica eorum sceptri & diadematis fulgorem non veritus, ipsos arguit, ut quidquid in ea re peccatum esset, emendarent. Testes ad Francorum, Aragonum, ac Danorum Reges ardentissimæ zelo literæ, quas subiiciemus. Gallorum quidem sceptra tractabat sanctissimus Rex Ludovicus: at cum humanæ sapientiæ angustæ vires ad omnia porrigere se non possint, commissa sibi auctoritate male usi regii ministri grave jugum ecclesiæ Narbonensi imposuerant, atque ecclesiasticam afflixerant dignitatem: quare clerus ille ad summum Pontificem confugit. Quorum querelis permotus Clemens S. Ludovicum rogavit, (g) ut Narbonenses sui gratia haberet commendatos.

Clementis zelus in tuendo jure ecclesiastico.

(g) Ext. apost. lit. in cod. Vallicsig. lit. C. n. 49. pag. 16. Narbonensem ecclesiam commendat S. Ludovico.

*Clemens, &c.*

*Privilegium amoris præcipui provinciæ Narbonensi nos proculdubio debere fatemur, & eidem tam in ipsius relevandis oppressionibus, quam in ejus utilitatibus ampliandis tanto libentius hujusmodi exolvimus debitum, quanto ad id pluribus & efficacioribus rationibus invitamur. Ad hoc enim nos, qui ex ipsa originem traximus, invitat & allicit natalis soli memoria, quæ illius nos fore immemores non permittit. Hoc quidem in nobis ad illam filialem cau-*

*savit affectum, quem diuturna conversatio multorum familiaris, & grata notitia placidaque obsequia plurimorum multipliciter ampliarunt: sed suprema in ea Narbonensis ecclesiæ obtenta prælatio illum promovit postmodum in paternum.* Et infra:

Exponit S. Ludovico illius angustias.

*Nosti, fili charissime, quam fideliter, quam constanter prælati ejusdem provinciæ honori regio tempestatibus guerrarum, in partibus ejusdem exortis, semper astiterint; quam viriliter illum fuerint prosecuti: nec ipsorum merito ex eo debet apud regalem magnificentiam detrahi, quod in hoc etiam suis utilitatibus consulebant. Nosti quoties iidem prælati pro suorum relevatione gravaminum apud tuam serenitatem institerint; nobis etiam frequenter laborantibus, pro pace ipsorum: & dum finalis de parlamento in parlamentum differebatur responsio, superaddita nova gravamina novas querimonias pariebant. Decet igitur & animæ tuæ saluti, ac famæ credimus expedire, quod iis celerem finem providentia regalis imponit, tum quia diuturnitas temporis peccatum nec defensionem munit, nec minuit, sed augmentat; tum quia, nisi hæc tempore tuo finalem expeditionem receperint, proculdubio tua posteritas illa irrevocabilia reputabit, verisimiliter creditura pro certo nulli vitio subjacere, quia Rex tanti nominis, tantæ devotionis & zeli tam longo toleravit tempore, nec unquam emendare curavit, super hoc pluries requisitus, &c.* Emendasse mox, quod male a ministris gestum fuerat, sanctum Regem dubitari non potest, cum ille pro innata pietate pontificia imperia religiose coleret, atque ecclesiasticos summo amore prosequeretur.

XXXI. Eundem tuendæ ecclesiasticæ libertatis zelum in defendendis Aragoniæ ecclesiis, quas Jacobus Rex iniquius oppresserat, Clemens explicuit: acceptisque ab eo nonnullis muneribus, amoris & observantiæ gratia missis, corrumpi illis vel deliniri Pontifex sanctissimus non potuit, ut silentio inflictas ecclesiasticis injurias præteriret: sed post actas tanto Regi ob munera transmissa grates objecit (h), ecclesias ab eo afflictas gemere, nec ipsum obtenta ab illis auxilia, ad oppugnandos nimirum Murcianos Saracenos, de quibus paulo inferius erit nobis sermo, promeruisse, quamdiu eam servitutem ipsis imprimeret. Tum paterne admonuit, ut pristinæ ipsas restitueret libertati, se enim, ni pareat, ad salutaria magis, quam jucunda ipsi remedia adhibenda ex officii apostolici religione tandem adactum iri.

XXXI. Jacobus Rex Arag. ecclesiasticos opprimit.

Mulcere muneribus Pontificem frustra nititur.

(h) T. 2. ep. 57.

*Clemens, &c. Regi Aragonum illustri.*

*Debet illud advertere tua sublimitas quod si per juris tramites ordinate vellemus incedere, nullum tibi fuisset impendendum subsidium ab ecclesiis terræ tuæ, do-*

Clementis lit. ad Regem Arag.



*donec gravamina revocasses earum. Nos autem acutius intuentes, quod obsequio vincitur animus gloriosus, & facilius ducitur, quam trahatur; eo ipso ad dilectionem earum te perspeximus arctius obligari, quo durante injuriarum instantia gratiosior est subventio, quæ quantumlibet istis opportuna temporibus ex iis causis honeste poterat prorogari. Tuæ igitur consulens honestati, nostris pariter parcens angustiis, si ecclesiarum, quarum justas querelas aure surda præterire non possumus, sub ea libertate dimiseris, quam & a jure obtinet, & retroactis temporibus a te & tuis antecessoribus habuerunt. Ad quod te solicitamus precibus: in quo si, quod absit, deficeres, eo promptius sequeremur, quod tuæ saluti crederemus expediens, quam quod tibi contra justitiam tuæ voluntatis motus aut impetus ministraret. Sic enim, in quocumque statu fuimus, charos nostros dileximus, ut eisdem libentius utilia quam placentia, & molesta dixerimus, quam damnosa. Dat. Perusii id. aug. anno* I.

Monet eum Pont. ut ecclesiarum jura asserat.

XXXII. Instabat (a) apud sedem Apostolicam Jacobus Rex, ut Clemens apparatum bellicum adversus Saracenos instruenti ex ecclesiarum regni vectigalibus subsidiarium aurum conferret. Africani enim Saraceni a Granatensi & Murciano Regibus, Castellani stipendiariis ac perduellibus, exciti in Hispanias cum magna classe invecti maximas Christianorum strages ediderant. Adversus quos Jacobus Aragonius, qui maximis & gravissimis bellis Saracenos contuderat, ad præclaram messem gloriæ colligendam se accinxit, significavitque Pontifici induendæ crucis consilium. Movebat enim illum Christiani nominis defendendi zelus, imminens regno suo periculum; tum juvandi Castellani generi sui pietas in quem belli moles vergebat. Collaudavit mox ejus mentem Pontifex, ac literis (b) apostolicis ad crucem ut moris erat, humeris affigendam Aragonios, Terraconenses, Valentinos, Baleares excitavit.

(a) Marian. l. 13. c. 15. Granatæ & Murciæ Reges Africanos in Hisp. accersunt.

(b) Lib. 1. ep. 11.

*Archiepiscopo Terraconensi, & episcopo Valentino.*

*Visio dura nuntiata est nobis. Infideliter agit incredulus; & depopulator, proditorie molitus insidias, nititur ad vastandum. Saracenis, siquidem dudum de partibus Hispaniæ, quas diutius immunditia suæ inhabitationis infecerant, per omnipotentis Dei virtutem, & Christianorum potentiam pro parte maxima effugatis; reliqui ex eis remanentes ibidem, eorumdem Christicolarum ditioni subacti, & tributis addicti, nuper; coactis viribus de conceptu iniquitatis innatæ, quem aliquandiu necessitas coactionis occuluit, nativa impellente malitia desideratæ partum malitiæ parientes; Christianos earundem partium incolas, numerosa & contumaci ad hoc de Africa multitudine convocata, hostiliter invaserunt: & in eos impræmeditatos, & in socios irruentes, ac in ipsorum cæde grassati multos ex eis inhumaniter occiderunt. Propter quod de filiorum strage acerbis intrinsecus pia mater Ecclesia tacta doloribus; non immerita erumpens in lacrymas, ingeminans gemitus, querelas multiplicans & lamenta, queritur infidelium gladiis occubuisse fideles, & deflens sub impiorum manibus pretioso Christi pie redemptos sanguine corruisse; ad cultores orthodoxæ fidei ex intimis vocem profundi doloris exaltat: ipsosque ut adversus Saracenos eosdem magnanimiter, & potenter exurgant, solicitis exhortationibus excitans; eos ad occurrendum tanto ejusdem periculo fidei, & succurrendum fidelibus illectivis premiis allicit, invitat instantius, & ferventer accendit: sperans fidentius, quod Dominus bella conterens, sicut ab initio suum brachium eriget: & Christicolis assumentibus, ut decet, commune negotium, ac prosequentibus viriliter causam Christi; suæ virtutis potentia impiorum acies de propria virtute sperantes allidet, & exterminabit iterum de Christianis finibus barbaras nationes. Id enim a Domino factum est hactenus, cum multo major infidelium multitudo plura regna illarum partium occuparat: quæ tamen paucorum incolarum fidelium consternata, & expugnata viribus, Deo pro ipsis pugnante, succubuit, de regnis ipsis profugata contemptibiliter, & viriliter profligata.*

Barbarorum hostiles in Christianos impetus.

XXXIII. *Et nunc igitur numquid non est Dominus pro suo beneplacito in multitudine, vel paucitate triumphans? An abbreviata est manus ipsius, ut salvare non possit: vel virtus in aliquo diminuta, ut comminuere, cum velit, nequeat inimicos? Profecto dextera Domini virtutem fecit & faciet: dudum contra Saracenos ipsos exaltavit Hispanias, & in posterum exaltabit. Accendatur itaque Hispaniarum zelus, fervere solitus erga fidem: nec illarum populi gloriosi, quos devotionis sinceritas, honor, & gloria militiæ triumphalis, magnanimitas inconcussa, & imperterrita strenuitas prœliorum grandi hactenus præconio extulerunt; in tanto propriæ salutis discrimine arma relinquant rubigini, otio torpeant, vel dexteras consuetas ad fortia complicent sub axillis. Sed exurgant propugnatores inclyti, nec cedant cedere solitis, vel ab iis, quos terrere consueverant, terreantur: immo forti & jucundo animo recensentes, quod ipsi velut singulares propugnatores fidei pro dilatione ipsius contra Saracenos eosdem prœlia Domini prœliantes, victoriosos de ipsis obtinuere triumphos; in hostes ruant intrepidi, agmina inimicorum exterminent, tollant opprobrium gentis suæ, quod ex eo pro-*

XXXIII. Clemens fideles ad eos retundendos accendit.

*proculdubio non leve illis ingeritur: quia tam vilissimæ nationes ipsorum, & progeniforum eorumdem dudum subactæ prœliis nunc, quasi mures de cavernis egressæ ausæ sunt ipsos ad prœlium provocare. Ad hoc autem eorum virtuosos animos illud animosiores efficiat, quod charissimus in Christo filius noster Jacobus Aragonum Rex illustris, vir quidem bellator ab adolescentia sua; vir, in cujus manu contra ejusdem inimicos fidei directa est salus; vir, qui populo suo gloriam dilatavit; dum factus leoni similis in suis operibus, & quasi leonis catulus rugiens in venando, persequens impios, & fidei perscrutans inimicos, illorum colla suo subegit imperio, civitates & regna suæ ditioni subjecit, ad idem negotium prosequendum contra Saracenos prædictos magnifice se accingit. De quo, cum sit vir magni consilii, & probatæ virtutis, crebra expeditionum experientia, longoque armorum exercitio ad bella doctissimus, speramus in Domino, quod per ipsius potissime, aliorumque idem negotium prosequentium, ministerium gentes perfidas de credentium finibus auferet, ipsarum conculcabit superbiam, & earum potentiam in cinerem rediget & favillam.*

Significat Jacobum Regem crucem in eos induere.

XXXIV. *Cæterum quia inter curas multiplices & immensas, quibus assidue angimur & distrahimur supra vires, pro instantis prosecutione negotii propensiori solicitudine perurgemur; ad hoc nostræ intentionis aciem totaliter dirigentes, ut Christianis in dictis partibus contra præfatos decertantibus Sarracenos, celeri & potenti compugnatorum auxilio succurratur, & negotium ipsum nostræ providentiæ directum studio, Deo propitio, prosperetur; nos de vestræ fidei puritate, virtutis constantia, & circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, prædicationem crucis in Aragoniæ, Valentiæ, ac Majoricarum regnis; nec non & in Terraconensi provincia, omnibusque terris districtus Regis ejusdem contra prædictos Hispaniæ, ac Africæ Saracenos; præsentium vobis auctoritate committimus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in hujusmodi commisso vobis officio juxta datam a Deo vobis prudentiam procedentes efficaciter & prudenter, illud vos vel alter vestrum per vos, & alios, non obstante quod ad alicujus instantiam hoc etiam alii sit commissum, diligentius exequi studeatis, &c.* Provinciam iis imponit, ut fideles religiosam militiam in Saracenos professuros cruce insigniant, præmia indulgentiarum iis impertiantur, singulares concessas prærogativas exponant, eorumdemque arripiant clientelam, veniam pariter criminum spondeant iis, qui vel stipem contulerint, vel operam consiliumve contra impios explicuerint. *Datum Perusii x. kal. junii anno* 1.

Indulgentiæ arma sumpturis propositæ.

XXXV. Magnam vero in eo bello suæ virtutis expectationem admirationemque concitavit Petrus Jacobi major natu filius, qui ubi Saracenos Africanos Murciæ congregatos esse inaudiit, generoso ardore in arma adversus eos prosiliit: ob quod facinus Clemens literas gratulatorias dedit (*a*) utque paternis vestigiis insisteret, est adhortatus, ac se athletam Christi fortissimum exhiberet: *Persuadet ingenita tibi nobilitas his rebus intendere, illis studiis inhærere, quæ & gratiam tibi divinam præparent, & laudem apud homines tibi titulis probitatis acquirant. Hoc sane probat non levibus argumentis laudabilis illa constantia, qua fidei zelo succensus, dum circa partes Murciæ Saracenorum audisses agmina congregata, sanguinem sitientium populi Christiani, objecisti te perfidæ gentis insultibus.* Tum applaudit ejus virtuti, Murciam arctissima obsidione cinxisse, & interclusisse commeatus, ut certissima jam compellendæ ad deditionem Murciæ spes affulgeret; hortaturque ut suis laudibus tuendæ ecclesiasticæ dignitatis laudem addat: *Civitatem eandem adeo, prout fertur, arctasti, quod victualium defectu pressi non possint effugere manus tuas. In his ergo tuæ strenuitatis initiis grato tibi gratulationis applausu nobilitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quod bene cœpta pervigili cura continuans, magnanimitatis paternæ providus imitator, sic ad finem negotium perducas optatum, sic ubicumque potueris, pugil Christi cultum ejus, repressis crucis hostibus, studeas propagare, ut & in tuis processibus Dei lætifices civitatem, & ab omnium retributore bonorum beatitudinis æternæ præmia assequaris. Verum quia penes matrem fidelium fidei residet magisterium, & Ecclesiæ, fideique negotia adeo sunt connexa, quod neutrum sine altero potest legitime promoveri; nobilitati tuæ consulimus, te rogamus & hortamur attente, quatenus ecclesias & personas ecclesiasticas semper habeas in honore; & sic in devotione hujus tibi solides juventutem, ut cum ætatis provectioris fueris & curis majoribus occupatus, portes assueta suavius, & in tam piis actibus magis ac magis quotidie delecteris, statuens ante oculos mentis tuæ, quibus hactenus incrementis profecerint devoti principes, & ecclesiasticæ libertatis amici; quamque viliter & abjecte ceciderint, qui viam aliam, immo potius devium sunt secuti. Nos sane sicut charissimum in Christo filium nostrum patrem tuum sincere dileximus, sic & te teneræ brachiis dilectionis amplectimur tuum in Domino desiderantes profectum, quia te credimus, ad magna & Deo placentia reservari. Dat. Perus. 2. kal. octob. anno.* 1. Evertit postea

Jacobi major natu filius in Murciam copias promovet.

(*a*) *To. 2. ep. 88. 89.*

In commeatuum inopiam adigit.



stea Petrus eas spes, & in cruentum Ecclesiæ proditorem descivit, ut suis locis visuri sumus.

XXXVI. Incumbebat porro præcipua hujus belli moles Alfonso Castellæ & Legionis Regi, cui ut cœleste præsidium conciliaret Clemens, omnibus qui pro ipso, atque exercitu preces funderent, indulgentiarum præmia est impertitus. Ad conflandas vero pro retundendis infidelium conatibus copias Hispalensi archiepiscopo promulgandæ sacræ crucesignatorum militiæ provinciam demandavit (*a*): tum etiam pro stipendiis centesimam omnium vectigalium ecclesiasticorum colligere, suamque operam contra Africanos Saracenos ducturo Alfonso porrigere imperavit (*b*). Sed Alfonsus sibi attributa centesima parum contentus, tertiam sartis tectis ecclesiarum dicatam invaserat; cujus corripiendi munus Clemens archiepiscopo Hispalensi injunxit (*c*) moneret Regem, ne ecclesiis bellum inferret: *Quis*, inquit, *sapiens bellico se committit discrimini, cui conscientia bellum intestinum indicit?* Perdomitum ab eo Regem Granatæ refert Ptolemæus Lucensis (*d*) ac de vectigalibus illi impositis id memorandum refert: *Hic etiam Regem Granatæ multum humiliavit, & in ipso augmentavit, tributum, quia tempore patris solvebat pro tributo omni die mille marabutinos Regi: sed per istud augmentum in die veneris pro reverentia crucis & duo millia daret.*

Alfonsus Rex Castell. in Sarac. se comparat.

Pontificia ad promovenda Alfonsi expeditionem beneficia.

(*a*) *Ib. ep.* 13.

(*b*) *Ib. ep.* 14. & 125.

Corripitur Rex.

(*c*) *Ib. ep.* 19.

(*d*) *Ptol. Luc. lib.* 2. *c.* 28.

Orientales Saraceni rem Christianam atterunt.

XXXVII. Nec Africani modo Saraceni Christianos hoc tempore in occidente invaserant, bellumque in Hispanias intulerant; verum etiam Asiatici in oriente Christi fideles Terræ sanctæ adorti insidiis funesto armorum successu luctuosissimis cladibus obruerunt. Sultanus enim Ægyptius capta dolo superiori anno Cæsarea, versaque in Arsuf belli mole, eam arcem hoc anno gravissima obsidione expugnavit: ex quo, cum manifeste Christianorum res labare cœpissent, datum imminentis exitii præsagium narrat Sanutus (*e*): *Eodem anno ultimo aprilis captum est castrum Arsuf. Ab oriente enim Ptolemaidæ visum est clarum signum, quasi ensis longitudinis lanceæ, percutere turrim ecclesiæ S. Crucis. Fuerunt quoque capti aut mortui Hospitalarii nonaginta: & qui in castro erant universi circa mille ducti sunt in captivitate Babyloniæ.* Ferociens ea victoria Bendocdar Ægypti & Babyloniæ Sultanus latius ferrum flammamque circumtulit: pluribusque expugnatis Christianorum arcibus, Ptolemaidi extremi excidii terrorem incussit. Attulit is casus lugubris Clementi gravissimum dolorem, quem eo magis exacerbatum orientalibus significavit, (*f*) quo ob occidentis tumultus tanta auxilia, quanta percuperet, comparari non possent: nec tamen iis de futurum spopondit.

Expugnatio arcis Arsuf.

(*e*) *Sanut. l.* 3. *p.* 12. *c.* 7.

Imminentis cladis præsagium.

(*f*) *Ext. ejus lit. in cod. biblioth. Vallic. sig. lit. C. n.* 49. *pag.* 15.

*Venerabilibus fratribus patriarchæ Hierosolymitano A. S. L. & cæteris archiepiscopis & episcopis; & dilectis filiis domus militiæ Templi, Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, & domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum magistris; ac nobili viro Gaufrido de Sarzenis, cæterisque magnatibus & comitibus in partibus Syriæ constitutis.*

Tristes ea de re Clementis lit.

*Amara est potio, quam nobis nuncii vestri & literæ propinaverunt. Horum dura narratio nos cibavit absynthio; illarum vero lugubris series potum nobis tribuit aquam fellis, in lacrymabili expressione status miserabilis Terræ sanctæ nostram replentes amaritudinibus animam, & acerbi doloris aculeis sauciantes. Habebat namque ipsorum assertio, quod pusillus grex Domini transmarinus, qui divina illum protegente gratia, olim Tartarici gladii furorem evaserat, & Babylonis hactenus impetus superarat, nunc Babylonicæ persecutionis dolis involvitur, ejus opprimitur fraudibus, illius succumbit insultibus & viribus conculcatur.*

XXXVIII. *Egressa est etenim noviter cruenta & horribilis bestia ex Ægypto, nefandissimus ille Soldanus Babyloniæ, hostis Christianitatis, infestus populo Christiano, velut ursus insidians, & quasi leonis impetu desæviens in eundem, ut illum vel decipiat fraudis insidiis, vel fortitudine perimat, & violentia pugnatorum extinguat: quorum gravi multitudine congregata, in partes Syriæ insidiosus ac violentus iis diebus insiliit, & in nobilem civitatem Cæsaream, dominantis eidem nunciis verba pacifica locutus in dolo, subito irruens eam, fugatis exinde incolis, & profligatis mœnitis, detinet miserabiliter occupatam. Ex quo in suæ superbiæ spiritu spem ad alia occupanda protendens, Peregrinum & Caiphæ castra violenter invasit, vexavit incenditis, & diversis impugnationibus fatigavit; & tandem spe de illorum occupatione concepta, sola illius, qui bella conterit, virtute frustratus (sed arcem Caiphæ demum sub impiorum potentia succubuisse posteriores docent literæ g) Cæsaream rediit a conceptæ iniquitatis proposito non desistens; sed insistens potius, ut Christianitatem in partibus illis exterminet, capto postmodum castro Arsur, prout in literis tuis, fili magister Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quas dilecto filio nobili viro duci Venetorum super hoc destinasti, vidimus contineri; ad obsidendam Acconem civitatem se præparat, navali etiam ad hoc exercitu præparato, ut illa, quæ in eisdem partibus singulare quasi robur Christianitatis existit, exterminata, pro libito cætera Christianorum loca facile deleat, & inibi nomen Christi totaliter deleatur. Sic, sic ille ursus esuriens, sic idem leo rugiens, & da-*

Cæsarea dolo ab iis occupata.

Peregrinum & Caiphæ arces tentatæ.

(*g*) *Ext. in formul. Marin. Ebuli MS. Vat. arch. pag.* 666.

Arsur ab impiis expugnatum.

Ptolemais in discrimen adducta.

*& damnati generis bestia, ira plena iracunde sævit in prædictum Domini populum, illum obsidere ac extinguere satagens hostibus circumfusis. O quam acerba nobis horum memoria: quam amara consideratio hæc & alia tam grandia fidelium discrimina repræsentans! Dum enim hæc anxia mente revolvimus; dum consideratione solicita meditamur, zelus noster velut ignis accenditur, erumpunt lacrymæ, conceptæ amaritudinis indices; nec suspiria continemus: pro eo maxime quod circa promptitudinem accelerandi in tanta necessitate succursus, impedientibus variis cismarinarum partium turbationibus, gravibusque scissuris, nostrorum immensitati votorum nequaquam, prout vellemus, possibilitatis mensura concurrit, &c.* Erigit eorum animos ad constantiam, additque Tyrensem archiepisc. ad instruendas crucesignatas copias missum in Gallias, seque tum Gallos proceres, tum alios fideles ad bellum sacrum concitaturum.

Lugubrem Christianorum Asiat. statum deplorat Clemens.

**XXXIX.** Interea Sultanus Babylonius, ad alias invadendas arces spe erectus, Azoto admovit exercitum, cinctumque obsidione cepit, evertitque; in cujus excidio duo millia Christianorum, immo plures exquisitissimis supplciis vitam pro Christo constanter & gloriose profudisse, Siffridus refert (*a*). Tristem hunc casum ita deplorat Pontifex in literis consolatoriis ad Palæstinos datis (*b*): *Quod permittente Domino iniquitatis filius, post obtentam Cæsaream, & eversam, obtinuit nihilominus & Azotum, captivatis ex Dei populo pluribus; & non paucis, ut fertur, occisis, prout per literas vestras recepimus, nostrum, & fratrum nostrorum animos ineffabili mœrore perfudit, cum stragem populi Christiani nec audire sine cordis amaritudine, nec auditam recolere sine tristitia valeamus, &c. Dat. Perusii* VIII. *kal. augusti anno* I. [1]

(*a*) Siffr. epit. l. 2.

(*b*) Tom. 2. ep. 47.

**XL.** Cum promptissimis auxiliis ad reprimendos furentis hostis impetus opus esset, dum arma parabat occidens, Pontifex proximo a datis superioribus literis die Aytonum Armeniæ Regem ad promptum ferendum auxilium impellere conatus est: (*c*) proposuitque illi ob oculos calamitosissimum Syriæ statum; ac præcipue Hospitalarios, quorum virtutem erat expertus, maxima ex parte apud Azotum deletos: ubi plures Christiani in servitutem abducti, immo & crudelissimæ neci ob professam constanter Christi fidem traditi erant.

(*c*) Ib. ep. 48. ext. etiam in formul. Mar. Ebul. pag. 50.

*Illustri Regi Armeniæ.*

Plures pro fide martyrium passi.

*Quanto te Dominus in populo Christiano amplioris regni solio voluit honorari, tanto erectum altius obligavit ad sui cultum nominis dilatandum, & inimicos fidei Christianæ pervigilis curæ studio deprimendos. Nosti, fili charissime, quod cum multa cordis amaritudine nuper accepimus, quam insolenter irruens in Christicolas ille proditor, qui Soldanus Ægypti dicitur, Cæsaream violenter expugnavit; & Azotum, effuso sanguine Christi militum, & nonnullis ex eis, quod est multis morte lugubrius, captivatis: propter quod inter damna communia Terræ sanctæ specialem Hospitalariorum S. Joannis gravius cæteris, ut audivimus, ordo percussus, magnam vel maximam conventus sui partem amisit: licet amissi dici non debeant, qui pro suæ fragilitatis modulo, Crucifixo debitum impendentes obsequium, suæ biberunt calicem passionis. Verum cum tu speciali, ut credimus, affectione dilexeris ordinem memoratum (quod in diversis casibus re ipsa diceris comprobasse) serenitatem tuam hortandam duximus & rogandam, quatenus fratribus ejusdem ordinis, in tot & tantis angustiis constitutis, cum ab eis super hoc fueris requisitus, assistas efficacius consilio & auxilio opportunis. Et licet pro iis specialiter te rogemus, nihilominus & pro omnibus te rogamus, qui in terra prædicta invocant nomen Christi; in remissionem tibi peccaminum suadentes, ut sic ad ipsos te habeas, ut dolere videaris injurias Crucifixi, & fraternæ charitatis illorum jungi consortio, a quibus in catholicæ professione fidei non discordas. Dat. Perusii* VII. *kal. aug. an.* I.

Hospitalarior. ingens numerus ab impiis trucidatus.

Excitat Pont. ad ferendam opem Armeniæ Regem.

Paruisse Armeniæ Regem Clementis precibus, colligitur ex literis ad

NOTÆ [1] ANnum & mensem quo Cæsarea capta fuit a Sultano Babyloniæ in dubium revocat hic Raynaldus. Quanquam enim Sanutus sequentis anni diem XXVI. januarii assignat; mendum in textum irrepsisse suspicatus annalista ita corrigendum edicit. *Eodem anno XXVI. januarii* Bendocdar cæpit Cæsaream. Id autem ex eo probat, quod Clemens papa in epistola sequenti anno 1265. julio mense data præcedenti æstate cecidisse in manus hostium urbem affirmet. Sed emendationem hanc ex prava lectione epistolæ Clementis provenisse vix dubito. Ita enim Clemens in eadem epistola ab annalista anno sequenti 1265. n. 41. prolata; Post strages fidelium *de habitatoribus ipsius* (Palæstinæ) *æstate præterita multiplicatas, post proditoriam occupationem Cesareæ, post valde damnosam occupationem* Arsurii &c. Profecto illud *æstate præterita* ad strages fidelium non vero ad occupatam proditione Cæsaream referendum esse quis non intelligat? Strages ergo de Christianis Palæstinis æstate anni 1264. editæ sunt multæ. Cæsarea vero infidelibus cessit januario mense anni 1274. exeuntis ex veteri stylo, vel ineuntis 1265. stylo novo. Cum præsertim scriptores omnes ut Sanutus, & Clemens in suis epistolis Cæsareæ casum cum expugnatione Arsur conjungant; quam postremam arcem obsidere cœpisse Ægyptios die XV. martii anni 1265. & die postrema aprilis obtinuisse, Bernardus Thesaurarius affirmat. MANSI



ad Palæologum datis suo loco afferendis, quibus ipsum illius exemplo ad sacrum bellum inflammare nisus est.

**XLI.** Nec Aytonus modo Armeniæ Rex pro defendendis Syrorum reliquiis suppetias tulit, verum etiam Cypriæ regiæ procurator, qui Hugone Rege impubere post Reginæ Placentiæ obitum publicam rem administrabat, cum expedita manu ad Ptolemaidem propugnandam accurrit, ut refert Sanutus (*a*): *Hugo*, inquit, *de Lisignano ballivus Cypri cum pulcra militia in die B. Georgii Ptolemaidem duxit stolum MCCLXV. Erat autem tunc militia regni Cypri magni valoris, magnæque prudentiæ: fuerunt autem in ejus societate CXXX. milites & alii equites.* Fulta itaque hisce aliisque auxiliis hac vice intentatum discrimen evasit. Verum in alias arces Christianorum repentina irruptione virium molem effudisse, ac Neapolim Samariæ sibi subiicere meditatum, luget Clemens in literis ad S. Ludovicum, cujus opem enixe implorat: (*b*) *Licet post strages fidelium varias & multiplicatas in habitatores ipsius æstate præterita, post proditoriam occupationem Cæsareæ metropolis Palæstinæ, post valde damnosam eversionem Arsurii & destructionem aliorum locorum partium prædictarum Babylonicæ persecutionis instantia remissa diebus aliquibus videretur; in remissione tamen hujusmodi persecutio eadem non otiosa, sed eo magis insidiosa & periculosa delituit, quo interim collectis undique viribus & multiplicatis insidiis intensior quasi e vestigio insurrexerit. Siquidem, prout habet literarum nuper de terra illa missarum, & nuntiorum inde venientium infausta relatio, nefandissimus Soldanus Babyloniæ persecutionis & persecutorum Christiani nominis dux & incitator infestus, necessariis bellatorum usibus medio tempore præparatis uberius, & ipsorum inexistimabili multitudine congregata; tempora solita & iis in illis partibus apta præveniens; ex Ægypto egressus instructior, & Neapolim Samariæ, præmissa magna exercitus sui parte ad abolendum de terra illa Christianum nomen & cultum, imo ad omnino exterminandum exinde modicum Christianitatis residuum ardenti suspirat desiderio, & proposito damnando festinat, &c.*

XLI. Palæologum Græc. Imp. commovere in Saracenos nititur.

(*a*) Sanut. l. 3. p. 12. c. 7.

(*b*) Ext. in Cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. pag. 79.

Soldani Babyloniæ progressus in Syria.

**XLII.** Pergit tristem Christianarum rerum statum describere: utque eos, qui crucem induerunt, ad iter aggrediendum promoveat, exorat. Simillimisque sententiis Theobaldum Navarræ, Othocarum Bohemiæ Reges, Alfonsum Pictaviæ comitem, Brunsvici, Saxoniæ, Bavariæ duces, aliosque Germaniæ ac Poloniæ principes ad comparandas subsidiarias copias; tum vero præ cæteris Ottonem marchionem Brandeburgensem, qui egregium virtutis specimen contra infideles septentrionales edi-

XLII. Pontifex S. Ludov. hortatur ut satisfacientibus Christianis rebus opem ferat.

diderat, militiamque religiosam in Saracenos Asiaticos accepto crucis symbolo erat professus, ut crucesignatum exercitum ductaret, est adhortatus. Præterea sacris concionatoribus dedit imperia, ut Christianam juventutem in Galliis, Germania, Polonia, Dania, ad sacrum bellum accenderent: quo argumento insignes sunt eæ literæ, quibus Christum Dominum e cruce pendentem suorumque opem ad hostium propulsandas injurias implorantem ita adducit (*c*).

(*c*) Formul. Mar. Ebul. MS. arch. Vat. pag. 666.

*Priori provinciali Prædicatorum, & ministris fratrum Minorum ordinum per regnum Franciæ constitutis.*

**XLIII.** Pia ad fideles exhortatio, ut religionem armis tueantur.

*Expansis in cruce manibus clamat assidue in auribus fidelium Crucifixus, clamant livores & vulnera, clamant caput, manus, pedes & latera: clamant spinæ, clavi & lancea: clamant sputa, clamant opprobria, non tam articulatæ vocis exaltatione, quam evidenti ostentatione passionis, Christi afflictiones immensas & diversa testantia genera tormentorum. Iis quippe nostræ redemptionis insigniis, idem Redemptor omnium magnitudinis immensa beneficia humano impensa generi exprobrans, suo redemptos sanguine ingratitudinis arguit, si pro tot, quæ impendit eisdem, ipsi saltem necessitatis tempore aliquid non rependant: si nominis sui blasphemos tam diræ passionis injurias iniquis labris & detestandis operibus quotidie renovantes & hereditatis dominicæ invasores eidem in auxilio non assurgunt; nunc præcipue dum detestabilius solito blasphematur in gentibus nomen Christi; cum jam non tam verbis, quam rebus ipsis & factis Christianis insultetur ab infidelibus, & dicatur: Ubi est Deus eorum? dum funiculus hereditatis Domini Terra sancta per nefandissimos Saracenos, sic audacter invaditur, sic vastatur intrepide, sic in partibus illis Christianus populus unanimiter trucidatur, quasi non sit illius adjutor, nec sit qui misereri possit eorum. Sicut enim nuper rumoribus infaustis accepimus, sicut missi de partibus illis nuncii lacrymabiliter nobis exposuerunt & literæ, pusillus grex fidelium transmarinus, qui divina illum protegente gratia olim Tartarici gladii furorem evaserat, & Babylonis hactenus impetus superarat: nunc Babylonicæ persecutionis dolis involvitur, ejus opprimitur fraudibus, illius succumbit insultibus, & viribus conculcatur. Egressa est enim cruenta & horribilis bestia ex Ægypto nefandissimus ille Soldanus Babyloniæ, hostis Christianitatis infestus, populo Christiano velut ursus insidians, & quasi leonis impetu desæviens in eumdem, ut illum vel decipiat fraudis insidiis, vel fortitudine perimat, & violentia pugnatorum extinguat: quorum gravi multitudine congregata, in partes Syriæ insidiosus ac violen-*

*lentus iis diebus insiliit, & in Cæsaream nobilem Christianorum metropolim Palæstinæ, demandatis eidem nunciis verba pacifica locutus, in dolo subito irruens eam, fugatis exinde incolis & profligatis mænibus, detinet miserabiliter occupatam. Ex quo in suo suberbiæ spiritu spem ad alia occupanda protendens, Peregni * & Cayphæ castrum violenter invasit, ac eodem castro Cayphæ omnino destructo, reliquum vexavit incendiis, & diversis impugnationibus fatigavit: & tandem spe de illius occupatione concepta, sola illius, qui bella conterit, virtute frustratus, Cæsaream rediit: & a conceptæ iniquitatis proposito non desistens, conatus est Acconensem civitatem, præparato etiam ad hoc navali exercitu, obsidere: illamque jam, sicut ex iis, quæ iidem nuncii & literæ asseverabant, verisimilius credimus, & proculdubio timemus, obsedit: ut ipsa, quæ in iisdem partibus singulare quasi robur Christianitatis existit, exterminata, pro libito cætera Christianorum loca partium earumdem facile deleat, & inibi Christianæ religionis cultus totaliter deleatur.*

* Peregrini

XLIV. *Sic sic ille ursus esuriens, sic idem leo rugiens, & damnati generis bestia, ira plena iracunde sævit in prædictum Domini populum, satagens illius omnino memoriam abolere. Sic ille impius suique satellites Dominum irritantes, non solum corde cogitant, sed & opere prædicant, quod abominationes non requiret eorum; dum aperte indicant, se non vereri aliquatenus quod requiret. Sic ipsum habentes ostentui, rursus illum sibimetipsis eo acerbius crucifigunt, quo gravius delinquitur in eum nunc regnantem in cœlis, quam dudum mortalem in terris. O si hæc mundi principes, & magnates, cæterique fidei Christianæ cultores, qua decet, attentione considerent! O si diligenter attendant, quibus pœnis humanæ leges eos afficiant, quos reos inflictæ cædis testatori inveniunt; vel in ferendo auxilio dominis aggressuram patientibus desides deprehendunt! Profecto ad cædem Domini vindicandam, ad resistendum aggredientibus ipsum & occupantibus hereditatem ipsius, promptius exurgentes, supremi judicii pœnas prudenter effugient, & dispendium hereditatis æternæ consultius evitabunt.*

XLV. *Exurgant igitur viri ad bella doctissimi, strenui regni Franciæ bellatores: accinganturviri fortes, nec sub torporis ignominia mala videant gentis suæ. Prodeant in publicum eorum signa victricia, quorum potentiam specialiter expectat, & expetit terra illa. Eis debetur hujus belli victoria, eis hæc proponitur ad gloriam, eis ad meritum reservatur. Non desit Domino virtus strenuitatis ipsorum, inter cæteras nationes eis specialius ab ipso concessa: non patiantur æquanimiter æterni Regis injurias, qui cuivis eorum Domino injuriam vel levem inferri proculdubio nequaquam cum patientia sustinerent. Et quidem non paterentur sibi vel vile aliquid diripi; & tot Christianos fratres suos numquid patientur occidi? Non patientur sine infidelitatis nota temporalis eorum domini vel vicum aliquem occupari; & occupatores totius hereditatis dominicæ non sine quasi extremæ confusionis opprobrio patientur? Absit, absit, in hoc casu solvatur militiæ cingulum regni ejusdem, milites gloriosi. Absit, ut in bello Domini per desidiam reddantur inglorii, qui per virtutis exercitium solent in bellis cæteris gloriosiores haberi.*

*Cæterum licet verisimiliter possit, nec* XLVI. *indigne sperari, si ad persecutionis acerbitatem, quam terra eadem continuis lacessita molestiis, & diuturnis vexationibus lassata perpenditur, compassionis debitæ convertant affectum; discriminaque considerent, quæ per hoc fidei orthodoxæ non est dubium imminere; ad reprimendum eorumdem infidelium conatus adversus se potius ingerent, quam invitari ad hoc commonitionis alicujus suffragio expectabunt; quorum tamen necessitas exigit, quæ cordi nobis est in tanta periculorum instantia, instanter accelerare remedia; quia nil satis sitienti animo festinatur, sed ei moram ipsa celeritas repræsentat: nos de omnipotentia sperantes illius, qui potens est de lapidibus Abrahæ filios suscitare, qui vocem virtutis tribuit voci suæ, verbum crucis in terræ memoratæ succursum fidelibus regni prædicti decernimus proponendum. Ad quod quia personas vestras, de quarum zelo ad ea quæ Dei sunt fidei puritate, virtutis constantia, vestræ religionis & famæ claritas plenissime nos informat, duximus eligendos; vobisque prædicationis officium in dicto regno præsentium auctoritate committimus, &c.* Ad illiciendos fideles ad augustum crucis signum capessendum eorum criminum condonationem pollicetur, quorum labes aliqua post suscepta exhomologeseos sacra conscientiæ hæserit: quibus præmiis potiuri sint, tam qui suis sumptibus milites sustentarint in ea expeditione obeunda, quam qui se periculis objecerint: tum ipsos eorumque res, ex quo sacræ militiæ se devoverint, B. Petri clientelæ commendatum iri, usuras ipsis relaxandas spondet, ac Judæos ad eas remittendas compellendos decernit. Præcipit etiam iisdem religiosis viris, ut lustrent oppida & pagos; atque ad ipsorum conciones confluentibus certa indulgentiarum præmia effundere possint concedit.

Indicta pro sacra concione in Galliis adversus Babylonios religiosa militia.

Coacta fuisse ingentia in occidente auxilia sequenti anno visuri sumus. Tantorum vero successuum, quibus Bendocdar rem Christianam magna ex parte in XLVII.

Sy-



Syria delevit, causam Aytonus (a) & Sanutus (b) adscribunt bellis, quibus Bendocdar Abagham Tartarorum in Perside Regem Olaonis, quem fuisse Christianum vidimus, filium implicuit: *Quia semper*, de Abagha loquitur Aytonus, *guerram habuit cum vicinis; & propter hoc Soldanus fuit longo tempore in quiete, & ex hoc Saracenorum potentia multum crevit; Tartari vero, qui evadere poterant de terris Tartarorum, fugiebant ad Soldanum, ut evitarent gravia onera, quæ eis Tartari imponebant; propterea Soldanus fecit quamdam magnam sagacitatem, quia misit nuncios suos per mare ad Tartaros in regno Cumaniæ & regno Russiæ, & fecit cum illis Tartaris compositionem & pactum, videlicet quod quandocumque Abagham moveret guerram contra terram Ægypti, quod ipsi invaderent terram suam: & promisit dare magna dona eis. Et hoc modo Abagham non poterat invadere terram Ægypti, & Soldanus sine contradictione cujuspiam potuit invadere Christianos, & terras Syriæ faciliter occupare.*

(a) Ayton. hist. orien. c. 32.
(b) Sanut. l. 3. p. 13. c. 8.

Bendocdar Abaghæ plures hostes concitat.

Eo distracto Syriam opprimit.

XLVIII. Septentrionalis Tartarus Ungariam invadere comminatur.

Ut Persidis Tartari favebant Christianis, cum eorum opem ad Saracenos sibi subiiciendos reprimendosve necessariam putarent, ita alii septentrionales Tartari, continuis defixis trophæis superbi, gentiumque innumerarum onusti spoliis, iterum excursionibus suis perrumpere Ungariam, atque in veteres calamitates redigere meditabantur. Nec dejecit animos Ungarus, sed audito increbescentis bellici apparatus rumore, ad sustinendos eorum conatus ingentibus animis se accingere decrevit. Cum vero infinitis hostium copiis, suis tantum viribus fretus, obsistere non posse crederet, Clementem rogavit, ut Apostolicum præsidium ipsi porrigeret. Is igitur, Colocensi & Strigoniensi archiepiscopis missis literis, ad crucis dominicæ signum accipiendum vocare populos; ac tum in Ungaria, Polonia, Austria, Carinthia, Bohemia, marchionatu Brandeburgensi sacrum classicum canere; præmiaque indulgentiarum, quæ solita erant pro Christo arma gerentibus dari stipendia, proponere pro sacra concione imperavit (c).

(c) Lib. 1. ep. 112.

*Clemens, &c. Strigoniensi & Colocensi archiepiscopis.*

XLIX. Clementis lit. ad Ungar. archiepiscopos.

*In generalem mundi notitiam jam devenit, quod Tartarorum gens effera, de terræ finibus impetuose progrediens, urbes munitissimas & diversas sibi subjugasse dignoscitur regiones. Et quia permittente Domino, non solum de potentibus plurimis, sed de famosis regibus triumphavit; direptis in prædam illorum divitiis & bonis desiderabilibus asportatis; nullam deinceps arbitratur invenire potentiam, quæ sibi resistere valeat super terram. Fortuna siquidem in sui execrabilis prosecutione propositi ei olim taliter blandiente, hujusmodi gens perfida in superbiam magis ac magis semper erigitur, & in suis vanitatibus fortius roboratur, dum id suis viribus præsumit adscribere quod propter peccata populi sibi ad victoriam cernitur accidisse. Quamvis itaque ipsius persecutio nationis perversæ gravis sit nimium, & infesta Christicolis; tamen fidelibus de regno Ungariæ ac Poloniæ, & conterminis partibus tanto magis occurrit horribilis & timenda, quanto fideles ipsi sunt inter alios ei proximi, & illius incursum ac sævitiam peccatis exigentibus, quandoque gravius sunt perpessi.*

De Tartari ob partas victorias arrogantia.

*Porro, sicut charissimus in Christo filius noster Bela Ungariæ Rex illustris nobis exposuit per nuncium specialem, nuper ad ipsum relatu fide digno pervenit, quod Tartari memorati associatis sibi quibusdam aliis paganis eis adhærentibus, & diversis suis exercitibus congregatis: in terras Christianorum, prædictis regno & Poloniæ conterminas, in brevi proponunt insultum facere, illosque sibi more solito subjugare; processuri, quod absit, ulterius, nisi eis viriliter resistatur. Propter quod idem Rex velut princeps catholicus, & in conservatione fidei ac fidelium studiosus, eis in præfati regni confinio, ne in confusionem Christiani populi possint ulterius proficisci, prævio divinæ virtutis auxilio proponit & obviare viriliter, & repugnare potenter. Quia vero subsidium Christi fidelium ad hoc ei esse dignoscitur plurimum opportunum, fraternitati vestræ per apostolica rescripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus in Ungaria, Bohemia, Polonia, Stiria, Austria, Carinthia, & marchionatu Brandenburgensi per vos, & alios ad hoc idoneos contra dictorum sævitiam, & aliorum paganorum eis adhærentium auctoritate nostra verbum crucis cum omni diligentia prædicetis.* Nonnullisque interjectis, quibus indulgentiarum præmia ad signa accessuris, vel æs, militemque subsidiarium submissuris pollicetur, subjungit: *Cæterum volumus, quod ex hujusmodi prædicatione tua nullum prædicationi crucis, quæ sit auctoritate sedis Apostolicæ, in subsidium dilectorum filiorum fratrum hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, aliorumque fidelium de Livonia, Curonia, & Prussia, præjudicium generetur. Datum Perusii* VII. *kal. julii, anno* I.

L. Bela Rex auxilia a Pontifice flagitat.

Indicta a Clemente in Ungaria, regnisque finitimis sacra militia.

Nec pacatior erat Dania: quamvis enim eo penetraturi infideles non timerentur, suorum tamen discordiis lacerata gemebat. Tractabantur illius sceptra imbellibus Erici Regis pueri manibus; qui ferendæ regiæ dignitati impar ætate erat, gravesque dissensiones Regina mater cum præsulibus exercebat. Quare serpenti malo, antequam magis confirmaretur, remedium Clemens adhibiturus, eo Guido-

LI. Dania intestino bello laborat.

nem

nem tit. sancti Laurentii in Lucina presbyterum Card. legatum misit, cujus auctoritatis ipsi commissæ indices sunt hæ literæ (a).

(a) Ib. ep. 89.

*Clemens, &c. Guidoni tit. S. Laurentii in Lucina presbytero Card. A. S. L.*

Ut regno Daniæ.

*Vt regno Daniæ animarum profectus, libertas ecclesiastica, pax & tranquillitas proveniant & serventur, eo ardentius affectamus, quo specialius tamquam Christianissimum, & Deo ac pro ejus reverentia ecclesiæ Romanæ devotum diligimus regnum ipsum. Cum igitur in eodem regno varias inimicus homo, & præcipue inter charissimam in Christo filiam nostram Reginam illustrem, & quosdam prælatos ipsius regni, charissimo in Christo filio nostro nato ejusdem Reginæ Rege dicti regni illustri adhuc ætatis existente tenellæ, subortas discordias fovere noscatur; ex quibus pax, & quies regni turbatur ejusdem, cultus impeditur divinus, ecclesiastica libertas confunditur, & salus negligitur animarum; ut idem regnum eo magis in Dei, & ecclesiæ Romanæ devotione proficiat, quo se specialius per legati sedis Apostolicæ de latere nostro missi præsentiam senserit confoveri; ecce te magnum & honorabile membrum Ecclesiæ, virum utique religione conspicuum, morum honestate decorum, literarum scientia præditum, & providentia circumspectum, quem inter cæteros fratres nostros admodum charum habemus pro tuorum exigentia meritorum, in prædictum, & Sueciæ regna; commisso tibi tam ibidem, quam in Bremensi, Magdeburgensi, Salzburgensi, & Gnesiensi provinciis plenæ legationis officio; de prædictorum fratrum consilio providimus destinandum, ut cum in hac hora diei undecima cultores simus in vinea Domini constituti, vice nostra, ut diligens cultor evellas & destruas, dissipes ac disperdas, ædifices & plantes, prout quæque tibi Dominus ministrabit, &c. Dat. Perusii VI. id. junii anno I.*

LII. De imposito Guidoni Cardinali legationis munere Daniæ, Sueciæ, ac Germaniæ præsules; tum Rex ac Regina Daniæ, ad quorum asserendam dignitatem præcipue mittebatur; certiores facti, (b) jussique legatum debitis officiis prosequi.

(b) Ib. ep. 90. ad 95.

Meminit de Guidone Magnus in Sueonum & Gothorum historia, atque hoc ipso anno ad Calmarniam pervenisse ait (c). Gessit vero is strenue demandatum sibi munus, ac fluctuantes Danos in Erici Regis obsequio continuit. [1] Retulit vero Ecclesiæ Ericus improbam gratiam, qui cum Alexandri, Urbani, & Clementis Pontificum opera, industriaque Guidonis Cardinalis contra factiosorum coitione regiæ assertus dignitati fuisset; confirmata jam potentia, insectari postea præsules, & jus Ecclesiasticum violare cœpit. Quibus acceptis Clemens gravissimis sententiis ingrati illum animi vitii arguit, (d) & ut Guidonis Card. salubribus consiliis obsequeretur admonuit: ac ni libertatem ecclesiasticam restitueret, eamque contra procerum injurias tueretur, censuras intentavit.

(c) Magn. l. 19. c. 29.

(d) Ext. apost. lit. in MS. Vall. C. n. 49. pag. 17.

*Regi Daciæ illustri.*

LIII. Mulcet illum Clem. paternis verbis.

*Quam bonus & suavis est in te, fili charissime, si prudenter attendis, matris Ecclesiæ spiritus, dum errores tuos advertens benigne te corripit, & de quibus peccare diceris, admonens clementer alloquitur, ut relicta malitia, quam tibi gravis de regno tuo egressus rumor imponit, & veritas, ut ferunt, ascribit, salutaribus ipsius monitis acquiescas. Sint igitur oculi tui aperti, & aures attentæ, ut patris affectum filiali devotione suspicias, & benignos ipsius affatus patienter audiens, in promptitudine, prout decet, executionis admittat. Recogita, fili, recogita & intra pectoris claustra solicita meditatione revolve, quanta semper Ecclesia ipsa erga claræ memoriæ progenitores tuos affectione ferbuerit: quanta illi devotione claruerint erga ipsam: quanta eadem Ecclesia prædecessorum nostrorum temporibus te diligentia foverit: quam ferventer tibi & charissimæ in Christo filiæ nostræ Reginæ Daciæ matri tuæ in necessitatibus vestris astitit, ad tuitionem vestram auxiliatricem porrigendo dexteram, vestrisque periculis modis, quibus potuit, occurrendo. Numquid non tu & mater ipsa recolitis, quod felicis recordationis Alexander Papa prædecessor noster, audito insurgentis in regno præfato fremitu tempestatis, & gravis contra te ac eandem Regi-*

Ecclesiæ studium erga ipsum & majores significat.

Gerardus missus ab Alexandro ad sedandos Daniæ tumultus.



Urbani curæ pro Rege ac Regina e custodia liberandis.

*ginam persecutionis instante procella tibi, Reginæ, ac regno prædictis, prompto animo in auxilium exurrexit; ad hoc dilecto filio magistro Gerardo capellano nostro, qui tibi solicite astitit, te ac jura tua manutenendo pro viribus destinato? Numquid de tua & ipsius matris memoria obliteravit oblivio, qualiter te ac matre prædicta in hostiles inimicorum incurrentibus manus, & insidiose captivatis ab eis, recolendæ memoriæ Urbanus Papa prædecessor noster eidem prædecessori Alexandro in apostolatus officio substitutus, totis conatibus, promptisque studiis ad tuam & ipsius matris liberationem intendit, laboravit attentius, & omnia, quæ potuit, remedia exquisivit; memorati capellani ad id auctoritatem muniens, & solicitudinem excitans; prælatis ejusdem regni, qui tibi adversari dicebantur, graviter & multipliciter comminans, ac multos orbis principes & magnates eorum, ad hoc invocando suffragia precibus & exhortationibus attentis invitans?*

LIV. Guido Card. missus ad Danos Regi conciliandos.

*Nonne & nos prædecessoribus ipsis in affectus plenitudine ad te, ac matrem, & regnum eadem succedentes, vobis pleniora exhibuimus paternæ sinceritatis indicia; plenius tibi, ac ipsis studuimus providere ad redintegrationem tui status, ad totius regni prædicti plenam reformationem, & solidam, dilectum filium nostrum Guidonem tit. S. Laurentii in Lucina presbyterum, Cardinalem A. S. L. magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ, necessitatibus Ecclesiæ ipsius in ejusdem Cardinalis absentia non parcentes, tam favorabiliter destinando? Quid itaque eadem Ecclesia tibi ultra facere potuit, & non fecit; in adversis assistens, favens ad prospera, & de contingentibus nil omittens?*

LV. *Tu vero an eorundem progenitorum laudabilibus inhærendo vestigiis, te ipsi Ecclesiæ devotum exhibeas; an ei condigna retributione respondeas, an te pro tot gratiis gratum reddas: si qualiter legatum ipsum ejus salutaria obaudiendo monita, immo nos & ipsam Ecclesiam in eodem honorare curaveris; si ea quæ post adventum ipsius in regno prædicto gesta sunt hactenus & geruntur, recti judicii censura recenseat; tua tibi conscientia respondebit. Siquidem & libertatem ecclesiasticam in præfato regno conculcari, quin potius annihilari pateris: &, ut dicitur, tu ipse annihilas & conculcas; nonnullos prælatos, & alias personas ecclesiasticas regni ejusdem, non minus solito, sed eo gravius, quo diutius, per continuatæ ab olim spoliationis injuriam affligendo. Nec super hoc etiam justitiam offers, aut pacis consiliis acquiescis: sed prælatis eisdem securitatem denegas; nec permittis, immo prohibes locum in regno ipso ad ineundum cum ipsis tractatus pacificos assignari.*

LVI. Objectum Erico ingrati animi vitium.

*Hæccine reddis matris affectibus? Hæc patris beneficiis recompensas, ipsorum libertatem persequens, eosque tam graviter in suis membris affligens? Profecto si excellentia regia, si ei consilio assistentes attendant, quam sit grave famam tuam nota infamiæ tam gravis inficere, ut ecclesiarum libertatis & personarum ecclesiasticarum persecutor infestus in tuæ juventutis auspiciis describaris; quanti sit res plena periculi, si contumaciam in iis continuando ulterius, acrimoniam sententiarum, quas in talibus rigor justitiæ indicit, expectes, ut personam tuam, tibique in hoc faventium excommunicationis mucro percellat; regnum idem a divinorum communione interdicti sententia separet, & absolutio vassallorum tuorum a fidelitatis juramento, quo tibi tenentur, continuationem contumaciæ ac tam contumacis injuriæ subsequatur; consultius facies, si prudenter ista, prædicto legato humiliter in præmissis obediendo, prævenias: si Ecclesiæ prælatis ac personis eisdem satisfacere studeas: si eos tibi per concordiæ semitas reconciliare coneris; nec te per eos, qui tibi sub appellationum frivolarum velamine diffugia suggerunt, litigiorum anfractibus pattaris involvi. Cum enim appellationis remedium ad relevandum oppressos, non ad opprimendos innoxios, sit inductum, nequaquam ulterius in eorumdem prælatorum oppressionem tuis frivolis appellationibus deferemus.*

LVII. Exhortatio pontificia ad Regem ut legato obsequatur.

*Cæterum quia & ad te more patris afficimur, ideoque tibi libenter contra hujusmodi pericula providemus; & prælatis ac personis eisdem in sua justitia deesse non possumus, sed eos fovere intendimus ut tenemur; serenitatem regiam rogamus, quatenus animum regium domino Deo tuo humilians, sic nostris & memorati Cardinalis monitis & consiliis pareas, sic errata in præmissis emendes, sic ecclesiasticam libertatem & personas ecclesiasticas foveas, quod severitatem vitando justitiæ saluti tuæ consulas, famæ provideas, & tranquillitatem præpares, prout expedit regno tuo. Nos enim, si te nostris bene lacitis in prædictis & aliis, quæ Dei sunt, & tuum honorem commodumque respiciunt, coaptare studueris, te tamquam filium perdilectum, quantum cum Deo poterimus, specialis prærogativa gratiæ prosequemur: Alioquin volumus te solerter attendere, quod ad vindicandas ministrorum suorum injurias nec manus, sicut verisimiliter de ipsius benignitate speramus, Domini deerit; nec nos, sicut pro certo ex officii etiam necessitate proponimus, in plena & celeri exhibitione justitiæ prælatis & personis eisdem ministerii nostri auxilium subtrahemus: præsertim cum sciamus eo minus in talibus correctionis debitæ virgæ parcendum, quo ad te ac regnum tuum affe-*

NOTÆ [1] QUamquam hoc anno munus Danicæ legationis Guidoni tit. S. Laurentii in Lucina commissum fuit, in provinciam tamen non nisi anno sequenti venit. Id enim unanimes asserunt veteres chronologi, apud Ludevvig reliquiarum to. IX. quorum unus, qui res in Dania gestas per annos singulos usque ad exordium sæculi XV. persequitur, hæc de illo narrat: *Tandem A. C. CIↃCCLXVI. venit Guido cardinalis legatus papæ in Daniam pro reformanda pace inter dominum regem* (Enricum) *& archiepiscopum* (Jacobum), *sed videns se nihil proficere festinavit egredi excommunicans regem, scilicet Ericum, & matrem ejus Margaretham cum multis aliis clericis & laicis fautoribus eorum, regemque* (lege regnumque) *suppofuit interdicto, quod pauci servaverunt. Canonici tamen Ripenses, & Fratres Minores totius Daniæ per VIII. annos cum dimidio servarunt, reportantes ab ecclesia pro observantia parvas hujus gratias.* Distant hæc, immane quantum? ab iis quæ ex Magno, non accurato rerum Danicarum scriptore in annalibus hic narrantur. MANSI

*affectum gerimus ampliorem*. Obsecutum postea apostolicis monitis jussisque Ericum ex regiis literis suo loco videbimus; (*a*) tum e Crantzio (*b*) colligitur, qui tradit Guidonem Cardinalem Danicis rebus compositis, ecclesiasticum interdictum, quod annis novem ob archiepiscopum Upsalensem vinculis mancipatum tenuerat, dissolvisse: ac dein Regem Ericum longæva pace potitum. Quæ etsi hoc anno gesta non putamus, ut institutam tamen de Guidonis legatione orationem persequamur, conjungenda fuerunt.

(*a*) *Ann. Chr.* 1269. (*b*) *Crantz. Dan. l.* 7. *cap.* 24.

LVIII. Quod ad Germaniam spectat, in cujus parte amplissima Guidoni Cardinali legati munus commissum est; discordiis principum laborabat: & Richardo a Simone Leycestriæ comite in acie capto, Alfonso bello Maurico implicito, anceps de Imperio controversia extrahebatur: ac Pontifex supremus illius judex de utroque exauctorando, & tertio ad Imperium promovendo, agitare cœpit: nec enim ingentibus malis, quæ in Ecclesiam redundabant, occurri secus poterat. Archiepiscopo itaque Hispalensi dedit imperia, (*c*) ut Alfonsi Regis Castellæ animum pertentaret, atque ad reipublicæ Christianæ commoda proprio honori anteferenda flecteret: *Volumus*, inquit, *& mandamus, ut cum tibi visum fuerit opportunum, familiariter conferas cum eodem*, nempe Alfonso, *ut honesto modo a negotio Romani Imperii discedere sibi placeat, ex quo multa subiit onera, nec aliquem reportavit honorem. Nec est levis offensio Salvatoris negotium Romanæ ecclesiæ impedire, ex quo fructus aliquis non speratur: tale tantumque præsertim, quo bene disposito, refloreret proculdubio status orbis: quo in sua desolatione manente, naufragatur ex parte maxima populus Christianus. Nec agimus de ejus adversario præferendo, qui captivus ab alio detinetur: sed de tertio potius ad exaltationem fidei, cum nostra, prout juris est, providentia assumendo; quem timemus a principibus Alemanniæ contra Deum in sedis Apostolicæ præjudicium, ipsiusque Regis & adversarii contemptum non tam eligi, quam intrudi. Quidquid autem super iis feceris vel inveneris, nobis rescribere sine moræ dispendio non posponas*.

(*c*) *Tom.* 2. *ep.* 19.

LIX. Tragica Agnetis monialis historia.

Diuturni interregni occasione, improbi liberas sceleri habenas laxabant, ac passim rapinæ cædesque grassabantur. Quorum malorum occasione contigit memorandum humanæ miseriæ, divinæque clementiæ exemplum in Agnete moniali, quod narrat subjectis verbis Thomas Cantipratensis (*d*): *Erat in partibus Theutoniæ monasterium virginum, quo bellorum eventu funditus destructo, ad domos parentum moniales redire compulsæ sunt. Quarum una pulcherrima, Agnes nomine, ubi ad patrem militem rediit, ab eo violenter oppressa, mox impregnata fuit. Ad partum ergo appropinquans, anxia fugit ad devia, & partu edito, adest diabolus in specie monachi, qui se ejus consobrinum protestans, & conscium facti ejus, dixit ad ejulantem, & quasi præ tristitia desperantem: Ne tu, charissima, per partum editum cum patre & parentibus confundaris; parvulum in stagnum proximum proiice: si enim vixerit, latere non potest. Tunc mater, miro certaminis pondere fatigata, tandem post lacrymas, post dolorem, vicit erubescentia maternum pectus, & mox parvulum submersit in stagnum; & statim diabolus miro tabescentem dolore conjecit: O, inquit, omnium feminarum miserrima. Quid nunc restat? melius est, ut sine scandalo tuorum & tui, & graviore mortis periculo, facta mihi confessione, in aquam cum filio te submergas. Hoc audito inclamans mulier exhorrescit, & gloriosam Virginem matrem Christi invocat contra diabolum adjutricem. Nec mora: vidit dæmonem cum fumo & fœtore teterrimo disparentem. Et mox, effusa in laudem Matris Christi, ad spem meliorem in prece & lacrymis confortatur. Venit ergo in proximam civitatem: & hospitio suscepta ab honesta matrona, locata est ab eadem cum quadam Judæa, Sara nomine, ut ejus parvulum enutriret. Mansit ergo annis quinque cum eadem Judæa in tanta cordis tristitia, ut vix eam quis posset videre ridentem: bis in pane & aqua per hebdomadam jejunabat. Interim dominæ suæ Judææ, de fide Christi, & bonitate ac pietate Matris ejus, ut erat femina prudens & eloquens, prædicabat: & sensim cor illius verba ædificantia & efficacia penetrabant. Cujus hortatu orationem dominicam, & angelicam salutationem addiscens, Christum, & Matrem ejus quotidianis precibus invocabat. Hinc factum est, ut nutrix ipsa cuidam fratri ordinis Prædicatorum nomine Conrado confessa mitteretur ad Papam*. Subdit ut illa ad Judæam, quam fide Christiana instruxerat, reversa, dum in lecto jacebat, a Judæo in religionis odium tribus lethalibus vulneribus confossa a B. Virgine vitæ restituta; ejusque vulnera divino unguento delibuta, relictis cicatricibus in miraculi editi signum, sanata fuerint: quo viso miraculo Judæa una cum filiis sacra Christiana suscepit.

(*d*) *Thom. Cantipr. l.* 2. *cap.* 29. *n.* 15.

Filium suasu dæmonis mergit flumine.

Urgetur a dæmone ut se aquis inijciat.

Implorata Deiparæ ope dæmonem abigit.

Severam pœnitentiam suscipit.

Judæam Christiana religione instruit.

LX. Odio religionis a Judæo confoditur pluribus vulneribus.

*Obtenta ergo absolutione, ad patriam est reversa, & acceleravit visitare Judæam dudum dominam suam. Quam illa gratulabunda valde suscipiens rogavit sessam quiescere super lectum. At ubi vespere Judæus venit, & cognovit hanc esse nutricem, quasi in furiam raptus est: suspectam enim eam quasi pervertricem suæ uxoris habebat: Certe, inquit, male venit huc insidiatrix ista: jam enim occidam eam. Et mox extracto canipulo invadit dormientem, & tria dedit ei vulnera circa, vel intra cor. Quo viso, Judæa horruit, & intrans thalamum obseravit. Hinc noctis medio, facto signo, Judæus synagogam cum Judæis vicinis intravit. Judæa autem post luctum obdormiens, in somnis vidit gloriosam Dominam cum duabus puellis ad mulierem occisam intrantem, & ex tribus pixidibus, quas ferebant, unamquamque unguine salutari in redivivum statum mortis vulnera reducentem. Intuere lector: mirare miraculum. Judæus mane rediens, occisam feminam non invenit, credebatque quod uxor sua cadaver mortuum subterrasset. Hoc idem de viro uxor illucescente die credebat: & super hac re neuter alterum requisivit. Vix dies quadraginta completi sunt, cum ecce venit mulier peregrina, Judæamque & virum ejus ex parte Agnetis occisæ officiosissime salutavit, & abiit. Tunc Judæus uxori: Quid est quod illa vivit? numquid occidi eam? cui uxor, Potens est, inquit, Christus Dominus ejus mortuam suscitare. Et Judæus: Hoc est, ait, quod semper timui, ne te apostatantem duceret in errorem. Nec mora, hæc dicens comprehendit uxorem, & in thalamo duobus annis obstrictam reclusit. Hinc accidit, ut ad remotiora recedente Judæo, uxor evaderet, & cum duobus parvulis, tertium gerens in utero, ad ecclesiam fugit: & cum gaudio fidelium, qui eam ditissimam & honestissimam noverant, baptisma recipit. Hanc postea duo filii ejus adolescentes, & una filiarum secuti sunt, & fidem alacriter susceperunt. Mansit autem post baptisma cum filiis dicta dudum Judæa in Coloniensi diœcesi, & mutato nomine vocata est Gertrudis: & invenit Agnetem quondam nutricem suam ibidem manentem, & de conversione ejus inæstimabili gaudio gratulantem. Quæsivit ergo ab Agnete Gertrudis, quomodo revixisset. Et illa mirata subrisit, dicens: Quare numquam mortua suscitarer. Ad hæc stupefacta Gertrudis: Vere, inquit, vidi, quod te vir meus tribus vulneribus cultro confodiens occidit. Cui Agnes: Novit Christus omnipotens, quod in somnis tantum me vidisse & non sensisse, videbar occidi: mane vero offensam viri tui, si manssissem, præcogitans, omnibus insalutatis recedere festinavi. Nec mora: Gertrudis apprehensa veste circa collum Agnetis, laceravit eam simulque cilicium, quo induebatur ad carnem, usque ad pectus medium, & invenit manifestissimas trium vulnerum cicatrices. Manifesta autem facta sunt ista archiepiscopo Coloniensi domino Conrado. Mortua est autem Agnes in maxima pœnitentia, & fervore spiritus. M. scilicet CCLXV. eo tempore volvebatur, quo ipsa Agnes a Judæo occisa est, & per gloriosam Christi matrem & Virginem suscitata. Gertrudis vero superstes est miro fidei calore succensa*. Hactenus Cantipratensis. Nunc ad tragicos Angliæ casus sermonem traducamus, in quibus Henricum Regem inanes titulos gerentem a Simone e Monteforti habitum ludibrio, iterumque Simone cæso restitutum solio visuri sumus.

Sanatur divinitus.

Judæa cum filiis sacro baptismate abluitur.





LXI. Misertus Pontifex tristem Anglicanarum rerum sortem, quam apud Mattheum Westmonasteriensem eleganter descriptam (*a*) lector poterit intueri, Ottobono S. Adriani diacono Card. qui postea accepto Adriani nomine Ecclesiæ præfuit, legationis in Anglia, Wallia, Scotia, & Hibernia gerendæ munus contulit (*b*).

(*a*) *Vvestmon. flor. hist. hoc ann.*

(*b*) *Clem. l.* 1. *ep.* 138. Ottobonus Card. legatus in Angliam missus.

*Ottobono S. Adriani diacono Cardinali A. S. L.*

*Ad Regnum Angliæ inclytum tanto nobis & fratribus nostris acceptius, quanto magis se ab olim exhibuit erga Deum fidei puritate sincerum, & in divini cultus ampliatione munificum, ac in ipsius veneratione devotum; eo intimæ charitatis affectu Romana ecclesia semper ferbuit, ut ejus, velut propriis afficeretur incommodis, & commodis lætaretur. Si quando enim illi prosperum aliquod indulsit sortis lenioris applausus, illud suis incrementis ascripsit: adversa vero, quæ irrogavit interdum casus asperioris illisio, suis prorsus dispendiis imputavit: sicque in utroque sibi viscera materna pietatis aperuit, quod in alterutro, quantum in ea fuit, de contingentibus nil omisit contra ingruentis pro tempore adversitatis incursum; eidem, cum opus extitit, totis viribus in opportunitate subveniens, & ad desideratæ prosperitatis augumentum, quotiens ad id facultas occurrit, studiis opportunis intendens. Sic sic affecta eadem mater Ecclesia tam ad regnum illud & charissimum in Christo filium nostrum Regem, & charissimam in Christo filiam nostram Reginam Angliæ illustres, ac suos; quam ad venerabiles fratres nostros prælatos, & dilectos filios nobiles viros comites, barones, cæterosque magnates & incolas regni ejusdem, tempore felicis recordationis Urbani Papæ prædecessoris nostri memoratis regno, Regi, & cæteris contra insurgentis impetum tempestatis, quæ regnum ipsum gravi nimium commotione turbavit, prompta solicitudine in auxilium excurrexit.*

LXII. *Idem namque prædecessor, ubi primum apud eum rumor insonuit de nimia ejusdem regni & periculosa turbatione diffusus; meditationibus cum fratribus suis pensans assiduis, & intentis exquirens affectibus, qualiter posset tanto prædictorum regni, Regis, & aliorum discrimini obviari; denum*

*mum cum eisdem fratribus deliberatione præhabita, nos, tunc in minori officio constitutos, ad regnum prædictum pro reformatione status ipsius per turbationem hujusmodi miserabiliter deformati, nobis tam inibi, quam in quibusdam aliis partibus plenæ legationis potestate concessa, de dictorum fratrum consilio destinavit: nosque injunctum nobis onus, quamquam non modicum onerosum, tam propter obedientiæ bonum, quam prædictorum Regis, Reginæ, prælatorum, baronum, & regni totius obtentu, ad quos affectionis sinceræ integritatem gerebamus & gerimus, humiliter assumentes; postquam ad partes eidem regno vicinas per varia deducti discrimina, sola nos protegente gratia divina, pervenimus, apud barones prædictos pulsavimus monitis, ipsos instanti persuasionum pulsatione monuimus, ut ipsi, qui nobis in hoc multiplicem suscipionis præstitere materiam, securum nobis ad idem regnum aditum, quem variis modis obstruxerant, aperirent; quatenus idem regnum ingressi, ad votivam nobis ipsius tranquillitatem & pacem, juxta officium nobis impositum, & desiderium insitum commodius & efficacius vacaremus.*

**Queritur Pont. se ingressu in Angliam fuisse prohibitum.**

LXIII. *Sed multiplici nostræ instantiæ multiplicem opposuit eorundem baronum contumacia nimis in hoc obstinata repulsam: siquidem gravem in persona nostra eidem Ecclesiæ irrogantes injuriam, & securitatem nobis præbere valde inhumaniter, & aperire aditum nimis injuriose, ac contumaciter noluerunt. Nos vero nec eorum inhumanitate commoti, nec contumacia, vel injuria provocati; sed in charitatis soliditate ipsorum salutis anxii, & eorum mollire duritiam molientes, ne in animarum suarum perniciem in tam periculosa pertinacia obdurati amplius remanerent; ipsos & per lenia monitionum antidota, & per medicinalium sententiarum acrimoniam ad exhibendum nobis & eidem Ecclesiæ debitam exauditionis promptitudinem in prædictis; nos ad eorum & totius regni præfati admittendo commodum, & assumptum in eo exequendo officium, studuimus revocare. Licet autem nec sic profecerimus, circa ipsos: propterea tamen, non minus ad ipsorum salutem, & præfati regni, Regis, & aliorum statum tranquillum, & prosperum aspirantes; immo etiam post prædicti prædecessoris obitum, prout Domino placuit, ad apicem summi apostolatus assumpti, non minorem ad ipsos, sed eo intentiorem paternæ sinceritatis zelum habentes, quo magis ad id ex officii debito novimus nos teneri; expectantes expectavimus cum multæ solicitudinis anxietate diutius, quod ad nos boni de regno nuncii venientes, sitienti patris animæ de filiorum salute aquam consolationis infunderent, & reviviscentem in eis spiritualis vitæ spiritum nuntiarent; ut redeuntibus filiis de dissimilitudinis regione apertis benignitatis brachiis pius pater gaudens & exultans occurreret, ipsosque non solum ad remissionis gratiam exoratus admitteret, sed eam ultro gratiosius offerret.*

**Ingens suum conciliandæ pacis studium exponit.**

**Quantas adepto pontificatu curas ad eam conficiendam admoverit.**

LXIV. *Verum quia mœsto Jacob prædilectum Joseph vivere adhuc Ægyptus occultat, & desideratæ tranquillitatis regni prædicti notitiam nobis turbationis solitæ confusio interdicit, quod nulli postmodum ad nos de regno ipso super prædictis, prout desideravimus, nuncii, vel literæ pervenerunt; paterna nos cogit affectio, ne circa charos, etsi hucusque nostra contempserint monita, etsi aures nostris obturando clamoribus adhuc, ut effectus, immo contemptus indicat, moneri contemnant; cœptis ullo modo desistimus: sed insistimus omnimodis, ut de profundo tanti erroris ducti ad veritatis semitas redeant, a quibus per gravium excessuum invia deviarunt. Quamquam enim charorum audita pericula diligentes ad amaritudinem provocent, ad compassionem excitent, ad subventionem invitent; visa tamen hæc eo promptius operantur, quo irritant animos segnius, quæ vocis ministerio exprimuntur auribus, quam quæ oculorum officio mentibus imprimuntur. Et ideo nos qui ea, quæ in regno præfato his accidere temporibus, ipsiusque discrimina dissimulare non possumus; utpote qui ea quasi tractavimus manibus, & oculis nostris inspeximus; urget conscientia, cogit affectus, ut non differamus ulterius, sed satagamus in præmissis festinum adhibere remedium, & ad succurrendum regno præfato totis nisibus, prout Dominus ex alto permiserit, occurramus. Ad quod quia per nos ipsos ad id, ut desideraremus, intendere conditione nostra præpediente nequimus, legatum de nostro latere deliberavimus destinandum: & ad te, quem novimus ad prosperitatem præfati regni specialiter affici; cujus in hoc affectum testamur conscii, cujus prudentiam laudamus experti, cujus benignitas grata, humilitas accepta, conversatio mansueta; nostræ deliberationis intuitum convertentes, speramus per tuæ circumspectionis industriam, actus tuos illo dirigente, qui novit, ac prava in directa, & aspera in vias planas illo convertente, qui potest; posse in prædictis salubriter consuli, & utiliter subveniri. Dat. Perusii* IV. *non. maii anno* I.

LXV. Præterea eidem Cardinali injunxit (a) Clemens, ut viros principes ecclesiasticos ac laicos ad obsequia sacramento solemni confirmata Regi deferenda adduceret: impia conflata inter eos fœdera dissolveret, iniqua juramenta, quibus Rex, Regina, filiique adacti fuerant, convelleret: præsules ac proceres, incusso censurarum, ac bonorum honorumque jacturæ terrore, ad officium cogeret; tum maxime præsules, quorum plures perduellium partibus erant fœdissime irretiti, obeundo munere interdiceret, ipsisque ad dicendam apud apostolica subsellia causam terminum peremptorium præfigeret: ac si in pervicacia perstarent, in eos pœnarum ecclesiasticarum terrorem, severitatemque explicaret.

*(a) Ib. ep. 53.*

**Data ad rebelles percellendos auctoritas.**



LXVI. Timeri etiam jure poterat, ne perduelles legatum Angliæ aditu arcerent: quocirca decrevit, Pontifex (a) ut si ad partes legationi exercendæ commissas appellere non posset, extra ipsarum limitem munere suo fungeretur: si vero pateret in Angliam accessus divino præsidio fultus ingrederetur, & regno laboranti succurreret; ac strenuam ad regis & filiorum libertatem ac dignitatem asserendam operam navaret. Et quia infringenda facile sine armorum potentia rebellium pertinacia non videbatur, expandere crucis signa, copiasque cruceatas tum in Anglia, tum in ditione Angliæ Regis cismarina, atque etiam in Germania, si opus foret, contrahere jussit. Si qua vero urgeret necessitas, ad Francorum Regem confugeret, quem suam erga ipsum benignitatem expliciturum, atque Henrico opem laturum de egregiis ejus moribus sperabat: denique severitatis aculeos in nonnullos episcopos rebellium partibus implicitos exereret; nec flecti se ignave, frangive ab infligendis pœnis meritis pateretur. Quo vero legato faveret Francorum Rex, atque ad vindicandum e servitute Anglorum Regem operam daret, literas ad ipsum dedit (b) quibus proposito procerum atque aliquorum præsulum scelere, qui regiam dignitatem omnino convellere moliebantur, ac sacramenta iniqua a Richardo, Henrico, ac majori natu filio extorserant; adegerantque ipsos profiteri, id nulla necessitate adductos præstitisse; quæ si servarent, turpissimæ servituti se subiicerent, si resilirent, amittendæ regiæ dignitatis pœnis se implicarent; hortatus est, opem illis porrigeret: suam enim & Regum omnium in ipsorum causa contineri.

*(a) Lib. I. ep. 52.*

**Religiosam in eos militiam indici jubet.**

**S. Ludovicum hortatur Pontifex ut Henrico opem ferat.**

*(b) Ext. in cod. biblioth. Vall. sign. lit. C. n. 49. pag. 256.*

*Clemens, &c. Regi Francorum illustri.*

*Occurrunt frequenter considerationis nostræ conspectui acerbis infesta molestiis Anglicanæ factionis detestanda principia, & horrenda prosecutionis ipsius iniquitas, tanto continuata tempore; immo potius tam longi decursu temporis aucta continue, molestissime nos infestat. Acerba siquidem nobis est erumpentis conspirationis attentio, quam in charissimum filium nostrum Regem Angliæ illustrem, ad ejus & suorum statum conculcandum omnimodis, ad evertendum omnino solium regiæ majestatis, baronum suorum eruptio factiosa præsumpsit. Sed iniquitatis illam prosequentis intentio, nonnullorum prælatorum regni Angliæ fulta consiliis, fota favoribus, & adjuta conatibus eo est nobis acerbior, quo minora vel suæ correctionis præbet indicia, vel declinationis etiam argumenta prætendit: dum non solum pertinaciter male cœptis innititur; sed & ad pejora quotidie suos perversos conatus extendit; & ad obfirmationem suis dolosis machinationibus obluctatur.*

LXVII. *Sicut enim novit excellentia regia, sicut communis habet notitia, sicut publica clamat infamia, toto jam orbe diffusa, prædicti barones fidelitatis, ad quam eidem Regi tenentur, immemores; omnis rationis expertes, & proprii solum prosecutores arbitrii; post graves ac enormes injurias, & offensas tam ipsi Regi & charissimæ in Christo filiæ nostræ Reginæ uxori, ac dilecto filio nobili viro Richardo in Romanorum Regem electo fratri, & Eduardo primogenito Regis ejusdem; quam Ecclesiis, & prælatis regni prædicti, quorum quamplures bonis spoliare propriis, aliquos etiam captivitati tradere præsumpserunt, aliisque personis ecclesiasticis irrogatas; post reas perduellionis manus hostiliter in eundem Regem injectas, & ipsum Regem ac prædictos ejus fratrem & primogenitum captivatos, diuque in captivitate detentos; post evacuatos labores nostros, & ad idem regnum, ad quod tunc in minori constituti officio, in eo legati functi partibus mittebamur, nobis per obstinatam ipsorum malitiam nec parentium monitis, nec jussa paventium, sed medicum contemnentium & medelam, aditum denegatum; nuper ob fovendam, immo verius consummandam nequitiam inchoatam; ad formam pacis proculdubio nimis informem, eosdem Regem & primogenitum (quamquam super hoc suas concesserint literas, asserentes in eis se id fecisse spontaneos) coegerunt: per quam ipsis Regi & primogenito illam non servantibus, pœna exheredationis infligitur: servantibus vero non solum soliti depressio status ingeritur, sed & jugum imponitur perpetuæ servitutis.*

**Perduellium procerum gravissimas injurias exponit.**

**Ut Henricum & Eduardum ad iniquam pacis formam compulerint.**

*Quid putas, fili charissime, in iis agi? quid per talia machinamenta quæri? ad quid per tales eorundem baronum insidias anhelari, nisi ut de regno illo regium nomen aboleatur omnino, & extincto ibi semine regio ipsi regnent? nisi ut Christianus populus a devotione matris Ecclesiæ & observantia fidei orthodoxæ per consequens avertantur.*

LXVIII. *O proditionis & iræ filii barones illi! Si mundi principes qualia ex eorum excessibus, si quod absit, incastigati remaneant, per exemplares alveos ad nationes alias exempla deriventur, attendant: si prudenter advertant, quam periculose, nisi occurratur in tempore, vicinis instat incendium, igne proximos parietes consumen-*

**Prava ea exempla, ni male occurratur, perniciem allatura.**

*te, quam cauta, quam consulta res est, in aliena potius domo reprimere vires exardescentis incendii, quam extinguendum illud in propria expectare: profecto si hoc diligentius intra mentis arcana revolverent, ad succurrendum Regi & regno præfatis non invitati occurrerent: in hoc nostra, ipsius Regis, & suorum proculdubio rogamina prævenirent. Attendant itaque, attendant, & intenta discussione volvant utique ac revolvant, quomodo minima in talibus neglecta propria periculose crescere, ac in grandia soleant ampliari pericula: quomodo magis vires ex moræ diuturnitate sumentibus, sero medicinæ remedia præparantur.* Subdit experimento Italiæ edoceri posse, in qua, cum paucæ initio civitates in suos principes insurrexissent, ita malum grassatum, ut nullis vinciri legibus possint, continuisque motibus fluctuent. Tum addit. *Ut hæc & his similia semper a tuis sint aliena dispendiis, semper a Christianissimi regni tui sint extranea nocumentis. Nec ideo ista tibi exponenda decrevimus, quia excellentiæ tuæ talia timendi credimus; sed quia hominum & regnorum subito fata volvuntur, mare in momento turbatur, in subitas tempestates hybernisque majores agitur æstiva tranquillitas, bellum in media pace consurgit, transeunt frequenter auxilia securitatis in metum; solicitandum te fore credidimus, & contra incertos variabilis fortunæ impetus paternis solicitationibus muniendum, &c.*

LXIX. Submittit S. Ludovicus Regi Anglorum auxilia.

Non suscepit quidem eam expeditionem S. Ludovicus, copias tamen in Henrici auxilium submisisse probabili argumento est, cum Matthæus Westmonasteriensis (*a*) dicat Simonem Montisfortis, increbrescente venientium Gallorum rumore, ut ipsis occurreret, obviam progressum esse: nec levi conflata crucesignatorum manu in Angliam legatum appulisse videtur. Certe pervenisse in Angliam Ottobonum, suumque munus strenue obire cœpisse idem Westmonasteriensis & additæ Parisio appendicis auctor asserunt quorum prior locutus de Clemente, qui ex legatione Anglicana ad capessenda Ecclesiæ universæ gubernacula revocatus fuerat, hæc prodit historiæ: *Destinavit in Angliam per consilium Cardinalium Ottobonum S. Adriani Card. qui cum rubeis in Angliam veniens indumentis, in ecclesia Vvestmonasteriensi congregato concilio, fecit mandata Apostolica publicari: qui suæ legationis fungens officio sententiam in Regis adversarios fulminavit.*

(*a*) *Vvest. flor. hist. a Continuator Paris. in hist. Angl.*

Ottobonus legatus perduelles Angliæ devincit anathemate.

LXX.

Quod ad sententiam Pontificis spectat, quam auctor a legato promulgatam ait: reperimus in Clementis regesto pontificium edictum (*b*) id. septembris latum; quo repetita altius rerum, dum legationem gerebat, gestarum memoria, addit inito summo pontificatu, cum perduelles ad officium redire contemnerent, ex purpuratorum patrum sacri senatus consilio die cœnæ Domini vibratas antea censuras ratas habuisse: promulgatque se apostolica auctoritate impia omnia fœdera & juramenta, quibus conjuratores se devinxissent, dissolvere; & omnia pariter sacramenta, quæ per vim ac dolos ab Henrico atque Eduardo expresserant, rescindere.

(*b*) *Lib. 1. ep. cur. 13.*

Quæ censuræ a Clemente latæ in proceres Anglos.

*Clemens, &c. Charissimum in Christo filium nostrum Regem Angliæ illustrem, ac dilectum filium nobilem virum Edvvardum primogenitum Regis ipsius, licet idem E. * postmodum ipsorum manus evaserit, detinentes pro sua voluntate captivos; & sub ipsius Regis nomine de regno ipso, ac regni juribus disponentes; obtinuisse dicuntur per eosdem Regem, ac primogenitum secum confœderationes, promissiones, conventiones, permutationes, & pacta iniri varia, &c.* Hæc & alia dolo & vi extorta, ac præcipue Oxonianas leges rescindit. *Dat. Perusii id. sept. an. 1.*

* Eduardus e custodia liber evadit.

LXXI.

Cæterum cum in edicto superiori elapsi ex hostium manibus Eduardi mentionem erat Pontifex, prætereundum non est ipsum sponte spe ineundæ pacis Montfortio in obsidem se dedisse, ac Montfortium, ut refert Westmonasteriensis, eo primum Doveriæ, deinde Herefordiæ custodiæ tradito, atque Henrico per Angliam circumducto, arces occupasse, relictoque vacuo regis nomine, regiam auctoritatem sibi arrogasse; ac demum Anglia eo pacto in suam potestatem redacta, ad servanda tractatæ ac juratæ pacis capita difficillimum se præbuisse: dum vero ita palam iter sibi ad tyrannidem muniret, plurium animo a se abalienasse. Interea Eduardus exercendi in Herefordiensi campo equi specie concitatissimo cursu ex custodum conspectu avolavit.

Qua arte Eduardus ex rebellium manibus effugerit.

LXXII.

Attulit Angliæ felicem rerum conversionem ex hostium potestate Eduardi liberatio: [1] mox enim partim Simonis superbia ac tyrannide fessi, partim regia calamitate permoti, partim religione atque Pontificis imperiis acti, ad Eduardi signa plures egregii duces militesque provolavere. De qua procerum Angliæ dissensione meminit Clemens in literis (*a*) ad Ottobonum Card. *Benedictus Deus, qui vertiginis spiritum miscuit inter Anglicos, viam tibi præparans, quæ multis difficilis videbatur. Sic, fili, operatur Altissimus, sic de sui profunditate judicii negotia suscitans præfocata.* Et infra: *Cave cum veneris, ne dolosis tractatibus sub prætextu mansuetudinis indiscretæ falsæ pacis tractatus admittas, cum nulla Deo placere possit vel nobis, nisi dictus vir pestilens,* nempe Simon e Monteforti, *cum tota sua progenie de regno Angliæ evellatur, & angeli sathanæ digna factis recipiant, salva misericordia moderata. Dat. Perusii* XIV. *kal. augusti anno* I.

Plures a Simone ad Eduardum transfugiunt.

(*a*) *Tom. 2. ep. 44.*

Simon cum duobus filiis in acie necati.

Excepit paulo post Simonem divina vindicta: collatis enim cum Eduardo, qui paulo ante ipsius filium die S. Petri vinculis sacra fuderat, signis: una cum Henrico filio, ac Petro e Monteforti cum pluribus aliis e prima nobilitate, quos idem rebellionis crimen infecerat, cecidit in acie. Occumbente porro Simone comite tot emicuisse fulgura, tot mugiisse tonitrua, tantamque offisam caliginem ait auctor, qui (*b*) Parisio appendicem adjecit, ut plures stupore procellerentur. Hæc divinæ iræ in Simonem anathematis ac gravissimorum criminum reum, contemptoremque ecclesiasticæ potestatis, potius argumenta credenda sunt, quam quod idem ejus studiosissimus auctor inepte fingit, post mortem non levibus miraculis fulsisse, quæ Regum metu & invidia obscurata fuerint. Caruit ejus corpus ecclesiastica sepultura, cum anathemate ictus obiisset: cumque postea filius Almericus a Clemente poposcisset, ut ille fidelium more cohonestaretur: contendit enim pœnitentiæ signa moriturum dedisse, Clemens veritatis inquirendæ provinciam Ottobono S. Adriani diacono Cardinali A. S. L. injunxit (*c*). Miraculo proximum fuit in tanta rebellium strage paucissimos ex Eduardi exercitu occubuisse. Cæterum Henricus Rex, qui coactus a Simone contra filium pugnabat, suaciatus est: sed vulnerum levitas remedia admisit. Prosiliit in patris amplexus Eduardus, illumque pristinæ restituit libertati, ac regiæ dignitati. De qua victoria meminisse videtur Clemens, dum de nonnullis Simonis in conjuratione sociis scribit in literis III. kal. decembris datis (*d*) *ultore iniquitatis gladio nuper absumptos.*

(*b*) *Continuator Par. in hist. Angl.*

(*c*) *Lib. 3. ep. 21.*

Patrem Regem libertati restituit.

(*d*) *Tom. 2. ep. 114.*

LXXIII.

Conversis ita Angliæ rebus legato suo Ottobono Clemens edixit, (*e*) ut Londoniensi, Wigoriensi, ac Wintoniensi præsulibus, qui cum a Clemente Boloniam in Galliis, dum legationem obibat, exciti essent, æquissimisque imperiis onerati, ea omnia contemptu protriverant: adversus Regem, Reginam, ac filios nefaria consilia conflarant: interdicti sententiam non servarant: Simoni Leycestriæ comiti adhæserant: divinis se, contemptis jussis apostolicis, ingesserant; atque etiam in pertinacia, postquam Clemens pontificias insulas suscepisset, atque ad apostolicum solium evocati nec accesserant, nec miserant oratores. Ob quæ demum legato partes imposuit, ut ipsis diem indiceret, atque ad agendam causam, & eluenda objecta crimina ad Pontificem contenderent; ac si respuerent imperia, de suarum dignitatum gradu everti

(*e*) *Ead. ep. 114.*

Guido Simonis filius conjectus in vincula.

Nonnullis præsulibus rebellibus judicium intendit Pontifex.

NOTÆ [1] Nicolaus Trivettus ordin. Prædicatorum Anglus, qui annales suos, de rebus præsertim Anglicanis per hæc tempora scribebat, vulgatos a Dacherio Spicileg. tom. III. nov. edit. totam hanc historiam de fuga Eduardi ex hostium manibus certis chronologicis characteribus accurate distinguit. Ait igitur regium illum juvenem proripuisse se se e manibus Simonis hebdomada pentecoste, idest majo exeunte. Dissidium vero inter Angliæ principes perduelles, quod annalista hic cœpisse innuit post receptam ab Eduardo libertatem, jam diu ante illam exortum asserit; ex usurpata nimirum vel absorta a Simone Lycestriæ comite regia authoritate, universa, principibus cæteris plane neglectis. Prælium vero quod historici omnes rerum Anglicanarum die festa S. Petri ad Vincula commissum notant, feria VI. sequenti, quæ anno illo in diem VII. augusti incidit, gestum asserit. Qua in re constitutæ a nobis regulæ chronologicæ reminisci oportet; ea scilicet, quæ intra octavam festi alicujus solemnis acciderunt, ipsi sæpe diei festæ ab historicis assignari. Quamquam dissimulandum minime arbitror, mendum irrepsisse in textum Trivetti scribentis, prælium illud commissum fuisse feria VI. nonis Augusti, cum eo anno nonæ Aug. in fer. IV. inciderint. Nec facile aliam diem quam ipsas Augusti nonas idest V. Augusti designare author voluit, ut ex deductis ab eo diebus, quibus hostiles exercitus steterunt ex adverso, facile intelligitur. Itaque pro *feria VI.* legendum est *feria quarta.* Addit vero idem scriptor Octobonum Cardinalem legatum Concilium habuisse apud *Norhantonam* ubi excommunicationis sententiam tulit, *in omnes Episcopos & Clericos, qui comiti Simoni contra regem præstiterant auxilium, aut favorem, & nominatim Joannem VVintoniensem, Walterum VVigorniensem, Henricum Londoniensem, Stephanum Cicestrensem, de quibus VVigorniensis cito post obiit, VI. non. Februar. cui Nicolaus de Hely Cancellar. regis successit. Reliqui vero tres præfati Episc. Romam adeuntes Domini Papæ sententiam expectabant.* Eadem iisdem omnino verbis narrat continuator Parisii, qui tamen hæc una cum Concilio Northamptonensi assignat anno 1267. nempe biennio post Trivettum. Ex quo factum est ut a Collectoribus Concilium hoc anno 1267. adscribatur. Verum mendum irrepsisse in continuatorem Parisii, & chronologiam Trivetti præferendam esse, ex eo suspicor, quod ex literis Clementis, anno sequenti ad Octobonum legatum datis die XVII. kal. Junii, patet Episcopos a Legato damnatos in concilio causam suam jam tunc ad sedem Apostolicam detulisse; de illis enim hæc scribere pontificem ad legatum arbitror: *Episcoporum judicia suspendemus.* Epistola illa vulgata est in registro Clementis, quem Martenius Anecdot. to. II. vulgavit. Igitur corrigenda est vulgata Northamptonensis concilii epocha, & ab anno 1267. revocata biennio ad annum 1265. retrahenda est. MANSI

verti jussit. Quid vero de iis factum, tradit Westmonasteriensis, (a) Lincolniensem episcopum misericordiam non judicium impetrasse, nimirum confugisse ad sedem Apost. ipsiusque severitatem flexisse: Walterum Wigorniensem, morbo implicitum sceleris pœnituisse, atque ad legatum absolutionis obtinendæ causa, jam moriturum literas misisse. Nec præsules modo, quos ambitio, atque opum & honorum cupiditas exagitabat, Simonis factione abrepti fuere, verum etiam nonnulli, qui vitam religiosam profitebantur, a suis institutis deflexere, atque in Regem ac Pontificem eo rebellionis turbine acti insurrexere (b).

(a) Vvest. flor. hist. Lincolniensis episc. veniam a Clemente obtinet. Walterius Wigorniensis moriturus ecclesiæ conciliatur. (b) Vvestm. flor. hist.

LXXIV. S. Bonaventura a Clemente ecclesiæ Eboracensi præficitur.

Edocuerat belli præteriti turbo Pontificem quanti interesset ad regnum Angliæ suo restituendum splendori, præficere ecclesiæ antistites prudentia & sanctitate conspicuos: quocirca vacante Eboracensi ecclesia, oculos in D. Bonaventuram Minoritam, vitæ sanctitate ac doctrinæ splendore radiantem, ut illius ecclesiæ gubernaculis, quamvis Italicum, admoveret, conjecit; cujus eximia elogia silenda non ducimus. *Attendentes*, inquit, (c) *in te religionis asperitatem, nitorem vitæ, conversationis munditiam, eminentiam scientiæ, providentiæ circumspectionem, & compositionem gravitatis; & quod tam diu tam laudabiliter toti tuo præfuisti ordini, susceptum generale ministerium super illum gerendo fideliter & prudenter, & salubriter exequendo ad magnum honorem ipsius ordinis & profectum; quodque sic innocenter conversari assidue studuisti sub observantia regulari, quod, divina te semper gratia prosequente, reddidisti te placidum & amabilem quasi omnibus & ubique, ac propter hoc sperantes firmiter, quod pleno in te prosequemur affectu, id quod circa prætactam ecclesiam, sedem eandem, & ipsum regnum in hac ejusdem ecclesiæ ordinatione avide affectamus; de persona tua ipsi ecclesiæ auctoritate Apostolica providemus, & illi præficimus in archiepiscopum & pastorem: absolventes te a vinculo ministerii generalis præfati ordinis, & ad dictam ecclesiam transferentes liberam tibi transeundi ad illam licentiam concedendo, &c. Dat. Perus.* VIII. *kal. decembr. anno* I.

(c) Lib. 1. ep. 170.

Eximia illius elogia.

LXXV. Oblatam dignitatem respuit.

Respuit delatum archiepiscopatus nobilissimi honorem vir sanctissimus: cui virtutis atque Christianæ demissionis exemplum simillimum edidit S. Thomas Aquinas: ut refert S. Antoninus (d): Clemens enim evehere ad dignitates eos satagebat, qui probitate ac scientia eminerent: *Cum*, inquit, *dominus Clemens Papa III.* * *qui eundum charum habebat, archiepiscopatum Neapolitanum cum additione redditiuum S. Petri ad aram sibi obtulisset, bullamque misisset, sanctus doctor dignitatem recipere & redditus possidere penitus recusavit: & quod non promoveret eum ad similia ulterius, humiliter exravit.* Repudiasse etiam antea honores amplissimos ab Urbano sibi delatos inter cætera ejus elogia occinit Ecclesia (e). Sed ad Clementem redeamus. Religiosas familias Dominicanorum, Minoritarum & Cistertiensium singulari complexum studio, ostendunt plures insignes literæ, (f) quibus ipsos ingentibus ornat elogiis, prærogativisque afficit. At Templarii, qui privilegiis amplissimis abusi, in eam insaniam lapsi erant, ut pontificiæ auctoritati se subducerent, ac studerent Sissejo marescallo; qui ob contumaciam, qua proterve Urbano in os, munere magistri castrorum cedere jussus, objecerat, non esse moris Romanorum Pontificum, sese de muneribus ejus familiæ ingerere, sacrorum communione depulsus fuerat; (g) gravissime corripi meruerunt: *Ille*, inquit Clemens, (h) *Salvator humani generis, qui eandem Ecclesiam sui sanguinis aspersione fundavit; qui eam super petram nascentis fidei erigens B. Petro æternæ vitæ clavigero, & successoribus ejus in ipso regni cœlorum claves tradidit, & oves suas indistincte credidit,* * *numquid ordinem militiæ templi, vel officia & personas ipsius excepit, vel ejus ditioni subtraxit, seu dispositioni subduxit, aut ab imperio abdicavit? O si discretius pensaretis, quanta vos eadem Ecclesia favoris abundantia foverit; quam abundanter ad illorum forsan religiosorum invidiam, ad fratrum & coepiscoporum nostrorum, quibus in vos ordinaria jurisdictio debebatur, & multarum ecclesiarum offensam, favorabilibus privilegiis amplitarit; proculdubio studiosissime vitaretis tantas illius gratias repensiva tantæ ingratitudinis compensare.*

(d) S. Anton. tit. 23. c. 7. §. 10. & alii. * IV. S. Thomas vocatus ad honores ecclesiast. iis se subducit.

(e) Offic. S. Thom. lection. 6. & plures auctores. (f) Lib. 1. ep. 81. 129. 132. 171. 180. & T. 2. ep. 30. MS. Vall. sign. lit. C. n. 49. pag. 127. 156. & lib. privil. leg. Cistercien. ord. (g) Urb. l. 2. ep. 198. (h) Ext. ejus lit. in cit. cod. Vallic. pag. 145.

Obnoxios esse sedi Apost. religiosos equites demonstrat Pontifex.

LXXVI. O *si velletis perspicacius intueri, & considerare consultius, quod si eadem Ecclesia contra prælatos, & mundi principes, vel ad modicum tempus dexteram vobis protectionis suæ subtraxerit; nec adversus prælatorum incursum, nec contra principum impetum quoquo modo subsistere, subtracta hujusmodi protectione, possetis. Profecto ejusdem petræ sanctissimam firmitatem, Deo, ut præmittitur, ædificante, constructam non tentaretis alicujus socordiæ impia præsumptione concutere, nec ipsius potestatem illudere, de cujus post Deum auxilio totaliter dependetis, sed erga ipsam humilitatem studeretis cum mansuetudine observare; suave jugum & leve onus ipsius, etiam si durum id, vel facile non ferendum, interdum forsitan superet, pia & humili devotione portantes. Nec enim debet religionis vestræ modestiam a via veritatis sic devius error abducere, ut errando periculose credatis, ejusdem primatum Ecclesiæ, ac datam sibi & præsidenti eidem; illius*



*illius quippe vicario, cujus sunt gentes hereditas, cujus sunt termini terræ possessio; potestatem circa omnes ecclesias, cunctasque religiones & ordines libere disponendi; sic posse recalcitrando contrahere, quin ad vos dispositiva virtus ipsius, cum libuerit, extendatur.* Nonnullisque interjectis, quibus justas minas intentat, & obsequentes jubet esse, subjungit: *Ne nostra & ipsius Ecclesiæ patientia, quæ multa in vobis & ordine prædicto per dissimulationis conniventiam tolerat, vestris, quod absit, insolentiis provocata, illa deducat in discussionis examen, in quibus cum nullam subsistentiam juris invenerit, ea nec velit, nec valeat amplius cum gravi remorsu conscientiæ tolerare.* Sane cum in pejora ruerent, a Clemente V. extinctos visuri sumus. Verum interea pontificia imperia excepisse, argumento est: Stephanus enim fidelium consortio restitui meruit; (a) ea tamen lege (b) ut addelendam proteriviæ antea susceptam maculam, in Terram sanctam proficiscereturt: de quo Hierosolymitanum patriarcham fecit certiorem (c).

(a) Lib. 1. ep. 19. (b) Ib. ep. 20. (c) Ib. ep. 21.

Concludemus hunc annum commendato nostris annalibus pio opere Petri olim S. Georgii ad velum aureum diaconi Card. cujus supra mentionem fecimus, qui suis opibus xenodochium S. Andreæ juxta ecclesiam S. Mariæ majoris extruxit: cujus rei testes Clementis literæ (d) x. kalen. aug. datæ fratri Sanguineo, quibus primus ejus hospitalis rector est constitutus.

(d) T. 12. ep. 104.

Inspe-

I. De Caroli & Beatricis regia inunctione.

INspexit triumphantem de hoste crudelissimo Ecclesiam annus Christi millesimus ducentesimus sexagesimus sextus indictione nona: succubuit enim tandem Manfredus, quem scelus ad solium extulerat, ut graviore casu obtereretur: in quem cum expeditionem adornaret Carolus, visum est Clementi Papæ ipsum, ac Beatricem uxorem regio diademate solemni pompa insigniendos, quo Siculis exulibus majores animi adderentur, tyrannique auctoritas apud alios absolesceret: quod die Epiphaniæ sacra a Cardinalibus, quibus id munus erat impositum, perfectum tradit Bernardus, (a) remque ad annum MCCLXV. refert, annis nimirum ab incarnato Verbo, seu festo annunciationis numeratis: *Coronatus est in regem Siciliæ & inunctus cum domina Beatrice consorte sua, per sex Cardinales, scilicet per episcopum Albanensem & duos presbyteros Cardd. scilicet S. Praxedis & basilicæ duodecim Apostolorum; & tres diaconos Cardinales, scilicet S. Angeli & S. Georgii ad velum aureum, & S. Mariæ in porticu, a summo Pontifice ad hoc missos, in festo Epiphaniæ.* Verum quinque tantummodo Cardinales jussu Pontificis celebritati præfuisse, constat ex publico instrumento ab iis perfecta rei pompa, confecto: cui apostolicas literas, quibus ad obeundum id munus a Clemente sunt constituti, fideique a Carolo datæ sacramentum inseruere, quod ex M. S. codice Vaticano (b) libro censuum inscripto, ac sæpius a nobis laudato, in lucem dabimus. [1]

(a) Bern. ebr. Rom. Pont. an. 1265. Pt l. Luc. hist. eccl. l. 22. cap. Summont. hist. Neap. l. 2.

Sex Cardinales ad id munus adhibiti.

(b) Lib. Cens. MS. Vat. pag. 307. ext. etiam in formul. Mar. Ebul. pag. 65. num. 499.

II. Datæ ea de re lit.

*In nomine Domini, amen. Nos miseratione divina Rodulphus Albanensis episcopus, Ancherius tit. S. Praxedis presbyter, Richardus S. Angeli, Gotifredus S. Georgii ad velum aureum, & Matthæus S. Mariæ in porticu diaconi Cardinales per præsens scriptum notum facimus universis tam præsentibus, quam futuris, quod a sanctissimo patre & domino nostro, Clemente Papa IV. litteras plumbea bulla munitas recepimus in hac forma. Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri nostro episcopo Albanensi, & dilectis filiis Ancherio tit. S. Praxedis presbytero, Richardo S. Angeli, Gotifredo S. Georgii ad velum aureum, & Matthæo S. Mariæ in porticu diaconis Cardinalibus salutem, &c.* Plura de pontificia auctoritate, & Carolo ac Beatrice solemni ritu regia inunctione liniendis præfatus, addit hæc imperia: *Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus in Urbe convenientes in unum eadem solemnia juxta hujusmodi formam vobis traditam in nomine ac virtute Altissimi prudenter, honorifice, ac diligenter, prout decet, tam arduum, & solemne negotium exequi studeatis: speramus enim in Domino, quod idem Rex & Regina tantæ gratiæ magnitudinem memoriæ signaculis taliter alligabunt, quod in delectationem eis veniet, omnium conditori per virtuosæ vitæ studium, ac sanctæ ipsius Ecclesiæ placere jugiter per sinceræ devotionis augmentum. De clementia quoque Regis superni confidimus, quod ipse diutinam afflictionem, & lacrymas afflictorum præfati regni ex alto prospiciens, ac intentionem puram & bonam ipsius Regis Siciliæ clementer advertens, et qui justam, sanctam, & piam causam prosequitur, de parte opposita triumphum desiderabilem largietur. Cæterum quia ex certis pactis inter Ecclesiam & Regem eosdem haberi dignoscatur quod dictus Rex nobis, & Ecclesiæ eidem homagium ligium pro regno ipso & terris aliis, sibi ab Ecclesia præfata concessis exhibere tenetur; volumus quod hujusmodi homagium pro nobis ac dicta Ecclesia recipere nullatenus omittatis. Per præmissa siquidem coronationis & inunctionis solemnia, Panormitanæ, seu aliquibus aliis ecclesiis, vel quibuscumque personis & locis, ex eo, quod eisdem solemniis non intersunt, vel quod ille in sede ipsa non fuerit, aut alias nullum volumus in posterum præjudicium generari. Dat. Perusii* IV. *jan. pontificatus nostri anno* I.

Sacramento jussi Carolum adigere.

Juribus Panormitanæ ecclesiæ inungendi Regis Siculi non detractum.

III. Imperia Apostolica Cardinales implent.

*Nos igitur volentes hujusmodi mandatum apostolicum exequi diligenter, in Urbe convenimus & in basilica principis Apostolorum de Urbe, præsente tam prælatorum, quam aliorum fidelium multitudine copiosa, Regi & Reginæ prædictis memorati regni Siciliæ coronas commissa nobis auctoritate tribuimus, eorumque vertices inclytos reddimus illarum insigniis cum solitis solemnitatibus decoratos, impenso prius per me Rodulphum Albanensem episcopum eisdem Regi & Reginæ, juxta mandatum apostolicum, sacræ unctionis venerabili sacramento. A Præfato quoque domino Carolo Rege Siciliæ nos nomine & vice prædicti domini Papæ Clementis IV. & successorum ejus canonice intrantium, & Romanæ ecclesiæ pro regno Siciliæ, & tota terra, quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum ipsius Romanæ ecclesiæ; quæ utique regnum & terram, excepta civitate Beneventana, cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis dicto Regi eadem ecclesia Romana concessit; ligium homagium recipimus in hunc modum.*

NOTÆ [1] HOc demum anno, mensis januarii die VI. Epiphaniæ Domini sacra Carolum Regni Siculi diadema suscepisse firmis adeo argumentis evincit Raynaldus, ut erroris manifesti teneantur Chronologi illi, qui anni præcedentis diem XXIX. maii (Calmet in Chronologia male habet die XXVIII. junii) assignant. Tunc enim Regni non coronam, sed jus & possessionem obtinuit. Attamen animadvertere Chronologos juvat Carolum regni hujus sui epocham exordiri, non a die hac coronationis, sed a die, qua possessionem inivit; ut probant literæ ejusdem Caroli ad Clementem, legendæ inter Epistolas ejusdem Clementis in registro hujus anni a Martenio vulgato; inscribuntur enim die 1. *Septembris indictione X.* (*a septembri mutata*) *anno Dom. MCCLXVI. regni vero mei* (Caroli) *anno secundo*. MANSI



IV. Forma sacramenti a Carolo præstiti.

*Nos Carolus Dei gratia Rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, beatæ & gloriosæ semperque Virginis Mariæ, beatorumque apostolorum Petri & Pauli, nec non sanctissimi patris & domini nostri domini Clementis Papæ IV. & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, vobis dominis Rodulpho Albanensi episcopo, Ancherio tit. S. Praxedis presbytero, Richardo S. Angeli, Gottifredo S. Georgii ad velum aureum, & Matthæo S. Mariæ in porticu diaconis Cardinalibus; quibus per literas suas idem dominus Papa commisit receptionem ligii homagii, quod pro regno Siciliæ, ac aliis terris, nobis a prædicta ecclesia Romana concessis, tenemur eidem domino Clementi Papæ IV. & ejus successoribus canonice intrantibus & prædictæ ecclesiæ Romanæ facere; ac in manibus vestris vice & nomine ipsius domini Clementis Papæ, & hujusmodi ejus successorum, ac prædictæ Romanæ ecclesiæ, & per vos eidem domino Papæ, ejusque successoribus, ac Romanæ ecclesiæ ligium homagium facimus pro regno Siciliæ, ac tota terra, quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum ejusdem Romanæ ecclesiæ: quæ utique regnum & terram, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis suis, nobis & heredibus nostris prædicta ecclesia Romana concessit. In hujus autem rei testimonium, perpetuamque memoriam præsens scriptum prædicto Regi concessimus sigillorum nostrorum munimine roboratum. Actum Romæ in prædicta basilica* VI. *januarii in festo videlicet Epiphaniæ Domini, nona indict. anno Domini*, nimirum incarnati, MCCLXV. *pontificatus vero prædicti domini Clementis Papæ IV. anno* I.

Sacro Epiphaniæ die res perfecta.

V. Caroli liberalitas in basilicam Vatic.

Ad explicandam regiam liberalitatem, Carolus basilicæ Vaticanæ L. uncias auri in annos singulos attribuit, ut schedæ Baronii, quæ apud nos extant, his verbis fidem faciunt: *Carolus donavit eidem basilicæ quinquaginta uncias auri annuatim præstandas: item & tres uncias pro suo anniversario, prout extat in appendice ad martyrologium ejusdem basilicæ in die Epiphaniæ. Hoc ipsum etiam præstitit Carolus secundus, ut ibidem habetur sub* VI. *non. maii*. Hactenus Baronius. Cæterum Romanos, festos dies ad Caroli augendum decus in ipsius inunctione agitasse, refert Sicularum rerum anonymus scriptor (a): *Carolus Romæ in basilica Apostolorum per quatuor Cardinales, a summo Pontifice ad Urbem de Viterbio propterea destinatos, in Regem Siciliæ delinitur, & regali diademate coronatur. In cujus coronatione mirabilia festa fiunt anno Domini MCCLXV. per Clementem IV. succedente Urbano, & nova tripudia & festiva gaudia celebrantur: ludunt enim generaliter omnes Romani, & quilibet, sicut ei plus bonorum copia suppetit, ita miles pariter & pedes instructus per agmina pomposius se ostendit ibidem, & celebriora constituit solemnia festi hujus, ut dignitatis negotii memoria perenniter memoretur.*

(a) M. S. auct. anonym. rer. Sicular.

Romani festivam ad Caroli gratiam pompam agitant.

VI. Regio diademate insignito Carolo, suspensi expectatione plurimorum erant animi, ut in hostem mox prosiliret: cum tamen ille diutius apparandum bellum putaret, ut citius confici posset. Extat enim pontificia epistola, (b) qua se a quodam urgeri vehementius asserit, ut ad movendum exercitum in hostem incitet: verum se illius prudentiæ rem permittere. Occasionem forte illi consiliario iniicere poterat, quod Caroli præfecti interdum, ut fieri solet, militari insolentia elati, injurias aliquas Ecclesiæ subditis inferrent. Sunt namque Clementis literæ (c) quibus Carolum perstringit, ipsum cum ab Ecclesia tantis honoribus beneficiisque cumulatus esset, subditos tamen Ecclesiæ a suis gravari sinere, præcepitque ut eosdem nulla interposita mora coerceret: *Æquanimiter nos ferre debere contendis in officialibus tuis, quod in Romanis * civilibus pro tempore senatoribus Romani Pontifices tolerarunt. Ad hoc autem licet sit vera responsio circa factum, quod senatores Romani plura, vel pluries in terris Ecclesiæ mandaverunt, non tamen paritum eis fuit: & si forsan interdum aliqui pusillanimes paruerunt, numquam Romana ecclesia consensit, sed viriliter contradixit. Ut tamen hæc leviter transeamus, scire te volumus, non ad hoc te vocatum, ut aliorum imiteris errores, non ut Ecclesiæ jus absorbeas; sed ut tuo jure contentus, & Romanam primo & principaliter, & alias consequenter defendas ecclesias. Unde, si bene recolis, ad id te specialiter jusjurandi vinculo astrinxisti, quod ejusdem Romanæ ecclesiæ jura defendas, & in nullo diminuas, vel per-*

(b) Tom. 2. ep. 137.

Nonnulli Caroli milites jus ecclesiasticum violant.

(c) Ib. ep. 133.

* civibus

Graves ad Regem Siculum querelæ.



*tur-*

*turbes. Dat. Perusii* VII. *id. januarii anno* I.

VII. Optima etiam Regi consilia dedit, (a) ut ad bellum profecturus pacem inter suos firmaret: consilium peteret uti gerere se deberet: si quos offendisset proceres sibi, conciliare studeret: illata ecclesiis damna sarciret: tum id maxime, ut conscientiæ æstus pacaret; ac numini, detersa omni criminis labe, conjunctus esset: *Profecturum ad bella principem decet pacem in domo propria solidare, nedum pugna domestica lacessente distrahitur, minus ab exteris timeatur. Inter omnia sane prælia illud magis est intimum, id debet rectius dici intestinum, quod sub Dei solius oculis in conscientiæ secretissimo sinu geritur: quod nunc rodit, nunc lacerat, nunc concutit, nunc prosternit; & alternis vicibus, nunc superior, nunc inferior quietem animi, vel prorsus disficit, vel perturbat &c. Dat.* III. *id. januarii anno* I. Ut felicius ea expeditio succederet, Clemens Rodulphum Cardinalem episcopum Albanensem in Siciliam legavit, eique provinciam cruce insigniendi militem, ac populos ad arma sacra in Manfredum concitandi demandavit (b).

(a) Ep. 136.

(b) Ib. ep. 53.

VIII. Dum ergo hinc legatus pontificia fretus auctoritate Siculos in Manfredum armabat, hinc Carolus florentissimum exercitum instruebat, Manfredus atroces ac minaces literas ad Pontificem scripsit. Cujus vesaniam Clemens suis gravissime refregit.

Rodulpho Card. indicendæ in Manfredum religiosæ militiæ partes impositæ.

*Manfredo quondam principi Tarentino.*

*Lecta (c) nuper epistola, viri magis magniloqui quam magnifici stilum sapiente, nec favorem promeruit veritati contraria, nec timorem incutere potuit hominі timorato. Dico autem hominem timoratum, qui singulariter Dominum timet, de quo recte quod scriptum est intelligitur: Qui timet Dominum, nihil trepidat: Sic enim singulariter vult Dominus diligi, sic etiam & timeri, ut quemadmodum nil est diligendum, nisi dominus, & quod est diligibile propter Dominum, sic nec timendus est aliquis nisi Dominus, & quod est formidabile propter ipsum: unde & in evangelio docet homines non esse timendos, qui cum corpus occiderint, ultra non habent quid faciant; illum solum dicens esse timendum qui corpus & animam potest mittere in gehennam. Sane veritati contrariam epistolam esse dixi, quæ comparationes prosequitur odiosas, & quadam narratione profusa nunc impotentiam, nunc superbiam, nunc alia imponit præter verum viro nobili, quem potentem & humilem nemo dubitat, & de potentissima & humillima domo natum: & si potentiæ probatio quæritur, videbit omnis oculus in processu negotii non solum quid homo valeat, sed quid in homine possit Deus.*

(c) Clem. IV. tot 2. ep. 53. & aliud MS. arch. Vat. sign. n. 32. pag. 21. Clem. IV. ad Manfred. literæ.

Non formidandas illius minas, sed Deum respondet.

*Venit igitur Carolus &c. usque Machabæi (d) & leviter modica comitiva subegit. Et ut præveniantur objurgantes, si permisit Dominus contrarium datis in manus hostium isto cum fratribus & baronibus regni Francorum tempore retroacto; brevis est hujus objectionis solutio, quia Dominus eos probare voluit & captos casu flebili; eventu jucundissimo subito liberavit. Nec est sperandum hostibus, ut contingant similia, sed potius formidandum, immo potius obnixe tenendum, quod omnium Dominus afflictionem non iteret, sed pro suo semel contritis nomine sui reddat lætitiam salutaris: non enim irascetur Dominus in perpetuum, nec comminabitur in æternum. Unum scias, Manfrede quod fuit tempus, in quo gratiam repulit, cui parata per omnia videbatur: & quod postmodum haberi non potuit, tempore minus opportuno quæsita. Omnia siquidem tempus habent, sed tempus non habet omnia; scriptum est enim: Tempore placito exaudivi te. Non est res integra nec integrari possibilis. Jam in publicum prodiit &c. usque dignum (e). Sed propter hoc Lilie non dimitteret, quoniam filios quantumlibet a salute propria elongatos ad sinum misericordiæ exciperet, si juxta formam sacrorum canonum remedium postularent. Demum Dei negotium agitur, in cujus manu regnum est, & sunt omnia jura regnorum. Ejus ergo judicium expectetur, & quod in ipsius oculis bonum erit, suscipiatur ab omnibus, & a singulis approbetur. Venit,* inquit, *Carolus Deo, & hominibus totus charus, ὅλον enim totum significat lingua Græca, non ut sibi jus rapiat alienum, sed ut Ecclesiæ jura prosequens & honorem ejus promoveat & suum pariter inquirat commodum; juxta providentiam sibi factam, ex indulgentia apostolicæ largitatis. Quod si viam difficultas obicit, si terrarum marisque conclusio, si Saracenorum, excommunicatorum promiscua multitudo, si cujuslibet barbaræ nationis admistio; potens est Deus aperire clausa, colligata dissolvere, & in paucis multos subiicere, qui de cœlo contra Sisaram dimicavit, qui conclusit innumerabiles in manu fidelissimi Machabæi.* Et infra: *Jam in publicum prodiit fortis armatus, jam ad radicem posita est securis: nunc mundi judicium imminet, ut fortis eiici debeat princeps mundi: & si secus Dominus disposuerit, quod non creditur a fidelibus, qui Dei sunt, ad omnia parati flagella, quidquid ei placuerit æquanimiter tolerabunt: viluit enim terra his qui cœlum animo concupiscunt.* Sane aptari potuit Clementi, innumeris presso angustiis, divinum illud oraculum (f): *Justus quasi leo confidens absque terrore erit:* illudque (g); *Non contristabit justum quidquid illi acciderit.* Pergit sanctissimus Pontifex: *Unum scio,*

(d) Eod. n. 8. vers. 18.

Ad objectionem de servitute Ægypti.

Opportuno tempore non quæsita a Manfredo concordia.

(e) Ib. vers. ult.

Rite pœnitenti ostensa veniæ spes.

Manfredus atroces Pontifici minas incutit. Generosum Pontificis ad tyrannum responsum.

(f) Prov. 28.

(g) Ib. 22.



*scio, quod qui Romanam regit ecclesiam, in Domino figens anchoram spei suæ, neminem vult decipere, nullius delectatur excidio, nec in sanguinis effusione lætatur: sed pacem, sicut potest, inquirit; & quoniam in te quæsitam, invenire non potuit, in suo quærit opposito, licet coactus. Stabilitum quidem a suo prædecessore negotium promovens, sicut debuit, eundem Carolum sublimavit in Regem, quia sanctum & terribile nomen ejus, & regio diademate dignum.*

IX. Nec falso Pontifex sanctissimus futura præsagiit: Deus enim tamdiu laceratæ Ecclesiæ misertus, vicarium suum, prostrato extincto que tyranno, erexit; atque in Manfredi satellites tot scelerum reos, seram licet, gravissimam tamen vindictam effudit. Urgebat Carolum ærarii inopia, ut in Siciliam, ad alendum in hostium terris militem, irrumperet, cum jam amicis magno oneri esset; adeo ut subsidiarium æs petenti hæc responderit Clemens (a): *Nec montes nec fluvios habemus aureos, nec tuo possumus desiderio satisfacere; & quantumcumque necessitas urgeat, nihil possumus utiliter facere. Fecimus autem liberaliter, quod potuimus, & quod poterimus commode faciemus: sed exhaustis jam viribus, & mercatoribus fatigatis, cur nos ulterius inquietes videre non possumus: nisi forsan requiras miraculum, ad quod nobis nequaquam merita suffragantur, ut in aurum terram, vel lapides convertamus.* Cum petendæ itaque ex hoste opes essent, e Campania in citeriorem Siciliam signa traduxit Carolus nemine obvio: cum Manfredus ipsius adventus terrore perfusus, tutandi limitis abjecta cura, in loca interiora se subduxisset. Cujus expeditionis historiam, & Manfredi æstus Sicularum rerum anonymus auctor ita describit (b): *Manfredus status sui hujusmodi ventura flagella præsenserat: & veluti in ecstasi, ac alto terroris involucro positus ignorat penitus ubi venientibus hostibus se opponat, ubi eis obstacula præparet, ubi obsistat eisdem. Et dum ad resistendum propterea flumen repetit, ut per se facta impedimenta sint talia, quod hostes in oppositum constituti nequeant se manualiter jungere; nunc Capuam, nunc Cæperanum, & tandem Beneventum festinus, discurrendo, gressus dirigit & revolvit: quamlibet enim terrarum hujusmodi alta fluminis ripa fortificat, ac profundi defossum aggeris roborat. Sed præscitus ad malum obstinatus Manfredus, qui apud Cæperanum gentis suæ resistentiam ordinare debebat, passus regni vacuos & sine custodiæ munitione reliquit, ut liber ad regnum aditus pateat inimicis.* Id. Casertani comitis, incestum uxori a Manfredo sororio illatum ulciscentis, defectione accidisse ajunt (c). Addit vero plura auctor anonymus de arce munitissima, cui roccha arcis nomen inditum, & S. Germano impetu captis, cæsisque Sarracenis præsidiariis.

(a) To. 2. ep. 142. Carolus frustra a Clemente subsidiarium aurum postulat.

Quæsiturus ex hoste in Siciliam citeriorem irrumpit.

(b) MS. anonym. auct. de reb. Sicul. Manfredo consilium terror adimit.

Ob incestum illatum sororі deseritur a Casertæ comite.

(c) Ricord. hist. flor. c. 179. Summont. hist. Neap. l. 2. & alii.

X. Penetravit mox Carolus interiora, per Alifanos aspera montium transgressus: atque ubi in hostis conspectum venit, cum suis consilium militare contulit, an mox committendæ acies forent: & certantibus aliis fessum militem recreandum, aliis contendentibus ex eo animos hosti auctum iri; Gilo comestabilis palam edixit, quidquid decernerent alii, se cum Roberto Flandrisque in hostem ducturum: se bene de Deo summo Ecclesiæ præside, cujus erant defensores, sperare. Vicit ergo illius sententia instructisque agminibus, promotus in hostem exercitus. Ferunt (d) Manfredum sibi metuentem de pace Carolum interpellasse, id que responsum elicuisse oratores: *Referte hæc Sultano Luceriæ: vel ego illum hac die detrudam ad inferos; vel ille me ad cœlos evehet.* Et quidem Carolus Manfredum jure Sultani nota perstrinxit, cum Saracenis esset addictissimus, eorumque superstitione in consulendis astrologis & ariolis inquinatus, ut Sicularum rerum auctor anonymus observat (e): *De hora,* inquit, *pugnæ Manfredus consilio cujusdam astrologi regebatur: sed cum jam deliberatione præhabita compertum per artem esset, quod felici omine pugnam poterat aggredi, quidam ex comitibus ipsis proditoria obstinatione corrupti, & machinationem nequissimam moliti, dissimulantes sibi displicere, prælium solum commodum ipsius Manfredi fore, prætendentes ipsum Manfredum fore, si non confligeret, pro dignitate spurii derelinquendum; quidam etiam, quos idem Manfredus ad se tunc temporis fecerat accersiri, sumpta causa vel occasione potius, quam quærunt volentes recedere ab amicis; substiterunt in locis primis futuros successus morantes potentiæ utriusque: sed qui pares censeri poterant in crimine, inde fines simulabant se ad terrarum suarum custodiam remanere.*

Firmissimæ arces expugnatæ a Gallis.

Robertus Flandriæ comes pugnæ auctor.

(d) Summont. hist. Neap. l. 2. Generosum Caroli responsum datum Manfredo.

(e) Auct. anonym. de reb. Sic. MS. Manfredi in consulendis de pugnæ exitu Astrologis superstitio.

Siculi proceres ex eventu fidem suspendunt.

XI. *Cum in hujusmodi voluntatis examinatione persisterent, & militiæ agmina, nec non agminum præpositi decesserint, clamor æthere tantus insonuit, quod, sicut fertur, usque ad Alifim ventus impulit murmura: & veluti cum freta fervent valida ventorum concita tempestate omnium perturbabat auditum, &c.* pergit auctor pugnæ ordinem ac singulos eventus describere; nobis sufficerit rem paucioribus verbis perstringere. Ubi cum hoste ferro consertum (f) ardentissimis animis, primæ adversæ acies magna vi sanguinis utrimque fusa pugnavere; cumque suos pene fluctuantes videret Carolus, invocato divino numine, cum circumfusis globis in hostem provolavit, oppositos hostium

(f) Ricord. hist. flor. c. 180. Mon. Pad. ubi sup. Nang. in gest. S. Lud. Ptol. Luc. hist. eccl. l. 22. c. 32. Surit. l. 3. annal. c. 69. & alii.

stium cuneos impulit, evertit, dissipavit. Cumque fusi hostes Beneventum profugerent, insecuti eos Galli permixti fugientibus ingressi, urbem cepere atque evertere: quæ cum juris esset pontificii, graviter id a Clemente acceptum, ut infra visuri sumus. Capti, innumeri inter quos Manfredi uxor Comneni Græcorum principis filia dum, audita viri morte, una cum filiis fugam ornabat, abducta in vincula atque arce munitissima jussu Caroli inclusa. Tanta vero fuit cæsorum strages, ut terra eorum maderet sanguine, & campi occisorum cadaveribus constrati cernerentur. Cecidit in tertio agmine inter medios Manfredus, qui flagitiorum suorum satellites, eo, permittente numine, collegerat ut pari supplicio delerentur: ac post biduum inter suorum cadavera illius corpus repertum ecclesiastica sepultura caruit, cum infelix princeps anathematis vinculis irretitus occubuisset: illud tamen Carolus in pontis Beneventani capite terræ mandari jussit.

XII. Quo die parta victoria.

Consignat hujus victoriæ tempus Guido Bernardus his verbis: *Prælium factum fuit* IV. *kal. martii feria* VI. *in campo ante civitatem Beneventanam anno Domini prætaxato MCCLXV. secundum illos, qui annos dominicæ incarnationis incipiunt in annunciatione Domini computare: secundum autem illos, qui in natali Domini incipiunt computare dicitur MCCLXVI. unde versus facti sunt subsequentes.* Quamvis illi sæculi more incompti barbariem & imperitiam redoleant, quod temporum rationem signent, adducendi a nobis sunt visi.

*Carolus athleta Christi, prout ante cometa*
*Hoc præsignavit, Manfredum suppeditavit.*
*Plus decies centum quatuor juxta Beneventum*
*Victor prostravit, hinc Ecclesiam relevavit.*
*Sunt anni Christi, victoriæ cum datur isti,*
*Mille ducentenus sexagenus quoque senus*
*Belli finis fit, februi lux tertia finit.*

Adduci plura ac cumulari ad superiora comprobanda auctorum testimonia possent: sed omnium instar testium unus sufficerit Carolus, qui subjectas literas de parta divini ope numinis victoria triumphales ad Clementem dedit (*a*).

(*a*) Ext. apud Clem. To. 2. ep. 151.

*Sanctissimo in Christo patri, ac domino Clementi, divina providentia, sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici Carolus Dei gratia, &c. cum omni reverentia & honore devota pedum oscula beatorum.*

XIII. Triumphales Caroli ad Pontif. literæ.

*Multum meis reputans successibus adiici, si Romana mater ecclesia de felicibus filii processibus, in quibus sua causa provehitur, certa fiat; ecce significo vobis ad gaudium, quod postquam Manfredus publicus hostis, victus olim apud S. Germanum; a Capua quoque, ubi se jactabat velle resistere, confusus abscessit; accepi quod idem hostis cum suarum reliquiis virium, quæ de S. Germano per fugam evaserunt, profugus per terram Laboris se transtulit Beneventum. Ego hac meas concontinuando dietas, Palifanos & Thelesinos campos contra hostem ipsum, omisso itinere Capuæ, duxi in cælestis virtute præsidii procedendum. Sicque factum est, quod die veneris vigesima sexta præsentis mensis februarii, quodam desiderio perveniendi citius Beneventum meum meorumque animos stimulante; ac viarum & passuum multorum difficultatibus & asperitatibus, quales vix transiveramus antea, superatis; ad montem quendam perveni, unde subjectus & admodum patens campus ordinatas jam hostium acies ostendebat. Propter quod ego, licet equos commilitonum meorum præ malitia & longitudine itineris cognoscerem plurimum fatigatos, & propterea ad sustinendum pondus prælii minus aptos; instructis tamen meis in illius nomine, cujus agebatur negotium, aciebus, ex adverso ad pugnam processi. Et quamvis per magnam horam fuerit utrimque pugnatum, cedentibus tamen divinæ potentiæ, non meis viribus duabus prioribus hostium acibus, omnes, aliæ, cum non confiderent aggredientium posse impetum sustinere, se fugæ remedio commiserunt: factaque est in ipso prælio hostium tanta strages, quod celant campum oculis superjacientia corpora occisorum. Nec tamen omnes fugientes fugæ refugium salvos fecit: quin major pars fugientium in gladio nostrorum, ipsos persequentium; cum eo copiosius ceciderunt, quo dispersius fugiendo nec unus tuebatur alterum, nec eis locus, ad quem confugerent, apparebat.*

XIV.

*Magnum ergo numerum captivorum ad carcerem nostrum hujusmodi bellicus adventus adduxit: inter quos Jordanus & Bartholomæus dictus Simplex, qui nomen sibi comitum hactenus usurparat, eorumque fratres, nec non & Perusinus de Florentia perfidissimæ Gibellinæ factionis auctor in vinculis detinentur. De iis, qui de primoribus partis adversæ in prælio corruerunt, certam nondum habentes notitiam, nihil vobis exprimimus propter festinatam præsentium missionem: licet Galuanus & Henrisnetus dicti comites mihi a pluribus asserantur in ipso prælio corruisse. De Manfredo vero utrum ceciderit in conflictu, vel captus fuerit, aut evaserit, certum adhuc aliquid non habetur: dextrarius tamen armatus, cui insedisse dicitur, & quem habe-*



*habemus, sui casus affert non modicum argumentum. Hæc igitur, quæ de manumini me suscepisse cognosco, ideo beatitudini vestræ denuntio, ut omnipotenti Deo, qui per ministerium meum Ecclesiæ causam prosequitur, devotas pro tanto triumpho gratias referentes, certam spem & fiduciam habeatis, quod eradicatis de regno Siciliæ scandalis & seminariis scandalorum, illud ad antiquam & consuetam devotionem Romanæ ecclesiæ plene reducam ad laudem & gloriam divini nominis, exaltationem & pacem ipsius ecclesiæ, & incolarum ejusdem regni statum prosperum & tranquillum. Dat. Beneventi, &c.*

XV. Beneventum a Gallis vastatum queritur Pontif.

Perlectis Caroli laureatis literis, summam Clemens hausit animo voluptatem: utque de tanta relata victoria triumphanti est gratulatus, ita de urbe Beneventana ab ejus exercitu direpta gravissime est conquestus (*a*); cum ea ditionis pontificiæ esset. Aliisque literis ad episcopum Albanensem S. A. L. missis easdem querelas ingeminavit (*b*) ac monere Carolum jussit, uti ausis ejusmodi abstineret. Sed eum dolorem percepta ex prostrato hoste jucunditas leniebat: quæ cum ad plures, immo ad cunctos fideles, qui lugenti Ecclesiæ condoluerant, attineret, nuntium lætissimum longe diffudit. Probant Ottobono (*c*) S. Adriani diac. Card. A. S. L. atque archiepisc. Narbonensi (*d*) ejusque suffraganeis missæ literæ; tum ad comitem Augi datæ (*e*): quibus ipsos ad agendas numini una secum pro sublato crudelissimo hoste gratias adhortatur. *Ex hoc*, inquit (*f*) *spoliatæ restituuntur ecclesiæ, reducuntur exules innocentes, cadit perfidia, surgit fides, refloret Tuscia, tota demum Italia revivisciit, lætatur Achaja, Terra sancta respirat. Hujus igitur auctori victoriæ Deo vivo, qui tam misericorditer quam potenter, tam magnifice quam benigne suam in hoc negotio respexit Ecclesiam, gratias agite; & levatis in cœlum manibus, ei devotissime supplicate, ut suæ dona continuans largitatis, cæptum tam honorifice suum & Ecclesiæ suæ negotium confirmare dignetur, &c. Dat. Perusii* VII. *idus martii anno* I.

(*a*) To. 2. ep. 168.
(*b*) Ibid. ep. 166.
(*c*) Ep. 163.
(*d*) Ep. 153.
(*e*) Ep. 156.
(*f*) Eod. T. 2. ep. 163.

XVI. Manfredi vitia.

Repertum est Manfredi corpus perfossum vulneribus, quod ecclesiasticæ sepulturæ honore caruit, cum anathemate devinctus periisset: cujus virtutes, & vitia hic alienum non fuerit describere. Fuisse in primis ingentibus animis, liberalitate artibusque ad mulcendos animos præditum, excultissimum urbanitate, ac formæ præstantem ferunt (*g*): sed has virtutes vitiis obscurasse, epicuream nimirum vitam duxisse, frænaque laxasse libidini, ut nec sorori Casertæ conniti nuptæ pepercerit; unde ob impuros natales jactare solitum, ex vetito concubitu magnos viros nasci: nec Deum, nec sanctos reveritum, Saracenis conjunctissimum, horumque opera in sacerdotes tyrannidem exercuisse, ac damnasse (*h*) ad triremes, si divina profanare detrectarent: Arabum superstitiosæ astrologiæ fuisse adeo addictum, ut cum Manfredoniam ad commendandam posteritati memoriam, everso Siponto, conderet, astrologos insignes evocarit (*i*) qui siderum situm observarent ad jacienda prima illius fundamenta: quasi ex singulari quodam astrorum in primum illud saxum influxu Manfredoniæ florentissimus status, excidiumve extremum penderent. Pari etiam insania astrologorum delirantium superstitionem secutum; tum maxime, cum in extremam mersus est calamitatem; diximus. Ex quo discant posteri scelus regnorum instabilem basim esse.

(*g*) Math. Spinel. Ricord. hist. Flor. cap. 180. Summont. hist. Neap. l. 2. Collenut. hist. Neap. l. 3. & alii.

Manfredonia ab eo condita.
(*h*) Math. Spinel.
(*i*) Idem

XVII. Manfredianæ reliquiæ debellatæ.

Extincto ita Manfredo, ejusque uxore Comneni Despotæ filia una cum natis capta, Carolus brevi hostium reliquias præcipiti victoria consumpsit: qui supererant, Manfredi sequaces partim ferro delevit, partim ad se pellexit. Saracenos etiam contudit, ac Luceriam eorum validissimam arcem, vel potius prædonum speluncam, sentinamque omnium vitiorum; a Friderico conditam & ornatam, a Manfredo postea auctam, ut suæ improbitati apud mortalium impiissimos paratissimum asylum haberent, ad deditionem compulit (*k*). Triumphatori ergo Siciliæ, Ecclesiæque defensori Carolo Clemens gratulatorias literas dedit (*l*), immensis ipsum cumulavit laudibus; & quam alte pontificio pectori ipsius amor defixus esset, quantaque voluptate ex lætissimis nunciis fuisset delibutus, significavit.

Luceria Saracenorum expugnata.
(*k*) Nang. de reb. gest. S. Lud.
(*l*) Tom. 2. ep. 221.

*Charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri.*

Victori gratulatur Pontifex.

*Favus paternæ dulcedinis erga te, quem anima nostra prædiligit, de labiorum nostrorum eloquio cum rore suavitatis emanat, dum ex intimo tibi propinamus affectu, quæ tuis inhærentia sensibus dilectionis augumentum præbeant, fructum salutis germinent; & regalis præeminentiam nominis, tuique magnificos titulos honoris extollant. De plenitudine quidem charitatis talis consurgit affectio, mentem patris instantia quotidiana solicitans, ut amantissimum filium frequenti visitatione lætificet; ac eum assiduæ benedictionis aspersione fœcundans intenta, vigili, & curiosa meditatione provideat, quod laus ejus & gloria & apud Deum crescat, & in gentibus exaltetur: quod felix status suæ celsitudinis præservetur: quod eventus cautela futuros anticipet, ne felicitatis angusta tempora quicquam sub nubilo turbationis vel adversitatis angustet.*

XVIII.

*Profecto, fili charissime, circa conservan-*

Eximia encomia in Carolum a Clemente collata.

*vandam status tui gloriam non indigne pensamus. Tu enim es electus a Domino in sui populi defensionem: tu gentibus, quæ ambulant in tenebris, serenitatem lucis data tibi divinitus gratia reddidisti: tu qui es Ecclesiæ defensor: Tu pax fidelium: tu viatorum securitas, & tranquillitas regionum. O cum quanta mentis anxietate quæsivimus, quam profundis cogitatibus nos & nonnulli prædecessores Romani Pontifices cum fratribus nostris adhibuimus labores & studia, ut te nobis in adjutorem ipsius Ecclesiæ divina clementia largiretur, quod tuo studio ab innumeris, quibus subjacebat, oppressionibus eadem Ecclesia liberata, sub gaudio libertatis in Domino respiraret. Et quia summa providentia, nostris desideriis condescendens, te nobis pia miseratione concessit, tibique contra hostes de victoria gloriosa, providit, & regnum Siciliæ tuo imperio sic virtuose subjecit; & nos & universalis Ecclesia, tamquam de multiplicium anxietate laborum ad optatæ quietis votiva solatia redeuntes, plenis in Deo nostro gaudiis exultamus.* Tum pluribus saluberrimis præceptis pro bene administranda republica ipsum imbuit, hortaturque, ut ad parram tantis sudoribus laboribusque Siciliam conservandam incumbat; nec minoris esse gloriæ ac fortitudinis acquisita servare, felicique adducta pace defendere, quam ab hoste ferro peperisse. Arguit præterea parum caute nonnullos, qui tuendo regno operam navare potuissent, dimisisse. Paucis vero post diebus pulcherrimis aliis literis (*a*) quæ tanti Pontif. summam prudentiam redolent, Carolum erudivit, ut ad regnum optimis institutis temperandum, regendosque commissos populos accingere se deberet: proposuit ob oculos, omni assentationis fuco procul amoto, quas ipse culpas graviores, suique committerent, ut protinus aboleret: consuluit in primis divini numinis timorem amoremque pectori insereret, nec unquam regias manus prudens & sciens alienorum usurpatione temeraret.

Præceptis optimis ad regnum probe moderandum Carolus informatur.

(*a*) *Ib. ep.* 254.

XIX. *Cum omnia quæ secundum ordinem fiunt, ex ipso recipiant pulchritudinem & splendorem, decet te, fili charissime, in omnibus & per omnia ordinate procedere, ne tu forsan, ad cujus pendet arbitrium ordinatio tanti regni, minus juste quæras in subditis quæ in ipsis nequiverint inveniri. Hoc est sane nostri summa propositi, ut tuum studium excitemus ad tui stabilimentum honoris, & statum pacificum nationum tuo regimini subjectarum: cujus rei principium esse credimus, solidum, & fixum fundamentum, si te, tuos, & tua tam prudenter, quam provide duxeris ordinanda. Ad tuam autem ordinationem hoc pertinet, ut Deum timens ac diligens: nihil ex certa scientia in salutis tuæ dispendium teneas alienum.* Tum perstringit ab ipso nonnullas res ecclesiasticas occupatas, ac restituti jubet: imposita graviora vectigalia submoveat, quæ circa salinas, aliaque suo tempore inducta, quibus opprimuntur populi, eorumque sanguis exsugitur, dissolvat. Deinde carpit acerrime, veram amicitiam non gerere cum suis, cum plures, qui se ipsius obsequiis devoverant, suis stipendiis fuerint defraudati; alii ad extremam inopiam redacti ad sua redire, vel in Xenodochia compulsi fuerint; alii gravissimis incommodis emarcuerint: superbe nimium agere cum Siculis, quos suo aditu arcet: ac ni faciliorem moribus se præbeat, ipsorum animos abalienaturum.

Corripitur optime de ipso meritos præmiis non affecisse.

*Ad nullum afficeris, prout dicitur, amicitia: quare ex eo a multis præsumitur, quod tuos Provinciales tamquam eos in servos emeris ad onera. Supra vires astrictos, & tibi fideliter obsecutos, suis fraudas stipendiis: quorum multi perierunt inedia, multi contra suæ nobilitatis, & non minus tuæ honorem in hospitalibus pauperum jacuerunt: multi, qui te pedites sunt secuti, languent in carcere.* Et infra: *Multique alii, qui tibi in Italia servierunt, nudi & pauperes ad propria sunt reversi. Addimus juxta famam communem, quod homines regni tui & videre contemnis, & justitiam eorum procrastinas:* Admissos vero in regium conspectum non comiter haberi objurgat; imminentisque inde periculi admonet: *Si nec visibilis factus, nec adibilis; si nec affabilis, nec amabilis, & eisdem volueris principari, profecto in manu gladium, & in dorso loricam, & a latere præparatum exercitum habere te jugiter oportebit. Et quæ erit hæc vitæ species, nisi mortis imago miseræ, suspectos semper habere subditos & suspectum semper esse?* Subdit a regiis ministris populos premi & exasperari, instruitque ut probos viros ac summa prudentia præditos adhibere in consilium debeat, eorumque monitis obtemperare; nec suæ adeo sapientiæ ac sagacitati præfidat.

XX.

Ad comitatem in subditos instruitur.

*Transeundum est ad consiliarios, quibus uteris. Ecce, ut fertur publice, dantur tibi consilia a peritis, quæ cum audieris, seorsum abiens judicio subiicis imprudentium, & aut tuæ innitens prudentiæ præfers omnibus id quod sentis, aut peritorum responsa ab illis sustines judicari, qui non intelligunt se, vel illos. Hoc interdum vidimus in Provincia, & ideo in Apulia posse fieri non impossibile reputamus. Crede, fili charissime, jam nobis sæpe contigit in hac sede, cui, licet immeriti, præsidemus quod habitis fratrum nostrorum consiliis, quamquam contrarium crederemus utilius, tamen eorum sententias sequebamur (utile erat negotium, quod bene poterat fieri, poterat vel omitti) & movebat nos ista ratio, quia temerarium censebamus, tot prudentium judicio sententiam nostri capitis anteferre. Elige ergo, fili, consiliarios tibi non suspectos, & cum suspectos habere cœperis, non retineas, quia bellum continuum cogitationum invicem confligentium non evades.* Tum multa cumulat de bonis & malis consiliariis, subiicitque: *Nunc dimissis consiliariis ad domum tuam descendimus, quam adeo deordinatam in omnibus mundus clamat, ut tot in ea sint domini, quot sunt capita.* Postremo subjungit: *Et ut finis concordet principio, te & tuos & tua sic ordina, quod & Deo cedat ad gloriam, tibi ad commodum, tuis ad gaudium & exemplum. Datum Viterbii* x. *kalend. octobr. anno* 11.

XXI. De adhibendis in consilium prudentibus viris admonetur.

XXII. Plures Italiæ populi Ecclesiæ conciliati.

Nec Sicilia modo victoriis Caroli abrepta jam ad Ecclesiæ obsequia redierat; verum plures etiam alii Italiæ populi, qui se eidem Ecclesiæ, cum Manfredus viveret, subduxerant; non levi concepto metu, ne Clemens e Sicilia victorem in ipsos incitaret, certatim ejus gratiam flagitarunt. Florentini omnium primi aspiravere ad libertatem, exturbato Guidone Novello, ejusque Germanis, cum ob subitam rerum conversionem stupore defixi hærerent; missisque oratoribus censuris exolvi flagitarunt. Qua de re Pontifex Octavianum Ubaldinum S. Mariæ in via lata diaconum Card. certiorem fecit: quarum quidem literarum exemplar Fridericus comes Ubaldinus in re historica versatissimus, mihi communicavit: *Ingenti*, inquit Pontifex, *jubilo exultamus, quod misericors & miserator Dominus (qui nihil eorum quæ fecit, odit, nolens mortem peccatorum, sed ut magis convertantur & vivant, civitatem & populum Florentinum, qui quasi cum morte fœdus pepigerant, diuque a devotione Rom. ecclesiæ damnabiliter de via recta; * quondam Manfredo olim principi Tarentino, persecutori ejusdem Ecclesiæ manifesto, contra eam induratis animis pertinaciter adhærendo, & adhærentes ejusdem Ecclesiæ totis viribus impugnando) de suæ abundantia pietatis ad pœnitentiam conterens, ipsos ad devotionem nostram & dictæ Ecclesiæ per tuæ probitatis industriam misericorditer revocavit, &c.* Subdit ut Florentinus prætor aliique magistratus oratores ad sedem Apostolicam miserint, qui supplices deprecarentur censuris pontificiis ob secutas Manfredi partes, & Lucam contra imperia apostolica oppugnatam contractis exolvi, nuncupatoque sacramento Ecclesiæ imperiis obsequentes futuros: utque Gotifredo S. Georgii ad velum aureum, & Uberto S. Eustachii diaconis Cardinalibus demandata sit provincia, ut eos liberarent anathemate, atque in sacrorum communionem admitterent. De Florentinis traductis ad partes Ecclesiæ meminere Leonardus Aretinus (*a*) & S. Antoninus (*b*). Mox etiam ad illius obsequium confluxere Pistoriense, (*c*) ac Pratenses; (*d*) quorum censuris exolvendorum eidem Cardinali Ubaldino provincia imposita est. Pisani (*e*) etiam & Aretini horum exemplo in Ecclesiæ sinum se contulerunt. (*f*) Cumque Lucanos pontificiarum partium inter ac Pisanos maximum bellum arsisset, jam Pisanis ad officium reversis, Lucanos pacem cum iis inire, vel inducias pacisci imperavit, (*g*) donec controversias ipsorum componere ac dirimere posset. Marchia Tarvisina etiam, quæ diu sub Friderici, ac postea Manfredi tyrannide luxerat, ad Clementis obsequia est reversa. Nec minus res in Insubria conversæ: Cremonenses enim Uberti Palavicini, qui cum Manfredo juncto fœdere suam tyrannidem apud eos confirmarat, jugum excussere (*h*). [1]

Florentini ad Ecclesiæ obsequium revocati.

* deviaverant.

Restituti sacris a duobus Cardd.

(*a*) *Leonar. Aret. hist. Flor.*

(*b*) *S. Ant.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 1. §. 4.

(*c*) *Clem. l.* 2. *ep. cur.* 3.

(*d*) *Reg. post cand. ep.*

Alii Etruriæ populi horum exemplum secuti.

(*e*) *Ib. ep.* 4.

(*f*) *Ibid.*

(*g*) *Lib.* 1. *ep.* 162.

(*h*) *Monach. Pad. chr. l.* 3.

Tot felices Ecclesiæ progressus Pontifex Ottobono S. Adriani Card. ita expressit (*i*): *Ecce apud nos illæ maris elationes mirabiles siluerunt, prostrata superbia, quæ cœli verticem tangere videbatur. Charissimus in Christo filius Rex Siciliæ illustris tenet pacifice totum regnum, illius hominis pestilentis cadaver putridum, uxorem, liberos obtinens & thesaurum. Marchia, ad nos rediit: Florentini, Pistorienses, Senenses, & Pisani ad mandata venerunt. Uberti Palavicini & Pla-*

XXIII. Successus e Caroli victoria secuti.

(*i*) *Tom.* 2. *ep.* 223.

NOTÆ [1] Quamquam multæ per Italiam gentes ad obsequium sedis Apostolicæ rediisse hoc anno visæ sunt, easque enumerat annalista; vix tamen credo omnes, quas hic recenset, ex corde resipuisse. Cum receptæ licet in Ecclesiæ communionem adhuc tamen clandestina agitarint consilia, ut ex literis Pontificis in registro hujus anni vulgato in Anecdoctis Martenii tom. II. plane constat. Marchianos legatos suos ad Conradinum destinasse expendit Clemens in literis ad S. tit. S. Martini Card. datis Viterbii XVII. Kal. novemb. anno II. ex quibus Firmanorum ac Urbinatum contumaciam intelligimus. Florentini quoque, licet a censura exoluti, nec Germanos contra datam fidem expulerunt, nec Conrado satis obsequentes se præbuerunt, quod illis exprobrans Pontifex in literis in eodem registro (quamvis sine data temporis, & loci) legendis injungit ut intra decem dies coram se compareant ad causam suam tractandam. Verum non diu post Florentinos Pontifici per omnia paruisse deducimus ex literis ad ipsos datis a Pontifice Viterbii XII. Kal. decembris, in quibus Clemens mitem se, & benignum erga illos exhibens, satis indicat nihil ultra habere, quo de illis queratur. MANSI

*Placentinorum habemus nuncios, & Cremonensium expectamus, qui volunt facere illud idem, & de Januensibus aliquam spem habemus. Dat. Viterbii* VIII. *id mail anno* II. Receptum porro in Ecclesiæ gratiam Palavicinum Clemens in literis ad Francorum Regem datis (*a*) testatur; atque alios plures, ut Conradum de Antiochia dictum cum ipsa in gratiam rediisse.

(*a*) *Lib.* 2. *ep.* 202.

*Charissimo in Christo filio Ludovico Regi Franciæ illustri.*

Clemens redeuntes ad officium populos humaniter excipit.

*Ecce per Dei gratiam regnum Siciliæ redivivum nuper a mortuis resurrexit: ecce Tuscia, ecce Palavicinus marchio cum Cremonensibus & Placentinis & aliis partis suæ nobilibus ad Ecclesiæ rediere mandata: de quorum constantia licet tenuem afferat confidentiam status præteritus eorumdem; quia tamen non est nostrum judicare de occultis, aperuimus cum gaudio gremium redeuntibus, & gaudentibus angelis de unius pœnitentia peccatoris, in tot millium congaudemus. Verum in nobis hanc quantumlibet magnam lætitiam interrumpit periculosus status Angliæ, periculosus Hispaniæ, periculosus Germaniæ, periculosior Terræ sanctæ; sicque risus dolore miscetur, sicque extrema gaudii luctus occupat, ut flere libeat, gaudere vix liceat: quamquam alternis vicibus tam lacrymis, quam lætitiæ contingat & oporteat nos vacare. Cæterum scire volumus tuam magnitudinem, quod quamvis regnum nobile, plenum divitiis ac delitiis acquisierit frater tuus, timemus plurimum, ne segnius quam oporteat, terram custodiat acquisitam. Multos enim abire permisit, quos fuisset expediens tenuisse: qui sicut teneri non poterant sine dominiis, sic libenter astitissent eidem feudis decentibus honorati. Nec credas quod nostra defuerit admonitio, quam utique & plorans ei misimus, & in ore posuimus magnorum & fidelium nunciorum, &c. Dat. Viterb.* XVIII. *kal. junii anno* II.

Læta adversis mixta.

Plura Christiana regna in discrimen adducta.

Pervasit orientem parti de Sicilia triumphi fama, ac Balduinus II. Imp. Constantinopolitanus, Manfredi fœderatus Caroli gratiam exambivit, atque a Clemente auxilia in Græcos schismaticos precatus, certior factus (*b*) est, ipsum e Sicilia potius quam e Germania vel Anglia auxiliares copias eliciturum.

(*b*) *Regest. Clem. IV. arch. Vat. sign. n.* 32. *pag.* 32.

*Charissimo in Christo filio Balduino Imperatori Constantinopolitano illustri.*

Gratulatur Imperator Constantinop. de parta a Carolo Sicilia.

*Commune gaudium Dominum amantium si te, ut asseris, propter Dominum & in Deo lætificat, reddit te commendabilem in hac parte: Quamvis olim notatus fueras, quod cum hoste pestifero, nunc prostrato, fœdus contraxeras amicitiæ nec Deo nec hominibus gratiosum. Sane si spondent nobiles, si potentes auxilium ad negotium, ratione divino Numini congaudemus, Dei clementiam deprecantes, ut illorum confirmet consilium ad sui exaltationem honoris. Nos enim illorum promovere propositum eo possumus confidentius, quo regni Siciliæ acquisitio ad inimicos ecclesiæ prosternendos ex omni latere expeditius iter parat: licet quod implicas de Theutoniæ Angliæque subsidiis locum hoc tempore sibi non vendicet, terris ipsis & adjacentibus intestinis periculis involutis: sed speramus in Domino, quod assumentibus dictum negotium ad honorem & gloriam sui nominis Deus manum non subtrahat adjutricem. Dat. Viterbii* XVI. *kal. julii anno* II.

De ferendis orienti suppetiis ostensa spes.

XXIV. Lætissimus porro successus, ut instabilis est humana conditio, improvisa in Urbe seditio confudit; conciliatisque jam magna ex parte hostibus, in mutua exitia ipsius filii concurrerunt. Creati enim a Romanis duo senatores, magno invicem furore confligere, prædasque agere cœpere. Ad quos compescendos Clemens Simonem tit. S. Cæciliæ presbyterum Card. A. S. L. operam omnem adhibere his literis jussit (*c*): *Ecce Romana ecclesia suæ reddita libertati, in sua conversa jam viscera nescit ordinem, nescit legem. Duo facti sunt senatores prædones & fures, intus & extra libere debacchantur: angimur enim ab iisdem præcipue propter debita, quæ tu nosti, pro quibus obligatæ possessiones ecclesiarum Urbis existunt: & nisi subvenias, ad casum labimur graviorem. Si qua ergo tibi compassio, si qua viscera pietatis, patri subveni, matri succurre & de ore leonum nos libera rugientium. Dat. Viterbii* XVII. *kal. julii ann.* II. Creatus vero senator Henricus Regis Castellæ frater, quem Carolus ad res pacandas submiserat, longe postea graviores tumultus concitavit. Sed de Henrico inferius: nunc ad Hispanicas res transeamus.

(*c*) *Tomai ep.* 206. Creati a Romanis duo senatores Urbem rapinis miscent & cædibus.

XXV. Hispania bello Maurico infestata.

Vidimus superius Granatæ & Murciæ Reges Sarracenos Castellæ stipendiarios excitis ex Africa Mauris, periculosissimum bellum Christianis intulisse: adversus quos Alfonsus Castellæ, & Jacobus Aragonum Reges movere; dumque in Granatensem fulminaret Castellanus, Aragonius captis anno superiori ardenti & rapida victoria (*d*) Villena, Elda, Orcelis, aliisque non ignobilibus oppidis, hoc anno Murciam urbem regiam florentissimo exercitu crucesignatorum cinxit (Pontificis quippe studio, adducta in periculum Hispania, fideles ad crucem capessendam concionatorum opera induxerat *e*) erumpentesque initio Mauros plurimis levibus præliis fudit, ac demum urbem, etsi valido instructam militari præsidio, ad deditionem coegit. (*f*) Nec minorem fidei quam fortitudinis laudem sibi peperit, cum ipsam Regi Castellano restituit, qui pariter Granatenses, habito colloquio certis conditionibus, quas recenset Mariana, ad obsequia adduxit. Cæterum adeo prosperi successus nuncio lætus Clemens Papa hæc ad Jacobum Aragoniæ Regem scripsit (*a*).

(*d*) *Marian. de reb. Hisp. l.* 13. *c.* 15.

(*e*) *Surit. ann. l.* 3. *c.* 70. *& indic. l.* 2.

(*f*) *Mar. ubi sup. Surit. indict. l.* 2. *& l.* 3. *annal. c.* 68.



(*a*) *To.* 2. *ep.* 215. Murcia a Jacobo Rege Aragonum expugnata.

Restituta Regi Castellæ.

*Datam tibi de cœlo victoriam, quam tuis literis, & tui destinatione vexilli, nostris & fratrum nostrorum auribus simul & oculis injecisti, cum multa cordis exultatione recepimus; ei qui bella conterit & cornua peccatorum confringit, grates debitas exolventes, qui te suæ militiæ magistrum eligens, inimicos fidei Christianæ olim in tuis frontariis tua manu pessundans; nunc in terris etiam alienis, Murciam famosam satis inter alias civitates, tua cura, tua industria, tuo studio, tua potestate perdomuit, & ad charissimi in Christo filii illustris Regis Castellæ dominium, a quo præsumpta recesserat rebellione, reduxit:* Sed, pro pudor! qui bellicis laboribus frangi non poterat, voluptatum lenociniis emollitus, a pellicis blanditiis vincebatur; quare ipsum Clemens, ut nobiliorem de se victoriam triumphatis carnis illecebris reportaret, gravissime adhortatur: *Sane quanto virtuosior existis in prœliis, tanto humilior debes esse in cæteris, ut divino nomini soli debitam tibi gloriam non ascribas. Quamquam in hoc te gloriæ propriæ non deceat zelatorem, ut tecum pugnantem Dominum non impugnes; & qui hostes exteriores superas, ab interioribus minime supereris. Quid enim prodest Reges in campo prosternere, & ab ancilla, vel servo in domo viliter subjugari?*

Monet victorem Jacobum Pont. ne se vinci libidine sinat.

XXVI. *Hæc scribimus, fili charissime, quia (quod ægre gerimus) tantorum victor hostium, a propria carne sic vinceris, ut divino timore postposito illicitam tibi copulam non tuæ statuens mulieris, cum multo scandalo, & multorum circumducas adulteram; & incestu cumulans adulterium, graviter oculos divinæ majestatis offendas. O quantam in tua gloria ponis maculam! O quantum sanguini tuo detrahis, quantum honori derogas regiæ majestatis, quanto te demum exponis discrimini vivens sub sorte misera, captivatus a muliercula, & velut bos ductus ad victimam trahi ad inferos te permittis! Quid tibi proderunt tuæ victoriæ? quid triumphi? quid sanguis regius? quid potestas? si velut jumentum in tuis fœcibus computrescas. Scito quæsumus, & considera, quoniam advesperascit, & inclinata est amodo tibi dies; currisque cum cæteris ad finem inevitabilem, quem præfinivit Dominus omni carni. Nec te decet extrema polluere vitæ tuæ, quam nisi exitus onoraverit impollutus ad regnum attingere nunquam poteris, in quod nihil coinquinatum * incurrit. Quocirca obtentu veteris amicitiæ, & paternæ compassionis affectu, serenitatem regiam monendam duximus & hortandam, quatenus ad cor rediens, teipsum contra faciem tuam statuas: ut quod inconsulte fecisti, consilio revocans saniori, mulierem mœcham abiicias, immo nequam: ut tam salubriter, quam pudice in bono compleas dies tuos, & de regno quod obtines temporali, ad regni gloriam venias sempiternam. Datum Viterbii* III. *non. julii an.* II.

Exponit in quæ se coniiciat pericula.

* intrabit

XXVII. Excusat se Jacobus uxorem lepra infectam.

Paternis etiam antea literis Regem monuerat, ut adulteram eiiceret, divinumque timorem in ejus animo gravissima oratione defigere erat conatus: obtendebat sceleri eum colorem Jacobus, Therasiam conjugem lepra inquinatam contractumque cum ea matrimonium dissolvi flagitabat. Repulit constanter sanctissimus Pontifex nefaria petita; & quamvis Regum omnium uxores lepra infectæ essent, regieque omnes familiæ penitus extinguendæ, respondit (*b*) Dei vicarium dissolvere non posse, quæ Deus adstrinxisset: ne egregias adeo virtutes ac pia facinora corrumperet monuit, sed effrænes cupiditates fortiter edomaret.

(*b*) *Ib. ep.* 146.

*Clemens, &c. Regi Aragonum illustri.*

Postulat alterius inducendæ facultatem.

*Quos Deus conjunxit, Dei vicarius quomodo separet? Absit a nobis hoc scelus, ut leges Domini violemus, ut hominibus placeamus, creatorem & redemptorem hominum offendamus. Quod si inter te & ipsam matrimonium nullum esset, istam quam superinducere tibi placuit, aut in uxorem aut in pellicem elegisti: si uxorem habere volebas, quam spuriam confiteris, & hanc in tua gloria ponere maculam minime verebaris, nunquam credere debuisti, quod ad tui culminis tam vile tam ignobile præcipitium impenderemus suffragium dispensando? quod si tibi concubinatum ipsius elegeras, nec colorem habuit, nec saporem regia postulatio: cum sperare non debeas, auctorem fieri turpitudinis Jesu Christi vicarium, omnia turpia detestantem. Si quæris forsitan, quid tibi faciendum incumbat, cum sine corporis tui periculo primæ cohabitare non possis; satis est in promptu responsio: sustine manum Domini: quam fortuitus casus induxit, culpæ non imputes patientis. An credis, si omnes Reginæ per mundi climata constitutæ, leprosæ fierent, daremus Regibus ob hanc causam licentiam cum aliis mulieribus contrahendi? Scias pro certo, quod omnes & singuli paterentur repulsam, etsi domus regiæ nulla prole superstite in radice prorsus arescerent & in ramis.*

Repudiatæ cum horrore illius preces.

XXVIII. *Eapropter, fili charissime, Deum habens præ oculis; & illum benignissimum Regem Franciæ, cum quo tibi amicitiam copulasti, tibi statuens in exemplum: vide quantum in diebus tuis processeris: vide beneficia, quæ de manu Altissimi percepisti: vide crucem, quam tuis humeris affixisti: vide bellorum discrimina, quibus te multum*

Excitatur ad virtutem amplectendam.

*tum animose committis; & ne addas incestui adulterium, cum ex hoc & bona quæ agis, tibi reddas sterilia, cum iram Domini in die judicii thesaurizes. Ne de te dicas, continere non posse: nam dudum perempta est hæc querela. Quomodo enim justus & rectus Dominus indiceret omnibus ab illicito coitu continentiam, si vel unus posset obiicere præceptum impossibile non debere servari? Sed mos est omnium peccatorum, sicut dicit beatus Joannes, ut ad sui excusationem erroris non posse ponunt in causa, cum sit nolle tantum in culpa. Jure igitur tuum in hac parte desiderium implere nolumus contra Deum, qui in licitis, & honestis, cum necessitas vel utilitas exigit, nos tibi reddimus favorabiles & benignos. Dat. Peruf.* XIII. *kal. martii anno* I.

XXIX. (a) *Extant in M. S. Vallic. bibl. sig. lit. C. n.* 49. *pag.* 77. *& apud Surit. ind. l.* 2.

Instruxit aliis literis (*a*) Pontifex eundem Regem saluberrimis monitis, ut numinis cultum amplificarat, Saracenos omnes e sua ditione excinderet, qui in gravissima exitia regnum possent coniicere: ne funestum Machometi nomen extolli ab iis pateretur: tenues Valentinæ ecclesiæ opes augeret: Judæos submoveret dignitatibus, ac sceleratum illum justa pœna afficeret, qui post habitam coram ipso de religione concertationem, ut trophæum errori erigeret, librum composuerat, ac plura illius exemplaria in varia loca transmiserat: ita enim Dei gratiam, ac partos in terris triumphos cœlestibus cumulaturum.

*Regi Aragonum illustri.*

Insigne ejus elogium.

*Agit, nec immerito, mater Ecclesia, dum lætanter tua magnifica gesta commemorat, dies festos jucunditatis, & lætitiæ cantica replicat; tui zeli fervorem, & strenuitatis merita tam chari, quam devoti filii quasi recenter quotidie delectabiliter recensendo. Exultat & jubilat in tuorum felicium connumeratione successuum, per quos contra Saracenos nominis sui blasphemos, & catholicæ fidei persecutores infestos, salutem populi Christiani Domini dextera virtuose in tuis manibus, & data tibi ab ipso virtute direxit. Apud bonorum omnium largitorem preces devote multiplicat, ut in hac zeli rectitudine, in hac fidei puritate te in tempora longiora conservet. Quod nos eo postulamus avidius, eo instantius imploramus, quo tibi vinculis charitatis solidioris astringimur, ad honorem tuum soliditate sincerioris dilectionis afficimur, & salutem tuam sincerius affectamus.*

*Hæc quidem nos movent efficaciter & inducunt, ut serenitatem tuam paternis adeamus commonitionibus, & attentis exhortationibus excitemus adversus ea, quæ grandia pericula temporaliter etiam tibi & posteris tuis ingerere, tui nominis claritatem inficere, ac Creatorem tuum contra te possent graviter provocare. Considera igitur, fili, considera, cum te tam experientia cogat advertere, quam familiaria etiam exempla ignorare non sinant, quam gravibus sit res plena periculis, Saracenorum in terra tua retentio: qui licet ad tempus occultent iniquitatis suæ necessitate cogente, propositum: illud tamen quam avide, quam ardenter, immo etiam quam inique captata opportunitate revelant. Profecto nec discreti consilii est, nec tutum tam perfidos, tam plenos nequitia inimicos habere domesticos, vel tenere vicinos non magis, quam nutrire serpentem in gremio, vel ignem in sinu.*

Solicitat ut Saracenos sua ditione pellat.

XXX. Nefarios eorum ritus abolear.

*Quod si te forsitan ad hujusmodi retentionem ipsorum aliqua ex illis proveniens induci, ne dicamus seducit, utilitas; tanto præponderet in tuæ magnanimitatis judicio & recto libramine rationis acerba tui contumelia Creatoris, quam assidue patitur, Saracenis eosdem inter Christicolas diebus singulis clamore privato certis horis nomen extollentibus Machometi; quanto proculdubio ferres, & revera ferre deberes acerbius illatas inter tuos subditos celsitudini tuæ injurias, quam inter eos qui tuæ non essent ditioni subjecti. O quam debet esse detestabile, quam amarum, tibi præcipue, qui ab annis teneris illius cultores & cultum infra fines ipsorum totis viribus persequendo, ad eorum exterminium laborasti; nunc ipsum in regnis tuis pati per culturam hujusmodi taliter exaltari! Nonne consideras, quod per hoc detractorum linguis exponeris, qui quasi verisimiliter assererent, quod in omnibus tuis laboribus, quos nullis vitatis periculis in ipsorum persecutione ab adolescentiæ tuæ initiis pertulisti, non exaltationem fidei, sed tua venabaris commoda, tuis solummodo utilitatibus intendebas? Porro etiam amicorum alternabantur forte judicia, si propter utilitatem pecuniariam sic tuis laudabilibus actibus detrahi, tantum superni Regis opprobrium, tantam Christianitatis infectionem, quam ex eorumdem Saracenorum cohabitatione horribili, detestandis horroribus, & horrendis spurcitiis non est dubium provenire, amplius patiaris.*

XXXI. Conjunctam in ea regiam cum divina gloriam.

*Et quidem tu, vel hujusmodi obloquentium detractationi consentiens, vel ipsi tibi contrarius videreris, si Saracenos eosdem in suis partibus persequens, in tuis ipsos sustineas patienter. Hæc si discussa debitæ meditationis examine in rationis consistorium introducas, ipsos, nec dubium, prout excellentiam tuam decet, prorsus abiicies, & profugos extra tuæ ditionis terminos effugabis. Ad quod magnificentiam regiam, ut tuæ saluti provideas, ut tuæ famæ consulas, ut consultius periculis, quæ tibi & ipsis posteris, ut præmittitur, per eos imminere possunt, occurras; & paterno affectu, & omni quo possumus studio, in-*



*vitamus: præsertim ut reddas Altissimo votum tuum, quo ad id publice diceris obligatus: sicque oppilentur ora contra te inique loquentium; tuque, prout es & fidei zelator præcipuus, & ad ipsius exaltationem labores tuos dirigere censearis. Ad quam cum ferventer intendas, regalem prudentiam oportet attendere, quod Ecclesiæ status & fidei, earumque negotia ea sunt indivisibili unione conjuncta, ut altera, reliqua in honore non habita, honorari non possit: nec enim potest fidei derogari, quin nimis Ecclesiæ detrahatur: nec ipsius Ecclesiæ honori ac libertati detrahi, quin etiam fidei, quantum in detrahente fuerit, derogetur.*

XXXII. Deprecatur ne ecclesias gravet.

*Ne igitur tu, qui ejusdem fidei vacasti semper, & adhuc vacuas studiose negotio, eidem, si Ecclesiæ injuriosus fueris, existas injurius; decet (& nos excellentiam tuam, quo possumus affectu rogamus) ut ab injuriis ecclesiarum abstineas, quibus in partibus tuis injuriari diceris supra modum tam in bovaticis, quam albergis, quam in aliis exactionibus omnino indebitis: & in eo potissime, quod ab illis eorum quæ annorum quadraginta spatio, & interdum a tempore, cujus non existit memoria, possederunt titulum suæ provisionis contra rationem & legitimas sanctiones exquiris, quem nisi probaverint, possessiones occupas, juris ordine non servato. Quæsumus itaque, fili charissime, ac tuæ salutis & honoris obtentu pietatem regiam instantius deprecamur, ut ab earumdem ecclesiarum injuriis omnino desistens, eas, personas ecclesiasticas, jura, & libertates earum manuteneas, protegas & defendas, ipsasque favorabiliter prosequaris. Cura ecclesiam vero Valentinam, donum tibi a Deo tam gratiose concessum, ut consedentis & concessionis gratiam gratam, ut decet videaris habere, ipsiusque mensuram de donantis magnitudine metiaris abunde: tuus favor exuberet, & in ipsam ita liberalitas regiæ pietatis abundet, ut eam, cum sit novella plantatio, noviter divina potentia per te de gentium perfidarum manibus eruta, in paupertate arescere non permittas.* Et infra:

XXXIII. Monet ut Judæos coerceat.

*Ut autem, princeps inclyte, zelus tuus erga defensionem ejusdem orthodoxæ fidei, quam tanquam vir Christianissimus indefesse prosequeris, undique contra ipsius hostes & æmulos aperte reluceat; in ipsius auxilium contra Judæos, qui præ cæteris eandem fidem persequentibus, & nomen blasphemantibus Christianum, & illud blasphemant amarius, & illam nequissime persequuntur; favor tuus apertissime invalescat, ut Judæos de cætero ad aliqua officia non admittens, ipsos in aliquo non extollas: sed in quantum concessa eis a sede Apostolica privilegia patiuntur, ipsorum refrænando malitiam, deprimas & conculces, nec prætereas illorum blasphemias incorrectas, &c.*

Alphonsus interea res cum Mauris Granatensibus composuit, Murciamque videndæ illius studio, se contulit. Cui in itinere Hudiel Rex obvius, implorans ejus clementiam, agros tantummodo ad sustentandam vitam obtinuit (*a*): regium vero nomen in Mahomadem Abenhuti ad Almeriam interfecti fratrem transfusum, tertia tantum vectigalium parte illi attributa: reliqua in Castellæ fiscum inferri jussa. Quæ res non ita fidelibus grata, cum malum penitus excisum non esset, nec superstitio ex iis locis evulsa. Pro relata vero victoria eximius princeps gratias numini acturus, Soriam Oxonensis diœcesis episcopatu insigniri flagitavit, (*b*) eamque ecclesiam ingentibus opibus auxit. Ad ejusdem etiam Regis gratiam Abulensi episcopo dedit imperia Clemens, (*c*) ut sedem episcopalem ex urbe Sydone, quam Alfonsus Saracenis eripuerat, ad Gaditanam insulam traduceret.

XXXIV. Alfonsi Regis Castel. res gestæ in Mauros.

(a) *Mariana. l.* 13. *c.* 15.

(b) *Lib.* 2. *ep.* 163.

(c) *Lib.* 1. *ep.* 203.

Nec Hispania modo ex Saracenico bello feliciter emersit, verum etiam Angliæ res a perduellibus antea depressæ admodum atque afflictæ, sese extulere. Eo miserat (*d*) Pontifex, ut supra dictum est, Ottobonum S. Adriani diaconum Card. legati dignitate auctum: qui cum plura ab adversariis initio pateretur, penderetque ancipiti animo quid sibi agendum foret, an discessurus, an perstiturus esset: rem ipsius prudentiæ Clemens permisit (*e*). Erexit præterea mœrentis aliis literis animos: consideret brevi illam tempestatem discussum iri: *Numquam igitur te scandala terreant magna ponderet, vel multa numero, si in te causam non dante confurgant: nam qui ventis in mari imperat, fulgura in pluviam faciens, & procellam in auram statuens, dabit quieta tempora, sublato turbine & tempestate repressa.* Sed non deerant in Galliis studiosi relictæ Simonis Montisfortis viduæ exulantis in Galliis ac filiorum viri principes, qui Ludovicum incitabant, ut eorum patrocinium susciperet; ac metuens Clemens, ne Rex Angliam in pristinas coniiceret calamitates, ipsum literis Apostolicis admonuit, (*f*) ne Montisfortis comitis filiorum matrisque causam æquitate destitutam tueretur; sed potius Anglum Regem contra perduelles defenderet. Motam a patre Simone seditionem ipsius filius Guido alebat: adversus quem atque alios perduelles anathematis sententiam est jaculatus Pontifex, quam legato (*g*) Simoni tit. S. Cæcil. presbytero Card. agenti in Galliis, qui non diu post Ottoboni pontificatum sub Martini nomine clavum Ecclesiæ tenuit, atque aliis significavit (*h*).

XXXV.

(d) *Vvestm. Flor. hist. an. sup.* Ottobonus in Anglia legatus vexatus ab adversariis.

(e) *Ro.* 2. *ep.* 205. Confirmatus ad constantiam a Pont.

Monet S. Lud. Pontifex ne filiorum Simonis e Monteforti causam tueatur.

(f) *Lib.* 2. *ep. cur.* 15.

Guido e Monteforti defixus anathemate.

(g) *Ib. ep.* 16.

(h) *Reg. post eand. ep.*

Provinciam etiam eidem injunxit, (*i*) quod

XXXVI.

(i) *Lib.* 2. *epist. cur.* 5. *& to.* 2. *ep.* 223.

Jussus Ottobonus Richardo diem dicere ad disceptandam Imperii causam.

quod paulo superius insinuatum est, ut Richardo in Romanorum Regem electo peremptorium diem pro excipienda in Imperii causa, quæ ipsum inter Alfonsumque Castellæ Regem vertebatur, sententia præfigeret: *Citationem charissimi in Christo filii nostri Richardi in Romanorum Regem electi cum omni diligentia facias: nam expedit modis omnibus Imperii negotium terminari, cum multi laborent ad Conradinum præficiendum eidem, qui quantum possit esse discriminis, ipse vides. Dat. Viterbii* VIII. *id. maii anno* II. Extant de eodem in Vallicellano codice (*a*) scriptæ ad Alfonsum Castellæ Regem literæ, quibus admonet tum Richardo, tum ipsi diem publico edicto ad Imperii disceptandam causam constitutam.

(*a*) *Codex MS. Vallicel. signat. lit. C. num. 49. pag. 103.*

*Charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ & Legionis illustri in Regem Romanorum electo.*

Excitus etiam ad subsellia Apost. Alfonsus.

*In negotio Imperii, in quo tam tu, quam charissimus in Christo filius noster Richardus in Romanorum Regem electus jus per electiones, quas de vobis celebratas asseritis, vendicatis, a felicis recordationis Urbano Papa prædecessore nostro dudum sub certa forma citatio emanavit, ut tam tu, fili charissime, quam electus ipse coram eodem prædecessore per procuratores idoneos comparere certo termino curaretis: ac demum in hujusmodi termino venerabilis frater noster Martinus Legionensis episcopus, & dilecti fili magistri Joannes Alfonsi capellanus noster archidiaconus Compostellanus, & Rodulphus de Podio Bonizi comparentes coram prædecessore ipso; prænotato Rege, a quo super iis sufficiens mandatum habebant, inter alia petierunt, eundem Regem ad suscipiendum de ipsius prædecessoris manibus Imperii diadema vocari; & juxta petitiones alias porrectas ab ipsis, & tunc in eorumdem prædecessoris & fratrum præsentia repetitas in negotio prædicto procedi, adversæ partis absentia non obstante. Verum dilectus filius magister Guillelmus Roffensis archidiaconus, & Guillelmus de Corveria capellani nostri, ac Robertus de Baro, qui alias pro eodem electo hujusmodi negotium fuerant prosecuti, quibusdam exhibitis pro ipso excusatoriis literis ejusdem electi absentiam; cujus causas, turbationum videlicet regni Angliæ ac alias dicebant esse notorias; excusantes allegabant multimodis, eo absente ac taliter impedito, non esse in dicto negotio procedendum. Prædictus autem prædecessor his & aliis, quæ fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis, & cum prædictis fratribus plena deliberatione discussis, deliberavit cum eisdem fratribus, tum in dicto negotio processum suum, quo ad ea, quæ præmissa citatio continebat, ex præmissis & aliis justis causis & evidentibus sustinendum, & ideo juribus partium & ipso negotio in omnibus & per omnia in eo statu, in quo tunc erant, omnino manentibus, tantum, usque ad annum computandum a festo B. Andreæ Apostoli, tunc venturo proxime, prorogavit. Et licet in hujusmodi termino per eundem prædecessorem taliter prorogato, & per ipsum nominatus magister Rodulphus notarius, nuncius, & procurator tuus comparuerit coram nobis; petens instanter, sicut & alias petierat, per nos in negotio ipso procedi: nos tamen, diligentius attendentes, quod etsi finitus esset a dicto prædecessore omnis numerus edictorum, decens est & juri consonum, quod unum saltem a nobis emanet edictum; providimus non esse ad præsens in præfato negotio procedendum; illudque usque ad diem veneris post festum Epiphaniæ Domini proxime venturum & immediate sequentem suspendimus: tibique ac prædicto electo diem ipsam duximus, juxta præscriptum modum in prorogatione dicti termini per præfatum prædecessorem, ut prædicitur, facta, contentum; pro peremptorio termino assignandum.* Sed de his judiciariis actis, quæ in longius tempus sunt extracta a Clemente, dicetur inferius: nunc alia ipsius gesta percurramus.

XXXVII. Tuetur Clemens jus ecclesiasticum.

Tuendi ecclesiastici juris zelo Clemens, cum verteretur quædam controversia de Melgorii comitatu inter Francorum Regem & episcopum Magalonensem, qui ob regiam potentiam animos desponderat; ipsum ad constantiam excitavit: (*b*) Ludovicum vero admonuit, (*c*) ne suorum susurros ad aures admitteret, qui jure ad ipsum pertinere comitatum jactabant; significavitque qua tandem ratione ad episcopos fuisset devolutus. Sed longe majori incensus zelo est pro obsolescente in quorundam episcoporum moribus sanctitate revocanda: adversus quos ecclesiasticum judicium, ut in Tolosanum (*d*) & Rhutenensem (*e*) in Galliis, Quinquecclesiensem (*f*) in Ungaria exerceri jussit.

(*b*) *Tom. 2. ep. 250.* Monet S. Ludovicum Melgorii comitatum spectare ad episc. Magalon.
(*c*) *Ib. ep. 251.* Intentat nonnullis episcopis judicium.
XXXVIII.
(*d*) *Lib. 2. ep. 135. 146. & To. 2. ep. 255.*
(*e*) *Lib. 2. ep. 147. 148. 149.*
(*f*) *Ib. ep. 124. 128.*
(*g*) *To. 2. ep. 140. ext. etiam in formul. Mar. Ebul. p. 48.*

Ad submovendos dignitate, quam fœderant præsules laborantem vidimus: æquum est ut in asserenda proborum dignitate, curas defigentem intueamur. Divexabat episcopum Zagabriensem electum Bela Ungariæ Rex, nec suæ ecclesiæ possessionem inire patiebatur, objecta natalium obscuritate: cui gravissimis sententiis demonstravit, (*g*) servilis conditionis labem episcopalem dignitatem non inficere, sed ab ea penitus aboleri: atque inanem de generis nobilitate superbientium fastum ita repressit.

*Regi Ungariæ illustri.*

*Rerum providus omnium ordinator, omnes homines lege propagando communi, ex similibus nasci seminibus; eodem cœlo contegi, similique gaudere spiraculo voluit; nu-*



Ob natalium obscuritatem non spernendum quemquam significat Regi Ungar.

*nudos in mundum ingredi, & nudos egredi pari ratione decrevit: non a servo distinguens liberum, non ab egeno divitem, non a Rege plebejum in omnibus supradictis: sed in terra multiplicatis hominibus, & eorum nonnullis voluntatis indomitæ motus agiles & effrænes libertati propriæ relinquentibus, aliis autem saniore consilio rationis imperio suas subdentibus voluntates, istos illis merito præfici sola persuasit honestas, & necessitas causæ publicæ contulit anteferri: ut qui suis perfectius dominabantur animis, expugnatoribus urbium meliores, exercerent in alios principatum; & repressis improborum excessibus, societatis humanæ fœdera sub jucundæ tranquillitatis præsidio* *. *Non abnuimus, fili charissime, quin alicubi, Domino permittente, potestatis usurpata præsumptio thronum aliquibus dederit principalem: sed illa quam præmisimus recta fuit occasio, immo causa rectissima, quos natura pares produxerat, sublimitatis fastigio & subjectionis obsequio discernendi: quæ diversitas statuum nihil habuit adversum, si subjectus se meritis imparem, & prælatus naturæ se confitetur & agnoscit æqualem. Sic igitur successivis temporibus propagata prælatio, splendore morum a patribus acquisita, populorum populari assensu, quem annosa consuetudo firmavit, in posteros derivata, nobilitati laudabilem, & ab omnibus honorandam dedit originem; & eo prædotavit effectu, ut ex nobilibus nascantur nobiles: & quod natura nescierat, usus hominum humano generi non mediocriter utile superaddit. Quæ res divinæ gratiæ non præscribit, quin parvis & magnis, servis & liberis, pro suæ beneplacito voluntatis illabens, nunc hos, nunc illos erigat, vel deiiciat, juxta sui dispositionem arbitrii, qui non fallitur: licet ejus arcana ratio nequeat ab hominibus comprehendi.* Et infra:

* tuerentur.

XXXIX. Servilem conditionem non inficere episcopalem dignitatem, sed ab ea aboleri,

*Frustra certas de conditione personæ, cui suam Dominus infundere potest gratiam, & infundit cum sibi placuerit, quia non est personarum acceptor: sed nec ei possent obesse originalis servitus, etsi de ipsa constaret, quam dignitas episcopalis absorbuit & elisit. Nec injuriam lateri tuo faciet pauper assidens a dextris vel sinistris si non assidentis originem, sed sacerdotii dignitatem attenderis: si reminisci volueris summi Regis, qui commensales & socios, operisque sui vicarios; & quod est amplius, coheredes in regno habere voluit pauperes piscatores. Demum si ad tui culminis gloriam tuæ providentiæ direxeris aciem, quis quæsumus honor est tibi excellentiæ tantæ, Regem adversus pauperem dimicare, stipulam siccam persequi, & contra virum simplicem, potentiam tuam ostendere? Leones scimus contra vermiculos non armari, aquilas ad passeres non volare. Et tu vir atque princeps magnificus, tanta sudabis instantia ad unius dejectionem episcopi tui? Quod obiicis, dato per omnia, quod sit verum, imputare non potes, cum seipsum non fecerit, sed a Domino factus fuerit: nec parentes eligere sibi nobiles potuit, nec peccavit, si illos habuit, quos Dominus ei dedit.* Et infra: *Scire te volumus, quod illius inhærentes vestigiis, quantum scimus & possumus;* * *defendens christos suos non reliquit eis nocere hominem, immo corripuit Reges pro eisdem; omittere non poterimus, quin causam pauperis, qui relictus est Domino prosequamur, &c. Datum Perusii* XII. *kalend. februarii ann.* I. Ita repulit Pontifex Ungarum ab æquitate abhorrentia postulantem: cujus tamen desideriis aliis justissimis morem gessit. Initæ enim ipsum inter ac filium, cum quo dissensisse vidimus, pacis leges confirmavit, tam ad Belam (*a*), quam ad Stephanum (*b*) filium datis literis. Tum donationi a Rege uxori factæ apostolicam auctoritatem adjecit (*c*). De Ungaricis rebus satis: ad Polonicas transeamus.

* qui

Pacis inter Belam & Stephanum initæ leges corroboratæ.

(*a*) *Lib. 2. ep. 89.*
(*b*) *Reg. post eund. ep.*
(*c*) *Ib. ep. 90.*

XL.

Florentissima de Ruthenis parta victoria, triumphavit hoc anno Polonia (*d*) duce Palatino Cracoviensi, qui adversus formidandum hostem Tartarorum auxiliis fretum, progressus; veritusque ne cæterorum odia in se verteret, si adverso prælio uteretur; nil sine consilio aggressus est toto gerendi belli tempore. Ductabat Svarno Ruthenos, numerosissimo exercitu succinctus: adeo ut e quatuor partibus, tribus Polonos numero superaret. At Poloni, qui Russiam erant ingressi, ut hostiles in suas terras toties editas excursiones ulciscerentur, fulti divino auxilio contra hostem vel schismaticum, vel paganum, diem SS. Gervasii & Protasii suæ genti ob superioribus annis eodem die Romanum cum suis Russis deletum, felicem elegere. Eductæ in campum acies ingentibus animis concurrere, virtusque Polonorum hostium numero superior extitit: perrupti Russorum globi, audaciores cæsi, alii in fugam præcipites effusi, alii in servitutem abducti: direpta castra, opibusque maximis spoliisque onusti Poloni in patriam reverterunt. Attriti adeo ea victoria Russi, ut longo post tempore nullas, ut consueverant, in Poloniam irruptiones fecerint. Cujus gloria cœlesti numini, omnium judicio, ascripta; quod Longinus his verbis attestatur (*e*): *Omnium autem hominum judicio triumphus iste tunc de Ruthenis relatus non humanis viribus, cum hostes plus quam in quadruplo excedentes habuerint; sed sola propitiatione divina, & suffragiis Ecclesiæ pro gente Polonica sedulius & impensius tunc sacrificiis, precibus lacrymis & obsecrationibus interpellantis; ma-*

(*d*) *Long. hist. Pol. l. 7. hoc an. Crom. de reb. Pol. l. 9.*

Svarno Ruthenorum dux Polonos invadit.

Ab iis cæsus.

Adscripta numini victoria.

(*e*) *Longin. ubi supr.*

*maxime tamen meritis B. Kingæ Boleslai ducis; consortis creditus est provenisse: cui oranti, & incolumitatem victoriamque Polonorum genti de cœlo dari interpellanti, duo viri in albis vestimentis astiterunt. Quorum oraculo de futura victoria, Polonis propter suas intercessiones conferenda, certior facta est: & hi sancti Gervasius & Protasius a nonnullis æstimati.* Recentem victoriam altera cumulavere: Russiam enim iterum glomerati diripuere, Russosque occurrere ausos profligavere.

Alia recenti cumulata.

Lituani fideles profligant. Danielis Regis Russiæ mors.

Confecta novo luctu Russia, sublato e vivis Daniele Rege, qui Romanum, & Leonem principatus successores reliquit. Defecerat is ab Romana ecclesia, a qua regium nomen fuerat eblanditus: illumque apostasiæ suæ Alexandrum acerrimis literis arguisse vidimus (*a*): quas ex Cracoviensis ecclesiæ tabulario erutas Longinus (*b*) in hunc annum conjecit. Fregerant Poloni Russorum audaciam: sed Lituani, Ruthenique elatos ob præteritam victoriam ipsorum animos compressere; contracto enim exercitu, se Masoviæ infuderunt, eamque partem, quæ integra manserat, fœdissime vastaverunt: ac præferoces eo successu barbari, Crucigeros equites adorti, magna strage eos fudere. [1]

Asperæ Christianorum res in Syria.

(*a*) *An.* 1257.

(*b*) *Longin. ubi sup.*

XLI. Cum alternis hisce lætis, ac tristibus successibus in septentrionalibus provinciis Christianorum res fluctuarent, efflorescerent in Italia, in Hispania confirmarentur; eæ in Terra sancta maximum discrimen adierunt. Describit Sanutus (*c*) Bendocdaris Sultani varias excursiones, ac secundos in expugnando Sapheto successus; barbaramque in trucidandis iis, qui fidem ejurare detrectabant, crudelitatem: *Bendocdar MCCLXVI. primo junii venit ante Ptolemaidam, ibique octo diebus immoratus est. Ibi nihil agens ad castrum Montisfortis nona die accessit: & ibi nihil agens ad castrum Saphet se contulit, obtinuitque XXIV. die mensis; & contra deditionis pacta præter castellanum cunctos occidit: obtento enim castro post solis occasum misit admiratum, suadens ut Saracenorum legem suscipiant: alioqui gladio cuncti perirent. At universi duorum fratrum Minorum, qui aderant, monitis tota nocte confortati, martyrium potius elegerunt, quam Christi negare fidem; fluebatque sanguis per montis declivum quasi aquæ rivulus: fuerunt autem ultra sexcentos. Post hos vero fratrem Jacobum de Podio & fratrem Jeremiam, quia cæteros in fide firmaverant, & priorem Templariorum excoriari fecerunt, deinde fustigari, postremo ad locum cæterorum deducti capite cæsi sunt. Fecit autem Soldanus locum maceria circumdari, quia noctibus super corpora splendebat lux, etiam cernentibus Sarracenis. Interim vero quinta die ejusdem mensis unus admiraldus discurrit civitates, & districtus Tyri & Tripolis & Tortosæ.*

(*c*) *San. l.* 3. *p.*12. *c* 8

Ptolemais tentata a Saracen.

Saphet ab iis expugnatum.

Christiani martyrio affecti.

XLII. Expugnatam arcem, cui Saphet nomen inditum, consentit Siffridus (*d*): & equites S. Mariæ Theutonicorum, aliosque Christianos ad duo millia & amplius; exceptis octo infelicissimis, qui ad Mahometum descivere; ob professam Christi fidem martyrii palmam collegisse. Deplorat ejus arcis excidium Clemens in literis ad Richardum (*e*) S. Angeli in Sicilia, Ottobonum (*f*) S. Adriani in Anglia legatos Cardinales diac. quarum postremarum hæc sententia est: *Ecce, fili, Dominus omnium, qui non multos ante jam dies Azotum & Cæsaream a Saracenis diripi justo suo judicio, licet nobis occulto, permiserat; consequenter Sapheti castrum in manus tradi voluit eorundem, dicemus voluit, an permisit? casum novimus, sed cœlestis abyssum judicii penetrare non possumus: & idcirco, quod nescimus metuimus; & id plangimus, quod videmus. Ecce nobile domus hospitalis Hierosolymitani collegium annus præteritus centenario fratrum numoro mutilatum hostiliter deformaverat. Ecce sequens domus templi tam celebrem tam famosam militiam, datam in manus gladii, quasi prorsus redegit ad nihilum, personarum substitutione nobilium necessario reparandam: ut de equis & armis & castrorum instructoribus perditis taceamus, quæ inæstimabilis fere pretii subtracta fidelibus & fidei tam crudelibus adjecta hostibus, &c. Dat. Viterbii* VIII. *kalend. nov. anno* II. Addit imperia, ut in Anglia sacram in Sultanum militiam promulget, ac si civilis discordia id non patitur, in Arelatensi, Viennensi, & Narbonensi provinciis crucis symbolo fideles insigniat.

(*d*) *Siffrid. ep.* 11. *l. hoc an.*

(*e*) *To.*2. *ep.*270.

(*f*) *Ibid. ep.*271.

Deplorat Pontifex acceptam cladem.

Jubet Ottobonum cruciatam militiam conscribere.

XLIII. Comparandis vero adversus crudelissimum hostem auxiliis intentus Pontifex Richardum S. Angeli diaconum Cardinalem agitare cum Carolo jussit, (*a*) ut e Sicilia in Syriam expeditionem ornaret: *Habito fratrum consilio, destinavimus & in Angliam, & in Franciam, & Germaniam, & alias nationes nuncios cum literis excitatoriis mittere pro ejusdem Terræ subsidio, discretioni tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus cum charissimo in Christo filio nostro Carolo illustri Rege Siciliæ super iis conferas, & prudenter indages quid sibi videretur agendum; quid & ipse posset, & vellet facere, qui vicinior est negotio & præ cæteris mundi principibus posset ei celerius subvenire: & tam tuum, quam suum consilium & propositi promptitudinem nobis rescribere non postponas. Dat. Viterbii* XIV. *kal. novemb. an.* II. Paratum se ad ferendam Syriæ laboranti opem exhibuisse Carolum ex aliis Clementis literis colligitur, quibus S. Regi Francorum, qui tuendæ Syriæ, ac religionis zelo, sacro tum in Saracenos bello vitam devovit, (*b*) significat a Carolo triginta triremes egregie instructas ad maritimam Syriæ oram defendendam submissum iri; rogatque ut duo millia ballistariorum Ptolemaidem mittat: *Ad sustentationem Terræ sanctæ in passagio mensis martii cum legati subsidio elaborer, ita videlicet, quod ballistarii pedites usque ad duo millia ad civitatem transeant Acconensem, & nos una cum dicto Rege Siciliæ, dante Domino, procurabimus, quod* XXX. *galeæ transeant dictam civitatem, & adjacentem maritimam contra Soldani potentiam defensuræ, &c.*

(*a*) *Eod. ep.* 270.

Injungit Richardo Card. ut Carolum Regem Sicil. in Syriæ auxilium concitet.

Missi ad Christiana regna legati pro conflandis viribus.

(*b*) *Ib. ep.* 264. 265.

Triginta triremes auxiliares instruit Clemens.

XLIV. Data sunt ea de causa legato apostolico, qui agebat in Galliis, imperia, (*c*) uti ad expeditionem maturandam incumberet: atque Alfonsus Pictaviæ & Tolosæ comes cruciatæ militiæ voto se exolvere jussus, (*d*) Venetique ad classem parandam incitati. (*e*) Alii etiam legati in Anglia, Germania, aliisque regnis ad contrahendas crucesignatas copias vehementius solicitati (*f*). E quibus iterum Ottobonus sancti Adriani diaconus Card. in Anglia legatus his literis zelo accensus (*g*): *Crucifixi negotium in verbo crucis intra fines tuæ legationis omnibus proponendum tuæ solicitudini dudum commisimus, quod si forsam credidisti intermittendum ad tempus, ecce Dominus clamore vicarii non contentus clamat ipse clamore valido: clamat tamquam tuba terribili, clamat verbis, clamat verberibus, &c.* Et infra: *Clamat ipsa crux Christi, clamat sanguis Crucifixi, clamat ipse qui denuo crucifigitur: & cum paucos inveniat, inculcatis clamoribus, auditores, credimus non immerito formidandum, ne & ipse clamantes non audiat, spernentes, se spernat, & novissime nesciat nescientes, &c.* Et infra: *Cæterum ad pacem Angliæ reformandam, ad quam fideliter laborasti, te necessitas ista provocet, Regem suos excitet, moneat adversarios, omnes pulset, & suarum injuriarum immemores Redemptoris injurias persequantur. Dat. Viterbii* VIII. *kal. novembris anno* II.

(*c*) *Ib. ep.* 244.

(*d*) *Ep.* 245.

(*e*) *Ib. ep.* 270.

(*f*) *Ib. ep.* 287.

(*g*) *Ib. ep.* 271.

Urgentissima adhortatio ad crucem induendam.

XLV. Interea Clemens Syros ad colligendos pro retundendo hoste animos admonuit, brevi auxilia ipsis affutura: explicita esse in occidente crucis signa, Gallosque sublato jam Manfredo, in Terram sanctam transituros: plures etiam Germanos proceres, Lucemburgi & Juliaci comites episcopum Leodiensem aliosque nobilitate præcipuos appulsuros (*b*): *Succensa velut ignis impietas persecutoris Ecclesiæ crudelissimi Soldani Babyloniæ, prout nobis epistolæ vestræ series patefacit;* Et infra: *Ecce, regni Siciliæ tam præclaro negotio terminato: excreverunt Francorum animi, ad Terræ sanctæ subsidium animati: parant se ad procinctum itineris insessanter. Ecce de Germaniæ partibus Lucemburgi & Juliaci comites, Leodiensis episcopus, & barones quamplures crucis signum vivificæ suis humeris impresserunt. Ecce crux prædicatur in Anglia, & speratur magnum subsidium ex eadem. Quid igitur facient cum rumores audierint tam infaustos? quos utique significavimus eisdem, ut tempora sibi præstituta præveniant, ad dilecti filii nostri Simonis tit. S. Cæciliæ presbyteri Cardinalis A. S. L. monita & mandata mare transeant tempestivum, & periculis obvient imminentibus; ne neglecta, quod absit, incendia vires sumant. Profecto credimus homines tanti sanguinis tantique zeli, quos parentum exempla provocant, quos purgat assidua prædicatio, quos*

(*b*) *Ib. ep.* 238.

Christiani e pluribus regnis arma Christo consecrant.

NOTÆ [1] Concilia hoc anno gemina celebrata sunt quorum alterum Bremæ habuit Guido Cardinalis, quem anno isto legatum in Daniam venisse scripsi in nota ad annum 1265. LII. Concilii hujus Canones sub titulo statutorum Provincialium editorum a Guidone S. R. E. Cardinali in Concilio Bremensi vulgavit non ante multos annos Cl. Lunig in Spicileg. Eccles. ex quo illos accepit Venetus editor Conciliorum Labbeanorum, exhibuitque in tomo XIV. col. 354. Signantur mense novembri anni MCCLXVI. Forte Concilium istud in provincia Daniæ proxima habuit Legatus, tum ut Ecclesiasticorum legationis suæ mores reformaret, cum eo ferme omnes canones colliment; tum ut anathema in Regem & Reginam Daniæ solemni ritu pronunciaret; qua de re in Nota superius indicata. De hoc Concilio vide Notas ad an. 1267. 40. Alterum Concilium, cujus nondum Collectores meminere, suppeditat Collectio Martenii to. VII. col. 172. Habitum fuit Tarraconæ die XII. kal. Nov. anni hujus 1266. præsidente Benedicto archiepiscopo Tarraconensi, cum VIII. Episcopis suffraganeis. In eo vero præter geminos canones contra eos qui in Clericos violentas manus injecissent, innovantur constitutiones latæ a Joanne Sabinensi Episcopo dum legatione Hispanica fungebatur. Agebat autem ille Legatus anno 1229. Pauci illi, qui de hoc Concilio leguntur Canones, inserti sunt in Collectione Canonum probata a Concilio Tarraconensi anni 1329. in quo tamen subiiciuntur, & continuantur canonibus Concilii Tarraconensis anni 1253. unde intelligimus non omnes illos canones, qui canonibus Concilii alicujus in ea collectione expressi attexuntur, ad idem Concilium spectare.

Denique Guido, quem superius dixi Concilium hoc ipso anno Bremæ celebrasse, alteram pariter Synodum coegit Magdeburgi, in qua constitutiones edidit in laicos, qui Ecclesiasticos carceribus tradere auderent. Concilium istud, quod suo loco inserere Collectores neglexerunt; ex eodem Lunigii Spicilegio datur in editione Veneto-Labbeana to. XIV. col. 1005. MANSI

*quos pellit ipsa necessitas; sic sublatis moræ dispendiis animandos, ut ad ejus redimendas injurias properent, cujus sanguine sunt redempti. Quocirca sinceritatem vestram hortandam duximus, & attente monendam, quatenus recogitantes eum, qui pro nobis tot & tanta sustinuit, non fatigemini deficientibus animis: sed, de cœlo pariter, & de terra præstolantes auxilium, stetis viriliter contra hostes, sperantes firmiter & absque dubietate tenentes, quod exurget a somno desidiæ populus cismarinus, qui & vobis feliciter aggregatus, non solum quæsita tuebitur, sed reddere poterit, quæ dudum amissa fuerunt, cultui Christiano. Dat. Viterbii* II. *id. augusti anno* II. Intendisse adeo curas ad paranda auxilia aliis literis fecit certiores, ut in ea cogitatione defixus noctes insomnes duceret. Ita enim patriarchæ Hierosolymitano lugubres querelas fundenti, Pontificisque fidem & auxilium imploranti flebilibus literis rescripsit (*a*): *Nec aures surdæ, nec pectus saxeum, nec viscera nobis sunt ferrea, ut vel vestris clamosis clamoribus audientiam negaremus, aut auditis doloribus compassionis affectum. Conscientia teste scribimus, quod catholicos ubique principes excitavimus, & adhuc jugiter excitamus, ut effusi sanguinis in suæ redemptionis pretium non immemores Terræ sanctæ succurrant.* Et infra: *Toto studio laboramus in hoc, noctes insomnes ducimus & ducemus, ut maturum commodum habeatis auxilium. Idcirco vestræ manus dissolutæ non deficiant, nec genua dissolvantur, &c. Dat. Viterbii* II. *kal. octob. anno* II.

(a) Eod. to. 2. ep. 255.

Clementis intensæ curæ pro re Christiana instauranda.

XLVI. Dum longinqua parantur auxilia, Nivernensis & Joannis Ybelini Joppensis comitum morte, tum Hugonis e Lisiniano clade Syriacæ res depressæ sunt, ut refert Sanutus (*b*): *Eo mense*, nimirum augusti, *comes de Nevers Ptolemaide mortuus est, non sine Christianorum jactura & maxime pauperum. Tunc etiam Hugo de Lisignano cum tribus mansionibus & aliis militibus Gallicis & aliis equitibus ac peditibus versus Tyberiadem processit. Tunc clamor in terra personuit. Turci autem qui erant in Saphet, insidias posuerunt juxta planum Ptolemaidæ: accidit autem ut propter lucri cupiditatem prima custodia per tres leucas a cæteris abscessisset, propter quod Turci, in eos irruentes turpiter debellaverunt.*

(b) Sanut. l. 3. p. 12. c. 8.

Turci nostros profligant.

Nec Syria modo, verum Armeniæ evastata a Sarracenis, atque e duobus Aytoni Regis filiis, alter in acie cæsus, alter vinculis mancipatus: quem tristem casum laudatus Sanutus paucis complectitur (*c*): *Et* XXII. *augusti similiter unus fortis admiraldus percurrens terram Armeniæ cepit unum de filiis Regis, alterumque occidit cum populo multo; & hujus novitatis causa fuit via Regis ad Tartaros.* Armeniæ excidium, a Bendocdare illatum, paulo fusius Aytonus Regis ejusdem nominis consanguineus subjectis verbis scribit (*d*): *Benedecdare Soldanus Ægypti ita extitit fortunatus, quod postea regnum Armeniæ conquassavit. Nam accidit, quod Rex Armeniæ cum magna gente iverat ad Tartaros, & Soldanus hoc sciens cogitavit invadere regnum Armeniæ, unde misit quemdam capitaneum suum loco sui, cui tradidit gentem suam. Filii autem Regis Armeniæ, scientes Saracenorum adventum, congregatis omnibus, qui poterant arma ferre in confinibus, viriliter pugnam inierunt: finaliter tamen fuit Armeniorum exercitus debellatus, ex duobus filiis Regis alter fuit captus, alius vero occisus in bello.* Extant de his consolatoriæ Pontificis ad Aytonum literæ, (*e*) quibus ad constantiam erigit: *Saracenti itaque per regnum Armeniæ discurrentes, ferro totam planitiem devastarunt, & bona infinita inde asportarunt in Christianorum maximum detrimentum. Exinde vero inimicorum potentia multum crevit, & Regis Armeniæ posse fuit mirabiliter diminutum.* At de his iterum nobis inferius agendum erit, cum diffuso tristi nuncio de submittendis Armeniæ auxiliis, & vindicanda illius clade postea agitatum est.

XLVII. Armenia evastata a Bendocdare.

(c) Id. ib.

Aytoni Regis filii deleti.

(d) Ayton. hist. orien. c. 33.

(e) In form. Marin. Ebuli MS. archiv. Vatic. pag. 54.

Percur-



I. PErcurrit Italiam ingenti fragore, Siciliamque concussit anno redempti orbis millesimo ducentesimo, indictione decima, ingens belli turbo, a Conradino Friderici nepote ex Conrado filio conflatus in Germania, & clanculum a proditoribus in Sicilia, Tuscia, atque Insubria auctus. Discissa enim adhuc ob contraria studia Germania, præferox adolescens, cum decimum sextum ætatis annum tantummodo attigisset, Siciliam, quam hereditario jure debitam sibi contendebat, invadere meditatus, Italos suorum opera ac Siculos solicitare ad defectionem cœpit, nobilitate præcipuos onerare promissis suosque instituere vicarios, ut honoribus delatis eos sibi facilius devinceret: de quo Clemens in literis ad Florentinos datis (*a*) ita conqueritur. [1]

Conradinus in Siciliam expeditionem meditatur.

Plures ad defectionem in Italia pellicit.

(a) Reg. 2. ep. 314.

*Clemens, &c.*

*De radice colubri venenosi egressus regulus suis jam inficit flatibus partes Tusciæ viperarum genimina, viros utique pestilentes, & tam vestros, quam vacantis Imperii; nec non & charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Siciliæ inclyti proditores, suo concordes proposito, suæ voluntati conformes; ad diversas destinat civitates: ad viros nobiles, ad villas & castra transmittit; & per exquisita mendacia fimbrias suas magnificans, quosdam precibus, quosdam pretio a via nititur incessanter avertere veritatis. Hic est, quem tangimus, quem notamus, adolescens improvidus Conradinus Friderici nepos quondam principis Romanorum, tam a Deo quam ab ejus vicario justo judicio reprobati: cujus organa sunt grandiloqua viri reprobi Guido Novellus, Conradus Trincia, & Conradus de Capocia cum multis aliis, qui nefandum idolum in Tuscia moliuntur erigere: nec cessant, ut dicitur, clam & palam stipendiare Theutonicos, inire fœdera, conjurationes, & pacta cum illis, qui pari scelere sunt polluti: quorum aliquis se vicarium ejus dicit, & in eam prolabuntur insaniam, ut & eum publice Regem nominent, & eundem ad id induxerunt, quod sigillo jam utens regio, Regis Siciliæ sibi nomen usurpat, &c. Dat. Viterbii* IV. *id. april. anno* III.

Conflatæ in Carolum conjurationes.

Ingressum Italiam Conradinum [2] florentissimo succinctum equitatu, ac duce Bavariæ & comite Tirolensi stipatum, con-

III. Conradini progressus in Italia.



NOTÆ [1] HOc anno Concilia per Europam plura convenisse ex collectione Labbeana discimus Crastina Decollationis S. Joannis Baptistæ Rotomagensis provinciæ patres coiverunt ad Pontem Audomari, ut de vita, & honestate Clericorum agerent. In Germania Guido S. R. E. Card. Legatus Concilium habuit Viennæ in Austria die VI. Idus maii, & canones XIX. de vita, & honestate clericorum ac de consuetudine fidelium cum Judæis edidit. In eadem pariter Labbeana Collectione anno huic assignatur Concilium Vratislaviæ in Polonia ab eodem Guidone legatione Clementis IV. Pontificis mandato fungente habitum. Sed mea quidem opinione concilium istud ad sequentem annum transferendum ex Mathia Michoviensi lib. III. cap. LVII. unde hujus Synodi notitia est habita, perspicue demonstratur. Narrat enim ille Guidonem *IV. Kal. Julii primum Cracoviam* pervenisse anno 1267. Dehinc subdit *Vratislaviam divertens* in festo Purificationis Mariæ (anni nempe sequentis 1268.) *generalem Synodum tenuit, ubi multa de subsidio Terræ Sanctæ sancita sunt.* Nec sane ad annum alterum quam 1268. pertinere Synodum hanc plane intelliget, qui animadvertit, legationem hanc Polonicam non prius suscepisse Guidonem quam confecta jam priori, quæ ad Daniam, Succiam, ac nonnullas Germaniæ provincias expressas in literis Clementis in Annalibus ad A. 1265. LI. recitatis porrigebatur. Hoc vero anno 1267. februario mense quo mense, Concilium Vratislaviæ celebratum fuit, nondum prioris legationis munus expiraverat, ut probat Concilium Viennense an. 1267. die VI. maii, ab eodem Guidone adhuc per Germaniam legato coactum.

Hoc pariter anno 1267. Arelatensis Provinciæ Patres Sedenæ cum Enrico Ebreduensi archiepiscopo considentes, die VII. Kal. novembris, teste Petro Gassendo in Notit. Eccl. Diniensis cap. 24. Canonibus XII. vitæ & honestati Clericorum providerunt. Hos Canones quos Gassendus e suo Codice dare neglexit, vulgavit demum P. Martene Anecdot. tom. IV. e M. S. Cod. Diniensi exceptos. Verum de die & mense habiti Concilii inter Martenii, & Gassendi codices non constat; nam Gassendus celebratum notat die VII. Kal. Novembris; codex vero Martenii habet *Kalendis Novembris*. Sed forte hæc conciliari possent ex more apud veteres quandoque obtinente, ut quæ res ad diem aliquam Kalendarum alicujus mensis pertinent, hanc Kalendis ejusdem mensis, Kalendarum die non adnotata, assignent. Nisi forte dixerimus Concilium die VII. Kal. novembris cœptum ad diem usque Kalendarum novembris perseveraſſe, quandemum die Canones obsignati fuerint. Denique adnotare non piget innovari in eodem Concilio canones nonnullos, in concilio Valentino anno 1248. ab Apostolicis Legatis Petro Albanensi, & Hugone S. Sabinæ presbytero Cardinali sancitos. MANSI

[2] NEscio quis fucus factus sit Raynaldo, qui expeditionis Conradini hoc anno susceptæ tempus adeo pervertit. Igitur universæ rei seriem hanc chronologico ordine digestam accipe. Conradinus a Siculis accitus Germania anno isto declinante movit; nam Clemens IV. Pontifex in literis hoc anno datis die VII. Kal. novembris legendis in Anecdotis Martenii to. II. col. 535. & 536. testatur Conradinum ad eos usque dies Tridenti agere. Tum Veronam

sentiunt auctores (*a*): iis vero abscedentibus in Germaniam, traducto Veronæ trimestri, magna rerum angustia pressum, dissipato nimirum fere exercitu, Papiam contendisse non sine magno discrimine; cum a Mediolanensibus deleri facile posset: de quibus ad Ravennatem archiepiscopum legatum apostolicum, qui in Insubriam erat missus, extant literæ. (*b*) Hujus porro progressus ita Pontifex in literis Othocaro Regi Bohemiæ missis insinuat (*c*). *Ecce, fili charissime, pandere tibi cogimur conatus fatuos adolescentis stolidi Conradini, qui vocatus a perfidis in Italiam, proficiscens primo venit Veronam, inde contulit se Papiam, nitens subvertere, prout fertur, opus nobile, quod in diebus nostris voluit Dominus operari, charissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Siciliæ illustrem mirabiliter promovens & sublimans. Sane tua non credat sublimitas, quod eundem prævalere posse credamus: sed hæc tibi scribenda duximus, ut ejus scias stultitiam & suorum insaniam vicinorum ducum Bavariæ, qui cum puero pueriliter sentientes, ductum eum ad Ligures potiusve seductum in hoc periculo dimiserunt, quodam sibi custode dimisso, qui ducem Austriæ se appellat.* Is erat Fridericus, quem in epistola ad Rodulphum episc. Albanensem ducis Austriæ titulos usurpasse ait, additque (*d*): *Licet nec passum pedis teneat in ducatu, quem in solidum possidet filius noster charissimus Bohemiæ Rex illustris.* Pergit Clemens in literis ad Othocarum: *Cæterum quia de tua bonitate confidimus, sinceritatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus hoc quod parat infidelium machinatio contra matrem suam sanctam Romanam ecclesiam, tibi displiceant, &c. Dat. Viterbii III. kal. martii anno III.*

(*a*) *Monach. Pad. chron. lib.* 3. *Ricordan. hist. Flor. c.*190. *Jo. Villan. l.* 7. *c.*23. *Jord. MS. vat. bibl. Ptol. Luc. hist. eccl. l.*22. *c.*34.
(*b*) *To.*2. *ep.*186.
(*c*) *Ib. ep.* 448.
(*d*) *Ib. ep.* 450.

Solicitatur Rex Bohemiæ ne cum illius avunculis fœdus ineat.

IV. Iniit (*e*) postea Othocarus pacem cum ducibus Bavariæ: quæ res magnum terrorem attulit, ne Conradini, uti evenit, partes in dies confirmarentur. Usurpanti vero regios Siciliæ titulos Clemens diem dixit, (*f*) ut æquitate, non armis jus suum disceptaret: atque Viterbii in ecclesia cathedrali XVIII. kal. maii in eum sententiam, adstante circumfusa populi multitudine, promulgavit; ac postea festo basilicæ SS. Apostolorum Petri & Pauli die, iterumque VI. (*g*) kal. decembris jussa pontificia spernentem anathemate perculit, (*h*) cœptisque jussit absistere, incussis gravioribus minis, regno Hierosolymitano exutum iri, atque omnes ejus subditos nuncupati ipsi sacramenti religione liberandos. Carolum vero, cujus dignitatem hostes Ecclesiæ evertere moliebantur, saluberrimis præceptis instruxit, (*i*) ut regnum optime administraret, populosque arctissime sibi devinctos in officio contineret.

(*e*) *Ib. ep.* 390.
(*f*) *Lib.*3. *ep. cur.*17.

Fert Pontif. in Conradin. sententiam. Percellit anathemate. Regno Hierosolym. aliaque ditione exuere minatur.

(*g*) *To.*2. *ep.*403.
(*h*) *Ib. ep.* 18.
(*i*) *Regest. Clem. IV. MS. arch. Vat. sign. n.*32. *pag.* 53.

Præcepta a Clemente Carol. data.

*Clemens Episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri.*

*Urget nos Christi charitas, urget nos illa affectio, quam ad tui gerimus conservationem honoris, aliqua tibi scribere, quæ & vocis vivæ suffragio memoriæ tuæ recommendavimus: quibus lectis & plenius intellectis, & quieti regni tui provideas, & periculis imminentibus eo citius, quo prudentius via gradiens æquitatis, occurras. Sane tibi summopere credimus expedire, ut mortalis philosophi sequens consilium tribus temporibus te dispenses, præterita quidem recolens, præsentia ordinans, futura præcavens, sicut vir providus & in omnibus circumspectus. Si præterita recolis, semper eris ante Dominum humilior, & ferventius afficieris ad regnum tot sudoribus, tanto discrimine, non humano consilio, sed divina virtute quæsitum. Si hæc semper mente pertractas, Romanæ ecclesiæ matri tuæ semper eris devotior, qui te fidei pugilem eligens honoravit sublimius, & honorabilius sublimavit. Ad ordinationem vero præsentium pertinet principaliter, quod te primum, ac deinceps ordines domum tuam & regnum: & te quidem, ut Deum diligas, & ejus honorifices sacerdotes, tuo jure contentus, nec cupias nec retineas aliena; teque tuis adibilem præbeas, quoties opus fuerit, tutela tui corporis loci ac temporis opportunitate servatis. Domum autem sic ordina, ut habeas bona latera viros sapientes, providos, & fideles te ex animo diligentes, nec sibi invicem invidentes; sed nec tantæ necessitudinis vinculo colligatos, ut plures*

Qua prudentia pro temporum ratione se gerere debeat.

Aulam regiam componere.

NOTÆ ronam transiit, ubi post trimestrem moram, teste Monacho Patavino, cœptum iter prosecutus fuit. Hinc patet Regem illum usque ad anni sequentis exordium Veronæ egisse; adeoque reliquum ejus iter, quod hoc anno expedit Raynaldus, ad annum sequentem transferendum. Sicut & constat literas illas Clementis, quas hoc anno num. 3. recitat Annalista, & in quibus adventus Conradi Ticinum post discessum ex Urbe Veronensi memoratur, ad annum sequentem pertinere. Hinc pariter disces sphalma aliud chronologicum Annalistæ, qui cum literas mox indicatas ad Othocarum Bohemiæ regem retulisset, suddit regem illum postmodum cum ducibus Bavariæ pacem conciliasse. Id enim præpostere ab Annalista narrari ex eo constat, quod literæ illæ sequenti anno, ut supra demonstravi, scriptæ sunt; pax vero inter principes illos anni præsentis octobri mense jam coaluerat, ut accepisse se ex ipsis regis Bohemiæ literis testatur Clemens in literis ad Episcopum Albanensem datis hoc anno die VII. Kalendas novembris. MANSI



*res personæ numero unicum repræsentent. Sint distincta singulorum officia. Sciat quisque quid sibi faciendum incumbat, & promiscuis actibus non turbetur. Sit in tua domo quis religiosus, humilis, affabilis, afflictis compatiens, cui specialiter committatur, ut ille, quos audire nequiveris vel nolueris, benigne respondeat, & ipsorum petitiones vel verbo tibi referat vel in scriptis assignet, ad quarum expeditionem celerem eo modo, quo fieri poterit congruentius, per te vel alios prævia ratione procedas. Sit tibi honesta familia & urbana, quæ venientes benigne suscipiat, & quos admittere pro temporis qualitate non poterit, sine contumelia cum honesta excusatione repellat. Legatos principum & civitatum pro honore tuo, quantum & eos decebit, honores & a tuis jubeas honorari, ut nomen tuum apud exteros & domesticos clarius & celebrius habeatur. Sigillo tuo certam legem impone, ut tollatur infamia de horrendis exactionibus eo nomine sæpe factis, quibus similes nullus audivit: quod scilicet sigillum quicumque tenuerit, a te discrete sub juramenti debito recipiat in mandatis, quod cito, prout poterit, satisfaciat litteras expectantibus, cum interdum ipsa dilatio solum quæstum sapere videatur. Sedeant in domo tua, cum tu ipse vacare non poteris, omni die juridico aliqui sapientes, qui ea prout poterunt expediri, iidem expediant, & ea quæ tractum habebunt tibi renuntient, ut vel forma expeditionis detur, vel ad suos judices remittantur. Conquerentes de te vel tuis officialibus patienter audias, citius quam alios illos expedias, nec convitiis afficias, aut comminationibus deterreri permittas. Si prælatos de tuo parlamento feceris, ad certa parlamenta veniant annuatim, quibus certa vadia constituas, cum nec ecclesias suas deserere dici debeant, nec in tuo servitio suis stipendiis militare. Nec omittimus, quod circa tuæ domus expensas vigilantior esse debes, aut aliquam personam maturam habeas & honestam, quæ videat & provideat, quod nec ex nimia pareitate tuo quidquam honori depereat, nec defectu debitæ providentiæ bona a garcionibus aut gulosis hominibus aut aliis personis turpibus consumantur. Nec te pudeat de receptis & expensis certis temporibus rationem audire, cum hoc & sit perutile, & ad hoc etiam omnium magnatum provoceris exemplis, & nihilominus rationabiles habeas non levis opinionis homines, sed exploratæ fidei & gravitatis exactæ.*

Præfectos sigilli ab iniquo continere.

De audiendis æquanimiter subditorum querelis.

De dati & expensi exigenda ratione.

*Ad ordinationem autem regni tui spectare videtur, quod justitiarios & judices bonos habeas, puras habentes manus (ad quod eos publice juramento astringas) qui sint sine personarum & nationum acceptione, jus reddant, ab omni munere, seu dono abstineant, exceptis esculentis & poculentis, quorum summa in mense auri unciam non excedat. Nec aliquatenus in eorum juramentis adiicias, quod sine tua licentia non recipiant: Est enim hæc conditio suspectissima & in bonorum auribus non bene sonans. Et habeant singuli certa salaria, quibus maneant omnino contenti. Ut autem libere fiat justitia, magistratus in suo officio non impedias, nec incœpta coram eis negotia ad audientiam tuam revoces ad instantiam aliquorum, nisi magna & evidens causa urgeat: sed lites suo cursu procedant, & gravati (si viderint expedire) appellent. Occasionales inquisitiones, quæ nihil aliud quam quæstum sapiunt, fieri non permittas, quarum exemplum ponimus in his, quas audivimus factas nuper in regno contra possessores equorum & pecorum, quibus imponitur equos illos & pecora fuisse Manfredi: quod cum probari nequeat, eis indicitur probandi necessitas ubi erant in die belli; & his similia dicta sunt nobis damnabilia pariter & damnosa, & nullatenus toleranda. Capi homines, qui satis dare poterunt, non permittas, nisi quantum in casibus specialibus id jura permittunt. Innocentem autem pro nocente capi, quantumcumque sit sanguine vel affinitate nocenti conjunctus, non toleres, nisi ad hoc pacto proprio fuerit obligatus. Cogi personas honestas ad recipiendum hospites omnino prohibeas, forsan nisi in loco ubi fueris, vel domus stabulariorum non sufficiunt genti tuæ: & tunc etiam illis deferas quibus debet honor propensior exhiberi, cum misericordia esse libera debeat.*

Continendis a muneribus judicum incorruptis manibus.

Non vexanda superva-caneis inquisitionibus plebe.

*Filius militum, qui nec sunt comites nec barones, nec castrorum fortium possessores & burgensium, & aliarum privatarum personarum, & a parentibus superstitibus libere nuptui tradere sinas, & parente vel parentibus sublatis de medio, nubant libere suo motu vel suorum consilio amicorum: sed & fide de filiabus comitum & baronum viventium sustinere debes, quod eas cum pecunia tradant nuptui quibus voluerint, qui tibi non debeant esse suspecti. Si vero cum terris eas maritare voluerint, decens est, ut tuus requiratur assensus quem negare non debes nisi personæ suspicio suadeat contrarium evidenter. Orfanæ autem filiæ comitum & baronum amicorum suorum consilio & tuo maritentur assensu; sic tamen quod hac occasione non cogas hominibus nubere, quibus eas non deceat copulari. Tutelas impuberum testamentariis legitimisve tutoribus contra jura non auferas, nec consuetudinem in hac parte tyrannorum observes, quam felices Reges Siciliæ nullo tempore tenuisse dicuntur: in qua duplex versatur iniquitas, dum tutores suo jure privantur; & impuberes, quibus ratio nulla redditur, bonorum*

De matrimoniis nobilium vi non urgendis.

De tutelis impuberum contra fas non corripiendis.

*vum suorum fructibus spoliantur. Collectas ab ecclesiis vel monasteriis vel domibus aliis religiosis aut a quibusvis personis ecclesiasticis sæcularibus aut regularibus, aut de bonis aut rebus earum nunquam exigas: an vero ab ecclesiarum hominibus seu vassallis, in quibus habent jurisdictionem ordinariam, & tu merum imperium, mediante justitia vel interveniente concordia determinetur.*

Infligenda iis pœna, qui magistratibus munera obtrudunt.

*Verum ut officiales tui & consiliarii a muneribus abstineant metu pœnæ, quos a malo non revocavit timor Domini; consulimus tibi, quod quicunque contra fecerit, cum infamia ab officio in quo erit, privetur, idem vel aliud in regno nullo tempore habiturus; dans vero munera tertia parte bonorum suorum mobilium denudetur, aut ad tempus aut in perpetuum relegetur. Et ut hæc celari non possint fiat frequens inquisitio per personas religiosas non amantes pecuniam contra ipsos, quia scandalum magnum est in regno tuo. De collectis, quas hoc anno levasti, consulimus tibi, quod vocatis baronibus & prælatis & personis egregiis civitatum & locorum celebrium, tractetur forma competens, ut sciatur in quibus casibus in tuis vel alienis hominibus collectas levare valeas: & speramus, quod tibi utilis & terræ portabilis poterit inveniri; ad quod peragendum legatus poterit esse fructuosus.* Extant aliæ Clementis ad eundem Regem literæ, quibus monuit, ne initas cum eo ab ecclesia pactiones infringeret, neve graviora a populis vectigalia abraderet: Viterbiumque accedere meditanti regii apparatus rationem ita præscripsit (*a*).

Temperanda vectigalium acerbitas.

Alia ad Carolum monita.

(*a*) Eodem reg. Clem. IV. pag. 45.

*Clemens &c. charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri.*

De jure ecclesiastico non labefactando.

*Quamvis plurimo te diligamus affectu, preces tuas exaudire non possumus in iis, quæ vergunt in ecclesiarum injuriam & ecclesiasticæ præjudicium libertatis: unde cum ab ecclesiarum hominibus exigere nil valeas omni conventione submota, nisi quod tibi jure scripto vel de consuetudine approbata deberi constaret, ab eisdem multo minus exigere debes indebitum conventionibus tam expressis arctatus. Quod si tuam intentionem aliquo jure vallari confidis, coram venerabili fratre nostro R. Albanensi Episcopo A. S. L. debes proponere familiariter & sine contentionis specie seu figura, interim ab exactione desistens, quia nec tuam justitiam minui, nec ecclesiarum jura permittet extingui. Quod si pravo ductus consilio viam Domino & æquitati contrariam ingredi tibi placet, te quidem charitate paterna debemus corripere, non ipsum ab executione justitiæ cohibere. Illud enim pro certo volumus te tenere, quod universis & singulis conventionum articulis, quas nobis cum valida sponsione firmasti, unum jota nullatenus mutaremus quod adeo apud nos & fratres nostros noveris esse fixum, ut non solum mutari non liceat, sed quod nec de mutandis eisdem vel ipsorum aliquo fratrum consilia sunt quærenda.* Nonnullisque interjectis subiicit.

Principum modestus mos, cum Pontifice conveniunt.

*Si cum magna veneris multitudine te & tuos recipi infra ejusdem urbis* (scilicet Viterbiensis) *ambitum non expedit: venire cum paucis decet ut & nos prius certifices de adventu. Quod si præcise duxeris eligndum cum tuorum, qui apud nos remanent, conscientia & consilio parari tibi locum, prout fieri poterit faciemus. Scire tamen te volumus, quod quando Romani principes convenire consueverunt cum Papa ex paucis tentoriis morabantur in castris: & si illis instructus veneris, convenientius poteris, quam intendis explere. Sit tecum Dominus in hoc consilio & in omnibus factis tuis, tuum enim honorem & nostrum, quantum decet & expedit, satis appendimus æqua lance.*

Colligendi in Sicilia auri subsidiarii ratio præscripta a Clemente.

*Demum super exactionibus, quas facis in regno, quæ multorum exasperant animos, excusationibus tuis inspectis, blandiri tibi nolumus, seu dicere malum bonum: sed te tuæ relinquimus conscientiæ. Et si forsitan aliqui tui nunci tibi dixerint, quod ab eis super ista materia tuo nomine requisiti non assensum expressum, sed quandam patientiam dederamus; scias eos a veritate recedere in hac parte: nunquam enim consensimus, nec præstitimus; sed tunc diximus quod & nunc scribimus, te videlicet, prælatis & baronibus & locorum communitatibus convocatis, tuæ necessitatis instantiam & utilitatem defensionis eorum debere patenter exponere, & de ipsorum ordinare consensu quale tibi a tuis impenderetur auxilium: quo contentus & aliis tuis juribus, eos in sua dimittere libertate. Si tibi vis esse liberum quantum volueris, quando, & quoties tibi placuerit exigere ab eisdem; scire potes hanc amarissimæ speciem servitutis tuorum in te animos provocare; & hæc eadem satis expressimus dilecto filio nostro R. S. Angeli diacono Cardinali, cum in regnum dirigeret iter suum. Dat. Viterbii* VIII. *id. februarii anno* II. Denique paucorum mensium flexu Carolum Clemens, novis auxit honorum titulis, ac pacis publicæ in Etruria servatorem, donec interregnum fuisset, creavit (*b*): tum publico edicto causas promulgavit, ob quas ad præficiendum Tusciæ Carolum adductus esset, ob veteres nimirum confirmatasque discordias, quibus ea provincia exagitabatur. Tum Guillelmum e Thuringo religiosum Dominicanæ familiæ virum auctoritate instruxit, (*c*) ut parere Carolo detrectantes censuris percelleret.

(*b*) Lib. 3. ep. cur. 5. & 8. & to. 2. ep. 314. Monach. Patavin. chr. l. 3. Villan. l. 7. c. 21. Ptol. Luc. hist. eccl. l. 22. c. 32. Jord. MS. vat. bibl. an. 1266.

(*c*) Ext. lit. ea de re in MS. Vallic. sig. lit. B. n. 12. pag. 387.

V.

Collatum potissimum Carolo paciarii munus a Clemente fuit in Romani Imperii



Paciarii nova dignitate decoratur Carolus.

rii provincia, ut Gibellinos, qui in eum conjurabant, edomaret: quare Guelphis, quorum præcipui Florentini erant, præcepit, ut ipsi operam explicarent: *Regem enim eundem*, nempe Carolum, *e vestigio suam militiam secuturum, in vestris partibus constituendum duximus usque ad nostrum beneplacitum paciarium generalem, ut dum vacat Imperium, cujus tuitio ad eum pertinet, tam vicina patrimonii nostri regio perversorum malitia nequeat lacerari: sed majores, mediocres, & minores suis juribus & sui status honore contenti, discant potius juste & pie vivere, quam aliorum spoliis impinguari. Cæterum nullus timeat quod se faciet partiarium, quem paciarium nominamus: communem etenim eum in omnibus volumus esse, qui viam tranquillam eliget & quietam, & eidem obediet, dum officio tali fungetur, &c. Dat. Viterbii* IV. *id. aprilis anno* III.

VI. Caroli Regis, suscepto Paciarii munere, literæ.

Confirmata iterum adulto jam anno ea paciarii auctoritas Carolo, cum ipse Viterbium ad Pontificem se contulisset; ac sacramento solemni pactus est, evoluto triennio Etruriæ administratione abiturum: & si nondum eo elapso dirempta esset Imperii controversia, novo Regi Romanorum ab sede Apostolica confirmato, omnes Tusciæ arces a se restitutum iri; sique dictis non staret, anathematis & interdicti pœnas in se suscepit. De quibus aurea hæc bulla a Carolo edita est: (*a*) *In nomine Domini amen, &c. Nos Carolus Dei gratia Rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, Andegaviæ, Provinciæ, ac Forcalquerii comes, præsenti scripto sponte fatemur, & expresse recognoscimus coram vobis sanctissimo patre, ac domino, domino Clemente divina providentia summo Pontifice, quod vos ad pacem & tranquillatem in provincia Tusciæ procurandam; ad statum fidelium devotorum Ecclesiæ, ac nostrorum undique roborandum; ad infidelium & prædictorum ipsius Ecclesiæ, nostrumque qui se in prædicta provincia receperant, multa cum malitiæ suæ conscriis & consortibus in ipsius Ecclesiæ, ac nostrum præjudicium machinantes, conatus perversos, prout expedit, comprimendos; & ob alias diversas causas justas & utiles, nos in eadem provincia, terra tamen ecclesiæ Romanæ prorsus excepta, pacis servatorem de apostolicæ potestatis plenitudine statuentes; nobis ibidem paciarii, seu pacis servatoris officium, sub certis forma & modo de fratrum vestrorum consilio concessistis, prout in variis vestris apostolicis literis confectis exinde plenius continetur; quarum tenores tales sunt.*

(*a*) Lib. priv. Rom. eccl. to. 2. pag. 248. & Cod. MS. Vallic. sig. lit. B. n. 12. pag. 569.

* hostium.

VII.

(*b*) Ext. apud Clemen. l. 3. ep. cur. 5. & cod. MS. Vall. sig. lit. C. n. 49. pag. 19. & MS. sig. lit. B. n. 12. & in l. privil. to. 2. pag. 248.

Inseruntur (*b*) pontificiæ ad Carolum literæ, quibus pluribus describit, ut excitus in Etruriam Carolus ad Conradini conatus occupandos, a Florentinis, Lucanis, Pistoriensibus, aliisque populis delatum magistratum, quem potestatem vocant, acceperit; omnesque ad servandam pacem sacramento adegerit, ac gestorum rationem sedi Apostolicæ exposuerit: hæc nimirum gesta non modo ad tuendam publicam rem, ac pericula sibi imminentia discutienda, verum ad dignitatem Ecclesiæ asserendam; flagitaritque, ut ea rata haberet. Quibus assensit Clemens, ac paciario creato Carolo promulgavit vacantis Imperii juribus non detractum iri: hanc vero legem adjecit, ut si Imperatorem ab sede Apostolica confirmari accideret, proxime excurrente mense eo munere abiret: quæ lex etiam aliis literis superioribus annexis repetita est. *Clemens, &c. charissimo in Christo filio Carolo illustri Regi Siciliæ salutem, & cum te in partibus Tusciæ, Romano subjectis Imperio nunc vacanti, pacis constituerimus per nostras sub certa forma literas servatorem, in eisdem tibi paciarii seu pacis servatoris officium committentes; dictum officium, & omnia in eisdem tibi concessa literis, cæteraque ad hujusmodi solidationem negotii pertinentia ea lege volumus tantummodo usque ad triennium obtinere, quod si forsan Imperatorem vel Regem Romanorum a sede Apostolica approbatum infra prædictum tempus regnare contigerit, aut per sedem eandem prædictum tibi officium interdici, tu amplius eodem officio ultra mensem post interdictum hujusmodi non utaris; & si contrarium feceris, eo ipso personam tuam excommunicationis, terram vero interdicti sententiis, quas propter hoc ex nunc ferimus, decernimus subjacere. Dat. Viterbii* II. *non. junii Pont. nostri ann.* III.

Adjecta lex de eo deponendo, Rege Rom. a sede Ap. confirmato.

VIII. Pollicetur evoluto triennio eo magistratu abiturum.

Nos *itaque vobis vestro, vestrorumque successorum, ac ejusdem ecclesiæ Romanæ nomine solemniter promittimus, quod de prædicto paciarii, seu pacis servatoris officio & aliis, quæ in concessione hujusmodi continentur, post lapsum triennium ex nunc continue computandum, nos non intromittemus, in aliquo; sed ea omnia absolute ac libere dimittentes, nec ratione sumptuum in hujusmodi officio, vel ipsius occasione factorum, seu faciendorum, vel damnorum; etiamsi quæ, quod absit, nos per gentem nostram subire contingeret terram, in qua dictum officium nobis est commissum; aut aliquam magnam, vel modicam partem ipsius; retinebimus quoquomodo. Et si forsan infra idem tempus Imperatorem, vel Regem Romanorum a sede Apostolica approbatum regnare contigerit, aut per sedem eandem præfatum nobis officium interdici, nos eodem officio ultra mensem post interdictum hujusmodi non utemur. Quod si contra premissa fecerimus, eo ipso in excommunicationis, terra vero*

*vero nostra interdicti, quas propter hoc promulgastis, sententias incidamus. Expresse insuper consentimus & volumus, quod per hæc, vel horum aliquod conventionibus, inter vos & nos olim initis in concessione regni Siciliæ nobis facta, in nullo penitus derogetur: sed illæ nihilominus in suo perpetuo robore perseverent. Ad quorum observationem ita nos per omnia teneri fatemur, sicut ante prædictam concessionem hujusmodi officii tenebamur, & proinde in omnibus promittimus observare: in cujus rei testimonium præsentes literas fieri, & aurea bulla typario nostræ majestatis impressa fecimus communiri. Dat. Viterbii* II. *non. junii* X. *indictionis regni nostri anno* II. *dat. per manum Roberti de Baro Regni Siciliæ protonotarii.*

IX. *Pendebat ex filis sericeis rubri & crocei coloris bulla aurea satis levis, habens ab altera sui parte imaginem Regis sedentis in solio, ab altera lilia Franciæ.*

His pactis Pontificem inter & Carolum initis, pervasit falsus rumor ad Alfonsum Castellanum, discordibus suffragiis Regem Romanorum designatum, traditum Carolo a Clemente Imperium: de quo cum graves querelas fudisset, Pontifex ipsum docuit, (*a*) non transfusa a se in Carolum Imperii jura, sed adactum necessitate ad discutienda imminentia pericula pacis servatorem in Etruria creasse: quo munere ad sedis Apostolicæ imperium, cum res posceret, discessurus esset. Richardum etiam Alfonsi æmulum potioribus suffragiis ad Cæsareos apices annitentem Clemens fecit certiorem, (*b*) non invadi jura imperialia; verum, constituta imperii re, a Carolo Rege susceptum in Etruria munus positum iri.

(*a*) *To.* 2. *ep.* 341.

(*b*) *Regest. Clem. IV. MS. arch. Vat. sign. n.* 32. 52.

*Charissimo in Christo filio Richardo in Regem Romanorum electo.*

Richardus electus Cæsar de creato Carolo Etruriæ pacifero factus certior.

*Quia lingua tertia multos commovet, multos deiicit, & quæ ipso fiunt proposito, prava nonnumquam & subdola falsitatis admixtione pervertit; ex his, quæ juxta nos intelleximus attentata, posse pejora subsequi in terris remotioribus præsumentes, ut tua præminens sinceritas aurem mendaciis non accommodet, eorum quæ gessimus, & eorum quæ habuimus & habemus, veram & simplicem puritatem tibi tenore præsentium duximus propalandam. Sciat igitur tua sublimitas, quod cum sublato de medio Manfredo quondam Dei persecutore & nostro filii sathan familiares ipsius in Lombardiæ & Tusciæ partibus se videntes acephalos, Coradini nomen invocare cœpissent, jam Tusci quendam proditorem & tanquam ejus vicarium erexissent; nos videntes discrimen in limine, pacem per Tusciam jurari mandavimus, & charissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Siciliæ illustrem non imperii (sicut quidam mentiuntur) vicarium, sed pacis constituimus servatorem; quem ad hoc eo magis idoneum esse credimus, quod in partibus illis factus robustior a Florentinis, Pistoriensibus, & quibusdam aliis in potestatem assumptus. Sane similia a nostris prædecessoribus facta legis, quæ non solum vacante imperio legitime possunt fieri, sed in fluctuante. Cautionem tamen ab eo recepimus quod imperio ordinato, datum sibi deponat officium infra mensem. Hæc autem ideo tibi scribimus, ne veritatis immutator occultus vel publicus quidquam, in tuum vel alterius præjudicium in hac parte nos mentiens ordinasse, tuam possit prudentiam perturbare. Dat. Viterbii* XVII. *kalend. julii anno* III.*.*

Qua de causa illi hoc munus delatum.

Negat Clemens legatum creatum cæsarem.

De Imperii porro controversia disceptata coram Clemente agetur inferius: nunc quæ a Carolo in Etruria hujus muneris causa gesta sint, prosequamur. Obtemperasse illi Etruscos referunt Monachus Pat. (*c*) Ricordanus, & Jo. Villanus, exceptis Senensibus, Pisanis, ac Podii Bonizi oppidanis; nec impune rebellionem tulisse: in ipsos enim Carolum movisse, Senensium agros ferro flammaque ussisse, Podium Bonizi arcem munitissimam subegisse: tum in Pisanos infesta signa sustulisse, succendisse portum, evertisseque turres.

(*c*) *Monach. Pad. chr. l.* 3. *Ricord. hist. Flor. c.* 185. *Villan. l.* 7. *c.* 21.

In rebelles Carolus bellum movet.

Extant Clementis ad Pisanos literæ: quos objurgat, corripuisse arma contra Carolum, atque iis ex Caroli adventu perturbatos se dicentibus, hæc respondit:

(*d*) *To.* 2. *ep.* 315.

X. Pisanorum querelæ a Pontifice retrusæ.

*Dilectis filiis potestati, capitaneo, & ancianis Pisani populi.*

*Turbatos vos fuisse scribitis in adventu militiæ charissimi in Christo filii nostri Caroli illustris Regis Siciliæ, ab eodem in partes Tusciæ destinatæ de nostra (ut asseris) conscientia seu voluntate, per quam dicitis terras aliquas deformatas, vel verius desolatas: & cum tantæ novitatis suspicio in discrimen totius provinciæ, amicorum vestrorum, & vestrum urgere videatur, vos ex injusto timore concepto equis & armis & aliis necessariis gentem vestram instruere; supplicantes ne vestrorum suggestio mentem nostram concutiat æmulorum, cum hæc facere minime proponatis in nostri vel regii derogationem honoris. Verum ut vestris literis verum, juxta scripturæ seriem tantum ejus collecta sententia, responsum congruum refundamus; volumus vos advertere, quod periculose fundabatur in Tuscia perditissima natio proditorum, quæ non in angulis delitescens, sed sub omnium oculis denudata novum idolum jam expectat, Coradinum nominans sibi Regem Castrensibus imperiis, immo castris specialibus occupatis. Et si illos amicos dicitis, scriptum esse noveritis, quod amicus stultorum similis efficietur eisdem: si non illos amicorum nomine intelligitis,*

(*e*) *Regest. Clem. IV. arch. Vat. sign. n.* 31. *pag.* 47. *& to.* 2. *ep.* 315.

Pisanorum de correptis armis excusatio.

Clementis responsum. Vocari a Gibellinis Conradinum.



*gitis, nescimus alios, qui per dictæ manum militiæ status sui senserint detrimentum. Et hi quidem juste multorum judicio, qui factis digna recipiunt, digni recipere graviora. Quod si de nostra tacite nos requiritis conniventia, vel prout adiicitis, voluntate; vestram prudentiam volumus non latere, quod cum ad Regis supradicti notitiam pervenisset, quod fiebat in Tuscia, quorumque studiis alereitur, nobis secretius intimavit, quemadmodum contra omnes Coradini fautores illuc mittere militiam proponebat, nisi nos aliud mandaremus, super hoc sibi postulans beneplacitum aperiri. Quid igitur, quæso, fuisse nobis creditis respondendum? Nunquid expediens fuit dicere ipsius nunciis: Stet in pace, nec in aliquo sibi provideat, donec pedes suorum hostium sint in regno? Ecce nobis providetis, ut scribitis ad hoc nemine vos tangente; & ipse tam crudeliter impetitus & tactus, in regni nomen & titulum alio jam intruso prohibendus erat a nobis inter ipsa malitiæ præcedentis initia vires hostium enervare. Jam sui proditores & vestri apud Tuscos famæ celebris & magni nominis habebantur; jam creatus erat Vicarius a non ente: verus autem & unicus Rex Siciliæ dormire debuit, aut positis manibus sub ascellis tantæ nequitiæ, tantæ fraudis perniciosum exitum tacitus præstolari? Nos autem temporis & negotii circumstantiis evolutis, nec precis consulere, nec omnino suadere volumus rem ambiguam, ne forte, si sinistrum aliquid evenisset, posset improvidentiæ imputari. Sed nec ejus impedire propositum nobis placuit, ne manu malignantium roborata Regis damnum posset impingi: suæ tamen eum relinquimus libertati, prædicentes pericula quantuncumque poterant verisimiliter formidari.*

Re cognita, Carolum dehortendo in Etruriam exercitu sumpsisse consilium.

Nec detegendum.

*At si quæritis, cur hoc vobis aut aliis manifesta non fecimus, sat est in promptu responsio: dicti namque Regis arcana cum ejus periculo minime decuit publicare. Nec intelleximus nostram vel aliam Tusciæ civitatem sibi in aliquo privilegio vendicare, quod eandem provinciam nulla debeat intrare militia vobis aut aliis provincialibus inconsultis. Si vero vos vel alii privilegium hoc habetis, cur suppressum extitit retroactis temporibus, cum militia plena Tusciam peragrabat contra Dominum & nos, & in suorum subversionem fidelium non videmus. Et si dicitis, quod de vestro fiebat assensu, vestram utique turpitudinem allegatis. Desinite ergo perturbari de Christianissimi Regis successibus, qui reformatum æstimat, quod esse creditis deformatum. Nos vero communibus oculis intuemur negotium, suam cuique cum ad nos venerit (dante Deo) justitiam reddituri. Ad id quod ultimo de gentis vestræ instructione scribitis, breviter respondemus, quod nec vobis providentiæ viam claudimus, nec si cum impiis vos involvitis indemnitatem aliquam pollicemur. Si tamen, prout alias spoponditis amicitiam Regis queritis ad eam vobis, prout expediet acquirendam libenter dabimus opem & operam efficacem. Dat. Viterbii* VI. *kal. maii anno* III.*.*

Arguuntur Pisani ex præteritis eorum gestis.

Si Carolum velint amicum illius amicitiæ futuros participes.

Pisanorum erant æmuli Lucani, ad quorum gratiam Carolus Mutronem munitissimam arcem obsidione cinxit, de qua meminit Pontifex in literis ad Rodulphum episcopum Albanensem: *Rex*, inquit, (*a*) *noster hactenus revocari non potuit, a nobis sæpius requisitus, a Lombardis revocatus, ut Papiam obsideat: quod eidem quantum potuimus dissuasimus: & credimus, quod plus eos retrahet defectus sumptuum, quam nostra dissuasio, quamvis sana. Verum vastatis locis pluribus Pisanorum, & damnis inæstimabilibus eis datis, & castris pluribus occupatis; castrum, prout dicitur, Mutronis obsedit ad instantiam Lucanorum, quod infra paucos dies creditur obtenturus: & habet secum marchiones Malespinæ, & Pontremulum, &c. Dat.* VI. *non. martii ann.* III.

XI. Mutronis arx a Carolo ad deditionem compulsa.

(*a*) *Ib. ep.* 450.

Mutrone potitum dolo Carolum, ac Lucanis eam arcem attribuisse Ricordanus refert (*b*); mutua etiam pace Senenses factionis Gibellinæ atque exules Guelphos conjunxit: cujus fœderis leges insertæ sunt literis (*c*) apostolicis, quibus adjecta est dies III. kal. jun.

(*b*) *Ricord. hist. Flor. c.* 179.

(*c*) *Lib.* 3. *ep.* 41.

At dum Rex Siculus Tusciam ad fidem Ecclesiæ cogebat, tumultuata est Sicilia. Saraceni enim Luceriæ tum a Conradino excitati, tum quia iniquiore animo impressum cervicibus jugum ferebant, absentis Caroli occasionem aucupati, rebellionem movere (*d*). Geminabant terrorem Africani qui ad impugnandam Siciliam invecti erant: adduxerant enim ipsos Manfrediani exules, qui in Africam profugerant, cum quibus alii proditores consiliis ac scelere consentiebant. Idcirco ursit acrius Clemens Carolum, (*e*) ut ad eos propulsandos procurreret: tum Hospitalarios equites, quos sacri ordini instituta pugnare tantummodo contra paganos jubebant, etiam contra veteres Manfredianos proditores, etsi Christianos, strenue dimicare jussit, (*f*) eaque instituti religione liberavit. Quamvis vero Pontifex ad comprimendas turbas, auctores censuris feriret (*g*) Senenses a fide desciverunt, & Carolus difficillimo implicitus est bello, cum modo in Etruriam discurrere cum exercitu, modo in Siciliam signa reflectere ad nascentes motus sopiendos iterum iterumque cogeretur.

XII. Senenses reducti ad officium.

Sarraceni rebellionem in Carolum movent.

(*d*) *Libell. ep. Clem. pag.* 53. Africani in auxilium a perduellibus exciti.

(*e*) *To.* 2. *ep.* 376.

(*f*) *Ibid. ep.* 382.

(*g*) *Ib. ep* 359.

Auxere superiora pericula Gualvani Lanceæ & aliorum perfidia, qui Manfredo cæso in gratiam cum Ecclesia revo-

XIII.

Henricus Urbis senator in Carolum conjurat.

(a) Jo. Villan. cap. 20. Nang. in gest. de rebus S. Lud.

(b) Auctor Anonym. de reb. Sicul.

vocati, ac soluti censuris Conradini partes extulere; tum insignis Henrici fratris Regis Castellæ proditio: creatus enim primum a populo tumularia concione, dein pontificia magnificentia Urbis senator, in hostem versus, Caroli odio immani scelere Conradini duces in Urbem induxit. Depingit illum suis coloribus præ cæteris Sicularum rerum auctor anonymus; (a) utque ad senatoriam dignitatem evectus sit, quasve irarum causas conceperit in consanguineum Carolum, accurate describit (b).

XIV. Nefarii illius ac fratris Fred. mores.

*Domnus Fredericus, & domnus Henricus germanus ejusdem, quos invidentia, quam habebant de magnitudine ac prosperitate fraterna; & abjectos & absentes a propria diu patria fecerat; tunc quidem pro se ac quibusdam militibus de Hispania stipendia recipiebant, a Rege Tunisii, qui quotidianis cavalcatis & assiduæ guerræ solicitudine angebatur per alios Saracenos. Hi sane fratres Hispani pro Saracenorum conversatione diutina actibus Agarenorum imbuti, & fere Christianæ religionis obliti a Saracenis ipsis vita parum & moribus differebant. Verum domnus Henricus a præfato Tunisii Rege habitus ex sua superstitiosa, superba & proditoria machinatione suspectus; ad seducendum, & concitandum Romanam provinciam & curiam dimissus; ab Ecclesia ac apostolicæ dignitatis auctoritate magnæ liberalitatis & gratiæ immensa dona poposcerat; ac sua nobilitate sanctæ matris ecclesiæ Romanæ ministros adeo videbatur inebriasse repente, ut ei deberet de regno Sardiniæ provideri.* Et infra:

XV. Qua ratione a factiosis Henricus publicæ rei admotus sit.

* insurgere: deinde

* Urbis

*Quidnam nobilis Romanus civis, Angelus Capucia nuncupatus, seditionem in Romano populo, suscitavit: per quem contra Urbis magnates cœperunt populi * quibusdam viris de qualibet regione septem electis secum adjunctis, sub pacis specie * viribus magistratus est erectus. Hic ex contradita sibi per dictum populum potestate, qua quem vellet, posset eligere senatorem, domnum Henricum præfatum contra plurium nobilium repugnantiam, & obstaculum etiam Cardinalium aliquorum, qui jam aliquid de ipsius domni Henrici fraudulenta voluntate conceperant, ad Urbis regimen evocavit. Cujus evocationis solemnitas, etsi fuisset ante publicationem a pluribus impugnata, & multorum corda non immerito durius pupugisset; tamen sub quadam fuit gratitudine generaliter ab omnibus acceptata. Venit ergo de Romana curia factus senator ad Urbem: & aliquandiu statuta justitiæ sub æquitatis libra omnibus suæ potestatis appendens; tandem corde & voluntate perversus, vita & moribus protinus regulatis abjectis, in arcum repente convertitur inopinabilis pravitatis. Guelphis quidem Urbis, & amicis Ecclesiæ ac devotis in abundantia mellis, promissi verbotenus fellitum & venenosum poculum actualiter subministrat.*

XVI. Quas odiorum causas prætexuerit in Carolum.

* socium

* putabat

*Concipit iste similiter odia contra prædictum Regem Siciliæ, cui gradu attinebat consanguinitatis: & cum de Sicilia & suorum successuum felicitate invideret, quærebat opportunitatem, ut eum per viam aliquam posset perenniter exterminare, vel cædere: aut in regni possessione eundem * Regem habere legitimum: & motum sui animi fore justum * pro eo, quod eidem Regi, quando primum contra Manfredum inops & jam substantia tenuis veniebat, asserebat se non modicam pecuniæ quantitatem de proprio peculio mutuasse, quam dictus Rex ad fortunam veniens pinguiorem, sibi, ut bona fide spoponderat, reddere contemnebat.*

XVII. Romanos ad defectionem trahit.

Enascentem discordiam Clemens extinguere nisus est, atque Henricum conciliare Carolo studuit. Fluxerant ex eo irarum causæ, quod cum Sardiniam a Pisanis Clemens repetere meditaretur, Carolus Rex & Henricus Castellanus, qui illius inhiabat imperio, suis invicem cupiditatibus obstitissent. Inter quas moras Turritana toparchia, per quam irruptio fieri poterat, amissa est, ut Clemens Jacobo Regi Aragonum, qui Sardiniam sibi jure beneficiario ab ecclesia tradi supplex deposcebat, significavit (c).

(c) Regest. Clem. 4. arch. Vat. sign. n. 31. pag. 54.

*Clemens &c. Jacobo Regi Aragonum illustri spiritum consilii sanioris.*

Aragonius affectat Sardiniam.

*Tarde nimis tua misit serenitas dilectos filios Majoricensem & ... Vicensem capellanum nostrum: jam enim cum duobus tractatus processerat super regno Sardiniæ, charissimo in Christo nostro Carolo Regi Siciliæ illustri, & dilecto filio nobili viro Henrico fratre charissimi in Christo filii nostri regis Castellæ illustris. Est & alia tarditas in negotio, quoniam inter moras illius partem amisimus judicatum, videlicet Turritanum, per quem dare poteramus ingressum ei, qui conveniret nobiscum. Unde tuam magnitudinem non lateat, quod nec tibi illud concedere possemus, nec ad præsens id dabimus alterutri de prædictis: sed tenebimus in suspenso negotium, donec aliud videamus, malentes ad tempus perdere quod jamdudum perdidimus, quam inter personas nobiles scandalum suscitare, &c. Dat. Viterbii x. kal. augusti anno* III. Porrexerat Jacobus Rex has preces ad Jacobi secundi natu filii gratiam, quem ad Sardicum solium evehere moliebatur, deinde ad Balearicum extulit: extantque conceptæ iisdem verbis excusatoriæ Clementis ad illum datæ literæ (d). Verum quamvis Clemens de Sardiniæ donatione actionem abrupisse, Henricus Castellanus mulceri non potuit. At is in furorem actus, beneficiorum immemor, non modo Conradini partes extulit,

(d) Reg. post eand. ep.



tulit, verum etiam Romanos suo veneno infecit: palam Conradini signa Romæ explicuit: acta Caroli præterita rescidit. Adversus quem furentem Pontifex Viterbii judiciarium edictum tulit, (a) in quo inter cætera hæc habentur: *Ex manifestis siquidem indiciis & evidentibus argumentis non solum colligimus, sed quodammodo sensibiliter experimur, quod nobilis vir Henricus charissimi in Christo filii nostri Regis Castellæ illustris germanus, senator Urbis mansuetudinis regalis oblitus, & generosos ac solitos mores ex assumptione officii corrumpens, contra Ecclesiam matrem suam non leviter excessisse videtur, dum ipse, ad senatorium munus assumptus, officium contra Ecclesiam ipsam, ejusque devotos ad ipsam Ecclesiæ terram, nostro quasi subjectam conspectui, manus quasi occupatrices extendens, & bona fidelium absque discretione devastans, &c.* Addit atrocia illius in Carolum Ecclesiæ defensorem gesta, explicuisse nimirum in Urbe signa Conradini, hostium duces intra portas excepisse, Caroli acta rescidisse, proscripsisseque ejus studiosos.

(a) To. 2. cp. 298.

Ingrati animi vitium in se suscipit.

XVIII. Galuanus proditionem in Pontificem conflat.

Quod ad expansa in Urbe atque erecta Conradini signa queritur Pontifex; ejus sceleris etiam auctor cum Henrico extitit perfidus Galuanus, qui cum arma adversus Ecclesiam pro Manfredo tulisset, fictæ religionis specie admissus in gratiam cum Ecclesia, mutatis rebus Conradini adventu, ad perfidiam pristinam deflexit: *Pridem*, inquit Pontif. (b), *in festo B. Lucæ dictam Urbem patenter ingrediens, signa Conradini de venenosa stirpe quondam Frederici dictæ persecutoris Ecclesiæ, non vitatis Dei contumelia & ipsius opprobrio principis, explicare præsumpsit; ac loca, specialiter Lateranen. ad quæ ingredienda viri etiam justi vix digni sunt habiti, pompis lascivientibus circuire, ac ibidem hospitium recipere non expavit; quæcunque potest in offensionem nostram & ejusdem Ecclesiæ, ac charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris, sua miserabili, & nefaria proditione pertractans irreverenter.* Illatam sedi Apostolicæ injuriam ulturus Clemens, præfectis Romani sodalitii, cui inditum nomen de vultu gloriosi Apostolorum princis XII. kal. novembr. præcepit, ut perfido homini diem indicerent; qui si in contumacia perstaret, gravioribus eum censuris percellere est comminatus. *Dat. Viterbii duodecimo kalendas Novembris anno* III.

(b) Lib. cens. MS. vatic. archiv. pag. 224.

Signa Conradini in Urbe explicat.

XIX. Spernit Galuan. Pontificis minas, ac miserе perit.

Sprevit Galuanus pontificias minas, sed ingenti suo malo: ut enim vir impius demum perfidiæ pœnas dederit, & carnificis manu Caroli jussu perierit, inferius ex Nangio referemus. Auctus viri improbissimi audacia Henricus; amplissimos dignitate ad capitolium vocat, & armatorum corona circumdat, (c) Neapolionem & Matthæum ursinos extra Urbem captivos ablegat: Joannem & Lucam Sabellos in capitolii carceres trudit. Alios etiam, Cardinalium propinquos & amicos, conjecit in vincula, uxores filiasque ipsorum suis domibus ejecit, agros occupavit, basilicam S. Petri ac palatium pontificium invasit, præsidioque Germanico instruxit; quæ infanda scelera rerum Sicularum auctor subjectis verbis exponit: *Interea perfidus Christianus donnus Henricus, varie excogitans ac tentans omnes nobiles Urbis Guelfos una hora simul in Capitolio irretiri, ad instar piscium quando plures numero uno tractu retium capiuntur, facit ad se prædictos nobiles proditorie accersiri: cumque nobilium ipsorum alter alterius vocationem penitus ignoraret, quamplures intrepidi, sed decepti Capitolium ascendunt. Sunt autem prædicti nobiles dominus Neapoleon Matthæus frater ejus de filiis Ursi, dominus Joannes de Sabello, Petrus Stephani, & Angelus Malabranca. Hos tamen, qui nihil de excogitata fraude præsenserant, ad vocationem prædictam pure ac simpliciter venientes, statim donnus Henricus, cepit, captosque jussit in Capitolio prisonari. Quibus in ipso captionis initio nullam motu vel gestu formam turbationis, aut alicujus asperitatis ostendit: immo præconceptæ contra eos fraudis patula lenitate verborum sagaciter temperabat virus: & merito, ne propter hujusmodi captorum detentionem tam subito, seditiosus contra eum tumultus commoveretur in populo. Postquam vero dictos captos verbis assicuravit mellifluis, perpendens, quod concitata populi corda quieverant, ex eis aliquos, videlicet dominum Neapoleonem & fratrem apud Monticellum, quod est castrum fortissimum propem Tybur, inibi morituros in carcere ad suum beneplacitum destinavit. Et tamen, ut eos de districtu extraheret Urbis, eosdemque posset libere conservare, apud Saracinischum, quod est castrum Conradi de Antiochia nepotis quondam Frederici prædicti, jubet exacta custodia in arcto carcere detineri. Verum ex reliquis in Capitolio sic detentis prælibatum dominum Joannem de Sabello, de quo, cum esset homo probatæ fidei, zelans pacem, & tranquillitatem Urbis toto mentis affectu, nulla sinistra pateret suspicio, receptis primo ad cautelam pro eo quibusdam fidejussoribus, & Luca ejus filio dato obside pro excambio, a carcere Capitolii relaxavit. Et quia Raynaldus de filiis Ursi vocatus cum aliis Capitolium non conscendit, interim se in castro Marini non sine audaci promptitudine receptavit; jam dictus prædo Christianus, contra eundem dominum Raynaldum duxit copiosum exercitum Romanorum, & castrum ipsum dira obsidione*

(c) S. Anton. 3. par. tit. 20. c. 8.

Nefaria ejus facinora.

Guelphos nobiles proditione coniicit in vincula.

Ursini illius impetus apud Marinum fortiter sustinent.

*ne circumdat. Cumque ratione nequiret castrum ipsum, quod quam plures de Urbe strenui milites & pedites tuebantur, sicut firmiter credidit, expugnare; redit ad Urbem furibundus & fremens.* Easdem injurias, a perfido homine Ecclesiæ inflictas, Regi Carolo Clemens literis recenset (*a*): nec destitit ferocientem arguere (*b*) ut ad officium revocaret.

(*a*) To. 2. ep. 405. (*b*) Ep. 441.

XX. Turpe prædonum Gibellinorum flagitium.

Admonuit præterea ne Gibellinis Etruriæ, qui Alfonsi Regis Castellæ oratores trucidarant, spoliarantve, faveret: fratrem quippe Henricus immerito odio prosequebatur. Id vero scelus in episcopum Silvensem & socios patratum adeo Clementi atrox visum est, ut hanc sententiam tulerit: *Castra, villas, & loca prædictorum malefactorum, & alia, in quibus se tempore patrati sceleris receptarunt, perpetuo municipii universitatis jure privamus: ita quod deserta jaceant habitatione, nullis umquam temporibus habitanda, ipsaque remaneant in perpetuum ecclesiastico supposita interdicto: nec aliquis sacerdos vel clericus in illis permanere præsumat, vel ad ecclesiasticum pertinens ordinem exercere. Habitare quoque præsumentibus in locis eisdem nostra taliter animadversione damnatis in vita vel in morte, nisi dictorum locorum habitationem abjurent, sacramenta ecclesiastica non præstentur. Etiam jura dictarum ecclesiasticarum aliis assignentur ecclesiis, prout diœcesani locorum, vel alii, ad quos spectaverit, duxerint ordinandum. Dictos autem sacrilegos, & generaliter omnes, qui ad hæc dederunt opem, operam, consilium, vel favorem, denunciamus excommunicationis sententiæ subjacere; ac nihilominus excommunicamus & anathematizamus eosdem, &c.* Graviores alias in ipsos pœnas exaggerat, eorumque posteros ad quartam progeniem ecclesiasticis honoribus ac sacerdotiis mulctat. Ut vero ob amissa litis de Imperio cum Richardo controversæ instrumenta, quæ Alfonsus Silvensi episc. ad disceptandam coram Clemente causam tradiderat, peremptorius dies constitutus extrahendus fuerit, postea dicetur.

Districtæ in illius participes censuræ.

Derivatæ in posteros pœnæ.

XXI. Invexit diuturnum illud interregnum graviora mala: nec enim modo in Italia Etruria, ut vidimus, Gibellinorum furiis laniabatur, verum Insubria etiam eodem correpta furore in suorum sanguine volutabatur. Cujus provinciæ infelicem statum sanctissimus Pontifex in literis hoc anno VIII. id. julii in archiep. Ravennatem datis ita describit (*c*): *Ab olim sparso pestiferi semine generis in agro partium Lombardiæ, succrevit ex illo messis odibilis, fructus amaritudinis cum doloris immensitate producens. De flatu namque satbanæ, turbatoris quietis, æmulique pacis, progredientes dudum in illa regio, ne viri sanguinum pestilentes, totam terram innumeris repleverunt angustiis, & variis discriminibus subjecerunt; tam indigenis quam cæteris earundem partium incolis longo tempore positis in excidium & ruinam, multis a Dei & ecclesiæ Rom. devotione subtractis, quam pluribus sub hostili clame peremptis, aliis in exilium traditis; nonnullis, qui solebant florere divitiis opertis pallio paupertatis; bellicus ibidem furor invaluit, armavit impietas patrem in filium, filium in patrem; & frater proximo non pepercit, veluti singulis in cæde propria concitatis, &c.* Subiicit ut Fridericus, Conradus, & Manfredus, quos æternæ maledictionis alumnos vocat, eas civiles discordias magis ac magis auxerint, attriverintque Insubriam. Ad hæc vero tollenda mala, & Gibellinos Ecclesiæ conciliandos archiepiscopus Ravennas in Insubria, Liguria, & Dalmatia legatus creatus est (*d*).

(*c*) Lib. 3. ep. 56.

Infelix eorum ex mutuis discordiis status.

(*d*) Ib. & ep. 57.

XXII. Veterem præterea de Imperio controversiam statuit Clemens judicio definire, atque electis ante præfixerat diem ad experiendum judicio. Et sane Richardus Henricum filium majorem natu instrumentis omnibus ad probandam suæ causæ æquitatem munitum miserat: Alfonsus vero Rodulpho partes suas defendendas demandarat; qui tamen nullis instrumentis, sed nudis tantum verbis illustrem esse causæ suæ justitiam contendebat: quod gravius tulit Clemens, atque alio præfixo die, nimirum festo omnium Sanctorum, Alfonsum imprudentiæ perstrinxit, (*e*) atque argumenta suæ causæ instrumentis authenticis confirmata depromere jussit: ad audiendos vero testes Francofortum in Germania, in Galliis Parisios, in Italia Bononiam, in Hispania Burgos designavit.

De dirimenda ipsum inter ac Rich. Imperii controversia.

(*e*) Lib. 3. ep. cur. 4. & Cod. Vall. sig. lit. C. n. 49. pag. 81.

*Regi Castellæ & Legionis in Romanorum Regem electo.*

Clementis lit. ad Castellæ Regem.

*Licet nos assidue grandium negotiorum multitudo circumstrepat; licet solicitudines variæ pectus nostrum quasi familiariter incursantes; ipsarumque jugis anxietas ad expedienda, quæ immminent, officii nostri debitum multipliciter interpellent; expeditionem tamen negotii, quod de regimine tractatur Imperii, ejus & illud prosequentium qualitas eo instantius exigit; ad illam tanto vehementius angimur, tanto amplius anxiamur, quanto gravius intenditur universo fere populo Christiano in ipsius dilatione periculum; quantoque majora ex ejusdem Imperii ordinatione celeri commoda speraremus. Attendimus si quidem, immo palpamus quotidie innumera & immensa discrimina, quæ te ac charissimo in Christo filio nostro Richardo in Romanorum Regem electo asserentibus, jus vobis in ipso Imperio per electiones varias acquisitum ejusdem imperii fluctuatio ingerit, dum matri Ecclesiæ imperialis defensionis suffragium ex hujusmodi fluctuatione subtrahitur; & ab ipsius persecutoribus, non sine fidei Christianæ discrimine, in ipsam securius insultatur: dum injuriose ipsius jura Imperii violenti diripiunt, & ejus subditis se injuriis impetentibus mutuis, & libere debacchantibus in se ipsos, super iis solitum sæcularis judicii remedium non habetur.*



XXIII. Curæ pontificiæ pro Imperio.

*Hæc, fili charissime, aliaque non facile connumeranda pericula, quæ ipsius Imperii tamdiu dilata provisio subministrat, instanti nos multiplicatione solicitant, & mentem nostram instantia frequentis solicitationis infestant, ut ad expediendum finaliter & celeriter dictum negotium plenis studiis intendamus. Nuper utique in præfixo ad hoc a nobis termino pro memorato electo Richardo dilecto filio nobili viro Henrico ipsius Richardi primogenito, & quibusdam aliis nuntiis & procuratoribus suis; pro te vero dilecto filio magistro Radulpho de Podio-Bonizi comparentibus coram nobis; cum varia fuissent hinc inde proposita tam in facto consistentia, quam in jure; tandem procuratoribus præfati Richardi electi ad fundandam intentionem suam varia exhibentibus munimenta, & allegantibus, dictum magistrum Radulphum, seu alium pro parte tua non esse ad impediendam petitionem ipsorum aliquatenus admittendum, cum de tuo nequaquam interesse constaret, utpote cum idem magister solis assertionibus nudis insisteret, nec ad probanda, quæ asserebat, literas, vel aliud exhiberet; sæpefatus magister replicans, quod forma citationis emissæ a nobis ipsum tuo nomine ad probandum tunc temporis aliquid non arctabat; præsertim cum alias tempore felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri de jure tuo, quod etiam asserebat esse notorium, per decretum electionis tuæ ac alias diversas literas, ut dicebat, facta fuerit plena fides; nihilominus nobis mandantibus, ut diceret, si vellet amplius de dicto tuo jure docere, dixit se assertiones suas, super quibus etiam articulos certos exhibuit, in Alemannia, Francia, Hispania, & Italia, nec non in nostra curia probaturum infra dilationes, tanto & tali negotio congruentes.*

XXIV. *Nos autem licet mirati fuerimus, te tantæ discretionis principem ad tam arduum negotium nuncium sic nude missse, videlicet super jure tuo nullam probationis speciem exhibentem, nihilominus tamen in paterna dulcedine tibi deferre volentes, articulos prædictos, nec non & alios quos pars altera similiter obtulit, duximus admittendos; tam tibi quam parti eidem primum diem post festum annuntiationis B. Virginis, primo venturum, terminum peremptorium de fratrum nostrorum consilio præfigentes: in quo cum dictis testium, quos super eisdem articulis produci continget, & omnibus aliis actis, rationibus, munimentis, & juribus vos apostolico conspectui per procuratores idoneos præsentetis. Nos enim ex tunc sive hujusmodi procuratores miseritis, sive non; sive probandæ intentionis vestræ dederitis operam, sive id forsan omiseritis; cum nolimus fieri prædictum negotium, in grandem totius orbis perniciem, immortale; ad ipsius expeditionem finaliter, prout suadebit justitia, & expedire videbimus, divina favente clementia procedemus.*

Diem Pontifex Alfonso indicit ut per oratorem jus ad Imperium exponat.

XXV. Assignatæ civitates pro tractando Imperii negotio.

*Ne autem ratione producendorum testium vobis detur de cætero petendæ ulterioris dilationis occasio; volumus, quod in Alemannia apud Frankeneford, in Francia Parisiis, in Hispania in civitate Burgensi, in Italia Bononiæ, & nihilominus in prædicta curia nostra coram illis, quos ad hoc duxerimus deputandos in vigilia festi omnium Sanctorum primo venturi, quem peremptorium terminum, * ex tunc productio testium hinc inde incipiat, assignamus; tam tu, quam pars altera ad producendos testes, quos producere volueritis, & videndum jurare quos producere continget, studeatis per procuratores idoneos comparere. Datum Viterbii VII. id. maii.* Quas etiam literas, mutatis tantummodo congruis verbis, ad Richardum misit, (*a*) cui prorogatæ ad dirimendam causam diei rationem reddidit, Alfonsum nimirum procuratorem sine instrumentis litis suæ misisse. Cum vero dictæ civitates in Germania, Italia, Gallia, Hispania, designatæ essent, ubi testes, qui in iis regnis versabantur, audiri possent; Clemens Rymundum Burgos proficisci jussit, (*b*) ut testium dicta in Hispania exciperet: atque aliis similem provinciam in aliis locis contulit (*c*). De termino vero peremptorio constituto, aliæ ad Alfonsum extant literæ, (*d*) quibus significat, rem ita decretam a se fuisse, tum quod justitiæ consentanea esset, tum quod petentibus ab Apostolica sede ipsius oratoribus, ut Imperii diademate cingeretur, ab adversariis objectum esset, non congruam juri petitionem; ac per saltum promotum iri, si non recepta Coloniæ corona, a Pontifice ea foret redimitus: quamquam enim hujus argumenti vim ejus oratores elidere aliis rationibus nitebantur, opportunum tamen atque æquitati congruum fuisse, aliam viam dirimendæ causæ inire, ac diem peremptorium statuere.

* ut.

(*a*) Lib. 3. epist. cur. 10.

Destinati ad testium dicta excipienda judices.

(*b*) Ibid. 12.

(*c*) Ib. ep. 13. 14. 15. 16.

(*d*) To. 2. ep. 332.

*Charissimo in Christo filio illustri Regi Castellæ & Legionis in Regem Romanorum electo.*

XXVI. *Quanto divinæ gratiæ potioribus donis abundas, quanto regnis pluribus præsidens locum obtines celsiorem; tanto plus tuæ con-*

*convenit excellentiæ, quæ assumit negotia ea circumspectione discutere, ea maturitate librare, ut nihil in eis lateat, nil promineat, quod justitiam non redoleat, quod exactam non sapiat gravitatem. Sane dudum in Regem Romanorum electus, a felicis recordationis Urbano Papa prædecessore nostro petisti, quod & ab ejus, ut dicitur, prædecessoribus petieras, ad coronam Imperii te vocari: & procuratore tuo petitionem eamdem coram nobis semel, & iterum refricante, fuit ex adverso propositum, quod per saltum promoveri volebas, qui nondum recepta * Coloniæ regni Romanorum corona, requirebas propere venerandi Imperii diadema. Licet autem, ad objectionem hujusmodi, ut de aliis taceamus, responsum multipliciter tui dederint sapientes; nos tamen, quos juris veritas & facti pluralitas non latebant, per aliam viam divertimus, utque tunc melius consuleremus hujusmodi negotio, prout decuit ordinato, præfiximus terminum peremptorium, quo tuus vel adversarii tui procuratores se nostro conspectui præsentarent, interim diebus & terminus assignatis suos articulos probaturi. Verum urgente nos stimulo charitatis, qua te, Deo teste, diligimus ex affectu, dilectum filium B. de Maphazan capellanum nostrum, & nostræ conscium voluntatis ad te duximus transmittendum, in cujus ore verba nostra secreta posuimus, quæ tibi referet viva voce. Datum Viterbii non. junii anno III.*

* ab archiepiscopo

Petenti Alfonso imperiale insigne quid obiiciant adversarii.

XXVII. Querenti vero Regi, brevem terminum sibi in tanta causa præfixum, subjecit (*a*) Pontifex, brevem videri non debere, si ingentia discrimina, quæ ex interregno emergerent, ac grassarentur, regia mente agitaret. Nec dissimulavit ipsi Richardum potioribus juribus ad Imperium niti; quippe qui a Coloniensi archiepiscopo Aquisgrani argentea corona fuisset veteri instituto redimitus: ac pari exemplo olim Innocentium III. post Henrici VI. obitum Philippo & Othone discordibus suffragiis electis, ea maxime de causa Othonem confirmasse Regem Romanorum, quod Aquisgrani insignibus regiis a Coloniensi fuisset exornatus, ac plura e regesto Innocentii testimonia deprompsit (*b*).

(*a*) *Ib. ep.* 387.

Significat illi Richardum potiore jure inniti.

(*b*) *To.* 2. *ep.* 339.

*Charissimo in Christo filio Castellæ & Legionis in Regem Romanorum electo.*

XXVIII. *Post claræ memoriæ Henrici quondam Romanorum Imperatoris decessum votis principum, ad quos electio pertinebat, divisis, quidam eorum nobilem virum Philippum quondam ejusdem Imperatoris fratrem ducem Sueviæ; alii Othonem quondam filium H. ducis Saxoniæ in Romanorum Reges in magna discordia, & periculosa nominarunt: quorum uterque se fecit in Regem adversis & in diversis tam locis, quam temporibus coronari; & ambo per suos solemnes nuncios a felicis recordationis Innocentio * IV. Papa prædecessore nostro petierunt Imperii diadema. Diu igitur quæstione pendente, & utroque non solum juribus, sed & viribus contra alterum confligente; idem prædecessor noster multa scripsit super dicto negotio, sicut homo qui multa legerat & suorum prædecessorum scripta revolverat, multorumque suffultus fuerat in hac parte consilio sapientum. Ex quibus aliqua, quæ ex ejus regestis collegimus, tibi duximus transmittenda, ut ex eis instructus plenius, rectius tuæ consulas celsitudini; & fideliter ponderes, quid circa Imperium petere possis, aut debeas juris & facti pariter ignorantia relegata.* Cum enim esset alter ex dictis nobilibus, Odo scilicet, a Coloniensi archiepiscopo Aquisgrani; alter vero, Philippus videlicet, in loco alio per Tarantasiensem archiepiscopum coronatus; idem Innocentius super diversis articulis, negotium contingentibus, nunc respondens scribentibus, nunc eosdem præveniens, multas decentes epistolas edidit, tam facti certitudine quam juris firmitate vallatas. Unde archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, potestatibus, consulibus, & rectoribus, marchionibus, & comitibus, & aliis nobilibus Lombardiæ sic scribit.

* III.

Præjudicium in Philippo & Ottone affert.

XXIX. *Novit scrutator renum & cordium dominus Jesus Christus, &c.* Et infra: *Postquam a nobis unctio, consecratio, coronatio postulantur, sicut utraque pars a nobis sæpius postulavit, &c.* Et in eisdem literis de Philippo sic loquitur: *Præterea idem dux nec ubi debuit * coronam & unctionem accepit: memoratus vero Rex*, Otho scilicet, *& ubi debuit, videlicet Aquisgrani, & a quo debuit, scilicet a venerabili fratre nostro Coloniensi archiepiscopo, recepit utrumque.* Quod autem ad Coloniensem archiepiscopum hoc pertineat, idem scribit Trevirensi archiepiscopo in hunc modum: *Cum venerabilis frater noster Tarantasiensis archiepiscopus quidquid fieri sibi nollet, aliis non debuit irrogare, mirum satis ducimus & molestum, quod falcem in messem alterius mittere non expavit, & sibi alienum temeritate propria usurpare.* Et infra: *Cum enim dubium non existat, coronationem Regum Alemannorum ad venerabilem fratrem Coloniensem archiepiscopum pertinere; nec ipse deliquerit, quare meruerit sua dignitate privari; cum si etiam deliquisset, per eundem Tarantasiensem archiepiscopum suo non erat jure privandus, cujus ipse jurisdictionis minime subjacebat; ipse, maturitate pontificali neglecta, nec considerans, quod debebat; nobilem virum Philippum ducem Sueviæ in Regem temere coronavit, &c.*

*, *nec a quo debuit*

Antetulit Othonem Innoc. ob acceptam Aquisgr. inunctionem.

Pe-



Petitioni vero ejusdem Philippi porrectæ per electores ipsius sic idem prædecessor respondet: *Literæ, quæ nobis fuerunt ex parte quorundam vestrum per dilectum filium P. judicem Placentinum nuper oblatæ, &c.* Et infra: *Cum autem Imperialis corona sit a Romano Pontifice concedenda, & rite prius electo in principem, & post in Regem legitime coronato, talem secundum antiquam & approbatam consuetudinem libenter ad coronam suscipiendum vocabimus: & iis de more perfectis, quæ ad coronationem principis exiguntur, eam sibi, faventé Domino, solemniter conferemus.* Idem Innocentius Coloniensi archiepiscopo ita scribit: *Ex uno eodemque negotio te nobis & nos tibi credimus obligatos.* Et infra: *Cum Apostolica sedes illum Imperatorem debeat coronare, qui rite fuerit coronatus in Regem, &c.*

Non vocandus ad imperialem inunctionem nisi qui Coloniensi archiep. fuerit corona redimitus.

XXX. Idem universis tam ecclesiasticis, quam sæcularibus principibus Alemanniæ: *Quantum ex Imperii divisione dispendium, &c.* Et infra: *Cum & negotium Imperii ad nos principaliter, & finaliter pertinere noscatur: principaliter quidem, quia per Romanam ecclesiam fuit a Græcia pro ipsius specialiter defensione translatum: finaliter autem, quoniam, etsi ab alio regni coronam recipiat, a nobis tamen coronam Imperii recipit Imperator.* Qualiter autem Othonis coronatio facta fuerit Aquisgrani, idem Innocentius scribit archiepiscopo Moguntinensi, eidemque Sabinensi Episcopo, sic dicens: *Solidata in devotione sedis Apostolicæ fides tua, &c.* Et infra: *Noveris ergo, immo jam nosti, quod post Henrici quondam Imperatoris decessum, vota se principum diviserunt, ita quod quidam eorum Othonem Henrici quondam ducis Saxoniæ filium; quidam vero Philippum quondam fratrem dicti Henrici Imperatoris nominarunt in Regem. Venerabilis autem frater noster Coloniensis archiepiscopus, & alii qui in nominatione prædicti Othonis favorem præstiterant, & assensum, congregato exercitu, obsederunt pariter Aquisgranum; & eo capto, prædicto Othone in sede posito augustali, dictus archiepiscopus regni coronam imposuit, sicut ad ipsum de jure debet pertinere.*

Monet Alfonsum Clemens, ut hæc suis ponderibus libret.

Multa quidem, & alia sumi poterant de regesto, sed hæc sufficere posse credimus ad tuum, & prudentum tuorum consilia dirigenda. Tua vero sublimitas sic deliberet, ut undique circumspiciens rerum exitus prudenter & fideliter metiatur: cum dilatum Domini negotium sic disponere intendamus, ut per nos, vel per successores nostros in termino præstituto finem possit accipere Deo gratum, & necessarium toti mundo. *Dat. Viterbii* XV. *kal. julii anno* III.

XXXI. Optabat sanctissimus Pontifex Alfonsum ab affectando Imperio deducere, cum ea etiam de causa Rex domandis Saracenis vacare omnino non posset. Inter cæteros vero, qui cruce contra Saracenos se insigniere, archiepiscopus Toletanus a Clemente ingentibus laudibus decoratus est; (*a*) atque ii, qui sub ejus signis meruerentur, multis privilegiis indulgentissique donati: qua de re v. id Julias ad ipsum datæ literæ. Nec ita multo post Alfonsus Regem Granatæ proditorem felicissime perdomuit, atque in spem maximam referendæ de aliis barbaris certissimæ victoriæ evectus est, cui Clemens iisdem literis, quarum paulo ante mentionem fecimus, tanti parti triumphi gloriam est gratulatus (*b*): *De tuis successibus in omnibus & per omnia gratulantes &c.* Et infra: *Quia nobis intimare curasti qualiter, auctore Domino, detestabilis ille proditor, ille subdolus inimicus, Rex Granatæ suam cervicem ferream tuo tandem submisit imperio, & speratur quod reliquiæ barbarorum rebellium in brevi simile facere compellantur. Benedicamus igitur Deum cœli, qui tuo laudabili ministerio Ecclesiam suam respiciens, bella contenit, fidei comprimit adversarios in Hispaniæ partibus, tam benevolæ favorem victoriæ, ad partes alias cum in oculis acceptum fuerit, extensurus, &c. Datum Viterbii* X. *kal. novemb. anno* III.

Signa in Sarracenos attollit Alfonsus. Archiep. Toletan. castra regia sequitur.

(*a*) *Lib.* 3. *ep.* 69.

Rex Granatæ perdomitus ab Alfonso.

(*b*) *Tom.* 2. *ep.* 389.

Gratulatoriæ de parta victoria Clementis ad Regem Castell. literæ.

XXXII. Nec armorum modo, sed pietatis etiam gloria florebat Alfonsus; poscentique lipsana, Clemens ejus desideria religioso pretiosissimoque munere cumulavit (*c*). Simile augustum donum Pontifex ad abbatem S. Ægidii, nimirum brachium S. Georgii martyris transmisit (*d*) Cumque de sacris reliquiis mentio inciderit; addemus ex Clementis literis (*e*) ad abbatem monasterii montis majoris Arelatensis diœcesis, sacrum corpus S. Antonii conditum esse in ecclesia, quæ in oppido ejus nominis erecta est, quo populi concurrere, ac maxime sacro igne tacti confluere consueverunt: id vero, infelici nostro sæculo sanctorum ossores Hugonoti impie exussere. Sed ad Alfonsum, a quo aberrat oratio, redeamus. Flagitaverat, ut episcopalis sedes ex Sidona, quam ante Saracenis eripuerat, in S. Crucis ecclesiam insulæ Gaditanæ transferretur: quamvis enim Urbanus episcopo Abulensi eam provinciam demandasset, perducta res ad exitum non fuerat, quod Hispalensis archiepiscopus suam ecclesiam ex eo gravari opponeret, contenderetque illam insulam suæ diœceseos terminis contineri. Clemens igitur Conchensi & Cordubensi episcopis discutiendæ rei munus injunxit, (*f*) ac tanti Regis pia desideria perficere, atque Hispalensem ad concordiam reducere niterentur.

Alfonsi in sacras reliquias pietas.

(*c*) *Ib. post ep.* 332. & *ep.* 316.

(*d*) *Ib. ep.* 394.

(*e*) *Lib.* 3. *ep.* 90.

E Sidona ad Gades traducta episcopalis sedes.

(*f*) *Ib. ep.* 26.

XXXIII. Partæ ex triumphatis Saracenis ab Alfon-

(a) An. 1266. Jacobus Rex Aragonum significat Pontifici expeditionis Syriacæ votum.

fonso (a) gloriæ communicabat Rex Aragonum, cujus virtute Murciam captam vidimus, sed longe pietatis laude erat inferior: Berengariæ enim fœdis amoribus irretitus in flagitio volutabatur: urebat tamen eum reparandæ Terræ sanctæ religiosa cupiditas: atque obsequium Pontifici deferenti, rescripsit (b) gravissime Pontifex sanctissimus, Crucifixum ejus obsequiis non egere, qui ipsum iterum in perversa conscientia crucifigeret: atque hortatus est, ut se a nefariis amplexibus divelleret; ni faceret, Crucifixi gratiam non posse colligere: ac si perstaret in crimine, censurarum terrorem incussit.

(b) To. 2. ep. 292.

*Charissimo in Christo filio Jacobo Regi Aragonum illustri.*

Respondet Clemen. ut prius Berengariam pellicem abiiciat.

*Tuæ serenitatis literas recepimus inter alia continentes, quod ad transfretandum in Terræ sanctæ subsidium pro vindicanda Crucifixi injuria te disponere proponebas.* Solicitatum fuisse Jacobum Regem a Tartarorum Chami oratoribus, ut expeditionem Syriacam pro recuperando sepulcro Dominico susciperet; ac tum ipsum, tum Palæologum Græcorum Imperatorem illi auxilia pollicitos, refert Surita (c): *Quod licet cum gaudio receperimus, scire tamen te volumus, quod illius obsequium Crucifixus non recipit, qui incestuoso contubernio se commaculans, in se ipsum iterum crucifigit. Ideoque serenitatem tuam, sicut alias, sic & nunc iterato familiariter rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus nobilem mulierem Berengariam, quam in carnale commercium, non absque nota incestus, & salutis tuæ discrimine admisisti, a te prorsus abicias; nec ei ulterius copula miscearis carnali: aliter enim complacere non poteris Crucifixo, nec injurias ejus redimere, si ab ejus injuriis ipse nolueris abstinere. Insuper autem scire te volumus, nisi nostris monitis acquieveris, nos te ad dimittendam eandem per censuram ecclesiasticam compulsuros. Dat. Viterb. XVII. kal. februarii anno II.* Tulit iniquiore animo pontificias objurgationes Jacobus, atque illorum instar, qui sua a medico attrectari vulnera pati non possunt, querelas effudit. Cui Clemens apostolica constantia rescripsit, (d) desineret scelerate vivere ac lascivere, nec ferret graviter se paterno amore corripi.

(c) Surit. l. 3. annal. c. 74.

Fert ægre correptionem.

(d) Libell. Clem. pag. 53.

XXXIV. Gloverniæ comes Londinum occupat.

Hoc ipso anno, quo Hispania compressis Granatensibus Saracenis triumphavit, Anglia etiam ex immensis calamitatibus, quibus tot annis mersa jacuerat, caput extulit. Antequam tamen pax optatissima adduceretur, a Gilberto Gloverniæ comite nonnihil turbatum est; is enim, dum Henricus perduelles Remesiæ edomaret, insigni proditione Londinum quasi Regi auxilium laturus ingressus, occupavit (e); ac legato, nimirum Ottobono Card. qui in arce Londinensi habitabat, ut eam dederet, edixit. At is comitem ad officium frustra adducere conatus, perturbatores regni anathemate devinxit, Londinum & contigua loca interdicto subjecit, atque ad defendendam contra hostem arcem se comparavit. Interea Eduardus triginta millibus armatorum succinctus, patri suppetias laturus advolavit: crescenteque in dies exercitu regio, ac Londinum accedente, perduelles in Regis obsequia procubuere. Cujus concordiæ felix nuntius Pontificem ingenti lætitia perfudit: *Perlato*, inquit, (f) *noviter quod pietatis oculo Regem, regnum, cæterosque prædictos pius & misericors Dominus ex alto respiciens, post confragosæ nubila tempestatis serenitatem illis optatæ tranquillitatis indulsit, tanto magis exinde gaudemus in Domino, tantoque libentius ad ejus solidationem & conservationem intendimus, &c.* Quod ad pacis initæ cum Gloverniæ comite, qui regiam majestatem gravissime læserat, attinet; redeuntem, ut diximus, excepit Henricus, ac nonnullas cautiones ab eo exegit, quo lubricæ fidei hominem obsequio suo adstringeret: atque ita inter eos conventum, ut Pontificem, si quo alio opus foret, ad alligandam ejus fidem arbitrum constituerent. At Clemens præter decem millium marcharum argenti mulctam, quam ipsi imposuerat, si iterum comes bellum moveret, aliaque juramenta nuncupata, hæc edixit (g): *Cum super diversis excessibus, quos præfatus Rex in regiam majestatem per dilectum filium nobilem virum Gilbertum comitem Gloverniæ, ac suos querebatur fuisse commissos; quosque eandem eis de clementia innata remisit, inter eos sedata discordia securitatem ab eodem comite peteret de guerra sibi in posterum non movenda; idemque comes se super hoc securitatem præstare paratum, per juramenta, literas, & fidejussores sub pœna decem millium marcharum argenti offerret; demum idem Rex, & comes se nostro arbitrio taliter submiserunt, ut si nobis in prædictum modum oblata securitas nequaquam sufficiens videretur, liceret nobis infra instans festum Purificationis B. Virginis de alia providere.* Hæc vero a Pontifice pacis arbitro data Gloverniæ comiti, ad illius astringendam fidem, imperia: *Tradat infra decem dies, postquam per dilectum filium nostrum Ottobonum S. Adriani diaconum Card. A. S. L. super hoc fuerit requisitus in manibus dilecti filii nobilis viri Henrici, primogeniti ejusdem Richardi in Romanorum regem electi, castrum de Tanabruge Roffensis diœcesis, ipsius comitis custodiendum expensis; vel filiam suam primogenitam charissimæ in Christo filiæ nostræ*

(e) Vvestmon. Flor. hist. an. 1267.

Ab Eduardo ad obsequium adigitur.

(f) Lib. 3. ep. 138.

Quibus legibus in gratiam admissus.

(g) Ibid.

Remissæ ab Henrico Regi comiti injuriæ.

Pontifex pacis delectus arbiter.

Gilbertum Glovern. com. Taburgum militi præsidiario firmandam dare jubet.





*A. Reginæ Angliæ illustri; aut, si maluerit idem comes, dilectæ in Christo filiæ uxori dilecti filii Eduardi primogeniti dicti regis, ab eis in obsidem ob eamdem causam triennio tenendam, assignet, &c. Dat. Viterbii III. idib. januarii an. III.*

Ottoboni egregie gesta in componendis turbis.

Nec Gilbertus modo Gloverniæ comes, verum etiam Leolinus Walliæ princeps civili eo bello irretitus Ottoboni Cardinalis opera arma abjecit, atque Regi Henrico conciliatus est. Ob rem bene gestam Clemens legato suo est gratulatus, & composita Anglia Romam venire cupienti rescripsit (a): *Laborasti satis diu, & te Dominus in tuis laboribus honestavit & humano judicio jam complevit eosdem: nisi forsitan Anglicanæ gentis mobilitas, quæ timetur, iterato surgat in scandala solita levitate.* Tum, quamvis ejus presentia Angliæ perutilis videretur, concessit, ut in Hispaniam ad lustrandum S. Jacobi templum peregrinaretur.

(a) To. 2. ep. 401.

XXXV. Archiep. Narbon. in crimen hæresis vocatus.

Dum optime administrandæ universæ Ecclesiæ Clemens operam dabat, sparsus illum nascentis hæreseos rumor perculit, delatumque ipsi est, Narbonensem archiepiscopum viro prænobili dixisse, Christi Domini corpus non vere, sed velut in signo tantummodo in augustissimo altaris Sacramento contineri. Quæ fama gravissimo Pontificem dolore, quo magis illi antistiti amicitia erat conjunctus confodit. Ut tamen exquireret veritatem, literas ad eum dedit (b), quibus præcepit, ut scriptis verbisque, si talia insana verba fudisset, revocaret.

(b) To. 2. ep. 391.

*Venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi.*

Negasse Christum in Eucharistia nisi velut sub signo consistere.

*Familiariter tibi scribimus, illo dumtaxat conscio, qui præsentem exaravit scripturam, ad nostrum nuper pervenisse auditum, quod tu in nostra existens curia, cuidam magno viro tecum de Sacramento altaris conferenti, dixisti corpus domini nostri Jesu Christi sanctissimum essentialiter in altari non esse, sed tantum sicut signatum sub signo; & hanc celebrem esse opinionem Parisiis adjecisti. Repsit autem hic sermo latenter inter aliquos divulgatus, & ad nos postremo perveniens, scandalizavit nos plurimum: nec facile nobis extitit credere talia te dixisse, quæ hæresim continent manifestam, & illius Sacramenti derogant veritati, in quo fides eo negotiatur utilius, quo sensum superat, intellectum captivat, & suis legibus subiicit rationem. Eapropter tuæ fraternitati consulimus, ut non plus sapias quam oporteat; non imponas Parisiensibus, quæ non sequuntur: sed fatearis humiliter, & firmiter teneas, quod communiter tenet Ecclesia; quod sancti docent, & prædicant, sub speciebus scilicet panis & vini post sacra verba, juxta ritum Ecclesiæ ore sacerdotis prolata, esse vere & realiter & essentialiter corpus & sanguinem domini nostri Jesu Christi, licet localiter sit in cœlo; & si forsan haberes memoriam, cui vel quibus asseruerisid, scripto vel verbo revoces, ne de te male sentiant, qui male judicant de tam insigni mysterio te sentire. Dat. Viterbii V. kal. novembr. anno III.*

Parisiensi academiæ errorem eundem impegisse.

Arguitur a Clemente, ac de rei veritate instruitur.

Jubetur dicta revocare.

Exclamavit, acceptis hisce literis, Narbonensis archiepiscopus, impositam sibi ab inimicis teterrimam calumniam: atque apologeticum libellum ad Clementem dedit (c), in quo pluribus argumentis mysterii veritatem explicuit, corroboravit, & omnia sua dicta censuræ Romanæ ecclesiæ subjecit.

XXXVI.

(c) Ext. ib. post ep. 446.

*Ad Papam.*

Texit apologiam archiepisc.

*Rem horrendam, summe detestabilem, hæresim manifeste continentem proprio motu sancta vestra paternitas suo devoto filio decenter scripsit, nos dixisse cuidam magno viro, dum olim essemus in Romana curia, conferendo cum eodem, adiicientibus nobis Parisiis celebrem esse opinionem, corpus Christi non essentialiter & vere esse in altari, sed sicut signatum sub signo, prout repsit postmodum latenter sermo * ad vestram audientiam pervenit. Quod si memores essemus nos dixisse, aut forsan lingua labente dixissemus, studeremus revocare, quod nequaquam cogitavimus: nec os nostrum polluimus errore tanto, vel minore in aliqua facultate testimonio Parisiensium doctorum. Quod si quis vellet in dicti falsi impositione contra nos persistere promptos nos inveniet in mortem, & in vitam ire. Sed Pater sanctissime narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex vestra & nostra tenent: immo verbum iniquum constituerunt adversum me tam impudenter, quam irreverenter, non parcentes pontificali, quam forte desiderant, dignitati; sed in præfati dicti insaniam stimulati a sathana inciderunt transcendentes, qui Dei virtutem juxta modum naturalium rerum metientes, audacius ac periculosius veritati contradixerunt, ut magister Lombardus recitat in principio decimæ distinctionis quarti sententiarum, asserentes in altari non esse corpus Christi, vel sanguinem; nec substantiam panis & vini in substantiam carnis & sanguinis converti; sed ita Christum dixisse. Hoc est corpus meum: sicut dixit Apostolus ad Corinthios: Petra autem erat Christus: dixerunt ibi esse corpus tantum in Sacramento, id est in signo, & solum in signo a nobis manducari. Et hæc prima hæresis facta est in discipulis Christi dicentis: Nisi manducaveritis carnem & sanguinem, non habebitis vitam; etenim dixerunt: Durus est hic sermo. Quis potest audire? Et abierunt retro, instruente Christo illos XII. qui remanserunt, & dicente: Spiritus est, qui vivificat, caro non*

Pluribus argumentis fidem confirmat.

* qui.

Queritur impactam sibi atrocem calumniam.

Hæreticorum de hoc Sacramento errorem exponit.

*non prodest quidquam. Verba, quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt; quia sacramentum, quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Et infra: *Hoc est illud corpus, de quo Eusebius ait: Hoc corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus: necesse erat, ut die cœnæ sacramentum corporis & sanguinis consecraret, & commendaret nobis, ut coleretur jugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium, forma dicta a Domino consecratione verbi cœlestis, quod corpus sit consecratum; sive caro Christi interiorem hominem reficit spiritualiter, & saginat.*

XXXVII. Corpus Christi multipliciter sumptum.

*Non tamen lateat Pater sancte, quod vos scire nullatenus dubitamus, quod quatuor modis dicitur sumi. Primo similitudine, ut species panis & vini, & hoc improprie. Secundo materialis caro Christi crucifixi & lanceata, quæ prius de Virgine suscepta est; & sic proprie accipitur. Tertio ipsa Ecclesia, vel ejus unitas mystica. Quarto ipsa caro Christi spiritualis (nimirum non corporeo & visibili modo sensibus obvia) quæ vere cibus est. Quam carnem qui manducant spiritualiter, veritatem carnis in sanguine dicuntur sumere, quia ipsam efficientiam, id est ipsam peccatorum remissionem habent, pro qua sic oratur, cum dicitur: Proficiant nobis quæsumus Domine, tua sacramenta, quod continent, ut quod nunc spe gerimus, rerum veritate capiamus; id est prædictam efficientiam, & etiam verum corpus Christi, quod sic sumitur, & quod invisibile est in altari, ut & dicit Augustinus, visibiliter in cœlo, quia in forma humana; sed in altari invisibiliter, scilicet in forma humana, quod sub speciebus panis & vini operitur. Ubicumque in altari celebretur, integrum est, & non per partes discerptum, ut illi dixerunt, qui retro abierunt. Verus ergo Deus & verus homo est in hoc Sacramento, quod est corpus Christi plenum gratia & divina majestate, rerum veritatem & naturam in se continens, mystica consecratione panis in corpus, & vinum in sanguinem substantialiter conversum vi verbi divini, & secreta potestate creaturam mutantis in memoriam dominicæ passionis.* Et infra: *Non ut asseruerunt hæresis primæ falsi Christi discipuli, ut signatum solum in signo, vel sub signo a veritatis tramite, & orthodoxæ fidei catholicæ recedentes per errorem.*

Transubstantiationem fatetur.

XXXVIII. Cur sub speciebus sacramentalibus sumatur.

*Ut igitur fides habeat meritum, & non esset horror carnis & sanguinis, nec ridiculum a paganis; nec sub humana specie sumitur, sed sub speciebus sacramentalibus panis, & vini: unde dicit Hilarius Papa, quod non est quantitas visibilis in hoc existimandæ mysterio, sed spiritualis virtus sacramenti; id est, non est ibi in illa repræsentatione, quæ humanis sensibus subiici valeat repræsentari; vera tamen substantia, & quantitas corporis Christi, & virtus Sacramenti spiritualis, videlicet uniens cum corpore mystico; scilicet quod dicit Hugo de S. Victore. Sed de his hactenus; quia mysterium fidei credi salubriter potest, investigari autem curiose salubriter non potest: voluntati ejus atque potentiæ salubre, atque mirabile hoc Sacramentum & super naturam penitus ascribendum.*

*Sed Deus hujus sæculi operatur in illis diffidentiæ filiis, qui non rationi voluntatem subiiciunt in sapientia: verba contra nos callide coaptare nituntur, non veri, sed placiti rationem sectantes: quos iniqua voluntas, non intelligentiæ veritas, incitat: dum ad fabulosam calumniam se convertunt, loquentes mendaciter hypocrisim, quia in verbis eorum pietas, quam amisit conscientia, prædicatur.* Et infra: *Absit ergo Pater sanctissime, quod contra dominicæ fidei professionem, per vipereæ doctrinæ fraudulentiam in aliquo infidelitatis, aut sacrorum fermentationi vel sathanæ aditum pandamus, ut a sanctorum patrum vestigio, atque sanctæ matris Ecclesiæ discedamus limitibus, & vestris. Hæc manus nostra rudi calamo conscripsit per vestram summam, præeminentemque sapientiam corrigenda in suis sententiis aut verbis. Sanctitatem vestram conservet Dei Filius in longitudinem dierum. Amen.*

Declamat in calumniatores.

XXXIX. Jam cœperat dæmon afflare sceleratis vesanum illum errorem, quem diu ante Berengarius sparserat; de quo fuse Card. Baronius in Annalibus suis agit. (*a*) Serpebat etiam hæc hæresis in Germania: in Vallicellano enim codice MS. extat epistola (*b*) objurgatoria, qua Pontifex Bremensem archiepiscopum perstringit, eo errore pestifero imbutum Thidericum Bavarum Hamburgensem canonicum virus spargentem inerter ferre, censuraſque in eum distringere, cogereque hæresim palam evomere jubet.

(*a*) Baron. in Annal. an. 1004. n. 7. an. 1035. n. 1. & an. 1050. n. 1. &c. n. 11. &c.

(*b*) Cod. Val. bibl. sign. lit. C. n. 49. pag. 102.

*Archiepiscopo Bremensi.*

*Ille doctor & prædicator egregius, cujus prædicatio mundum docuit universum, præsumptuosam eorum audaciam refrænare solicitus, qui majestatis indigni & temerarii scrutatores, digne nimirum a gloria opprimuntur, non plus sapere quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem, salubri doctrina suggessit, ut juxta sapientis eloquium quisque suæ prudentiæ modum ponat, sicque comedat ex melle invento, quod sufficit, ne illud evomat saturatus.* * *Sed sicut nuper fide dignorum relatione didicimus, magister Thidericus Bavarus, ecclesiæ de Hameburg canonicus, non ea quærens, quibus se ad humilitatem erudiat, patientiam servet, ac mores suos in*

* Sane Thidericus Bavarus in Germania errores circa euchar. spargit. Qui fuerint illi.



*in tranquillitate disponat; sed illa scrutans potius, quibus loquacior appareat, vel doctior hominibus videatur; non sobrie sapit, sed nimiæ vanitatis ebrietate desipiens, cognitionis supernæ scientiam, quo plus innodatis ausibus appetit, plus amittit, ausus infrascriptos errores detestabiles prædicare publice, ac docere. Primum videlicet, quod corpus Christi non sit in sacramento altaris, nec vere, nec proprie; sed significative. Secundum quod non sumitur corporaliter, sed spiritualiter. Tertium quod aperitur cœlum, descendunt Angeli, & species rapiuntur in cœlum, & ibi fit transubstantiatio. Unde: Jube hæc perferri, &c.*

XL. Bremensis archiep. illi favet.

*Et licet super iis apud te delatus, in synodo publica, in Bremensi ecclesia congregata; & demum per te respondere ad singula requisitus, se velle respondere negaverit, asserens se paratum Romanam curiam propter hoc, si opus esset, adire; tu tamen non veritus, quod tantam magistri ejusdem approbare videreris infamiam, illam compescere, prout decuit, negligendo, non solum contra eum procedere in aliquo neglexisti; verum & postmodum tractasse diceris, ut reciperetur idem magister in præfata ecclesia in canonicum & in fratrem. Profecto si quæ sunt hæc fidei orthodoxæ contraria; si tui officii debitum, quo te specialiter ad ipsius fidei defensionem obligat, attendisses, si considerasses attentius, quod talia nisi omnino in suis extinguantur initiis, serpunt latius, periculosius dilatantur; proculdubio puderet te, prædicta sub dissimulationis negligentia transivisse. Ideoque monemus, quatenus eundem magistrum per censuram ecclesiasticam, & omni qua poteris districtione compellas; congregatis clero & populo in locis, in quibus expedire videris, ipsisque astantibus, & audientibus; præfatos publice detestari errores, & etiam abjurare, & aperte asserere ac prædicare contrarium secundum ejusdem fidei veritatem. Alioquin, vel si forsan post detestationem & prædicationem hujusmodi, eum in errores eosdem relabi contingeret, ipsum captum ad sedem Apostolicam sub fida custodia destinare procures, pro meritis recepturum. Contradictores, &c. Quidquid autem super iis duxeris faciendum, nobis per tuas patentes literas, harum seriem continentes, studeas celeriter intimare.*

Corripitur a Clemente.

Jubetur hæresiarcham ad errores abjurandos adigere.

Hæc fuere sanctissimi Pontificis ad præfocandam in semine nefandissimam hæresim studia. Qui dum Guidonem tit. S. Laurentii in Lucina presbyterum Cardinalem A. S. L. revocavit (*a*) questusque est, multa se de feritate, atque erroribus gentium Germaniæ, ac Daniæ accepisse. Ut vero Guido etiam legationem in Polonia gesserit, rursum paulo inferius agetur. Addemus modo Poloniam novo lumine collustratam, ascripta solemni ritu a Clemente hoc anno in sanctorum numerum Hedvvige ducissa. [1]

(*a*) To. 2. ep. 319.

XLI. Salonius a B. Edvvige docetur quando SS. catalogus ascribenda sit.

Actum jam antea ea de re sæpius fuerat, ac Pontificibus rem extrahentibus, quo veritas miraculorum, ac sanctitatis illustrius efflorescceret, defatigati Polonorum oratores erant. Inter quos Salomon, (*b*) ob id mœrore confectus, dum quiescebat, objecta ipsi in somnis Hedvvige, ab ea recreatus est, diemque accepit, quo tanta celebritas perficienda foret: qui egregie animatus, ad Pontificis aulam se contulit, remque eo ardore ursit, ut Clemens, instructo vitæ ac miraculorum B. Hedvvigis libello, solemni pompa in cœlitum numero illam collocarit. Qua de re editum diploma (*c*) archiepiscopo Gnesnensi & suffraganeis transmisit, in quo post insignia elogia illam cum sanctis veteris testamenti feminis Juditha & Jabel conferens, addit.

(*b*) *Long. hist. Pol. ad an. 1266. c. ult. Mat. Michov. l. 3. c. 56.* Nobilitatem generis ornarat virtutibus. Clem. Hedvvigem in SS. albo collocat.

XLII.

*Ipsa est piæ memoriæ sancta Hedvvigis, cujus per sanguinis derivationem natalium claritas sic refulsit, quod ab iis, qui sceptra gestarunt regnorum, quosque insi-*

(*c*) *Ext. in Bullar. in Clem. IV.*



NOTÆ [1] SYnodum illam Bremensem, in qua Theodoricus Bavarus Hamburgensis Canonicus asfertæ hæresis Berengarianæ contra Eucharistiæ sacramentum reus postulatus appellatione ad Romanum Pontificem interposita, damnationem evitavit, ad Synodum Bremensem anni superioris, de qua in nota ad eundem annum num. 40. referendam censeo. Quamquam non diffiteor circa eas regiones, & loca, hoc pariter anno 1267. celebratum fuisse provinciale Concilium, de quo hæc prodit æqualis Author Chronici Danici apud Ludewig in Reliquiis tom. IX. pag. 83. *A. C. CIDCCLXVII. Regnum denuo suppositum est interdicto, & renovatum, & celebratum, & (sic) Concilium a quatuor Episcopis, scilicet, Jacobo archiepiscopo Lundensi, Petro Roschildensi, Eigero Ripensi, Bondone Slevicensi; in quo concilio excommunicati sunt Tuchc Episcopus Arhusiensis, Johannes Burglauensis, & plures alii Prælati.* Concilium istud esse aliud credo a Bremensi, de quo mox egi, cum Bremense illud anno superiori a Guidone legato; hoc vero quamquam in loco ignoto coactum, anno præsenti a Jacobo archiepiscopo habitum est. Cognitionem vero causæ Theodorici Bavari ad Synodum, cui præfuit Bremensis archiepiscopus spectasse exploratum est. Nisi forte dixerimus Bremense, cui Theodoricus se reum sistit, plane diversum esse a Bernensi anni 1266. cum Theodorico dies dicta fuisse videatur ad Concilium quoddam a Bremensi archiepiscopo habitum. Bremense vero anni superioris ab apostolico legato actum fuit. Id si admiserimus in nulla Conciliorum collectione Concilium Bremense illud, quod Theodorici causam discussit, sicut & Danicum illud anonymi Dani Ludewigii nondum legitur. MANSI

*insignes efficit Imperii celsitudo, tamquam propago generosa processit; radiis nobilitatis plus splendoris adiiciens ex se ipsa, quam sibi, unde originem traxerat, provenerit ex radice: pro quo si secundum carnem & mundum gloriandum fuerat, merito potuit nullo blandiente mendacio gloriari. Sed cum hujuscemodi gloria, plerumque virtutis prospectum evacuans, in elationis præcipitet vitium, quos exaltat; ut in ejus pectore virtus Christi per gratiam redundaret uberius, non in ea, quæ est carnis nobilitas, sed in suis dumtaxat infirmitatibus gloriam assumebat; advertens fructibus divinæ dilectionis nequaquam destitui, nec munere supernæ benedictionis illos fraudari, quos salutiferæ infirmitatis acredine a patre contingit benevolo visitari.*

XLIII. Sanctissime in conjugio se gessit.

*Porro dum puerula fuit, vix quicquam puerile gessit in opere: & productioris ætatis tempore succedente, ne adversario ulla occasio maledicti suppeteret, cum claræ memoriæ Henrico duce Poloniæ matrimonium duxit legitime contrahendum: in quo, tripartitum bonum conjugii salubriter conservando, sic prudenter se gessit, quod thori fidem inviolatam custodiens, & prolem in Dei timore susceptam erudiens, ab ipso duce; cui non præcipiti voluptatis affectu, sed discreto semper inhæsisse judicio creditur rationis; quousque est assumptus de medio per separationis injuriam, non divertit. Licet ut orationi & contemplationi vacarent, devotius thorum ex pari voto & consensu unanimi, per multa annorum curricula habuerint sequestratum: cum Creatori suo minus obsequi valeat ad plura distractus animus; & viro placere cupiens mulier, in his, quæ Dei sunt, interdum segnior habeatur.*

XLIV. Soluta viro vitam monasticam amplectitur.

*Ipso denique duce Christianissimo, prout asseritur, spiritum exhalante, protinus ad illius, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur, tamquam libera, & a lege viri terrestris soluta familiare consortium amplius aspiravit. Sed cum non inveniatur in terra suaviter viventium, cœtumque malignantium detestetur, ubi potuit, cum totus mundus in maligno sit positus, reperire? Ubi eum quæsivit? Ubi illum invenit, cujus desiderio languit? Et quidem dum difficultatem inveniendi attenderet, & non posset non quærere, quem amabat; fluctuabat nimium ipsius animus, & inter perplexitatis scopulos vehementius jactabatur.* Et infra: *Hinc sancti Spiritus unctione, cujus est docere de omnibus, taliter erudita casti, amoris suffragante vehiculo, ad monasterium Trebnicense Cisterciensis ordinis eo celerius trahitur, quo minus terrenis affectibus aggravatur. In cujus quidem monialibus intentionis simplicitas & mentis puritas sic placebant, quod cum eis esse divina clementia credi erat suas delicias deputasse: & licet, quæ regularis disciplinæ fuerant, quantum suo licebat statui, præ cunctis monialibus observaret; votum tamen professionis emittere & renunciare proprio renuit, non ob aliud, prout fertur, nisi ut haberet unde palmam porrigeret inopi, & aperiret munificentiæ dexteram indigenti. Invento itaque ibi quem quæsierat anima sua, floridum in conscientia sibi protinus lectum parat: & ex suavi contemplatione, tamquam ad ejus amplexus admissa, haustu novæ captæ dulcedinis, ex tunc amarum censuit, quidquid calix propinat aureus Babylonis: dedignabatur enim, tamquam ejus inebriata amore, loqui seu audire de alio quam de ipso.*

Pauperatis votum non emittit ut inopi succurrat.

XLV. Eximio pietatis sensu delibuta intererat divinæ rei.

Pergit singulas illius virtutes delibare: inter quas insignis pietatis erat sensus, quo dum divinæ rei intererat, delibuta visebatur: *Divinis*, inquit, *officiis, & missarum præsertim, sic attente vacans solemniis, quod a solis ortu usque ad meridiem ab ecclesia, dum hujusmodi dicerentur officia, non discessit: non torpore languida, nec acidiæ, quantum perpendi poterat, malo, interim fatigata: nec tamen sessionis, cum hujusmodi solemnia cantarentur, quis eam existimet se dedisse quieti, cum tunc vel staret erecta, vel curvato poplite oraret reflexa.* Addit qua constantia suam voluntatem divinæ accommodarit, cum filium a Tartaris cæsum inaudiit: adeo ut vultum mœrore non contraxerit, sed martyrio affectum lætas numini grates retulerit. De qua re nos superiori tomo ex Joanne Longino suo loco disseruimus (*a*). Subjungit plura miracula, quæ illius sanctitatem illustrarunt, puerum ad vitam revocatum, affectos variis morbis pristinæ valetudini restitutos: ob quæ divina beneficia ad Hedvvigis imploratam opem collata diligenti discussa examine ipsam sanctorum catalogo decreverit ascribendam; immo verius, ut ait, jam ascriptam renuntiaverit. Deque recolenda illius memoria singulis annis recurrentibus hæc Polonis præsulibus dat imperia: *Fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus festum ipsius sanctæ idibus octobris; die videlicet, quo de via migravit ad patriam, & de mundanis transcendit finibus ad coronam; attenta devotione celebrare curetis, ac faciatis per vestras civitates & diœceses a Christi fidelibus solemniter celebrari.* Ut vero fideles ad sepulcrum illius adeundum alliceret, anni & dierum quadraginta indulgentiam, recurrente die festo, illud veneraturis impertitur. *Datum Viterbii* VII. *kalend. aprilis pontificatus nostri anno* III.

(*a*) *An. Chr.* 1245. *n.* 10.

De recolenda illius memoria.

XLVI.

Dum nova instituta S. Hedvvigis celebritate Polonia exultabat, armorum sacrorum strepitu fremebat Bohemia. Rex enim



Othocharus in Lituanos bellum suscipit.

enim Othocharus cruceatæ militiæ contra Lituanos aliosque barbaros, qui Tartaris conjuncti præteritas calamitates septentrionalibus Christianis intulerant, se devovit. Cui Clemens apostolica auctoritate eas omnes ipsorum terras, quæ ante Theutonicis religiosis equitibus non erant concessæ, occupandas exposuit: (*a*) ut si eas in suam redigeret potestatem, principem strenuum Romanæque ecclesiæ studiosum præficeret.

(*a*) *Lib.* 3. *ep.* 139.

*Regi Bohemiæ illustri.*

Clementis lit. ad Regem Bohem.

*In tui magnificentia culminis, mater Ecclesia quamplurimum delectatur, dum intentis & devotis studiis elaboras, statum magnificare fidelium, & procurare Christianæ religionis augumentum. Hoc igitur providentia sedis Apostolicæ digne considerans, tibi per suas literas olim dicitur concessisse, ut terras, quas de manibus Lituanorum, & aliorum infidelium; si tamen Tartaris, vel aliis Christiani nominis inimicis se prout ferebatur, damnabiliter copularant; eriperes, illis dumtaxat exceptis, quæ ad dilectos filios magistrum, & fratres hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, vel ad alios Christi fideles pertinebant; ad manus tuas libere posses, ac licite retinere. Unde cum, sicut asseris, signo vivificæ crucis assumpto, proponas in brevi, favente divina clementia, extento potentiæ tuæ brachio procere contra illos, ac tandem in finibus locorum, quæ prædictis infidelibus remanere contigerit, magnum constituere præsidium bellatorum, ad infidelium eorundem locorum populum, saltem per vexationis angustias, ad caulam Domini reducendum; nos zelum tuæ devotionis, qua circa cultum orthodoxæ fidei ampliandum fervere dignosceris; tuumque pium in hac parte propositum, utpote laude dignum, multipliciter in Domino commendantes, & intendentes te prosequi favoris gratia plenioris; regiis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut si terram Letovviæ, de qua prædictæ sedis auctoritate regnum extitit constitutum, præsidente illi claræ memoriæ Mindota, qui post receptum baptismatis sacramentum auctoritate apostolica coronatus in Regem, fuit tandem a quibusdam perditionis filiis crudeliter interfectus* (his confirmantur quæ de ipso superius dixi) *de manibus inimicorum tuo ministerio eripi Domino præstante contigerit; in illa regni solium, sicut prius, erigere libere valeas, ac illius regimini personam fidelem, & ecclesiæ Romanæ devotam præficere, prout bono statui fidelium, & augmento catholicæ fidei videris utilius expedire. Nolumus tamen per hoc prædictis magistro & fratribus hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, quoad terras, bona, & jura spectantia ad eosdem, sive ea teneant, sive ab aliis etiam infidelibus teneantur; in aliquo præjudicium generari. Nulli ergo, &c. Dat. Viterbii* XIII. *kalend. februarii anno* III.

Conjunxerant Lituan. arma cum Tartaris.

Letoviam armis comparandam illi attribuit.

Mindota Rex ab hostibus fidei cæsus fuerat.

Crucieferorum juribus consulitur.

XLVII.

Detulerat etiam Bohemiæ Rex Clementi operam suam, pro liberando patriarcha Aquilejensi, quem Maynardus Goritiæ comes per summum scelus in vincula adduxerat; (*b*) collaudatoque ejus studio, sanctissimus Pontifex monuit, (*c*) ne fœdere comiti jungeretur: plures enim principes partam gloriam, inita cum hostibus Ecclesiæ conjunctione, corrupisse: *Licet pacem amare nos deceat, si comitem habeat veritatem; quia tamen sub pacis specie pati contraria procuratur, magnitudinem regiam attentam reddimus, & cautam esse volumus & rogamus, ne cum inimicis Ecclesiæ fœdus ineat, & amicitia his, qui sunt contra Dominum, conjungaris: salvo tamen in omnibus charitatis affectu, quem ipsis & inimicis præcepit Dominus exhiberi; sciens quod hujusmodi fœdera multorum merita denigrasse dicuntur, quorum opera Deo placuerant, ob hoc solum a Domino reprobata. Dat. Viterbii* II. *kalend. octobris anno* III. Demum Aquilejensem patriarcham post plures a Pontifice adhibitos labores (*d*) libertati restitutum, refert chronicon Salisburgense (*e*).

(*b*) *Chr. Salisburg. apud Canis. to.* 6. *pag.* 1268.
(*c*) *Tom.* 2. *ep.* 381. Othocharum Pontif. deterret a jungendo cum hostibus Eccl. fœdere.
(*d*) *Clem. to.* 2. *ep.* 389. & *lib.* 3. *ep. cur.* 29.
(*e*) *Chron. Salisb. apud Canis. antiq. lect. ubi supr.*

XLVIII. S. Ludovicus cum tribus filiis expeditionem in Syriam vovet.

Superavit Bohemi Regis, qui finitimos barbaros subiicere Ecclesiæ statuerat, pium ardorem S. Ludovicus Francorum Rex, qui se ad profligandam Saracenicam superstitionem Christo hoc anno addixit una cum tribus filiis, ut in primo juventutis flore pro Christo arma gerere, ac fundere sanguinem discerent. Assumpsit augustum crucis signum festo Annunciationis dominicæ die, ut Clemens Papa Ottobono Cardinali in Anglia legato significavit (*f*): *Scire te volumus quod in die Annunciationis dominicæ charissimus in Christo filius Ludovicus Rex illustris Franciæ cum tribus filiis suis Philippo, Joanne, & Petro crucem assumpsit: & cum eo Atrebatensis, Britanniæ, Flandriæ, Alegii, & quidam alii comites, barones, milites in magno numero qui per Dei gratiam de die in diem augentur. Tempus passagii nondum scitur: sed subsidium militum ad Terræ sanctæ subsidium interim destinatur.* Agitasse diu animo eam expeditionem sanctum Ludovicum, & Clementi secretiorum nunciorum opera se illius suscipiendæ desiderio teneri significasse, tradit Nangius (*g*): ac Pontificem re diu deliberata assensisse. Invaluerant enim viribus & animis adeo Saraceni, totque ac tam validis excursionibus & præliis lacessebant Christianos; tot arces oppidaque deleverant, ut amplius violentos illorum impetus, quæ supererant, reliquiæ sustinere non possent, ni

(*f*) *To.* 2. *ep.* 320.

Plures principes illius exemplo crucem induunt.

(*g*) *Nangi in reb. gest. S. Lud.*

ni præsenti ac potentissimo auxilio fulcirentur. Consentit Nangio Gaufridus e Belloloco, (*a*) qui sancto Regi a confessionibus erat, quique Gregorii Papæ X. jussu (*b*) præclara ejus gesta, ut suo loco dicetur, conscripsit. Cujus auctoris verba adducenda ad historiam insignem illustrandam visa sunt: *Audiens*, inquit, *Rex sanctus, quod penitus esset fraudatus a spe intrandæ religionis; audiens nihilominus tot calamitates, tot desolationes, & tot crebra pericula Terræ sanctæ; aspiravit aggredi circa finem dierum suorum aliquid arduum propter Deum, a quo de facili impediri non posset. Concepit igitur cum devotione pium propositum transfretandi, ut quantum divina gratia sibi daret, contra periculum Terræ sanctæ, quod proximum videbatur, consilium & auxilium apponeret salutare. Et tunc mirantibus cunctis cœpit, quantum poterat, expensas restringere domus suæ. Noluit tamen subito aggredi tantum opus ex motu proprio cordis sui: unde per secretum nuncium & discretum humiliter & devote consuluit super hoc felicis recordationis dominum Clementem summum Pontificem. Qui tamquam vir prudens in principio reformidans, diuque deliberans, tandem benigne consensit, ac pium propositum approbavit. Misit insuper ob hoc ad petitionem ipsius Regis legatum in Franciam, videlicet dominum Simonem tit. S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem.*

(*a*) Gauffr. e Belloloc. vit. S. Lud. c. 37.
(*b*) Greg. X. l. 1. ep. 8.

*Crucem* (*c*) *igitur assumpturus, convocavit Parisiis prælatorum, principum, baronum, ac militum, cæterorumque hominum multitudinem copiosam. Quibus congregatis in unum, domino legato præsente, ipsemet Rex catholicus coram cunctis, qui aderant, exhortationem fecit efficacem & plurimum gloriosam; animans eos ad ulciscendam injuriam Salvatoris, in Terra sancta tanto tempore sibi factam; & ad propriam Christianorum hereditatem recuperandam, quæ tandiu peccatis nostris exigentibus erat ab infidelibus occupata. Hæc & multa alia ad hanc materiam pertinentia, pius Rex gratiosissime peroravit. Finito postmodum domini legati sermone, ipse Rex primus cum devotione multa crucem assumpsit, & tres filii ejus post ipsum; nec non comitum & baronum & militum multitudo, tam ii cum quibus ipse Rex pius fuerat super hoc secreto collocutus, quam alii, quorum corda tetigerat solus Deus.*

(*c*) Cap. 38.

XLIX. Extulit magnis laudibus Pontifex sancti Regis zelum, quo ad instaurandam rem Christianam, ac numinis hostes proterendos ardebat; incenditque magis hisce literis (*d*).

(*d*) Clem. l. 3. ep. 33.

*Regi Francorum illustri.*

*In spiritu pietatis mentem tuam ad Christum, fili charissime, conscendisse percepimus: nam dum in terris corpore militas, cœlestem militiam, ad quam suspiras, animo contemplaris. Hic profecto labores complecteris, ut ibi quietis perpetuitate lateris. Hic etiam indefessum te pugilem exhibes, ut ibi percepto gloriæ præmio veluti magnificus triumphator exultes. Tu quidem olim Terræ sanctæ pressuras oculo clementis propitiationis advertens, illam crucis assumpto signaculo personaliter visitasti, & inibi tam in te quam tuis gravissima personarum, & rerum dispendia pertulisti. Nunc autem ipsam solito durius affligi conspiciens, quam manus Agarenorum impia usque ad intima lacerat & enervat, motus erga ipsam internæ compassionis affectu; & ad vindicandam Redemptoris injuriam, qui terram eamdem in proprium sibi patrimonium præelegit, tamquam princeps victoriosus exurgens, ut miserearis illius regionis oppressæ, cujus miserendi tempus advenisse speratur; hujusmodi crucis signaculum cum tribus liberis tuis, & copiosa tuorum fidelium tam baronum quam militum, & aliorum multitudine resumpsisti, personaliter illuc in brevi, dante Domino, profecturus. Super quo laudes, & gratias Altissimo, qui hoc tibi dignoscitur inspirasse, referimus; ejusque clementiam, ut votum tuum pio dignetur favore prosequi, suppliciter exoramus, &c. Dat. Viterbii III. non. maii anno III.*

Gratulatoriæ ad eum Clementis literæ.

Excitavit exemplo suo S. Ludovicus Theobaldum generum, Regem Navarræ ut testatur Clemens in literis ad Tartarorum principem datis (de quo paulo infra) tum fratrem suum Alfonsum Pictaviæ & Tolosæ comitem, qui crucis signo accepto Terræ sanctæ reparandæ se devovit; quem Clemens his verbis ad consilium perducendum accendit (*e*): *Sicut vir strenuus & magnificus votum crucis prosequere.* Tum salubri consilio imbuit, ut ab alienis bonis occupandis temperaret: *Prius tamen terris tuis ex ordine visitatis, & tuis factis plenius emendatis: immolantium enim ex iniquo vota reprobat Altissimus; nec prodest corporis exercitium, dum premit animam mole sua peccatum.* Tantis principibus plures alii opibus & nobilitate florentissimi Galli, ut Robertus comes Atrebati, Guido comes Flandriæ, Joannes filius comitis Britaniæ, qui filiam Regis Angliæ uxorem duxerat, quorum supra Clemens etiam mentionem fecit, teste Nangio, (*f*) se conjunxerunt.

L. Theobaldus Rex Navarræ crucem induit. Alfonsus Tolosæ & Pictaviæ comes eidem militiæ adscitus.

(*e*) Reg. 1. ep. 335. Pontificia ad illum monita.

(*f*) Nang. in gest. S. Lud. ad an. 1268.

Ad provehenda pia tanti Regis consilia, indicendamque religiosam militiam, Clemens Simonem tit. S. Cæciliæ presbyterum Card. gestæ legationis in conficienda re Sicula gloria celebrem, Apostolicæ sedis legati dignitate auctum misit, ut sacram expeditionem indiceret: lite-

LI. Simoni Card. indicendæ in Galliis religiosæ militiæ data provincia.



literisque apostolicis Gallos ad Regis sui pulcherrimum exemplum sectandum provocavit (*a*). Commissæ Simoni legationis diplomatis hæc sententia est, quo plura crucem suscepturis privilegia ac indulgentiarum præmia spondentur.

(*a*) Lib. 3. ep. 32.

*Simoni tit. S. Cæciliæ presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato.*

*Fervens dudum, & peccatis exigentibus modernis temporibus gravius solito persecutionis Saracenicæ immanitas invalescens, terram illam sanctam, in qua Christum cœli Regem virgo puerpera genuit, quasi totaliter occupavit: & Christianum populum, in Crucifixi obsequio laborantem, tantis rerum damnis & discriminibus impetiit personarum, quod ipsis ad defectum ultimum jam pene deductis, vires ad resistendum necessariæ non suppetunt, nisi per misericordem virtutem Domini, qui sperantes in se non deserit, adjuventur. Hæc profecto periculosa incommoda, festinatum subsidium exposcentia, quibus afficitur terra ipsa, diris affligunt puncturis intima cordis nostri: necessitatem nobis inducentia, ut cessantibus dilationibus, quas regionis illius miserabilis conditio & adversa omnino renuit, summopere procuremus, quod eidem terræ, immo potius Jesu Christo, in cujus opprobrium, & injuriam horrendis ipsam abominationibus polluunt, ut despectam filii tenebrarum; opportuna subventio tribuatur.*

De adducta in discrimen Christiana re.

LII. *Sane in succurrendi prædictæ terræ proposito, quod habemus, charissimus in Christo filius noster Rex Francorum illustris (in quo indeficientem constantiæ murum & inconvulsum parietem in defensionem suam contra quoslibet impetus semper devotio, ac religio reperit Christiana) propriam nostro conformans desiderio voluntatem, auditis singultuosis suspiriis terræ illius de imminentibus eidem intollerabilibus angustiis & pressuris; circa illam misericordia multa motus, tanquam strenuus Christi pugil, ac magnificus Christianæ fidei propugnator, ad liberationem ipsius terræ animum erigens, mente devota suscepit vivificæ crucis signum, & ad vota properans persolvenda, disponit in proximo cum ingenti comitum, baronum, nobilium, & aliorum multitudine prævio salutis angelo, transfretare: ac exuberantis sui fervorem affectus demonstrans ex operibus evidenter, primogenitum & duos ex aliis natis suis crucis voluit charactere insigniri; proli non parcens propriæ, nec illam periculis & laboribus dubitans exponere, ut extremæ se præfatæ terræ necessitati possit copiosius subvenire: ubi non est dubium Creatorem nostrum proprio non parcentem Filio humani salutem generis dignanter fuisse, nec minus misericorditer operatum. In quo ipsum Regem eo speramus acceptius Deo servitium exhibere, quo idem velut carbo ignitus mortuos carbones accendens, & velut cortinæ cortinas trahens ad prosequendum hoc salubre negotium, plures animat, & invitat. Ad quod, ejus sectando vestigia, proculdubio inducuntur; dum tantum principem pro æterni Patris contumelia vindicanda non solum in persona laborare propria, sed & sobolem suam tam inclytam, tamque adhuc ætate teneram affectu (quo genitores in filiorum afflictionibus plus interdum cruciari aßolent quam etiam in se ipsis) deposito, & dilectioni Dei, cui super omnia placere satagit ejus totaliter debitis obsequiis postposito, tot diversis hac occasione inevitabiliter incumbentibus, mandare periculis intuentur.*

Clementis in S. Ludovic. encomia.

LIII. S. Regis zelum Pontifex promovet.

*Nos autem in hoc sic pio, & necessario Christi, & Christianorum negotio non intendentes inveniri desides, vel remissi, pro terræ succursu prædictæ per diversas orbis partes prædicari mandavimus verbum Crucis; sperantes quod per fortitudinis prædicti Regis robur, crucesignatis aliis, & crucesignandis sibi assistentibus; ac illo, cujus factum agitur, & pro cujus fide certatur, specialiter manum ad hoc sui auxilii porrigente; terra eadem a vehementibus, quibus opprimitur, tribulationibus respirabit, & expectatæ diutius revelationis beneficium consequetur. Et quoniam ad hujusmodi laudandum negotium, quod memoratus Rex pro divini timore nominis, & amore suscepit magnanimiter promovendum, sumptus fere innumerabiles requiruntur; nos, optantes illi ad hoc opportunæ subventionis auxilium non deesse, decimam trium annorum omnium redditiuum, & proventuum ecclesiasticorum in toto regno Franciæ (illis, qui ad loca quævis hospitalis S. Joannis, & domorum militiæ templi Jerosolymitani, ac S. Mariæ Theutonicorum; sive ad ecclesiasticas personas, signo crucis assumpto, in primo generali passagio in prædictæ terræ personaliter subsidium profecturas; quas ab hujusmodi præstatione decimæ a tempore susceptæ crucis ipsius haberi volumus excusatas; pertinent, dumtaxat exceptis) in subventionem prælibati negotii Regi præfato per nostras sub certa forma literas jussimus exhiberi. Nec ad ulciscendum injuriosam Salvatoris offensam, & eripiendum de infidelium perfidorum manibus hereditatem Domini, de bonis, quæ obtinent assumptæ in ejus sortem personæ, necessaria conferre subsidia difficultatem debent ingerere, vel reputare molestum; cum hæc bona constet potissime de illius patrimonio provenire.*

Triennalem ad alendum militem decimam attribuit.

LIV. Simon Card. confectæ rei Siculæ gloria clarus.

*Considerantes igitur, quod instantis arduii adeo, & necessarii expeditio negotii providentiæ magnæ persona indiget, quam experientia reddiderit comprobatam; te, cujus ministerio negotium regni Siciliæ, dum pro ipso legationis fungebaris officio, feli-*

*feliciter extitit consummatum; tamquam illum, de cujus industria & circumspectione inter cæteros fratres nostros Romanæ videlicet ecclesiæ Cardinales, certam habemus fiduciam; ad exequendum prædicandæ crucis, ac exigendæ decimæ in regno ipso negotia specialiter deputamus. Quare mandamus, quatenus laborem tuis robustis in hac parte impositum humeris, onera perseveranter & constanter deferre grandia consuetis, in animi promptitudine suscipiens sufferendum; de divina gratia & apostolico, ubi & quando expedierit, in præmissis tibi affuturo, favore confisus; circa commissa tuæ diligentiæ hujusmodi negotia, eorumque promotionem solicitudinem, ac solertiam prout opportunum fuerit, adhibeas studiosam. Verum ut in hoc eo utilius te valeas exercere, quo pleniorem ad id a nobis assecutus fueris potestatem; tibi in prædicto regno Franciæ plenæ legationis officium de fratrum nostrorum consilio præsentium auctoritate denuo committimus, ut ibidem evellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices & plantes, sicut videris expedire; concessa tibi contradictores, & rebelles quoslibet per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compellendi, libera facultate, &c. Datum Viterbii* III. *non. maii anno* III.

Legationis & decimæ exigendæ munus illi demandatum.

LV. Significavit etiam sancto Regi (*a*) vectigalium ecclesiasticorum decimas ad instruendum belli sacri apparatum attributas. Ingrata ea res admodum fuit Gallicano clero, suorum commodorum, quam rei Christianæ tuendæ cupidiori: utque oneri subduceret humeros, ad sedem Apostolicam decrevit (*b*) oratores, qui insulsa oratione expugnatæ ab infidelibus Hierosolymæ, afflictæque orientalis ecclesiæ causam in crebras exactiones decimarum detorsere. Repulit oratorum dicta Clemens, atque subjectis argumentis refregit. (*c*)

(*a*) *Lib.* 3. *ep.* 33. Clerus Gallic. Triennalem decimam impositam fert iniquius.

(*b*) *Cod. MS. Vallic. sign. lit. C. n.* 49. *pag.* 206. Oratores ad sed. Ap. ad rem discutiendam mittit.

(*c*) *Ibid.* Gregorii ad Clerum Gallican. lit. Inepta eorum oratio. Præteritas ecclesiæ clades in exactionem decimarum deriyant.

*Decanis & capitulis.*

*Remensis ecclesiæ, & suffraganeorum ipsius, & nunciorum vestrorum adjecta relatio de variis exactionibus, quas ecclesiæ Gallicanæ querimini cum jugo diutinæ servitutis indictas, in gravem nimis; quamvis nec ratione suffultam, nec veritate munitam, obstrepuere querelam: quosdam casus adversos, quos ex ipsis exactionibus emersisse parum provida nec veridica præsumptione supponitis, satis effrenate, nec minus infrunite etiam repetentes: dum Jerusalem anathemate pollutam propter exactionem decimæ stare coram Crucifixi hostibus nequivisse dictarum literarum tenor asseruit; & ipsarum actor nimis inconsulte, quasi similia comminans, orientalem ecclesiam propter exactiones hujusmodi ab obedientia ecclesiæ Rom. subtractam, quasi veritatis omnino expers & inscius affirmavit; supplicationem tandem ut charissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Francorum illustri decima in Terræ sanctæ subsidium minime concedatur, sub verborum, licet satis revelato velamine, in epistolæ calce supponens.*

LVI. Arguit eos imprudentiæ Clemens.

*Sane non est laudandum supplicantis ingenium: profecto nec supplicationis superiori saltem porrigendæ fama laudabilis, per quam audientis animus vel irritari posset opprobriis, vel minis obductis quantumlibet commoveri. Verum quia nescit ab amore charitas etiam læsa recedere ut ille aperte indicat, qui & onerosos consolatores suos ad subversionem sui meriti conqueritur, & tamen se illorum amicam veraciter confitetur; nos etiam post exprobrata nobis Christianitatis opprobria, & post audita, sed benigne contempta, verba tumentia, servantes ad vos solidæ charitatis amorem; paterne vobis decrevimus respondendum, ut ostendentes vestri causas erroris, & vos more patrio corrigentes, ad veritatis semitas ab invio reducamus. Et quidem vellemus vos afflictionum & percussionum, quas Dominus habitantibus in valle miseriæ mundi hujus infligi patitur, causas varias plenius attendisse: nec enim afflictio quælibet peccatum in eo, qui affligitur, præsupponit: nam & justus interdum affligitur, non pro diluenda culpa præterita, sed pro vitanda futura: sicut & vas electionis de seipso fatetur, dum se colaphizari carnis stimulis asserit, ne per revelationum magnitudinem extollatur. Quamquam vero in afflictione justi, nec præcedens, cum non subsit, culpa diluitur, nec subsecutura timetur: sed, sicut perhibet Veritas in cœco nato, id agitur, ut fiant Dei opera manifesta; & nihilominus afflicti, velut in beato Job, virtus eluceat, ac meritorum ipsius cumulus, sicut ex multiplicata ejusdem sancti remuneratione perpenditur, augeatur. Hæc si literarum earumdem artifex prudentius discussisset, nequaquam ad Israelis nostri exprobrationem tam temerarius prosilire tentasset: cujus conceptum reprobum, quo videtur inaniter concepisse, ac imprudenter asserere, quod secum trahat subventio decimæ anathema; his diebus virtus Altissimi negotium regni Siciliæ, pro magna parte in decimæ subventione deductum, tam dignanter, tam celeriter, non sine multa exaltatione totius Gallicæ nationis, expediens; apertissime reprobavit.*

Recuperatæ Sicil. exemplo exactionem decimarum invehere anathema refellit.

*De prædicta quoque orientali ecclesia substitisset ejusdem artificis invectiva consultius, ut causam separationis ipsius ab ecclesia Rom. non fingeret, quam nec veritas habuit, nec in aliquibus unquam tractatibus, etiam orientalium, in querelam duxit assertio, nec deducere potuisset: præsertim cum antiqua & authentica scripta testantur, occasionem separationis hujusmodi*

LVII. Orientalis ecclesiæ in schisma lapsæ veram causam adducit.



*modi quendam Constantinopolitanæ sedis antistitem, (is erat Photius) præstitisse, qui justo apostolico judicio patriarchatus dignitate privatus, post subductum de medio substitutum ipsius (S. Ignatium scilicet) multa exhibens pœnitentiæ ac devotionis indicia, & emendationem vitæ prætendens, obtinuit per Apostolicam sedem (præerat eitum temporis Joannes* VIII.) *gratiose restitui, vel potius reassumi ad patriarchatus honorem: sed tandem ingratus ad gratiam, & injuriam reputans, quam pertulerat in privatione justitiam; damnatas hæreses suscitans, & schismata excitans, Constantinopolitano ejus temporis Imperatore seducto nimirum Basilio Macedone prædictam separationem, cujus non causam pro causa confingitis, procuravit. Servitutis insuper & tributi vocabula, quæ incompetenter earumdem literarum toties textura repetit, prudentius silentio patientia præcessisset. Nec enim temporalis subventio, in nullo cum servitute communicans, servitus debuit nominari: nec appellari debuit sub nominis abusione tributum, quod de bonis ecclesiasticis in illius peculiare negotium, qui suo sanguine fundavit Ecclesiam; seu alias interdum exigente necessitate, vel suadente utilitate, deliberatione provida potestatis apostolicæ plenitudo dispensat; per hæc didragma capitationis a possessoribus exigens, nec possessionibus sarcinam tributariæ pensitationis imponens, cui nec digne importunitas exactoris imponitur; nec debitorum solutionem denegantium debitam, & propter hoc excommunicationum sententias & irregularitatis incurrentium notam; contumax pertinacia, vel pertinax contumacia rationabiliter imputatur. Quæ namque fabri culpa, si cultello incisor abutitur; vel si forsan in illum ultro perire festinans, & indiscretus impingit? Numquid importunitatem hujusmodi compescere sedes eadem Apostolicam requisita contempsit? An sententiis iisdem involutis, & satisfacere volentibus absolutionis beneficium, vel alterius accommodæ provisionis remedium denegavit? Porro juste in se culpam quis aggravat, quam injuste in alium intorquere festinat. Hæc ex vestris collecta literis, brevi satis epilogo comprehensa, transcurrimus; non indigne transeuntes ad alia, quæ præter earumdem literarum seriem procuratores vestri de vestro speciali, ut dixerunt, mandato, ad quod implendum se suis juramentis obligaverant, coram nobis & nostris fratribus imprudenter effundere, immo potius impudenter evomere præsumpserunt.*

Negat ecclesias ob exactiones decimæ in servitutem redigi.

LVIII. Arguit apertam rebellionem comminatos.

*Primo quidem quod vobis elegeratis potius excommunicationum sustinere sententias, quam nostris circa hujusmodi obedire mandatis; adicientes secundo ad prædicti confirmationem erroris, jam apud vos infixam & immobilem transisse sententiam, quod non cessaret exactio tributorum, donec cessaret devotio subditorum. O miserabilis, nedum mirabilis in personis tam gravibus temerariæ præsumptionis audacia, quæ salutis prope prodiga, & in ejus detrimentum armata, obedientiæ, quæ cunctis victimis est præstantior, anathema præponit: & abbreviatam adeo manum judicat generalis vicarii Jesu Christi, ut non post contemptas suas sententias habeat ultra quid faciat, qui tamen & contemptores hujusmodi privare potest habitis beneficiis, & inhabiles reddere ad habenda: deponere, degradare & exequi quod statuit, invocato brachio sæculari: ut si cessat subditorum devotio, non dormitet coercitio contemptorum. Quamquam illa terrere plus debeat executio contumaces, quam in cœlis ille prosequitur, qui ligatum apud se reputat, qui a suo vicario, exigente justitia, ligatur in terris. Figmentis denique indebitæ remurmurationis explosis, si unusquisque vestrum sui pectoris penetrale passibus intentæ meditationis introeat, & negotii qualitatem imminentis attendat, procul dubio causæ undique pœnitentiæ ac pudoris occurrent. Nonne pudere debet pariter & tædere, quod ad impediendum commune religionis Christianæ ac fidei orthodoxæ negotium, sic vestri prorupere conatus; ut terræ prædictæ, quasi totaliter manibus inimicorum expositæ, tantæ opportunitatis tempore; prædicto videlicet Christianissimo Rege, cum multorum magnatum & aliorum regni Franciæ, diversarumque partium multitudine, se ad illius præparante subsidium? manus auxilii subtrahatur: cum decuisset vos potius auxiliatricem liberalitatis offerendo dexteram, celeris oblationis promptitudine, in hoc laicos prævenisse?*

Eorum minas aliis gravioribus retundit.

Exprobrat in S. Rege juvando laicis inferiores.

LIX. *Attendite, attendite qualiter clericalis ordinis nostri temporis professores, nomini rem conforment, si cum juxta debitum professionis hujusmodi pars Domini censeantur, partem etiam modicam in bonis, quæ de patrimonio ipsius percipiunt, denegare nituntur eidem. Profecto Regis saltem memorati consideratio debuerat vobis in iis silentium indixisse, ut considerantes attentius, qualiter ipse ob vindicanda sui Redemptoris opprobria, sua effundit, cum in ipsum onus quasi totius sui exercitus refundatur; postponit regnum se, ac suos exponit; ori vestro custodiam & ostium circumstantiæ labiis poneretis, ne de cujuscumque subventionis concessione sibi ad hoc faciendæ murmur erumperet, aut querimonia resonaret; præsertim cum ex eo nimirum vos conscientia deberet arguere, quod laicis onera gravia ultro sponte subeuntibus pro tam necessario crucifixi obsequio, vos invitati, contracti subire levia etiam recusatis, &c.* interjectis in eandem senten-

Debuisse egregia illius exempla imitari.

tentiam nonnullis, rescissisque omnibus eorum provocationibus, imperatas pro instauranda re Syriaca decimas solvere jubet. *Datum Viterbii* VIII. *kal. octobris anno* III. Instructus (*a*) est ad decimas, collocandas in sanctissimo opere, in quo de fide amplificanda tuendaque agebatur, exigendas Simon Card. in Galliis legatus summa auctoritate: omniaque privilegia; quibus plerique, ne eas persolverent, se tuebantur, abrogata.

(a) Lib. 3. ep. 32.

LX. Agunt de eodem legato Simone tit. S. Cæciliæ presbytero Card. auctores: e quibus Gaufridus (*b*) refert rem dignam memoria: S. Ludovicum cum eodem legato agitasse de blasphemiæ crimine abolendo, ordinumque regni conventu habito, sanctissimam legem de eo excindendo tulisse, cujus auctoris verba, utpote quæ S. Regis zelum illustrent adducemus: *Præcipue circa cultum divinum & exaltationem fidei Christianæ ejus intentio versabatur: nam plurimum anxiabatur & compatiebatur cor ejus super pestem illam generalem, quæ ab antiquo noxia occupaverat specialiter regnum suum; videlicet vitium jurationum turpium, & blasphemiarum in Dominum, & in sanctos ipsius. Zelo igitur divino permotus, & solerter cogitans qualiter hæc execrabilis noxa posset ad honorem Dei de regno suo radicitus extirpari; habito prius consilio diligenti cum domino Simone S. Cæciliæ presbytero Card. tunc A. S. L. in Francia, auctoritate ipsius legati & sua convocati sunt Parisiis majores de regno, tam principes quam prælati, ut super hoc damnabili vitio refrænando, vel potius destruendo apponeretur consilium & remedium salutare. Igitur a domino legato facto super hac materia sermone solemni plurimum efficace, Rex catholicus, zelo sancto succensus, ore proprio fecit super hoc exhortationem devotam, & rationibus validis & apertis subnixam. Igitur de communi consilio, & assensu edidit pius Rex generale statutum, quod per totum regnum servari & promulgari voluit.* Extat illud decretum apud Jonvillæum (*c*) verbis Gallicis, apud Nangium (*d*) vero Latinis conceptum, in quo plures optimæ leges ad regnum egregie temperandum, ac divinam gloriam asserendam adjunctæ: quarum præcipuas ad pietatem spectantes afferemus. In primis ut judices integritatem servarent, hæc sanxit.

(b) Gaufr. e bello loc. in vit. S. Lud. c. 32. Nang. in gest. S. Lud.

Agitat cum legato Ap. S. Ludovicus de pietate restituenda.

(c) Apud Jonv. in hist. S. Lud. p. 2.

(d) Nang. de reb. gest. S. Lud. hoc ann.

LXI. *Jurabunt donum, seu munus quodcumque a quacumque persona per se vel per alium non recipere in pecunia, argento, vel auro, vel rebus aliis quibuscumque mobilibus, vel immobilibus, vel se moventibus, vel beneficiis personalibus sive perpetuis; præter esculenta & poculenta, quorum valor in una hebdomada summam decem solidorum Parisiensium non excedat; & quod dicta bona, seu beneficia dari uxoribus, liberis, fratribus & sororibus, nepotibus vel consanguineis, vel consiliariis, seu domesticis suis minime procurabunt: immo bona fide diligentiam adhibebunt, ne uxores eorum, vel aliæ personæ proxime nominatæ, dona vel munera recipiant. Quod si fecerint, ex quo sciverint, eos ad restitutionem bona fide compellent, sub debito juramento.* Et infra ad magistratuum subditorumque mores componendos, frænanda blasphemorum ora, tollendos e republica ludos, & impudicitiam coercendam hæc constituit.

Episcoporum & procerum conventus agit.

Prohibet a Judicibus munera accipi.

LXII. *Volumus & præcipimus, quod ballivi nostri & alii, qui sub ipsis quodcumque officium tenent; nec non & omnes, qui vadia nostra recipiunt, ac universi subditi nostri abstineant ab omni verbo, quod vergat in contumeliam & contemptum Dei, vel Matris suæ, vel sanctorum ipsius: a ludo etiam cum taxillis, sive aleis; & a fornicatione & tabernis. Scholas etiam deciorum prohibemus omnino, ita ut tenentes eas districte puniantur: fabrica vero deciorum prohibeatur ubique in regno nostro. Expellantur publicæ meretrices tam de campis, quam de villis. Quicumque domum publicæ meretrici locaverit, meretricesque in sua domo receperit, quantum valet pensio domus uno anno ballivo loci vel præposito solvere teneatur. Nullus recipiatur ad moram in taberna faciendam, nisi sit transiens vel viator, vel in ipsa villa non habeat aliquam mansionem.*

S. Regis leges in blasphemos & luseres.

Meretrices undecumque eiiciendæ.

LXIII. Addunt Gaufridus & Nangius laudandum severitatis regiæ, non multo post a promulgato illo edicto, in quodam cive prædivite blasphemiæ convicto exemplum statutum: *Post* (*e*) *edictum hujusmodi publicatum quidam civis Parisiensis conditionis mediocris, inhoneste valde jurando, blasphemavit in Deum; quem Rex justus absque misericordia cauterizari præcepit in labiis ferro candenti in peccati sui memoriam sempiternam, & ad aliorum exemplum. Super quo cum multi secundum sæculum sapientes propter hoc contra Regem verbis maledicis murmurarent, audiens sæpe Rex magnus, & sciens esse scriptum: Beati eritis, cum maledixerint vobis homines; juxta illud: Maledicent illi, & tu benedices; dixit verbum catholicum, videlicet quod desiderabat potius simile cauterium sibi in labiis esse factum, & quoad viveret talem indecentiam sustinere, dummodo hujusmodi pernitiosum vitium de regno suo penitus tolleretur. Præterea cum tunc temporis ipse dominus Rex quoddam opus fieri præcepisset, quod communi utilitati conferre non modicum videbatur; super quo Parisiis a beneficia habentibus multas benedictiones habebat, dixit quod majorem mercedem a Domino expectabat pro maledictionibus, quas occasione*

Statutum in blasphemos severitatis exemplum.

(e) Jonvill. apud Gaufrid. e bello loc. in vit. S. Lud. pos. c. 32.

Maledicta in ipsum propterea jacta spernit S. Rex.

Memoranda illius vox.

Alia ipsius sanctitate dignissima.



*sione illius cauterii incurrerat, quam pro benedictionibus, quas habebat pro illo beneficio generali. Igitur Rex noster per Regem Josiam congrue & merito designatur, in cujus laudem scriptum est, prout præmisimus, quod tulit abominationes impietatis, & gubernavit ad Dominum cor suum, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem in cultum divinum.* Hactenus de sancto Rege, qui dum aliena regna Christo comparare meditaretur, etiam Galliam vera pietate imbuere non prætermisit. Jam ad institutam de expeditione sacra, cujus ille erat auctor maximus, orationem redeamus.

LXIV. Syriaca expeditio in pluribus regnis promulgata.

(a) Vestm. Flor. hist. Ab Ottobono Card. in Angl.

(b) Long. l. 7. ad ann. 1267. A Guid. Card. in Polonia.

Non petita tantum ex Galliis, verum ex aliis regnis occidentalibus auxilia; Ottobonum enim in Anglia legatum Londini sacram expeditionem pro reparanda Terra sancta promulgasse, Westmonasterienſis tradit (*a*); ac tum inter alios Thealdum archidiaconum Leodiensem, qui postea sub Gregorii X. nomine Dei Ecclesiam rexit, assumpta cruce trajecisse: suæque contulit Longinus (*b*) historiæ Guidonem Cisterciensis ordinis tit. S. Laurentii in Lucina presbyterum Card. Apostolicæ sedis in Polonia legatum (illum nos antea e Dania evocatum vidimus) habito præsulum concilio, capessendæ crucis pro Christiano nomine tuendo, propulsandisque Saracenis edictum denuntiasse: hortatum Polonos, ut vires opesque conferrent: amplissimas proposuisse indulgentias, quas qui lucrari vellent, in arcas in ecclesiis expositas stipem pro sacri belli sumptibus impendendam, inferebant: quod pariter in cæteris regnis ac provinciis occidentalibus factum videtur.

LXV. Ad Venetos & Januenses revocandos in concordiam navata opera.

(c) Diar. Venet. MS.

Ad conjungendos vero mutuo fœdere Venetos ac Genuenses, ne res Syriaca graviores jacturas pateretur, atque expeditio sacra felicius confici posset, Pontificem ac S. Ludovicum summam operam contulisse refert diarium Venetum: (*c*) ii enim populi maritimo se bello infectabantur. Quod ita describit Sanutus:

(d) *Eodem anno* XVI. *augusti Lucas de Grimaldis cum* XXV. *galeis Januensium portum cepit Ptolemaidæ: nec sinebat intrare aut exire navigium, quod ipsi non caperent, & Tyrum conducerent; combusseruntque duas Pisanorum naves. Sed* XXVIII. *die ejusdem mensis applicuerunt ad portum* XXVIII. *galeæ Venetorum: Januenses vero, ut illorum cognoverunt adventum, primum quam potuerunt de portu exeuntes versus Tyrum arripuere iter. Veneti vero illos continuo insecuti sunt, & captis ex eis quinque galeis Ptolemaidam rediere. In crastino autem redeuntes Tyrum, recessisse invenerunt, & aliquandiu insecuti sunt.* At quamvis Pontifex & S. Ludovicus ipsos redigere in concordiam niterentur, necdum exasperata odia lenire potuerunt. Andreas vero Dandalus (*e*) Genuenses, pacis oblatas leges repudiasse, perstringit hisce verbis: XIV. *ducis anno &c.* Et infra: *Nunc etiam legati Papæ, & Ludovici Regis Franciæ, & Caroli Regis Siciliæ Venetias accedentes, a duce requirunt, ut Terræ sanctæ compatientes, ad quam idem Ludovicus jam proficisci decreverat, ambasciatores pro tractanda cum Januensibus pace seu tregua secum mittat. Quorum requisitioni assentiens dux, Joannem Dandulo, Marcum Quirino, & Fredericum Justiniano, de sua intentione informatos, cum illis mandavit Januam. Sed Januenses elati requisitionem Papæ & Regum despiciunt, & ambasciatores Venetorum convenienter recepti ad propria redierunt.* Subiicit auctor de Regis Hierosolymitani morte, additque: *Post Hugonem Jerusalem & Cypri Regem Ugo de Lisignano consanguineus succedit;* quibus Jordanus consentanea tradit (*f*). Sed ad Clementem pro restituendis regni Hierosolymitani rebus desudantem, redeamus. [1]

(d) Sanut. l. 3. p. 12. c. 8. Mutuis ipse cladibus atterunt.

(e) Andr. Dand. hist. Venet. l. 10. c. 7. in Rayneri Zeno.

Adhibiti frustra a Pont. & S. Lud. pro iis conciliandis labores.

(f) Jord. MS. Vatic. signat. n. 1960.

LXVI. Armeni a Sarac. magnis cladibus attriti.

Non occidentem modo adversus Saracenos commovebat, verum totum etiam orientem concitare nitebatur. Palæologo enim Imperatori Græcorum, qui ob clades Armenis inflictas a Saracenis magno se mœrore perfusum Clementi si-



NOTÆ [1] EA quæ Sanutus narrat legenda in Annalibus hic, de Venetorum in Genuenses victoria paulo aliter accidisse notant ejus anni Scriptores Genuenses continuatores Caffari; qui a Genuensibus interceptam fuisse tradunt turrim quamdam ad portum Ptolemaidis, ipsumque portum obsessum, ne quis illum intraret, egredereturque. In eam vero rem non omnes quidem Genuensium triremes institisse, sed ex XXV. quæ venerant, tantummodo XV. reliquis in portu Tyrii se continentibus. In triremes illas XV. invectas scribunt Venetas triremes XXVI. a quibus disjectæ, & ex iis V. in hostium potestatem incidentibus, reliquæ ad suos Tyri agentes se receperunt. Cæterum quamvis Veneti & Genuenses de pace componenda a legatis Pontificis Regumque Galliæ & Siciliæ hoc anno rogati, fœdus recusaverint, attamen Genuenses ejus rei gratia ante annos quinque interdicti censura obligati ut in Nota ad A. 1263. animadverti, hoc anno remissionem solemni legatione ad Pontificem missa impetrarunt, quod ex iisdem Caffari continuatoribus discimus.

Quæ demum ex Sanuto notat hic Annalista de obitu Hugonis regis Cypri & Jerusalem confirmantur ab Authore Gallico continuationis ad Historiam Tyrii, quam ipsam esse Bernardi Thesaurarii historiam alibi probavi. Mensem emortualem idem Bernardus indicat, scribens mense novembri Hugonem Cypri regem obiisse & die natali Domini ejusdem anni Hugonem alterum Lusinianum assumptum fuisse. MANSI

gnificarat, rescripsit; (*a*) si ex animo Christianum nomen in Armenia ab infidelibus deleri lugeret, prosiliret in arma, conjungeret se Ludovico Francorum Regi; qui tribus cum filiis crucem induerat, ut diutius bellum sacrum geri posset, nec Christianus miles ducem desideraret, dum occumbente aliquo, alius ductandis copiis succederet; si timeret sibi suisque a Latinis, posse Imperium suum in tuto collocare, si Rom. ecclesiæ Græcam conjunxisset.

(*a*) To. 2. ep. 327. Palæologus conceptum ex iis dolorem significat Pontifici.

*Viro magnifico Palæologo Imperatori Græcorum illustri viam agnoscere veritatis.*

Pontificis ad Palæolog. responsum. Exemplo S. Ludovici ad arma sacra capessenda excitat.

*Si pressuris compateris Terræ sanctæ, si charissimi in Christo filii nostri illustris Regis Armeniæ, ut scribis damna deploras, tuum in hac parte commendamus affectum: quem propensius utique lauderemus, si affectui responderet effectus. Ecce si quidem si ex animo crucis persequeris inimicos, tempus imminet, satis proposito tuo congruum. Jam quidem charissimus in Christo filius noster Ludovicus illustris Rex Franciæ se cum filio primogenito & duobus aliis sequentibus crucis charactere insignivit cum multis comitibus & baronibus, militibus & plebeiis. Et ne tantum negotium perfunctorie prosequi videatur, illud duxit longo præsidio fulciendum, tres filios jam adultos, sed multum juvenes secum ducens, ut si divina forsitan ordinatio ex eis aliquem a præsenti peregrinatione subtraxerit, supersint alii, qui velint & valeant rem incœptam feliciter cursu prospero continuare. Sane totum occidentalem populum excitamus, qui tam nostris ordinationibus quam Francorum exemplis provocatus ad opus simile se accingunt. Si ipsis ex uno latere impugnantibus Agarenos, tu ex altero certare volueris contra ipsos e propinquo, jam poterunt inimici crucis & fidei sectæ suæ pestiferæ præstolari ruinam.*

Eo duce occidentem ad bellum accingi.

LXVII. Si Latinos metuit redeat ad ecclesiæ conjunctionem.

*Quod si dicis te timere Latinorum incursum, si terram quam possides ducto tecum exercitu nudam relinqueres, & quasi penitus immunitam, non est longe quærenda responsio: nam in te est timorem hujusmodi a radice præcidere, si ad Rom. Ecclesiæ rediens unitatem, ejus consiliis salutaribus acquiescens; proferendis, rigore justitiæ temperato, mandatis humiliter obedire volueris. Nec tuæ potest excusationi proficere quod scripsisti, prælatis scilicet & clero non tibi vel populo tuo impingendum, si nobis obedientia debita non impenditur ab eisdem; cum certo certius habeatur, quod tu in prælatos & clerum longe majorem, quam deceat, obtines potestatem: quibus & contra Deum & omnem justitiam in errore hujusmodi credere non deberes, sed eosdem tanquam schismaticos evitare, si coercere non valeres &c. Dat. Viterbii* XVI. *kal. junii anno* III. His Clemens solicitabat schismaticum principem, ut ad Ecclesiæ sinum rediret: sed de his paulo inferius agendum, ne cœptum de bello sacro sermonem abrumpamus.

Imperialis esse potentiæ schismaticos præsules coercere.

LXVIII. Armeniæ Regem ab infidel. depressum solatur Clemens.

Adductam in extremum discrimen Armeniam, ac gravissimis cladibus ab infidelibus hisce temporibus attritam, aliæ etiam Clementis literæ docent, quibus Armeniæ Regem Pontificis fidem, ac Latinorum auxilia implorantem citissimi auxilii expectatione excitabat, (*b*) ac mœrentem solari nitebatur.

(*b*) To. 2. ep. 328. ext. etiam in formul. Marin. Ebuli pag. 54. & 289. Necatus alter filius, alter captus ac ditio vastata.

*Regi Armeniæ.*

*Injunctæ nos excitat servitutis officium, doctrina nos admonet Apostolica, ut ex paternæ compassionis affectu infirmemur cum infirmantibus, & cum scandalizatis uramur. Quod in tuis calamitatibus, fili charissime, nuper, plusquam vellemus, experti (salvo tamen in omnibus divinæ beneplacito voluntatis, cui nos decet nostram in omnibus conformare) casu liberorum tuorum, & excidio tuæ gentis ac depopulatione regionis auditis in multa cordis amaritudine, regiæ majestati compati, damnaque tua, totiusque populi Christiani jacturam recto judicio deputantes, flendum credimus esse cum flentibus; consolationis divinæ expectantes benevolum solatium, qui post tempestatem tranquillum facit, & post mœrorem & lacrymas exultationem infundit. Scimus quidem, quod & tota profitetur Ecclesia, te transmarinum Latinum populum ex variis nationibus inibi congregatum diversis pro tempore tuis liberasse præsidiis, te civitatis Antiochenæ civibus in suis necessitatibus astitisse, te crucis hostibus totis viribus restitisse, te cæteris omnibus nationibus Francorum amicitias prætulisse, te sedis Apostolicæ preces & monita seu mandata in omni reverentia suscepisse. Quis igitur præstolari non debeat, ejus tibi misericordiam affuturam, qui super te tot & tanta flagella multiplicans tuam voluit examinare constantiam, ut eo purior exeas de fornace, quo flamma fueris acerbiore purgatus? &c.* Imminentis Latinorum auxilii, qui crucem in signum devotæ Christo vitæ suscepere, spe atque expectatione mœrentem excitat, atque erigit: *Leva ergo ad cœlum oculos, & auxilium imminens patienter expecta, particulari subsidio interim destinato, quo terra valeat se sustentare. Nec te tuosve terreat male solida Babylonici Soldani superbia, quam ad tempus ascendere permisit Dominus ut elatum allidat gravius: & populum fidelem humiliari voluit, ut gloriosius exaltaret. Demum apocrisarios tuos benigne recepimus, & tuæ devotionis munera gratiarum actione prosequimur, tuis petitionibus, quantum licuit & decuit, exauditis. Dat. Viterbii* XVI. *kal. junii an.* III.

Divinæ misericordiæ spe erigi jubetur.

Ob præstita catholicis officia ipsi non defuturam.

Auxilia, res aliquas copias transmitti.

Majores postea secuturas.

Dum



LXIX. Dum conflabantur in occidente copiæ, ut laboranti Armeniæ succurreretur, ne interim Armenus sub Babylonici Soldani potentia ac furore fatisceret, Clemens patriarcham Hierosolymitanum & Palæstinæ proceres excitavit, ut quibus posset auxiliis Aytonum Regem Armeniæ fulcirent, nec defendendæ Antiochiæ deesset: (*a*) *Cum charissimus filius noster Rex illustris Armeniæ, Domino permittente, qui quos recipit filios, corrigit & castigat, per Babylonici furorem exercitus attritus graviter fuerit & oppressus; & sit eo dignius in suis necessitatibus adjuvandus, quo ad nostram devotionem se reddidit hactenus promptiorem; vestram devotionem hortandam duximus, attentius obsecrantes, quatenus salva terrarum vestrarum custodia omne consilium & auxilium, quod poteritis, impendatis eidem, ad terram suam, si opus fuerit; & tam ei quam dilecto filio principi Antiocheno ad civitatem Antiochenam contra inimicos Christi defendendam. Dat. Viterbii* XVI. *kal. julii anno* III. Cum præcipiat Pontifex, ut principi Antiocheno promptissima auxilia suppeditentur, atque ad defendendam Antiochiam advolent, constat Antiochiam hoc tempore a Saracenis oppugnatam fuisse: cumque Armeniæ Rex ad Latinorum eblandienda auxilia, inter cætera Latinis exhibita officia proponeret, se Antiochiæ ab hoste opprimendæ auxilio opportuno non defuisse: a Saracenis diuturna obsidione cinctam, pluribusque impressionibus hostilibus tentatam apparet. Et quidem Henricus Stero (*b*), Bernardus (*c*), Villanus (*d*), Dlugoschus (*e*), aliique hoc anno captam tradunt: cum tamen florentissimæ urbis patriarchalis sedis dignitate insignitæ excidium alii, ut Siffridus (*f*), monachus Patavinus (*g*), Sanutus, in sequentem annum referant; cui postremæ sententiæ favet hæc ratio, nullam illius cladis mentionem reperiri in literis pontificiis sequentis anni, in quo de illius infelici expugnatione rursum cum Sanuto nobis fermo erit; nunc illatos hoc anno conjungamus crudeles Bendocdaris impetus ad excindendas reliquias Christianorum, & inexpiabile illius odium, quæ ita describit Sanutus (*h*): *Secundo die maii Bendocdar venit ante Ptolemaidam: & dum eorum nonnulli insignia portant Hospitalis & Templi usque ad quingentos pauperes, qui pro lucro ad herbas & hujusmodi venerant, incautos interimunt: ferturque quod fel cujusque extraxerint, & pellem capitis excoriaverint usque ad aures. In crastino Soldanus retraxit se usque Saphet: & XVII. die mensis ante Ptolemaidam rediens, turrem viridariorum, arbores, vites, & quæcumque potuit demoliri jussit.*

(*a*) Ib. ep. 326. Patriarcha Hieros. jussus crucesign. copias ad Armen. & Antioch. defendendas contrahere.

Antiochia a Sarac. oppugnata.

A Rege Armeniæ defensa.

(*b*) Ster. in annal. apud Carrisf. to. 1. antiq. lect. p. 385.
(*c*) Bern. in chron. Rom. Pont.
(*d*) Joan. Vill. l. 7. c. 18.
(*e*) Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann.
(*f*) Siffr. ep. lib. 2. an. 1269.
(*g*) Mon. Pad. chr. l. 3.
(*h*) Sanut. l. 3. p. 12. c. 8.

Perhorrescit certe animus, ac divinæ providentiæ Christianorum crimina felicibus adeo Saracenorum successibus plectentis consilia adorat, extulisse se adeo ipsorum res iis temporibus, atque ita triumphasse de nomine Christiano: cum non modo Galli, Angli, Germani, Poloni, Syri, Armeni, in eos ad arma procurrerent; verum etiam Tartari egregie erga Christianam religionem affecti, ac non orientis modo, sed totius orbis quoque partis maximæ domitores, in eos conspirarent. Elchani enim Apuchæ seu Abagæ bellicosissimæ illius gentis principi significanti, se Christum crucifixum adorare, ac una cum socero ad excindendos Saracenos, se Christo devovisse; exultantique Manfredum a Carolo prostratum fuisse (tantæ enim victoriæ fama universum orbem peragrarat) gratulatus est Clemens (*i*) divini Evangelii luce collustratum esse: docuit Ludovicum Galliarum & Theobaldum Navarræ reges, totiusque occidentis populos sacram expeditionem movere: certiores se prius ipsos sacri ejus consilii facturum.

LXX. Apucha Tartaror. Imp. in Saracenos armaeum Christianis conjungere meditatur.

(*i*) To. 2. ep. 367.

*Viro illustri & magnifico principi in gente nobili Tartarorum Elchani Apacha in præsenti gratiam Creatoris, & in futuro gloriam obtinere.*

*Nuper virum nobilem tuæ magnitudinis nuncium benigne recepimus, & ab eo sub tuo nomine quasdam recepimus literas; & quæ nobis per interpretem exponere voluit, intelleximus diligenter. Sane licet literas, quas exhibuit, nullus de his, qui erant in nostra curia, legere nobis scivit; nec tu, sicut alias feceras, in lingua Latina scripseris nobis; solis verbis illius, qui eas attulit, oportuit nos intendere, & juxta qualitatem illorum tuæ magnificentiæ respondere. In primis igitur gratias agimus Deo nostro, bonorum omnium largitori, quod tui cordis illuminavit oculos; & eundem agnoscens, & ejus Filium unigenitum pro salute humani generis Crucifixum humiliter adorares, & crucis suæ vexillum reverenter honorares. Ecce gaudes, ut asseris, de victoria, quam habuimus in regno Siciliæ, cujus Manfredus, naturalis filius Friderici quondam Imperatoris Rom. temerarius occupator, per manum validam charissimi in Christo filii nostri Caroli, cui regnum idem concessimus, in bello campestri regno cecidit privatus & vita cum perfidorum Christianorum & Saracenorum multitudine copiosa. Ecce Reges Franciæ & Navarræ cum multis comitibus & baronibus & militibus & aliis infinitis, Terræ sanctæ negotium assumentes, crucis insigniti charactere, contra crucis & fidei inimicos se viriliter præparant, & potenter; jamque de regionibus aliis multi magni & parvi eorum provocantur exemplo, ut Christi nomen totis exal-*

Oratorem ad sedem Ap. mittit.

Significat Christum colere.

De prostrato Manfredo hausisse lætitiam.

*exaltent viribus, ut potentiam Saracenorum, sectam etiam & nomen extinguant.*

LXXI. Una cum socero Latinis auxilia laturum in Sarac.

*Verum super his quæ scripsisti, quod videlicet similiter cum tuo socero adjuvare Latinos intendis, gratias tibi referimus copiosas. Quo tamen nostri proponant venire itinere, rescribere tibi non possumus, Regibus inconsultis: sed eisdem significabimus tuum & soceri tui consilium, ut melius deliberare valeant, quid eis videatur agendum, & super his per certum nuncium, tuam magnificentiam possimus reddere certiorem. Sta igitur, princeps magne, in salubri proposito: nam sperare debes in Domino, quod si bene ei servieris, tuum firmabit solium, & multipliciter exaltabit. Sua est potentia, suum est regnum, in manu ejus sunt omnia corda Regum: quos vult humiliat, & quos vult exaltat: ejus nutu universa reguntur, nec est qui valeat ejus resistere voluntati. Datum Viterbii anno* III. Vel descivisse postea Abagham ad idolorum cultum, vel ad concilianda sibi facilius in Saracenos occidentalium auxilia falso jactasse se Christum colere ex Aytono (*a*) & Sanuto (*b*) colligitur; quorum primi hæc verba sunt: *Abagan fuit prudens & dominium suum prospere gubernavit, & fuit in omnibus fortunatus, præter in duobus, quia noluit effici Christianus, sicut extiterat pater suus: immo colebat idola & fidem dabat presbyteris idololatriæ. Alterum est, assiduis cum septentrionalibus Tartaris bellis fuisse implicitum, ut in Saracenos vertere armorum molem non potuerit.* Favisse vero Christianis memorant: unde in Perside, Assyria, Media, Parthia religio propagata est. Nunc a Tartaris ad Græcos veniamus.

Respondet Tartaro Pontifex inconsultis Regibus non posse de bello certum nuntium dare.

(*a*) *Ayton. hist. orien. c.* 32.
(*b*) *Sanut. l.* 3. *p.* 13. *c.* 8.

LXXII. Nuntii Apost. a Græcis circumscripti. Rescissa eorum acta.

Missi fuerant antea ab Urbano IV. nonnulli Minoritæ apocrisarii, qui una cum Palæologo de revocanda ad Romanæ obsequium Græca ecclesia agerent: sed demandatæ sibi auctoritatis limites transgressi, ad nonnullas pactiones iniquiores descenderant: at eas rescidit Clemens atque orthodoxæ fidei formulam transmisit Palæologo; (*c*) quo vero consilio, ita in literis (*d*) ad Dominicanæ familiæ magistrum aperit: *Quia ex quibusdam indiciis, quæ per legatos & literas insinuant,* Græci nimirum, *ad salubrem videntur reditum anhelare; nos probare si ex Deo sit spiritus cupientes, suæ professione fidei, quam miserunt, accepta, quam in multis erroneam & in multis invenimus diminutam, nuper eis in scriptis misimus, quæ cum tota Latina ecclesia firmiter credimus & simpliciter confitemur.* Cæterum, collocata in luce fidei veritate, Pontifex Palæologum hortatus est, ut remotis ambagibus, sinceroque animo ecclesiarum conjunctionem redintegraret.

Manca & erronea a Græcis edita fidei professio.

(*c*) *To.* 2. *ep.* 333.
(*d*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 1.

*Palæologo illustri Imperatori Græcorum gratiam, per quam gloriam obtineat in futuro.*

*Magnitudinis tuæ literas, ac viros providos, & discretos latores earum, apocrisarios tui culminis, ad nostram venientes præsentiam serena facie, sed & animo læto recepimus: & eis super omnibus, quæ proponere voluerunt coram nobis & fratribus nostris, audientia benigna concessa, fideles adhibuimus interpretes, qui nostrum eis, & suum nobis in omnibus & per omnia panderent intellectum. Ipsum quoque literarum vestrarum initium, quod ex Psalmis assumpseras spiritualis & nobilis citharœdi, cordis tui gaudium manifestans; ex eo iusta ratione conceptum, quod in domum Domini te sperabas iturum; illuc etiam tribus Domini Latinorum videlicet, & Græcorum pariter ascensuras; acceptum nobis plurimum cum gaudio accepimus exultationis ingentis. Hoc est enim quod & nos totis visceribus concupiscimus, quod & in ipsis missarum solemniis a Domino petimus incessanter, ut suam videlicet Ecclesiam toto orbe terrarum adunare dignetur. Hoc est quod videre summopere cupimus, ut ipsius ruinas impleat, scissuras reparet, muros ædificet, & sanctorum custodia muniat Angelorum. Non sunt enim nobis incognita damna populi Christiani, quæ jam dudum Latinorum & Græcorum dissensio peperit annosa pariter, & damnosa: dum divisos inter se populos, & in sua se adversis mutuo debilitando conatibus conversos viscera, frequentius & liberius furor hostilis invasit, qui eisdem glutino veræ charitatis unitis obesse minime potuisset.*

Missi apocrisarii a Palæologo ad Clementem.

Literarum illius anacephalæosis.

LXXIII. De nuntiis ab Urb. IV. ad eum legatis.

*Sane olim ad felicis recordationis Urbanum Papam prædecessorem nostrum cum tuis literis solemnes nuncios destinans, tuum modo consimili per eosdem nuncios & literas pium desiderium explicando, inter cætera postulasti, ut ad tuam præsentiam apocrisarios suos mitteret seu legatos pacis homines, & pacificos Christi discipulos; non gaudentes in vanitate verborum, neque bono pacis mundanam sapientiam præponentes. Qui tuis votis annuens in hac parte, viros electos de fratrum Minorum ordine; viros utique pauperes in hoc mundo, in fide divites, in lege Domini plenius eruditos; fratres scilicet Simonem de Alvernia, Petrum de Moras, Petrum de Crista, & Bonifacium de Iporegia, cum suis sub certa forma literis ad te misit. Licet autem idem prædecessor noster celsitudinis tuæ literas supradictas cum magno gaudio recepisset, & in ipsis contenta literis sigillatim inspecta pietatis perpenderet speciem obtinere; ad contentum tamen in eis ordinem, sicut non debuit, si nec voluit se arctare. Tu quidem*

Habitis a Palæol. cum iis tractatibus.



*dem eorundem Latinorum & Græcorum concordiam, dissolutis inimicitiis, in charitate mutua prius decreveras solidandam: & tunc demum videbatur tibi commodior de dogmatibus fidei, & rituum diversitate tractatus, & ad hujusmodi probationem ordinis ex scripturis authenticis argumenta multa compegeras, ad probandum, quod bonorum sit omnium charitas fundamentum. Ipse vero tuis non obvians argumentis, nec præconia charitatis attenuans, quam sedes Apostolica illibatam servat ad filios etiam indevotos; sed fidei primum & solidum fundamentum attendens, sine qua Deo est impossibile placere, non injuste de consonantia fidei tractatum censuit præmittendum. Absit enim, ut Rom. ecclesiam, quæ nec rugam habens nec maculam, illam tenet hodie, quam semper hactenus tenuit, fidei veritatem, filios etiam se avertentes ab ea odio prosequi fateamur: cum proculdubio eadem mater Ecclesia justis & peccatoribus, obedientibus & rebellibus exhibens piæ charitatis affectum, ad salutem omnium, quibus potest modis intendat: nec ideo minus diligere sit censenda, quod interdum, exigente justitia, peccatorum confringit cornua, qui salutaribus monitis obtemperare contemnunt. Sicut nec recto judicio dici potest medicus odiosus, qui curandis vulneribus ferrum & ignem adhiberet, quæ lenioris antidoti medicamine non curantur. Stetit itaque cum fide charitas apud ipsam: sed qui fidem contaminant, necessario deserunt charitatem, ad quam nullus est eis reditus, nisi prius, quam non receperant, vel receptam abjecerant, fidei veritatem agnoscant: cum sit illa fons vivus charitatis, cui nullus communicat alienus.* Et infra.

Paterno sedis Ap. in Græcos studio.

LXXIV. Proposita a Clem. Palæologo tuendæ fidei forma.

*In eis etenim quæ sunt fidei, & veritatem respiciunt, sine qua salus esse non potest, explicite, non sub involucro est agendum; ideoque ut in lucem omnia veniant, nec verborum ambagibus intentionis nostræ puritas involvatur, tenore præsentium duximus declarandum, quid tibi a prælatis, & cæteris sub tua ditione degentibus faciendum incumbat, ut ad sinum ejusdem sacrosanctæ Rom. ecclesiæ matris tuæ, suno fretus consilio, redeas reverenter. Quod si faciendum, Domino decreveris inspirante, ipsa mater piissima, filio redeunti sinum largissimæ pietatis aperiens, in tuos læta properabit amplexus. Ecce ergo quod corde firmiter credimus, & quod ore simpliciter profitemur, tibi plane proponimus & exponimus: nec in velamentis ænigmatum dogmata nostra tegimus, sed omnino verbis explicitis & apertis notam esse volumus universis professionem fidei, quam tenemus. Quam a te, clero & populo prædictis exigimus, ut eandem tu & ipsi profiteamini, si ad nostram, ut desideramus, volueris redire unitatem. Ea insuper, quæ circa ejusdem ecclesiæ Rom. primatum, de cujus veritate nonnulla præfatæ scripturæ series continebat, a te ac ipsis clero & populo recipi & acceptari volumus, plenius & apertius explicantes.*

LXXV. De Trinitate, ac divina essentia.

*Et quidem credimus sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum, sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque deitatem coessentialem, consubstantialem, coæternam, & coomnipotentem; unius voluntatis, potestatis, & majestatis; creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, & per quem omnia, in quo omnia, quæ sunt in cœlo & in terra, visibilia & invisibilia, corporalia & spiritualia. Credimus singulam quamque in sancta Trinitate personam unum verum Deum, plenum, & perfectum. Credimus ipsum Filium Dei, verbum Dei æternaliter natum de Patre consubstantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in divinitate: temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem: Deum verum & hominem verum: proprium in utraque natura, atque perfectum: non adoptivum, neque fantasmaticum; sed unum & unicum Filium Dei in duabus & ex duabus, divina scilicet & humana, naturis: sed in unius personæ singularitate impassibilem & immortalem divinitate; sed in humanitate pro nobis, & pro salute nostra passum vera carnis passione, mortuum, & sepultum, & descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse a mortuis, vera carnis resurrectione: die quadragesimo post resurrectionem cum carne, in qua resurrexit, & anima ascendisse in cœlum, & sedere ad dexteram Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos, & reddituram unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala. Credimus etiam Spiritum sanctum, plenum, & perfectum, verumque Deum, ex Patre & Filio procedentem; coæqualem, & coessentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio. Credimus hanc sanctam Trinitatem non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, æternum, invisibilem & incommutabilem. Credimus sanctam catholicam & Apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur baptisma, & vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gestamus: & vitam æternam. Credimus etiam novi & veteris testamenti, legis, ac prophetarum, & Apostolorum unum esse auctorem Deum ac dominum omnipotentem.*

De Christo, & duabus in illo naturis.

De aliis illius mysteriis.

De Spiritu sancto.

De unitate divinitatis.

De Ecclesia catholica.

LXXVI.

*Hæc est vera fides catholica, & hanc super dictis articulis tenet & prædicat sacrosancta Rom. ecclesia. Sed & propter di-*

De Baptismo non repetendo.

*diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos: sed per veram pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum.*

De Purgatorio.

*Quod si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignæ pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari; & ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta. Illorum igitur animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post peccati contractam maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi. Illorum autem animas,*

De inferno.

*qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Rom. ecclesia credit & firmiter asseverat: & quod nihilominus in*

De judicio.

*die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.*

LXXVII. De septem Sacramentis.

*Tenet etiam & docet eadem Romana ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra. Aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt chrismando renatos. Aliud est Pœnitentia. Aliud est Eucharistia. Aliud est sacramentum Ordinis. Aliud est Matrimonium. Aliud est Extrema unctio, quæ secundum doctrinam B. Jacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Eucha-*

De Eucharistia.

*ristiæ ex azymo conficit eadem Rom. ecclesia, tenens & doceus, quod in ipso sacramento panis vere transubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi. De matrimonio tenet,*

De matrimonio.

*quod nec unus vir simul plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius conjugum, secundas & tertias & deinceps nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat.*

LXXVIII. De primatu Rom. ecclesiæ.

*Ipsa quoque sacrosancta Rom. ecclesia summum & plenum primatum, & principatum super universam catholicam Ecclesiam obtinens; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe seu vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit; sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debet judicio diffinire. Ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare. Sed & in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri judicium, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarumque prælati & obedientiam & reverentiam sibi debent: apud quam sic potestatis plenitudo consistit quod ecclesias cæteras ad solicitudinis partem admittit; quarum multas, & patriarchales præcipue, diversis privilegiis eadem Romana ecclesia honoravit: sua tamen prærogativa, tam in generalibus conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva.*

LXXIX.

*Porro præscriptam purissimam, certissimam, & solidissimam orthodoxæ fidei veritatem, evangelicæ doctrinæ consonam, a sanctis patribus traditam, & Romanorum Pontificum in suis synodis diffinitione firmatam; sicut nec decet, sic nec volumus novæ discussioni, ac diffinitioni subjacere, ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas & licitum in dubium revocando. Ideoque licet in præfata scriptura de convocatione concilii ageretur; licet tu per tuas præfatas literas concilium in terra tua convocari petieris; nos tamen nullo modo proponimus concilium ad discussionem, seu diffinitionem hujusmodi convocare: non quod cujusquam faciem vereamur, vel eandem sacrosanctam Romanam ecclesiam Græcorum superari prudentia timeamus; sed quia prorsus indecens foret: immo nec licet, nec expedit in dubium revocari præmissam veræ fidei puritatem, tot sacræ paginæ auctoritatibus, tot sanctorum roboratam sententiis, tot Romanorum Pontificum stabili diffinitione firmatam; pro cujus defensione, si necesse foret, parati essemus subire martyrium, & morti etiam exponere corpus nostrum. Quam ideo ad præsens nequaquam auctoritatibus, quarum tamen satis nobis copia pro voto suppeteret, munire curavimus; sed in simplicitate veridica, sic pure, sic explicite tam prædictis tuis adhibendam nunciis, quam tibi decrevimus destinandam; quia vel notam prolixitatis nimiæ diffusus epistolæ textus incurreret, si auctoritatum multitudinem, quibus eadem roboratur veritas, contineret; vel si notam vitare volens, hujusmodi tam prolixam tot articulorum materiam brevi sermone perstringeret, de defectu forsitan, qui proculdubio nimis foret in tanto notabilis & periculosus negotio, notaretur. Et quia provida deliberatione concepimus apocrisarios aliquos in lege Dei peritos, ad tuam præsentiam destinare, cum quibus tu, ac prædicti clerus & populus super præmissis conferre poteritis; & sicut speramus, ipsi vobis sufficienter, divina eis id donante clementia, respondebunt; sed nihilominus, si quid tuum tuorumque animos concutit; si quid turbat, ut*

Negat Clem. convocandum concilium ad ea discutienda.

Qua ratione adductus sit.

Cur nudos fidei articulos exposuerit.

Si quæ dubia patitur, mittat oratores, quibus illustranda sint.



*ut eorum aliquid, quæ supra ascripsimus veremini, ut petimus, profiteri, aliquos de peritioribus, quos in prædictis repereris clero vel populo, ad nostram mitte præsentiam: nosque, qui juxta ejusdem principis Apostolorum sententiam, parati sumus omni poscenti nos de ea, quæ in nobis est, fide & spe reddere rationem; illos, quos miseris charitative tractabimus, & patienter quicquid proponere voluerint, audiemus: & tam plene, donante Domino, satisfaciemus eisdem, quod, amoto cujuslibet dubitationis scrupulo, fidei veritatem agnoscent, & in agnita salubriter gloriantes, ad te cum gloria remeabunt. Ipsis quoque apocrisariis tuis, cum de promissa professione fidei eis, ut præmittitur, copiam fecimus, clementer obtulimus benigne ipsis satisfacere, si super ea in aliquo dubitarent.*

*Ideoque excellentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur in domino Jesu Christo, per aspersionem sui pretiosi sanguinis obsecrantes, quatenus diligenter attendens, quantum tibi accrescet ad meritum, quantum accedet ad gloriam & exaltationem tui nominis ampliandam, si datum tibi desuper fuerit, ut oves, quæ pericrunt, tuæ diligentiæ studio ad caulam Domini reducantur; si tuis fiat laboribus, ut unum sit ovile, unusque pastor, Latinorum & Græcorum populis tuis temporibus in unitate præmissæ orthodoxæ fidei adunatis; sic studeas habilitare materiam, sic animos tuum, tuorumque disponere, quod in prædictorum apocrisariorum nostrorum adventu te, ac præmissis clero & populo præscriptam, humiliter suscipientibus, & fideliter profitentibus fidei veritatem, facilis sit ad reliqua, Domino faciente, processus. Quod si postquam taliter supra propositam, tu idemque clerus, & populus veritatem fidei susceperitis, & professi fueritis, & ad obedientiam, ut præmisimus, ejusdem veneritis matris vestræ; concilium per sedem ipsam ad locum, qui ad hoc eidem sedi videatur idoneus, convocari petieritis, ad charitatis vinculum inter Latinos & Græcos fœdere perpetuo roborandum; legatos super hoc ad nos poteritis destinare, quibus faciente Domino responsum dabitur, quo tuum desiderium satiari poterit & debebit. Ad præmissæ igitur tam salutiferæ unionis salutare commercium efficaciter solicitudo tuæ sublimitatis intendat: & ut animarum & corporum discrimina, quæ ingerit inveterata dissensio, præcidantur, præmissa, quæ paterna monitione requirimus, implere festinet; scitura quod occasione tractatus hujusmodi nec iis, qui a tua magnificentia se gravatos esse queruntur, sicut nec debemus, in sua justitia deesse proponimus; nec a prosecutione tanti negotii per alias vias, quas ad animarum salutem Dominus ministraverit, desistemus. Dat. Viterbii IV. non. martii.*

Suscepta a Græcis ea fide ad confirmandam conjunctionem celebratum iri concilium.

LXXX.

Cum ergo maximo fervore Romanæ conjungendæ Græcæ ecclesiæ arderet sanctissimus Pontifex, aliis literis, ad Græcorum patriarcham datis, monuit, (*a*) ut ad tantam rem incumberet, e qua summa ad Christum gloria, ad animas salus, ad rempublicam felicitas redundaret; atque operam suam in flectendo, reducendoque Palæologo collocaret.

(*a*) Eod. l. 3. ep. cur. 2.

Patriarcham Græc. solicitat Pontifex, ut ecclesiarum redintegrandæ conjunctioni operam det.

*Clemens &c. Dilecto in Christo fratri.. patriarchæ Græcorum spiritum gratiæ salutaris.*

*Ne tam utile, tam pium negotium per verba inefficacia ulterius deducatur, viam ad accelerationem hujusmodi, nobis admodum votivi, negotii de consilio fratrum nostrorum compendiosam, ut speramus, elegimus: quam ideo præsentibus non duximus inserendam, quia eam magnifico viro Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum illustri, nostris literis plenius explicamus. Ideoque fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente in Domino Jesu Christo, per aspersionem sui preciosi sanguinis obsecrantes, quatenus præmissum affectum, quem eadem tuæ literæ prætendebant, per efficacem operis evidentiam exhibens, ad celerem executionem illorum, quæ in prædictis nostris literis paterne requirimus, in humilitatis spiritu te ipsum promptum & propitium offeras; & tam præfatum Græcorum Imperatorem, quam alios, quo poteris studio solertibus exhortationibus inducas: ut cum Altissimi dextera tam gloriosum opus utilitatis tantæ perfecerit, tu in hoc te utilem extitisse cooperatorem ipsius; sub spe nihilominus divinæ gratiæ, ac favoris apostolici, quem tibi ex hoc accrevisse digne lætaberis; possis non immerito gloriari. Dat. Viterbii VI. non martii.*

Monet Pontif. ut verba mandet operi.

LXXXI.

Transmissurus Constantinopolim apocrisarios, ut erat pollicitus, Pontifex Dominicanæ familiæ magistro dedit imperia, (*b*) ut religiosos viros ad id minus obeundum deligeret, in quibus has virtutum dotes desideravit: *Qui testamenti scientia polleant utriusque, & ingenio nihilominus præditi naturali: nec sint ingestibus incompositi, nec in responsione præcipites, sed exacta potius gravitate laudandi, sciant in tempore proferre sermonem, & eorum jactantiam, quorum scientia multum est tenuis, æquanimiter tolerare.* Et infra: *Scire te volumus, nobis sufficere, si illos, quos tecum habes, vel intra fines Italiæ ad hoc videris idoneos, illos elegeris: non enim Græci disputationi se offerunt, sed paratos dicunt ostensam sibi recipere veritatem: suntque apud nos rationes eorum, quibus suum errorem fulciunt, baculis arundineis innitentes. Dat. Vi-*

(*b*) To. 2. ep. 333.

*Viterbii* v. *idus junii anno* III.

LXXXII Religiosi viri a Clemente beneficiis affecti.

Experiebatur Clemens, quantas parerent Ecclesiæ viri religiosi utilitates, cum ipsos ad tractandas res tanti ponderis adhiberet: atque ideo ad admittenda justa eorum petita, facillimum se exhibuit. Ita enim divinum officium Umberti opera ad meliorem formam redactum & in solemnibus Prædicatorum comitiis approbatum, ut ubique terrarum eo uterentur, confirmavit (*a*). Nec minus in alios religiosos viros apostolicam beneficentiam explicuit: monasterii namque Cassinensis omnes prærogativas a Paschale II. collatas corroboravit (*b*): præscriptam ab Urbano IV. cujus diploma præ manibus habui, religiosæ disciplinæ formulam sacræ equestri familiæ, cui B. Mariæ Virginis gloriosæ nomen inditum in solemni ordinis conventu a religiosis equitibus nonnullis in dubiis illustratam, ratam firmamque esse jussit (*c*). Concessam ministro majori ordinis S. Trinitatis redemptionis captivorum Compendii ecclesiam, maximisque opibus a S. Ludovico auctam, apostolica etiam auctoritate iis confirmavit (*d*): atque etiam instituta sacra ejus familiæ a delegatis ab Urbano IV. emendata, ac illustrata pontificia firmitate communivit. (*e*)

(*a*) Lib. 3. ep. 55.

(*b*) Ib. ep. 67.

(*c*) Ib. ep. 123.

(*d*) Ep. 101.

(*e*) Ep. 102. ext. in Bullar. in Clem. IV.

LXXXIII

His adjungimus Clementem propagandæ pietatis studio, cum Romani sodalitii S. Mariæ Confalonis nuncupati socii, ea se inter cæteras lege adstrinxissent, ut ter in anno crimina confessionis sacramento expiarent, ac dominicum corpus exciperent; sua auctoritate pium decretum confirmasse (*f*) præmiaque indulgentiarum sodalibus proposuisse: *Sedis Apostolicæ filios laudavimus, quod, sicut nuper accepimus, nonnulli Romanorum eorumdem devotis animis ordinarunt, ut ter in anno suis debeant sacerdotibus confiteri, & totidem vicibus sumere corpus Domini reverenter. Talis itaque dispositio digno meruit patrocinio, dignisque sustentari suffragiis, ut eo plurimorum cordibus applicetur, quo fructus inde præsumitur majoris gratiæ provenire. O beata confessio, mater veniæ, post naufragium tabula salutaris, quæ cadentem resurgere facit, & ducit ad portum de ipsis fluctibus delictorum. O gustus suavissimus spiritualium epularum, quibus nullus satiari potuit, nec pati de satietate fastidium: sed eorum existit unusquisque tanto capacior, quanto ex hit fœcundius degustabit. Hæc quidem sumuntur, & sumentem possident & assumunt, pellunt formidinem, securitatem adiiciunt &, extinctis vitiis, divina munera largiuntur.*

(*f*) Servatur ea de re diplom. a sodalibus.

Pia lex a sociis S. Mariæ Confalonis lata de sacramentis ter in anno percipiendis.

LXXXIV. Propositæ sodalibus indulgentiæ.

*Intendens igitur, ut prædicti Christifideles ad eundem vivendi modum eo ferventius accenduntur, quo senserint & hæc dona suscipere potiora, universis civibus Romanis, & in Urbis districtu specialiter constitutis, & pœnitentibus ac modo prædicto confessis, ac digne recipientibus dominicum Sacramentum, singulis vicibus, quibus illud acceperint tam præsentibus, quam futuris; de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, centum dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Viterbii pontificatus nostri anno* III. Quod diploma e suo exemplari perverusto exscriptum est. His primum laicorum sodalitium, cui vulgo confraternitas nomen est, initiis assurrexit: aliorumque piorum opera efloruit. Dicebatur confraternitas commendatorum Virgini, in cujus collegii insignibus Deiparæ pallio suo sodales tegentis effigies expressa erat, ac societas Confalonis nuncupata ob vexillum hujusmodi imagine insignitum, quod religioso agmini solemni pompa incedenti præferri soleret: atque hujus exemplo condita alia pia sodalitia, & a summis Pontificibus accendendæ pietatis ergo approbata, ac propagata fuerunt.

LXXXV. Parisius, Camaldulensis pietate insignis.

Ex piæ inductæ consuetudinis occasione addemus religiosum virum Parisium (*g*) nomine Bononia oriundum, post exactos centum & VII. vel VI. annos, quorum longe majorem partem in Camaldulensi familia, illustri omnium virtutum exemplo, duxerat; hoc anno ad meliorem vitam evolasse, plurimisque miraculis in vita ac post mortem inclaruisse. Cujus corpus, Tarvisii in templo sanctimonialium Camaldulensium ipsius nomini sacro conditum, magna religione colitur, mihique superioribus annis ostensum fuit.

(*g*) Sur. to. 3. die XI. jun. & Ferrar. ead. die & alii.

Luxit



I. Luxit annus millesimus ducentesimus sexagesimus octavus indictione undecima inopinam Clementis Pontificis optimi mortem. Vidit tamen prius ipse Ecclesiæ perduelles Conradinum, Henricum, aliosque Caroli armis victricibus consumptos; quorum potentia cum magis ac magis aucta Ecclesiam oppressura timeretur, momento evanuit. Ut discant principes numquam tuto oppugnari Ecclesiam petræ illi mysticæ innixam, ad quam tot Reges ac tyranni superba capita illisere. Sed antequam lugubres temerariorum principum exitus in historiæ luce collocentur, prosperos ac fallaces illorum successus percurramus.

Ecclesia non tuto oppugnatur.

II. Pacandæ Etruriæ instat Carolus.

Creatus jam antea in Etruria, ut dictum est, Carolus publicæ pacis servator, iterumque a Clemente in eo munere confirmatus (*a*), populos in officio continebat, & Conradino, ne in provinciam penetraret, iter præcludebat; cum ad ipsum ex Etruria divellendum Saraceni Luceriæ in Apulia, superiori anno paulo repressi, furorem in vicinos effundere cœperunt; & Conradus Capicius, ac Fridericus Alfonsi Regis Castellæ atque Henrici Urbis senatoris infidi frater, cum aliquot turmis Tuneto in Siciliæ insulam applicuere, populosque ad defectionem sollicitarunt. Sparsisse Capicium plures literas, in quibus Regis Conradini proregem se vocitabat, hac verborum forma conceptas, ad populos subornandos refert Sicularum rerum auctor (*b*): *Ecce Rex noster cito veniet in celebri magnæ potentiæ majestate, in manu potenti & brachio excelso nimis. Veniet tamquam verus dominus novus rex, & naturalis successor ad hereditatem tui regiminis: & patrimonii gentem, quam unanimiter opprimunt exteri, & gregem non suæ possessionis, quo possessor violentus abutitur; liberare disposuit, & te erectam in antiquis felicium progenitorum suorum libertatibus confovere.*

(*a*) Clem. to. 2. ep. 375. 476.

Saraceni Luceriæ in eum rebellant.

Fridericus & Capetius in Siciliam invecti.

(*b*) Anonym. ver. Sicul. auct. MS.

Sparsæ ad commovendos populos literæ.

III. Insignes urbes in Caroli fide confiantes.

Delinitos hisce lenociniis insulanos ad eos desciviſse, exceptis insignibus urbibus Panormo, Messana, Syracusis, memoratus auctor addit: ac tum Fulconem e Podio Richardi, patria Provincialem Caroli præfectum coegisse copias in rebelles: Siculos vero, qui in ipsius castris versabantur, insignem proditionem molitos, detulisse nimirum clam Conradini signa, consertoque prælio, mox effusa fuga Gallos deseruisse; dein elatis adulterinis signis, frontem convertisse in Fulconem: qua conjuratione animadversa, is una cum suis sese e periculo fuga subduxit. Perturbata ita Sicilia, ac novis aliis motibus recrudescentibus, Clemens Carolum ex Etruria in Siculum regnum iter maturare jussit, (*c*) ut populos fluctuantes præsentia sua confirmaret: *Cur tibi scribamus ut Regi, qui regnum videris contemnere, non videmus. Laceratur quidem continue tamquam acephalum, Saracenis & perfidis Christianis expositum, & a tuis primitus exhaustum furibus, diripitur nunc ab aliis, & locustæ residuum bruchus comedit: nec in eo deerunt vastatores, quamdiu caruerit defensore. Sane si illud amittis, non credas, quod Ecclesia labores repetat & expensas pro eo denuo acquirendo: sed ad tuos redire poteris comitatus, & regali contentus nomine, rerum exitum expectare; vel divinum forte miraculum, si de tuis præsumis meritis, ut ipse negotia tua gerere teneatur, tuum te sequente consilium, & eam, quam æstimas te habere, providentiam aliorum sententiis præferente. Porro fixum in corde nostro jam fuerat de hac materia tibi non scribere, sed compulit nos instantia venerabilis fratris nostri Radulphi Albanensis episcopi, &c. Dat. Viterbii* v. *kal. aprilis anno* IV.

Insignis Siculorum proditio.

(*c*) To. 2. ep. 460. 462.

Monetur Carolus ut redeat e Tuscia in Siciliam.

Ad hæc imperia Carolus signa convertit in Siculum regnum, ad cujus efferendas partes Pontifex in Saracenos sacrum bellum, propositis indulgentiis & dato crucis symbolo indixit: (*d*) Siciliæ ulterioris citeriosve invasores anathemate solemni ritu perculit. (*e*) Demique Conradinum Insubriam infestantem, meditantemque in Etruriam & Neapolitanum regnum irrumpere, ob spreta apostolica monita regno Hierosolymitano, ad eum materna successione spectante, excidisse pronunciavit: ac ni cœptis absisteret, obtinendi unquam Imperii, vel alicujus regni jurium mulctam intendit: de qua re subjectum edictum promulgatum (*f*). [1]

Sacrum in Saracenos bellum indictum.

(*d*) Ib. ep. 434.

(*e*) Lib. 4. ep. cur. 2.

Censuræ Siculi regni invasoribus incussæ.

(*f*) Lib. 4. ep. cur. 2.



NOTÆ [1] Sicut certa est dies, & annus, quo tanta de Conradino Ecclesiæ hoste victoria relata fuit; ita & incerta dies, mensis, ac præsertim annus, quo Conradinus in Caroli potestatem traditus, necem subivit. Quidam enim cum Spondano rem ad sequentem annum extrahendam censent. Aliis vero præsenti illigandam succurrit; sunt autem hi, & numero, & antiquitate, & vicinitate locorum potiores. Nam præterquam id affirmat Author Chronici Cavensis, qui & victoriam Caroli, & Conradini supplicium eidem anno adscribit; quamquam in eo errat, quod ambo hæc rebus anni 1267. accenset; idem etiam affirmat Ricobaldus Ferrarien-

*Clemens, &c. ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.*

IV. Anathematis in Conradinum forma. Ut affectarit Imperium. Regium nomen Siculum occuparit. Turbarit Ecclesiæ pacem. Carolo bellum inferre molitus sit. Quid eo accepto egerit Pontifex. Imperia Apostolica solemni ritu ipsi data.

*Dudum ad Apostolicæ sedis perlato notitiam, quod Conradinus nepos quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris inconsultæ nimis, & temerariæ ambitionis spiritu concitatus, non solum ad obtinendum Romanum conabatur Imperium; sed sibi regnum Siciliæ intitulare non veritus, sub ejusdem regni titulo sibi nomen regium adscribebat; quodque cum aliquibus inimicis Ecclesiæ diversarum Italiæ partium scelestas iniens factiones suas, per civitates & loca varia sub præmissa intitulatione typario regiæ majestatis impressas literas destinando, turbare pacem ecclesiasticam, ac populum commovere in nostrum, & ipsius Ecclesiæ, ac charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Siciliæ illustris discrimen, & præjudicium nitebatur; nos in festo dedicationis basilicæ beatorum apostolorum Petri & Pauli, pontificatus nostri anno secundo, in hac majori ecclesia Viterbiensi, præsente tunc multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio eidem Conradino districte præcepimus, ut a præmissis penitus abstineret; districtius inhibentes, ne similia ulterius præsumeret, aut quomodolibet usurparet. Prohibuimus etiam universis, & singulis ne prædicto Conradino sicut Regis Siciliæ scriberent, nec ab ipso literas velut a Rege, aut sub præmissis intitulatione, denominatione, seu impressione reciperent; neve in eum ut in Siciliæ Regem intenderent, nec eum armis, vel sine armis, facto vel verbo, aut alias quomodolibet ad turbandum ecclesiæ Romanæ pacem, vel contra prædictum regem Siciliæ præstarent ei auxilium, consilium, vel favorem.*

V. Vetiti proceres Itali cum eo coitionem inire.

*Specialiter marchionibus, comitibus, baronibus, comitatibus, & universitatibus castrorum, villarum & quorumcumque locorum Italiæ prohibuimus expresse, ne ipsius Conradini dominio vel regimini sese supponerent, aut eum vel pro ipso, sive in favorem ipsius alium in potestatem admitterent, vel rectorem, quocumque nomine censeretur, vel ei, sive alii pro ipso, aut in favorem ipsius in se, terras, seu districtus suos dominium, vel aliquod posse concederent, nec societatem, conjurationem, aut fœdus inirent cum illo, seu alio in suum auxilium, vel favorem. Illos vero qui secus quacumque machinatione facerent, cujuscumque forent præeminentiæ, dignitatis, aut status, excommunicationis sententiam, quam ex tunc in eos tulimus, incurrere volumus ipso facto.*

Quæ intentatæ iis pœnæ.

VI. Quæ sententiibus cum ipso ecclesiasticis incussæ.

*Prælatis quoque omnibus prædiximus, quod si contra præmissa venirent, ecclesiasticis eos dignitatibus, prout suaderet justitia, & reliquos clericos non prælatos beneficiis, si qua forsan haberent, privaremus, & redderemus inhabiles ad habenda. Laicis etiam omnibus, ac præcipue*

NOTÆ

rienſis, qui rem tenere ſe aſſerit ex Joachimo judice cive Regio, teſte hujus rei oculato. Cum vero ſcriptor iſte ex tanto aſſertore quædam narret, quæ aliis vel incomperta ſunt, vel plane repugnant; ideo, quæ ab illo traduntur, hic brevi verborum compendio referenda arbitror. Affirmat igitur Henricum urbis Senatorem, in ipſo prælio captum. Licet enim Carolus in literis ad Pontificem, ipſa die pugnæ datis, nihil de illo ſe ſcire affirmat; fieri tamen potuit, ut poſt aliquot horas in fuga captus ad victorum poteſtatem venerit. Quin & ab abbate quodam Monaſterii S. Salvatoris (Montis Caſini abbatem alii malunt) militibus Caroli illum inſequentibus traditum notat Author Chronici Cavenſis. Addit Ricobaldus Conradinum cum Duce Auſtriæ naviculam quamdam conduxiſſe, qua conſcenſa recipere ſe in regnum properaſſe (alii Piſas tetendiſſe affirmant); ſed quemdam e Frangipanorum familia (Joannem quidam appellant) illum inſequutum apprehendiſſe, & in arcem ſuam (Aſturam vocant Scriptores veteres; eſt autem oppidum ad mare Antio proximum) retraxiſſe. Id ut reſcivit Carolus eo perrexit, tradique ſibi captivos poſtulavit, & obtinuit. Sed re ipſa traditum fuiſſe Roberto de Lavena claſſis Carolinæ Duci Sabba Malaſpina teſtis earum rerum oculatus ſcribit in Hiſt. Sicula lib. 4. Cap. XV. Tum narrationem ſuam proſequens Ricobaldus, ſcribit, non defuiſſe, qui crederent Pontificem poteſtati ſuæ dare captivos mandaſſe; ſed Carolum ne illos traderet aſtu eluſiſſe. Nam ſtatim vocato virorum doctorum conſilio de nece vinctis inferenda conſultaſſe; & quamquam plures cum Guidone Sucaria, viro ejus ætatis lege conſultiſſimo, illos a morte abſolvebant, contrarium tamen aliorum conſilium vicit; adeoque mortis ſententiam Conradinus cum ſociis die VI. Kal. novembris Neapoli ſubivit. De Henrico Senatore nihil addit; ſed ex aliis compertum eſt, illum vitæ reſervatum fuiſſe. Conradus vero de Antiochia dictus, Friderici II. ex Friderico notho nepos, captus, & ipſe ſupplicium non evitaſſet, niſi pro commutandis illuſtribus quibuſdam captivis a militibus Conradini in arce quadam detentis reſtituendus reſervaretur, ut notat anonymus author memorialis poteſtatum Regienſium qui Hiſtoriam ſuam ad annum uſque 1290. perducit Rer. Italic. to. VIII. col. 1128. Hinc nullam fidem merentur Scriptores illi apud Spondanum ad hunc annum num. V. qui & oculis privatum, & ſuſpendio necatum aſſerunt.

Denique ad Conradinum quod attinet, adnotare hic juvat illum, poſtquam in hoſtis manum incidit, ſalutis ſuæ rebus conſulere cœpiſſe, atque in primis curaſſe ut a cenſuris ſolutus ab Eccleſia reciperetur. Accitum propterea Ambroſium Sanſedonium e Dominicana familia virum tunc celebrem ad Pontificem veniam & communionem poſtulaturus miſit, atque impetravit, teſtibus vitæ ejuſdem Ambroſii ſcriptoribus genuinis; ita enim vitæ ejuſdem cap. 3. *Conradinus ad Pontificis miſericordiam venire coactus eſt. Sancti igitur viri Ambroſii medio pro abſolutione ſua ad Pontificem legatum miſit .... Sicque Conradinus ab omni cenſura, & Pontificis indignatione abſolutus eſt.* MANSI



*pue temporali jurisdictioni Ecclesiæ præfatæ subjectis aperte, denunciavimus, quod si hujusmodi nostram inhibitionem negligerent observare, privaremus eos feudis quibuslibet, quæ ab ecclesiis aut personis ecclesiasticis obtinerent: ac vassallos, si quos haberent, a fidelitatis absolveremus juramento, si quo tenerentur eisdem; & personas eorum citra mortis, & mutilationis periculum, ac bona ipsorum, ita ut ea posset quilibet occupare; licenter exponere curaremus. Civitates vero, communitates, & universitates quaslibet, quæ præfatam prohibitionem nostram violare quocumque dolo, ingenio, arte, vel machinatione tentarent; voluimus interdicti sententiæ subjacere.*

VII. Ut Conradinus jussa apostolica infregerit. Commoverit in Carolum Etruscos & Siculos.

*Cumque præfatus Conradinus præcepta, inhibitiones, & comminationes hujusmodi præsumptuose contemnens, & nequaquam abstinens a præmissis, suos in Tuscia diceretur vicarios ordinasse; ac Siciliæ se Regem intitulans literis uteretur sub intitulatione, ac impressione prædictis, ut terram in dicti regis præjudicium commoveret, scandala suscitaret, Ecclesiæ turbaret pacem; pro Siciliæ Rege se gerens, velut Rex Siciliæ dicti regni partiretur officia, officiales institueret, milites solicitaret, aliquos promissionibus alliceret, nonnullis privilegia indulgeret, quampluribus etiam dona in eodem regno concederet; sicut literarum & privilegiorum hujusmodi, quæ ad manus nostras devenerant, nos certos reddidit de prædictis inspectio; nos universas & singulas inhibitiones, denuntiationes, comminationes, & sententias memoratas de prædictorum fratrum consilio in die cœnæ Domini, pontificatus nostri anno tertio, in hac eadem Viterbiensi ecclesia, præsente tunc multitudine copiosa fidelium, innovantes; omnes illos, qui contra easdem inhibitiones, denuntiationes, & comminationes temere veniendo, in præfatam sententiam inciderunt; ac specialiter incolas castri sancti Miniati Lucanæ diœcesis, qui spretis prædictis nostris inhibitionibus, & denuntiationibus, ejusdem Conradini fautores & nuntios receperunt; denunciavimus prælibatas sententias incurrisse: ipsos nihilominus tunc de novo excommunicationis, & castrum prædictum interdicti sententiis supponentes, & prædicentes aperte nos adversus eos (nisi memoratos fautores & nuncios infra quindecim dies post instans tunc festum resurrectionis dominicæ de prædicto castro eiicerent ipsos, nunquam receptaturi, seu recepturi postmodum; & a nominati Conradini favore omnino desisterent) gravius spiritualiter, & temporaliter, prout fore putaremus expediens, processuros.*

Ob id censuras objectas contraxisse pronuntiatus sit.

VIII. *Memorato quoque Conradino iterato de ipsorum fratrum consilio districte præcepimus, ut a præmissis omnino abstinens si milia nullo unquam tempore attentaret: alioquin ipsum ex tunc excommunicationis sententia innodantes citavimus eum peremptorie, quod infra festum beatorum apostolorum Petri & Pauli, tunc primo venturum; quod pro peremptorio sibi termino assignavimus; per se, vel per procuratorem idoneum cum pleno & sufficienti mandato, apostolico se conspectui præsentaret, responsurus super prædictis excessibus; & nostris, ac ejusdem Ecclesiæ beneplacitis pariturus: alioquin ex tunc, ipsius, non obstante absentia, procederemus gravius contra eum, prout videremus expediens, ac justitia postularet.*

Ut judicium ipsi intenderit Pont.

IX. *Et quia ejusdem Conradini præsumptuosa temeritas, fautorumque suorum manifestis indiciis revelata malitia, ipsos nobis, tam ex causis præmissis, quam ex aliis de turbatione status Italiæ reddebant manifesta ratione suspectos; nos de ipsorum fratrum consilio in festo Ascensionis dominicæ transacto novissime, in hac eadem Viterbiensi ecclesia, multitudine præsente fidelium, eidem Conradino ingressum Italiæ curavimus inhibere districtius: eo tamen salvo, quod si ad nostram præsentiam infra terminum, quem ad hoc sibi duxeramus, ut præmittitur, præfigendum, personaliter & pacifice venire vellet, mandatis apostolicis pariturus; & super hoc nos præcertificare curaret tempore opportuno; ita studeremus providere negotio, quod sibi securus, ac nostris & Ecclesiæ fidelibus non suspectus ad sedem eandem pateret accessus. Quod si aliter contra mandatum nostrum, & sedis ipsius Lombardiam, vel alias partes Italiæ intrare: aut capitaneum, aut militiam, seu aliam quamcumque gentem illuc destinare præsumeret; nos tam ipsum Conradinum quam omnes illos, qui cum eo venirent taliter, vel pro ipso; necnon & omnes illos, qui eum, aut venientes pro eo reciperent, seu ad ipsorum adventum, vel transitum eis per se vel per alium darent auxilium, consilium vel favorem publicum, vel occultum; ex tunc excommunicationis sententia duximus innodandos.*

Vetuerit ingredi Italiam.

X. *Demum vero in festo dedicationis basilicæ principis Apostolorum, pro eo quod idem Conradinus præfatas nostras inhibitiones, comminationes, & sententias contemnendo, non solum a prædictis sibi tam solemniter, tam manifeste, ac seriose prohibitis abstinere contempsit; se falso, ac temere gerendo pro Rege Siciliæ; utendo sigillo, intitulatione, ac denominatione præmissis; & cum persecutoribus Ecclesiæ, ac Regis Siciliæ prædictorum se in diversis mundi partibus, in eorundem Ecclesiæ ac Regis præjudicium, & pacifici status Italiæ turbationem, variis factionibus implicando; verum etiam Veronensem civitatem cum militia elapso dudum dictæ civitatis*

Violatis iis imperiis Conradinus Veronam accesserit.

*tationis termino intrare præsumpsit, se ultra velle progredi comminans, & ad regni ejusdem invasionem intendere nimis præsumptuose proclamans, alias contra inhibitiones, comminationes, & sententias prædictas temere veniendo; nos de fratrum eorundem consilio Conradinum eundem in hac eadem ecclesia denunciavimus latam in eum per nos, ut præmittitur, excommunicationis sententiam incurrisse: de novo nihilominus ex eisdem causis excommunicantes eundem, ac omnes & singulos, si qui se ad præstandum ei super præmissis Imperio sive regno auxilium, consilium, vel favorem vinculo juramenti adstrinxerunt, denuntiantes juramento hujusmodi non teneri; & ab observatione ipsius eos nihilominus absolventes. Et si forsan in hujusmodi propositi, seu obligationis prosecutione persisterent, eos ex tunc excommunicationis sententia duximus innodandos.*

Devinctus sit propterea anathemate.

XI. Jussus Verona atque Italia excedere.

Siciliam non invadere.

Imperii terris abstinere.

Intentatæ, ni pareat, amittendi regni Hierosol. pœnæ.

*Memorato insuper Conradino expresse ac districte mandavimus, ut infra mensem, ex tunc computandum, de Verona & tota Italia cum omni sua gente omnino discederet: nec de Imperio, vel Italia, & specialiter de regno Siciliæ, aut aliqua parte ipsius (in quo eum, sicut per sententiam felicis recordationis Innocentii Papæ prædecessoris nostri contra eundem avum ipsius latam in concilio Lugdunensi evidenter constat; & nos etiam tunc declaravimus aperte, jus aliquod non habere) se de cætero per se vel per alium intromitteret aliquatenus, aut aliquid in his, quæ ad prædicta Imperium sive regnum pertinent, contra easdem inhibitiones nostras præsumeret quomodolibet attentare. Alioquin ipsum regno Hierosolymitano, & omni jure, si quod habebat in eo, apostolica ex tunc auctoritate privavimus: & vassallos ejus, ubilibet constitutos, ab omni juramento fidelitatis absolvimus, si quo tenebantur eidem.*

XII. Incussæ ejus fautoribus.

*Omnes vero & singulos, qui eidem Conradino in prædictis præstarent auxilium, consilium vel favorem; & specialiter Ludovicum ducem Bavariæ, comitem Tiroli, Bosum de Dovaria, Manfredum Malet, qui se comitem camerarium nominabat, & Conradum Trinza; quos notorium erat ipsi Conradino in prædictis assistere, ipsumque fovere; cæterosque marchiones, comites, barones, & alios cujuscumque forent dignitatis, aut status, qui ejus nuncios, seu literas contra prædictas inhibitiones nostras veniendo, temerario ausu receperant; seu alias præstiterant eidem auxilium, consilium, vel favorem excommunicationis: civitates vero, castra, & cætera loca, quæ prædictas nostras inhibitiones contra ipsas veniendo contempserant, interdicti declaravimus sententiis subjacere: ac nihilominus de novo ex eisdem causis; exigente proculdubio aucta eorum ex tanti temporis continuatione perfidia; similibus sententiis duximus innodandos. Specialiter autem terram memorati Ludovici ducis Bavariæ, nisi dux ipse infra duos menses, exinde computandos, prorsus a Conradini ejusdem in præmissis favore desisteret, ecclesiastico ex tunc supposuimus interdicto. Omnes vero marchiones, comites, barones, & alios quoslibet, cujuscumque forent dignitatis aut status, qui eundem Conradinum, aut ejus capitaneum, vel militiam, seu quamcumque aliam gentem, pro ipso de cætero in aliqua parte Italiæ contra easdem nostras sententias, inhibitiones seu comminationes reciperent; omnibus privilegiis, indulgentiis, & gratiis quibuscumque ab Apostolica sede obtentis ex tunc apostolica auctoritate privantes; ipsos manere decrevimus omni officio, & honore privatos: ita quod nullus eorum in potestatem, capitaneum, seu rectorem, aut ad alia quæcumque officia, vel honores posset assumi: & si aliqui eorum forent assumpti, sententiæ latæ per ipsos judices, & instrumenta confecta, si tabelliones essent; vel si alia quæcumque officia gererent, omnia quæ per ipsos, vel eorum auctoritate, seu ministerio in judicio, vel extra judicium fieri, seu geri contingeret: carere omni robore firmitatis, ac nullius penitus decrevimus esse momenti: & nihilominus personas eorum, citra mortis & mutilationis periculum, nec non & bona mobilia exposuimus impune ab omnibus ac libere capienda: aliis etiam civitatibus, & locis Italiæ, quæ dictos Conradinum, vel capitaneum, seu gentem suam contra præfatas nostras inhibitiones comminationes, & sententias deinceps reciperent, comminantes aperte, nos ad similes privationum pœnas, prout foret expediens, processuros.*

Ludovico duci Bavariæ.

Proceribus Italicis.

Populis & urbibus objectæ.

XIII. Conradinus jussa omnia Apostol. transgreditur.

*Verum præfatus Conradinus, ut ad nihilum deveniat velut aqua decurrens, ad sententias, monitiones, & comminationes nostras, sicut aspis surda suas prorsus aures obturans, nec præmissis inhibitionibus acquievit, nec expavit sententias, nec monitionibus paruit, nec perversitatis suæ propositum comminationibus immutavit; sed in præcipitium præceps ruens, & præmissis excessibus, illos pro viribus continuando, institit; & quos potuit nihilominus novos adjecit. Siquidem contra prædictas inhibitiones, monitiones, comminationes, & sententias ingressus Italiam cum armatis Papiam venire præsumpsit; & in tantam furoris prorupit audaciam, quod aliquas partes Imperii, necnon & devotorum Ecclesiæ in Lombardia terras aggredi temerariæ præsumptionis conamine attentavit: licet in ipsis sui conatus initiis, & temeritatis suæ jam pro parte stipendia, & arrhas confusionis extremæ, quam proculdubio furibundus insequitur, exinde reportarit.*

Papiam accedit.

Occupat nonnullas Imperii terras.



XIV. Defigitur anathemate. Regni Hierosol. juribus exuitur.

*Nos itaque memoratum Conradinum denunciantes ex causis præmissis in excommunicationis, & alias latas in eum sententias incidisse; de novo nihilominus ex eisdem causis de fratrum ipsorum consilio excommunicamus eundem. Denunciamus insuper eum regno Jerosolymitano, & omni jure, si quod habebat in illo, apostolica auctoritate privatum; & vassallos ejus constitutos ubilibet ab omni juramento fidelitatis, si quo tenebantur ei, penitus absolutos, & terram ejus ecclesiastico supponimus interdicto.*

XV. Postulatur judicio.

Ni pareat Ecclesiæ, denuntiatur non futurum ad regnum, vel Imperium idoneum.

*Insuper præsente hac fidelium multitudine dictum Conradinum aperte monemus, sibique districte præcipimus, ut infra mensem ex nunc computandum, quem pro peremptorio sibi termino assignamus, humiliter ad nostra & Ecclesiæ mandata redire procuret: alioquin ex tunc ipsum de prædictorum fratrum consilio reddimus omni tempore inelligibilem, & prorsus inhabilem ad regnum quodlibet, vel Imperium obtinendum: & nihilominus omnibus feudis, & juribus quibuscunque, si qua forsan a quibuslibet tenet ecclesiis, privamus eundem. Porro supradictas inhibitiones, comminationes, & sententias innovantes, omnes & singulos, qui contra eas quocumque modo venerint; & specialiter prædictos Ludovicum ducem Bavariæ, comitem Tiroli, Bosum de Dovana, Manfredum Malet, Conradum Trinza, qui ab ipsius non destitere favore; Fredericum præterea charissimi in Christo filii nostri Regis Castellæ germanum, qui præfato Conradino favendo, insulam Siciliæ, terram memorati Caroli Siciliæ Regis invasit, cum omnibus complicibus suis; necnon Vvillelmum de Parisiis, cæterosque, qui se contra eundem Siciliæ Regem cum Saracenis Luceriæ erexerunt; ac omnes alios, qui citra Farum quamcumque terram ejusdem Regis Siciliæ invaserunt, omnesque complices, & in hoc fautores eorum; item Guidonem Novelli, Galvanum, & Fridericum Lanceam, Conradum de Antiochia, & Joannem de Marerio, pro eo quod eidem Conradino favent aperte, & dictum Regem pro viribus impugnare conantur; cæterosque cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, aut status, qui contra præmissas inhibitiones, monitiones, comminationes, vel sententias venire temere præsumpserunt; denunciamus in præmissas excommunicationis, & alias contra fautores ejusdem Conradini latas sententias incidisse: ac de novo ex eisdem causis excommunicamus eosdem.*

Quibus pœnis devincti præcipui ipsius sequaces.

Fredericus Regis Castellæ frater.

XVI.

*Civitates insuper, castra, & loca omnia, quæ Conradinum, aut ejus capitaneum, vel militiam, seu quamcumque aliam gentem pro ipso receperunt hactenus, vel alias prædictas nostras inhibitiones, monitiones, comminationes, & sententias contempserunt, veniendo temere contra eas; & specialiter prædictum S. Miniati castrum, ac civitatem Grosseti, quæ non est dubium dicto Conradino favere; declaramus interdicti sententiæ subjacere, ipsorumque castri, & civitatis incolas ejusdem Conradini fautores excommunicationis vinculo innodamus. Civitates etiam, castra, & loca, quæ de cætero ipsum Conradinum, capitaneum, militiam, & quamlibet gentem suam recipere præsumpserint, ex nunc simili supponimus interdicto, contra ea spiritualiter, & temporaliter gravius processuri, prout facti suadebit qualitas, & viderimus expedire. Prædictas vero excommunicationis sententias prohibemus absque speciali mandato nostro, nisi forsan in mortis articulo, relaxari: quo casu nisi absolutionis beneficium obtinentes infra duos menses, postquam restituti fuerint sanitati, de loco interdicto, si forsan inibi fuerint, recedentes nostro se conspectui curaverint præsentare; satisfacturi de suis excessibus, pro quibus hujusmodi sententias incurrerunt, & nostris beneplacitis parituri; eo ipso in easdem sententias relabantur, &c. Actum in palatio nostro Viterbiensi in die cœnæ Domini, pontif. nostri anno IV.* Distrinxit alias anathematis interdictique sententias in alios sceleris participes, Pisanos, (*a*) Papienses, (*b*) Senenses, (*c*) Veronenses, (*d*) Firmanos, (*e*) Castellanos: (*f*) qui ad Conradini partes confluxerant.

Loca quæ favent Conradino censuris percussa.

Inflictæ censuræ a solo Pont. dissolvendæ.

Fœderati Conradini icti anathemate.

(*a*) *Ib. ep.* 4. & 13.
(*b*) *Ep.* 5. & 15.
(*c*) *Ep.* 6. & 14.
(*d*) *Ep.* 7.
(*e*) *Ep.* 9.
(*f*) *Ep.* 10.

XVII. Contemptæ temere a Conradino censuræ ecclesiasticæ.

Spreviſſe pontificia edicta Conradinum, Sicularum rerum auctor anonymus refert: (*g*) quamquam enim impar viribus erat, Gibellinorum tamen studiis fretum inani victoriæ spe sibi lenocinatum: *Sedula*, inquit, *consideratione attendens, quod ad invadendum regnum, & Gallicos in regno morantes pro illorum comitiva Theutonicorum, qui sequebantur ipsum, non possent etiam triplicata sufficere; consideravit tamen, quod Gibellinorum usquequaque subsidiis, quæ tam a civitatibus & locis provinciarum ipsarum, quarum contra Regem Carolum videbatur pariter agi negotium; quam etiam a personis particularibus, quas vel vicinorum invidia, vel temporalium bonorum cupido concitabat, ad arma sumenda oblata, & destinata demum sibi fuerant in uno eodemque exercitu contra Regem unanimiter adunatis; poterat cum Gallicis, qualibet succumbendi sublata formidine, victoriose pugnare. Unde contra monitiones mandati, & inhibitiones tandem expressas Romanæ sedis Antistitis cum anathemate excommunicationis sententiam mente juvenili, temere in hac parte, contempsit.*

(*g*) *Sicul. rer. anonym. auth. MS.*

XVIII.

Perrumpere recto itinere interiora Italiæ non est ausus, cum, ut ait S. Antoni-

Progressus illius lubrici.

ninus (*a*), Bononienses, Rhegini, Mutinenses, & alii, qui cum Pontifice & Carolo sentiebant, Apennini insiderent juga, & transitu arcere Germanos paratissimi essent; sed Papia divertit ad Ligures, exceptusque est a marchione Carratano: ac dein, Pisanorum conscensa classe Pisas applicuit: de cujus in eam urbem ingressu extant pontificiæ pridie id. aprilis datæ literæ. Cæterum auctor inde admodum hostium Ecclesiæ animos refert monachus Patavinus: (*b*) *De isto lubrico cursu Conradini homines mirabantur: multi quoque ejus egressum, & progressum in reprehensionem Regis Caroli miris laudibus extollebant: sed Deus omnipotens, qui usque ad tertiam & quartam generationem visitat iniquitatem patrum in filiis imitantibus malos patres, aliter, quam putabant homines, de adolescentulo disponebat.*

(a) S. Ant. 3. par. tit. 20. c. 1. §. 8. Ricord. hist. Flor. c. 190. Jo. Vill. l. 7. c. 23. Mon. Pad. chr. l. 3. Ptol. Luc. hist. eccl. l. 22. c. 34. Jord. MS. Vat. bibl.

(b) Monach. Pad. ubi sup.

XIX. Formidanda tum, cum dissimulat, divina justitia.

Ingressus ita arte potius quam viribus Etruriam Conradinus, ob Caroli absentiam auctus animis, primum furorem in Lucensem agrum ad gratiam Pisanorum effudit (*c*). At Pontifex, ad tuendos Ecclesiæ studiosos Guelfos legatum apostolicum misit (*d*), qui illius conatus feliciter sustinuit. Dispar fuit prudentia Caroli in Etruria præfectus; qui dum ad intercludendum iter Conradino Aretium properaret, prope Laterinum pontem ab Ubertinis, Senensibus, aliisque Gibellinis ex insidiis profligatus est: nec eo adverso casu Tusciæ comes & Florentini ab Ecclesiæ studiis, quamvis in Apulia multorum secutæ sint defectiones, a fide desciverunt.

Lucensis ager evastatus.

(c) Villan. l. 7. c. 23.

(d) Clem. tom. 2. ep. 511. 513.

Caroli præfectus ex insidiis deletus.

XX. Conradinus Senas accedit.

Fracto ita Caroli exercitu, tutum iter ingressus Conradinus magno perduellium Ecclesiæ tripudio Senis exceptus, diebusque aliquot commoratus, Romam, ut Henrico senatori jungeret copias, perrexit: ac superbia elatus in conspectu Viterbii, ubi Clemens versabatur; ut ipsi insultaret, explicare acies non perhorruit. Offudit sese illico plurimorum oculis animisque terror: qui ad Clementem, de salute pene actum arbitrati, procurrere. Quibus, ut ait S. Antoninus, (*e*) *Papa vir sanctus orationibus & jejuniis deditus, constans & intrepidus ait: Non oportet timere, quia omnis conatus ejus ut fumus evanescet; quod & secutum est.* Addunt nonnulli, Clementem e mœnibus Conradinum Suevum & Fridericum Austriacum in armis magnifice se ostentantes dixisse, ipsos sicut victimas ad mortem duci, sive humana prudentia juvenum temeritatem & Caroli militarem scientiam, artesque perpenderet; sive id e cœlo præscivisset: *Hic de palatio suo*, inquit Jordanus, (*f*) *ubi erat Viterbii videns transeuntem Conradini militiam, quasi prophetando ait dolendum super tali puero, qui taliter seductus ducetur ad victimam.* Inconsulta & vesana temeritas illum principem agebat, ut ea armorum ostentatione illuderet Pontificiæ majestati, quæ tot censurarum fulmina in ipsum ac sequaces erat jaculata.

In Viterbii conspectu insultat Clementi. Pontificis de temerario adolescente oraculum.

(e) S. Ant. 3. p. tit. 20. c. 1. §. 9. Ptol. Luc. hist. eccl. l. 22. c. 36.

(f) Jord. MS. Vatic. bibl. sign. 1960.

Præviderat Clemens imminentis Conradini conatus, atque ad eos excipiendos ac propulsandos Viterbium præsidio militari instruxerat; exciveratque fidissimos & obsequentissimos Ecclesiæ clientes: adeo, ut increbuerit rumor, tantas copias collegisse, ut Romanos perduelles ad officium armis revocaret. Fuerant ii ab Henrico senatore proditore insigni subornati: nec modo Conradini signa anno superiori in Urbe explicari erant passi; verum illius oratores etiam hoc anno magnifice exceperunt: de quibus rebus sanctissimus Pontifex in lata adversum eos sententia gravissime conqueritur (*g*).

XXI. Viterbium adversus illius impetus fortissimo munit præsidio.

Romani adhærent hosti.

(g) Lib. 4. ep. cur. 4.

*Clemens &c. ad notitiam præsentium & memoriam futurorum.*

*Quanto filiis matris liberalitate majorum incrementa munerum provenerunt, tanto gravius & indecentius veritatis judicio cernitur, si per eos honori compensetur opprobrium, & pro beneficiis rependantur offensæ, a quorum gratiis manum mater provida non subduxit; quinimmo novas liberaliter adiicit, & munit robore confirmationis antiquas. Inter alia quoque, nec mirum, grandis, & miranda causa nobis turbationis emersit, ac doloris perfodit aculeo mentem nostram, quod cum Conradinum damnati stipitis surculum, hostem Ecclesiæ manifestum, omnesque fautores, consiliarios, & adjutores ipsius excommunicationis sententia publice duximus innodandos; quod ad cunctorum fidelium, maxime Romanorum, potuit notitiam pervenire; Galvanus Lancea maledictionis filius ab olim viam damnationis ingressus, ejusdem Conradini vexillis explicitis, & erectis Urbem ingrediens, usque Lateranum a Romanis pomposo fastu sibi occurrentibus, obviam habita comitiva, pervenit multiplicis honoris exhibitione præventus: cujus iidem Romani debuerant adventum, ne contagione maculerentur ipsius, potius aspernari. Et quidem, cum tam detestabilis, & horrendus excessus nobis, & fratribus nostris odibilis innotuisset; tam senator quam cives ipsi non ut decuit pœnitentes erroris, sed excedendo lascivius patrantes graviora prioribus; præfatum Galvanum ad eorum ludos, ut ipsis illuderet, venientem non solum pari, sed majori fastu sicut accepimus, receperunt & munificentius honorarunt.* Et infra:

Pontificiæ de Romanis querelæ.

Galvanum præferentem Conradini vexilla magnifice exceptum.

*Verum ipsi Romani prædictis insolentiis non*

XXII.



Admissos Conradini oratores.

*non contenti, quosdam alios ejusdem nuncios Conradini suas, ut audivimus, literas deferentes honorifice recipere postmodum, ac eis in Capitolio congregare consilium non vitarunt; solemni eis audientia præstita super his, quæ proponere voluerunt. Hæc quidem propositio, sicut est verisimile, illusione non caruit: nam ille quondam Fredericus coluber tortuosus, de cujus venenosa radice Conradinus jam prodisse videtur in regulum, cujusque doctrinam ejus ministri dolosis fictionibus imitantur; adulationibus, promissionibus, & fellitis versutiis fideles evertere nitebatur, & in agro mentium illorum proditionis zizaniam seminabat: & munitus satanæ furentis astutia sæpe movebat in Urbe dissidium, sponsam Christi ponere satagens in ruinam, cujus sanguinem, illius satiatus angustiis, ad ejus exterminium sitiebat. Non autem credimus, quod enormes injurias, irreparabilia damna, cujuslibet æstimationem excedentia pretii, & atroces offensas, quæ dictus Fredericus Romanis hostiliter intulit, prout angustæ obsidionis opprobrium, & multorum mœniorum, castrorum, ac turrim memorialis subversio repræsentat; præter innumera scelera, quibus ad iram contra se, ac posteritatem suam Dominum provocavit; illa propositio contineret: nam & proponentes forte minus audacter pulpitum conscendissent, & audientiam animi non tanta suscepissent jucunditate sermonem.*

Exponit Clemens Frederici in Ecclesiam tyrannidem.

XXIII.

*Est & alia turbationis causa doloris similis, & angustiæ non minoris: nam quamvis interdum inter Ecclesiam & Romanos ex aliquibus casibus contigerit exoriri discordiam, & etiam guerrarum scandala suscitari; tamen extitit inauditum, quod ad capitalem persecutorem Ecclesiæ Urbis incorrupta constantia declinaret; quinimmo, ad pacem devote suspirans, ad matris ubera celeri & filiali reditu properabat, ut in brevi conversa non videretur ad invia divertisse. Absit enim quod talis filia tanta respergeretur infamia, ut etsi non actu, vel proposito, præsumptione saltem posset notari crimine matricidæ.*

XXIV.

*Nos igitur, quibus universalis Ecclesiæ regimen est, Domino disponente, commissum; quique matris gestantes ubera, patris tenemur exercere verbera circa filios delinquentes, ut virga paternæ correctionis ab invio retrahat, quos mundi vana conditio nonnumquam præcipitio studio deceptionis exponit; nolentes confusionem ipsius Ecclesiæ conniventibus oculis pertransire, ne reorum culpas nostras facere videamur; tam nobilem virum Henricum natum claræ memoriæ Ferdinandi Regis Castellæ, senatorem Urbis, & Guidonem de Montefeltro ejus in Urbe vicarium; quam cæteros, officiales eorum, & omnes, qui voluntarii dictis Galvano & aliis Conradini nuntiis occurrerunt, vel receperunt eosdem; excommunicationis quas in fautores ejusdem Conradini, & eos specialiter, qui nuncios ipsius literasve reciperent, promulgavimus, hactenus denunciamus sententias incurrisse: & nihilominus tam eosdem cives Romanos, quam quoslibet alios a juramento Henrico, si quo eidem tenentur, quamdiu idem Henricus in hujusmodi perversitate perstiterit, absolvimus, & manere decernimus absolutos. Monemus insuper memoratum Henricum, ut infra mensem post instans festum resurrectionis dominicæ humiliter ad nostra, & ejusdem Ecclesiæ mandata redeat; domosque nostras ecclesiæ S. Petri de Urbe, & alia bona nostra & ipsius ecclesiæ Romanæ, quæ occupata detinet, libere, ac in pace dimittat; ab omni quoque offensa dilectorum filiorum nostrorum Joannis S. Nicolai in carcere Tulliano, Matthæi S. Mariæ in portico diaconorum Cardinalium, & magistri Jordani ejusdem Cardinalis Joannis fratris capellani nostri, cantoris Carnotensis abstinere procuret, de præmissis suis excessibus & offensis præfatis Cardinalibus, & capellano illatis satisfacturus plenarie, ac nostris & ejusdem Ecclesiæ beneplacitis pariturus; alioquin ex tunc gravius contra ipsum spiritualiter & temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus; prænunciantes eisdem senatori & civibus nostulisse dudum sententias interdicti, quas & hodie duximus innovandas in omnes civitates, terras & loca, quæ dictum Conradinum, aut ejus mandatum recipient: quibus Urbis præfata, si quod absit, alterutrum fecerit, subjacebit. Et si quod Deus avertat, in illa inciderit, coget nos excessus insolitus insolitam pœnam exequi, ac interdictum hujusmodi facere firmiter observari, &c.* mulctat Urbem sacrorum usu ob perduellionem. *Actum in palatio nostro Viterbiensi in die cœnæ Domini pontificatus nostri anno IV.*

Henricus senator, & Guido e monte Feretro defectionis auctores.

Percelluntur anathemate.

Romani sacramenti Henrico præstiti religione liberati.

Alia Henrici scelera, quibus jubetur abstinere.

Indictum sacrorum justitium in Urbe.

Pellicere mansuetudine ad officium studuit Henricum Pontifex, (*a*) proposita illi veniæ spe: at singulari illo clementiæ exemplo Henricus flecti non potuit; sed ut ex longo Saracenorum in Africa usu in eorum mores desciverat, quemadmodum Sicularum rerum auctor anonymus refert, atrox facinus aggressus, ac Romæ militarem licentiam, qua in captis urbibus victores impii utuntur, exercere; perfringere ædium sacrarum ostia, expilare thesauros divino cultui consecratos, ac tyrannum præferocem agere aggressus est, de quo hæc memoratus anonymus scribit (*b*): *Qui in Urbe commorans, se non contentus in viros ecclesiasticos & ecclesiæ Romanæ devotos manus immaniter immittere violentas, ad thesauros innumeros, quos conservabant ecclesiæ, sceleratas manus execrabiliter extenden-*

XXV.

(a) To. 2. ep. 464.

Direpta ab Henrico proditore sacraria.

(b) Anonym. de reb. Sicul. auct.

*tendere non pavescit. Sunt enim Romæ diuturni mores, quibus non solum Romani, qui aliquas pecuniarum summas modo quolibet congregant, vel habent res pretiosas, quas propter latrones hostiumque incursus in domibus propriis conservare formidant; sed quamplures exteri vicini libentius petentes Romam sacris in monasteriis & ecclesiis magna, & multa deponunt peculia, quæ per longum tempus non requiruntur a dominis, considerato quod in locis ipsis cum integritate ac tutela consueverunt deposita conservari. Ad hæc itaque diripienda deposita contra ipsarum ecclesiarum privilegia libertatum prædictus dominus Henricus anxiis instat conatibus, totoque incenditur mentis ardore: sicque prædo severus, Deum, Ecclesiam, & homines non verens offendere, loca depositorum hujusmodi quadam audet promptitudine temeritatis invadere. Hic confringit sacrilegus ostia: hic sacristias violat sceleratus: hic fur violentus aperit catenas clericorum: inde pecuniam: inde argentea vasa & aurea: inde sacras vestes, & quæque pretiosa diripit, & asportat procul. Prob dolor! Lateranensem, S. Pauli, S. Sabæ, S. Basilii Aventini, S. Sabinæ & aliorum monasteriorum & ecclesiarum loca dolent & lugent suis disturbata depositis; & altis clamoribus conquerendo, pro voce dant gemitum, & per illum doloris ingentia suspiria & singultus: orant ecclesiastici viri, & has voces, sub incendio lugubris infelicitatis emittunt: O infelix urbs urbium Roma, tot sanctorum patrum glorificis ditata reliquiis, tantaque gentium alienarum frequentia in tuis venerabilibus sanctuariis honorata: facta es modo opprobrium & subsannationis illusio gentibus, quæ circumstant. Venerunt, inquam, gentes in hanc sanctorum hereditatem, quæ in cordis insipientia, Deum in sanctis suis non cogitant: & dum divina templa polluere non formidant, ecclesiarum pecunias, & loca desolaverunt ipsarum. Ergo suppliciter nos peculiaris Christi, & Ecclesiæ suæ populus, grex Dominicus & pascua, boni pastoris oves, & tu Deus ultionum dominus, hanc tuam & Ecclesiæ tuæ temporibus nostris ulciscaris injuriam. In conspectu tuo sic gemitus compeditorum introeat, sicque oppressorum clamor ad sedem majestatis tuæ ascendat, ut iniquitates istas, quas fidelis populus tuus patitur a gentibus, quæ te non noverunt, provida clementia tuæ propitiationis aboleat, & miseratio tuæ pietatis abstergat.*

Patrata ab eodem sacrilegia.

XXVI. Ut tot malis aliisque imminentibus mederetur Pontifex, senatoris munus ab Henrico in Carolum transfundendum decreverat, illique auctoritatem contulerat (*a*), ut ni Henricus recurrente festo ascensionis dominicæ Ecclesiæ conciliaretur, administrationem Urbis cassesset infra proximum festum omnium sanctorum, atque interea de ea re cum iis ageret, quorum operam sibi perutilem fore putaret; sed potiri eo magistratu nisi post Henricum & Conradinum prælio victos non potuit. Cum vero sacramento solemni obstrictus esset Carolus, ut ex quo tempore Siciliam obtinuisset, eam dignitatem, incussis admissisque gravissimis pœnis, amplius non affectaret; illa religione ita solutus est, ut evoluto decennio, ad quod tempus potiri ea dignitate voluit, constitutis pœnis, ni eam dimitteret, involveretur: quod sanxisse Clemens professus est, ut Urbem seditionibus laniatam pristinæ paci restitueret, sibique & Cardinalibus præclusus per summum nefas aditus pateret; quæ apostolicæ literæ tertio idus aprilis exaratæ patefaciunt (*b*); nonnullos etiam e Romana nobilitate præcipuos, qui in Urbe superfuerant, alios enim Henricus pepulerat, vel honoribus submoverat, hortatus est (*c*), ut ad patriæ recuperandam atque asserendam dignitatem assurgerent.

(*a*) To. 2. *ep.* 468.

Transfert in Carolum Pont. senatoris dignitatem.

Promissa Henrico, si pœnituerit sceleris, veniæ spes.

Carolo senatoris dignitas ad decennium collata.

(*b*) Lib. 3. *ep.* 475.

(*c*) To. 2. *ep.* 484.

XXVII. *Joanni Annibaldo proconsuli Romanorum. Ab antiquis retro temporibus urbs Romana, contumaces sibi subiciens nationes, & Regum plurium baltheis dissolutis, in superbiam posita sæculorum, apostolica demum honorata præsentia, & eorumdem sanguine consecrata, illum excellentiæ gradum attigit, ut in contemplationis duplicis, Sacerdotii scilicet & Imperii collocata fastigio, corporali spatio minor, orbe major dignitate cuilibet, non tam jure quam suis viribus antea præfuisset. Ex tunc tamen titulo meliori prælata, pontificalis honorem cathedræ divinæ beneplacito voluntatis obtinuit, & Imperialis excellentiæ gloriam, quam demeruerat, non amisit. Non hoc sane illius temporis debebatur hominibus, sanguinis effusoribus innocentis: sed ille, in cujus oculis munda sunt omnia, fidelem populum & catholicum in eadem per tempora nascitura providerat, qui sanctorum honoraret reliquias, subjectionis debitæ reverentiam successoribus Apostolorum impenderet, dotaret & ditaret ecclesias, & ministros enutriret earum: per terras suæ ditioni subjectas cultum divini nominis ampliaret. Quod probavit felicissimus rerum exitus ex illius ordinatione procedens, qui in sua dispositione non fallitur, dum tales multo tempore gestavit Roma filios, tales educavit alienos, qui præmissis & aliis pietatis operibus jugiter insistentes, orbis climata bonitatis suæ radiis illustrarint. Hinc est siquidem, quod non leviter nos conturbat, non mediocris nostrum & fratrum nostrorum animos pungit doloris aculeus, quod in urbe tam clari nominis obscuratum videtur aurum, & color optimus immutatus dum in ipsa mutatis legibus & juris fœdere dissipato, spoliantur ecclesiæ, rapiuntur deposita, male tractantur clerici, carceri mancipantur; quæ quamvis sapientibus displicere credamus, magnam tamen in sua gloria ponunt maculam, qui peccatis alienis communicant, dum ea fieri patiuntur. Quid enim superest, nisi ut ipsa Veronica cum Apostolorum capitibus transportetur; & Urbs toto spoliata thesauro, confusionis induta diploide habeat in æternum quod lugeat, & a tantis dilapsa divitiis, non adiiciat in perpetuum ut resurgat? Ecce tibi & aliis Urbis nobilibus Urbs ipsa relinquitur. Contestamur omnibus, fusum pro cunctis sanguinem Crucifixi: proponimus sanctorum pignora inibi constituta, quorum sedes ausu sacrilego invaduntur, quorum violatur securitas, quorum ministri viliter conculcantur. Requirit hoc Dominus ab omnibus, qui dissimulant, & qui ejus injurias non defendunt. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam, ac per aspersionem dominici sanguinis adjurandam, quatenus ante mentis reducens oculos tam honores quam commoda, quæ domus tua per Romanam recepit Ecclesiam, talibus ejus occurras opprobriis, tantis periculis obvies. Alioquin cum non sit arctior solito manus Domini, per viam aliam laborabit, & tu semper inexcusabilis remanebis. Dat. Viterb. v. non. maii anno* IV. Hactenus Clemens: qui iisdem verbis ad Petrum & Jacobum proconsules scripsit (*a*): eosque ut ad defendendam Rom. ecclesiam consurgerent, permovere conatus est.

Ad Annibaldum proconsulem ea de re lit.

Egregia urbis elogia.

Divina circa eam providentia.

Queritur Clem. omnia in malum versa.



Spoliari ecclesias.

Violari deposita & clerum opprimi.

Thesauros diripi.

Adhortatio ad Annibal. & patricios, ut Urbem defendant.

(*a*) Reg. post eand. ep.

Cecidere irrita Pontificis monita, ac spretæ ejus querimoniæ, sive inflectere hos proconsules non posset, sive ii Henrici & Conradini potentiæ opponere sese nequirent. Cæterum fuit Conradinus tanta pompa ab Henrico senatore exceptus, ut apparatus magnificentia, triumphantium Imperatorum fastum pene æquaret, atque in Capitolium perductus sit; de quo hæc Stero (*b*): *Chunradus diu a Longobardis & Appulis expetitus, priori anno Italiam ingressus, adhærentibus & faventibus sibi plurimis civitatibus, Romam ingreditur: ubi gloriose tanquam Imperator cum magno tripudio suscipitur, domino Papa tunc apud Viterbium existente.* Similia tradunt Bernardus (*c*) de ejus in Urbem adventu, Ricordanus Malespina, (*d*) Villanus, (*e*) & S. Antoninus: (*f*) quibus monachus Patavinus, (*g*) Ptolemæus Lucensis, (*h*) ac Jordanus consentiunt.

Nil proficiunt monita Pontificia.

Conradinus more triumphantium a Romanis admittitur.

XXVIII. (*b*) Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1. p. 299.

(*c*) Bern. in chron. Rom. Pont.

(*d*) Ricord. Malesp. c. 192.

(*e*) Jo. Vill. lib. 7. c. 25.

(*f*) S. Anton. p. 3. tit. 20. c. 1. §. 9.

(*g*) Monach. Patav. chr. l. 3.

(*h*) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 22. c. 37. Jord. MS. Vat. bibl.

Confluxere Romam ex tota Italia studio partium incensi plures Ecclesiæ perduelles, conflatisque maximis copiis, die XVIII. augusti (*i*) tanto terrore ac potentia in Apuliam movit Conradinus, ut omnium existimatione certissimam victoriam relaturus videretur: sed divina ultio sacrilegos ad supplicii locum dissimulanter accedere patiebatur. Et quidem Henricus, qui rerum gestarum gloria antea maxime floruerat, ex quo sacras ædes diffregit, contraque fas omne deposita rapuit, adeo pristina felicitate est destitutus, ut quidquid moliretur, omnia ipsius consilia infelicissimos exitus haberent: quamvis arridere initio viderentur. Præclara ipsis rei gerendæ affulserat occasio, quod Carolus in comprimendis Nuceriæ Saracenis aliisque proditoribus distineretur: sed mox accepta hostium irruptione, Nuceriæ obsidionem solvit, adversique exercitus in Palentina planitie castra desixere.

XXIX. (*i*) Ptol. Luc. in annal. hoc ann. & hist. eccl. l. 22. c. 37. Jord. MS. Vat. bibl. sign. n. 1960.

Siciliam citeriorem invadit.

Divina in eundem & Henricum senatorem ultio.

Carolus Nuceriæ obsidionem solvit.

XXX. Prælii historia.

Dirimebat acies fluvius, ac pontem, qui utramque ripam jungebat, defendebant Galli Provinciales: quem cum Henricus senator, qui primum Conradini agmen ductabat, perrumpere frustra aliquandiu nisus esset, maxima cum suorum parte fluminis vadum superavit: atque a tergo Provinciales aggressus, fregit. Præcipui e nobilitate cæsi, atque inter eos mareschalcus Henricus Cusentinus, qui regia arma induerat, hostium gladiis concisus occubuit, cum majori in eum impetu undique irruerent; cæteri se in fugam præcipites effudere, quos Henricus est insecutus. Profligata prima acie, Conradinus succinctus Germano milite in secundum Caroli agmen incurrit; cumque vagus, ac palabundus miles præda illectus jam excurreret per castra; tertium enim Caroli agmen non videbatur, arrepta occasione Carolus in Conradinum impetum fecit, Gallicæ nobilitatis flore cinctus, ac Germanos fudit delevitque. Conradinus e periculo effusissima fuga avolavit. Interea dispergere se Caroli miles ad capienda spolia ardebat: sed Carolus illum continuit; Henricus enim adhuc vincendus supererat: instructaque acie gradum fixit. Redibat ab insequendis Provincialibus Henricus triumphanti similis: qui ubi res mutatas, conversamque prælii aleam vidit, mox stipare ac densare agmina cœpit: adeo ut difficile admodum perrumpendus videretur. Tunc Erardus Valeriacus bello exercitatissimus, qui divina providentia cum pluribus aliis e Terra sancta redierat, Siciliamque ante appulerat, Carolum monuit, astu magis & consilio quam viribus Henricum debellandum: acceptisque aliquot equitum turmis, fugam simulare cœpit: ac tum deceptus Henricus eos fugere sui metu compulsos ratus, in Erardum effusis equorum habenis invectus est: suisque ita dispersis, in eos penetravit facile Carolus: cum alii conversa fronte, atque in unum conglobati, cum Henrico fortissime

Henricus senator prima Caroli agmina profligat.

Conradinus secundam Caroli aciem perrumpit.

Ab extrema Caroli acie, dum colligit spolia, deletur, fugaque sibi consulit.

Incurrit Carolus in redeuntem Henricum.

Henricus densat aciem.

Erardi Valeriaci dolus.

Dum fugam simulat Henrici acies a Carolo perrumpitur.

(a) Ricod. hist. Flor. c. 192. Jord. MS. Vat. bibl. sig. num. 1960. Nang. in vit. S. Lud. & plures alii.

sime dimicarent. Atque ita cum Henricus cæsos suos dissipatosque intueretur, in fugam se proripuit. Hæc plures historici, (a) qui nonnulla alia fusius afferunt, a nobis tædii vitandi gratia prætermissa.

XXXI. Victoria Numini ab omnibus adscripta. (b) Jo. Vill. l. 7. c. 28.

Tantam victoriam non humana potentia, sed divina ope partam ab omnibus creditum est: cum victus longe numero ac viribus victorem superasset, tum quod Clemens, ut ait Joannes Villanus, (b) eam cœlitus accepisset: dum enim Viterbii ad populum concionabatur, quasi in divinam ecstasim abreptus, aliquandiu hæsit; tum inclamare cœpit: *Procurrite: capite hostes Ecclesiæ, qui fusi, ac fugati sunt*. Nec ullus reportatæ victoriæ nuncius venisse ad eum poterat, cum plusquam centum milliaribus a loco, in quo pugna erat, distaret, eaque præcedenti frangente se die, nimirum S. Bartholomæi pervigilio, relata esset: quocirca ab omnibus, qui in aula pontificia erant, creditum divino lumine Pontificem, qui vitæ erat sanctissimæ, collustratum hæc dixisse: unde auctor etiam qui Parisio appendicem adjecit, etsi livore in Pontifices Romanos imbutus, a commendanda ipsius sanctitate, referendoque hoc ipsius oraculo temperare non potuit (c): *Iste Papa ita vigiliis, jejuniis, & orationibus, ac aliis bonis operibus erat intentus, quod multas tribulationes, quas tunc sustinebat Ecclesia, Deus suis meritis creditur extinxisse. Quin etiam, cum multi factum Regis Caroli pro desperato haberent, tum propter multitudinem exercitus Conradini, tum propter totius pene regni Siciliæ rebellionem; in publico sermone rei eventum prædixit*.

Clementis de ea parta oraculum.

(c) Paris. continuator. an. 1269. Jord. MS. Vat. bibl. sig. num. 1960.

De ipsius vitæ sanctitate insigne testimonium.

XXXII. Paucis post diebus lætissima reportati triumphi de Ecclesiæ hostibus fama se diffudit: atque Carolus Rex ex agro Palentino, in quo victoriam gloriosissimam, quamvis non pauco suorum sanguine, compararat, laureatas hasce literas ad Clementem dedit (d).

(d) Apud Clem. to. 2. ep. 528.

*Sanctissimo in Christo patri & domino suo Clementi divina providentia sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici Carolus Dei gratia Rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, Andegaviæ, Folcarqueriique comes, cum omni reverentia & honore devota pedum oscula beatorum.*

*Expectatam diutius & desideratam a cunctis fidelibus orbis terræ lætitiam vobis, clementissime Pater, & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matri meæ, tanquam suavitatis incensum humiliter offerens, supplico ut surgens pater, & comedens de venatione filii sui, exolvat gratias debitas Altissimo, & tam pater quam mater suis deinceps laboribus acquiescat. Noveritis igitur quod manu Domini, quæ mei tutrix est & patrona justitiæ, meos feliciter & salubriter dirigente processus, postquam Conradinus ejusque sequaces regni mei finibus appropinquarant, quærentes foramina, per quæ possent latenter ingredi, seque conjungere Saracenis; ego ipse de passu in passum per tres dies, totidemque noctes sequens & prosequens, tandem percepto, quod dicti hostes per Tecli partes ingressi, sperabant per Marsicana rura descendere, & pervenire Sulmonam; quodque inter Sculculæ & Charchii montes, in quadam planitie sua infelicia castra defixerant; die mercurii, in octava videlicet assumptionis B. Virginis, de cujus potissimo sperabam auxilio, de pratis Ovimili secus lacum Fucini, & villa Aneceni aciebus instructis, divina me gratia comitante, procedens; demum ad quemdam collem prope Albam, qui per duo parva milliaria distabat ab hostibus, ex quo campus Palentinus se explicat, iter meum prosequendo, perveni: & hostium exinde castra prospiciens, quia gens mea & equi potissime erant præ labore nimio fatigati, deliberavi & jussi, castra metari in eodem colle exercitum Christianum. Hostes vero videntes vexilla mea, castrorum suorum appropinquando terminis, dictique exercitus formidantes aggressum, de castri suis in campum, cum omnes eorum copiæ exirent, aspicientes gentem nostram ad prælium præparatam, in magna confusione meis prius eos clamantibus, ad loca, de quibus exierant, sunt reversi. Sequenti autem die jovis, orto jam sole, hostes de locis ipsis recedentes, cœperunt prosequi ultra flumen, quod inter utrumque decurrebat exercitum, infaustis eorum auspiciis iter suum. Quod ego diligenter advertens, statim prædicti campi Palentini planitiem, aciebus distinctis & ordinatis ad prælium, in divini nominis virtute descendi, procedens maturis gressibus, ex adverso: & cum crederem eos ulterius progressuros, ipsa castra sua super ripam fluminis prope villam Portium, suis tamen aciebus nullatenus dissolutis, præter spem meam & meorum omnium posuerunt: & intuentes quod & meus similiter castra metabatur exercitus, demum flumen subito cum magno impetu trajecerunt. Ego vero de divino præsidio vestrarumque orationum confisus auxilio, invocato Christi nomine, irrui celeriter & viriliter in eosdem. Postquam fuit acerrime utrimque pugnatum, majore parte hostium in ore gladii trucidata, reliqui licet * pauci sustinere nostri molem exercitus non valentes, se fugæ præsidio commiserunt: quos mei festinis gressibus insequentes, pro magna parte per montes & nemora peremerunt.*

Caroli Regis laureatæ ad Pontif. literæ.

Ut Conradinus Saracenis se conjungere nisus sit.

De loco pugnæ.

* non

XXXIII. *Facta est itaque hostium tanta strages, quod illa, quæ in campo Beneventano de aliis Ecclesiæ persecutoribus facta fuit, hujus*



De strage magnitudine.

*jus respectu valde modica reputatur. De Conradino autem & Henrico senatore Urbis, utrum in bello conciderint, an per fugam evaserint, nulla in confectione præsentium, quæ statim post victoriam scriptæ sunt, haberi potuit certitudo: verum equus, cui dictus senator insidebat, a meis, cum sine sessore fugeret, captus fuit. Lætetur ergo mater Ecclesia, & pro tanto triumpho, cœlitus ei per suorum pugilum ministerium clementer indulto, in jubilum supernæ laudis assurgat: quoniam jam dedisse videtur omnipotens Deus finem suis vexationibus; jamque de avidis suorum persecutorum faucibus liberasse. Dat. in campo Palentino* XXIII. *die aug.* XI. *indict. anno* IV.

XXXIV. Relatæ Numini a Clemente gratiæ. (a) Ib. ep. 532.

Uberrimas numini grates Clemens retulit, ecclesiæ suæ ferocissimos hostes attrivisse: aliosque etiam ad concinendas Deo laudes, quod literæ ad Malatestam de Verulo datæ (a) testantur, concitavit, felicemque nuntium late circumtulit. Cæterum Conradinus atque Henricus in potestatem Caroli ceciderunt: Pontifex enim in literis XVIII. octobris ad Card. episcopum Ostiensem scriptis, significavit (b) Conradinum, Fridericum ducem Austriæ, Galvanum & Galiottum ejus filium, atque Henricum olim senatorem in vincula conjectos: *Scire te volumus, quod, sicut prædilecti filii nostri * I.. sanctorum Cosmæ & Damiani diac. Card. & aliorum multorum fide dignorum literas accepimus, charissimus in Christo filius noster Carolus illustris Rex Siciliæ Conradinum & ducem Austriæ, Galvanum & Galiottum ejus filium, cum Henrico quondam Senatore Urbis, & Conrado de Antiochia tenet carceri mancipatos, &c. Datum Viterbii* XVIII. *kalend. octob. anno* IV.

(b) Ib. ep. 535.

* Jordani

Conradinus & præcipui duces in fuga intercepti.

Damnati capitis sententia.

Captis igitur hostibus Carolus, atque in vincula conjectis, præcipuos ex universis regni civitatibus excivit, ut quid in captivos consulendum esset; inter se agitarent: ii vero tanquam læsæ majestatis reos plectendos capite censuerunt. At non sine plurium repugnantia, ut narrat Jordanus (c): *Conradinum*, inquit, *& ducem Austriæ, Gerardum quoque comitem de Pisis de consilio sapientum, nonnullis tamen contradicentibus, in platea Neapoli capite truncari voluit*. Cæsus igitur est Neapoli Conradinus, in quo Suevorum principum familia excisa est: objectaque illi a præcone forensi ait Nangius (d) ingentia mala, quæ ipsius parentes, atavique Ecclesiæ intulissent. Cæterum qui ejus mortem funestam, ac Friderici, filiorumque lugubres exitus perpenderit, dubitare non poterit, divinum Numen, ut illatas sponsæ suæ Ecclesiæ injurias ulciscereturr, in illam familiam tyrannorum altricem iras effudisse. Porro Conradinum & socios apud sacerdotum crimina expiasse testatur hisce verbis Nangius (e): *Antequam eos feriret lictoris gladius, juxta quandam capellulam missam pro animabus suis, secundum morem Christianæ religionis, propriis auribus audierunt: indulto etiam sibi spatio crimina confitendi*. Quibus Siffridus (f) consentanea historiæ suæ consignavit: *Capitalem*, inquit, *sententiam acceperunt; prius tamen confessione facta*.

(c) Jord. MS. bibl. Vat. sig. n. 1690.

(d) Nang. in gest. S. Lud.

Divina justitia in extinguenda Friderici persecutoris ecclesiæ stirpe.

(e) Nang. ubi sup.

(f) Siffrid. in ep. lib. 2.

Peperit sibi ea severitate Carolus non modo illius ætatis hominum, sed etiam futurorum sæculorum invidiam, & odia collegit; gravissimeque, ut asserunt Ricordanus (g) & Joannes Villanus, (h) a Pontifice increpitus est: tantum abest, quod aliqui commenti sunt, qui tanto Pontifici, ac re ipsa clementissimo crudelitatis maculam aspergere voluerunt, atque illi hoc famosum dictum impegere: *Vita Conradini mors Caroli: mors Conradini vita Caroli*. Quamquam alii etiam tradunt Clementem vitæ superstitem non fuisse; cum ferro Conradinus periit, iique ipsius necem ad annum sequentem rejecerunt. At mitius egit Rex cum Henrico senatore, sive quod ipsi consanguinitate esset conjunctior; sive quod abbas Cassinensis, qui fugientem interceperat, ea lege Carolo tradidisset, ut ab illius cæde temperaret, ne pœnam aliquam ex sacris canonibus incurreret; quare ipsum arctissimo carcere mancipare contentus fuit: qui vinculis Castellæ Regis precibus multis post annis solutus fuit. Senatoris vero dignitatem, quam gesserat Henricus, paulo post adeptam victoriam Carolus recepit, ut refert monachus Patavinus (i): quem triumphatoris magnifici cultu Romam ingressum ait, atque a populo magnis applausibus exceptum: constitutoque alio, qui suas in Urbe vices gereret, in Apuliam rediisse.

(g) Ricord. ubi sup.

(h) Villan. ubi sup.

Henricus ex senator carceri perpetuo addictus.

(i) Mon. Pad. chr. l. 3.

Carolus senatoriam dignitatem capessit.

XXXV. Siciliæ insula ad ejus obsequia revocata. (k) Jon. vill. l. 7. c. 30. Fazel. poster. de ead. l. 8. c. 4. Conradi de Antiochia supplicium.

Pari felicitate ipsius duces contra rebelles Siculos rem peregere. Tota ea insula, exceptis Panormo ac Messana, in Caputhis sive Conradi de Antiochia, (k) qui a Friderico Imp. genus ducebat, obsequia procubuerat. Sed cum Galli instructa magnifice classe victoriæ partæ gloria elati appulissent, populi ac nobiles ad Caroli partes inclinare cœperunt, cinctusque obsidione Conradus captus est; erutisque primum ei oculis, fœdissimo postea suspendio damnatus. Insula vero perculsa metu, brevi jugum Caroli accepit. Fœdatam tamen nimio hostili fuso sanguine victoriam referunt auctores, idque Clementi ingratum extitisse: *Post hæc*, inquit Jordanus, (l) *ad recuperandas rebellantes terras Rex Carolus convertit animum, idque agit non sine multa sanguinis effusione; quod Clementi Papæ non pla-*

Sævitum in alios. (l) Jord. MS. vatic. bibl.

*placuit; fuit enim vir benignus generaliter habitus.* Eadem tradit Ptolemæus Lucensis, (*a*) qui maxime in Sicilia & Apulia sæviisse Carolum in perduelles ait. Cumulatus is error alio graviore est: insolescenti enim ob præteritas victorias militi, atque administris licentiæ habenas effudit. Ii itaque divites per calumnias circumventos exuebant opibus, pauperes vectigalium causa atterebant, ecclesiastica invadebant jura, maritorum thoris comparabant insidias, rapiebant virgines, solutas opprimebant. Quorum scelerum fama percussus sanctissimus Pontifex, literas ad Carolum scripsit, quibus infelicem regni statum ipsius oculis objecit: (*b*) monuitque quanto hæc periculo impune patrari sineret.

Ægerrime fert Pontifex nimium sanguinem fundi.

(*a*) *Ptol. Luc. hist. eccl. l. 22. c. 38.*

(*b*) *Ext. in MS. Vall. sig. lit. C. n. 49. pag. 19. & apud Sur. indic. l. 2. sub ann. 1281.*

*Regi Siciliæ illustri.*

XXXVI. Graviora Pontificis monita ad Carolum.

*Frequenter ante tuæ considerationis oculos ponentes nunc verbo, nunc literis statum miserabilem regni tui, sperabamus, quod ad reformationem illius, quod amare deplorat & conqueritur, se ministrorum tuorum non solum deformari malitia, verum etiam pene penitus dissipari; opportunæ promptitudinis remedium adhiberes, tuæ in hoc & subditorum tuorum indemnitati providens, ac nihilominus periculis, in quæ iidem tui ministri te ac regnum præfatum, quasi scienter ingerunt, prudenter occurrens. Cum autem sciamus, adhuc hujusmodi non cessasse malitiam; sed eam invalescere potius, validorum clamorum frequentia invalescentium jugiter oppressionum, quas inibi quotidie tui officiales inculcant & aggravant, evidentia manifestet; nec nostra penes tuam excellentiam cessabit instantia, quo minus te ad soliditatem status tui, quam in iis specialiter quærimus, & ipsius regni ordinatio verisimiliter pollicetur, & ad relevandas ejusdem regni pressuras, prout nostrum decet officium, invitemus. Verum si forte ideo minus in his te monita nostra movent, quia nos ad ea moveri vana relatione quorumlibet, aut æmulorum suggestionibus forsitan arbitraris; regiæ serenitati consulimus, & sano consilio suademus, ac nihilominus tuæ utilitatis obtentu magnificentiam tuam requirimus & hortamur, quatenus a religioso viro fratre A. de Rupe domorum ordinis militiæ templi Hierosolymitani, præceptore in Francia; quem nuper venientem de regno prædicto potuit in multis oculata fides, in pluribus vero fama communis, ne infamia dicamus instruere; quemque non dubitas tuæ prosperitatis & famæ sedulum zelatorem, de horribili desolatione regni ejusdem diligentius perconteris. Miramur quidem, si tuis sæpe non insonet auribus, quantus est ibi afflictorum gemitus, ululatus & clamor: quot & quanta ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum gravamina: quot oppressiones non solum solutarum, sed & conjugatarum & virginum: quot pauperum spoliationes: quot divitum concussiones: quot injuriæ: quot calumniæ omnium: quot postremo deprædationes undique ac rapinæ. Profecto, fili, hæc nimis periculose dissimulas, nec sine multa indecentia & tui detrimento nominis pateris, prædictos officiales & familiares eorum, in præfatos tuos subditos sic lasciviendo sævire, ut eis abundantibus de subditorum ipsorum injuriis, tu per ipsos tuis fraudatus viribus, & odiosus reddaris omnibus; & propter ipsorum excessus, ea etiam in sua interdum convertentium commoda, quæ in tuam deberent utilitatem cedere, non solum uraris infamia, sed & paupertatis incommoditate premaris.*

Levare oppressos jubet.

XXXVII. Data Siculis ob militum licentiam rebellandi occasio.

Non occurrisse Carolum his malis, vel ea postea recruduisse visuri sumus: unde tandem exasperati Siculi cruentam rebellionem movere. Sed de his postea: nunc adjungemus correptum etiam a Clemente Carolum fuisse, pendente controversia de Provinciæ comitatu sacramentum fidei a Provincialibus exegisse. In quo Carolus sanctissimo fratri, qui majorem natu filiam Berengarii comitis uxorem duxerat, jusque suum, ut vidimus, ea de causa persequi intermiserat, ut frater Siciliam sibi subiiceret; haud levem injuriam pro acceptis beneficiis reposuit. Significavit vero Francorum Reginæ Pontifex, (*c*) damnari a se, quæ Siciliæ Rex tentasset. Sustinuit præterea (*d*) Magalonensis episcopi partes contra Aragonium Regem. Tum S. Ludovicum, cujus ministri episcoporum dignitatem infringebant, ad eorum comprimendam audaciam excitavit (*e*): *Credit mundus, & nos dudum probavimus, quod ex certa scientia nullum opprimis, nullum gravas: sed non omnia scire potes, quæ aguntur in finibus regni tui; nec factis ipsis auditis, quo pondere, qua mensura sint facta, sine recta noscere vales indagine. Et idcirco multa plerumque transeunt incorrecta, vel quia ad magnitudinis tuæ præsentiam, obsistentibus æmulis, veritas non permittitur ingredi; vel ingressa non invenit, per quem tibi, qui eam diligis, valeat aperiri. Hæc constantius scribimus, quæ interdum oculis nostris vidimus, & eundem defectum in nostra curia sæpius experimur: & ex nobis intelligimus quæ sunt proximi, te & alios principes, ad condignam solicitudinem potius excitantes, quam in eis omissionem aut negligentiam arguentes; cum nos nullo possimus ingenio huic morbo plenum antidotum reperire: nec præcise damnamus in aliis, quod in nobis usquequaque non cernimus emendatum, &c. Datum Viterbii* XVI. *kalend. julii anno* VI.

(*c*) *To. 4. ep. 493.*

(*d*) *Ep. 496.*

(*e*) *Ib. ep. 509.*

Clementis ad S. Lud. literæ.

Tulit S. Ludovicus per hæc tempora gra-



gravissimam sanctionem, ad asserendum jus ecclesiasticum, tuendam sacerdotalem in designandis præsulibus libertatem, & abolendam simoniacam corruptelam. Tum regios magistratus ab immunitate sacrosancti ordinis temeranda sibi temperare jussit: quod sanctissimi Regis pium edictum subjectis verbis conceptum est (*a*).

(*a*) *Ext. in bibl. patr. to. 6. col. 1273.*

*Ludovicus Dei gratia Francorum Rex ad perpetuam rei memoriam.*

S. Ludovici sanctio de tuendo jure ecclesiastico.

*Pro salubri ac tranquillo statu ecclesiæ regni nostri, nec pro divini cultus augmento & Christi fidelium animarum salute, utque gratiam & auxilium omnipotentis Dei, cujus soli ditioni atque protectioni regnum nostrum semper subjectum extitit, & nunc esse volumus, consequi valeamus; quæ sequuntur hoc edicto consultissimo in perpetuum valituro, statuimus & ordinamus primo, ut ecclesiarum regni nostri prælati, patroni, & beneficiorum collatores ordinarii jus suum plenarium habeant, & unicuique sua jurisdictio debite servetur. Item ecclesiæ cathedrales & aliæ regni nostri liberas electiones & earum effectum habeant. Item simoniæ crimen pestiferum, ecclesiam labefactans, a regno nostro penitus eliminandum volumus & jubemus. Item promotiones, collationes, provisiones prælaturarum, dignitatum, vel aliorum quorumcunque beneficiorum, officiorum ecclesiasticorum regni nostri secundum dispositionem & ordinationem & determinationem juris communis, sacrorum conciliorum ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum sanctorum patrum fieri volumus pariter & ordinamus. Item libertates, franchisias, immunitates, prærogativas, jura, & privilegia per inclytæ recordationis Francorum Reges prædecessores nostros, & successive per nos ecclesiis, monasteriis, atque piis locis religiosis, nec non personis ecclesiasticis regni nostri concessas innovamus, laudamus, approbamus, & confirmamus per præsentes. Harum tenore universis justitiariis, officiariis, & subditis nostris, ac locatenentibus præsentibus & futuris, & eorum cuilibet prout ad eum pertinuerit districte præcipiendo mandamus, quatenus omnia & singula prædicta diligenter & attente servent, teneant, & custodiant; atque servari, teneri, & custodiri inviolabiliter faciant: nec aliquid in contrarium quovis modo faciant vel attentent, seu fieri vel attentari permittant, transgressores aut contra facientes justa casus exigentiam tali pœna plectendo, quod cæteris deinceps cedat in exemplum. In quorum omnium & singulorum testimonium præsentes literas sigilli nostri appensione muniri fecimus. Dat. Parisiis anno Domini MCCLXVIII. mense martio.* Defecit ab hac S. Ludovici gloria & pietate illius nepos Philippus IV. qui ob jus ecclesiasticum labefactatum gravissima cum Bonifacio dissidia exercuit, cum potius pari voluntatum conspiratione pro augenda ecclesiastica S. Ludovici, monitis Clementis obtemperantis, exemplo consentire debuisset.

Electionum restituta libertas.

Simoniaca labes excisa.

Immunitas ecclesiastici ordinis sancita.

In Lusitania oppressa ecclesiastica libertas.

Incitatus eodem zelo Pontifex Lusitani cleri patrocinium suscepit: Alfonsus enim Rex acerbam adeo tyrannidem exercebat, ut plures insignes præsules, interdicta sacris Lusitania, profugere coacti sint. Nec hi modo indigne habiti, verum obtriti injustis oneribus ac regiorum administrorum licentia populi: qui apud Clementem graves querelas effudere. Is vero ne muneri apostolico deesset, lenia prius admovens remedia, Alfonsum hortatus est, ut susceptam maculam detergeret, atque ad æterni Numinis, a quo pœnæ ac præmia Regibus expectanda sunt gratiam virtutibus colligendam, se compararet.

*Illustri Regi Portugaliæ.*

XXXVIII. Alfonsus Rex a Clemente corripitur.

*Olim ad nos diversi pervenerunt articuli, super quibus communitatibus civitatum, & universitatibus aliorum locorum regni tui dicebantur a te tuisque officialibus, contra consuetudines antiquas a tuis observatas prædecessoribus & tuo nihilominus juramento firmatas, multiplicia gravamina & injuriæ irrogari. Et licet permissas nobis earumdem communitatum literas tua super iis non solum prætendi excusatio, sed asseri de tuo laudabili regimine commendatio videatur; quia tamen a multis hujusmodi assertio exacta præsumitur, & non tam ex libera voluntate, quam ex timore mittentium processisse; nos attendentes, quod hujusmodi elogia veritatis substantiam non immutant, aliqua de prædictis gravaminibus narrare decrevimus, tibique circa ea nostrum animum aperire. Fertur enim quod loca ad communitates ipsas spectantia, & ad privatos, interdum pro arbitrii tui occupans libertate, illa tuis commodis applicas: & faciens in eis domos aliquando, quandoque macella construi, prohibes venalia vendi alibi quam ibidem, in grave communitatum ipsarum, & aliorum, ad quos eadem loca pertinent, maxime cum nulla eis exinde satisfactio proveniat, præjudicium & discrimen. Mercatores quoque ac alios incolas dicti regni gravibus minis & terroribus, ac interdum etiam captione personarum, ad concedendum tibi mutuum invitos pro tua diceris compellere voluntate; ipsos alias insuetis, & indebitis exactionibus multipliciter aggravando. Nonnunquam viduas, statim viris earum viam universa carnis ingressis; ipsarum quoque, nec non conjugaturum filias, ut cum personis vilibus, nonnullis hominibus tuis, & aliis matrimonia contra-*

Publicam rem & privata bona sibi arrogare.

Extorquere a mercatoribus variis coloribus pecunias.

Violenta conjungere inter subditos matrimonia.

*trahant; majores insuper de civitatibus dicti regni, ut impudicas mulieres, seu alias, quæ de Saracenis aut Judæis traxerunt originem, sibi matrimonialiter copulent; passim non tam inducis voluntarios quam compellis, ut fertur, invitos.*

XXXIX. Clericos suis juribus exuere.

*Illud insuper satis grave prætermittere nolumus, videlicet quod aliquando clericos per diœcesanos, vel eorum vicarios ad præsentationem patronorum in ecclesiis institutos, & alios quibus sunt eædem ecclesiæ commendatæ, ecclesiis ipsis destituis; faciens capi nonnunquam præsentatores hujusmodi, & bonis propriis spoliari; nec audent propter potentiam regiam in foro ecclesiastico suam justitiam prosequi: quod cedere noscitur in derogationem & præjudicium ecclesiasticæ libertatis. Sunt & alia quamplura, quæ longum esset narrare præsentibus, & de quibus tua conscientia certificare poterit temetipsum. Unde cum zelum Dei tamquam devotionis inclytæ principem te non solum desideremus, sed & speremus habere; præsertim cum pro Crucifixi servitio signum crucis assumpseris, sisque illius titulo præsignitus* (de Alfonso ad Syriæ res instaurandas crucesignato iterum inferius nobis agendum erit, ubi sermo de ea occurret) *regalem excellentiam requirimus, & paterno rogamus affectu, quatenus circa præmissa nequaquam cum id regiæ celsitudinis statum non deceat, necessitatem correctionis expectes: sed per te ipsum, quod & tibi erit decentius, & Deo ac nobis acceptius, sic mente devota provideas, quod ipsum Deum, ad cujus te præparas gratiam promerendam, in talibus non offendas; sicque te constituas in horum emendatione promptum, solicitum, & paratum, quod clarens nitore munditiæ, securus ad illius accedas obsequium, a quo præmium perennis retributionis expectas: tibique ipsi tanto magis propitius in tuis processibus habeatur, quanto in præmissorum correctione te humiliorem invenerit, & ad prosequenda in iis & aliis sua beneplacita promptiorem. Dat. Viterbii 2. kal. aug. anno* IV.

Laudat Pontifex symbolum crucis, professa religiosa militia, accepisse.

Hortatur ad divinam sibi gratiam conciliandam.

XL. Cæterum ad redintegrandam in Lusitania rem ecclesiasticam missus est Apostolicæ sedis nuncius Folquinus canonicus Narbonensis, plurimaque instructus (*a*) ad munus gerendum auctoritate; tum etiam querelas adversus Alfonsum Regem ab archiepiscopo Bracharensi aliisque episcopis, tum a populis, urbibus, ac provinciis excipere jussus, eumque ad sarcienda illata injuste damna Apostolica auctoritate adigere. Cum vero discessisset e Lusitania Bracharensis archiep. ut ad apostolicum asylum confugeret, suamque atque ecclesiæ causam in aula pontificia ageret; concessissent similiter in voluntarium exilium alii, qui fuerant ab Rege, ejusque ministris iniquius lacessiti; ut eos patriæ ac dignitatibus Clemens restitueret, atque ab omni mali suspicione liberaret, præscripsit (*b*) Lusitano qua forma immunes mali, atque in tuto futuros, sacramento polliceretur.

(*a*) Lib. 4. ep. 61. 62. 64. 66.

Bracharensis arch. aliique præsules e Lusit. ob Regis injustitiam coacti abscedere.

(*b*) Ib. ep. 65.

Ad eos restituendos incumbit Pont.

XLI. Exigenda a Rege de iis non exagitandis sacramenti forma.

*Alfonsus Dei gratia Rex Portugaliæ universis præsentes literas inspecturis salutem. Noveritis quod licet venerabilis pater Martinus Bracharensis archiep. regnum nostrum exiverit; asserens a nobis, vassallis, & hominibus nostris se ac suam, & alias ecclesias, & clerum provinciæ suæ gravatas; & sedem Apostolicam adiens, ibi contra nos, ac eosdem vasallos & homines nostros querimoniam super gravibus & diversis articulis deposuisse dicatur; propter quæ contra eum, & prosecutores hujusmodi negotii, religiosos & clericos, eorumque familias dicimur forsan concepisse rancorem: nos tamen tam ipsi archiepiscopo, quam negotii ejusdem prosecutoribus, & familiis supradictis omnem rancorem ad plenum remittimus: & archiepiscopo, prosecutoribus, ac familiis eisdem, & rebus ipsorum pro nobis, & pro omnibus de regno nostro, & de dominio nostro, plenam securitatem damus redeundi ad prædictum regnum, & ibidem morandi secure: nec non & omnia sua negotia, & quæcunque ad ipsos spectant, libere faciendi, & de dicto regno exeundi, & ad ipsum redeundi, quotiens sibi putaverint expedire, nullum propterea periculum formidantes; ipsis nihilominus ex abundanti treguam pro nobis, & pro omnibus de ipso regno, & de dominio nostro usque ad quindecim annos bona fide, & sine malo ingenio concedentes.* Restitutus est sacrorum usus Lusitaniæ, ac censuræ ab episcopis Lusitanis incussæ ad semestre solutæ. Cæterum id malum iterum recruduisse, dicetur inferius: nunc quid Clemens ad dirimendam controversiam de Imperio cœptam, totque productam annis Alfonsum inter Castellæ Regem ac Richardum electos extremo hoc sui pontificatus anno egerit, aggrediamur.

XLII. De controversia Imperii inter Alfonsum Richardumque.

Constituerat, ut supra dictum est, sanctissimus Pontifex, diem ad causam gravissimam, in qua de Romano Imperio agebatur, definiendam: ex qua dirimenda populorum quies, Germaniæ pax, ecclesiæ Rom. quæ Conradini, atque Henrici olim senatoris contumacia & perfidia concussa fluctuabat, libertas pendebant. Nonnullis etiam prudentiæ laude præstantibus viris in Germania, Italia, Galliis, & Hispania provinciam demandarat, ut in designatis locis testium dicta exciperent: sed nulli ipsis testes ex neutra parte sese obtulerant. Cumque præfixus dies peremptorius immineret, Alfonsus a Clemente contendit, ut illum differret in annum alterum, cum Silvensis



sis episcopus, cui negotium commiserat, a prædonibus occisus esset, omniaque ejus instrumenta periissent; orator alter adversa valetudine implicitus, in oppido, cui Podii Bonizi nomen erat, longa obsidione circumclusus fuisset. Rei æquitate adductus Pontifex terminum produxit (*a*).

(*a*) Lib. 4. ep. cur. 16. extat etiam in cod. Val. sign. lit. C. n. 49. p. 19.

Urget Richardus rem decidi.

*Clemens, &c. Regi Castellæ ac Legionis illustri in Romanorum Regem electo.*

*Magister Guillelmus exacto termino (scilicet peremptorio) in primo die post Annunciationis festum præfixo, se nomine Richardi in Romanorum Regem electi, coram nobis & fratribus repræsentans; & petitionem repetens frequenter, ipsius electi nomine iteratam; petebat instanter, prædictum negotium finaliter absque ulteriori dilatione decidi; ad hoc rationibus utens variis, & diversas persuasiones inducens. Ex adverso vero dilecti filii magistri Joannes archidiaconus Compostellanensis, Joannes Legionensis, & Petrus Salamantinus decani, capellani nostri, procuratores tui proponere curaverunt, quod cum magister Radulphus (nimirum de Podio Bonizi) qui supradictum recepit terminum, & apud se tam prædictas nostras literas, quam omnem aliam instructionem ipsius negotii, ad productionem testium pertinentem habebat; infirmitate gravissima occupatus, & postmodum in castro Podii Bonizi, non solum ejusdem infirmitatis incommodis, sed etiam subita & longa obsidione detentus, te super hujusmodi processu, per nos cum ipso in eodem negotio habito instruere, sic evidenti necessitate vetante, nequiverit; tibi contumacia, vel negligentia de testibus, vel aliis monimentis in termino non productis imputari non poterat, nec debebat: præsertim cum bonæ memoriæ Silvensis episcopus, qui citra eumdem terminum, pro parte tua cum nonnullis instrumentis, ad fundandam intentionem tuam spectantibus, ad sedem Apostolicam accedebat; in Tuscia in manus quorumdam nefandissimorum incidens, ab eis fuerit immaniter interremptus, prædictis instrumentis, quæ secum deferebat, amissis. Propter quod iidem procuratores asserentes, impedimenta proximo allegata esse notoria; & dilationem sufficientem ad probandum præmissos, per te oblatos, articulos concedendam fore multipliciter allegantes; ipsum sibi tuo concedi nomine instantissime petierunt, memorato magistro Guillelmo multa in contrarium replicante. Omnibus pro utraque parte propositis, cum eisdem fratribus plena deliberatione discussis; licet desiderii nostri suasio, & justitiæ rigor in deliberationis nostræ scrutinio confligentes, deliberantium judicium alternant; cum Ecclesiæ, Imperii, ac principum prædictorum nobis admodum votiva tranquillitas, verisimiliter ex ipsius Imperii ordinatione speranda, viam omnino præcludi quibuslibet dilationibus suaderet; justitiæ vero auctoritas proeuldubio non contemnenda suggereret, quod eum terminus alias, ut præmittitur, ad probandum articulos jam admissos, cum causæ cognitione * consensus, per casus fortuitos & inopinatos eventus frustratus debito fuisset effectu; non erat ad probationem eorundem articulorum nova, saltem de bono & æquo dilatio deneganda, quantumcumque inviti protractionem ejusdem negotii patiamur; eligentes tamen in tanto negotio potius obtemperare justitiæ, quam cum alicujus præjudicio annuere votis nostris, dilationem nomine tuo petitam decrevimus concedendam: & tam tibi quam præfato Richardo electo a kal. junii proxime futuri, usque ad unum annum de fratrum consilio peremptorium terminum, in quo cum dictis testium producendorum super alterius partis articulis, & omnibus aliis actis, monimentis, & juribus, per procuratores idoneos apostolico vos conspectui præsentetis; duximus præfigendum: insuper statuentes, ut in prædictis provinciis, videlicet in Alemannia apud Frankeneford, in Francia Parisiis, in Hispania in civitate Burgensi, in Italia Bononiensi; ac etiam in prædicta curia nostra, coram illis, quos ad hoc duxerimus deputandos, octavo die ante festum nativitatis Dominicæ, primo venturum; quem peremptorium terminum, ut ex tunc productio testium utrinque incipiat, assignamus; tam tu quam altera pars ad producendum testes, quos producere volueritis, & videndum jurare, quos produci continget, per procuratores curetis idoneos comparere: scituri pro certo, quod elapso ejusdem anni termino, cum nostræ intentionis sit & plenis desideremus affectibus, dispendiis, quæ undique de ipsius Imperii fluctuatione insurgunt, occurrere; ac Ecclesiæ, Imperii, & principum prædictorum tranquillo statui providere; non obstante cujusdam vestrum absentia, seu si ad probandum intentionem suam alteruter non intendat, quod ad finalem decisionem hujusmodi negotii, sine diffusioris moræ periculo, prout permiserit, justitia, & utilitas suaserit, divina favente gratia procedemus. Dat. XV. kal. junii.*

Alfonsus differri ob tristem qui acciderat oratoribus casum.

* constitutus.

Ex justis causis pro dictus peremptorius terminus.

XLIII. Principes electores ferunt iniquius dilatam in tot annos controversiam.

Dum ita enascentibus novis difficultatibus, quas repentini casus ingerebant, Romanus Pontifex sententiam de adjudicando alteri electorum Imperio differret, Germaniæ principes tot moras iniquiore animo ferentes, gravissime conquesti sunt, sibi ab Alfonso, ac Richardo electis illusum esse, qui ita nullo certo rectore Imperium fluctuare paterentur; nec leviter in sedem Apostolicam commoti, nondum sententiam tulisse, consilia de tertio eligendo agitarunt: Regemque

que Bohemiæ interpellarunt, ut omnes mutuo consensu comitia nova, de eligendo novo Romanorum Rege celebrarent. At ille, qui sedi Apostolicæ addictissimus erat, missis oratoribus, ne eam in tanta re offenderet, quid sibi agendum esset, consulendam censuit. Cui Clemens rescribens sedis Apostolicæ integritatem atque solicitudinem in ea tractanda re proposuit, (*a*) ut illius judicium subire electi recusassent, remque potius armis decernere statuissent: qua cura Alexander atque Urbanus missis legatis in concordiam ipsos adducere studuissent: ut præfixus ipsis peremptorius terminus fuisset: *Dilecti*, inquit, *filii magistri Joannes archidiaconus Clamocensis, & Augustinus subdiaconus noster Pragensis canonicus, tui capellani ac nuncii, nobis tuæ serenitatis literis, Apostolicæ sedis affectum ad progenitores tuos, tuamque magnitudinem continuatum ab olim grata recognitione fatentibus: ac asserentibus constans tuæ devotionis sinceræ propositum, ad beneplacita ipsius sedis & nostra; ipsisque nuntiis, præcipue super quibusdam articulis fidem adhiberi petentibus; ex parte tua inter cætera retulerunt, quod nonnulli principes Alemanniæ, ad quos Regis Romanorum in Imperatorem postmodum promovendi, spectat electio, per charissimos in Christo filios nostros, Alfonsum Regem Castellæ ac Legionis illustrem, & Richardum in Romanorum Regem electos; nec non Romanam ecclesiam, in eo quod alterutrius illorum electionem confirmare, vel utramque si justitia suadebit, infirmare distulit, sibi conquerentes illusum; die statuto ad electionem de tertio celebrandam, te ut eodem die cum ipsis ad id convenias citaverunt, variis nihilominus ad hoc suggestionibus inducentes. Unde dicti nuncii, nobis humiliter supplicarunt, ut quid tibi sit super tanto negotio faciendum; in quo, ut dicebant, contra nostrum beneplacitum procedere tanquam devotionis filius non intendis; nostris tibi exponere literis curaremus.*

(*a*) *Eod. cod. Vall. pag.* 20.

De novo Rege Romanor. eligendo agitant.

Regem Bohemiæ de celebrandis comitiis interpellant.

XLIV. *Sane, fili charissime, gaudenter accepimus te affectionem, quam semper ad personam tuam & progenitores ipsos eadem gessit Ecclesia, tam humili confessione fateri; & excellentiæ tuæ quamplurimum congaudemus, quod ad propriæ salutem animæ, ad tui commodi & honoris augmentum, ad regalis exaltationem nominis, indefesso proposito ipsius matris Ecclesiæ honorem prosequi, ejus & nostris obedire mandatis, ac ea promovere solicite devota & prompta intentione disponis. Verum de prædictorum querela & conatu principum, intendentium ad electionem tertiam, dum inter memoratos electos, super duabus celebratis de ipsis quæstio agitur, promovendam; de præmissa etiam tua circa id dubitatione non sufficimus admirari. Nullum enim fere angulum ipsius latere debet Imperii, quod de prædictis electis, hujusmodi electionibus in discordia celebratis, & electis ipsis non curantibus subire judicium; sed propriis se velle inniti viribus expresse dicentibus; eadem Ecclesia fel. recordationis Alexandri & Urbani Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum temporibus attente considerans, & amare deplorans immensa pericula, quæ de hujusmodi fluctuatione Imperii, non solum ipsi Ecclesiæ, principibus, totique Imperio prædictis; sed & universo commisso eidem Ecclesiæ populo, tam quoad animas, quam quoad corpora & bona etiam imminebant; licet partes ab initio ad suum subeundum judicium, sicut nec decuisset nemine provocante, tam subito non arctarit; tamen ad reformanda inter eas pacis fœdera, & negotium non solum pro earumdem utilitate partium, sed Ecclesiæ totius Imperii principum & populi prædictorum in concordia terminandum; varias vias excogitans ad celerem ipsius ordinationem Imperii, multipliciter & solicite laboravit. Et demum memorati Regis Castellæ procuratoribus ipsum Regem; præfati post vero Richardi specialibus ad hoc nunciis eundem Richardum petentibus, inter cætera, tempore dicti prædecessoris Urbani ad recipiendum de ipsius prædecessoris manibus ejusdem Imperii diadema vocari, & eis consuetam in talibus justitiam exhiberi; dictus prædecessor eorumdem electorum concordiam, & pacificam ipsius ordinationem Imperii, tanquam toti mundo perutilem, sibique ac Ecclesiæ prædictæ valde votivam multo affectu desiderans; deliberavit sic hujus petitioni exhibendæ justitiæ, quam earumdem partium instantia exigebat, annuere, quod tractatus concordiæ, ad quam semper ejusdem Ecclesiæ suspiravit intentio, nequaquam inter illos negligere censeretur. Sicque ad ipsos electos speciales nuntios, viros quidem magnæ auctoritatis, discretos, & providos capellanos suos qui eos ad pacis unitatem inducerent, de fratrum suorum consilio destinavit. Et ne quid deesse ipsorum prædecessoris & Ecclesiæ solicitudini ad accelerandam expeditionem ejusdem negotii putaretur; eosdem electos peremptorie fecit ad certum terminum, & sub certa forma citari. Sed eodem pendente termino, turbatione valida in regno Angliæ insurgente, contigit eundem Richardum electum, sicut satis credimus esse notorium, taliter impediri, quod nemine pro ipso in dicto termino comparente, in eodem negotio nullus processus est habitus: sed idem terminus, omnibus in suo statu manentibus, justitia exigente dilatus.*

Consulit sedem Ap. Othocharus.

Apologia Pontificum, qui tantam controversiam tot discepatam annis non diremere.

XLV. Pergit exponere, ut cum Urbani consilia de controversia dirimenda, ipso Richar-



Suadetur Otacharo ne ob improvisos casus tertium eligat.

chardo a rebellibus in vinculis detento, mors importuna turbasset, ipse gubernaculis Ecclesiæ admotus, ad eam decidendam, studium diligentiamque convertere: sed repentini ac improvisi casus, Silvensi episcopo trucidato & Rodulpho de castro Podii Bonizi Castellæ Regis procuratore morbo oppresso, atque oppido, in quo versabatur, a Carolo longa obsidione circumsesso, curas apostolicas retardarint: nec propter improvisos rerum exitus debere principes electores novis suffragiis tertium evehere; cum ea injuria in ipsorum dedecus, electorum Regum dignitatem, majestatemque Romani Pontificis redundaret: in eo demum statu rem consistere, ut ad kal. junias insequentis anni terminus rejectus fuerit: se pontificia auctoritate vetare, ne hujusmodi electionem moliantur: rescindere ac convellere omnia, quæ male essent meditati: cæterum se egregium Regis Bohemiæ animum collaudare, qui in tanta re, sede Apostolica inconsulta, nil tentandum censuisset: ipsius esse dignitatis, ut cum suffragia sua ab uno ad alium traduxisset, utrumque non deserere, sed Apostolicæ sedis judicium præstolari. Tum subdit Pontifex.

XLVI. *Tecum igitur, fili, attenta meditatione considera, quid in his possit eidem piæ matri Ecclesiæ imputari. Nunquid quod dicti principes memoratos electos in discordia elegerunt? An quod iidem electi jus, quod sibi per electiones hujusmodi acquisitum reputant, non omittunt? Vel quod eadem Ecclesia, tantorum maxime principum, jura præcipiti non præcipitavit judicio, seu perverso forsitan non subvertit? An quod casibus fortuitis, quibus non potest diligentia humana resistere, non occurrit? Profecto licet eadem Ecclesia electionis tunc instantis præveniendo tempora, electores eosdem ad concordiam sedulis monitionibus invitarit; naturalem tamen ad dissentiendum facilitatem hominum in eis non potuit impedire. Nec electos arctare decuit, immo nec licuit, ad cedendum; sicut nec ipsorum pervertere aut præcipitare justitiam: nec prohibere, seu etiam prævidere potuit casus varios postmodum incidentes. Hæc si memorati principes, qui de tertia electione, ut supra exprimitur, satis inconsulte cogitare dicuntur, consultius attendissent, puderet eos super jura Imperii ejusdem inter electos ipsos, quos constat eosdem principes elegisse, pendente judicio; non sine nimio variationis opprobrio, & inconstantiæ nota; in vanum talia cogitare: cum scire debeant, quod si iidem, non terminato judicio, ad illa præsumptuosis, quod vix credere possumus, conatibus prosilirent: & ipso jure foret, & nos nihilominus decerneremus, & nimirum ex nunc decrevimus, quidquid sic præsumptum fuerit, irritum & inane: tam tibi quam ipsis nihilominus inhibentes, ne contra hujusmodi decreti nostri tenorem id attentetis: firma spe ac fide tenentes indubia, quod id semper eadem egit Ecclesia, id etiam nos & hactenus gessimus & adhuc puro gestamus in pectore, quod idem negotium, sine ipsorum electorum & principum eos eligentium quavis injuria, expeditionem celerem ad totius ejusdem pacem Imperii sortiatur. Nec intentionis Ecclesiæ ipsius, aut nostræ unquam extitit vel existit, jus eligendi, quod tibi & eisdem principibus competere non negamus, quoquo modo minuere aut tibi vel ipsis circa illud, aut ejus libertatem in aliquo derogare. Quia potius in votis gerimus, & cordi nobis est admodum, sic illud vobis conservare integrum penitus & illæsum, quod sive alterutram prædictarum electionum confirmari, sive utramque cassari, justitia cogente, contingat; idem jus perinde omnino * imminutum habeatis & liberum, sicut tibi & illis, vestrisque prædecessoribus competisse dignoscitur ab antiquo. Præmissa quoque, si excellentiæ tuæ prudentia debito discussisset examine, tua etiam dubitatio; quæ tamen filialis devotionis signa prætendens, ad paternum, sicut decuit, devote recurrendo consilium, in eo potissime grata pervenit, quod gaudemus & volumus te in tuis beneplacitis ad nos cum omni securitate recurrere, quievisset. Si quidem ignorare non debes, quod cum in utrumque dictorum electorum tua vota, licet successive, direxeris, illorum saltem alterutrum velut efficax tibi tertio consentiendo in alterum revocare non licet: sed est potius, dum de illorum juribus pendet discussio, ab electione tertii, & propter juris exigentiam, & propter etiam decentiam, omnimodis abstinendum, &c.* addit preces, ne se ab iis, qui tertium creari vellent, flecti pateretur: quin potius delata sæpius sedi Apostolicæ studia explicaret. *Dat. Viterb.* VII. *id. novemb. pont. nostri an.* IV.

Significat Pontifex irritam tertii fore electionem.

* non

XLVII. Is porro Bohemiæ Rex Othocharus erat, quem Crantzius Odoacrem vocat; magnis sane virtutibus decoratus princeps fuit, quem Clemens aliis literis sæpius extulisse reperitur: tum vero maxime ob egregium zelum, quem in lacessendis bello infidelibus Lituanis, aliisque religionis nostræ hostibus explicuisset: quorum etiam terras ipsius ditioni subiiciendas decrevit (*a*), permisitque, ut si Lituaniam edomaret, regiam dignitatem in ea ab sede Apostolica institutam, atque in Mindota a suis crudeliter occiso extinctam revocaret, ut pro suo imperio de iis terris statueret (*b*), quas bello subegisset: ac ne in suscepto consilio ipsius zelus defervesceret, aliis lite-

Othocharus Rex Bohem. virtutibus insignis.

Præclara ejus in Lituanos gesta.

(*a*) *Lib.* 3. *ep.* 239.

(*b*) *Ib. ep.* 140.

(a) Ep. 141. ep. 142.

literis incitavit (a). Olomucensi vero episcopo in rebus sacris futuras obnoxias eas omnes terras sanxit Pontifex, quas Bohemus sibi bello peperisset. Ne vero dum strenuus princeps debellandis barbaris incumbebat, discordia aliqua ipsum inter ac Theutonicos equites, quibus plures barbarorum terræ subigendæ attributæ fuerant, emergerent, initas antea ipsos inter ac Bohemum conventiones apostolica auctoritate communivit; eaque de re ad eosdem religiosos equites scripsit (b). Significanti etiam Othocharo jungendi cum Carolo fœderis desiderio teneri, Pontifex illius consilium collaudavit (c).

(b) Ep. 144.

(c) Tom. 2. ep. 467.

XLVIII. Augustinus arch. Nidrosiensis miraculis clarus.

Collustravit per hæc tempora ingentibus miraculis Christianæ religionis dignitatem divinum Numen in septentrionalibus iis regionibus opera sacri pignoris B. Augustini Nidrosiensis olim episcopi: unde ejus ecclesiæ cleri precibus adductus sanctissimus Pontifex, Bergensi episcopo & Tutrensi atque Holmensi Cisterciensis familiæ abbatibus provinciam commisit (d), ut religiosum examen de beati viri præclare gestis ac miraculis, quod Innocentii jussu antea inchoatum atque intermissum postea fuerat, perficerent, quo solemni ritu in sanctorum albo poneretur.

(d) Lib. 4. ep. 71.

*Episcopo Bergensi & dilectis filiis Tutrensi Cisterciensis, & Holmensi S. Benedicti ordinis abbatibus Nidrosiensis diœcesis.*

De eo in sanctorum album referendo agitatum.

*Insinuantibus venerabili fratre nostro archiepiscopo, & dilecto filio capitulo Nidrosiensibus accepimus, quod gloriosus in majestate sua Dominus, qui facit mirabilia magna solus, pro meritorum laudabilium claritate; quibus piæ memoriæ Augustinus Nidrosiensis archiepiscopus, cujus corpus in Nidrosiensi ecclesia requiescit, fulgere comperitur; tantam miraculorum multitudinem dignatus est hactenus, ac dignatur assidue operari ut sit pium, & conveniens, quod ipsius inter sanctos cæteros Christi fideles invocare debeant suffragia mente humili & devota. Et licet felicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster dudum quondam... Tutrensi Cisterciensis & ... Holmensi S. Benedicti ordinum abbatibus prædecessoribus vestris, filii abbates, suas literas destinavit, ut de vita ipsius & miraculis, qui sanctorum ascribi catalogo cum instantia petebatur, diligenter ac solicite inquirentes, quæ invenirent ipsi prædecessori per suas literas fideliter intimarent; ac postmodum aliæ diversæ literæ ad diversos inquisitores alios, ut super inquisitione hujusmodi secundum formam abbatibus memoratis traditam procederent, a sede Apostolica emanarint; variis tamen impedimentis, & obstaculis interim occurrentibus, inquisitionis ipsius negotium remansit usque ad hæc tempora imperfectum. Quare archiepiscopus & capitulum memorati nobis humiliter supplicarunt, ut super hoc, ne is quem divina honorat dignatio, sine veneratione in populo congrua relinquatur, paterna providere solicitudine dignaremur. Nos igitur de circumspectionis vestræ industria confidentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si quod de prædecessoris nostri prædicti, & aliis variis commissionibus; necnon impedimentis hujusmodi proponitur, veritate fulcitur, & tanta super hoc sit publicæ famæ solemnitas, quod vobis inquirendum de ipsius vita, conversatione, ac miraculis merito videatur super præmissis inquirere juxta interrogatoria, quæ vobis sub bulla nostra mittimus: ac nobis rescribere procuretis, secundum prædictarum nominati prædecessoris ad præfatos abbates directarum continentiam literarum, alioquin in negotio inquisitionis ejusdem procedere penitus omittatis. Quod si non omnes &c. tu frater episcope cum eorum altero, &c. Dat. Viterbii VI. kal. octobr. anno IV.*

Inquiritur de miraculorum veritate.

XLIX. S. Eduardi Regis reliquiæ miraculis fulgent.

Non minori gloria sacris S. Eduardi Regis reliquiis effulsit Anglia: ad quas decorandas Henricus Angliæ Rex feretrum ex auro conflari, atque egregio artis lenocinio elaborari jussit. Ornare voluit numen translationis illius pompam insignibus duobus miraculis: Benedictus (e) enim clericus Wintonia oriundus, ac Joannes laicus, qui ex Hibernia accesserat, sanctissimi Regis, cui se ardentibus animis commendarant, apud Deum precibus pristinæ sanitati sunt restituti: quibus divinum Numen prodigiis populorum religionem in sanctorum suorum cultum accendebat.

(e) Vvestm. Flor. hist.

Translatæ ingenti pompa.

Inflammata etiam adeo in Italia Christiana plebs ad colendas beati Januarii reliquias undique confluebat, ut Clemens quo populorum adventantium commodis consuleret, missis archiepiscopo & clero Neapolitano literis (f) festum illius diem, qui XIII. kalend. octobris celebrabatur, ad VIII. id. maii traduxerit.

S. Januarii festus dies ob confluentium multitudinem in vernum tempus translatus.

(f. Lib. 3. ep. 121.

Præterea ad alendam Gallorum in B. Quintinum pietatem universis Christi fidelibus paræcianis ecclesiarum, quæ in Petragoricensi diœcesi in illius sancti honorem excitatæ essent, concessit, (g) ut in festo illius, si in festi omnium sanctorum pervigilium feria secunda, vel tertia, vel quinta incurreret, carnibus vescerentur.

(g) Lib. 4. ep. 42.

B. Quintinus in magno cultu a Gallis habitus.

L. Græcus impostor incertas reliquias S. Pauli Ap. caput esse jactat.

Cœpta de sanctorum veneratione orationi adjungimus, repressum a Clemente Græcum hominem, qui Isabellæ Francorum Regis sorori pientissimæ feminæ quasdam reliquias, quas S. Pauli Apostoli caput esse jactabat, contulerat; Isabel-



Tradit Isabellæ sorori Regis Francorum.

bellamque monitam, certissima traditione constare, pretiosissimum illum thesaurum Romæ asservari: deponeret conscientiam erroneam, ac ne populis scandalum inijiceret, daret legato fictitias eas reliquias ad se deferendas, ne si in alias manus incederent, occasio erroris inde pullularet.

(a) To. 2. ep. 477.

Clementis studium ad discutiendum errorem.

*Isabellæ (a) Francorum Regis germanæ.*

*Scias, filia, Apostolorum capita Romæ indubitanter haberi, quæ felicis recordationis Gregorius Papa nonus prædecessor noster, de Sanctis sanctorum suis manibus extrahens, Romano populo patenter exhibuit, & in locum suum restituit cum debita reverentia, præsentibus & scientibus universis. Quod si forsitan caput B. Pauli Apostoli apud te esse putas, depone conscientiam, ne fallaris, nec ponas scandalum matri tuæ Romanæ ecclesiæ, quæ deceptionem hujusmodi non posset æquanimiter tolerare. Si vero Græci aliquo tempore se illud habere dixerunt, ne mireris: nam odio Latinos habentes facile sibi formaverunt mendacium, qui de fide mentiri catholica, quod est majus, minime dubitarunt. Bene igitur facies, si quod habes, dilecto filio nostro Simoni S. Cæciliæ presbytero Cardinali, Apostolicæ sedis legato nomine nostro reddideris, nobis per eundem mittendum: ne si ad alias manus devenerit, possit inde cum erroris periculo scandalum suscitari. Dat. Viterbii XIV. kalend. maii anno IV.* Fieri etiam potuit, ut S. Pauli episcopi Constantinopolitani sub Constantio Cucusi martyrio affecti caput esset, cujus reliquiæ in ecclesia a Macedonio ejus persecutore extructa reconditæ fuere: falsusque rumor postea apud populum increbuit, S. Pauli reliquias ibi asservari, de quo plura Baronius (b). At de his hactenus: nunc ad comparatam in Syriam ab occidentalibus expeditionem convertimur.

D. Pauli ep. Constant. Martyr. reliquiæ pro Apostol. Pauli reliquiis olim acceptæ.

(b) Bar. ann. Chr. 381. n. 79.

LI. Veneti excusant, se arma cum S. Ludovico jungere.

Ornabat sacri belli apparatum S. Ludovicus, qui subeundis omnibus pro Christo laboribus regia constantia se devoverat, solicitavitque Venetos, ut vires maritimas, cum ipso adversus impios conjungerent. At ii veriti, ne res mercatoria in Ægypto jacturam aliquam pateretur, tantæ gloriæ participes esse, sese excusarunt. Cum Pontifex Genuenses (c) impellere studuit, ut classem S. Ludovico offerrent: *Scire vos volumus, quod Veneti nunciis filii nostri charissimi illustris Francorum Regis dederunt responsum, quod cum eis nullam poterant conventionem facere, timentes ne Soldanus Babyloniæ quidquid habebant in Alexandria, occuparet. Unde consulimus, & monemus, quod curetis ad eundem Regem solemnes nuncios destinari, ut vobiscum passagium suum faciat: & exponatis vos ei tam liberaliter, quod obsequium vestrum debeat acceptare. Dat. Viterbii XV. kal. octob. anno IV.* [1]

(c) To. 2. ep. 538.

Solicitati Genuenses ut parent classem.



NOTÆ [1] RÉs Gallicanæ hujus anni Ecclesiasticos Scriptores diu multumque exercuerunt. Huic enim anno assignatur constitutio illa S. Ludovici, quæ sub nomine pracmaticæ sanctionis apud eruditos innotuit. In ea vero plura decernuntur, quæ tanti Regis pietatem summumque ejus in Ecclesiam studium maxime decent; sed ejus edicti postremum caput vetat, ne immoderatæ ministrorum Romanæ Ecclesiæ exactiones deinceps permittantur, nec, si forte imposterum necessitas aliqua illas expostulasset, admitti mandat, nisi ex consensu Regis, & Ecclesiarum regni. Postremum hoc; quamquam non in omnibus æque vetustis editionibus ejusdem pracmaticæ legitur; sancto Regi vindicant Gallicani plures scriptores, inter quos Natalis Alexander Hist. Eccl. to. VIII. in vita S. Ludovici; qui fidem huic astruendæ adoptat ex continuatore Parisii fabellam de legatis a Clemente missis in Galliam ad corrogandam sibi mutui lege pecuniam, quos Galliæ rex, Romanam avaritiam detestatus, vacuos, & non sine probro dimitti imperavit. Sed non erat cur vir doctus patrocinium sententiæ suæ ex fabella peteret, cum argumentum capiti huic addendo assumi potuisset ex decimis quas Pontifex quæsivit, non quidem illis, quas in sumptus ad sacras expeditiones indixit, illæ enim Galliæ regi cedebant; sed iis quos sibi postulabat pro rebus Siculis juvandis. Quas exactiones nunquam æquo animo Galliæ præsules tulerunt.

Quamquam vero ratio aliqua prætendi potest, cur postremum hoc sanctionis caput S. Ludovico adstruatur, nunquam tamen in animum induxerim genuinum reputari debere. Præterquam enim caput istud in multis Sanctionis hujus editionibus non comparet, ut in editione Bibliothecæ PP. per Macharinum de la Bigne doctorem Sorbonicum, sicut nec in editione Bullæi Hist. Univ. Paris. Multum pariter in illud suspicionis creatur ex silentio omnium Scriptorum vitæ S. Ludovici; quin & silentium continuatoris Parisii, multum in rem præsentem conducit; cum Scriptoris illius ea sit indoles, ut si quid in Pontificem, & Romanam curiam offenderet, illud libentissime adnotaret, fabellarumque adjectione promoveret atque exaggeraret. Nihil vero ille de hoc Sanctionis capite invidiæ in Romanam Curiam plenissimo. Cur etiam S. Ludovico pro decimis in sui commodum indicendis plus nimis apud Clementem molesto, idem Clemens non regessit caput istud Pracmaticæ Sanctionis, quo molestæ istæ pecuniarum exactiones carpebantur? Sed forte postremum hoc argumentum, quod urgeri vehementius posset, ex eo convellitur, quod Pracmatica hæc Sanctio ex Martio mense anni 1268. quo Clemens adhuc in vivis agebat, ad annum sequentem, 1269. quo Clemens e vivis jam cesserat retrahenda est. Nam licet inscripta est anno 1268. cum tamen in Galliis annus ille pro veteri stilo tunc obtinente non nisi exeunte Martio anni 1269. desineret; hinc forte promulgata anno 1268. mense Martio Sanctio anno novi stili 1269. assignanda est. MANSI

LII. Angliæ principes crucesignati.

Nec Gallia modo in arma sacra S. Ludovici zelo coorta erat, verum Clementis studio Anglia etiam, Castella, Lusitania, & Aragonia indicti Saracenis belli fremitu circumsonabant. In Anglia quidem ab Ottobono A. S. L. Eduardus atque Edmundus Henrici filii cruce insigniti; de quibus hæc auctor adjectæ Parisio appendicis (a): *Ottobonus legatus Londini concilium convocavit, in quo multa statuit ad reformationem ecclesiæ Anglicanæ. Et non multo post crucesignavit apud Northamptonam filios Regis Eduardum & Edmundum, & comitem Gloveniæ cum multis aliis Anglicæ regionis.* Quibus haud dissimilia Westmonasteriensis tradit: (b) additque ad illud concilium non Angliæ modo, sed Scotiæ quoque, Hiberniæ, & Walliæ episcopos confluxisse. Revocatum porro a Pontifice ex Anglia Ottobonum novis objectum laboribus, atque in Hispanias missum videtur, cum ad ipsum pontificiæ literæ extent x. kal. julias datæ, (c) ut Castellæ Regem ad reparandas Terræ sanctæ res incenderet & confirmaret: ipseque Regem Aragoniæ ad subsidium eidem Terræ sanctæ conferendum solicitavit: (d) neque ad inflammandos quo ardebat zelo cæteros Reges studia prætermisit. Eodem zelo accensus Lusitaniæ Rex, Christi militiæ, suscepto crucis symbolo, se addixit; cui, & aliis ipsius signa secuturis præmia indulgentiarum constituit Pontifex; (e) decimas Lusitanas ad sustinendos bellicos sumptus attribuit, (f) ac plura alia subsidia comparavit. (g) Auxit etiam auctoritate religiosos viros, (h) ut eos, qui crucem capessiverant, censuris solverent, ac pro concione populum ad Christi defendendam gloriam incitarent, (i) eruceque insignirent. At proh dolor! ii conatus irriti cecidere.

(a) Continuator Paris. an. 1269.

(b) Vest. Flor. hist. an. 1268.

Excitati Hispan. Reges ad Syriam tuendam.

(c) To. 2. ep. 510.

(d) Ib. ep. 425.

Alfonsus in belli sacri & gloriæ societatem accitur.

(e) Lib. 4. ep. 51.

(f) Ib. ep. 52.

(g) Ep. 54.

(h) Ep. 56.

(i) Ep. 57.

LIII. Adhibuisse summum studium Pontificem, ut Genuenses ac Venetos vetustis odiis imbutos conciliaret, ac pariter una cum Pontifice Reges crucesignatos, quorum antesignanus erat S. Ludovicus, operam missis oratoribus conjunxisse, refert Andreas Dandulus (k): *Nec tamen pertinaciam odiorum Pontificis ac tantorum Regum auctoritate molliri potuisse*, verba auctoris sunt, *& ultimo ducis anno a Papa & Regibus per nuntios requisitus*, Raynerius scilicet Venetorum dux, *Joannem Dandulo de S. Moyse, Nicolaum Quirino, & Andream Barbarico pro tractanda pace, vel tregua cum Januensibus Viterbium, ubi Papa residebat, ambasciatores misit: qui post longos tractatus de pace habitos & non completos, duce jam mortuo redierunt.* Præcipitata ita est in exitium dissidentibus invicem his populis Syria, cujus clades hoc anno illatas a Sultano Bendocdare his verbis describit Sanutus (l): *Bendocdar* VII. *die martii cepit Jaffam proditiose, & tempore treguarum multos ex pauperibus occidit: aliis dedit conductum, multis primo expoliatis.* XV. *vero die aprilis cepit castrum de Belfort; &* XXII. *ejusdem mensis venit Ptolemaidam Hugo Rex Cypri. Tunc Soldanus venit Tripolim, & destruxit viridaria: deinde processit contra Antiochiam, &* XXIX. *maii civitatem absque ullo belli tumultu cepit: & post captionem usque ad* XVII. *millia personarum interfecta sunt, & ultra centum millia captivata sunt: & facta est civitas tam famosa quasi solitudo deserti. Cepit quoque portum Præbonelli juxta introitum Armeniæ.* De Antiochia a Saracenis excisa consentiunt Sanuto alii historici, e quibus nonnulli tradunt patriarcham Antiochenum ordinis Prædicatorum, Christianum nomine, a barbaris ad aram indutum sacris vestibus trucidatum. Expugnandæ vero Antiochiæ occasionem aucupatum Sultanum addit Aytonus, (m) cum Abaga Tartarorum in Perside Rex gravioribus bellis cum Tartaris septentrionalibus distractus submittere opportuna Antiochiæ, quæ ipsius vectigalis erat, auxilia non potuisset. [1]

(k) Andr. Dand. hist. l. 10. c. 7.

(l) Sanut. l. 3. p. 12. c. 9. Jord. MS. Vat. bibl. sign. n. 1960. Ayton. hist. orien. c. 32. Mon. Pad. chr. l. 3.

(m) Ayt. hist. orien. c. 32.

LIV. Luxit etiam Ecclesia, importunam sanctissimi Pontificis mortem, quem Deus hoc anno ex hac vita eripuit, sive ne tot orientis malis obrueretur, sive ut victis in Italia crudelissimis Ecclesiæ hostibus, in cœlo triumphum ageret. De cujus obitu hæc Bernardus Guido (n): *Clemens Papa IV. vir totius prudentiæ præ cunctis generosis hominibus, obiit Viterbii, in vigilia B. Andreæ Apostoli cum pace Ecclesiæ concessa ex illo latere*, de Conradino profligato cæsoque loquitur; *fuitque sepultus in ecclesia fratrum Prædicatorum in Viterbio anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo: vacavit sedes*

(n) Bern. in chron. Rom. Pont.

Clementis obitus.

NOTÆ [1] BErnardus Thesaurarius, seu continuator Gallus Historiæ Tyrii, quædam addit de rebus Palæstinæ, quæ hic prætermisse pigeret, cum præsertim eorum temporum æqualis Scriptor merito reputari possit. Cum Sanuto cohæret ille in assignanda die, qua Jaffam Soldanus cæpit; sed addit S. Georgii caput Victori barbaro cessisse, quin & corpus S. Christinæ Jaffæ relictum a Joanne Episcopo Trecensi, arsisse. Captæ vero Antiochiæ diem non quidem XXIX. sed potius XVII. Maii assignat, sicut & arcem de Belfort Saracenis non die XV. sed potius XXV. Aprilis permittit. MANSI



*des annis duobus, mensibus novem.* Sed de interpontificio iterum inferius. Quod vero ad tempus sedis attinet, hæc Baronius asserit (a): *Clemens IV. creatur* IX. *februarii consecratur* VIII. *kal. martii, sedit annis* III. *mensibus* IX. *diebus* XXV. Ipsum hoc anno e vivis ereptum omnes auctores confirmant, ut eos adducere supervacaneum sit; si Novatores exceperis, qui ut nullo rerum delectu ac judicio centurias suas consarcinare solent, Clementis obitum ad annum MCCLXX. contulere. Cæterum præter id, quod superius a nobis insinuatum est sublata illius precibus & jejuniis ingentia mala, quibus Ecclesia premebatur; singulares illius dotes attingit Jordanus his verbis: (b) *Fuit vir benignus generaliter habitus, cantor delicatus, in concionando non habens socium, sibi austerus, cæteris pius.* Commendat eadem illius elogia Ptolemæus Lucensis, (c) quæ ex veteri historico ita describit: *Generalis clericus fuit, videlicet jurista summus, prædicator egregius, cantor pulcherrimus sine pari: carnes diu non comedit, asperrimo lecto est usus, nec vestibus lineis ad carnem utebatur; & sic sanctissimam vitam duxit: nec invenitur exaltasse parentes Deo dicatus.* Nec piget hic Longini verba (d) annectere: *Ultima decembris die vir vitæ sanctissimæ Clemens Papa quartus insignis jurista & prædicator egregius diu carnibus abstinens, asperrimo lecto, vestibus vero lineis ad carnem nunquam in papatu utens, Viterbii moritur.* Quod ad locum sepulturæ attinet; pro ipsius condendis exuviis contentio aliqua fuit, cum maximam sanctitatis suæ opinionem concitasset; de quo hæc S. Antoninus (e): *Sepultus est autem gloriosus Pontifex Viterbii, ubi tunc curia residebat, in ecclesia fratrum Prædicatorum, ubi ipsemet sibi elegerat sepulturam: sed de facto translatum ad ecclesiam cathedralem ad voluntatem quorundam. Postmodum dictante justitia per successorem Pontificem restitutum est corpus fratribus ipsis, & ante capellam majorem in latere honorifice, ut patet, collocatum.*

(a) Baron. in schedis.

(b) Jord. MS. Vatic. bibl. sign. n. 1960.

(c) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 38.

(d) Long. hist. Pol. lib. 1.

(e) S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 1. §. 11.

Sepulturæ locus.

LV. Salomea cum Rege Colomano virginitatem colit.

Sanctissimi Pontificis funeri Salomeæ virginis sanctissimæ Galatiæ, seu Halicienfis Reginæ, Boleslai Pudici Cracoviæ, ducis sororis, funus conjungemus. Nupserat illa Colomano, ut ait Longinus (f), Halicienfi Regi: sed obtritis delitiis consentiente sponso, virginitatis florem integrum servarat: quo sublato, ut majori libertate cœlestium contemplationi se dederet, S. Claræ religiosa institutæ amplexa, cum duos ac triginta annos in asperrimo vitæ genere, continuo cilicio perdomitis carnis illecebris, duxisset; pie obiit magna sanctitatis existimatione illustris: quæ etiam pluribus miraculis effulsit, ut Longinus subjectis verbis refert: *Decima novembris die Salomea virgo illustris Galatiæ seu Halicienfis Regina, soror germana Boleslai Pudici Cracoviæ ducis; quæ sponso suo Colomano Galatiæ, seu Halicienfi Rege, cum quo, omni carnis illecebra profligata, in virginitate & summa continentia convixerat, obeunte, religionem & ordinem S. Claræ professa in Zavichosten monasterium se contulerat; & Zavichosten monasterio ad Lapidem S. Mariæ, alias Skalam prope Cracoviam translato, in observantia regulari, & rigore vitæ, virginum Domino annis duo de triginta, numquam a carne cilicium amovens, servierat, abbatissæ officium gerens in Zavichosten & in Lapide S. Mariæ monasteriis, moritur. Quæ licet diebus septem jacuisset insepulta pro fœtore, qui cadaveribus inesse consuevit, suavis odor sanctimoniales, corpus suum frequentantes, afflabat. Quarto demum idus novembris in eodem monasterio de Lapide sepultum, anno sequenti* IV. *kal. julii Cracoviam transvectum in ecclesia S. Francisci fratrum Minorum in chori medio honore congruo humatum. Sed nec tum quidem, quamvis exæstuante sole, ex cadavere poterat a quoquam illud comitantium fœtor sentiri: sed & quædam ex sanctimonialibus cœnobii præfati, Martha nomine, virgo religiosa & grandæva, pro constanti astruebat veritate, etiam tunc ex corpore suo & suavitatem, fragrantiamque odoris, & stillicidium olei manasse: quo multi ægrorum perunctí integram se sanitatem recepisse testati sunt. Animam ejus benedictam, cœlos in magno fulgore petentem, in visione vidit frater Boguslaus ordinis Minorum, vir devotus & religiosus, & angelicum cœtum canentem suavitate inenarrabili carmen: Fronduit, floruit Aaron virgula. Quæ in carne posita frequentibus suspiriis, lacrymis, & obsecrationibus cœlestem splendorem cognatumque desiderabat, illic degendi normam, piorumque conventum sitiens.* Tradunt eadem Michovias (g), & Chromerus, (h) ac sacro oleo corpus virginis sudasse testantur.

Eo extincto sanctimonialis effecta.

Vitam ducit asperrimam.

Felix ejus obitus.

(f) Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann.

(g) Michov. rer. Pol. l. 3. c. 57.

(h) Chrom. l. 9. & alii.

Non dispari ac felici obitu Agnes marchionissa Misnensis extremum diem clausit: cui Germani scriptores (i) tradunt, objectum per visum Angelum in scypho aureo vinum amarum propinasse, atque illa potus amaritudinem conquerente, Angelum subjecisse acerbam fore ejus mortem; non ipsam tamen a numine destituendam: nec multo post ipsam e vita discessisse.

(i) Auctor. Anonym. de Lantgr. Thuring. Auct. addit. ad Lambert.

LVI. Agnetis Misnensis Marchionissæ pia mors.

Sublati etiam hoc anno e vita nonnulli insignes dignitate viri alii: inter quos Svvantopelkus (de quo sæpius nobis sermo fuit) Pomeraniæ dux, relicto ac diviso quatuor filiis principatu, salu-

Swantepelkus moriens Pomeraniam inter filios dividit.

salubribus eos monitis erudivit, ut ab inferendo equitibus Theutonicis bello sibi temperarent, Polonosque principes omni amoris & benevolentiæ significatione complecterentur. Porro nobiles Pomeranos, ad retinendum in uno capite gentis splendorem, ut cæteri majori natu parerent convenisse, ne scissæ ita Pomeraniæ dignitas ac potentia obsolesceret.

Pomerani principatum dividi vetant.



I. Nuceria obsidione cincta.

JAcebat in luctu Romana ecclesia, summo pastore viduata, anno Christi millesimo sexagesimo nono, indictione duodecima; atque ob continua Cardinalium, in contraria studia tendentium, dissidia in periculum adducebatur, cum illius mœror debellatis virtute Caroli Siciliæ Regis in Apulia infensissimis Christianæ fidei hostibus nonnihil recreatus est. Perfidæ gentis caput Nuceria erat, validissimis munita propugnaculis: nec modo superstitionis sentina, verum & rebellionis fomes. Illam Rex obsidione cinctam, & undique circumclusam, ne hostis excurreret, dura adeo fame attrivit, ut victoris arbitrio se dedere infideles compulsi fuerint. Pepercit iræ Carolus ac victoriæ temperavit: eos tamen nequissimos Christianos, qui Saracenos ad facinus impulerant, gladio peremit: alios vero venia donatos in plura loca ita dispersit, ut ipsorum vires penitus infregerit; omnemque in posterum rebellandi occasionem ademerit. Quæ res non singularis modo pro stabilienda publica pace, elidendisque omnino futuris indepericulis; sed pro misera gente ad Christi cultum traducenda, prudentiæ fuit. Plures enim ex iis, ut monachus Patavinus testatur, (a) cum jam suorum prava societate non corrumperentur, ad hauriendam evangelii lucem oculos extulere. His consentanea tradit Bernardus (b): qui addit Saracenos ita perdomitos, ut ad clementiam a Rege obtinendam injectis collo funibus, se ad illius pedes prosternerent, suaque ei vexilla perferrent: quos ipse, ut in servili conditione viverent, vita donavit. [1]

Inopia commeatuum compulsa ad deditionem.

Caroli severitas in impios, Christianos.

Saraceni subjecti servituti.

Plures ad baptismum traducti.

(a) Mona. Pad. chron. 3. & alii.

(b) Bern. in chron. Ro. Pont.

Ut misericordiam flagitarint.

II.

Nec multo post partam eam victoriam alio triumpho cumulavit. Guido enim Novellus comes Germanicis copiis ac Senensibus, Pisanorumque auxiliis ingentibus fretus, cum, ardens vindictæ cupiditate ob vastatum anno superiori Podium Bonizi, exercitum in collem vallis Elsæ movisset; eo accepto Joannes Bertardus Gallus Regis Caroli in Etruria vicarius Francorum copiis, Florentinis, aliisque Guelphis stipatus militari arte, quamvis numero & robore hosti impar, occurrit obviam, ac Gibellinos magna clade devicit. Qua de re hæc Ptolemæus Lucensis tradit historiæ (c): *Eodem vero anno dictus Joannes cum sua militia, quam habebat, vadit apud collem vallis Elsæ contra Gibellinos, & Senenses; inter quos fuit comes Guido Novellus cum militia Theutonica: & cum eisdem pugnat. Et cum jam diu atrociter pugna certassent, succubuit pars Gibellina, omnibus quasi Theutonicis in bello cæsis, & aliis multis. Et ex tunc in Tuscia defecit pars Gibellina, & pars Guelpha regnat, Rege Carolo eidem assistente.*

Guido Novellus Gibellinis stipatus Guelphos bello appetit.

A Bertardo Gallo deletus.

(c) Ptol. Luc. l. 22.

III.

In eo bello Provenzanus Sylvanus Senensium dux, vir præpotens, exemplum cæteris dedisse fertur (d) quam fallacia sint ariolorum responsa. Cum enim dæmon de belli eventu consultus subjecisset, Provenzani caput cæteris sublimius exiturum; ille, sibi gloriosissimam victoriam præsagiens, temere in medios Guelphorum globos penetravit, & captus capite truncari jussus est, quod infixum hastæ per exercitum circumlatum. Ita scelestum hominem elusit diabolus: vel divina providentia a dæmone dicta, ad vindicandum scelus in alium sensum detorta, exitum verum adipisci permisit. Cæterum excisæ adeo fuere eo prælio Senensium vires, ut paulo post Florentini Guelphos, Senenses exules in urbem induxerint, ejectisque Gibellinis firmum fœdus percusserint: denique in mutuam amicitiam eæ duæ civitates coaluerint, quæ

(d) Jo. Vil. l. 7. c. 31. & alii.

Senensium ducis dæmonis vaticinio præfidentis temeritas.

Quam tristi exitu cæteris capite eminere successerit.

NOTÆ [1] QUamquam certum est hoc anno Naceriam Saracenorum in Caroli potestatem venisse, atque tunc demum factum ut res Saracenorum, qui tam diu Italiam vexaverant, ita atteri inciperent, ut nunquam deinceps resurgerent; memorabilis tamen hujus victoriæ dies, & mensis nunquam satis adhuc exploratus est. Plerique enim veteres Scriptores annum rei gestæ adnotasse contenti, reliqua neglexerunt. Pauci vero illi, qui eo usque diligentiam suam provexerunt ut nec mensem nec diem negligerent, exteri sunt Scriptores rerumque Italiæ parum gnari, nec inter se plane cohærentes. Nam Guillelmus de Podio Laurentii, & Chronici Monfortiani scriptor Anonymus diem VI. Kal. Augusti notant; continuator Gallicus Tyrii diem VII. Kal. septembris, seu ut ille scribit diem XXVI. augusti præfert. Quidquid tamen sit de anno & mense captæ urbis, constat inter pacta deditionis unum illud fuisse, ut ex vetustis chronicis tradit F. Pippinus ordinis Prædicatorum, qui procedenti sequenti sæculo chronicon suum scripsit vulgatum a Muratorio rer. Italic. to. IX. unum, inquam, illud fuisse, ut *singulis sextis feriis nomine tributi magnum pondus auri eidem regi exhiberent*. Hanc conditionem quod apud neminem legerim, adnotandam hic censui; an veritati congruat, fides esto penes authorem.

Eodem etiam Pippino teste (hoc anno) Ferrariæ obiit Armannus, quidam cujus tanta fuit sanctitatis species ficta, ut etiam annis post obitum triginta in speciosо mausoleo conditus frequenti populo coleretur. Sed ejus hypocrisi tandem detecta, ossa e tumulo extracta igne cremata fuerunt, quæ de re in Annalibus ad A. 1301. 25. MANEI

Jace-

quæ bellum inexpiabili odio tamdiu gesserant. Nec Senenses modo, verum Pisani, ut Patavinus monachus refert (*a*), qui Carolo pertinacissime restiterant, regiæ potentiæ impares, ob continuas hostium excursiones, quibus undique erant circumfusi, se Carolo subdidere. Atque ita ex diuturnis bellis, quibus attrita fuerat, Italia felicissime emersit.

(*a*) *Mon. Pad. ubi sup.* Senenses ac Pisani Carolo conciliati.

IV. Proferre etiam latius in Græcia imperium meditatum Carolum, atque Achajæ, & Peloponnesi principatum posteris affinitate peperisse, refert Ptolemæus Lucensis (*b*): *Anno Domini MCCLXIX. ecclesia Romana vacante, & Imperio similiter, Rex Carolus, videns se in dominio prævalere, jam incipit versus orientem suam potentiam dilatare. Unde matrimonium pro filio suo Philippo contrahit cum filia principis Achajæ: ex quo matrimonio principatum acquirit. Tum constituto in Tuscia suo vicario domino Joanne Bertaldi, & parte sua in dicta provincia prævalente, militiam mittit de Apulia contra Palæologum, quia Imperium Constantinopolitanum non justo titulo occupaverat, ut supra est dictum: cui aliquando bene cessit cum ipso, aliquando male.*

(*b*) *Ptol. Luc. hist. eccl. l.22. c.40.* Philippus Caroli filius Achajæ principis filiam uxorem ducit. Inde principatum dotalem obtinet.

Dum vario eventu dimicaret cum Græcis schismaticis Carolus, ipsius frater Ludovicus Francorum Rex, longe virtutibus superior, Francos in sacrum bellum concitabat. Adjectæ Parisio appendicis auctor refert S. Regem nunciorum opera Eduardum ex Anglia excivisse, venientemque arctis amplexibus constrictum permovisse, ut se comitem laborum pro Terra sancta recuperanda ipsi adjungeret. Quam historiam ipsius auctoris verbis narrare visum est: *Hoc anno*, inquit, *sanctus Ludovicus Rex Franciæ nuncios speciales direxerat Eduardo filio Regis Angliæ, rogans, ut ad ejus colloquium festinaret. Non segnius Eduardus maturat iter: & ad Regem Francorum transfretare curavit. Quem Rex vultu suscipit hilari, & amicabiliter amplexum arctius osculabatur, manifestans causam, pro qua eum advocaverat. Dixit nempe se in votis habere terram sanctam repetere, eumque desiderare comitem ad debellandam barbaricam rabiem paganorum. Quod cum audisset Eduardus ita respondit: Nostis, domine mi Rex, quod substantia Anglicana fere defecit omnino propter bellum inter Regem & proceres: & mea substantia est nimis tenuis ad tantum negotium in præsentia talis domini peragendum. Cui mox Rex Franciæ sic respondit: Triginta, inquit, millia marcharum bonæ legalisque monetæ tibi accommodabo, vel certæ gratis dabo: tantum meis desideriis acquiesce. Erat Eduardus revera vir grandis staturæ, magnæ probitatis & audaciæ: fortis insuper supra modum. Rex quoque Franciæ reputavit se felicem, si talem comitem obtinere mereretur. Eduardus igitur non minus cupiens tantam profectionem, quam ipse Rex Franciæ, annuit votis suis. Et confestim impignorat Francorum Regi Guasconiam, accipiens ab eo pecuniam necessariam pro itinere Terræ sanctæ: reversusque est in Angliam, ut a patre suo Rege licentiam impetraret. Moxque patrem senem pietas commovit in lacrymas: justo tamen desiderio acquievit, & benedictionem filio suo gratanter impendit, permittens quotquot eum sequi vellent in peregrinationem disponere se ad iter. Hac occasione crucesignatus est, ut præmittitur, a legato.*

V. Eduardus solicitatus a S. Lud. ad profectionem Afiat.

Henricus Angliæ Rex filio crucis induendæ potestatem dat.

Fervebat (*c*) eodem zelo Aragonia, atque ipse Rex se militiæ sacræ adversus Saracenos transmarinos magno terrore accingebat; cum jam præmissa suorum parte, conscenso mari tempestate exorta repulsus est. Qua de re hæc Sanutus monumentis tradit (*d*): *Eodem anno Rex Aragonum ad Terræ sanctæ veniebat succursum, & quarta die valida tempestate exorta pene naufragium passus cum parte stoli rediit; pars vero altera, in qua erant duo ejus filii illegitimi, putans Regem processisse, ad Ptolemaidam usque pervenit. Rex autem pericula maris ac corporis perhorrescens, amplius transfretare noluit. Accidit autem, ut infans Regis prædicti præfatum immediate bellum cerneret, velletque Christianis in auxilium proficisci: fuit tamen illi propter Turcorum multitudinem dissuasum.* Ita irrita cecidit Aragonum in Syriam expeditio; ac præcipue, ut ajunt, meretricis artibus, cujus amoribus Jacobus erat irretitus, ignave sumpta ex tempestate quam erat passus occasione. De quo hæc Bernardus scribit (*e*): *Jacobus Rex Aragonum cum regio apparatu & multitudine pugnatorum mare ingreditur in subsidium Terræ sanctæ: & præmissa parte suorum, ipse reiicitur, ut dictum fuit, consilio mulieris: quem re vera Dominus in suum noluit holocaustum.* Ita Clementis quarti dictum (*f*) verissimum repertum est, cum Jacobo, glorianti se arma sua Crucifixi obsequio consecrasse, respondit Christum ejus obsequio non egere, qui ipsum impudicis voluptatibus in suo corpore crucifigeret. Ad fulciendas vero facilius labentes res Syriacas proceres finitimum Cypri Regem Hugonem ad solium Hierosolymitanum evocarunt, correptaque ab eo Tyri hoc anno insignia regia fuerunt exigua, ut refert Sanutus, (*g*) pompa: XXIV. *die mensis septembris, cum parva, quantum extimo, solemnitate vel cordis lætitia, Hugo Rex Cypri Jerusalem diadema cepit in civitate Tyri.* At Hugoni postea Maria, Regum Hierosolymitanorum stirpe sa-

VI. (*c*) *Continuator Paris. hoc ann.* Jacobus Rex Aragon. in Syriam navigare parat.

(*d*) *Sanut. l.3. p.12. c.9. Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.*

(*e*) *Ber. ubi supr. Surit. l.3. c.74.* Pellicis suasu pium consilium abiicit.

Clementis IV. de eo oraculum.

(*f*) *To.2. ep.292.*

(*g*) *Sanut. l.3. p.12. c.9.* Hugo Rex sceptrum Hierosol. Cypro conjungit.



sata, judicium intendit de ereptis sibi hereditariis juribus: quæ cum contra Sultanum tueri non posset, in Carolum Regem Siciliæ bellica gloria, & viribus florentissimum transfudit; de quo inferius suis locis. Nunc de comparatis subsidiis dicere pergamus. [1]

VII. Sustinere legati apostolici munus in Regum Christianorum castris e Clementis decreto debebat Rodulphus episcopus Albanensis symbolo crucis pontificiis manibus insignitus, ut ruenti Hierosolymitano regno succurreret: sed cum Rodulphus nondum provinciam, in qua legati partes obiturus erat, ingressus esset, vacante sede Cardinales illi injunctam provinciam confirmarunt (*a*).

Rodulfus Card. episc. Albanen.

(*a*) *Ex form. Marin. Ebul. to.1. MS. Vat. pag. 91. ep. 785.*

*Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales; venerabili fratri Rodulpho episc. Albanensi A. S. L. salutem in Domino.*

*Gustato frequenter amaritudinis calice super dilatatis oppressionibus Terræ sanctæ, quam sauciat & lacerat manus Agarenorum impia, madefieri semper avida, sanguine Christiano; ejus deploramus angustias, & per affectum compassionis intimæ secum sui doloris tormenta patimur. Dolemus itaque & incolarum ipsius terræ cruciatu continuo; quibus vix defensionis tutela relinquitur, seu quietis remedium indulgetur; sed potissime circa opprobrium Redemptoris afficimur, cujus hereditatem nationes perversæ diripiunt, diris affligunt molestiis, & hostili feritate conculcant. Talibus quidem Romana ecclesia mater diutius ibidem vexata molestiis, solicitudinibus anxia, & studiis operosa pro juvanda prædicta terra labores subiit varios; & quantum sibi extitit ex alto permissum, manus & mentem ab ejus auxilio non retraxit. Specialiter autem modernis temporibus felicis recordationis dominus Clemens Papa IV. qui prosequi negotium ipsum efficaciter intendebat, primo venerabili fratri nostro Simoni tit. S. Cæciliæ presbytero Card. etiam in regno Franciæ A. S. L. nonnulla, quæ ipsi negotio erant opportuna, commisit: & postmodum vos ad partes Galliæ, ob felicem promotionem ipsius negotii, cum plenæ legationis officio destinavit: committens vobis nihilominus, habita, super hoc deliberatione solemni cum fratribus suis, eorumque intellectis in hac parte consiliis, idem legationis officium in partibus transmarinis; vosque, de suis manibus crucis recepto signaculo, prosecuturi commissum vobis officium in Franciam processistis. Cum autem appropinquet tempus passagii generalis, & legati præsentia sit in eisdem partibus multipliciter opportuna; maxime, ut Christianus exercitus, prout in tam arduo negotio convenit, & alias fieri consuevit, spiritualibus præsidiis adjuvetur; expedit ut legationis officium in dictis partibus transmarinis, juxta datam vobis a Deo gratiam, exequi valeatis. Decentius enim & expeditius esse conspicimus, quod per vos prosecutionem recipiat partium earumdem legatio, cui, sicut præmittitur, semel extitit jam commissa, quam si de novo per nos alii committatur. Et ne apud aliquos revocetur in dubium, an pro eo quod viventi memorato summo Pontifice non fuistis terminos legationis partium prædictarum ingressi; nec de commissione legationis ipsius habuistis ab eadem sede literas speciales, seu alia qualibet ratione dictum officium expirarit, vel quod apud vos non resideat ipsum exercendi potestas; nos in tantæ necessitatis articulo ac populo Christiano auxiliis, desideriis, promptisque conatibus intendentes subvenire salubriter, quantum possumus & debemus, non derogando in aliquo commissioni prædictæ jam, ut supra exprimitur, per eundem summum Pontificem vobis factæ; sed omnem in iis materiam dubitationis, & scrupulum a fidelium mentibus amputare, prout expedit affectando; ad plenam vestræ potestatis evidentiam, præsertim cum ad præsens eadem sede vacante alius non supersit, qui valeat in hujusmodi articulo, prout ipsius exigit necessitas, providere; vobis in dictis partibus transmarinis plenam legationem, ut evellatis & destruatis, dissipetis & disperdatis, ædificetis & plantetis, sicut videbitis expedire, auctoritate præsentium duximus committendum: fraternitatem vestram rogantes, hortantes, & obsecrantes in Domino Jesu Christo, quatenus onus prædictum fiducialiter humeris vestris impositum ad laudem divini nominis, augmentum catholicæ fidei, salutem vestram & prædictæ terræ, ac aliorum Christi fidelium, qui se illius terræ constitueruut & constituunt defensores suscipientes; humiliter illud, constanti animo, & benigna patientia, prout vobis ex legationis officio competit, prosequi studeatis. Speramus enim in illo, cujus auxiliatrix dextera clementer adest agentibus causam ejus, quod ipse, qui personam vestram providentiæ munere, scientiarum magnitudine, circumspectionis & industriæ gra-*

A Clemente creatus legatus in Oriente.

Nondum provinciam vacante sede ingressus.

Confirmatur in eo munere a Cardinalibus.



NOTÆ [1] AD res Palæstinæ quod attinet, addere juvat ex continuatore Gallico Tyrii, male pugnatum hoc anno die mercurii ante Natalem Domini ab equitibus nonnullis cum Ægyptiis Jaffæ. Cum enim equites illi insidias in barbaros tetendissent, tanta subito barbarorum multitudine circumvallati fuerunt, ut ad ducentos trucidarentur. MANSI

*gratia, multisque virtutibus consignivit, prædictis humeris vestris fortitudinis robur adiiciet virtutem, misericorditer faciendo vobiscum, ut præfatum negotium, quod ad suam prosequimini gloriam felicitatis optatæ, suscipiat incrementa, &c.*

VIII. Armatæ acies in aere concurrere visæ a Polonis.

Profectum sequenti anno Rodulphum episcopum Albanensem una cum S. Ludovico & crucesignatis copiis in Africam, visuri sumus. Dum vero ita occidens sacri belli apparatu fremebat, in aere concurrere armatæ acies visæ sunt: ad quod prodigium multorum animus emarcuit. Id vero ostentum sæpius in Polonia hoc anno objectum narrat Longinus (*a*): *Duo exercitus armati & equestres aciebus hostilibus & infestis inter se concurrere, & durum certamen gerere conspecti sunt; quod ne perniciem reipublicæ Polonorum portenderet, a devotis, & religiosis viris Deo omnipotenti supplicationes, & obsecrationes habitæ sunt.* Hæc Longinus, iis similia, quæ in Machabæorum libris ostensa, & a magno Gregorio enarrata, cum Longobardi Italiam invasuri essent, referuntur. Ejusmodi enim ostentis prænuntiare populis calamitates Numen consuevit, ut ad molliendam lacrymis & precibus divinam iram sese comparent; quemadmodum cecinit Psalmographus (*b*): *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus: ut liberentur dilecti tui.* Nec minora prodigia sequenti anno populos exterruisse tradit auctor: in Silesia nimirum Odram & Nissam fluvios tribus diebus cruenta aqua fluxisse, atque in eadem regione æstivo tempore cœlum sanguine pluisse.

(*a*) *Longin. hist. Pol. l. 7.*

Indictæ ad placandum Numen solemnes supplicationes.

(*b*) *Psal. 59.*

Fluvii sanguineis aquis fluere visi.

IX. In Dania exorta jamdiu ante erat controversia inter Christophorum Regem, & Jacobum archiepisc. Lundensem primatem Sueciæ, Petrum episcopum Roskildensem, nonnullosque alios de jure ecclesiastico; quæ magis, Erico ad paternum solium evecto, sub Magaritæ matris Reginæ tutela exarsit; adeo ut ii præsules & clerici, regiæ potentiæ metu perculsi, e Dania ad sedem Apostolicam perfugerint: objurgatus vero Ericus a Clemente IV. violati juris ecclesiastici una cum Regina Margarita sedis ejusdem imperiis parere Christiana demissione in animum induxit, (*c*) ac Nicolaum regii in Dania sigilli præfectum misit, instruxitque auctoritate, ut pontificiæ vel alterius, cui a sede Apostolica arbitri partes forent demandatæ, sententiæ staret, ut e regiis literis patebit.

(*c*) *Ext. apud Greg. an. 3. pag. 468. in ep. 194.*

*Sanctissimo patri ac domino ... sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifici Ericus Dei gratia Danorum Sclavorumque Rex, & dux Estoniæ; ac Margareta Regina mater ejus, cum omni humilitate & obedientia devota pedum oscula beatorum.*

Daniæ Rex sedi Apost. controversias cum prælatis permittit.

*Noverit sanctitas vestra, quod tam nos simul, quam nos Rex prædictus diversa mandata dedimus exhibitoribus præsentium magistro Nicolao cancellario nostro, & Petro Aurisiensi archidiacono circa diversa nostra negotia: & specialiter in causis & negotiis, quæ inter nos & quosdam prælatos & personas ecclesiasticas, videlicet reverendos patres dominos Jacobum Lundensem archiepiscopum, Petrum Roskildensem episcopum, Sacerum præpositum Lundensem, magistrum Ro canonicum Ripensem, & David rectorem ecclesiæ de Ruthe Roskildensis diœcesis vertuntur. Quæ omnia rata & firma habemus, nec de illis aliquod intendimus revocare; sed adiiciendo damus eidem cancellario & archidiacono, & cuilibet illorum in solidum potestatem paciscendi, componendi, compromittendi, cum pœna & sine pœna, prout viderint expedire; & ordinationem subeundi, sive submittendi se nomine nostro præcise ordinationi dicto laudo & arbitrio vestro, seu cujuscumque alterius, cui vos prædicta negotia, seu aliquod ex eis duxeritis committenda; & faciendi eodem nomine in præmissis & circa præmissa quidquid opportunum fuerit de consuetudine vel de jure, seu ipsi vel eorum alter putaverint expedire, etiamsi mandatum exigatur speciale: ratum nos promittentes habituros & firmum quidquid per eos, vel eorum alterum actum, & gestum, procuratum, seu etiam acceptatum fuerit in præmissis, vel aliquo præmissorum. In cujus rei testimonium præsentes literas sigillis nostris fecimus roborari. Datum & actum Nyburch anno Domini MCCLXVIIII. IV. non. aprilis.*

X. Prætermissum est in literarum inscriptione pontificium nomen, cum novi pastoris expectatione orbis penderet: diuturnum vero interpontificio controversiam hanc produxit, (*d*) quæ demum Gregorio X. Ecclesiæ gubernaculis admoto, sedata est. Anno enim hujus sæculi septuagesimo secundo, cum Jacobus Lundensis archiepisc. [1] Urbevetere in pontificia aula ageret, literis publicis professus est se controversum jus ecclesiasticum ecclesiasticorum virorum arbitrio permit-

(*d*) *Ext. ibid. ejus lit.*

NOTÆ [1] CUm hic in Annalibus sermo fiat de Jacobo Lundensi Archiepiscopo, operæ pretium est adnotare Præsulis illius annum emortualem assignari a Chronologis Danis Ludevvigii in Reliq. annum 1274. cui successor datur Erlandus, quo fatis functo, Trugothus anno 1277. assumptus fuit. De Jacobo vero notant Scriptores illi: *In reversione de exilio factum fuisse fratrem Minorem Lundis*. Id vero contigisse inter annum 1273. die S. Mathiæ & diem ejus emortualem intelligimus ex literis Erici regis relatis in Annalibus hic. MANSI.



mittere: qui si inter se dissentirent, res ad summum Pontificem referretur: quod vero ad rem profanam spectaret, communes amicos, tum a se, tum a Rege deligendos, qui litem dirimerent: cæterum sedem Lundensem se repetiturum, si Ericus rescripto tum regio, tum aliorum viginti Daniæ procerum chirographo munito suæ, ac suorum incolumitati caverit: cum iis vero, qui sacerdotia, dum a Lundensi sede aberat, invaserant, ex æquo acturum. His Lundensis archiepiscopi pactionibus assensit Ericus, adjecta hac in literis verborum forma: (*a*) *Nos igitur Ericus Dei gratia Danorum Sclavorumque Rex, & dux Estoniæ huic supradictæ compositioni consentimus, & eam promittimus observare. In cujus rei testimonium præsentibus literis sigillum nostrum duximus apponendum. Datum apud Nikeping an. Dom. MCCLXXIII. in die Mathiæ Apostoli.* Ereptus est paulo post e vivis Jacobus archiepiscop. Lundensis Sueciæ primas, (*b*) ut e Petri episcopi Roskildensis literis Syoburch. x. kalend. junii, ann. a partu Virginis MCCLXXIV. exaratis constat. Hujus vero causa, quæ cum Jacobo archiepiscopo erat conjuncta, æquo dirempta est, omnesque acceptæ injuriæ Regi ab eodem Petro remissæ fuere: de quo subjectæ literæ promulgatæ.

(*a*) *Ext. ibid.*

(*b*) *Ext. ibid.*

*Universis Christi fidelibus præsens scriptum cernentibus Petrus miseratione divina Roskildensis episcopus in vero salutari salutem.*

XI. *Noverint tam præsentes quam futuri, quod anno Domini MCCLXXIV. mense maii omnia, & singula, quæ inter gloriosum principem dominum nostrum Ericum Dei gratia Danorum Sclavorumque Regem, & reverendam matrem ejus, dominam nostram Reginam ex parte una; & nos & ecclesiam nostram Roskildensem ex altera, tam in curia Romana, quam in Regno Daciæ a tempore felicis memoriæ Regis quondam Christophori usque modo movebantur, sedata sunt amicabiliter & sopita, ac finaliter terminata. Propter quod nos prædictos Regem & Reginam illustres super prædictis omnibus & singulis causis & quæstionibus inter nos huc usque motis, ex parte nostra & ecclesiæ nostræ, omnino dimittimus excusatos: & hoc per præsentes literas publice protestamur. In cujus rei testimonium, & evidentiam pleniorem sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Rustandis anno Domini supradicto, die Ascensionis Domini.*

I. Palæologus Græcorum cum Rom. ecclesia controversias S. Lud. permittit.

EXterritus Palæologus anno Christi septuagesimo supra millesimum ducentesimum, indictione tertiadecima, ingenti bellico apparatu S. Ludovici Francorum Regis, ipsiusque fratris Caroli Regis Siciliæ, qui Imperium proferre in Græciam cœperat, potentia, ne conjunctis armis Balduinum, Græcorum schismatis odio, Constantinopoli restituerent; S. Ludovico ad ejurandum Græcorum schisma paratissimum se obtulit. Quippe noverat zelo orthodoxæ fidei propagandæ ardere: eumque omnium controversiarum, quæ in redintegranda ecclesiarum conjunctione occurrerent, arbitrum delegit; meminitque Pachymerius (*a*) de oratoribus ea de causa missis. At Rex sanctus, qui ut cæteros principes reliquis virtutibus, ita demissione Christiana, atque in sedem Apostolicam observantia vincebat, id munus sibi arrogare recusavit: responditque Græcorum Imperatori, preces suas ad sedem Apostolicam, ut in Ecclesiæ gremium admitteretur, adhibiturum. Optabat enim (quod antea vidimus agitatum) ut Palæologus novo astrictus fœdere Græcorum arma in Saracenos converteret. Tum ejus oratores ad Cardinalium collegium dimisit. Quibus exceptis senatus sacer S. Ludovico amplissimas grates ob navatam operam in revocandis ad Ecclesiæ obsequium schismaticis egit (*b*).

(a) Pachym. hist. Græc. l. 5.

Is rem totam ad Cardinales refert.

(b) Ext. cor. lit. in form. Mar. Ebul. pag. 91.

*Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. Cardinales, Ludovico illustri Regi Franciæ, &c.*

II. Actæ illi a Cardinalibus gratiæ.

*Licet necessarium non credamus, vos de ingenti utilitate tanti negotii admonere, vel excitare ad ejus promotionem regiæ pietatis affectum, cum illum fervere noverimus circa ista; quia tamen ad felicem ejusdem negotii consummationem, per quam inveterati schismatis semina omnino tollantur, & redintegretur corpus Ecclesiæ, per illud tanto membro, eorumdem videlicet Græcorum Imperio, tam longis & deflendis temporibus mutilatum; præcordiis totis afficimur, & ad eam plenis desideriis suspiramus; serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum suadentes, quatenus utilitates innumeras, & præcipue animarum salutem, ex hujusmodi negotio, Deo auspice proventuras, pia meditatione pensantes; nec non attendentes solicite, quod circa illud, quamquam frequenti repetitione tentatum, pro eo quod, sicut eventus indicat, dicti Græci non in veritatis simplicitate in illo procedere, sed tempus deducere in cautelis & simultatibus intendebant, frustrata longæ deductionis ambagibus sæpefatæ sedis intentio ad optatum exitum non pervenit; memorato legato, sicut per easdem nostras literas directas ad ipsum videre poteritis, dicti negotii executio ad vestræ petitionis instantiam demandatur, si annuente Domino forsan appareat dictos Græcos efficaciter velle procedere in præmissis, vestræ cooperationis suffragium in directione & prosecutione ipsius negotii exhibentes, ad evitandum consuetæ simultatis insidias, & idem negotium securitatibus & cautelis accommodis roborandum; divinæ retributionis intuitu, & ob reverentiam sedis ejusdem sic solicite intendatis quod vitatis scissuræ antiquatæ dispendiis, & fidei, charitatis, & obedientiæ unitate Latinis & Græcis memoratis unitis; eandem Ecclesiam suis redintegratam partibus, & solida membrorum suorum restitutione firmatam, in iis verisimiliter timere non oporteat ulterius recidivum, vestraque devotio illi exinde reddatur acceptior: & cujus in veritate res geritur, quique labores vestros, quos pro servitio sibi tam grato & accepto subibitis, in retributione justorum inæstimabili munificentia compensabit. Dat. Viterbii id. maii anno Domini* MCCLXX. *Apostolica sede vacante.*

Certior fit de præteritis Græcorum ludificationibus.

Caveat sibi ab eorum artibus.

III. Demandata legato Apost. provincia ut Græcos conciliet Ecclesiæ.

(c) Ext. ib.

Perducendæ igitur in opus orientalis ecclesiæ conjunctionis, (*c*) quam Græci urgebant, cupidi Cardinales, Rodulphum A. S. L. in S. Ludovici castris certiorem factum de omnibus, quæ sub Urbano IV. & Clemente IV. ab apostolicis apocrisariis gesta essent cum Græcis, auctoritate ad rem cum iis componendam instruxerunt.

*Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales venerabili fratri episcopo Albanensi A. S. L.*

Collata in S. Lud. a Cardinalibus elogia.

*Inter cætera, quæ in excellenti & Christianissimo Domino principe domino Ludovico Rege Francorum illustri dignis in Domino laudibus attollenda recti judicii censura dijudicat, singularem ipsius zelum ad incrementa fidei orthodoxæ considerationis oculis intuentes, in vocem exultationis & confessionis erumpimus; & exultantes in Domino, ac ejus beneficia confitentes, ipsi super hoc vitulum labiorum exolvimus, a quo dicto Regi credimus pia miseratione concessum, ut & alias affluenter charitatis ubera in opera pietatis effundat; & pro defensione ipsius fidei, quasi abnegans semetipsum, ad id se, suos, & sua promptitudine spontanea exponendo, sic illius specialem se exhibeat defensorem & in ejus dilatatione ministrum, quod laudabilium evidentia operum satagit eidem fidei non solum filios ab initio*



*alienos venire, sed & per erroris devium alienatos ab ipsa suæ solicitudinis studio ad ejus reducere unitatem, sicut Terræ sanctæ negotium auspiciis, Deo auctore, felicibus per eundem tam potenter assumptum, & porrecta nobis ex ipsius parte super Græcorum reconciliatione petitio liquido protestantur. Nuper siquidem nobis præfatus Rex, religiosis viris fratribus Eustachio de Atrebato & Lamberto de Cultura ordinis fratrum Minorum suis nunciis, & literis ad nostram præsentiam destinatis, exposuit, quod magnificus vir Palæologus eorundem Græcorum Imperator illustris per apocrisarios & literas eidem Regi exposuit, quod ipse, clerus, & populus suæ ditioni subjecti, desiderantes ad obedientiam ecclesiæ Romanæ redire, ipsique in ejusdem fidei professione uniri; varios super hoc nuncios & literas ad sedem Apostolicam destinarant, quorum etiam aliqui in via detenti non pervenerant ad eandem, & frequenter, ac humiliter ad hæc postularant admitti, nec adhuc eorum circa id fuerat desideriis satisfactum; & apud eundem Regem super hoc multiplicatis nunciis & literis institit, deposcens instanter, ut ipse Rex in tam pio & utili negotio, arbitri partes assumens, ad ipsius consummationem solicita intenderet pietate. Ipse namque Imperator, ut suis verbis, prout nobis referuntur, utamur, se velle Regem eundem arbitrum in hoc constituere asserens, promittebat quicquid idem Rex super hoc diceret, se plene ac inviolabiliter observaturum. Et ut circa hoc suum magis ostenderet dictus Imperator affectum; prædictum Regem adjurabat per aspersionem sanguinis Jesu Christi, quod nequaquam assumere onus hujusmodi recusaret: & si secus faceret, ad summum judicem, ut ipse Rex in extremo judicio coram eo de hoc rationem redderet, appellabat. Propter quod memoratus Rex solitum prosequens ad ejusdem fidei augmenta propositum, & ad præfatam Romanam ecclesiam consuetæ non omittens devotionis affectum; sed prudenter attendens, ac humiliter cognoscens, quod suum non erat tale in eodem negotio, quod specialiter pertinere dignoscitur ad ejusdem sedis examen, etiam ad ipsius Imperatoris instantiam officium usurpare; consulte respondit, quod in eodem negotio, hujusmodi partes nequaquam assumeret; sed pro ipsius salubri consummatione apud eandem sedem, ad quam id pertinet, libenter instaret. Ne itaque negotium, cujus expeditio, si eam concedet Altissimus, tot animarum descriminibus obviat, eisque viam aperit ad salutem, in prosecutione defectum aliquem patiatur, a nobis; quibus eadem nunc sede vacante, cum alius, qui hoc possit tempore vacationis hujus non superest, spectat in talibus providere; humiliter per eosdem nuncios suos postulavit, ut negotii executionem ejusdem solicitudini vestræ committere curaremus.*

In causis fidei Reges etsi sanctissimi, judices esse non possunt.

Nonnulliisque interjectis, quibus Cardinali Radulpho exponunt omnia, quæ ab apostolicis apocrisariis, ab Urbano IV. & Clemente IV. missis cum Palæologo & Græcis fuere agitata, subiiciunt.

IV. Decernunt Cardd. ut Græci præscriptam ab Urb. & Clem. fidei professionem edant.

*Quocirca debita meditatione pensantes tam salubre negotium, tam utiliter, tamque perpenso consilio, & exacta maturitate dispositum non immutatione, sed prosecutione potius indigere; instantiæ memorati Regis Francorum, in votiva admodum expeditione ipsius negotii nostris desideriis concurrentes, consensu prompto concurrimus; & præmissa vobis ad plenioris instructionis auxilium seriosius exponentes, executionem prædicti negotii fraternitati vestræ præsentium tenore committimus, ut in ipso juxta præmissarum ejusdem domini Papæ Clementis literarum tenorem; quem vobis sub sigillis nostris de verbo ad verbum sine immutatione aliqua destinamus; secundum datam vobis a Deo prudentiam procedentes, Imperatorem, clerum, & populum memoratos ad ejusdem fidei orthodoxæ professionem & acceptandam, & recipiendum ipsius ecclesiæ Romanæ primatum juxta subscriptam formam, idoneis securitatibus & cautelis adhibitis, admittatis. Volumus siquidem quod in concilio de Græcis generaliter congregando, memoratus Imperator, patriarcha Græcorum, archiepiscopi, episcopi, archimandritæ, abbates, & alii ecclesiarum prælati, clerus & populus suprædicti eandem fidei veritatem & primatum ecclesiæ Romanæ, juxta seriem in præmissis literis ejusdem domini Papæ Clementis expressam; plene ac seriose lectam, & expositam fideliter, explicite, ac aperte hoc modo recognoscant, acceptent, & profiteantur, præstito juramento.*

V. Proposita Græcis sacramenti formula.

*Ego.. Græcorum Imperator suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est & fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cognosco: eam accepto, & corde ac ore profiteor, ipsamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, me inviolabiliter servaturum & in ea omni tempore perseveraturum; nec ab ea ullo unquam tempore recessurum quoquo modo, deviaturum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Rom. ecclesiæ, prout in promissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens, fateor, recognosco, accepto, ac sponte suscipio: & me omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa ejusdem ecclesiæ Romanæ primatum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observationem, præstito corporaliter juramento, promit-*

*mitto & confirmo. Sic me Deus adiuvet, & hæc sancta Dei evangelia. Quod si contra hæc aliquid sentire, confiteri, aut alias agere præsumpsero, me schismaticum & anathematizatum eo ipso recognosco, ac severitati sacrorum canonum subjacere. Huic autem præscripto de mea recognitione, acceptatione, professione, susceptione, promissione, ac juramenti præstatione sponte mea facto, lecto & perlecto sponte subscripsi, & sigillum meum apponi feci.*

Quæ sint a Clero Græco exigenda.

*Porro a prælatis erunt prædicta & alia exigenda, videlicet ut & manualem obedientiam & reverentiam exhibeant, & se ab illa nullo unquam tempore recessuros præstito juramento promittant: & nihilominus in eorum promissione veniat, quod nec contra suam professionem aliquid publice prædicare, aut occulte suadere præsumant: adiiciendis nihilominus vestra solicitudine in omnibus professionibus, quas fieri continget, aliis idoneis securitatibus & cautelis, quas vobis facti circumstantiæ suggerent, exigendas. Cæterum ad faciliorem & plenioremconsummationem prædictorum expedire putamus, ut per singula loca insignia illarum partium personas idoneas destinetis*, (missos quidem ea de causa per omnia Græciæ loca insignia viros religiosos refert Surita (*a*) in suis indicibus,) *per quas professiones similes in locis eisdem cum solemnitate, ac observatione simili admittantur. De hujusmodi autem professionibus fient publica instrumenta, multiplicanda in varia omnino similia, & sigillanda sigillis autenticarum personarum, quas contigerit esse præsentes, ut aliqua penes vos retinere, nonnulla possitis deponere, si & prout videritis expedire; & alia per diversos nuncios propter inopinatos casuum fortuitorum eventus ad sedem Apostolicam, ut in ejus conserventur archivo, cum cautela & diligentia omnimode remittatis. Et ut quanto solemnius & salubrius est negotium, tanto in eo studiosius & diligentius procedatur, vestris volumus cura & studio provideri, ut in cathedralibus & aliis solemnibus ecclesiis & monasteriis locorum, in quibus professiones eædem * in libris autenticis redigantur in scriptis; ut in faturum conservent rei gestæ memoriam, & ipsius recentem posteris notitiam repræsentent, diligentius conservandæ. Dat. Viterbii id. maii anno Domini* MCCLXX. *Apost. sede vacante.*

(a) Sur. ind. l. hoc ann.

Edenda a prælatis fidei professio in publicas tabulas referri jussa.

* fient.

Exaratæ hæ literæ videntur, antequam mare ad debellandos Saracenos conscenderet. Cujus profectionem describens Nangius (*b*), ait S. Regem navibus jam in portu aquarum mortuarum instructis, una cum filiis, ac proceribus ad S. Dionysium patronum suum e veteri Regum more accessisse; multisque precibus beatis martyribus Dionysio, Rustico, & Eleutherio porrectis, ex altari S. Dionysii, ad quem Vulcassini comitatus quem Francorum Reges fiduciario titulo ab ea ecclesia accepere, vexillum signiferi jure, ut Vulcassini comites suscipere erant soliti, cum pera & baculo peregrinationis extulisse. Tum de singulari ejus animi Christiana demissione erga viros religiosos hæc prodidit: *Ad capitulum monachorum illius ecclesiæ perveniens, ipsorum pro se & filiis suis orationum suffragia petiturus, tam humiliter cum ipsis in capitulo resedit, quod nec locum ubi pueri soliti sunt sedere, ut de loco abbatis & cæterorum monachorum taceam; sed gradum inferiorem de sex gradibus, per quos ad abbatis sedem ascenditur, sibi elegit: totumque regnum Franciæ martyris Dionysii protectioni deputans, cum lacrymarum fluminibus tam nobilium quam populi circumstantis, prius sancti Clavi, & Coronæ benedictione percepta, ab ecclesia est egressus.* Subdit, inito itinere Hierosolimitano, sequenti die uxorem Margaritam in Vicenarum nemore, in suspiria & lacrymis solutam, reliquisse.

(b) Nang. de gestis S. Lud.

S. Ludovici regno discessuri ad sanctos supplicatio.

Vexillum accipit.

Singularis in tanto Rege demissio.

Cum jam navim conscensurus esset, ad filios Philippum, Joannem, & Petrum conversus, ac majorem natu præcipue compellans, læto vultu gravissima hæc præcepta dedit, quæ vitæ auctor apud Surium refert (*c*): *Vide fili, ut ego jam grandævus secundo hoc iter capessam, quando jam etiam Regina mater tua provecta ætate est, & nos regnum nostrum, faventeDeo, absque ulla perturbatione obtinemus; divitiis, deliciis, & honoribus quantum fas est affluentes. Vide, inquam, ut Christi & Ecclesiæ ejus causa non parcam senectuti meæ, nec me flectat desolatio matris tuæ: delicias & honores contemnam, opesque meas pro Christo impendam. Videt ut te & fratres tuos & sororem primogenitam mecum ducam, simul etiam quartum filium ducturus si aliquanto maturiori esset ætate. Hæc vero idcirco te audire volui, ut cum post obitum meum ad regnum pertigeris, pro Christo & Ecclesia atque fide tuenda nulli rei parcas: non uxori, non liberis, non regno. Volui enim & tibi & fratribus tuis de meipso præbere exemplum, ut si res postulet, vos similiter faciatis.* Ingressus mare kalendis martii, atque alto invectus cum esset, tempestate classis jactata est: ac maxima cum difficultate ad Calaritanum Sardiniæ portum appulit, ut fessum procella militem reficeret. Ubi parum humaniter exceptus est, cum incolæ cibos nonnisi maximo pretio distraherent; unde efferati plerique eum locum evertere vindictæ cupiditate ardebant: quos sanctus Rex repressit.

VI.

(c) Sur. in vit. S. Lud. to. 4. die 25. aug.

Salubria ab ipso filiis data monita.

Tempestate jactatur.

Appellit in Sardiniam.

Suorum in Sardos iras mulcet.

Dum in eo portu consistebat: Rex Navarræ, Alfonsus Pictaviæ & Guido Flan-

VII.



(*a*) Flandriæ comites, Joannes major natu comitis Britanniæ, aliique proceres applicuerunt; ac militare consilium agitarunt, quo dirigere cursum satius videretur. Decretum est primum Tunetum aggredi, cum ex ejus portu sævissimi piratæ toto mari excurrerent, & Christianis in terram sanctam contendentibus gravissima damna infligere solerent. Impellebat S. Ludovicum alia ratio, ut Tunetanum Regem ad suscipiendum baptismum adduceret: miserat enim ille in Gallias plures oratores, Regique significarat gerere se in votis Christiana sacra amplecti, si honesta se daret occasio; atque periculum, quod sibi a Saracenis imminebat, declinare posset. Sed de his Gaufridum e Bello loco differentem audiamus: *Nacta*, inquit, (*b*) *opportunitate, iter cum suis aggrediens, & statuto tempore ad portum aquarum mortuarum perveniens, multa tædia atque mœstitias ibidem perpessus est propter deceptionem natuarum, & defectum navium, quæ statuto tempore & promisso non fuerant præparatæ: ita quod navem ascendit multo tardius quam credebat, cunctis* (*c*) *navibus quæ adesse poterant commode ante Sardiniam, sicut conditum fuerat, congregatis. Et venientibus cunctis majoribus exercitus coram Rege, habitum est commune consilium, & confirmatum, quod prius irent ad expugnandum regnum Tunicii, antequam in Terram sanctam sive in Ægyptum transirent. Rationes autem, quæ dominum Regem ad hoc plurimum induxerant, ad præsens, sicut credimus, expedit assignare propter admirationem & murmurationem multorum, quibus potius videbatur quod recto itinere ad succursum Terræ sanctæ transire debuisset. Siquidem* (*d*) *antequam dominus Rex hanc crucem ultimam assumpsisset, multos nuncios receperat a Rege Tunicii: & similiter Rex noster plures nuncios remiserat ad eundem. Dabatur enim sibi a fide dignis intelligi, quod dictus Rex Tunicii bonam voluntatem ad fidem Christianam haberet, & valde de facili posset fieri Christianus: dummodo occasionem honorabilem inveniret, & quod salvo honore suo & absque metu Saracenorum suorum hoc complere valeret. Unde Rex catholicus cum multo desiderio quandoque dicebat: O si posem videre, quod fierem tanti filioli compater & patrinus! Et ob hoc sub spe ista aliquando voluit se transferre versus partes Carcassonæ & Narbonæ, quasi terram suam visitaturus, ut si dicto Regi Dominus inspiraret perficere quod proposuerat de suscipiendo baptismo, huic pio operi propinquior esse posset.*

(*a*) Meyer. annal. l. 5. hoc anno in Margareta Constantinop.

De Tunetano regno invadendo init consilium.

Quæ causæ S. Reg. permoverint.

(*b*) Gaufr. e Bello loco in vita S. Lud. c. 39.

(*c*) Id. ib. c. 40.

(*d*) Ib. c. 41.

Præfetulerat Tunetanus suscipiendi baptismi desiderium.

Quanto arderet zelo S. Ludovicus illius convertendi.

VIII.

*Hic non silendum arbitror, quod cum in ipso anno, quo pius Rex debuit ultimo transfretare, Rex Tunicii misisset ad eum solemnes nuntios; & in festo B. Dionysii Rex faceret quemdam Judæum famosum in ipsa ecclesia dicti B. Dionysii solemniter baptizari, ita quod Rex ipse cum multis magnatibus ipsum de sacro fonte levaret; voluit quod dicti nuncii Regis Tunicii solemnitati illius baptismatis interessent. Quibus Rex vocatis ex magno affectu dixit: Dicite ex parte mea domino vestro Regi, quod ego tam vehementer salutem animæ ipsius desidero, quod vellem esse in carcere Saracenorum omnibus diebus vitæ meæ, ibidem claritatem solis non visurus de cætero, dummodo Rex vester & gens sua ex vero corde fierent Christiani. O vere fidelis sermo & omni acceptione dignus! O verbum plane catholicum, perfectione fidei & charitatis refertum! Desiderabat quoque devotissime Rex catholicus, ut Christiana fides, quæ tempore B. Augustini & aliorum orthodoxorum doctorum in Africa, & maxime apud Carthaginem, tam ab antiquo eleganter floruerat, nostris temporibus reflorescceret, & dilataretur ad honorem & gloriam Jesu Christi.*

*Cogitavit itaque, quod si tantus exercitus, tamque famosus apud Tunicium subito applicaret, dictus Rex Tunicii vix posset apud Saracenos suos tam rationabilem occasionem habere suscipiendi baptismum: videlicet ut per hoc posset mortem evadere tam sui ipsius, quam eorum qui secum vellent fieri Christiani: & sic etiam regnum suum sibi pacifice remaneret. Præterea Regi dabatur intelligi, quod si omnino prædictus Rex nollet fieri Christianus, civitas Tunicii erat valde facilis ad capiendum; & per consequens tota terra. Suggerebatur insuper Regi, quod civitas illa plena erat argento & auro, ac divitiis infinitis: utpote quæ a multis retro temporibus a nullo fuerat expugnata. Unde sperabatur, quod si, Deo volente, dicta civitas a Christiano exercitu, caperetur, ex thesauris ibidem inventis posset acquisitioni & restaurationi Terræ sanctæ multum efficaciter subveniri. Cæterum cum de terra Tunicii venire soleret magnum subsidium soldano Babyloniæ tam in equitaturis, quam in armis & bellatoribus in gravamen & nocumentum plurimum Terræ sanctæ; crediderunt barones nostri, quod si pestifera radix illa Tunicii posset penitus extirpari, ex hoc Terræ sanctæ & toti Christianitati utilitas maxima proveniret. Cum igitur scriptum sit, quod ubi unum propter alterum, ibi tantum alterum unum, cum via apud Tunicium proprie aggressa fuerit ad honorem Christiani nominis ampliandum; & specialiter ad Terræ sanctæ utilitatem, & faciliorem succursum; non videtur via apud Tunicium contraria voto crucis, sed potius una & eadem: utpote quoddam adminiculum & præ-*

IX.

Conceptæ de eo spes.

E Tuneti expugnatione rei christianæ amplificatio pendere visa.

Si exitus consilio non responderit, cui res adscribenda sit.

*& præparatio ad Terram sanctam citius & commodius restaurandam. Propter has & quasdam alias rationes viam apud Tunicium aggressi sunt. Quod si aliter de via illa successit, quam a fidelibus speraretur, peccatis nostris, atque nobis occulto Dei judicio debemus potius imputare.*

X. Carthago primo impetu capta. (a) Caufr. c.42. 43. in vit. S. Lud. & Jord. MS. vat. bibl. sig. n. 1960. Variæ barbarorum fraudes.

Velis igitur factis, in Africam classis invehitur: exscensioneque facta, Carthago alterius celebratissimæ Carthaginis ruinis imposita, levi conatu in Christianorum potestatem redigitur. (a) Inde ad cingendum obsidione Tunetum, quindecim milliaribus dissitum, Christianus exercitus incumbit. Tentavit barbarus variis artibus crucesignatorum impetus eludere; emisitque in primis duos Cathalanos nobiles, qui Regi denuntiarent omnes Christianos, quorum maxima vis erat, in carceres retrusisse, omnesque trucidaturum, si bello peteretur: si vero crucesignatus exercitus Tunetano regno facesseret, redditurum libertati. Dein submissi sunt Saraceni, qui fingerent se Christiana sacra expetere: quibus cum Joannes de Accon fidem temere adhibuisset, illi impetum in ipsum ac socios fecere, summaque perfidia nonnullos cæcidere: unde postea majori prudentia in admittendis perfugis cautione uti didicerunt. Contraxit ingentes copias barbarus, ac levibus velitationibus nostros lacessere cœperunt, qui generose ipsorum impetus propulsavere: tardius tamen circa Tuneti expugnationem actum est, cum Rex sanctus in urbem non assilire decrevisset, nisi Rex, Carolus frater una cum validissima, quam compararat, classe pervenisset. Interea ex aquæ dulcis inopia, commeatuum corruptione, aerisque intemperie, contagio exercitum Christianum invasit: ac primum in ignobiles grassari: deinde proceres infecit. Augebant malum Sarraceni, qui quoties ventus validior afflaret, magnum equorum numerum in altos arenæ montes adducebant, eosque agitabant, ut sparsa equorum pedibus arena elata, atque impulsa vento nostrorum castra aspergeret, unde aerem non leviter inquinari contingebat, ut refert Joannes Villanus. (b) E nobilitate primus Joannes Tristanus Nivernensis comes S. Ludovici filius, morbo correptus, e vivis discessit: adeptus id nomen erat ex patris calamitate, cum eo anno quo ab Ægyptiis sanctus Rex in servitutem abductus fuerat, in vitales auras editus fuisset. Dein Radulphus (c) Cardinalis legatus episcopus Albanensis, de quo nos plura antea, occubuit: quodque ingentem luctum omnibus attulit, ipse S. Ludovicus lethali morbo correptus est. De hac Tunetana expeditione, a S Ludovico suscepta; ac lue in nostrorum castris grassata, meminit Pachymerius: (d) eamque ob relicta inhumata corpora au-

Commeatuum inopia contagio in castris exorta. Barbarorum artes ad malum augendum. (b) Jo. Vill. l. 7. c. 37. Crebra nostrorum funera. Joannis Tristanni. Et Radulphi Card. A. S. L. (c) Albert. Argent. in ann. 1273. S. Ludovici ægritudo. (d) Pachym. hist. Græc. lib. 5.

ctam observat, dum ait a Palæologo Imperatore carthophylacem Beccum & archidiaconum Meliteniotem (viros nimirum catholicos) ad Regem Francorum missos, ut Carolum fratrem Regem Siciliæ ab inferendo Constantinopoli bello averteret: sancto vero Rege (quem recti observantissimum fuisse schismaticus auctor testatur) morbo oppresso, consilia, ob quæ venerant, discussa: ea porro de orientali ecclesia, interprete ipso S. Ludovico, ad sedis Apostolicæ obsequium revocanda fuisse, e superioribus Cardinalium literis colligi posse videtur. Cæterum piissimus Rex tam præclari operis præmia in cœlo brevi relaturus, divinæ providentiæ suam accommodans voluntatem, in divinis laudibus totum morbi tempus consumebat, ut Navarræ Rex, qui aderat, ad Tusculanum episcopum Cardinalem postea scripsit. Cui alii fide dignissimi viri, qui aderant, ut Guillelmus Carnotensis, & Gaufridus e Bello loco consentiunt, e quorum postremo historiæ veritatem petemus.

Accedunt ad ipsum in Tunetanis castris Græcorum oratores. Cur is tractatus intermissus.

XI. *Post modicum autem*, inquit (e), *in dictis castris ipsemet piæ ac præclaræ recordationis Rex, Deo dilectus & hominibus gratiosus; post tot laudabilia fidei & charitatis opera; post tot laboriosos agones, quos pro fide & Ecclesiæ dilatatione fideliter ac ferventer & indefesso animo toleravit; disponente Domino, qui labores illius voluit feliciter consummare, & ipsi bonorum laborum suorum fructum retribuere gloriosum; febre continua infirmatus lecto decubuit. Et invalescente morbo, omnia ecclesiastica sacramenta Christianissime & devotissime suscepit, sana mente & integro intellectu: ita quod cum ipsi sacramentum extremæ unctionis exhiberemus, & dicerentur septem psalmi cum litania; ipse in psalmis versus dicebat; & in litania, sanctos nominans, eorum suffragia devotissime invocabat. Cum autem jam signis evidentibus appropinquaret ad finem, de nullo erat solicitus, nisi de iis, quæ ad solum Deum & exaltationem fidei Christianæ proprie pertinebant: ita quod, cum jam non nisi submisse & cum gravamine loqui posset, nobis adstantibus & ad verba ejus aurem adhibentibus, vir Deo plenus & vere catholicus dicebat: Pro Deo studeamus quomodo fides catholica possit apud Tunicium prædicari, & plantari. O quis esset idoneus ut mitteretur ibi ad prædicandum! Et nominabat quemdam fratrem ordinis Prædicatorum, qui alias illuc iverat, & Regi Tunicii notus erat.*

(e) Gaufr. e Bello loc. in vit. S. Lud. c. 44.

Pie ecclesiastica sacramenta excipit S. Ludov.

XII. *Ecce qualiter verus Dei cultor, & fidei Christianæ constans zelator beatam vitam suam in confessione veræ fidei consummavit. Cum autem virtus corporis ejus atque sermonis paulatim deficeret, non cessabat tamen sanctorum sibi devotorum, sicut*



*eniti loquendo poterat, suffragia postulare: maxime autem beati Dionysii, specialis patroni regni sui; unde in statu illo cum quodam susurro ipsum pluries replicantem audivimus finem illius orationis, quæ de B. Dionysio canitur, scilicet: Tribue nobis quæsumus Domine prospera mundi pro amore tuo despicere, & nulla ejus adversa formidare. Et hæc verba multoties iterebat. Similiter principium orationis de S. Jacobo Apostolo: Esto Domine plebis tuæ sanctificator & custos; pluries replicabat: & de aliis sanctis devotam memoriam faciebat. Ad extremam igitur horam veniens Christi servus, super stratum cinere respersum in modum crucis recubans, felicem spiritum reddidit Creatori: ea scilicet hora, qua Dei Filius pro mundi vita in cruce moriens expiravit.*

Suos Deo ardentissime commendat.

XIII. *Sane super obitu tam Christiano, tamque felici & pium est flere, & pium est gaudere. Pium quidem & congruum est flere pro jactura & desolatione universalis matris Ecclesiæ, cujus erat devotissimus cultor & indefessus defensor. Specialiter autem plangendum & dolendum toti Francorum regno, cui merito tanto & tam excellenti principe erat singulariter gloriandum. Sed nihilominus, si rationem vis doloris admittat, gaudendum potius quam dolendum tum propter modum Christianissimum mortis ejus: tum quia de ipso certa ab omnibus, vitam ipsius gloriosum & actus sanctissimos agnoscentibus, spes habetur, quod jam de temporalis regni cura sit translatus ad cœlestis regni jucundam curiam, quæ curæ terrestris extat penitus aliena: ubi cum electis Dei regnans in perpetuum beata requie perfruitur sine fine. Migravit autem ad Dominum in crastino B. Bartholomæi Apostoli circa nonam anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo.* (a) Hactenus Gaufridus e Bello loco, qui etiam tradit sanctum Regem, cognita quasi cœlitus imminente morte, successoribus sceptri Gallici saluberrima documenta (b) testamenti vice proposuisse: ac sermone Gallico, antequam morbo hoc lethali implicitus foret, in charta descripsisse: quæ Latinis hisce verbis donata adducit.

Felix ejus obitus. Documenta posteris testamenti vice relicta. (a) Gaufr. c. 14. (b) Ext. apud eund. c. 15. Nang. de gestis S. Lud. Sur. in vit. ejusd. sancti 25. die aug. Gaguin. hist. Fran. in S. Lud. & alii.

XIV. *Fili charissime*, Philippum regni heredem alloquitur, *in primis te doceo, quod Dominum Deum tuum diligas ex toto corde tuo, & ex tota virtute tua: nam sine hoc non est salus. Fili debes te custodire ab omnibus quæ Deo noveris displicere, videlicet ab omni mortali peccato: ita quod prius deberes, te permittere omni genere martyrii cruciari, quam aliquod mortale peccatum committere. Præterea si Dominus tibi aliquam tribulationem habere permiserit, benigne & cum gratiarum actione debes sustinere, cogitans quod ad bonum tuum proveniat, & quod hoc forsitan bene meruisti. Insuper si Dominus tibi prosperitatem quamcumque contulerit, debes ei humiliter regratiari, cavens ne inde fias deterior sive per vanam gloriam, sive quocumque alio modo: quia non debes Deum impugnare vel offendere de donis suis. Item moneo te frequenter confiteri: & quod discretos & honestos tibi eligas confessores, qui te sciant docere, a quibus tibi sit cavendum, & quæ te facere sit necesse. Et tu ad confessores tuos te habeas tam modeste, quod ipsi & amice te, & secure reprehendere audeant. Libenter etiam & devote audias officium Ecclesiæ: & quamdiu eris in ecclesia, cave ne vage circumspicias, nec vana loquaris: sed ora Dominum devote sive ore, sive cordis meditatione: & specialiter amplius intendas devotioni in secreto missæ circa horam consecrationis corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.*

De ferendis adversis.

Fundendis inter divina precibus.

XV. *Cor habeas pietatis ad pauperes, miseros, & afflictos: & secundum posse tuum eis subvenias, & eos consoleris. Si habueris aliquam cordis desolationem, dic eam confessori tuo, vel alicui probo viro: & tunc eam levius feres. Diligas habere semper tecum societatem bonorum sive religiosorum, sive sæcularium; & habe frequenter colloquium cum eis: & cave societatem pravorum. Audi libenter sermones tam in aperto, quam in secreto: & libenter tibi procures indulgentias matris nostræ sanctæ Ecclesiæ. In proximis semper diligas bonum, & odias malum. Noli pati dici coram te verbum allectivum ad peccatum, nec verbum detractorium de alio: maxime autem nullum verbum blasphemiæ de Deo, sive de sanctis patiaris dici ab aliquo: quin vindictam de eo fieri facias. De omnibus beneficiis tuis tibi a Deo collatis sic gratias agas illi, ut sis dignus majora accipere. Erga subditos tuos ita juste te habeas, quod lineam justitiæ teneas, non declinans ad dexteram neque ad sinistram: & semper plus te teneas ex parte pauperis, quam divitis, donec sit certus de veritate. Si quis autem contra te querelam habuerit, stes potius pro causa adversarii tui, donec constet tibi de veritate: & sic illi qui sunt de consilio tuo citius stabunt pro justia. Si pro certo intelligas, quod teneas aliquid de alieno, sive ab antecessoribus tuis, sive a tempore tuo, statim restitue. Si res obscura est, veritatem inquiri facias per discretos.*

Exercenda misericordia.

Complectendis religiosis viris.

Blasphemis infectandis.

Administranda justitia.

Restituendis alienis

XVI. *Sic diligens, quod omnes subditi tui * justitia & pace serventur: maxime autem personæ ecclesiasticæ, ac religiosæ. Dicitur de Rege Philippo avo nostro, quod quidam de consiliariis suis dixit ei, quod clerici multa damna inferebant ei, jura ipsius usurpando; & mirabantur multi quod ita tolerabat. Cui Rex respondit: Bene credo quod dicis: sed quando cogito bene-*

Expianda conscientia.

* in Fovendis ecclesiasticis. Acta & pia Philippi Augusti sententia.

*neficia, quæ mihi Dominus contulit, melius volo pati, quam inter me & Ecclesiam scandalum suscitare. Ama igitur, o fili, personas ecclesiasticas: serva pacem earum quantum poteris: Libenter subveni pauperibus religiosis in suis necessitatibus: & maxime illis per quos Deus magis honoratur in terra. Honora parentes tuos, & reverenter serva mandata eorum. Beneficia ecclesiastica personis idoneis dona de consilio spiritualium virorum: & eis qui non habent aliud beneficium.*

XVII. Insigne de bellis movendis monitum.

*Cave ne absque maximo consilio guerram primus moveas contra aliquem Christianum: & si oporteat fieri, fac caveri ne innocentes, & ecclesiæ, ac res earum sine merito puniantur: & quam citius poteris pacifica de guerris & contentionibus tuis, & de guerris quæ sunt inter subditos tuos: sicut fecit B. Martinus, qui bonam virtutum suarum consummationem existimavit, si pacem inter discordantes restituisset. Sis solicitus, quod habeas fideles præpositos & baillivos, & inquire diligenter quomodo se gerant: similiter de illis de hospitio tuo. Sis devotus & obediens matri nostræ Romanæ ecclesiæ, & summo Pontifici tamquam patri spirituali.*

Excindendis hæresibus.

*Labora quod omne peccatum de terra tua removeatur: maxime autem blasphemiæ, & hæreses. Memoriter recognosce, & regratiare Deo super omnibus beneficiis suis. Attende quod expensæ domus tuæ cum moderamine fiant.*

Commendat filio ut sacris suffragiis ipsum moriturum levet.

*In fine obsecro te, o fili, quod si decedam ante te, quod tu fideliter animam meam juvari facias in missis & orationibus; & mittas per sanctas congregationes regni nostri ad orationum suffragia impetranda pro me; & quod in omnibus bonis, quæ facturus es, participationem habeam specialem. O fili charissime, in fine do tibi omnem benedictionem, quam pius pater potest donare filio. Et tota Trinitas, & omnes sancti custodiant te ab omni malo. Et det tibi Dominus gratiam faciendi suam voluntatem taliter, quod serviatur & honoretur per te: ita quod post hanc vitam nos simul perveniamus ad ipsum videndum, amandum, & laudandum sine fine. Amen. Amen.*

XVIII. Filiam præceptis saluberrimis instruit.

Præclarissima etiam alia documenta (*a*) scripsit Rex sanctissimus ad Isabellam filiam, Reginam Navarræ, quibus ad transfundendum omnem in Deum amorem; ac potius ferenda alacriter exquisitissima supplicia, quam lethale crimen committendum; reverentiam erga sacra, sæpius expiandam exhomologesi conscientiam, aliaque pietatis sectanda opera hortabatur. In quibus omnibus cum sanctitatis Christianissimi Regis splendor emicet ad miraculum, nonnulla alia ad eam in illustriori luce collocandam attexere placuit. Utque in primis præterea-

(*a*) Ext. ser. Galliam notis ad Jonvilleum.

mus Albigensium hæresim ejus virtute & zelo excisam, Græcos schismaticos ipsius armorum terrore, ad ejusdem arbitrium Romanæ ecclesiæ, se subiicere paratos obtulisse: præditum ingentibus adeo animis fuisse, ut in Asiam & Africam adversus infideles bellum traduxerit; qua laude a Pachymerio (*b*) Græco auctore celebratur: ejusdem auspiciis atque ope Romanam ecclesiam a Manfredi & Saracenorum Luceriæ tyrannide fuisse vindicatam: auctum adeo ejus prudentia Gallicum nomen, armisque floruisse, ut Siciliam, deinde Pannoniam stirpis Gallicæ principes tenuerint: provectam adeo rem literariam, ut Sorbonica academia suum illi decus debeat, cum is regiis studiis Joannem Sorbonum, tanti auctorem operis, arctissime complexus sit (*c*); ex initis ab eo tractatibus regni Francorum fluxisse amplitudinem, ut Tolosæ Provinciæque comitatus ad coronam Gallicam temporum decursu fuerint revocati; tantus Rex (quod cæteras laudes maxime exornabat) eo ardore fidei flagrabat, ut Christianum nomen regio longe anteferret. Qua in re egregiam narratiunculam ex Gaufrido decerpemus.

Insignia S. Lud. elogia.

(*b*) Pachy. hist. Græc. l. 5.

(*c*) Masson. in S. Lud.

*Ad laudem*, inquit, (*d*) *devotionis fidei ipsius pertinet, quod cum semel esset apud Poissiaci castrum, quibusdam familiaribus suis gaudens & glorians dixit, quod majus bonum & digniorem honorem, quem unquam habuerit in hoc mundo, fecerat sibi Dominus in castro illo prædicto. Mirantibus qui aderant, de quo honore hoc diceret, cum de civitate Rhemensi, ubi regni coronam & sacram susceperat unctionem, hæc dixisse eum potius æstimarent; subridendo respondit, quod in castro illo sacri baptismi gratiam susceperat, quod super omnes honores seu dignitates mundi majus donum & dignitatem incomparabilem reputabat. Unde etiam cum secretas literas alicui familiari mittebat, & ex causa aliqua volebat supprimere nomen Regis, Ludovicum de Poissiaco, sive dominum Poissiaci *; potius eligens a loco baptismatis denominari, quam ab aliqua sua civitate famosa.* Præterea pulcherrimum hoc ei elogium idem auctor tribuit (*e*): *Ego, quamvis insufficiens, dicti domini Regis confessor extiti per viginti annos, vel circa; & confessionem ejus generalem audivi toties, quod vices numerare vix scirem. Ad honorem igitur Dei dico, quod ipse per totam vitam suam numquam aliquod peccatum mortale commisit scienter, quod ego auderem judicare mortale.* In quo S. Ludovicum Blancæ Reginæ matris saluberrima monita, quibus mortem prius quam peccato lethali se obstringeret, imprecabatur, altissime in pectus demisisse constat: *Nec* (*f*) *omittendum, quod postquam de transmarinis partibus est re-*

(*d*) Gaufr. e bello loc. c. 33.

Ut Christianum nomen regio prætulerit.

Præclara de eo vox.

* se subscribebat

(*e*) Id. Gauf. c. 5.

Eximia in eo conscientiæ puritas.

(*f*) Cap. 16.



*reversus, semper duos voluit confessores, unum de ordine fratrum Minorum, & alium de ordine Prædicatorum; ut si unum habere non posset, alium paratum haberet, & ut per hoc amorem ad utrumque ordinem ostenderet & servaret.* Consuevisse (*a*) sexta quaque feria recurrente expiare sacra exhomologesi conscientiam, & dein sacerdotis manu catenulis ferreis diverberari, refert idem auctor: macerasse sæpius cilicio teneram carnem ad recolendam dominicam passionem: liberalem in pauperes, seque ad leprosorum etiam pedes abluendos abjecisse. De rerum vero cœlestium contemplatione, ac singulari in fundendis precibus pietatis sensu hæc tradit (*b*):

(*a*) Cap. 16. &c.

Aliæ ipsius virtutes.

(*b*) Cap. 21.

XIX. Quo studio ad divina afficeretur.

*Omnes horas canonicas, & etiam de B. Virgine cum cantu quotidie audire volebat; etiam si eas in itinere equitando audire contingeret, nihilominus eas inter se & capellanum suum tam de die, quam de B. Virgine submisse dicebat. Insuper officium mortuorum quotidie cum novem lectionibus, etiam in festis quantumcumque solemnibus, dicebat cum capellano suo. Raro accidebat: quin quotidie duas missas audiret: & frequenter tres, vel quatuor. Cum autem audivisset, quod nobilium aliqui murmurabant super hoc, quod tot missas, tot sermones audiret; respondit, quod si in duplo tempore poneret in ludendo ad aleas, & currendo per silvas pro venationibus & aucupiis, nemo super his loqueretur. Aliquanto tempore in consuetudinem duxit circa mediam noctem surgere ad matutinas, a capellanis suis & clericis in capella cantandas; ut post matutinum rediens ante lectum suum quietum spatium orandi haberet. Tunc, sicut familiariter dicebat, non habebat timorem, quod si tunc Dominus ei aliquam devotionem immitteret, impedimentum a supervenientibus pateretur: & tunc tamdiu in oratione permanere volebat, quantum duraverant in ecclesia matutinæ. Sed cum ipsum nihilominus oporteret propter instantia negotia ad primam surgere satis mane, & ex his vigiliis corpus ejus & caput maxime non modicum debilitari & gravari poterat; acquievit consilio & precibus discretorum: videlicet, quod ad matutinas surgeret tali hora, quod post modicum spatium primam, & missas & horas cæteras continue posset audire. Dum horæ cantarentur, nolebat alicujus colloquio impediri, nisi urgeret aliqua utilitas: & tunc breviter & succincte.*

XX. Piæ ejus curæ in festis magna pompa celebrandis.

*Sicut autem in laudem Regis Josiæ præmissimus, quod fecit phase, quale ante non fuerit, nec quisquam de Regibus fecit tale; sic iste solemnitates præcipuas anni non solum Pascha, sed & cæteras festivitates devotas faciebat venerabiliter & studiosissime celebrari, convocans ad hoc pluries in anno clericos electos & gratiose cantantes: & maxime de bonis pueris, qui in sancta congregatione Parisiis morabantur; quibus in recessu denarios erogabat, illisque pro magna parte anni in studio sustentabantur. Lacrymarum gratiam plurimum affectabat, & super hoc defectu confessori suo pie & humiliter conquerebatur, familiariter ei dicens, quod quando in litania dicebatur ut fontem lacrymarum nobis dones; devote dicebat: O Domine fontem lacrymarum non audeo postulare, sed modice lacrymarum stillæ mihi sufficerent ad cordis mei ariditatem & duritiam irrigandam. Aliquando etiam confessori suo familiariter recognovit, quod quandoque Dominus in oratione aliquas lacrymas sibi dedit: quas cum sentiret per genas suaviter ad os influere, non solum cordis, sed gustui suo dulcissime sapiebant. Congregationes religiosorum frequenter ac devotissime visitabat & ab eis pro se & amicis suis vivis ac defunctis piarum orationum & missarum suffragia humiliter & flexis genibus in capitulo stipulabatur. Fidelissimus erat ad orandum & faciendum orari pro familiaribus suis, servientibus suis, & amicis defunctis.*

Singularis in tanto Rege Christiana demissio.

XXI. His consentanea tradit Guillelmus Carnotensis, (*c*) qui admirandam S. Regis pietatem emicare solitam, cum sexta feria hebdomadæ sanctæ, cum ad crucem adorandam pie procumberet, ita describit: *Silere non debeo quæ pius Rex die sancta parasceves annis singulis agere consuevit. Post matutinas siquidem ante diem coram ipso more debito decantatas; post orationem brevem cum silentio ad cameram suam veniens ibique solus remanens cum uno capellano suo; totum ex ordine psalterium cum omni attentione, & devotione perlegendo complebat: nec lectum intrans aut dormiens, post paululum circa solis ortum nudus pedes, in humili habitu, paucis eum ex suis comitantibus, per lutosas & lapidosas vias civitatem, aut villam, in qua erat, perambulans, intrabat ecclesias & orabat: eleemosynario subsequente, & eleemosynas omnibus pauperibus effundente: & ipse etiam Rex multos denarios propria manu dabat. Deinde fatigatus supra modum ad domum rediens, post paululum sermonem publicum, in quo tota dominicæ passionis recitabatur series, congregato populo devotissime audiebat; postmodum dominicum officium cum omni devotione celebrari solemniter faciebat. Verum quam reverenter & humiliter ad crucem adorandam venire consueverat, non facile explicarem: nam a sede, vel loco suo veniens, nudus pedes, discooperto capite, & collo nudato, in semiciis & humili habitu, quasi pauperrimus, a longe procedens; genibus suis flexis, liberis suis ipsi simili habitu subsequentibus, crucem dominicam sic humiliter adorabat, quod astantes*

(*c*) Guill. Carnot. in vit. S. Lud.

Quam pie passionem dominicam recoleret.

*tes & aspernentes plurimos ad compunctionis & devotionis lacrymas excitabat.*

XXII. Qua reverentia Pontificem complecteretur.

Quo vero ardore ecclesiasticum jus tueretur, edita ab eo lapso ante biennio pragmatica sanctio illustre monumentum est. Qua observantia Christi Vicarium prosequeretur, quo zelo regia auctoritate fidei censores ad excindendos hæreticos fulciret; quamvis plura a nobis jam ante suis locis exempla illustria adducta sint, hæc tamen ex eodem Guillelmo (*a*) adjungimus: *Quam reverenter & humiliter erga sacrosanctam Rom. ecclesiam semper se habuit; quam devote & obedienter rescripta, & mandata Apostolica consuetus erat suscipere; quam obedienter & efficaciter, sicut verus filius obedientiæ adimplere; norunt illi, qui ei familiarius adhærebant. Ipse enim negotia matris Ecclesiæ plus quam propria reputans ea totis affectibus promovere curabat. Inquisitores etiam hæreticorum pro negotio fidei & Ecclesiæ laborantes, quandocumque recurrebant ad ipsum, recipiebat dulciter & benigne, diligenter eos audiens & celeriter expediens cum omni gratia & favore; postpositis aliis, quantumcumque arduis negotiis; asserens negotium fidei debere omnibus aliis anteponi.* Præclarissima hæc exempla reliquit Rex optimus posteris Regibus: quæ si imitentur, ut ait Jonvillæus, (*b*) magnum gloriæ decus collecturi sint: si spernant, infamiam sibi parituri. Quod vero ad exequias spectat, atque ingentia patrata miracula, sequenti anno agemus. Nunc Philippi illius filii literas (*c*) de patris sanctissimi morte ad Gallicanum clerum, ut preces pro illius anima funderet, afferemus.

(*a*) Guill. Carn. ib.

Ut se gesserit erga censores fidei.

(*b*) Jonvil. in hist. S. Lud.

(*c*) Ext. to. 5. scrip. Franc. pag. 440.

*Philippus Dei gratia Francorum Rex dilectis & fidelibus suis universis archiepiscopis, episcopis, necnon abbatibus, prioribus, decanis, presbyteris & cæteris ecclesiarum rectoribus, ac universis tam regularium quam sæcularium conventibus, collegiis, & capitulis in regno Franciæ constitutis, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem & dilectionem.*

Philippi Regis de morte patris literæ.

*Cunctis flenda Christi fidelibus, & dolenda specialiter universæ & singulis infra regni terminos constitutis, nobis autem præcipue continuis ac crebris lamentanda suspiriis, universitati vestræ compellimus sæva quædam molesta nimis ac tristia cum multa cordis amaritudine nuntiare. Nuper quidem, sicut Domino placuit, qui gressus, actus, & finem electorum suorum juxta suæ beneplacitum voluntatis semper dirigit in salutem, ille Deo dilectus, hominibus gratiosus, piæ ac præclaræ recordationis Ludovicus Francorum Rex illustrissimus percharissimus dominus ac genitor noster quondam (cujus vita toti ecclesiæ fructuosa fuisse dignoscitur, cujus memoria in benedictione est, cujus laus in ecclesia prædicatur) post tam laudabilia charitatis ac pietatis opera, post tot laboriosos agones, quos pro fide Christi & ecclesiæ dilatatione fideliter ac ferventer indefesso animo toleravit; postquam nuper in portu Tunicii viriliter & sine detrimento suorum applicuit, portum ipsum famosum occupans, & terræ introitum Africanæ, quam si daret Dominus proposuerat, expulsa barbarie ac nefanda Saracenicæ gentis eliminata spurcitia, Christiano cultui dedicare; post captam victoriose Carthaginem, cum jam processurus ulterius tam per aquam quam per terram feliciter ac potenter intenderet expugnare Tunitium, & infidelis regnantis in eo ac suorum totaliter exterminare potentiam & virtutem; inter hæc disponente domino labores & agones ipsius consummare feliciter & complere, quadam corporis infirmitate gravatus lecto decubuit: & post multas ægritudines ejusdem molestas tandem Christianissime postulatis, ac cum omni devotione susceptis omnibus ecclesiasticis sacramentis, in confessione nostræ fidei, in Dei dilectione & devotione ferventi, feria secunda in crastino B. Bartholomæi Apostoli hora illa, qua dominus Jesus Christus Dei Filius in cruce pro mundi vita moriens expiravit, ad extremam horam veniens, & super saccum & cinerem recubans, felicem spiritum reddidit altissimo Creatori.*

De præclaris illius gestis in Africa.

Ut in cilicio & cinere pie obierit.

*Nos itaque sauciati tam diri gravitate vulneris, tam acutis orbitatis aculeis nimium ejulare compellimur, ac plangere deplorandum abscessum & obitum pii patris: in quo non solum nostram irremediabilem plagam, & inrestaurabilem jacturam comperimus & sentimus; sed & totius Christianitatis inæstimabile damnum, & lamentabile detrimentum lugent pariter universi Regem pium, Regem pacificum, patrem pauperum, miserorum refugium, solatium oppressorum, totius religionis & innocentiæ auctorem præcipuum, zelatorem justitiæ, & fidei & ecclesiæ defensorem. O quis nobis daret, locum ejus tenentibus in terris, talis, ac tam laudabilis progenitoris sequi vestigia & imitari exempla, implere consilia, sacra ejus exequi mandata, & salubria documenta: de cujus vitæ meritis & actibus virtuosis nobis esset non immerito gloriandum potius, quam de morte dolendum; si rationem admitteret vis doloris. Profecto magna gloria est, talem habuisse parentem: sed & dolor irremediabilis, tantum & tam dulce patris amisisse solatium, tam suave colloquium, tam efficax consilium & juvamen. Dolor quidem hic inconsolabilis censeretur, nisi de ipso certa spes ab omnibus vitam ejus ac actus sanctissimos agnoscentibus haberetur, quod jam de regni temporalis solicitudine sit translatus ad æternum regnum & gloriam sine fine.*

Ejus elogia.

Ut



Ut postulant preces Deo pro anima sua porrigi.

*Ut igitur cessemus aliquantulum a lamentis, dolores & gemitus convertamus in arma salutis, in orationum suffragia, & subsidia charitatis impendamus defuncto gratiam, quam ad commerentem habuimus, ut exinde benedictionis fructum a retributore bonorum omnium reportemus. Sane juxta prædicti piissimi patris nostri supremæ voluntatis arbitrium, humiliter postulantis, ut post ejus obitum mitteretur ad personas & loca religiosa per regnum pro suffragiis orationum, & gratis Deo charitatis subsidiis obtinendis; ecce ad diversa regni loca, propter hoc dilectos nostros viros religiosos fratrem Gaufridum de Belloloco & Guillelmum Carnotensem de ordine Prædicatorum* (sunt hi S. Ludovici gestorum scriptores) *& fratrem Joannem de Montibus ordinis Minorum, familiares & charos quondam memorati domini patris nostri, latores præsentium cum aliis de domo nostra & familia destinamus. Quocirca vestram universitatem toto cordis affectu requirimus & rogamus, quatenus memores existentes illius sinceræ devotionis ac dilectionis, quam ad ecclesiam & personas ecclesiasticas idem pius pater & dominus semper habuit & exhibuit per effectum; ac illius piæ solicitudinis, quam ad felicem & prosperum statum regni, quasi pupillam oculi quiete & pacifice conservandum impendit, pro ipsius anima pretiosa (licet, ut a multis creditur, aliena intercessione non egeat) summo Regi precum & hostiarum munera ac cætera charitatis subsidia offerre velitis; illud idem in locis omnibus vobis subjectis fieri facientes. Oretis etiam jugiter, & in locis prædictis faciatis orari pro nobis & pro toto exercitu Christiano. Actum in castris juxta Carthaginem die Veneris post nativitatem B. Virginis, anno MCCLXX.* Perculit is tristis nuntius Gallos omnes summo dolore. Ad ea, quæ in castris in Africa ad Tunetum gesta sint, revertamur. [1]

XXXIII. Adventu Caroli Siciliæ Regis recreati fideles.

Pervulgata S. Regis morte, acerbissimos fletus Christianus exercitus effudit: audacia vero, & animi crevere barbaris: qui ocyus compressi adventu Caroli Siciliæ Regis fuere. Quam enim victoriam S. Rex non retulerat, volente divino Numine ipsius patientiam exornare, ut pulchriorem triumphum in cœlo ageret; fratri peperit. Atque etiam precibus suis, ut credi par est, a Deo obtinuit, ut vis morbi, quæ in castris serpebat, remitteret; ac lapso plurimo imbre frangeretur. Recreati Siculi Regis adventu Christiani, ac plurium aliorum procerum; tum Philippo S. Ludovici filio Francorum Rege salutato, Tunetum arctiori obsidione cinctum est; hostisque, cum aliquando innumera multitudine erupisset, repressus a Francis. Tum Carolus, ut militari arte valebat, conserto prælio simulata fuga eos elicuit: quos postea, conversa fronte maxima strage fudit. Quo tempore magna barbarorum multitudo, quæ fossas ingentes excavarat, ut in eas Christianos incautos alliceret, in eas, omnem aliam cogitationem metu adimente, proruit. In quam id propheticum (*a*) intorqueri potuit: *Incidit in foveam quam fecit.* Poterat Tunetum expugnari: sed agente maxime Carolo, aliisque Regibus, percussum cum barbaro fœdus his legibus, quas Jordanus subjectis verbis affert (*b*): *Promisit Rex Tunicii, quod omnes Christiani in regno suo capti dimitterentur; & quod*

Barbari qui Tuneto eruperant, deleti a Carolo.

Insidiis quas pararant Christian. pereunt.

(*a*) Ps. 7.

Tunetan. Rex pacem expescit.

(*b*) Jord. MS. vat. sig. n. 1960.

NOTÆ [1] Expeditionis a S. Ludovico hoc anno susceptæ & pii ejus obitus historiam diligenter adeo persequitur Annalista, ut me ab ingenti onere illius adornandæ plane absolvat. Unum superest ut singulorum eventuum certum tempus chronologico ordine adnotem, qua in re opportune utor epistolis quibusdam a viris principibus in exercitu S. Regis datis ad abbatem S. Dionysii, & Simonem Dominum de Nigella, quos regni administratores S. Ludovicus reliquerat. Igitur die prima Julii Rex cum exercitu e portu ad Aquas mortuas solvit, & die VIII. Julii Callarim Sardiniæ portum tenuit. Ibi primo subsistere coacti sunt, eo quod portum illum tenentes Pisanos, Genuenses, qui erant in exercitu S. Regis, metuebant. Sed confirmati dein a Gallis æquiores se præbuerunt. Ex eo portu discessum die XV. julii; atque bidui navigatione Tunetum perventum. Mane alterius diei copiæ in litore expositæ; & die XXI. exercitus Carthaginem perrexit. Die XXIII. julii Carthaginis arx cessit victoribus. Tum urbis Tunetanæ obsidio cœpta, cœpitque pariter exercitus morbo corripi, cujus vi omnium primus sublatus fuit Joannes comes Nivernensis, quem augusto mense obiisse Nangius testatur. Post Joannem & ante S. Regem, adeoque augusto mense, Radulphus Albanensis A. S. L. diem clausit; quem sequutus est S. Ludovicus, die lunæ in crastino S. Bartholomæi idest die XXV. ad superos receptus. Eadem die, & hora Carolus Siciliæ rex supervenit, a quo confirmatus exercitus intermissa Urbis obsidione, de induciis tractatio cœpta, & non ægre utrinque conventa. Diem hujus conventionis assignat Petrus de Condeto in Epistola ab Abbatem S. Dionysii vulgata Spicileg. tom. III. pag. 607. indicatque feriam V. ante Festum Omnium SS. quæ dies in trigesimam Octobris anno illo incidit. Induciarum conditiones habes in Annalibus. Secundum hæc de regressu cogitatum; eodemque decreto, novus rex Philippus die XX. novembris e portu Carthaginis solvit, & die XXII. Trapanum appulit, quo die præcedenti XXI. novembris Rex Carolus pervenerat. Ibi die IV. decembris pius rex Navarræ occubuit. Hæc ad præsentem annum pertinent; reliqua ut regis Philippi iter Romam, & Viterbium, sequenti anno confecta sunt. MANSI

Caroli Regis stipendiarius efficitur.

*quod, monasteriis ad honorem Christi in omnibus civitatibus regni illius constitutis, fides Christi per Minores & Prædicatores libere prædicari valeat, & etiam per quoscumque alios; & quod baptizari volentes nullo modo prohiberentur. Factusque est tributarius Regi Carolo: nam paratis machinis, & aliis necessariis, per terram & per aquam Tunicium oppugnare disponebat.* Hanc etiam conditionem adiicit monachus Patavinus (*a*) ut cum bellum Saracenicum teneret in Terra sancta, tribus millibus militum stipendia daret. Cum vero jussus esset Tunetanus Rex Carolo Siciliæ Regi beneficiarius esse: ac tributum, quod alii Friderici Imperatoris tempore pendere solebant, persolvere; inde conflata ipsi invidia est, quasi avaritia ductus vincere respuisset: cum si captum vi Tunetum esset, præda cum aliis principibus dividi debuisset. Id vero maxime damnavit Eduardus Angliæ Regis filius, qui post acceptas datasque pacis leges cum classe suorum appulerat, ut Westmonasteriensis (*b*) narrat.

(*a*) Mon. Pat. in chr. l.3.

Carolus suis potius commodis quam fidei causæ consuluisse accusatus.

(*b*) Vvest. flor. hist.

XXIV. Eduardus Anglici sceptri heres in Syriam vela facit.

Sperari potuerat ex Soldani manibus Terram sanctam liberandam, si cum Eduardo ingens ille crucesignatorum exercitus in Syriam vela convertisset: quem quidem cœleste numen ob non perfectum votum percussisse visum est. Cum enim Siciliam peteret exorta tempestate classis magna pars fluctibus hausta est; ac maxima ex parte thesaurus a Tunetano Rege acceptus mari periit, quo tempore adjectæ Parisio appendicis auctor ait (*c*), (quamvis male in annum sequentem rem conferat) Anglorum naves jactatas quidem gravissime, sed incolumes servatas: atque Eduardum, animadversa divina vindicta, novo perficiendæ Hierosolymitanæ profectionis voto se adstrinxisse, quamdiu superstes foret, etiam si ab aliis desereretur; & cum paucis in Acconem vela tetendisse, & feliciter ad servandam urbem, ut diximus, applicuisse. Quam rem confirmat Westmonasteriensis (*d*) his verbis: *Rex & natu majores, periculum evadentes, ad portum difficillime pervenerunt: alii in navibus perierunt cum pecunia barbarorum, navibus Eduardi inter alias positis miraculose salvatis. Ad has enim Angelus Domini percutiendas non pervenit merito, quia pecuniam barbarorum non cupivit, sed terram aspersam sanguine Jesu Christi, quantum in se fuit, restituere voluit Christianis.* Periisse naufragio ad quatuor hominum millia, octodecim majoris alvei naves ad prælium instructas, cum multis aliis minoris alvei, atque opibus innumeris tradunt. Quibus congruunt, quæ a monacho (*e*) Patavino mandata historiæ: *Postquam*, inquit, *fuerunt pacis fœdera celebrata, exercitus in Siciliam remeavit. Sed, vento vehementi contrario existente, in portu Trapani naves plurimæ sunt confractæ, in quibus magna militum multitudo est submersa:* hisque verbis finem operi imposuit. Nec malorum is finis extitit; ea enim funera novis Theobaldi Regis Navarræ, qui adversa valetudine tentatus, Tuneto discesserat, funeribus, cum ad Drepani portum appulisset, cumulata fuerunt. Cujus uxor Ysabella S. Ludovici filia, moribus regiis virtutibusque ornatissima, perpetuæ continentiæ se addixit: & Navarræ regnum, ac Briæ & Campaniæ comitatus Theobaldi frater Henricus capessivit (*f*). Quanto vero rei Christianæ damno Syriaca expeditio a Regibus intermissa, & repetitus occidens fuerit, dicetur inferius: nunc Eduardum in Syriam euntem sequamur.

Eorum classis partim fluctibus mersa.

(*c*) Contin. Paris. sub ann. 1271.

(*d*) Vvest. flor. hist. sub ann. 1269.

(*e*) Mon. Pad. chr. l.3. Jord. MS. vat. bibl. sign. n.1960.

Theobaldi Regis Navarræ mors.

(*f*) Jord. MS. vat. bibl. sign. n.1960.

XXV. Henricus ejus frater in regn. succedit.

Extremis rebus Eduardi adventum saluti fuisse, cum cincta obsidione valida Ptolemais in eas angustias esset adducta a Bendocdare, ut intra paucos dies deditionem facturam foret, tradit Westmonasteriensis (*g*). Liberatam illius virtute ab extremo exitio testatur Gregorius X. in literis ad præsules Anglicanos, quos ad subsidiarium illi Edmundoque fratri aurum conferendum inito pontificatu solicitabat: *Scitis*, inquit, *quod gravibus ab olim, sed præcipue iis diebus subjecta periculis, immensis pressuris oppressa, exinanita incolis, enervata viribus, evacuata opibus, ope destituta, sed necessariæ destituta defensionis auxilio Terra sancta fatali prorsus exposita discrimini videbatur. Sed ille, in cujus conspectu non est differentia in multis liberare vel paucis, ad liberationem terræ illius; ne in manus inimicorum incideret, prout miserabilis status ejus, quem præsentialiter vidimus, verisimiliter minabatur; sibi ministrum pro sua voluntate delegit, dilectum videlicet filium nobilem virum Eduardum, charissimi in Christo filii nostri illustris Regis Angliæ primogenitum, qui ejus, ut creditur, spiritu inspiratus post dissolutum sicut permisit Dominus, congregatum pro dictæ terræ subsidio exercitum Christianum*, loquitur de ingenti ea expedirione, quam S. Ludovicus cum Theobaldo Navarræ & Carolo Siciliæ Regibus inierat: quæ post Tunetanum Regem factum stipendiarium extincto S. Rege, dissipata est, *imperterrito, immo constanti & forti animo serviendi personaliter illi terræ onus devote suscipiens, maris discriminibus sua magnanimitate contemptis, sed virtute Domini superatis; nec vitatis grandibus expensarum oneribus, sed exinaniens se ac sua, ad terram eandem tanquam devotionis filius transfretavit: ibique non parcens sumptibus, nec labores evitans, una cum dilecto filio nobili viro Eadmundo germano suo, qui periculorum, sumptum particeps & labo-*

(*g*) Vest. Flor. hist. an. 1269.

Quam infelix esset Terræ status.

Opportune illi ab Eduardo subventum.



*laborum extitit & existit; ejusdem terræ, ante ipsorum adventum quasi omnino in desperatione positæ, contra persequentium insidias & conatus sic necessariæ admodum defensioni vacavit, quod Omnipotentis brachium in eorumdem nobilium manibus ipsius terræ salutem dirigens, ipsam per eorum præcipue ac ipsis assistentium ministerium sua virtute protexit. Quod profecto ad totius Christianitatis commodum cessisse dignoscitur, & gloriam non modicam gentis vestræ, &c.* Hactenus Gregorii literæ (*a*).

(*a*) Ext. in Cod. Vall. sign. lit. C. n. 49. pag. 88.

XXVI. Ptolemais virtute Eduardi obsidione liberata.

(*b*) Vvestm. Flor. hist. sub ann. 1269.

Animadvertisse Eduardum in nonnullos mercatores Venetos, qui arma & commeatus Saracenis ferebant, addit Westmonasteriensis; (*b*) delusumque spe sua Sultanum omnes impetus ad expugnandam Ptolemaidem effudisse: quos cum Eduardi & obsessorum audacia & viribus frangi videret, belli molem alio convertisse, ac duas arces a Bendocdare Sultano ereptas esse Hospitalariis: cum non iis polleret viribus Eduardus, ut cum hoste signa conferre posset. Ex quibus apparuit quam fuisset optandum, ut Galliarum, & Siciliæ Reges cœptam expeditionem essent prosecuti, a qua intermissa & Gallicas res perturbatissimas, & Carolum adversis casibus conflictatum visuri sumus.

XXVII.

Dejectus porro concepta de Regibus ingenti spe Aytonus Armeniæ Rex, cum nec Abaga, qui Tartaris in Perside imperabat, auxilia ferre posset; cum Bendocdare pro Livone [1] filio ex Ægyptiaco carcere redimendo iniquis legibus composuit; de quo alter Aytonus hæc historiæ tradidit (*c*): *Rex vero Armeniæ, qui semper solicite conabatur ad destructionem infidelium toto posse, intellectis infelicissimis rumoribus regni sui, fuit animo mirabiliter perturbatus: & die noctuque cogitabat, qualiter Saracenis posset inferre gravamen; unde multoties inducebat Abagan & Tartaros ad destructionem sectæ perfidi Mahumeti, & Christianorum subsidium & juvamen. Sed Abagan propter guerram, quam habebat quotidie cum vicinis, se sæpius excusabat. Rex Armeniæ vero, perpendens quod, non poterat ad præsens habere subsidium Tartarorum, misit, suos nuntios ad Soldanum Ægypti, & treuguas cum ipso inivit, & firmavit; hoc faciens, ut de Saracenorum carceribus posset redimere natum suum. Unde soldanus promisit Regi, quod si sibi redderet quemdam suum socium nomine Sangolascar, qui captivus penes Tartaros tenebatur; & sibi restitueret castra civitatis Halappi, quæ occupaverat tempore Haoloni; filium restitueret pristinæ libertati. Soldanus itaque restituit filium Regis, & recepit socium suum: & Rex restituit Soldano castrum de Tempesack, & alia duo castra fecit dirui ad requisitionem Soldani: & hoc modo filius Armeniæ Regis fuit de carceribus liberatus.*

(*c*) Ayton. hist. orien. c.33.

Ayton. Rex Armen. fœdus cum Bendocdare paciscitur.

Livonem filium redimit.

XXVIII. Transmisso illi sceptro religiosæ vitæ se addicit.

*Post hæc Rex Aytonus bonæ memoriæ, qui quadraginta quinque annis regnum tenuerat, & multa bona fecerat Christianis, regnum & dominium suum contulit & concessit filio suo Du.* * *Tivono de Ægypti carceribus liberato; & ipse renuntians pompis hujus sæculi est religionem ingressus: & vocatus fuit Macarius mutato proprio nomine secundum consuetudinem Armenorum, qui quando ingrediuntur religionem, mutari faciunt sibi nomen. Et post modicum temporis spatium Rex Aytonus requievit in pace anno Domini MCCLXX.* Consentit Jordanus (*d*) Aytono in consignando Aytoni Regis obitus tempore: nec tamen desunt qui ad septuagesimum secundum hujus sæculi annum vitam propagasse asserant (*e*). Sed ad Livonem filium re-

* Livono

Pie moritur.

(*d*) Jord. MS. Vat. sig. num. 1960.

(*e*) Sanut. l.3. p. 12. c.12.

NOTÆ [1] Livo regis Armeniæ filius, qui captivitatem apud Tartaros aliquot annos toleraverat, tandem libertati patrique restitutus fuit. Rem gestam hoc anno narrat Annalista, opinionis suæ assertorem habere se ratus Aytonum, qui per hæc tempora res Orientales scribebat. Scriptor enim iste liberationem Livonis, abdicationem Aytonis, & secessum ejus in monasterium, tum & obitum anno 1270. illigat. Sed hæc de tempore obitus tam recte intelligenda, quam male de ereptione Livonis e captivitate; cum per hæc tempora scribens Gallicus Tyrii continuator asserat filio regis Armeniæ Livoni facta captivorum permutatione anno 1265. libertatem partam fuisse. Forte etiam annus 1270. apud Aytonum ne quidem de obitu Haitonis Armeniæ regis intelligendus est, sed potius de anno, quo regno valedicens Monasticum cucullum induit; cum idem Gallus Tyrii continuator obitum regis Armeniæ cum anno 1272. componat.

Obiisse hoc anno Guillelmum Patriarcham Jerosolymitanum die XXI. Aprilis statui in nota ad annum 1261. 8. Qua in re Spondani authoritas, qui obitum Patriarchæ hujus non serius anno tertio Urbani IV. idest anno 1264. consignari posse asseruit, reliquos omnes Scriptores in errorem pertraxit. Sphalma istud chronologicum emendavi in Nota ad A. 1261. 8. in quo ex Bernardo Thesaurario aliisque evici Guillelmum ad hunc usque annum 1270. vitam prorogasse. Post illum Ecclesia Hierosolymitana aliquandiu pastore vacavit, cum ex Melitensis Codicis Charta CLII. signata Junio mense anni 1271. constet Patriarchatum Hierosolymitanum tunc per Vicarium administrari, adhuc scilicet sede vacante. Inter testes enim laudatur *Magister Raymundus Vicarius Patriarchatus* (non Patriarchæ) *Hierosolymitani*. Congruit his Thesaurarius, testatus Thomam ex Fratre O. P. Patriarcham Hierosolymitanum anno 1282. die VIII. Octobris Acram seu Ptolemaidem pervenisse auctum munere legati A. S. in universam Syriam, & Episcopi Ptolemaidensis dignitate cumulatum. MANSI

redeamus, de quo Aytonus historicus (a): *Ille autem Rex Armeniæ supra nominatus fuit sapiens atque prudens, & suum regnum provide gubernavit. Dilectus fuit valde tam a sua gente, quam a Tartaris: & ex toto animo studuit destruere Saracenos.* Hactenus de rebus orientalibus: nunc ad occidentales multis insignibus funeribus lugubres redeamus.

(a) Ayton. hist. orien. c. 34. Livo fortiter in Sarracenos dimicat.

XXIX. Planxit hoc anno Ungaria Belæ Regis fratris S. Elizabeth obitum, [1] qui vel senio confectas, vel præteritis malis attritus in Bindensi insula vita cessit, (b) ac Stephanum filium sceptri heredem reliquit. Consentit Steroni de mortis tempore Longinus, (c) qui Boleslai Pudici Cracoviæ ducis socerum fuisse adiicit, ac Strigonii in Minoritarum templo, quod magnificentissime excitarat, conditum: quod cum inde ab archiepiscopo in ecclesiam principem traductum vi fuisset, lite ad summum Pontificem delata, pristino sepulcro restitui jussum est. Addit auctor Stephanum novum Regem ad lustranda B. Stanislai Cracoviensis episc. limina accessisse, atque a Boleslao leviro ingenti pompa exceptum, ac vetus Ungaros inter & Polonos fœdus renovatum. Præter Longinum vero ac Steronem, Erphesfordensis (d) monachus, & Siffridus (e) de anno mortis Belæ congruunt, a quibus Ungaricarum rerum scriptorem Bonfinium (f) miramur dissentire, qui ejus mortis tempus in annum MCCLXXV. conjicit, quem Novatores (g), ut temere non discussis rebus omnia, quæ sese offerunt apud quosvis auctores, agglomerant, secuti sunt. At cum dicatur post Andream patrem annis triginta quinque regnasse, atque Andreæ obitus in annum Christi MCCXXXV. incurrerit: hoc anno e vivis discessisse affirmandum est; quod literæ Gregorii anno sequenti exaratæ atque Ladislai a nobis afferendæ probant, omnemque scrupulum adimunt.

(b) Stero apud Canis. antiq. lect. to. 1. pag. 300.
(c) Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann. Stephanus Ungaricam coronam suscipit. B. Stanislai limina lustrat.
(d) Erphes. mon. in addit. ad Lambert.
(e) Siffr. in epit. lib. 2.
(f) Bonfin. rer. Ungar dec. 11. l. 8. & alii.
(g) Cent. 13. c. 16. col. 1345. Bonfinius ac Novatores de Belæ mortis tempore confutati. Vastat Austriam.

Stephanum porro gerendo regno pares virtutes attulisse, refert Stero, & circa festum S. Thomæ Apostoli, misso exercitu in Austriam, eam provinciam, qua Danubio perfusa meridiem spectat, vastasse; ac multa hominum millia in servitutem abduxisse. His similia atque alia, ad illustrandam principis gloriam, affert Bonfinius (h); additque si diu vivere licuisset, omnium judicio optimum principem, & clarissimum futurum; atque inter alia præclara ejus gesta Bulgariam debellasse, Regemque sibi stipendiarium esse coegisse.

(h) Bonfin. decad. 2. l. 8.

XXXI. Cæterum funestus plane hic fuit annus insignium virorum morte: præter enim tres Reges, S. Ludovicum Galliarum, Theobaldum Navarræ, Belam Ungariæ extinctos, plures alii conspicui viri e vivis discessere. Inter quos annales Steronis (i) Wladislaum archiepiscopum Salisburgensem collocant: quibus suum calculum adiicit Longinus, (k) additque gravi suspicione nonullos nobiles Wratislavenses laborasse, toxicum ipsius cibis asperssisse, dum post Henrici fratris mortem Wratislaviensem principatum in nepotem relictum patrem se & patruum gerens administrabat. Recenset auctor egregium virtutis exemplum, quod explicuit Wladislaus; objecta enim illi formosa puella, non modo pudorem ejus temerare noluit, sed ipsius etiam, & parentum egestati succurrit: *Danti*, inquit, *huic Vladislao in adolescentiam ad Patavium, alias Padua, literis operam, virgo decoræ formæ a patre Patavino, cive quondam divite, tunc vero inope, quæstus turpis gratia adducta est. Cujus ille conditionem miseratus, facinusque perosus, & egenti patri subvenit, & virgini pudore servato, etiam dotem contulit. Pro quo quidem opere a singulis Paduani studii scholaribus celebratus est insigni fama.*

(i) Stero apud Canis. to. 1. pag. 300.
(k) Long. hist. Pol. l. 7. Wladislaus Salisburg. archiep. veneno subdatus.

Egregio ab eo datum castitatis exemplum.

XXXII. Margarita Ungara spretis Regum nuptiis sanctissime vivit. E castissimi viri lugubri nece ad virginis castissimæ ac sanctissimæ obitum orationem traducimus. Ea erat Margarita Belæ Ungarorum Regis ac Mariæ Constantinopolitanæ filia, quæ cum a parentibus Deo, ut Tartarorum furorem ab Ungaris averteret, devota fuisset, tantis virtutibus emicuit, ut victimam oblatam gratissimam Numini extitisse manifeste constaret. Suscepti vero servandæ castitatis consilii adeo tenax fuit, ut oblatas tum Poloniæ ducis, tum Bohemiæ & Caroli Siciliæ Regum nuptias exaggerato animo repudiarit, atque in monasterii secreto recessu religiosis laboribus se macerare, quam in eorum regum aula fulgere gemmis, deliciisque diffluere maluerit. Cumque nuncupatum virginitatis votum obiicienti responsum esset, summum Pontificem eo voto ipsam liberaturum; subjecit sibi alia remedia ad rem discutiendam superesse, nimirum nares abscissuram, ut hominum amores suo sanguine præfocaret. Quo etiam responso usa est (l), cum rumor increbresceret Tar-

Admirandum ejus consilium ad redimendam vultus fœditate animæ pulchritudinem.
(l) Sur. to. 7. die 15. jun.

NOTÆ [1] Hoc plane anno Belam Hungariæ regem vita cessisse, tum ex iis, quæ hic notat Annalista certum est, cum pariter ex eo constat, successorem ejus Stephanum ex hoc anno regni sui epocham exordiri. Patet id ex literis ejusdem Stephani datis sequenti anno, & in Annalibus ad eundem annum 1271. 31. recitatis. Adscriptus illis legitur annus 1271. V. non. Julii, qui pariter annus regni Stephani secundus ibidem notatur, adeoque & constat Belam patrem anno 1270. ante diem illam Julii obiisse. MANSI



Tartaros, quorum libido nulli virgini parcere consueverat, imminere: *Certa sum* inquit, *deformato meo vultu, ac naribus labrisque præcisis, me non amorem sed horrorem videntibus incussuram, animæque pulchritudinem fœditate corporis redempturam.* Demonstravit etiam Deus integritatis sponsæ suæ puritatem, cum extinctæ tantum splendorem affudit, ut spectantes in admirationem raperet, atque e corpore odor suavissimus, omnibus aromatibus fragrantior, exhalaret: qui etiam post tres menses perceptus, cum sepulcrale saxum ad reponendum marmor amoveretur. Non ita felix altera Margarita (a) Imperatoris Friderici filia ac Lantgravia Thuringiæ, quæ multis a viro suo Alberto Lantgravio, qui adulteræ amoribus perditus erat, injuriis lacessita, atque in arce altissima inclusa, ac fugam meditata, per sportam se dimitti jusserat: & Francofurti excepta honorificentissime ibi postmodum hoc anno diem extremum obiit.

Corpus ipsius examine suavem odorem spirat.
(a) Siff. epit. l. 2. Margaretæ filiæ Friderici persecutoris eccl. infelix fors.

XXXIII. Dira in Germania fames. Nec lugubris solum principibus hic annus fuit; verum & populis quoque graves calamitates intulit: cum æstivo tempore tanta siccitas incanduerit, ut exaruerint segetes, atque ingravescente annona plebs inops fame gravissima laborarit: quam Siffridus (b) in Germania tres annos tenuisse, multosque penuria periisse, tradit: eaque fuit, quam Christinam virginem, divinitus prænuntiasse affirmat ejus vitæ scriptor (c). Et quasi tot calamitates uni obruendo anno non sufficerent, novæ etiam erupere hæreses, quas in Galliis (d) nonnulli ex philosophorum Ethnicorum lacunis haustas; acuendi ingenii specie, in concertationibus academicis spargere cœperunt.

(b) Siffr. in ep. l. 2. B. Christina illam prænuntiat.
(c) Apud Sur. to. 3. die 23. jun.
(d) Bibl. patr. to. 4. col. 1231.

Negabant inepti viri animorum distinctionem, creationem mundi, primi hominis efformationem, immortalitatem animæ, liberum voluntatis arbitrium; pendere vero omnia a cœlestium corporum influxibus asserebant. Nullas in altera vita pœnas improbis propositas jactabant, convellebant divinam scientiam, eripiebant Deo providentiam, omnipotentiam labefactabant; ac rem corruptibilem incorruptibilitate donare, vel incorruptibilem corrumpere atque in nihilum redigere posse negabant. Perversam adeo ac pestiferam doctrinam damnavit Stephanus episcopus Parisiensis, ejusque diligentia extincti fuerunt: qui a Novatoribus referuntur (e). Sed ab impiorum erroribus ad sanctorum triumphos orationem traducamus.

Exortæ e philosophorum lacunis fœdæ hæreses.
Damnatæ a Steph. episc. Parisiensi.
(e) Cent. 13. c. 5. col. 572.

XXXIV. Translata sunt hoc anno (f) ingenti pompa a Witigo Misnensi episcopo sancti Bennonis ossa ac plura Deus miracula hujus opera explicuit: vinum enim, quo sancti ossa a Witigo lota fuerant, omnia morborum genera sanavit. Casula vero & pedum pontificium, quæ una cum sacro corpore sepulta fuerant, post tot annos in signum bene gestæ quondam dignitatis corruptionis expertia reperta sunt. Tulerat enim sanctissimus præsul carceres, exilia, laboresque innumeros, dum Gregorium VII. verum Christi vicarium, contra Henrici IV. schismatici tyrannidem defendebat, atque in bonorum ecclesiæ suæ invasores censuras distringebat; & morte afficiendus ad æternum judicem provocarat, ut jure an injuria accusaretur pronuntiaret. Nec frustra, cum eodem anno & Henricus & marchio Misnensis ipsius persecutores ad divinum tribunal rapti fuerint.

(f) Sur. to. 7. die 16. jun. S. Bennonis translatio.
Vinum quo ablutæ erant Sancti ossa morbos curat.
Ut persecutores illius ad divinum tribunal evocati.

I. PEndebat anxia anno hujus sæculi septuagesimo primo indictione XIV. novi videndi Pontificis spe Ecclesia, atque intercisas suspiriis voces fundere videbatur (a): *Exurge quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem;* cum cœleste numen totius orbis Christiani lacrymis permotum, Ecclesiæ suæ summum in terris pastorem dedit. Sed antequam de eo agamus, nonnulla præmittenda, quæ tempore præcurrere; ac primum de S. Ludovici exequiis dicendum, quæ hoc anno celebratæ fuere. Jusserat ipse moriturus corpus suum a Gaufrido (b) viro religioso ad S. Dionysii ædem deferri: sed Christianis Regibus visum erat illius reliquias in nostrorum castris firmissimum munimentum futuras: quarum pars Regi Carolo fratri tradita, ut Siciliam eo thesauro ditaret, altera a Philippo Rege filio in Gallias elata. De ea quidem, quæ in Sicilia condita, hæc tradit Gaufridus.

(a) Ps. 43.

S. Ludov. reliquiarum pars in Sicilia condita.

(b) Gaufr. e Belloloco in vit. S. Lud. c. 47.

II. *Carnes corporis ejus excoctas & ab ossibus separatas, nec non cor & intestina ipsius petiit, & impetravit devotus Rex Siciliæ a nepote suo Rege Philippo. Qui suscipiens sanctas reliquias, honorifice fecit eas in Siciliam deportari & prope Paternum in nobili quadam & cathedrali abbatia præcepit recondi cum valde solemni atque devota processione totius cleri, ac populi terræ illius. Quando de Tunicio redeuntes, & Paternum transeuntes, dictam abbatiam vere nobilem ac pulcherrimam visitavimus, audivimus a pluribus fide dignis, quod postquam sacræ reliquiæ ibi fuere reconditæ, multa miracula, ibidem, cooperante Domino, acciderunt. Denique cum quanto honore, devotione, ac reverentia suscepta sunt ossa ejus, quæ devotissimus ipsius filius illustris Rex Philippus in reditu suo de Tunicio secum ubique deferri devotissime faciebat; cum quanto desiderio ac devotione tam clerus, quam nobiles & populorum innumera multitudo cum solemnibus, ac devotis processionibus undique concurrerent ad videndum, sive tangendum loculum, in quo pretiosæ ejus reliquiæ portabantur, cum dominus Rex transitum faceret tam per Siciliam & Calabriam, quam per sacram urbem Romanam, & apud Viterbium, ubi tunc domini Cardinales moram ad eligendum summum Pontificem faciebant, nec non per Bononiam & civitates alias Lombardiæ; testes sunt qui tunc aderant cum domino Rege præsentes.*

Patrata ibi divinitus miracula. Pars alia a Phil. filio delata.

Quanta veneratione cultæ sint in Italia.

III. Contulerant se Reges Philippus & Carolus Viterbium, ut Cardinales, qui maximo Christianæ rei damno divisi inter se studiis erant, ad dandum Ecclesiæ Dei pastorem solicitarent: dumque ibi versabantur, commissum est atrox facinus a Guidone e Monteforti Caroli Regis in Etruria præfecto; cujus immanitatem (c) Gregorius X. in edictis adversus Guidonem latis ita describit (d): *Divulgatus fere in omnem terram jam sonus exivit, & in remotos orbis angulos vulgaris fama deduxit, qualiter in Henricum,* Richardi electi in Regem Romanorum majorem natu filium, *crucesignatum, de Tunicii partibus, in quibus Jesu Christi servitio cum Christiano vacarat exercitu, ad sedem Apostolicam in comitiva charissimorum in Christo filiorum nostrorum Franciæ ac Siciliæ Regum illustrium ad civitatem Viterbiensem, ubi tunc Romana residebat curia, venientem; & tandem in quadam parochiali ecclesia civitatis ejusdem, pro missarum solemniis sacro quadragesimali tempore constitutum, eisdem* nempe Philippo Francorum & Carolo Siciliæ, *Regibus in civitate ipsa præsentibus; quondam Simon & Guido de Monteforti germani, ac ejusdem Henrici amitini fratres; ad quos restituendos ad charissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris gratiam, qua ipsos fertur eorum gravis culpa privasse, idem Henricus de voluntate memorati Siciliæ, ac cum mandato ejusdem Angliæ Regum venerat; associatis sibi aliis Belial filiis, cum armis diabolico incitati spiritu irruentes, ipsum manibus inhumanis, immo prorsus immanibus, trucidarunt. Hoc mundus clamat: hoc communis assertio publicat: hujus immanitatis ordinem, vel inordinationem potius, sic multiloqua vulgi lingua describit. Memoratus siquidem Guido in ipso ingressu prædictæ parochialis ecclesiæ, voce terribili comminans, dentibus suis infremuit contra eum exclamans: Proditor Henrice de Alemannia, non evades; & subsequenter in ipsum, ad hujusmodi subitum clamorem & fremitum, omnino impræmeditatum & inscium, paventem non immerito, & propinquantem altari, ac illi hærentem manibus, tam ipse Guido, quam memoratus Simon, cæterique ipsorum satellites evaginatis gladiis & clavis elevatis aggressi, talibus circumdantes eundem, saturaverunt se pœnis illius: ac ponentes ipsum sibi quasi in signum, cæciderunt eum vulnere super vulnus; latusque ipsius, femur, vultum convulnerantes & lumbos, præcisis sibi nihilominus quasi totaliter quatuor sinistræ manus digitis, qua ut præmittitur adhærebat altari: & quibusdam clericis in prædictis solemnibus eidem Henrico assistentibus, altero videlicet letbaliter, reliquo vero satis graviter vulneratis. Nec mortuo pepercerunt: sed & post mortem illatam vulnera inferentes eidem, ipsum traxerunt ad ostia dictæ parochialis ecclesiæ jam extinctum: per hoc nimis proculdubio divinum irreverentes in cultum, graviter in eandem sedem & ecclesiam Romanam injurii, sacrilegi, dictæ immunitatis ecclesiasticæ infractores, temerarii contemptores celsitudinis regiæ, ac fœdi humani fœderis subversores; in consobrinum fratricidii rei, in hominem homicidæ, ac sicarii nimium inhumani. Ubi tunc igitur ad matrem Ecclesiam filialis affectus? ubi reverentia divino cultui debita? ubi honorificentia Regibus exhibenda? ubi tanta sanguinis unio? ubi observantia temporis? Quis hæc omnia contemnere docuit? quis talia præterire monstravit? O furor, o rabies! immo proculdubio rabiosi furoris excessus, qui adeo in rationabili creatura judicium rationis absorbet, &c.*

(c) Ptol. Luc. l. 22. c. 43. Ricord. c. 196. Jo. Vill. l. 7. c. 40. & alii.

(d) Greg. l. 2. ep. 64.

Henricus Richardi Regis filius cæsus.

Sed divina vindicta sacrilegum lento gradu insecuta est: ab eo enim tempore, qui magna armorum felicitate ac gloria floruerat, infelicissimus extitit; ac demum funesta morte consumptus est. De quo hæc Ptolemæus Lucensis (a): *Ex qua causa ab inde semper fuit infelix; & mala morte, captus a Rogerio de Loria, in Sicilia moritur. Uxor sua facta est adultera, & filiæ suæ mortuæ sunt sine prole: & comitatus ejus ipsa vivente totus est laceratus.* Versum est crimini Regibus Philippo & Carolo, de Guidone Monfortio pœnas non sumpsisse: quamquam ob criminis invidiam Etruriæ præfectura (b) exauctoratum a Carolo constet. Sed de Guidone pœnitente iterum inferius: nunc S. Ludovici funus efferentem in Gallias Philippum sequamur. De solemnibus illi a Gallis honoribus tributis hæc refert Gaufridus (c) [1].

(a) Ptol. Luc. in annal. & hist. eccl. l. 22 c. 43.

Divina in Guidonem vindicta.

(b) Greg. l. 2. ep. 64.

(c) Gaufr. e belloloco in vit. S. Lud. c. 48.

IV. *Quod si per alienas terras ossium sacrorum reliquiæ transeuntes cum tot & tantis honoribus, ac piis processionibus sunt a fidelibus populis prosecutæ; quis enarrare sufficiat, quando Rex illustris cum pii patris ossibus sanctis Franciæ regnum intravit, & per civitates & castra regni sui transivit? cum quam devotis ac lacrymosis processionibus clerus ac religiosi sibi reverenter occurrerent, ac prout dignum erat pie susciperent, atque devotissime prosequerentur cum innumera atque devota frequentia populorum? Postremo (d) apud sanctum Dionysium in Francia.* Et infra: *sepultus est anno Domini MCCLXXI.*

Philippi Regis in Gallias adventus.

Conditæ tumulo S. Lud. reliquiæ.

(d) Cap. 40. & chron. S. Dion.





Patrata a Numine plura miracula ad preces S. Ludovici, ejusque opem imploratam, dum sacræ exequiæ celebrabantur, ac dein consecutis diebus, testatur Guillelmus Carnotensis, (e) ex quo nonnulla afferenda visa sunt: *Ipsa,* inquit, *die, qua pretiosum corpus apud S. Dionysium est sepultum, ibidem quædam matrona de Sagiensi diœcesis visum oculorum, quem dudum quasi totaliter amiserat, recuperasse fertur: & hoc vidisse se dicunt aliqui fide digni, & præcipue magister Guillelmus de Matiscone canonicus Parisiensis, qui se asserit vidisse. Et multa alia tam ipsa die, quam alias contigerunt ibidem miracula circa variis infirmitatibus laborantes, quæ in publicam notitiam non venerunt.*

V.

(e) Guill. Carnoten. in vit. S. Lud. & Chro. S. Dion.

Cœci ejus implorato nomine oculorum usum recipiunt.

VI. *Contigit etiam non multo post, quod quidam adolescens circiter* XXV. *annorum de ultimis finibus Burgundiæ, surdus & mutus a nativitate, qui per sexdecim annos vel circa in quodam castro nobilis viri domini Joannis Cabilonensis, quod vocatur Orgelestum, conversatus fuerat & nutritus; & jam per annum vel circiter in domo ejusdem nobilis in coquina ejus servierat, prout poterat, non audiens nec loquens, sed solummodo signis utens; ita quod fere tota familia signa ejus noverat, & per signa suam voluntatem & motum animi tam ipse aliis, quam alii sibi totaliter ostendebat, comperto per signa quod apud sepulcrum gloriosi Regis Franciæ Ludovici fiebant miracula virtute operante divina, adjunxit se quibusdam peditibus venientibus Parisios: deinde perrexit ad S. Dionysium: & in loco sepulcri regii plorans & ejulans orationem, qualem potuit, non oris sed cordis cum gemitibus & suspiriis aliquandiu fudit. Tandem virtute divina & gloriosi Regis meritis, ob cujus devotionem venerat, aperte sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte. Statim enim cœpit ibidem loqui non lingua materna, sed recte Gallicana, ac si fuisset natus in ipsa villa S. Dionysii & continue conversatus; unde multis in admirationem versum est ac stuporem.* Et infra: *Narrabat etiam quod nunquam tantum terrorem habuerit in vita sua, sicut quando campanas ecclesiæ sonantes audivit, timebat ne tota ecclesia corrueret super eum: nam tunc primum audire veneris ante pentecosten.*

Infigne in surdo & muto prodigium.



NOTÆ [1] NEscio unde acceperit Spondanus ad hunc annum ea, quæ de tempore recessus Philippi e Viterbio narrat. Inde enim recessisse notat non serius quam Kalendis Martii hujus anni. Ex quo consequeretur Henricus neci traditus fuisse mense februario ejusdem anni. Sed erroris manifesti arguitur Spondanus ex epistola ejusdem Philippi ad utrumque administratorem regni Francorum, quæ signatur Viterbii die sabbati post festum S. Gregorii, id est die XIV. Martii. Insuper Parmensis Chronici (Rer. Italic. to. IX.) author æqualis notat Philippum viso facinore illo detestabili de cæde Henrici, *non electo Papa, Parmam primo die Aprilis, die mercurii rediisse.* Hinc mensis, quo cæsus fuit Henricus intelligitur; cum enim de cæde illa se præsente illata literis illis superius indicatis, legendisque Dacherian. Spicil. tom. III. pag. 270. idem Philippus nihil memoret, & eodem evoluto mense Viterbio recesserit; intra diem XIV. Martii, & primam Aprilis casus ille luctuosus contigit. MANSI

*dire cœpit; unde stupor & tremor potens eum invasit. Hæc narrant tam præcedentes nobiles quam & multi alii, qui eum a multo tempore cognoverunt. Et multa alia divinæ pietatis beneficia infirmis variis meritis ipsius ibidem collata fuisse creduntur, quæ nondum in publicam notitiam devenerunt.* Percrebuit dein magis ac magis adulto tempore amplioribus illustrata miraculis Regis sanctitas; quibus diligenti examine discussis, Bonifacius VIII. solemni ritu, ut suo loco dicetur, (*a*) sanctorum ei honores decrevit. Hactenus de S. Ludovico: nunc intermissam de novi Pontificis creatione historiam repetamus.

(*a*) *An. Christ. 1296.*

VII. De Pontificis novi creatione.

Hoc anno Gregorium decimum summum Pontificem renuntiatum, docent Henricus Stero, (*b*) Ptolæmeus Lucensis, (*c*) & alii: quamvis non desint, qui in sequentem annum coniiciant, atque ipsius solemnem consecrationem una cum creatione confundant. Celebrata sæpius fuerant a Cardinalibus comitia, atque ob varias dissensiones, quibus sacrum collegium ardebat, renuntiandi Pontificis Rom. discussum diutissime consilium; cum illi ad contraria studia concilianda, sapientissime omnem suam auctoritatem salutandi novi Christi vicarii in sex Cardinales, edito compromisso refuderunt: de quo editas publicas tabulas e formulario Marini Ebuli, (*d*) ad illustrandam historiam, in medium adducemus.

(*b*) *Stero in annal. apud Canis. to. 1. antiq. lect. pag. 302.*
(*c*) *Ptol. Luc. in ann. & hist. eccl. MS. l. 22. c. 43. & l. 23. c. 1.*
Cardinales dissentientes in sex e collegio compromittunt.
(*d*) *Formul. Mar. Ebuli MS. archivi Vat. pag. 18. n. 123.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.*

*Anno incarnationis Dominicæ* MCCLXXI. *mense septembris, die prima mensis ejusdem, nos miseratione divina Odo Tusculanus episcopus, Simon tituli S. Martini, Ancherius tit. S. Praxedis Guillelmus tit. S. Marci, Guido tit. S. Laurentii in Lucina, Simon tit. S. Cæciliæ, Ambaldus Basilicæ duodecim Apostolorum presbyteri; Richardus S. Angeli, Octavianus S. Mariæ in via lata, Joannes S. Nicolai in carcere Tulliano, Ottobonus S. Adriani, Jacobus S. Mariæ in Cosmedin, Gottifridus S. Georgii ad velum aureum, Ubertus S. Eustachii & Matthæus S. Mariæ in porticu diaconi Cardinales; Apostolica sede per obitum fel. rec. domin. Clementis Papæ IV. vacante, in communi consistorio solito more convenimus, de electione summi Pontificis tractaturi. Cumque omnes & singuli consentiremus per viam procedere compromissi, nos prædicti O. Tusculanus episc. A. tit. S. Praxedis, G. tit. S. Marci, S. tit. sanctæ Cæciliæ, A. Basilicæ duodecim Apostolorum presbyteri; O. sancti Adriani, G. sancti Georgii ad velum aureum, V. sancti Eustachii, & M. sanctæ Mariæ in porticu diaconi Cardinales, venerabili patre domino Joanne Portuensi episcopo tunc absente a dicto consistorio, & infra * papale schale palatium in sua camera constituto, requisito & expresse consentiente; in venerabiles patres præfatos dominos S. tit. S. Martini, G. tit. S. Laurentii in Lucina presbyteros R. sancti Angeli, Octavianum sanctæ Mariæ in via lata, Joannem S. Nicolai in carcere Tull. & Jacobum S. Mariæ in Cosmedin diac. Card. consensimus, & eos compromissarios eligentes, ipsis volentibus & expresse consentientibus, ac compromissum hujusmodi & formam acceptantibus; infrascriptam contulimus concordi voto, & unanimi consensu omnes & singuli potestatem providendi sacrosanctæ Romanæ & universali Ecclesiæ de pastore in forma subscripta. Videlicet quod quinque ex eisdem sex compromissariis de sexto ex ipsis sex, vel omnes ipsi sex de aliquo alio de collegio dictorum Cardinalium, seu etiam extra ipsum collegium in Pontificem & pastorem ipsius Ecclesiæ concorditer providerent; ad hæc facienda ipsis præfata prima die septembris & sequenti concessis. Dicti vero compromissarii singuli singulariter, & omnes communiter consentientes, ut præmittitur, hujusmodi compromisso, ipsum & potestatem in præscripta forma concessum eisdem benigne ac humiliter susceperunt. Actum Viterbii in dicto consistorio anno, mense & die prædictis. Ego O. Tusculanus episc. in prædictos compromissarios consensi, eos elegi & ipsis pro me potestatem contuli providendi sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & universali de pastore in forma præscripta. Et sic scribant singuli, qui compromiserunt. Ut autem huic compromisso fides plenior habeatur, ipsam sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri.*

VIII. Eorum nomina.

* papale

Initi compromissi forma.

Admisere igitur designati Cardinales creandi Pontificis provinciam, communibusque suffragiis Thedaldum, Placentinum patria, archidiaconum Leodiensem delegere: quod subjectis literis testatum (*e*) voluerunt.

IX.

(*e*) *Ib. n. 124.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.*

*Anno incarnationis Dominicæ* MCCLXXI. *mense septembris, die prima mensis ejusdem, nos miseratione divina S. tit. S. Martini, Guido tit. S. Laurentii in Lucina presbyteri: Richardus S. Angeli, Octavianus S. Mariæ in via lata, Joannes S. Nicolai in carcere Tulliano, & Jacobus S. Mariæ in Cosmedin diaconi Cardinales compromissarii electi a reverendo collegio dominorum Cardinalium, data nobis potestate providendi sacrosanctæ ac universali Ecclesiæ vacanti per obitum fel. rec. domini Clementis Papæ IV. de pastore in forma subscripta in compromissum ipsum consensimus; & illud ac potestatem nobis concessam recepimus reverenter. Forma vero dictorum compromissi ac potestatis nobis concessæ hæc est. In Nomine sanctæ & individuæ &c. Nos itaque præfati compromissarii hujusmodi compromisso & potestate susceptis, habito in conclavi diligenti, prout negocii exigebat arduitas, & perpenso tractatu; ac consideratis circumstantiis universis, quæ necessitate ipsius Ecclesiæ, ac totius orbis inspecta, nos secundum Deum movere poterant & debebant; ad honorem Domini nostri Jesu Christi, & gloriosissimæ Virginis Mariæ matris suæ, beatorum apostolorum Petri & Pauli, omnium sanctorum, ac ipsius sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ dicta prima die septembris, ex collata nobis potestate juxta formam nobis traditam procedentes, convenimus, & concorditer consensimus vice nostra & ejusdem collegii in venerabilem patrem nostrum dominum Thealdum Placentinum, archidiaconum Leodiensem seu in ecclesia Leodiensi, ipsum in Roman. Pontif. nominantes: ac assumentes & præfato domino Simoni nos reliqui quinque compromissarii dedimus potestatem, ut eundem dominum Thealdum vice sua & nostra; nec non & totius præfati collegii eligeret in ipsius Romanæ ac universalis Ecclesiæ Pontificem & pastorem; & nos præfatus Simon ipsum evestigio elegimus per hæc verba: Ego Simon tit. S. Martini presbyter Cardinalis ad honorem domini nostri Jesu Christi, beatissimæ Matris ejus, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum, necnon & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ memoratæ, eligo venerabilem patrem dominum Thealdum Placentinum, archidiaconum Leodiensem seu in ecclesia Leodiensi, in Romanum Pontificem & pastorem. Actum Viterbii in dicto consistorio anno, mense & die prædictis. Ego Simon tit. S. Martini presb. Cardinalis in venerab. patrem dictum dominum Thealdum consensi, ac ipsum in Rom. Pontificem nominavi, assumpsi, & elegi in forma præscripta. Ego Guido tit. S. Laurentii in Lucina presbyter Card. in venerabilem patrem dictum dominum Thealdum conveni, consensi, ac ipsum in Rom. Pontificem nominavi, & assumpsi ac * elegi mandavi in forma præscripta. In eundem modum alii compromissarii. Ut autem huic processui fides plenior habeatur, ipsorum sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri.*

Qui fuerint credendi Pontificis arbitri designati.

Horum suffragia in Thealdum archidiaconum conjecta.

* eligi

X.

Assenserunt cæteri Cardinales, atque hoc decretum ab iis editum est: (*a*) cujus initium, cum iisdem verbis conceptam compromissi superioris formam contineat, prætermittendum brevitatis studio visum est.

(*a*) *Ext. ib. n. 125.*
Alii Cardinales suum illi calculum tribuunt.

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, &c.*

*Nos præfati compromissarii hujusmodi compromisso & potestate susceptis, habito in conclavi diligenti, prout negocii exigebat arduitas, & perpenso tractatu; & consideratis circumstantiis universis, quæ necessitate ipsius Ecclesiæ ac totius orbis inspecta nos secundum Deum movere poterant & debebant; ad honorem Domini nostri Jesu Christi, & gloriosissimæ Virginis Mariæ matris suæ, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omnium sanctorum ac ipsius sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ dicta prima die septembris, ex collata nobis potestate juxta formam nobis traditam procedentes convenimus & concorditer consensimus vice nostra, ac ipsius collegii in venerabilem patrem dominum Thealdum Placentinum archidiaconum Leodiensem seu in eadem ecclesia Leodiensi, ipsum in Rom. Pontificem nominantes, ac etiam assumentes: & præfato domino Simoni nos reliqui quinque compromissarii dedimus potestatem ad eundem dominum Thealdum vice sua & nostra & præfati totius collegii eligendum in ipsius Romanæ ac universalis Ecclesiæ Pontificem & pastorem. Et nos præfatus Simon ipsum evestigio elegimus in hæc verba: Ego Simon, &c. ut in alia usque pastorem.*

XI.

*Sane iis peractis, incontinenti omnibus Cardinalibus vocatis, & convenientibus in consistorio memorato, nos prædicti compromissarii consensus nostros & electionem prædictam publicavimus, & publicando ipsos consensum & electionem iteravimus in communi. Nos autem prædicti omnes & singuli episcopi & presbyteri & diaconi Cardinales in eodem consistorio congregati processum & electionem hujusmodi ratificantes, acceptantes, & etiam in ipsum venerabilem patrem dictum dominum T. consentientes expresse, ipsum licet absentem recepimus & recipimus in Romanum Pontificem & pastorem. Cæterum venerabilem patrem dominum H. Ostiensem episcopum post hæc ad idem consistorium convocantes, communicavimus ei omnia supradicta: qui ea omnia & singula gratanter acceptans, memoratum dominum Thealdum in Romanum Pontificem & pastorem humiliter & devote recepit. Actum Viterbii ut supra.*

XII. Nonnullorum error de forma creationis Gregorii refutatus.

Refellendus e superioribus Franciscani chronici auctor, qui nimis interdum credulus plura a veritate historica aliena per simplicitatem scriptis tradidit; atque inter cætera Cardinalium collegium S. Bonaventura Pontificis renuntiandi, sui etiam ipsius ad eam dignitatem efferendi, potestatem contulisse, eumque, generosa constantia calcato fastu, Gregorium X. suffragio suo ad solium Apostolicum evexisse. Prætereo, quod ferunt nonnulli, Joannem Portuensem episc. ob gravissimas purpuratorum patrum contentiones facete objecisse, palatii tectum amovendum videri, quo Spiritus sanctus penetrare posset; dein virtutes egregias Thealdi Placentini archidiaconi Leodiensis in luce ita collocasse, ut Cardinalibus acceptissimus fuerit, tumque hos versus extemporaneos fudisse:

Portuenses episcopi aculeata & faceta objurgatio ad Cardinales.

Pa-

*Papatus munus tulit archidiaconus unus,*
*Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.*

XIII. Quo die celebrata electio. (a) Nang. de gest. Phil. Reg. * Thealdus

Designat Nangius creationis illius diem kal. septembris celebratam his verbis (a): *Post biennem & novem menses sedis Apostolicæ vacationem in festo B. Ægidii electus est * Theobaldus de Placentia archidiaconus Leodiensis in Papam, cum esset absens in transmarinis partibus apud Accon.* In quo edito compromissi decreto consentit. Cum itaque creatus sit Gregorius Pontifex hoc anno kal. septembris; Clemens vero IV. defunctus tradatur S. Andreæ Apostoli pervigilio, quod in vigesimum nonum diem novembris incidit, sedem Apostolicam annos duos, menses novem, dies duos vacasse dicendum est: quod etiam Baronius observavit (b). De Gregorio hæc Ptolemæus Lucensis (c): *Archidiaconus Leodiensis existens ultra mare in Papam eligitur natione Placentinus de genere Vicecomitum.* Consentit de patria ac stirpis nobilitate, ut alios omittam, Longinus: (d) perperam tamen Simbaldum appellat. Adiicit vero, ex archidiaconatu Leodiensi per summam injuriam depulsum ab episcopo, in Terram sanctam trajecisse. Qua in re adoranda divina providentia, quæ inflicta inique probis damna, majori eorum utilitati vertit: quem enim archidiaconatu spoliari per invidiam passus est, illi ad pontificatum iter munivit.

Interpontificii tempus. (b) Baron. in schedis. (c) Ptol. in annal. hoc ann. (d) Longin. hist. Pol. l. 7. hoc ann. Divina providentia in Gregor. X.

XIV. De ejus virtutibus. (e) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 23. c. 4. (f) Longin. ubi sup. (g) Georg. Pachym. hist. Græc. l. 5.

De ejus dotibus hæc ex Ptolemæo Lucensi (e) prodit Joannes Longinus (f): *Miræ vir in sæcularibus experientiæ, quamvis modicæ literaturæ; non pecuniarum lucris, sed eleemosynarum in pauperes largitioni operam dans: in consecratione autem Gregorius decimus appellatur.* Quæ vero de ejus in Urbem adventu affirmat Longinus, ad sequentem annum pertinent. Celebratissimum ob egregias virtutes fuisse consentit Pachymerius (g) auctor schismaticus, atque antequam sacris pontificalibus initiaretur, abolendo Græcorum schismati vacasse. Errat vero, dum patria Syrum fuisse scribit, eo quod, dum in Syria ageret, fuerit ad sedem Apostolicam evectus. Cæterum non modo in Leodiensi archidiaconatu, summæ dignitatis gerendæ rudimenta posuisse, verum in aliis quoque muneribus se exercuisse, ex ipsius literis constat, quæ inter canonicos ecclesiæ Lugdunensis meruisse testantur; ita enim ad decanum & capitulum Lugdunense scripsit (h): *Lugdunensem ecclesiam, in qua nos olim, dum minori officio fungeremur, in canonicorum ipsius ecclesiæ collegio existentes diutinam fecimus residentiam personalem, &c.* Emendandi vero qui majores ante pontificatum gessisse dignitates, Placentinum episcopatum, ut S. Antoninus, (i) Cardinalitiam purpuram, atque in Syria sedis Apostolicæ legati, munus, ut Ricordanus (k) & Villanus (l) asseruerunt.

(h) Lib. 4. ep. 24.

(i) Ant. 3. par. tit. 20. c. 2. in nit. (k) Ricord. Malesp. hist. Flor. c. 196. (l) Jo. Vill. l. 7. c. 4.

XV. Missi ad ipsum 2. gentem in Syria legati.

Decreta est mox amplissima a sacro Cardinalium collegio legatio ad renuntiatum Pontificem, qua nonnulli viri religiosi perfuncti sunt; subjectæque a patribus exaratæ literæ, quibus ipsum ad capessenda Ecclesiæ catholicæ gubernacula e Syria exciverunt.

*Sanctissimo patri & domino reverendo, domino Thealdo archidiacono in ecclesia Leodiensi, divina providentia in Romanum & summum electum Pontificem; & miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales, pedum oscula beatorum.*

Lit. eo argumento ad Greg. datæ.

*Sempiterno splendens lumine, ac ineffabili præditus majestate Patris æterni Filius dominus Jesus Christus, qui cuncta disponit virtute mirabili, prout suæ placet sanctissimæ majestati; circa sanctam Romanam & universalem Ecclesiam ita suæ continuat benignitatis affectum, & roborat protectionis auxilium, quod nullo unquam turbine vexationis evertitur; nec propter alicujus persecutionis vel adversitatis instantiam naufragatur: quinimmo gloriosa incrementa suscipit, & tanquam stella matutina per mundi climata refulgescit, prout multis liquet indiciis, & patet clarissimis argumentis. Nam licet jam dicta Ecclesia post habitum a superno Rege de morte triumphum, & ipsius regressum ad gloriam cœlestis patriæ sui fulgore luminis perenniter illustratæ, fuerit pro diversitate temporum personarum illarum destituta præsidiis, quas ad ejus regimen celsitudo providerat omnium Conditoris; ipsa tamen Ecclesia per successivam substitutionem Romanorum Pontificum, favente supernæ virtutis auxilio, felicis habuit perseverantiæ firmamentum. Et quidem diebus istis circa dictam Ecclesiam hoc ipsum virtuti Altissimi dignanter placuit operari; quia piæ recordationis domino Clemente Papa IV. dudum de hac luce finibili ad infinibilem evocato (sicut de Redemptoris nostri confidimus pietate) ac ipsius corpore tumulato; nos, missarum solemniis, sicut moris est, ad honorem sancti Spiritus devotissime celebratis, in unum convenimus ad habendum de summi Pontificis substitutione tractatum. Quo frequenter habito, & circa tanti profunditatem negocii, cui simile in humanis actibus non cernitur inveniri, diffusi temporis spacio interjecto, ac desideriis eligentium, permittente Domino, in diversa divisis; tandem, divina propitiante clementia, vota nostra in venerabilem personam vestram unanimiter & concorditer dirigentes, vos per compromissi viam elegimus in Romanum summum Pontificem, consueto laudis*



*divinæ cantico, fidelium astante multitudine, decantato; ducti credulitate firmissima, quod cum in vobis ab annis teneris laudabilis conversationis & vitæ refulserint ornamenta; & odor famæ vestræ gratissimus hinc inde per loca plurima sit diffusus; ille benedictus in sæcula, qui vos dignanter in suum assumpsit vicarium, & in Christiani populi patrem & dominum gratiosum, de vestris sanctis dabit provenire meritis, quod in statum prosperum & jucundum resurgat Ecclesia generalis: ac etiam quod fidei catholicæ gloria ubique votiva suscipiet incrementa; nec non quod Terræ sanctæ negocium facilem & felicem sortietur effectum; maxime, cum sit verisimile, quod Redemptoris nostri benignitas vos ad terram ipsam voluit illa de causa personaliter pervenire, ut oculata fide visis ejus angustiis, & tribulationibus intellectis, de illo sibi procuretis provideri subsidio, ex quo proveniat acquisitionis perfectæ gaudium a longis retroactis temporibus laudabiliter expectatum. Quid ad ista vir virtutis eximiæ? Vir in oculis Dei & hominum gloriose?*

XVI.

*Venerabiles, ac providos, & discretos viros latores præsentium, nostros quidem speciales nuncios cum decreto electionis canonicæ de vobis concorditer celebratæ ad præsentiam vestram duximus destinandos; supplici precum petentes instantia, & per Dei misericordiam obsecrantes, quatenus in virtute illius, qui super pennas ventorum ambulat, & in momento cuncta perficit, prout suæ sanctissimæ voluntatis existit; cessantibus quibuscunque diffugiis, vos accingatis ad iter adeundi sedem Apostolicam, sub anxietate multa spiritus constitutam, quousque de clementissima virtute Altissimi sibi proveniat vestram desiderabilem faciem intueri: qua visa stillabunt cœli dulcedinem, & colles fluent lactis & mellis incessabilem ubertatem. Quinimmo ad pedum vestrorum oscula non solum concurret multitudo fidelium numerosa, sed ante vos etiam curvabitur altitudo principum, & personarum sublimitas inclytarum. Nec mirum, quia sicut pie confidimus, & devote speramus, vobis habentibus Deum solum præ oculis, & amplectentibus jugiter vitæ studium innocentis; vitiorum in malevolis extirpatione præmissa, & plantatione virtutum in benevolis subsecuta; benignitas vestra lætificabit Dei populum in exhibitione justitiæ, ac etiam in condignis gratiis opportuno tempore liberaliter conferendis: miseranda multitudine pauperum ob illam causam habitura de vobis affluentiam gaudiorum, quia ipsorum nomen erit coram vobis amabile; ac eorum animas consolari in vestris existet affectibus speciale. Vobis autem, pater orphanorum & judex clementissime viduarum, sufficiat istam brevem audivisse particulam de profectibus innumeris, qui proventuri sunt universitati fidelium per vestræ ministerium sanctitatis, illius favente clementia, qui mannæ cœlestis edulio suum satiavit miraculose populum; & de quinque panibus, ac duobus piscibus pavit quinque millia personarum, duodecim cophinis in augmentum suæ gloriæ superantibus de fragmentis. Istis etenim nostræ devotionis eloquiis cum affectu paterno clementer auditis, virtute Paracliti festinate vos vestros videre fratres & filios, & consolari corda gementium, quibus in visione vestri vultus angelici quasi dabitur vidisse delicias paradisi. Reliqua super iis votiva nobis & Christiano populo vestris infundat præcordiis Spiritus ille paraclitus, qui discipulorum corda lugentium fuit plenissime consolatus.*

XVII. (a) Ext. in MS. formul. Mar. Ebul. Vat. bibl. pag. 19. n. 127. & in eod. Vall. signat. lit. C. n. 49. pag. 85.

Adjungendæ his visæ sunt insignes aliæ literæ (a), quæ designato Pontifici transmissæ fuere: quibus anxia occidentalis Ecclesiæ de ipsius adventu suspensæ vota explicantur; atque ad ornandum celerem e Syria reditum solicitatur: a quo vero sint exaratæ, in pervetusto M. S. codice Vallicellano non proditur: at ex appositis formulario Marini Ebuli notis perspicue colligitur, a pontificio notario, eo nimirum, qui illius electionis ritum in publicas tabulas redegerat, scriptas fuisse.

*Sanctissimo, &c. Angelica junioris Thobiæ ad celerem reditum comitiva lætari, & pedum oscula beatorum.*

Aliæ gratulatoriæ ad eundem lit.

*Quantam, pater sancte, concesserit virtus altissimi sponsæ suæ gaudii, & exultationis in vestra promotione materiam, considerata prudenter exacta vacationis tempora evidenter insinuant, & patenter considerationis attentione discussa illius incommoda manifestant. Siquidem, ut cætera prætereantur silentio, in eorundem temporum molestorum decursibus eadem mater Ecclesia, dum ad editionem spiritualis patris, & filii sponsi sui anxia niteretur; parturientis partes experiens, conatus prosequens, & molestias perferens; dolores instar illius eo sensit acerbius, quo erat profecto molestius, quod magna proculdubio pariendi necessitas inerat, intensa nimirum voluntas aderat: sed collidentibus in utero filiis, cum veniebatur ad partum, virtus saltem efficax non suberat pariendi. In iis, inquam, temporibus navicula piscatoris vicarii Jesu Christi vehementibus excitatis undique flatibus, & procellosis fluctibus concitatis, absque remigis temporali auxilio, immo sui remigii viduata magistro, sic innumeris periculis patuit, quod desperationis naufragio humano judicio exposita videbatur.*

XVIII.

*Numquid igitur, pie pater, non grandis causa lætitiæ parienti post parturitionis angustias votivo partu edito superatas, qua-*

*quærum sic memoriam abolet in lucem producti nati jucunditas, quod, sicut insonat evangelicæ veritatis tuba dulcisona, propter gaudium non meminit pressuræ? Numquid non ingens exultatio naviganti, quod ipsius ad portum deducta felicitas gravibus restitit impulsibus flatuum, tumentium calcavit vertices fluctuum, & fructum laboris optatum consequitur, quem anxius sequebatur? Porro nec labor sponsæ dissimilis, nec illius dispar exitus in quærendo dilectum! quæsivit etenim, & post difficultates varias, & anxietates innumeras, quem quærebat invenit; inventumque solido tenens affectu, usque ad transmarinas partes, in unguentorum vestrorum odore cucurrit: & cum in vos non horum industria, sed divina providentia graviter discordantium antea concorditer vota concurrerent, pessulum ostii sui dilecto suo aperuit; quem, quia per absentiam declinasse comperit, & transisse festina denuntiant, quod amore languescit; sponsique sui dilatos nimium, sed desideratos admodum implorans amplexus, instanter petit, & humiliter expetit, ut in revertendo celeriter sitis similes capreæ hinnuloque cervorum.*

XIX. *Cæterum, pater & domine, in prætactorum summatim exclusione discriminum, cunctis catholicæ religionis communionis habentibus communis præstantur excitativa tripudii: sed inter cæteros vestros dudum devotos & notos, mihi etiam singularis plausus & jubili de familiaris commemoratione notitiæ non levis indulgetur occasio, de vestrarum consideratione virtutum, quas, notam adulationis abhorrens stylus succincte pertransit, non quævis causa succrescit. Verum, ut cunctorum gaudium impleatur quantum præcedentium laborum fatigatio patitur, festinate pie pater ad sponsam, ut desiderata & Domino favente, perutilis vestra præsentia discriminibus vacationum, inductas molestias relevet, damna resarciat, ruinas impleat: & sic ipsius sponsæ genas, in desiderio vestri adhuc lacrymis madentes, abstergat, quod vestri regiminis per tempora longa, divina prævia clementia, potita solatio duraturæ rore lætitiæ respergatur. Dextera Domini, pater sanctissime, vobiscum virtutem faciat vestros actus, & iter dirigens ad salutem. Sane me sanctitatis vestræ servulum non minus promptitudo voluntatis vestris beneplacitis subiicit, quam plenitudo apostolicæ potestatis addicit.*

XX. Gravibus argumentis adductus pontificatum admittit.

Non levi admiratione defixus hæsit Thealdus conjectos in se Cardinalium oculos, qui neque Cardinalitia, neque episcopali dignitate fulgeret: & quamvis initio, cum de se admodum demisse sentiret, respuere dignitatem meditaretur; tot tamen atque adeo gravibus argumentis & rationibus compulsus est, ut oblatum honorem admiserit, ne divinæ voluntati obluctari videretur: atque ad extinguendam discordiam, quæ tamdiu Ecclesiam afflixerat, in occidentem, superatis hybernis procellis, navigarit. Ferunt (*a*) ab Eduardo Angliæ Regis filio magnifice rebus omnibus instructum fuisse. Questus vero est comiter Palæologus Græcorum Imperator, (*b*) Constantinopolim, ubi maxima pompa, & gratulatione excipiendus fuisset, non divertisse. Antequam porro mare conscenderet, Syros ingentium auxiliorum spe ad retundendos Saracenorum impetus confirmasse Sanutus (*c*) refert his verbis: *Gregorius X. existens archidiaconus Leodiensis devotionis gratia ad visitandum Terram sanctam profectus, in Papam eligitur. Pro ejus electione magnum gaudium habuere fideles terræ promissionis, erecti ad spem magni auxilii, quia Christi vicarius Terræ sanctæ devotus oculis conspexerat, & experientiæ manu palpaverat miserabilem ac lugubrem ejus statum. Ipse quoque de Ptolemaida recessurus, inter cætera concionis suæ verba melliflua, cordis sui affectum aperiens, dum de statu Terræ sanctæ loqueretur ajebat: Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. Vere oblivioni non tradidit, sed proponit principaliter pro Terræ sanctæ subsidio congregare concilium, &c.*

Navigat hyeme in occidentem.

(*a*) *Vvestm. Flor. hist.* Queritur Palæologus Constantinopolim non divertisse.

(*b*) *Apud Greg. l. 1. ep. 37.*

(*c*) *San. l. 3. p. 12. c. 13.*

Confirmati a Gregorio ingentis auxilii spe Palæstini.

Refert idem auctor, Christianos Saracenici belli mole obrutos Abagham Tartarorum in Perside Regem concitasse in Bendocdarem; ac Saracenos a Tartaris magnis excursionibus attritos: *Attendentes*, inquit, (*d*) *actualem sævitiam & sævientem potentiam Bendocdar in districtum & populum Christianum, cum cæteris habita deliberatione, prudentes nuntios ad Tartaros dirigunt; qui provocati discurrunt per totam terram Antiochiæ, Alapiæ, Haman, Calamelæ usque ad magnam Cæsaream, Saracenos ubique interimentes: indeque redierunt ad locum dictum Marays ad introitum Turchiæ multam conducentes prædam sclavorum, & animalium: ibi quietem aliquamdiu eligentes propter laborum excessum, copiamque aquarum: intuitu etiam jumentorum.*

(*d*) *Id. ib. c. 11.*

Tartari in Bendocdarem a Christianis concitati.

Decretam per hæc tempora fuisse insignem legationem a Cobila sive Cublai Tartarorum Imperatore, ut mitterentur in Tartariam a Romano Pontifice sacerdotes, qui evangelii lucem involutis gentilitiæ superstitionis tenebris populis inferrent, meminit Marcus Paulus Venetus in historia sua; qui ubi parentis sui Nicolai Pauli & alterius patritii Veneti in Tartaricam aulam adventum descripsit, subiicit (*e*): *Quadam die magnus Cham cum regni sui principibus inito consilio rogat*

(*e*) *Marc. Paul. Venet. de regionibus oriental. l. 1. c. 4.*





Imperat. Tart. legationem decernit ad Pontificem. Poscit mitti in Tartariam Christianos sacerdotes.

*gat Latinos, ut nomine suo ad Papam proficiscentes una cum barone quodam Gogaca nomine viro aulico & optimo, atque apud illum agant, ut centum viros sapientes, & in lege Christiana doctos ad se dirigat qui sapientibus suis ostendere possint Christianorum fidem cæteris omnibus sectis præferendam, atque unicam salutis esse viam: quodque dii Tartarorum essent dæmones, qui orientalibus in sui cultura imposuissent. Nam cum is Imperator multa audisset de fide catholica, & interim adverteret quam mordicus sui sapientes conarentur suam defendere fidem, in ambiguo positus nesciebat cui tuto animum suum inclinaret, quamque ut veram amplexaretur viam. Illi itaque debitam regiæ majestatis exhibentes reverentiam, pollicentur se commissa fideliter executuros, & literas, quas ab eo Romano Pontifici offerendas acceperint præsentaturos. Ipse vero tabulam auream signo regali sulptam & insignitam juxta imperii sui consuetudinem illis tradi jubet: quam commeatus loco secum per totum ejus imperium deferentes, ubique a provinciarum & civitatum rectoribus per loca discriminosa salvi deducerentur, atque expensas ab eisdem reciperent; & quacunque tandem re opus in itinere haberent, illis imperatoris nomine suppeditaretur. Rogabat quoque eos Imperator, ut nonnihil de oleo lampadis, quæ juxta dominicum sepulcrum Jerosolymis ardebat, sibi in reditu deferrent, credens sibi illud non parum profuturum, si Christus mundi esset salvator.*

Orientales a dæmonibus deceptos conqueruntur. Tabula aurea Tartaro data oratoribus.

Oleum lampadis ardentis ad sepulcrum dominicum postulatum.

Addit auctor absumptum ferme in itinere triennium ob eluviones fluminum, ac Tartaricum oratorem nomine Gogacam morbo implicitum substitisse; nobiles autem Venetos Acconem pervenisse, & Clementis IV. audito obitu Thebaldum * comitem Placentinum Apostolicæ sedis internuntium de Tartarorum ad excipiendos evangelicos satus felici propensione certiorem fecisse: (*a*) monitos autem ut futuri Pontificis creationem præstolarentur, extracta re ad biennium, repetiisse Ptolemaidem, atque a legato accepisse literas ad Imperatorem Tartarorum, (*b*) quibus exposita fidei orthodoxæ formula de divinis mysteriis edocebatur: sed cum paululum digressi essent, contigisse, ut Thebaldus a Cardinalibus ad Pontificatum, indito Gregorii X. nomine, vocaretur; illum vero mox revocatis Venetis parasse alias literas summo Tartarorum Imperatori offerendas, ac duos ordinis Prædicatorum viros insignes probitate & literis, Nicolaum scilicet & Guillelmum Tripolitanum, qui tum Ptolemaide versabantur, socios adjunxisse, ut evangelica veritate Tartaros collustrarent: exceptos autem perhumaniter fuisse ab Imperatore Tartarorum, eique novi Pontificis literas & oleum e lampade dominici sepulcri

* Vicecomitem.

Oratorum ad Ptolemaidem accessus.

(*a*) *Eod. l. 1. c. 5.*

Thebaldus A. S. L. fidei formulam transmittit ad Imp. Tartarorum.

(*b*) *Cap. 6.*

Creatus Pontifex Prædicatores mittit in Tartariam.

porrexisse, quod ab ipso honorifice repositum fuerit, narrat Marcus Paulus Venetus, qui parentem in ea peregrinatione stipavit, orientaliumque rerum & regionum, quas peragravit descriptionem tradidit historiæ; e qua nos pauca, quæ fidei Christianæ commendant dignitatem, decerpemus. Instituta ille oratione de Tarvisio florentissima urbe Mediæ, quam Mahumetica superstitione fœdant incolæ, hæc habet (*c*).

Marcus Paulus Venetus redeuntem in Tartariam patrem stipat. Scribit orientalium historiam.

(*c*) *Eod. l. 1. c. 18.*

*Est mons quidam in regione illa haud longe a civitate Taurisii, qui olim virtute divina a loco suo hac occasione dimotus est. Accidit semel, ut Saraceni evangelium Christi blasphemare volentes, & veluti vanam doctrinam Christianis improperantes, dicerent: Est scriptum in evangelio vestro: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis monti huic transi hinc, & transibit; & nihil impossibile erit vobis. Nunc igitur si fides vestra caret errore, amovete montem hunc, & probate evangelii virtutem. Et quoniam Christiani sub perfidorum illorum dominio erant, cogebantur vel montem illum transferre, vel Mahumeticam subire legem: & si neutrum facerent, gladio ferirentur. Tunc vir quidam, in Christi fervens amore & fide, confortavit pusillanimes: & fusa oratione ad Dominum cum tota fiducia dixit monti: Abi hinc. Quod, vidente multitudine, illico factum est. De quo miraculo multi Saracenorum conversi Christum confiteri cœperunt.*

Sarracenorum ad Christianos oppriimendos vafrities.

Convicti translato ad Christiani imperium monte.

Narrat idem auctor (*d*) insigne aliud miraculum quo in Sammarehanda Sogdianæ regionis urbe ad sua usque tempora perstitisse testatur.

(*d*) *Eod. l. 1. c. 39.*

*Samareham*, inquit, *civitas magna & egregia est in regione illa tributaria nepoti magni Cham. In hac habitant Christiani cum Saracenis, hoc est Mahometanis. Accidit vero his temporibus in ea divina virtute tale miraculum. Frater magni Cham nomine Cigatai, qui regioni illi præfuit, persuasus a Christianis baptismi suscepit sacramentum: de quo Christiani gaudentes, favore illius ædificationis basilicam magnam in honore D. Joannis Baptistæ. Porro architecti ecclesiam illam tali fabricaverunt ingenio, ut tota ejus testudo uni niteretur marmoreæ columnæ, quæ medium ecclesiæ tenuit locum. Habebant tunc Saraceni insignem lapidem, qui omnibus modis ad hoc quadrabat, ut basis loco præfatam sustineret columnam. Raptus igitur a Christianis fundamento columnæ locatus est: de quo Saraceni dolentes biscere non audebant, cum princeps ad hoc ipsum annuisset. Factum est autem ut aliquanto post tempore princeps ille moreretur, & illi filius ejus in regno succederet, non autem in fide. Tunc Saraceni ab eo obtinuerunt, ut Christiani lapidem illum, quem columnæ sup-*

Fides amplificata Sammarchandæ.

Templum in ea nobile sacrum B. Joanni Baptistæ.

Sarracenorum ad illud evertendum consilia impia.

*suppofuerant, reddere cogerentur: & cum illi precium fatis dignum offerrent, recufarunt Saraceni quidquam aliud accipere quam lapidem: quod hac impoftura faciebant, ut Chriftianorum ecclefia funditus deftrueretur. Chriftiani itaque videntes durum efte contra ftimulum calcitrare, alio confugere nequiverunt, quam ad Deum & ad fanctum fuum Joannem Baptiftam, quem lacrymofis oculis invocare cœperunt. Adveniente itaque die, quando lapis fub columna auferendus erat ne ecclefia diutius maneret, nutu divino longe aliud decidit, quam perfidi fperaverant Saraceni: fiquidem columna adeo fublevata eft ab ipfa bafi, ut trium palmorum fpatium inter utriufque lapidis fuperficiem intercefferit, & columna ipfa jam teftudinem ecclefiæ non ferret, fed vice verfa teftudo columnam portaret; id quod in hunc ufque diem perfeverat.*

Insigni elusa miraculo.

Tradit deinde Paulus plura de funefta fuperftitione gentium, quæ Tartarorum imperio parent: ut in defertis fpectra dæmonum illudant (*a*) hominibus, quos in perniciem trahunt: ut in provincia Tanguth plura fint monafteria idolis confecrata (*b*), paffim dæmonibus immolentur facrificia, & nafcentes pueri iis commendentur confecrenturque: ut mifera natio aftrologiæ judiciariæ addicta fit, atque in provincia Camul adeo rationis lucem amiferint, (*c*) ut adulteriorum promifcuorum infamiam a dæmonibus perfuafi gloriæ ducant: ut Tartari adumbratum numen terræ Natagai nomine fibi fingant, (*d*) cui uxorem & liberos attribuunt, ac pranfuri fimulacrorum ora pinguedine perungant. Ut dæmones, qui infelices eos populos deludunt, horrendas edant voces, (*e*) ftatufque fui infelicitatem teftentur: ut reperiantur monachi cultui idolorum mancipati, religiofo cultu a plebe diftincti, qui fimiorum inftar diabolico inftinctu monachorum noftrorum ritus imitentur, (*f*) atque alii ex his carnem macerent alii, alii fe voluptates effundant: quæ iis confentiunt, quæ de Sinenfium fuperftitione referunt, qui hac ætate eas oras ad inferendam evangelii lucem perluftrant. Demiffis porro a Nicolao IV. flagitante Cobila Cham Imperatore, nec non a Clemente V. Joanne XXII. & aliis Pontificibus in Tartariam archiepifcopis, epifcopis, & facerdotibus, ut gentilitiæ fuperftitionis tenebras difcuterent, fuis locis dicetur. Nunc ad Sanctum regredimur, qui poft Tartarorum in Syriam adverfus Bendocdarem excurfiones defcriptas narrat Anglos, cum in Saracenos erumperent, nimio favorum & mellis efu periiffe: *Die vero* XXIII. *novemb. dominus Odoardus & frater ejus, Rex Cypri, & tres manfiones & peregrini cum peditibus iverunt Cæfaream, ut demolirentur Caco. Euntes autem invenerunt Turchemannos adve-*

Dæmones illudunt ethnicis.

(*a*) *Eod. l.* 1. *c.* 44.

De Tartaricarum gentium nefandis ritibus.

(*b*) *Cap.* 45.

(*c*) *Cap.* 46.

(*d*) *Cap.* 58.

(*e*) *Cap.* 62.

(*f*) *Cap.* 66.

Pseudomonachi idololatræ variæque eorum fectæ.

Anglorum in Syria expeditio.

*nifte, nihil fufpicantes adverfi. Incautos igitur præoccupant, & ufque ad mille quingentos interimunt, quinque millia animalium reportantes; propter lucrum dimittentes principale intentum de turri Caco. Propter quod a Saracenis minoris funt reputati valoris: & Soldanus ipfe nunciis Regis Caroli, qui pro treuguis obtinendis ad eum iverant, refponfioni fuæ inferuit, quia tot & tales in capienda una munitione defecerant, ut verifimiliter nequaquam credere poffet, eos aptos ad Hierofolymitanum regnum fuis viribus occupandum.*

Inutilis nostrorum prædæ inhiantium expeditio.

Parum etiam profpere adverfus alios infideles in feptentrione gefta res. Irrupiffe enim in Pruffiam infideles, contracto valido exercitu; ac ferro flammaque regione vaftata, magnam Chriftianorum multitudinem abduxiffe in fervitutem; additionum ad Lambertum auctor tradit. Quo tempore Judæi impotentia, non feritate in Chriftianos barbaris impares, in Germania ad fatiandam, qua ardent Chriftiani fanguinis fitim, in puellam innocente atrox & clandeftinum facinus exercere. At divina providentia, quæ ejufmodi fcelera impune non patitur, auctores patefecit, quos merito affectos fupplicio refert Cantipratenfis his verbis (*g*): *Miraculum referam celeberrimum, quod anno præfenti ab incarnat. Domini MCCLXXI. factum eft in Villa Theutoniæ Pforczheim nomine. Contigit autem, ut quædam malignifima vetula Judæis familiaris effecta, puellam eis annorum feptem orbatam parentibus venderet occidendam. Hanc igitur in fecreto fuper plura paria linteaminum obftructo ore ejus in omnibus fere juncturis membrorum incifionibus vulnerarunt, maximo conamine fanguinem exprimentes, & in ipfis linteaminibus diligentiffime receptantes. Hanc autem poft tormenta defunctam, Judæi in aquam fluidam prope oppidum projecerunt, & fuper eam lapidum congeriem pofuerunt. Tertia vero, vel quarta die per manum erectam ad cœlum a pifcatoribus eft inventa, & in oppidum deportata: horrentibus & clamantibus populis ab Judæis impiis tantum flagitium effe perpetratum. Erat autem in vicino marchio de Baden: qui mox audito tanto piaculo pervenit ad corpus; ftatimque ipfum corpus erectum refidens tetendit manus ad principem, quafi vindictam fanguinis, vel forte mifericordiam imploraret. Poft horam vero dimidiam iterum fe depofuit defuncti more fupinum. Adductis igitur ad hoc fpectaculum impiis Judæis, ftatim eruperunt omnia vulnera corporis, & in teftimonium horrendæ necis copiofum fanguinem effuderunt. Mox clamor vulgi ad fidera tollitur, & in vindictam fceleris totaliter animatur. Ex quibufdam indiciis capta vetula & convicta: maxime cum filia ejus parvula omnia prodi-*

Superbum Sultani responsum.

XXI. In septentrione Christiana res fluctuat.

Barbari irruunt in Prussiam.

Magnas inferunt clades.

(*g*) *Thom. Cantip. l.* 2. *c.* 29. *n.* 16.

Puella Christiana a Judæis trucidata.

Divina in aperiendo scelere providentia.

Examine corpus sponte erigitur, manuque justitiam poscit.

Præsentibus reis e vulneribus sanguinem fundit.



Affecti supplicio flagitii auctores.

*diderit, quia a puero & ebrio extorquetur veritas. Judæi quoque capti funt, qui in puellam manus nefarias extenderunt, rotatique & fufpenfi funt cum vetula: duo vero fe mutuo jugularunt. Hæc nobis duo fratres ordinis Prædicatorum Raynerius & Ægidius, ficut illi qui in villa fuerunt poft triduum, quo hæc gefta funt, veraciter retulerunt.*

XXII. Sancitum Ungaros inter & Bohemos fœdus.

Hoc anno compofitum eft difficillimum bellum inter Othocharum Bohemiæ & Stephanum Ungariæ Reges, quod pluribus annis eorum arma magno rei Chriftianæ damno exercuerat. Atque inter præcipuas fœderis leges conftitutum, ut Syria, Carinthia, Carniola, fceptro Bohemico obnoxiæ forent: nonnullifque archiepifcopis & epifcopis munus demandatum, ut nafcituras controverfias dirimerent, ac pacis violatores cenfuris ecclefiafticis compefcerent. Sed hæc & alia memoria dignifima ex ipfius Othochari Regis literis (*a*) petenda vifa funt.

(*a*) *Ext. apud Greg. X. l.* 1. *ep.* 4. *in lit. ad Stef. Reg. Ung. inferta.*

Illius forma promulgata ab Othocharo.

*Othocharus Dei gratia Rex Bohemiæ, dux Auftriæ, Styriæ, Carinthiæ, marchioque Moraviæ; dominus Carniolæ, Marchiæ, Ægræ, & portus Naonis; univerfis præfentium notitiam habituris, falutem in falutis auctore, &c.*

*Noverint univerfi, quod poft longa guerrarum difcrimina, quæ inter dominum Stephanum Regem Ungariæ illuftrem, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, & Bulgariæ, ducem totius Sclavoniæ, charifimum cognatum noftrum ex una parte; & nos ex altera fufcitata fuerant, fuggerente humani generis inimico; cum nos pro votivæ pacis puritate reformanda dilectos fideles noftros dominum Brunonem venerabilem epifcopum Olomucenfem, fratrem Hartpinum miniftrum ordinis fratrum Minorum per Auftriam, Hartlibum camerarium, Bubulchonem marfchalcum, Noczamizlonem pincernam Moraviæ, barones regni noftri mififfemus; dato eifdem pleno, fufficienti, & legati mandato, ut conventientes cum prælatis, & baronibus regni Ungariæ domino Paulo venerabili epifcopo Vefprimienfi, Ægidio fummo camerario, Rolando bano, & magiftro Benedicto propofito Oradienfi vicecancellario, a prædicto Rege Ungariæ fimiliter cum pleno mandato deftinatis, tractare, ordinare, & diffinire poffent omnia ad reformationem pacis facientia, quæ nos ipfi, fi præfentialiter cum ipfo Rege Ungariæ convenifemus, ordinare, & diffinire poffemus, pro noftri quiete animi, & noftrorum tranquillitate fubjectorum, iidem barones noftri, confiderantes cum prædictis baronibus regn. Ungariæ, ordinaverunt & affumpferunt juxta mandati traditi fibi formam, ut de cætero perpetua pax inter regem Ungariæ, ac nos debeat obfervari; nec eidem Regi, vel fuis turbationes, vel molefias inferemus, vel inferri per noftros patiemur: includentes eidem paci, & eadem vallantes, regnum noftrum Bohemiæ, terafque noftras Auftriam, Styriam, Carinthiam, Moraviam, Carniolam, Marchiam, Ægram, & portum Naonis cum omnibus attinentiis eorumdem, fecundum figna, diftinctiones, & metas antiquas: prout etiam progenitores noftri Reges Bohemiæ & marchiones Moraviæ; necnon antecefores noftri duces Auftriæ, Syriæ, & Carinthiæ, domini Carniolæ, Marchiæ, Ægræ, ac portus Naonis ufque tempus vitæ domini Belæ inclytæ recordationis patris dicti domini Stephani Regis Ungariæ poffederunt & tenuerunt. Verum termini hinc inde fuiffent avulfi, vel mutati, venerabiles patres dominus archiepifcopus Strigonienfis, & epifcopus Olomucenfis, Deum & juftitiam habentes præ oculis, fuper ipfis terminis & limitibus cognofcent: & id, quod legitime definiverint, per cenfuram ecclefiafticam partes facient obfervare; hoc adjecto, ut occafione terminorum, feu limitum, de quibus dicti archiepifcopus & epifcopus cognofcent, pacis puritas inter Regem Ungariæ, & nos non turbabitur; nec nos cum eodem Rege relabemur in guerrarum difcrimina recidiva.*

Qui proceres pro eo conciliando interpretes adhibiti.

Quæ Regis Bohemi terræ pacis tractatu comprehensæ.

Qui sint de earum limitibus cognituri.

XXIII.

*Pace igitur hujufmodi inter ipfum Regem & nos reformata, & cautionibus tam literarum autenticarum, quas jurisjurandi religione firmata, ut eadem robore fubfiftere valeat firmiori, infra terminum inter illuftrem Regem Ungariæ, & nos ftatuendum, feu moderandum pro pacis multiplici firmitate eidem Regi Ungariæ dari procurabimus, & faciemus literas magnificorum virorum domini Henrici Mifenenfis, & domini Othonis Brandeburgenfis inclytorum marchionum, cognatorum, & amicorum noftrorum, præfenti paci ex parte noftra incluforum; fuper eo quod iidem paci, conventioni, feu compofitioni, nunc factis per nos & barones, adhibebunt confenfum, conniventiam, & opitulationem commodam, inviolabiliter obfervandis: eo expreffim cauto tam in literis marchionis Henrici Mifenenfis, quam domini Othonis marchionis Brandeburgenfis prædictorum, ut fi nos pacem contingat, quod abfit, infringere, vel turbare, ex tunc iidem marchiones nobis non affiftent auxilio, confilio, vel favore; fed fe a nobis penitus feparabunt. Rex autem Ungariæ fub eadem, feu confimili forma nobis dari faciet literas magnifici domini Caroli illuftris Regis Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, & comitis Fulcalquerii: necnon literas domini Henrici inclyti ducis Bavariæ, & amicorum fuorum, fub ea forma: ut fi Rex Ungariæ aliquid contra pacem fecerit, vel attentarit, violando, feu infrigendo eandem; ex tunc iidem Rex & dura a focietate & amicitia Regis Ungariæ fe penitus re-*

Vincula ad fœdus adstringendum adhibita.

*retrahentes, eidem contra nos non impertientur consilium, auxilium, & favorem: & hoc expressim continebitur in eorundem Regis, & ducis patentibus literis, sigillis eorum autenticis pendentibus consignatis: quæ, ut dictum est, infra terminum, per dominum Regem Ungariæ & nos moderandum, nobis debent similiter assignari.* Plura interjecta sunt, quibus profitetur Othocharus, Nicolaum, & Stephanum Pauli filios, qui desciverant ab Ungaro, ac nonnullas arces occuparant, a se desertum iri, ut eæ a Stephano Rege recuperari possint: ac pariter e procerum consilio sancitum est, non admissum in gratiam ab Ungaro Henricum, Joannem, Stephanum, Nicolaum, ac Laurentium prænobiles viros; nec etiam eos, qui transfugerint ex Ungaria exceptum iri Bohemia, ut bellorum semina præfocentur. Ad quæ extinguenda etiam hæc cavet Othocharus.

Exclusi ab hoc fœdere nonnulli turbarum auctores.

XXIV. Qua ratione nascituræ controversiæ sint dirimendæ.

*Promittimus & assumimus, ut si aliqua temporum processibus successivis contingeret suboriri hinc inde, quæ turbare possent pacis & concordiæ unionem, pace eadem nunc facta in suo robore permanente; super gravioribus, quæ ex parte omnium nostrorum contra homines Regis Ungariæ attentata fuerint, sive facta episcopus Olomucensis tam ex ordinaria jurisdictione, quam ex ipsius jurisdictionis in eos, qui eidem episcopo subjecti non sunt, prorogatione nunc facta, cognoscet: & quæ, judiciaria maturitate servata, invenerit perperam attentata, seu facta in præjudicium Regis Ungariæ & hominum suorum, prolata diffinitiva sententia reformabit, postquam de causæ meritis cognoverit, ut est juris: & quod diffiniverit, per censuram ecclesiasticam faciet observari, cum ipsius Regis Ungariæ, & nostri barones ordinaverint juxta traditam sibi formam; & ipse Rex Ungariæ ac nos assumpserimus, approbaverimus, & emologaverimus præmissa omnia & singula spontanea voluntate.*

XXV. *Si vero aliqua graviora per homines Regis Ungariæ vel barones ejusdem attentata fuerint, sive facta, per quæ nobis & hominibus regni terrarumque nostrarum posset præjudicium generari; super iis venerabilis pater dominus Philippus Strigoniensis archiepiscopus ex ordinaria jurisdictione, quam omnes barones & homines regni Ungariæ in se prorogaverunt, cognoscet juxta formam articuli proximo expressi: & quod diffiniverit, executioni mandabit, contradictores per censuram ecclesiasticam districtius compescendo. Et in hujusmodi cognitionibus, diffinitionibus, & executionibus causarum procedent iidem archiepiscopus & episcopus, Deum & justitiam habentes præ oculis; postpositis gratia, timore, odio, & favore. Iidem quoque archiepiscopus & episcopus, in persanam Regis Ungariæ, atque nostram singuli singillatim promulgandi excommunicationis sententiam plenam habeant facultatem; cum ipse & nos in præmissis subjecerimus personas nostras jurisdictionibus eorumdem. In minoribus vero causis, quæ hinc inde inter ipsius Regis, & nostros homines emerserint circa confinia Moraviæ; duo ex parte ipsius Regis Ungariæ, videlicet comes Posoniensis & comes Nitriensis, ex parte nostra camerarius Moraviæ & Purchravius de Brumove; circa confinia Austriæ, ex parte Regis Ungariæ comites Supruniensis & Musuniensis, ex parte nostra castellanus de Haselovve & castellanus novæ civitatis judices provinciales; circa confinia Styriæ, ex parte Regis Ungariæ comites Castriferrei & de Zala, ex parte nostra capitaneus & notarius Styriæ; circa confinia Carinthiæ, Carniolæ, Marchiæ, ex parte Regis Ungariæ banus totius Sclavoniæ, ex parte nostra capitaneus Carinthiæ & Carniolæ, deputabuntur: qui querelantibus hinc inde justitiæ facient complementum: & id quod fecerint, tam ipsius Regis Ungariæ, quam nostra auctoritate facient observari. Quod si aliqui ex ipsis fuerint defuncti, successores ipsorum dignitatis hereditarii, vel per alterutrum Regum substituti fungentur vice, & partibus eorumdem.*

Sui præfecti utriusque regni limiti dati.

XXVI. Ob privatorum contentiones pax non violanda.

*Item si inter amicos Regis Ungariæ & nostros aliqua fuerit discordia suscitata pro causa hujusmodi, contra pacem promittimus non venire: sed discordantes studebimus, si poterimus, ad pacem & concordiam revocare: alioquin causa inter ipsos discordantes exorta archiepiscoporum & episcoporum judicio, vel ordinationi relinquetur: quam ipsi recipient, & eidem parebunt seu stabunt. Quod si amici nostri hæc renuerint adimplere, nullum consilium & auxilium eisdem impendemus contra Regem Ungariæ supradictum. Si vero, quod absit, Rex Ungariæ pacis violator ex quavis causa, propria vel amicorum suorum ac hominum regni sui, inventus fuerit, vel turbator; ipso facto incidet in sententiam excommunicationis, quam ex nunc venerabiles patres archiepiscopi Strigoniensis & Colocensis, eorumque suffraganei episcopi Ungariæ tulerint in scriptis solemniter: & quod eadem sententia teneat & astringat violatorem pacis & concordiæ, cum effectu ipse Rex Ungariæ subjecit se jurisdictioni ipsorum archiepiscoporum & episcoporum, non obstantibus aliquibus literis, indulgentiis, seu privilegiis a sede Apostolica impetratis, vel in posterum impetrandis.*

Constitutæ in fœdifragos censuræ.

XXVII. Adjectæ aliæ pœnæ.

*Præterea, ut multiplicatus funiculus pacem faciat pleniorem, venerabilis patres electus Salzeburgensis, Pataviensis, Frisingensis, Ratisponensis, Pragensis, Olomucensis, & Secovviensis episcopi regni terra-*



*rarumque nostrarum juraverunt, quantum in eis est, pacem præsentem inter ipsum Regem & nos ordinatam tenere, ac servare; & nos inducere juxta promissionis a se factæ formam, ad eandem mutuo observandam & tenendum ea, quæ in præsentiarum promisimus & promittimus, spopondimus & spondemus, sicut in ipsorum literis plenius continetur. Promiserunt etiam per idem juramentum & promittunt, quod si nos, quod absit, pacem infringere contingeret; vel ea, quæ in præsens placitum sunt deducta, violare; iidem Salzeburgensis electus ecclesiæ & episcopi nominati, regnique nostri barones nos deferent, & Regi Ungariæ adhærebunt ex debito præstiti juramenti. Verum si Regem Ungariæ pacem, vel ea, quæ in placitum devenerunt, infringere contigerit, vel turbare, archiepiscopi & episcopi regni sui & barones, ac comites iidem juxtam formam præsentis compositionis & ordinationis eum deserent, & nobis adhærebunt similiter ex debito præstiti juramenti, sicut in ipsorum patentibus literis continetur. Item electus Salzeburgensis, & venerabiles patres Pataviensis, Frisingensis, Ratisponensis, Pragensis, Olomucensis, Secovviensis episcopis de nostra & baronum nostrorum voluntate ex nunc sententiam excommunicationis promulgarunt, quam si nos, quod absit, pacem trangredi contigerit, ipso facto incurremus: & nihilominus iidem electus & episcopi totum regnum, terrasque nostras ecclesiastico subiicient in suis diœcesibus interdicto: non obstantibus literis, seu indulgentiis impetratis, vel in posterum impetrandis. Archiepiscopus etiam Strigoniensis, qui ordinarius Regis Ungariæ existit, & archiepiscopus Colocensis ipsius cancellarius, ac suffraganei eorumdem prælati regni Ungariæ consimilem excommunicationis sententiam in scriptis solemniter tulerunt, quam ipse Rex Ungariæ ipso facto incurret, si transgressor pacis existeret, vel turbator. Et si in hac parte archiepiscopi & episc. prædicti tam regnorum regni Ungariæ, quam regni nostri & terrarum nostrarum negligentes in exequendis præmissis extiterint, vel remissi, punientur a dominis Cardinalibus, quorum jurisdictioni se in hac parte subjecerunt, tamquam juramenti præstiti transgressores:* Adjecta sunt plurima procerum nomina, qui sacramento se devinxere pacem initam religiose culturos. Tum ad pacem firmandam constitutum, ut Ungariæ Rex a Philippi electi Aquilejensis, & Bohemus a Stephano Lombardo nepote marchionis Estensis fœdere discederent. Præterea subiicitur.

Adjecta a Regibus mutuorum æmulorum clientela.

XXVIII. Provinciæ juris Bohemici effectæ.

*Insuper dominus Stephanus Rex Ungariæ renuntiavit omni juri & actioni, quod & quæ sibi videbuntur competere, seu etiam competebant in ducatibus Styriæ, Carinthiæ, & dominiis Carniolæ marchiæ, nullam de cætero suo, vel heredum suorum nomine contra nos & heredes nostros super illis moturus materiam quæstionis. Renuntiavit etiam Rex Stephanus Ungariæ sæpedictus juri & actioni sibi & suis heredibus competentibus de insigniis regalibus, corona videlicet, gladio, monili, sella, scutellis, & aliis clenodiis, ac thesauro delatis per dominam Annam socrum nostram in regnum Bohemiæ.*

*Item prædictæ ordinationi & paci includi volumus & includimus excellentes dominos & illustres Regem Hispaniæ, Regem Angliæ, dominum Richardum fratrem Regis Angliæ electum in Imperatorem Romanorum, cum filiis, eorumdem; venerabiles patres dominos archiepiscopum Maguntinum cum suis suffraganeis, archiepiscopum Magdeburgensem cum suis suffraganeis, archiepiscopum Salzeburgensem cum suis suffraganeis; dominum Ludovicum comitem Palatinum Rheni, dominum Henricum marchionem Misenensem, dominum ducem Saxoniæ cum fratribus & filiis suis, ducem Brunsvvicensem & fratrem suum, dominum ducem Brabantiæ, dominum ducem de Lympurch, dominum Albertum Lantgravium Turingiæ dominum Theodoricum marchionem de Lantsperch, dominum Othonem marchionem de Brandburgh cum fratribus suis, charissimis avunculis nostris; filios domini Joannis marchionis, videlicet dominum Joannem marchionem Brandburgensem cum fratribus & filiis suis, dominum Vvolezlaum ducem Slesiæ & suum ducem Henricum ac alios filios suos, dominum Chunradum ducem Slesiæ cum pueris suis, dominum Henricum filium ducis Henrici de Vvratislavia, dominum Lezkonem & fratrem ejus ducem Cujaviæ; aliosque fideles, fautores, & familiares nostros cum filiis omnibus, terris, regnis, ducatibus, juribus, ac possessionibus eorundem.*

Qui Reges Othochari fœderati.

XXIX. De impetranda pactionum confirmatione a sede Ap.

*Insuper promisimus & promittimus juxta ipsorum baronum nostrorum ordinationem, quod a dominis Cardinalibus, vacante nunc sede apostolica, obtinebimus transmissis nostris nuntiis confirmationum pacis nunc facta: hoc adjecto quod ipsius Regis Ungariæ & nostri nuntii circa festum S. Michaelis nunc venturum iter arripient, & infesto omnium sanctorum proxime subsequenti se dominorum Cardinalium conspectui præsentabunt, & confirmationem nostris sumptibus & expensis obtentam faciemus ipsi Regi Ungariæ assignari. Item etiam Rex per suos proprios nuntios impetrabit consimiles confirmationis literas suis expensis & sumptibus nobis dandas. Creato vero Papa, confirmationem eamdem sub simili vicissitudine alterutri nostrum dandam faciemus, largiente Domino, impetrari: damna autem illata hinc inde compensatione mutua sunt sublata juxta ordinationem sæpius memoratam. Ut igitur præmissa universa & singu-*

Remissa utrinque damna.

*gula per nos inviolabiliter observentur; nec successivorum temporum mutatione infringi valeant, vel aliqualiter vacillare; juravimus & juramus, tactis corporaliter sacrosanctis evangeliis, multorum sanctorum reliquiis, & vivificæ crucis ligno: adificientes ut transgressor præmissorum præter infamiæ notam, quam transgressione juramenti incurret, divinæ acrimoniam sentiat ultionis, & cum Chore, Dathan, & Abiron recipiat portionem, Dei omnipotentis & gloriosissimæ Virginis & sanctorum omnium suffragiis destitutus. In cujus rei testimonium ad perpetuam memoriam ac munimen præsentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum & actum Pragæ an. Dom. MCCLXXI. coronationis nostræ anno* X. II. *id. julii.*

XXX. (a) Ext. inserta Greg. literis ad Othochurum Regem Bohemiæ. ep. 6. Qui principatu Regis Ungariæ fœderis tabulis contenti.

Respondent iis aliæ Stephani Regis Ungariæ literæ (*a*) de pace cum Othocharo Rege Bohemiæ, eodemque duce Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, marchione Moraviæ, domino Carniolæ marchiæ, Ægræ, ac portus Naonis firmata, qua Ungarico sceptro obnoxia hæc regna provinciasque comprehendit: *Includentes*, inquit, *eidem paci & eadem vallantes regna nostra, videlicet Ungariam, Dalmatiam, Croatiam, Ramam, Serviam, Galliciam, Lodomeriam, Comaniam, Bulgariam, totumque ducatum Sclavoniæ, cum omnibus attinentiis eorundem secundum signa, distinctiones, & metes antiquas: prout etiam progenitores nostri & antecessores Reges Ungariæ usque tempus vitæ domini Belæ gloriosæ memoriæ patris nostri possederunt, & tenuerunt. Verum si termini hinc inde fuissent avulsi vel mutati, venerabiles patres dominus archiepiscopus Strigoniensis, & episcopus Olomucensis, Deum & justitiam habentes præ oculis, super ipsis terminis & limitibus cognoscent; & id, quod legitime diffiniverint, per censuram ecclesiasticam partes facient observare.* Pluribusque interjectis: *Item archiepiscopus Strigoniensis, qui ordinarius noster existit, & archiepiscopus Colocensis aulæ nostræ cancellarius, & suffraganei eorumdem ex baronum nostrorum voluntate ex nunc sententiam excommunicationis promulgaverunt; quam si nos, quod absit, pacem transgredi contigerit, ipso facto incurremus; & nihilominus iidem archiepiscopi & episcopi totum regnum nostrum ecclesiastico subiicient in suis diœcesibus interdicto, non obstantibus literis seu indulgentiis impetratis, vel in posterum impetrandis. Electus etiam Salzburgensis, & venerabiles patres Patavienſis, * Vvisingensis, & alii prælati regni & terrarum suarum consimilem excommunicationis sententiam in scriptis solemniter tulerunt: quam ipse Rex Bohemiæ ipso facto incurret, si transgressor pacis extiterit, vel turbator. Et si in hac parte archiepiscopi & episcopi prædicti tam regnorum nostrorum, quam suorum negligentes in exequendis præmissis extiterint, vel remissi, punientur a dominis Cardinalibus, quorum jurisdictioni se in hac parte subjecerunt, tamquam juramenti præstiti transgressores.* Et infra controversis provinciis cedit.

De limitibus Ungariæ distinguendis.

* Frisingensis

XXXI. Quatuor provinciarum prætento jure cedit Ungarus.

*Item renuntiamus juri & actioni, quod & quæ videbantur nobis competere, seu etiam competebant in ducatibus Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Marchiæ; nullam de cætero vel heredum nostrorum nomine contra ipsum Regem & suos heredes moturi materiam quæstionis. Renuntiamus insuper juri & actioni, nobis & nostris heredibus competentibus, de insigniis regalibus corona videlicet, gladio, monili, sella, scutellis, & aliis clenodiis ac thesauro delatis per dominam Annam in regnum Bohemorum. Item prædictæ ordinationi & paci includi volumus, & includimus excellentes dominos Philippum Francorum, & Carolum Siciliæ Reges illustres, Carolum juniorem primogenitum ipsius Regis Caroli, generum nostrum; Michaelem Angelum Palæologum Imperatorem Græcorum, Andronicum juniorem Imperatorem Græcorum, generum nostrum; Bouzlaum Cracoviæ & Sandomeriæ, Boizlaum majoris Poloniæ, Henricum Bavariæ inclytos duces, generos nostros: Belam ducem de Machovv & de Bozna, fratrem nostrum; Urosium Regem Serviæ, & Stephanum filium ejus juniorem Regem Serviæ, generum nostrum; Svvetizlaum Imperatorem Bulgarorum, & Leonem generum nostrum Rhutenorum ducem; Mitizlaum fratrem ejusdem, & Vvazulem filium Vvazulæ duces Rhuthenorum, aliosque fideles; fautores, & familiares nostros cum filiis omnibus, terris, regnis, ducatibus juribus, ac possessionibus eorundem, &c.* Spondet daturum operam, ut Cardinales, vacante sede, superiores pacis leges confirment: ac deinde creato summo Pontifice, ab eo postulaturum, ut eas apostolica auctoritate communiat. *Dat. & actum in castris apud Pozonium anno Domini MCCLXXI. regni nostri anno* II. v. *non. julii.* Complevere promissa Ungariæ & Bohemiæ Reges: sequenti enim anno III. non. maii Gregorius hujus fœderis pactiones confirmavit, ac literas Othochari ad Stephanum, (*b*) Stephanique ad Othocharum (*c*) apostolico diplomate, quo erant corroboratæ, comphensas transmisit: tum archiepiscopo Pragensi (*d*) & episcopo Olomucensi distringendarum solemni ritu in Regem Bohemiæ; Strigoniensi (*e*) archiepiscopo & episcopo Wacienſi in Ungarum, censurarum auctoritatem contulit, si pactas fœderis leges infringerent. At de his hactenus.

Reges Stephani socii.

(b) Greg. l. 1. ep. 4. (c) Ib. ep. 6. Superiores pactiones a Greg. corroboratæ. (d) Ib. ep. 5. (e) Ib. ep. 7.

Luxit hoc anno Anglia Richardi, Anglorum Regis fratris, atque electi Imperatoris obitum. Qui quidem principes ob virtutes egregias feliciore sorte dignus vi-



Richardi electi Regis Rom. mors. Ut rerum caducarum fallaces exitus expertus sit.

videbatur: expertus vero est regia diademata plures spinas, quam flosculos habere. Quid enim ipsi imposita Germaniæ corona aliud quam spes anxias, acerrimos metus, tristia pericula, funestos exitus attulit? Hæc nimirum rerum humanarum conditio est, ut cum laboribus maximis ambiantur, ac spe avida inhiantes fuga fallaci deludant. De principis ipsius morte hæc adjectæ Parisio appendicis auctor: *Eodem anno Richardus Rex Romanorum, frater Regis Angliæ* IV. *non. aprilis apud castrum de Markamsted viam universæ carnis est ingressus: cujus cor in ecclesia fratrum Minorum Oxoniæ; corpus vero in ecclesia monachorum Cisterciensis ordinis de Hailes, quam ipse propriis expensis extruxerat, sepelitur.* Non adeptum Alfonsum Regem Castellæ sublato æmulo, liberas Imperii habenas, sed Rodulphum Habspurgensem ad Imperium evectum, suo loco dicemus: nunc Richardi, cujus filium majorem natu crudeliter a Guidone e Monteforti cæsum vidimus, funeri alterius principis, nimirum Entii [1] Friderici II. nothi filii funus addemus, quem pater Sardiniæ, invasis Ecclesiæ juribus, Regem imposuerat. Hoc enim anno Bononiæ carceris squallore, & incommodis fessus obiit. In quo S. Antoninus (*a*) progeniem vipeream Friderici defecisse ait; quamquam alii (*b*) adhuc Manfredi filium superfuisse, atque in arce munitissima Neapolitana a Carolo tentum, atque ob carceris incommoda orbatum oculis asserunt.

Entii olim tyranni Sardiniæ tristis mors. Divina in persecutoris eccl. progeniem ultio. (a) Ant. 3. par. tit. 20. §. 5. (b) Jo. Vill. l. 7. c. 62.

In-

NOTÆ [1] ENtii regis obitum plerique cum Annalista anno huic assignant; sed vereor, ne varia apud varios ineundi anni ratio illos deceperit. Nam author anonymus memorialis Potestatum Regiensium, vulgatus a Muratorio Rer. Italic. Tom. VIII. annum sequentem, & diem XIV. Martii feria secunda (quæ omnia cum anno 1272. plane quadrant) obiisse illum Bononiæ notat; addens exanime corpus aromatibus conditum, & non sine pompa sepulturæ mandatum fuisse in Ecclesia Fratrum Prædicatorum. Cum igitur novus annus tunc apud multos a die XXV. Martii exordiretur; hinc factum est obiisse infelicem illum Regem anno 1271. adnotarint. MANSI

I. INvexit non Italiæ modo, ſed toti orbi Chriſtiano publicam lætitiam Gregorii X. adventus anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo indictione quintadecima, atque offuſam omnium animis ex diuturnæ ſedis pontificiæ vacatione triſtitiam novæ felicitatis luce delevit. Et ſane ingenti expectatione ſuſpenſis omnium animis miſſi a Cardinalium collegio, aliiſque principibus, tum præſertim a Romanis oratores venienti obvii occurrere: qui ardentibus precibus flagitarent, ut in Urbem diverteret. Sed cum ille maxime ad reparandas Terræ ſanctæ res, Soldani Damaſci, ac Babylonis potentia attritas, incumbere optaret; ne longiore in Urbe mora vel occupationum imminentium mole a ſacro conſilio retardaretur, recto itinere Viterbium, ubi coacti erant Cardinales, ſe contulit (*a*). Utque ex viſis orientalium Chriſtianorum calamitatibus altus dolor pontificio pectori inhæſerat, primas apoſtolicas curas medendis eorum malis adjecit, ut teſtantur literæ (*b*) pontificiæ acceptam ante ſolemni ritu tiaram datæ (*c*) ad Eduardum Henrici Angliæ Regis filium, tum magno virtutis exemplo Terræ ſanctæ ruinas ſuſtentantem; quibus præter ſuperiora a nobis inſinuata ſignificat, ad auxilia ſubmittenda concilium œcumenicum celebratum iri. [1]

Adventus Gregorii X. in Italiam.

Viterbium ſe confert & qua de cauſa.

(*a*) Greg. to. 2. ep. 21.

Inſtaurandis rebus Syr. incumbit.

(*b*) To. 2. ep. 12. & cod. Vall. bibl. ſig. lit. C. n. 49. pag. 23. 24. 25.

(*c*) Tom. 2. ep. 22.

*Gregorius, &c. Magnifico viro Eduardo Primogenito Regis Anglorum.*

II. *Exigit affectio, quam ad te veluti filium prædilectum habemus, ut magnitudinem tuam ſpecialium literarum viſitemus oraculis; de ſucceſſibus ac proceſſibus noſtris habitis, poſtquam de partibus Terræ ſanctæ receſſimus, curemus reddere certiorem. Itaque ſicut Altiſſimo placuit, iter noſtrum juxta ſuæ miſerationis abundantiam dirigenti; nunc lento, nunc veloci navigio ſulcatis æquoribus, proſpere pervenimus ad portum Brunduſii, prout ad tuam credimus notitiam pervenisse. Deinde vero continuatis quasi dietis verſus Romanam curiam properantes, ut quo citius ibidem præſentiam noſtram adeſſe contingeret, eo celerius & efficacius ſecundum fervens deſiderium, quod in mente gerebamus & gerimus, poſſemus una cum fratribus noſtris dictæ Terræ ſanctæ ſtatui providere; nonnullos nobiles ambaſſatores Romanos de majoribus Urbis intra regnum Siciliæ nobis occurrentes invenimus qui ut recto tramite declinaremus ad Urbem, apud nos & aliquos ex dictis fratribus, qui tunc in occurſum noſtrum acceſſerant, cum maximæ ſupplicationis inſtantia laborarunt.*

Greg. lit. ad Eduardum.

Applicuiſſe Brunduſium ſignificat.

Obvios ſibi in Sicilia occurriſſe Romanorum oratores.

III. *Penſantes autem, quod Romana civitas, utpote magna plenaque negotiis, alia forte noſtrum impedientia propoſitum, vel retardantia ſaltem ejus effectum, nobis ibi præſentibus ingerere potuiſſet; non annuimus eorum precibus etiam cum quadam filialis devotionis importunitate porrectis: ſed Viterbium, ubi præfata reſidebat curia, procedentes, inibi nobis, licet labore deſeſſis, otio ſubtracto quietis, per octo dies continue, cæteris interim aditu præcluſo negotiis, ad hoc ſolum ſtudia noſtra vigili meditatione convertimus, ut eidem terræ, quam in extremæ reliqueramus neceſſitatis articulo conſtitutam, defenſionis & gubernationis auxilium perveniret.* Tum de cogendo conſilio nonnullis additis: *magnitudinem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus jugum oneris Domini pro ſui nominis amore ſupportans, circa cuſtodiam & defenſionem ejuſdem terræ ſolicite vigiles & labores: ita quod exinde retributionis æternæ tibi proveniat incrementum, & nomen tuum laudis humanæ præconiis altius extollatur. Dat. Later. II. kal. aprilis.*

Juſtis de cauſis Viterbium contendiſſe.

IV. Comparaſſe ſane Gregorium duodecim triremes in Syriæ auxilium docent ejus li-

NOTÆ [1] ITinerarium Gregorii ita breviter deſcribit Bernardus Guidonis in vita Gregorii X. vulgata Rer. Italic. Tom. III. fol. 597. *Recedens inde* (e Palæſtina) *menſe Decembri, & Januario navigando applicuit Brunduſium, venienſque per Regnum Siciliæ rege Carolo comitante per Capuam pervenit Viterbium, videlicet IV. idus Februarii. Accepto Papatu Gregorius X. eſt appellatus, & in Romam vadens VI. Kal. Aprilis eſt coronatus.* Congruit his, quod narrat vetus author rerum ab eodem Pontifice geſtarum vulgatus a Campo in Hiſt. Eccleſ. Placentiæ tom. II. qui & Brunduſii appulſum ipſis Januarii Kalendis affigit. Idem quoque de die, qua Brunduſium appulit confirmat Bernardus Theſaurarius, qui e Palæſtina ſolviſſe novum illum Pontificem notat die octava S. Martini, ideſt XVIII. Novembris. Ex eodem pariter anonymo vitæ Gregorii Scriptore diſcimus, veteres illos, ut S. Antoninum aliosque, qui Epiſcopum Placentinum egiſſe illum affirmant, erroris ſui ſpecioſam aliquam cauſationem habuiſſe. Nam epiſcopatum illum ſibi oblatum ab Innocentio IV. recuſavit eodem anonymo teſte. Denique eodem referente ſcimus privatum adhuc in Palæſtinam tranſiſſe cum primum obitum S. Ludovici audivit. Quamquam occaſione expeditionis illius a Sancto Rege ſuſceptæ, conſilium tranſeundi in ea loca ſuſcepiſſe videtur, cum Brunduſii jam agens ad transfretandum paratus nuncium de funeſto regis obitu acceperit. MANSI



Inſtructæ Gregorii ſtudio triremes.

(*a*) Ib. ep. 14.

(*b*) Ep. 15.

(*c*) Ep. 16.

(*d*) Ep. 12. & 17.

(*e*) Ep. 18.

literæ ad Piſanos (*a*), Genuenſes (*b*), Maſſilienſes (*c*), & Venetos (*d*) datæ, quibus ſingulis tres milite & commeatu inſtructas ad Saracenorum piratarum impetus propulſandos quantocyus mittere juſſit. Ad quod quidem pium opus Laurentius Teupulus, quem defixum anathemate fuiſſe ex aliis literis colligitur (*e*), non propendebat. Ad ſuſtinendos vero ſumptus ex piorum legatis pro re Chriſtiana inſtauranda relictis pecuniam redigendam curavit (*f*); quam non levem fuiſſe conſtat, cum inter cæteros Richardus in Romanorum Regem electus octo millia unciarum auri, Albanenſis epiſcopus Card. mille in ſacro bello collocanda teſtamento reliquiſſent. Contrahere etiam ſategit ingens aliud æs a Philippo Francorum Rege, quem literis ſolicitavit (*g*), ne Chriſti Domini ſanguine perfuſa loca infidelium faſtu ſacrilego conculcari, ac reliquias Chriſtianorum cædibus exponi pateretur. Utque facilius ipſum ad vota perduceret, Corinthienſem archiepiſcopum legatum miſit.

(*f*) Ib. ep. 22. 23. 32. & MS. Vall. ſig. lit. C. n. 49. pag. 111.

Qua ratione confectum æs ſubſidiarium.

(*g*) Lib. 1. ep. cur. 2.

V. *Recolentes*, inquit, *quod claræ memoriæ Ludovicus Rex Franciæ pater tuus (quem inter cæteros orbis terræ principes nobis amantiſſimum intra præcordia portabamus) veluti princeps inclyta devotione præclarus, princeps Chriſtianiſſimus præcellentium meritorum, athleta Chriſti ſtrenuus, & ſolicitus fidei Chriſtianæ defenſor; dudum præclaram Salvatoris hereditatem, pretioſiſſimi ſanguinis effuſione ſacratam, oculo piæ conſiderationis advertens, nec illius tormenta diſſimulans; aſſumpſit in ſpiritu pietatis ejus negotium proſequendum, ſe multis ſubiiciendo laboribus, & periculis exponendo; ad te germen illius ſtipitis præcellentis egregium, dictæ ſedis filium prædilectum; quem tanti negotii, ubi cauſa Dei ſpecialiter agitur, zelatorem intentum, & promotorem voluntarium contemplamur; quique, ſicut firmiter ſperamus & credimus, veſtigia proprii genitoris in virtutibus & gratiis a Domino ſibi traditis imitaris; cum fuerit ſplendore vitæ, aliorum catholicorum principum ſpeculum, & exemplar, ac multitudo gentium ambulaverit in lumine vultus ſui; aciem noſtræ mentis extendimus: eamque tibi fiducialiter aperimus; ut quæ ſcribimus, devota mente penſatis, quod in iis expedire perceperis, promptis, & efficacibus ſtudiis circumſpectio regia proſequatur. Ad manutenendam igitur ipſam terram, in extremæ neceſſitatis articulo conſtitutam; ne finali, quod abſit, deſoletur excidio, ſicut olim contulimus cum ducibus exercitus Chriſtiani, nec non cum Templariis, & Hoſpitalariis, aliiſque magnatibus illarum partium, quando præſentialiter inibi morabamur; & demum deliberatione cum noſtris fratribus habita duximus providendum, ut ad præſens eidem terræ in certa quantitate militum, & galearum, prout venerabilis frater noſter.. archiepiſcopus Corinthienſis, lator præſentium, tibi oraculo vivæ vocis exponet, debeat ſubveniri; & proceſſu temporis, cum propter hoc, & alia generale concilium indixerimus, certo termino, coadjuvante divina clementia, celebrandum, de majori & opportuno ſubſidio provideri. Per dictos enim milites ipſa terra in hoſtium fronteria conſtituta, manuteneri medio tempore poterit, & per galeas alia, quæ conſiſtit in maritimis, defenſari. Noſti namque, chariſſime fili, quod ſi nunc eadem terra relinquatur exterminio non adjuta, veriſimiliter poterit de totali ejus occupatione timeri, & vix unquam in poſterum de ipſius recuperatione ſperari.* Et interjectis nonnullis, quibus legatum commendat, ſubdit: *Nec mireris, quod bulla non exprimens noſtrum nomen eſt appenſa præſentibus, quæ ante conſecrationis & benedictionis noſtræ ſolemnia tranſmittuntur: quia ſemper ii, qui fuerunt in Romanos electi Pontifices, conſueverunt in bullandis literis ante ſuæ conſecrationis munus modum hujuſmodi obſervare. Dat. Viterbii IV. non. martii ſuſcepti a nobis apoſtolatus officii anno I.* Hortatus eſt etiam Reginam Francorum, ut virum pro ea, qua apud eum florebat, gratia ad tam pium opus inflecteret. Quo vero Gregorius (*b*) legato ſuo ad demandatum illi munus facilius implendum auctoritatem conciliaret, archiepiſcopo Rhotomagenſi, (*i*) Lingonenſi epiſcopo, (*k*) ac Sabaudiæ comiti (*l*) injunxit, ut ejus dictis fidem in omnibus adhiberent: quæ porro a Corinthienſi archiepiſcopo Regi expoſita ſint, ex literis ad Templariorum in Galliis præfectos colligitur quibus ſignificat archiepiſcopum Corinthienſem pro contrahendis ſubſidiis ad Philippum mitti atque ex Cardinalium conſilio ſanctum, ut Templariorum prædia, oppida, ædeſque ad vigintiquinque millia marcharum, ſi opus foret, Regi oppignerentur, ut raptim auxiliares copiæ conflari poſſint: nec vero eam rem equitibus futuram oneri, cum diligentia apoſtolica ea nomina diſſolvenda ſint.

Gregorii ad Regem Franc. lit.

Fium S. Ludovici patris pro inſtauranda re Syriaca zelum exponit.

Quæ una cum ducibus orientalibus contulerit.

Mitti ad contrahendas mutuo pecunias archiep. Corinthien.

Majora deinde in concilio auxilia decretum iri.

Cur nomen literis non adſcribat.

Excitata Regina Franc. ut virum ad pontificia vota flectat.

(*b*) Ib. ep. 3.

(*i*) Ep. 4.

(*k*) Ep. 5.

(*l*) Ep. 6.

Templariorum bona pro contrahenda pecunia Regi oppignerata.

VI. Obſecutum pontificiis votis Philippum Galliarum Regem ac petita viginti quinque millia marcharum Gregorio ad conflanda auxilia mutuo dediſſe, oſtendunt literæ tum ad Carolum Siciliæ Regem, (*m*) quibus rogat, ut patriarchæ Hieroſolymitano ad comparandum ex eo ære exercitum operam explicaret; tum ad Erardum (*n*) Valeriaci dominum (*o*) fiſci Siculi præfectum, Imbertum dominum Belli loci in Galliis magiſtrum equitum, atque alios proceres, ut ea vigintiquinque millia marcharum ex Tunetana pecunia

(*m*) Ext. in MS. Vallic. ſig. lit. C. n. 49. pag. 25.

Præbet ille mutuo Pontifici XXV. march. millia.

(*n*) Ext. ib.

(*o*) Ext. ib. pag. 25.

cunia ipsis commissa, atque in subsidium Terræ sanctæ convertenda Philippo Regi refunderentur: tum aliæ denique ad eundem Philippum, quibus gratias agit, ac significat eam argenti vim patriarchæ traditam; jussumque in Siciliam instruendæ classis gratia ad Carolum Regem Siciliæ se conferre: demum ad acriores illi stimulos, ut arma sacra susciperet, conversos in eum totius orientis oculos, Syriamque ad ipsum manus supplices tendere proposuit.

VII. Philippus significat Pontifici eo sacræ exped. teneri desiderio.

Incensus est Philippus adeo vehementi eripiendæ e Saracenorum manibus loca sancta desiderio, ut oratorum suorum opera conceptum animo sacrum ardorem in procinctu comparandæ ad circumferendam late divinam gloriam expeditionis, novo Pontifici significarit. Quo ille læto nuntio ingenti gaudio delibutus, ad pium desiderium in opus perducendum, gerenda pro Christo arma, atque egregia majorum exempla imitanda solicitavit (*a*), rem tamen differre, ut major instrueretur apparatus, placuit Gregorio: spoponditque sedem Apostolicam suam operam diligentissime adhibituram, ut Terram sanctam in Christianorum potestatem redigeret, deque Mahometanis triumpharet.

(*a*) Ib. pag. 23.

*Gregorius &c. Regi Francorum illustri.*

Oratores ad sedem Apost. mittit.

*Dilectus filius nobilis vir Joannes dictus de Accon butticularius regni tui, & N.N. consilii tui familiares & nuntii, quos contemplatione mittentis & suæ insuper bonitatis obtentu benigne recepimus, laudabilem & acceptum nobis admodum ad Terram sanctam, pro generis humani redemptione conspersam sanguine Redemptoris, regiæ serenitatis affectum ad multæ jucunditatis materiam retulerunt; apertius, concurrentibus ad id tuis literis, exprimentes, quod ad eripiendum terram ipsam de manibus impiorum sic promptitudo tuæ magnanimitatis extenditur, quod etiam in persona propria sis paratus assumere ipsius terræ negotium, divina tibi favente clementia, promovendum. Sane, fili charissime, ab illo, in cujus manu corda sunt principum, infusum tibi cœlitus credimus, ut claræ memoriæ progenitorum tuorum recolenda imitando vestigia, huic sancto proposito sic constanter inhæreas, quod ad vindicanda ipsius Redemptoris opprobria, tam promptus exurgas, ad eruendam terram ipsam de potestate persecutorum fidei, ne amplius ipsorum immunditia polluatur; offerens placabilem hostiam temetipsum, tanto procul dubio in ipsius Redemptoris oculis gratiorem, quanto extrema ipsius terræ necessitas oppressionibus eorumdem persecutorum expositæ, & quasi ab omnibus derelictæ, magis necessario singulare præsidium tuæ consolationis exposcit. Super quo, princeps inclyte, in vocem confessionis & exultationis erumpimus; & illi, a quo datur regnare principibus, labiorum vitulum exsolventes; supplicamus humiliter & rogamus instanter, ut dies tuos cum augmento felicitatis adaugeat, regnum tuum solida stabilitate corroboret, & te in consueta fidei puritate ad ipsius beneplacita, & specialiter circa ejusdem terræ negotium prosequenda, in tam sancti propositi soliditate conservet.* Nonnullisque interjectis, quibus illius postulata spectantia ad expeditionem in Syriam adornandam extraxisse ait, subiicit.

Pium Regis consilium collaudat Gregorius.

VIII. Suadet ut expeditionem differat, & cur.

*Ex suspensione namque hujusmodi utilius prædictum præparandi negotium, & utilem ipsius executionem, juxta nostrum desiderium modis variis muniendum, facultatem quærimus, & ad id plenis affectibus suspiramus, ut cum soleat longa belli præparatio celerem afferre victoriam, votivum de tuis laboribus exitum (quos idem exequendo negotium subire proponis) tanto certius sperare de illius, qui bella conterit, virtute possimus, quanto pleniora & ad hoc efficaciora munimenta interim, ut speramus, concedenda per ipsum id verisimiliter repæsentent. Nec enim, fili charissime, nos vel fratres nostros pati deceret; nec, quantum in nobis est, proculdubio pateremur, te maxime personaliter tantum aggredi minus inconsulte negotium, vel in tui præsertim regiminis & juventutis auspiciis ad talia prosilire aliter, quam deceret excellentiam regiam, per omnia communitum. Sed te id volumus de nostra & ipsorum fratrum mente indubitato concipere, id de nostra, & ipsorum deliberatione tenere, quod si fuerit ex alto concessum, ut dictum Crucifixi negotium personaliter secundum apostolicæ circumspectionis providentiam & votum tuæ devotionis assumas, illis sedes Apostolica tibi proponit adesse favoribus, illis personam tuam eidem sedi charissimam, ac nobis & eisdem nostris fratribus perdilectam communire præsidiis, quod divinæ potentiæ dextera tuis assistente processibus, liberatio ejusdem terræ desideria præveniet: & ei, Domino auspice, quietis optatæ diutius tranquillitas arridebit.* Hactenus de pontificia diligentia ac solicitudine in submittendis Francorum Regis opera auxiliis ad collapsas Syriacas res erigendas, antequam Apostolicis insulis Gregorius solemni ritu decoraretur. Jam de ejus consecratione abrupta parumper Syriacarum rerum narratione agemus.

Non passuram sedem Ap. ipsum inconsulte tantum opus aggredi.

IX. Romæ pontificalem tiaram accipit Gregor. Disceptatum de ritu quo Gregorius sacris pontificalibus esset initiandus.

Excepturus itaque magnifico apparatu pontificiam tiaram Gregorius in Urbem proficiscitur: atque effuso obviam populo lætissimis vocibus acceptus. Certatum autem fuit de rituum forma, qua excipiendus sacris pontificalibus initiandus & in pontificatus possessionem inducendus esset: cumque ea ex prudentum consilio fuisset descripta, Gregorius ad sedandas posterorum ambiguitates, ipsam in publica



blica monumenta referri voluit, quam ex antiquo ceremoniali volumine (*a*) delibavimus.

(*a*) Ceremonial. Rom. MS. bibl. Vat. sign. n. 4737. pag. 44. &c. Descripta rituum servandorum formula.

*Quia omnis potentatus vita brevis, idcirco sæpe contigit, quod Romani Pontifices, qui in subcœlesti hierarchia primatum obtinent, infra breve temporis spatium vitam finiunt, & carnis ergastulo derelicto ad libertatem transeunt patriæ supernorum. Et cum talis ac tanta hierarchia non debeat esse acephala quasi monstrum, censuerunt provide sancti patres, ut defuncti præsidiis corpore ecclesiasticæ tradito sepulturæ, per viam canonicam defuncto præsidii substitueretur alius, qui tanto præsit honori & oneri. Verum quia circa modos & formas, qualiter se debeat habere ecclesia erga hujusmodi substitutos, cum alii aliquando in diversis majoribus ordinibus ecclesiasticis constituti ad onus hujusmodi assumatur, frequenter extitit dubitatum: propter hoc sanctissimus pater & communis dominus Papa Gregorius X. qui olim in diaconatus ordine constitutus electus extitit ad ejusdem pontificiæ apicem dignitatis, volens per ea, quæ circa ipsum acta sunt, dubitationes hujusmodi amputare, ad cautelam præsentium & memoriam futurorum hæc, quæ sequuntur in scriptis fecit redigi, & brevis styli officio exarari.*

Ut electus Pontifex ad locum in quo Cardinales sunt, accedere debeat.

*Si quidem in primis, Romana ecclesia pastore vacante, ille qui fuerit, concorditer ab omnibus Cardinalibus, vel a duabus partibus electus in Papam, ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur. Qui si fuerit absens, vel de Collegio Cardinalium non fuerit ad locum, in quo Cardinales sunt in consistorio venire debet vocatus: & eo electioni de eo factæ consensum præstante, prior Cardinalis exuit capa seu clamyde, qua utitur, & ponit ei, si non habet albam Romanam, camisiam & orarium ad modum presbyteri super humeros, si est presbyter, vel super lævam partem, si est diaconus & non in presbyterii ordine constitutus: & postea ponit ei mitram & dicit: Investio te de papatu Romano, ut præsis Urbi & orbi. Et tradit ei etiam annulum, quo uti consueverit prædecessor ipsius; & ei mithram competentem super caput imponit: & petens ab eo quo nomine vocari velit, ipsum eo nomine, quo ei placuerit, vocabunt. Quo facto facit eum sedere in sede sua in faldistorio; & depositis communibus calceis, si habentur, rubea calceamenta papalia calcantur eidem. Et sic Cardinales omnes per ordinem primo episcopi, secundo presbyteri, tertio diaconi veniunt coram eo flexis genibus, & idem electus ordinate ad pedem recipit & ad pacis osculum; nec non & omnes alios capellanos suos, ac cæteros clericos & laicos venientes ad ejus reverentiam, infimos, mediocres, & majores.*

Dato consensu, induendus papalibus ornamentis.

Ut sit admissurus Cardinales ad pedis & oris osculum.

*Quibus expeditis, cruce præeunte papali, processionaliter ducitur a Cardinalibus & a tota curia ad cathedralem, vel ad aliam majorem ecclesiam loci, in quo est curia (si locus, in quo eligitur, civitas non existit) in qua ecclesia ad altare ducitur: & ante ipsum altare prostratus orat diutius, & dum orat, Te Deum laudamus, ab omnibus clericis solemniter decantatur. Quo decantato prior episcoporum dicit, Pater noster, & suffragia consueta, & orationem: Omnipotens sempiterne Deus miserere electo nostro. Qua finita, idem electus surgens ab oratione dicit: sit nomen Domini; & facit benedictionem. Qua expleta, reverenter osculatur altare, & ut ordinate venit ad ecclesiam, sic redit ad cameram suam, & signando semper in eundo & redeundo: & postquam redierit ad cameram, deponit pluviale & mithram, & assumit rubeum mantellum: & habere debet caligas de panno rubeo sine pedalibus & cum staphilibus, & infulam rubeam de scarleto, & postea parvos calceos de panno eodem, & calceos religiosos usque ad medium crux de corio rubeo, & tunicas & vestes de scarleto albo, & desuper pannos albam camisiam: & erit subcinctus cingulo de serico rubeo super camisiam; & ipsa camisia erit ita longa, quod elevata competenter super ipsum cingulum reflectatur.*

Agendæ Deo gratiæ in templo principe.

Signo crucis plebs lustranda a novo Pontifice.

Vestium illius forma.

*Idem vero electus, in quocumque ordine fuerit, si scribat aliquas literas alicui ante suam consecrationem, bullari faciat literas ipsas cum parte illa bullæ, in qua sunt capita Apostolorum ex una parte, ex altera vero erit plana, cum nondum sit consecratus in Papam; & in salutatione scribat nomen suum sic: G. electus servus servorum Dei dilecto &c. salutem & apostolicam benedictionem. Et addit in fine literarum ante datam: Nec mireris, quod bulla exprimens nomen nostrum non est appensa præsentibus, quæ ante consecrationis & benedictionis nostræ solemnia transmittuntur, quia ii, qui fuerunt hactenus in Romanos electi Pontifices, consueverunt in bullandis literis ante consecrationis suæ munus modum hujusmodi observare; & ponitur data in tali loco x. kal. maii suscepti a nobis apostolatus officii anno I. Et pœnitentiarii dicunt in data suarum literarum: Dat. &c. anno primo præsulatus domini Gregorii Papæ X. electi in Romanum Pontificem.*

Ante consecrationem dimidia bulla literas obsignat.

Addenda ad earum calcem ratio.

*Idem autem electus, in quocumque ordine constitutus, promovebitur ad majores ordines secundum formam, qua alii ordinantur: hoc tamen salvo, quod amictu & alba indutus & cingulo succinctus cum manipulo tantum si est subdiaconus; si vero est diaconus, cum stola super levam sedebit in faldistorio suo tenens mantum suum, pluviale vero indutum sed post collum, & mithram in capite tempori congruam. Et dum debet ordinari, ordinator veniet coram*

Ritus in sacris ordinibus illi conferendis servandus.

*ram ipso, & orationes debitas dicet, & alia faciet, quæ in ordine, quem confert, fieri consueverunt. Et attende, quod dum idem electus ordinatur, diaconus Cardinalis & subdiaconus capellanus assistent ei in lavando manus & induendo, sicut alias fieri consuevit, dum Papa celebrat: & erunt induti vestimentis sacris debitis. Et eidem electo postmodum duo debent assistere diaconi Cardinales, qui ei servient, ut est moris, & isti etiam vestibus sacris congruis erunt vestiti: alii Cardinales, cujuscumque ordinis, non erunt induti. Ordinator vero habebit suos ministros, qui ei in subdiaconatu & diaconatu & aliis ministrent; & hoc de ordine diaconatus. Quo electo ad ipsum ordinem ordinato, post susceptum ordinem, & vestimentis ordini debitis receptis, mantum sive pluviale, sicut dictum est, post collum resumet. Et cum veniet ad horam communicandi, ordinatus ad ipsum ordinatorem ad altare venit, & ordinator, eum reverenter communicabit: & sic omnibus paratis, & reverenter missa expleta, ipse electus dicet: Sit momen Domini; & faciet benedictionem. Qua dicta, ordinator ter dicet eidem electo: Multos annos, flectendo ter genua coram eo, ut est moris, & altiori voce semper dicendo. Idem electus nullum servitium in altari faciet ordinatori, nec epistolam evangelium cantabit. Nec ante receptionem ordinis diaconatus dicetur illa postulatio: Postulat mater ecclesia, &c. nam illa petitio non est necessaria in Papa, quem scimus per omnia esse dignum. * Quid de illa pronuntiatione, Auxiliante Domino; nec etiam cum promovetur ad ordinem presbyterii eadem postulatio dicetur.*

Duo Cardin. illi diaconi inserviunt.

Initians Pontif. plurimos illi annos precatur.

Prætermittendus ritus.

* Postulat mater ecclesia

*Sed cum ad ordinem presbyteratus ordinari debebit, induetur cum ea solemnitate, cum qua dictum est, habendo stolam super humerum & * manuale in brachio sicut diaconus: nec tamen habebit tunicellam, nec dalmaticam, nec calciabitur sandalibus, nec habebit pectorale; sed solum amictum & albam, & fiet lætania, ut consuevit. Et deinde ordinator coram ipso stans ordinat eum more consueto in aliis, & manus cum oleo sancto inungit, imponendo ei primo manum; & omnes presbyteri Cardinales, qui assistunt similiter: & ponit ei casulam reflexo ei primo orario, ut est moris super utrumque humerum. Quibus omnibus, ut in ordinatione presbyterorum continetur, peractis & casula ei extensa ad dorsum per ordinatorem, & parata a ministris, idem electus lavabit manus suas cum mica panis, ut moris est. Quo facto recipit ad pedem & osculum omnes episcopos Cardinales: presbyteros, & diaconos Cardinales ordinatorem quoque, nec non & alios prælatos, qui assistunt in ordine suo. Quo facto cantatur evangelium. Quo cantato, idem electus osculatur sibi delatum evangelium, ut est moris. Et post dictum: Dominus vobiscum, & Oremus, per ordinatorem, idem ordinator venit coram eodem electo, & recipit de manu ejus duos magnos panes, duas phialas vini, & duo tortitia, osculando ei manum. Quo facto, redit ad altare ordinator & ordinatus, & unus presbyter Cardinalis eidem electo ordinato servit de libro in altari in missa, dicendo & instruendo ipsum. Et deinde tempore debito, postquam ordinator communicaverit, præfatus electus de manu ordinatoris super altare communicabit, & omnia rite agentur usque ad finem missæ. Qua finita ordinator dicet: Multos annos; ut dictum est: Sit nomen Domini præcedens; per ipsum electum, prout superius est expressum. Quo facto, idem electus exuetur reverenter, ut moris est, dicendo post debite, scilicet Benedicite & laudate Dominum, aut Trium puerorum. Et ordines hujusmodi recipiet publice omnibus præsentibus, & a quocumque episcopo sibi placuerit Cardinale seu alio: & totum hoc agetur die sabbati. Die vero dominico sequenti consecrabitur, si sibi placuerit: si vero consecrari noluerit, sed ex aliqua causa differet consecrationem, quousque consecretur missam nec publice nec private cantabit.*

*Cum electus in Papam presbyter fuerit consecrandus, talis ordo debet servari. Primo idem electus, dum dicit primum, Quam amabilis, &c. calciatur sandaliis & caligis. Et, lotis manibus, induetur omni ornamento suo, scilicet primo alba, cingulo cum subcinctorio, postea pectorali, deinde favono, postea stola, deinde tunicella, & postea dalmatica. Subsequenter recipit chirothecas, & deinde casulam, & mithram in capite sine pallio & annulo pastorali, quæ postea recipiet in loco suo: & vestimenta erunt coloris temporis congruentis. Cardinales omnes tam episcopi quam presbyteri, diaconi, subdiaconi, & alii prælati omnes erunt in vestibus congrui tempori, & cruce papali præeunte cum faculis septem & incenso, omnes de loco, in quo est vestitus, veniunt processionaliter ad altare. Nulla tamen fit examinatio primo, nec etiam illa consueta in consecratione aliorum episcoporum, quæ incipit, Antiqua. Et vadit electus ad altare & facit confessionem, interim choro vel scola canente introitum & kyrie eleison. Qua facta, venit ante altare, & ibi incumbit super faldistorium paratum, & omnes alii prælati similiter, & duo diaconi Cardinales, qui ad serviendum ei a dextra lævaque assistunt, & capellanus subdiaconus dicit lætaniam cantando, aliis capellanis respondentibus. Et dum venerit ad illum locum: Consecrandus, &c. repetet bis, & quilibet prælatus una cum ordinatore electum ipsum signabit. Qua lætania dicta, or-*

De muneribus initianti offerendis.

Si Papa presbyter tantum foret, quo ritu sacra illi pontificalia conferenda.

Prætermittendum examen.



*ordinator venit coram eodem electo, & dicit illud quod est in pontificali: Episcopum oportet, &c. Quo dicto, redeunt post altare omnes: & tunc venit unus ex ipsis Cardinalibus, & dicit illam orationem. Adesto. Et postmodum venit alius episcopus Cardinalis, & dicit illam orationem: Oremus dilectissimi; & additur in ea: Utilitati universalis ecclesiæ, &c. Demum venit ordinator sive consecrator, & ponit apertum codicem evangelii super caput electi versus collum, & codex sic apertus tenetur a duobus Cardinalibus diaconis, & omnes prælati stant in circuitu induti quilibet cum suo libro: & ordinator incipit & procedit, ut continetur in libro, omnibus aliis prælatis secum dicentibus in voce depressa, & ordinatore in cantu. Deus bo. &c. prout est in libro, eo tamen salvo, quod mutatur in loco suo illud, & idcirco, quod specialiter ponitur in consecratione Papæ. Qua finita, depositis chirothecis, ordinator ponat unum capiteregium subtile in modum serti super caput electi pendentibus capitibus capiteregii post collum; & sic mittit chrisma super caput ejus in modum crucis, & dicit illam orationem: Ungatur, &c. & addit aliam orationem: Hoc Domine; & in loco suo additur illud tributis, &c. Qua finita, ungit manum electi cum chrismate, & dicit illam orationem: Deus, &c. qua finita non datur ei baculus, nec dicitur illa oratio: Accipe baculum; sed dat ei annulum, & dicit orationem: Accipe, &c. & addit sanctam universalem ecclesiam; & iterum dat ei librum evangelii, & dicit: Accipe, &c. & addit universali populo tibi commisso, &c. Quibus omnibus expletis per consecratorem idem summus Pontifex sedet in faldistorio, & lavat manus cum mica panis & aqua, & unus episcopus Cardinales venit coram ipso, & tergit ejus caput, quod fuit unctum cum mica panis & cum cortice leviter, & tergit cum linteamine sive subtili tobalea. Quo facto ipse summus Pontifex recipit consecratorem & omnes episcopos Cardinales & diaconos Carnales ad osculum oris.*

Quæ preces repetendæ.

De sacro balsamo in caput fundendo.

*Cum vero quis episcopus in Papam eligitur, non consecratur aliter, sed fiunt omnia, quæ continentur in isto loco ab hoc verbo; Primo idem electus, usque ad illud verbum. Processionaliter ad altare. Ubi facta confessione ascendit sedem præparatam, & ibi coram ipso veniunt episcopi Cardinales, & dicunt illas tres, quæ sunt in ordinario secundum ordinem in ipso ordine scriptas. Quo facto, sedet in sede & recipit dictos Cardinales & prælatos alios, &c. Facit ea, quæ hic continentur a verbo illo, Omnes alios prælatos ad pedem & osculum. Quibus receptis, venit ad altare, & inibi desuper est pallium paratum per priorem subdiaconum capellanorum, sive per priorem basilicæ sanctorum: & duo priores diaconi Cardinales tenent pallium ipsum, & tunc prior illorum duorum solus dat pallium summo Pontifici sub his verbis: Accipe pallium, scilicet plenitudinem pontificalis officii ad honorem omnipotentis Dei, gloriosissimæ Mariæ virginis ejus genitricis, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ. Et aptato pallio ipso super eum tribus spinulis aureis, ut est moris, ascendit summus Pontifex ad altare, & facit incensum, & demum redit ad eminentem sedem, & dicit: Dominus vobiscum, vel Pax vobis, sive Gloria in excelsis; ut dies requirit: & postea dicit orationem dominicæ alte, & aliam dicit pro se secrete.*

Si Episcopus Papa renuntiatus sit, quo ritu pallium acceptur us sit.

*Qua oratione finita, & secuta responsione, Amen; Papa residet in sede, & prior diaconus Cardinalis portans ferulam in manibus cum diaconis, subdiaconis, scrinariis, & judicibus, omnes induti solemniter, descendit ante altare, & facit duas acies sive fila, unam ex una parte, & unam ex reliqua, æqualiter dividendo; & ponit primo diaconos juxta altare, secundo subdiaconos, tertio judices, quarto scriniarios in ordine. Et ipse prior diaconus incipit laudem sic alta voce in cantu, quasi legendo: Exaudi Christe; & judices & scrinarii respondent similiter in cantu quasi legendo: Domino nostro Papæ a Deo decreto summo Pontifici & universali Papæ vita. Item idem prior dicit secundo: Exaudi Christe; & judices & scrinarii respondent ut prius: & sic facit tertio. Item idem prior dicit: Salvator mundi; & judices & scrinarii respondent: Tu illum adjuva; & sic facit tertio. Item idem prior dicit bis: S. Maria; & illi respondent: Tu illum adjuva. Eodem modo dicit tantum semel, S. Gabriel, S. Raphael, S. Joannes Baptista, S. Petre, S. Paulæ, S. Andræa, S. Stephane, S. Leo, S. Gregori, S. Benedicte, S. Basilii, S. Sabba, S. Agnes, S. Cæcilia, S. Lucia; aliis respondentibus: Tu illum adjuva. Quibus finitis, prior dicit: Kyrie eleison, & illi respondent: kyrie eleison; & hoc facit tertio. Et postea omnes dicunt alta voce & una vice; kyrie eleison. Et laudibus finitis legitur epistola Latina & subsequenter Græca super pulpitum: ita etiam de evangelio. Ille vero episcopus Cardinalis, qui eum consecrat, debet esse omni pontificali indumento ornatus absque baculo pastorali, dum eundem summum Pontificem consecrat.*

De componendo agmine religioso.

Faustis acclamationibus.

Implorandæ sanctorum ope.

*Qua consecratione finita, deponit omne ornamentum prædictum: & assumpto pluviali cum superpellicio, servit eidem summo Pontifici in altari, ut est moris: & sic missa ordine suo procedit usque ad finem; & cantabit cum solemnitate non super alta-*

Divina re peragenda.

*tare, sed ad sedem. Post missam dicit idem summus Pontifex: Sit nomen Domini. Consecrator tamen non dicit: Multos annos, sed omnibus rite peractis, ipse summus Pontifex & omnes Cardinales & alii prælati & subdiaconi, quilibet in gradu suo indutus vestimentis pretiosis albi coloris, episcopi pluvialibus, presbyteri casulis, diaconi dalmaticis, subdiaconi tunicellis, acolyti superpelliciis, & alii capellani, episcopi, archiepiscopi, abbates, & patriarchæ pluvialibus, & judices & scriniarii, similiter præfecti & advocati erunt induti pluvialibus, ipse in pluviali & mithra, & scola cantorum in superpelliciis. Et Papa omnia pretiosa ornamenta habebit, & pallium, & mithram optimam, & chirothecas, & annulum pastoralem: & sic cum omnibus venit ad portam sive ad gradus ecclesiæ, & ibi prior diaconus Cardinalis extrahit mithram, & ponit ei coronam, quæ vocatur regnum in capite, toto populo clamante: Kyrie eleison.*

Corona illi imponenda.

*Et sic cum omni ornatu quilibet Cardinalis & prælatus equitat equum coopertum panno albo: subdiaconi vero, capellani, scriniarii, & alii equitant ornate vestiti, non tamen habent equos coopertos. Papa equitat equum magnum phalcratum & coopertum tantum ex parte posteriori de scarleto, in parte vero anteriori non cooperitur. Sic omnibus equos ascendentibus, prior diaconorum cum ferula ordinat processionem hoc modo. Primo procedit equus domini Papæ phaleratus, secundo vadit subdiaconus cum cruce, tertio* XII. *banderarii cum* XII. *vexillis rubeis, & duo alii cum duobus cherub.....* IV. *duo præfecti navales induti pluvialibus,* V. *scriniarii,* VI. *advocati,* VII. *judices,* VIII. *cantores,* IX. *diaconi & subdiaconi, qui legerant epistolam & evangelium in Græco,* X. *abbates forenses,* XI. *episcopi,* XII. *archiepiscopi,* XIII. *abbates Urbis,* XIV. *patriarchæ & episcopi, Cardinales,* XV. *presbyteri Cardinales,* XVI. *diaconi Cardinales,* XVII. *dominus Papa & subdiaconus cum tobalia, & serviens qui portat umbraculum: & sic venit usque ad palatium suum sive ad ecclesiam juxta palatium suum. Ubi cum descendit de equo, deponit regnum de capite, & recipit mithram, & presbyter Cardinalis facit ibi laudes cum tabellionibus & judicibus. Quibus factis, deponit pallium & casulam tantum ac chirothecas; & resumit pluviale. Postmodum: venit ad aliquem locum præparatum decenter, & ibi dat cuilibet Cardinali & prælato presbyterium. Et sic ipse Papa sedet in sede, & quilibet Cardinalis & prælatus vadit coram eo, & flexis genibus extrahit sibimet Cardinalis sive prælatus mithram, & tenet apertam ante Papam: & ipse ponit illam pecuniam, quam dat ei in uno cypho argenteo camerarius, & quam dicit liber cameræ, qui vocatur policitus: & ille qui recipit pecuniam in mithra osculatur genu domini Papæ. Et idem camerarius habet ante se magnam mensam coopertam tobalea, ubi sunt hujusmodi monetæ & assistunt ipsi camerario clerici cameræ & duo mercatores: ipse vero camerarius & clerici tantum sunt in superpelliciis.*

Triumphali pompa ducenda.

Conferendis muneribus.

Celebrando convivio.

*Quo presbyterio dato, idem dominus ducitur a duobus Cardinalibus diaconis ad mensam solemniter paratam, & ibi sedet, episcopo Cardinale sibi dante aquam, & duobus diaconis tobaleam tenentibus: & eo loco vadunt omnes sedere, & sedet in una mensa eminenti solus Papa cum diversis & magnis vasis aureis & argenteis. In alia mensa sedent episcopi, in alia presbyteri, post eos in alia parte ad sinistram diaconi Cardinales, & postmodum mensæ omnium prælatorum & aliorum nobilium. Et attende, quod Papa stabit, dum comedet, indutus & calciatus, ut dictum est, & cum mithra, Cardinales vero omnes habebunt superpellicia cum camisiis & mantellis & mithra alba simplici in capite, & sic comedent, & omnes prælati similiter cum mithra. Coram Papa servient laici majores natu & nobiliores, qui sunt præsentes. Qua comestione finita, Papa lavabit manus ut prius, & quilibet Cardinalis similiter sedendo lavabit, servientе fundente aquam Cardinali lavanti. Cardinales, qui assistunt, teneant tobaleam unus ex una parte lavantis, alter ex altera, & sic sibi ad invicem mutuo serviant. Quibus omnibus lotis, & redditis, gratiis, Papa reducitur a duobus Cardinalibus ad cameram, & capellani discalceant & exuunt eum, & postea Papa quiescit. Cardinales vero & alii prælati redeunt ad hospitia sua cum mithris equites & parati, sicut steterunt in comestione. Et attende, quod dum venit coronatus, debet in quatuor locis facere missilia, id est pecuniam diversam mixtam proiicere super homines.*

De pompa a Palatio S. Petri ad Lateranum agitanda.

*Si vero Papa fuerit Romæ, apud S. Petrum ordinatur & consecratur: & dum debet consecrare induitur ad capellam S. Gregorii, & venit processionaliter usque ad altare, & fiunt cætera ut supradictum est. Quibus factis, coronatur ad gradus, & redit * Lateranensem per viam Papæ: & postquam equitaverit, fit ibi in eodem loco jactus pecuniæ per senescallum vel alium ter, & post Papam proiicit.*

* Lateranum

Spargendis pecuniis ad plebem.

*Item cum pervenerit ad turrim Stephani Petri, quæ est Parionis, & hodie dicitur turris de campo, unus de familia Papæ facit ibi unum alium jactum, stando in aliquo eminenti loco: & ibi dominus stat, & veniunt illuc Judæi cum lege, facientes ei, laudem, & offerunt legem sibi ut adoret. Similiter dum pervenit ad palacium*



*cium Cincii, unus de familia Papæ dicto palatio facit unum jactum similiter cum pervenerit ad S. Marcum. Similiter cum pervenerit ad S. Adrianum facit alium jactum, stando in fenestra palatii S. Martinæ: & sic venit ad plateam Lateranensem, & ducitur ad porticum, quæ vadit ad ecclesiam S. Joannis Lateranensis: & ibi ante porticum stat prior Lateranensis & canonici cum eorum comitiva induti solemniter & cum cruce processionali Papam, cum descendit, recipiunt: & postquam Papa descenderit, faciunt eum ibi sedere in quadam sede marmorea, quæ vocatur stercoraria: & veniunt omnes Cardinales, & honorifice elevant eum, ut vere dicere possint: Suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Et idem dominus Papa, stando juxta ipsam sedem, accipit tres pugillatas denariorum de gremio camerarii, & proiicit inter populum dicens: Aurum & argentum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do. Et postea, priore & canonicis præeuntibus cantando, ducitur per ipsam porticum ad ecclesiam basilicæ Lateranensis, ubi orat & dicit: Sit nomen Domini; & deponit regnum, & assumit mithram, & sedet in magna sede post altare, ubi recipit prædictos priorem & canonicos Lateranenses ad pedem & ad osculum. Quo facto ducitur ad palatium: & ubi venerit ad portam palatii, unde intratur palatium per ecclesiam, ponitur ibi faldistorium, & ibi Papa sedente, prior presbyterorum Cardinalium, ordinatis judicibus & scriniariis in filo, facit ibi laudem sicut diaconus Cardinalis fecerat in missa ante epistolam post orationem. Postea ducitur ab ipsis Cardinalibus per palatium usque ad portam ecclesiæ S. Silvestri, ubi sunt duæ sedes porphyreæ: & primo sedet in illa quæ est ad dextram, ubi prior basilicæ S. Laurentii dat ei ferulam, quæ est signum correctionis & regiminis, & claves ipsius basilicæ, & sacri Lateranensis palatii, in quibus designatur potestas claudendi & aperiendi, ligandi atque solvendi: & cum ipsa ferula & aliis clavibus accedit ad aliam sedem similem, quæ est ad sinistram: & tunc restituit eidem priori ferulam & claves, & incipit sedere in illa secunda sede. Et postquam aliquantulum sederit, idem prior cingit eidem domino Papæ zonam de serico rubro, in qua debet pendere bursa purpurea, in qua sunt duodecim lapides pretiosi cum sigillis & muscus: & dum in ipsa sede sedet, recipit officiales palatii ad pedem & ad osculum, & sedens ibi recipit de manu camerarii denarios argenteos, & proiicit eos super populum; & hoc facit ter, dicendo singulis vicibus Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi: & in duabus sedibus debet Papa taliter se habere, ut videatur potius jacere quam sedere: & nulla istarum sedium, nec etiam stercoraria erit coorperta vel parata, sed nuda. Deinde ducitur ad sanctam sanctorum, ubi intrat, & ante altare suam orationem facit: & postea reducitur ad capellam S. Silvestri, in quam intrat & sedet in loco præparato, & facit presbyterium, de quo supradictum est. Postea redit ad cameram, in qua deponit casulam & pallium, & assumit mantum, & vadit comedere ut supradictum est: primo tamen recipit juramentum secundum formam. Ego talis, &c. a senatore.*

De sede humili dicta stercoraria ob decantationem verborum psalmi: *De stercore erigens pauperum.*

Alii ritus.

Exigit novus Pontifex fidei sacramentum a senatore Urbis.

*Si vero dominus Papa consecratur vel eligitur extra Urbem, cum venerit ad Romam ad capellam S. Mariæ Magdalenæ ad radicem montis Marii descendit, & intrat cum Cardinalibus ipsam capellam, & ibi recepit pluviale & mithram, & postea equitat & procedit: & Judæi sibi occurrunt cum lege & laudibus. Et omnes ecclesiæ Urbis ei obviant honorifice cum processione, & veniunt omnes clerici induti cum crucibus & vexillis & thuribulo cum capsa: & idem dominus Papa de thure cum cochleari in thurribulo ponit, & illi Papam cum eo incensant: & faciunt ita omnes ecclesiæ. Et sic ducitur per porticum usque ad gradus S. Petri, ubi est processio parata & archipresbyter canonici S. Petri, a quibus recipitur reverenter: & cantantibus ipsis canonicis, introducitur in ecclesiam priore canonicorum tenente ipsum Papam ex una parte, & priore Cardinali ex altera, & sic introducitur in ecclesiam tenentibus eum: sed prior dimittit eum ante portam ecclesiæ ipsius basilicæ, & alius Cardinalis assumit eum ex illa parte; & in medio ecclesiæ veniunt & cantant coram ipso presbyteri Cardinales: Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Quo dicto ducitur ad altare, & ibi orat, & dum orat cantant canonici: Te Deum laudamus. Quo cantato, surgit dominus Papa ab oratione, & dicit: Sit nomen Domini benedictum; & postea osculatur altare B. Petri offerendo super altari pretiosum pannum aureum. Et nota, quod semper Papa offert pannum sericum super altare cujuscumque ecclesiæ cum primo ejus altare ascendit. Demum ad magnam & eminentem sedem post altare B. Petri ducitur, & in ea a priore diacono Cardinale inthronizatur & ponitur, & ibi sedens recipit ad pedem & ad osculum oris omnes Cardinales ordinate, & omnes canonicos S. Petri. Quo facto ducitur ad cameram suam, & ibi quiescit. Cum vero venerit Lateranum, recipitur prima vice ut supradictum est de sedibus & omnibus præterquam de laudibus, & offert ad altare ut dictum est.* Hactenus ceremoniale pontificium. Quibus perfectis sacris ritibus, qui

Si extra Romam sacratus Pontifex, quo ritu excipiendus.

qui circa ipsum peragendi erant, Gregorius tertia die consueta celebritate sacra corona est redimitus: tertiaque die encyclicas literas de suscepto a se ecclesiæ clavo, de more exaravit; quæ in regesto tabularii Vaticani (*a*) archiepiscopo Senonensi ac suffraganeis, in vetusto vero codice Vallicellano (*b*) patriarchæ Hierosolymitano sunt inscriptæ.

(*a*) Greg. l. 1. ep. 1. & in eod. tom. pag. 121. extstiam in formul. Mar. Ebul. pag. 19. n. 128.

(*b*) M. S. Vallic. bibl. sign. lit. C. n. 49. pag. 85.

*Gregorius, &c.*

*Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Gloriosæ nativitatis dominicæ latens licet mysterium, patens tamen late præconium cœlestis præco humano nunciaturus generi, præmisso accommodo verborum schemate, Deo in altissimis gloriam retulit, pacem in terra bonæ voluntatis hominibus nunciavit. Hæc est nunciatio profecto dignissime veneranda: hæc attentione dignissima, quam vere venerabilem reddit nuncium mittentis sublimitas, extollit nunciantis auctoritas, & nunciationis ipsius veritas manifesta commendat. Hæc vera & juxta; sed eam non servantibus proculdubio tremenda partitio, qua ore angelico soli Deo attribuitur honor & gloria, quam solus ipse meretur, qui facit mirabilia magna solus; qua dum bonæ voluntatis hominibus pax in terra promittitur, interdicitur impiis, malevolis denegatur. Nulla est enim pax impiis, nulla contemnentibus: sed multa diligentibus nomen Dei. Eorum siquidem, qui mandata ipsius audiunt, pax ut flumen: impii vero ut mare fervens quiescere nequeunt, pacis commoda nesciunt: sed discerpentibus vitiis in seipsis dissident, & turbantur: & redundantibus ipsorum fluctibus in conculcationem diaboli, lutumque peccati; dum per peccatum avertuntur ab eo, qui est pax nostra, quæ exsuperat omnem sensum, a pace redduntur per consequens alieni; non immerito, sed ob sua demerita pectoris & temporis pace frustrati. Deus etenim ultionum, exercituum dominus, agens libere, ut retributionem reddat suæ, quantum in eis est, detrahentibus gloriæ, superbiendo per peccatorum insolentias, contra ipsos terram commovens & conturbans, eisque justo judicio pacem tollens; ostendit populo suo dura propter injustitias suas ipsum humilians, super ipsum inducens terrorem, & rectorem interdum spiritum principum auferendo subducens, ut non sit qui congreget ab ovili Domini peccatorum aversionibus fugientes: non sit qui errata corrigat; sed qui est in sordibus plus sordescat.*

De promotione sua encyclicas literas mittit.

De pace quam omnibus optat præfatur.

De pacis oforibus conqueritur.

X. *Hinc itaque hinc proculdubio provenire creduntur, imperiorum fluctuationes, collisionesque regnorum, & cuncta guerrarum dissidia, quæ animarum pericula, corporum strages, facultatum lapsus, & destructiones inducunt. Hinc cætera non facile numeranda discrimina, & in partibus variis graviter deploranda contritio, & gravis admodum pudendaque confusio populi Christiani. Hinc diutinæ vacationis sedis Apostolicæ dispendium (post felicem sanctæ recordationis Clementis Papæ patris & prædecessoris nostri de hoc mundo transitum, & corpus ipsius cum debita exequiarum solemnitate reconditum, tanto tempore) prorogatum, donec Dominus, populi ejusdem peccata dissimulans, & misericorditer ipsius miserias miseratus, dignatus est ipse, qui concordiam in sublimibus operatur, fratribus nostris sic unanimitatem ad procedendum in provisione sedis ejusdem facienda concedere, quod miro Dei & nobis nimirum stupendo consilio ad imbecillitatem nostram oculos dirigentes; nos (qui tunc in minori constituti officio pro salutis nostræ remedio peregrinabamur in partibus transmarinis) ad conscendendam apostolicæ præeminentiæ cathedram, & suscipiendum importabile nobis non solum ex humanæ infirmitatis; sed etiam ex humilitatis nostræ defectu, onus universalis regiminis orbis terræ; concorditer elegerunt, ad inducendum nos ad id variis ad nostram præsentiam nunciis & literis destinatis. Nos vero in consideratione examine onus ipsum per hoc nostris imponendum humeris & opus nostra prosequendum solicitudine attendentes; nostrarumque metientes virium quantitatem, dispungendo insufficientes virtutum sumptus, & meritorum insufficientiam comparando; eligendum sano consilio putabamus, ut humeri subducerentur ab onere, manus ab opere arcerentur. Verum ne post ejusdem vacationis tam diffusa & dispendiosa tempora obstinata contradictionis reluctatio profusioris dispendii occasionem induceret; nos non de nobis, sed de illo solo concepta fiducia, qui dat lapso virtutem; qui solus potest, cum omnis sufficientia sit ab eo, nostram insufficientiam abundantia virtutis suæ supplere; in humilitatis spiritu tanti oneris sarcinæ imbecilles exposuimus humeros, debiles misimus manus ad fortia, & humiliter colla submisimus jugo apostolicæ servitutis; suppliciter implorantes, ut ipse, qui per hujusmodi vocationem in maris mundi hujus altitudinem nos deduxit, non patiatur ab ipsius tempestate demergi; sed illam nobis suæ potentiæ dexteram porrigat, quæ Apostolorum Principem ambulantem & hæsitantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit: & coapostolum ejus Paulum nocte ac die in profundo maris positum liberavit.*

Divinam providentiam, quæ ipsum ad pontificatum extulit, commendat.

XI. *Accedit etiam ad grande nostræ fiduciæ fulcimentum vestræ consideratio probitatis: speramus namque ac summopere affectamus, quod cum sitis in partem tantæ solicitudinis nobis singulariter indictæ vocati, sic auxiliante Domino commissum vobis*

Præsules ad populos optime instruendos hortatur.





*bis ministerium impleatis, ut populum vestræ custodiæ creditum reddatis Domino acceptabilem, bonorum operum sectatorem. Ad quod universitatem vestram affectuose monemus, & qua possumus instantia exhortantes, humiliter petimus, & rogamus instanter, quatenus vestris orationibus devotis & sedulis nostras manus debiles confortetis; pias preces fundentes ad Dominum, ut in beneplacito filii sui dirigens actus nostros, nobis & vobis ac cæteris ecclesiarum pastoribus sua pietate concedat, sic circa gregem dominicum cura pervigili noctis observare vigilias, quod in eo mansuetudo superveniat, & correctio subsequatur: reddatur Domino populus Christianus voluntatis acceptæ, pacis ex hoc proculdubio commodis potiturus. Scimus enim quod si fecerit ei placidas vias suas, ipse inimicos ejus convertet ad pacem, nec erit qui eum exterreat; sed perfidæ gentis terroribus de ipsius finibus profligatis, confidenter in tabernaculis fiduciæ habitabit, & fiducialiter in requie opulenta quiescet. Nos sane vobis affectum charitativæ benignitatis expandimus, & signum charitatis solidæ aperimus; proponentes, quantum cum Deo poterimus, honori vestro deferre, ac vestra & ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentiæ promovere. Dat. Later. IV. kal. april. pontificatus nostri anno I.*

XII. Certiores etiam creationis suæ Christianos principes fecit, inter quos benedictionis apostolicæ primitias Philippo Francorum Regi impertiit (*a*): eumque salubribus præceptis ad sectanda impressa a patribus virtutum vestigia, tuendam Ecclesiam, vitiaque e populis excindenda excitavit: tum ipsi apostolicam clientelam est pollicitus. Salutatis itaque principibus, ac benevolentia apostolica ipsis promissa, cœptum Hierosolymitanæ expeditionis ante accepta pontificatus insignia opus urgere non destitit. Cum vero nonnulli Christiani, exuto omni pudore ac divini Numinis metu, avaritiæ furiis perciti, arma atque alias merces, unde lædebantur Christiani, Saracenis inveherent, Gregorius ad eos ab scelere deterrendos literas dedit. Laborabant inter cæteros ea infamia nonnulli Genuenses mercatores: ad quos comprimendos Gregorius summos in primis reipublicæ Genuensis magistratus hortatus est (*b*), ut tantum nefas arcerent; utque ipsis eam rem suaderet, fortissimum argumentum ex crudeli Sultani facto duxit: cum enim infantulos in servitutem abductos redimi permisisset, paulo post decretum convulsit, dictitans eos postea milites evasuros, ac Saracenis bellum illaturos: si enim tenellæ ætati non pepercit, ne successu temporis corroborata, arma gestaret; quanto æquius iisdem Saracenis vires succidere atque ea adimere, quibus instructi tot Christianis mala infligere consueverunt?

(*a*) Ib. ep. 2. Ad Philippum Franc. Regem de eod. scribit.

Percellit Greg. cen. furis devehentes merces ad Saracenos.

(*b*) To. 2. ep. 10.

*Gregorius, &c. Capitaneis, consilio, & communi Januensibus.*

XIII. *Heu gravissimum Christi, & Christianitatis opprobrium! Perire permittitur nostræ pulchritudinis ornamentum, ipsum videlicet speciale patrimonium Salvatoris, nativitatis, passionis, & resurrectionis dominicæ gloria decoratum: & exinde suos incolas contemptibiliter fugari percipimus, ubi liberaliter pretium nostræ redemptionis exolvit. Proh dolor! ibidem crucis hostes inhumani tyrannide superant, qui servili subeße conditione solebant, quorumque multitudinem virtus paucorum fidelium tunc timentium Dominum superabat. Illud autem horribile scelus, & execrabile crimen occurrit merito reprobandum, quod nonnulli maledictionis alumni, solo nomine Christiani, terrena dumtaxat, non cœlestia sapientes, & innitentes perniciosis lucrorum studiis, ut in voluptuosæ vitæ fæcibus latius debacchentur, victualibus, armis, vasis navalibus, & aliis necessariis eausa damnati questus Christi muniunt inimicos, ut ad impugnationem fidei & Christianorum, ac Terræ sanctæ depressionem robore fortiori sic muniti consurgant, ac ponatur inæstimabilis macula in gloria nominis Christiani. Hi sunt ingrati filii, qui pœnam meruere doloris. Ii sunt qui apud ipsum Redemptorem fore merentur odibiles, ut ab eis faciem miserationis avertat. Ii profecto non solum percepta beneficia non attendunt, verum etiam contra Redemptorem eumdem probabiliter conspirare videntur, dum fœdus cum ipsius hostibus ineunt, & in ejus contemptum illis talia præsidia subministrant. Utinam, etsi non timorem, vel amorem divinum attenderent; aut, si de vitando dictæ terræ dispendio non pensarent, saltem ipsos graves injuriæ coercerent, quæ dictis & factis in barbaricis partibus eis, & in ipsis Christianæ religioni multipliciter inferuntur. Inter alias namque confusiones, quas in partibus illis pseudochristiani recipiunt illuc mercimonia deferentes, si de aliquibus gravaminibus conquerantur, hac eos probrosa responsione Saraceni confundunt: Si erueremus vobis alterum oculorum, ad nos cum reliquo rediretis; prout iidem mercatores nobis, eo tempore in regione Terræ sanctæ morantibus, expressius retulerunt.*

Execratur eorum avaritiam.

Exprobrat Saracenos ipsis insultare.

XIV. *Cumque frequenter eveniat per hostilitatis incursus, quod ex Christianis viros & mulieres, ac lactentes etiam parvulos Saraceni præfati capiunt, & captos sub carcerum arctatione detrudunt; nonnumquam infantibus a matrum uberibus, ut ma-*

Saracenorum crudelitatem exponit.

*materni lactis careant pabulo, separatis; contigit olim ad cujusdam instantiam militis Christiani, gratiam habentis in oculis Soldani præsidio barbarorum, procurante nihilominus quodam ex fratribus ordinis S. Trinitatis, qui ad captivos hujusmodi redimendos sunt specialiter deputati, quod idem Soldanus mulieres cum parvulis suis, quos carceris angustia cruciabat; aliis ætate provectis a gratia liberationis exclusis, per suas literas liberari mandavit. Sed cum detentores eorum, habitis hujusmodi literis, eosdem liberare parvulos denegarent, memoratus Soldanus, ad quem habitus est recursus, requirentibus eum super hoc expresse respondit, se mandatum revocasse, quod fecerat de prædictis parvulis, ut prædicitur, liberandis; ne per ipsos, quos reddere poterat provectior ætas armigeros, posset processu temporis impugnari: sicut idem frater nobis, tunc in partibus dictæ terræ degentibus, retulit viva voce. Si ergo nominatus Soldanus crudelitatis acerbitate devictus, quod de præfatis parvulis ex quadam humanitate concesserat, denegavit tandem efficere, ne ad impugnandum ipsum consurgerent in futurum; quam gravi opprobrio Christianitas ipsa respergitur, cum vinci nos a pietate non patimur, sed in nosmetipsos acerbius sævientes, illis hostibus arma nostra deferimus, quibus contra Christum in fidem ejus fortius muniuntur?*

Sultanus negat lactentes dare libertati & cur.

Exemplo Sultani Christianos a juvandis Saracenis deterret.

XV. *Et quidem graviter, nec mirum, dolere compellimur, dum pensamus, quod renatos fonte baptismatis per tam miserabilis cæcitatis devium oberrantes, Dei turbatio non deterret, gehennæ terror ab errore non revocat, ignominia famæ non retrahit, ac ejusdem injuria fidei non compescit. Unde quod tales inverecundi, & impii Christiani, quos excæcat fœdi lucri cupiditas, sua non sunt impietate consumpti, sola cœlestis miseratio, ut pœnitentiæ locum indulgeat, operatur: nam aliter subsistentiam non haberent, qui a se verecundia prorsus abjecta per tantæ damnationis semitas gradiuntur. Quare sedis Apostolicæ providentia, sacro tunc approbante concilio, volens adhibere circa præmissa remedium, illos falsos & impios Christianos, qui Saracenis deferre præsumerent arma, ferrum, & lignamina galearum; eos etiam qui galeas venderent illis, aut naves, quique gubernationis curam in piraticis Saracenorum navibus exercerent, vel in machinis; aut quibuslibet aliis aliquod auxilium, vel consilium eisdem impenderent; anathematis & excommunicationis vinculo innodavit: ipsosque rerum suarum privatione mulctari, & capientium servos fore decrevit, certis aliis pœnis adjectis nihilominus contra eos.*

Pontificum censuras in eos latas exponit.

XVI. Illas renovari.

*Verum quia multi, quos a veritatis judicio voluptates dulcedo detorquet, in profundum demersi malorum contemnunt divinam clementiam; & in animarum suarum periculum præscriptam sententiam vilipendunt, Deum & eamdem sedem in præmissis offendere præsumentes; nos quos ipsa clementiam, licet immeritos, in apostolicæ præeminentiæ specula posuit, tam atroces & enormes præfati Redemptoris injurias detestantes; & contra prædictos impios aggravare sedis ejusdem sententiam intendentes, ut saltem a reatu solito ducti pœnitudine resipiscant, & ipsos tempore vindictæ ira Dei subito non disperdat, ac ex illorum tali nequitia, dicta terra, solita dispendia non incurrat &c.* dat mixta precibus imperia Genuensibus, ut suis prohibeant, ne Saracenis vetitas merces ferant, vel ad piraticam exercendam navent operam: tum pronuntiat e cœtu fidelium eiiciendos, qui eo se crimine devinxerint ac bonorum mulcta afficiendos. *Dat. Laterani 2. kal. aprilis pontificatus nostri anno 1.*

XVII. Ne vero Syria diutius patriarcha careret, Gregorius Thomam [1] ex Cusentina archiepiscopali sede ad patriarchalem Hierosolymitanam, ut suas virtutes in difficiliori munere utilius explicaret, traduxit, (*a*) cui etiam, cum ecclesia Acconensis suo pastore orbata fuisset, illius administrandæ provinciam commisit (*b*). Ad decorandum denique novum patriarcham majoribus dignitatum ornamentis, creandamque illi auctoritatem, legatum a latere in Armenia, Cypro, Antiocheno principatu, circumjectis insulis, eaque tota orientis ora constituit: (*c*) atque aliis literis catholicos orientis præsules, ut debita eum observantia colerent, & ipsi-

(*a*) Ep. 8.

(*b*) Ep. 9. Patriarcha Hierosol. creatus A. S. L.

(*c*) Ep. 10.

NOTÆ [1] THomas iste in Patriarcham Hierosolymitanum hoc anno assumptus Bethleemitanum episcopum & legatum apostolicum in Palæstina aliquandiu egit. Dein ad Cusentinas insulas assumptus, postmodum hoc anno ad cathedram Hierosolymitanam translatus. Nec diversus est a Thoma Agni de Lentino Ord. Prædic. quamquam Spondanus ex prava quadam lectione epistolæ Urbani IV. deceptus geminos hosce Thomas distinguit, & alterum alteri successorem in Cathedra Hierosolymitana constituit. Cum re ipsa unus fuerit per hæc tempora Thomas qui e Cusentino episcopatu ad regendam Ecclesiam Hierosolymitanam accitus fuit, successitque Guillelmo qui anno 1270. decessit. Vide Notas ad A. 1261. 8. & ad A. 1270. 27. Nec minus etiam erravit Spondanus in assignando mense, & die, quo in Patriarcham renunciatus fuit, cum Ughellius, e monumentis forte Ecclesiæ Cusentinæ electum die XI. Kal. Maii non vero VI. Idus Maii, ut habet Spondanus, adstruat. MANSI



ipsius imperia, qua par esset religione, exciperent, præcepit. Quin etiam, Cypri atque Armeniæ Reges, & principem Antiochenum, (*a*) Templarios equites, (*b*) eorumque præfectum debitum ipsi obsequium deferre, & opem porrigere jussit: ac ne quid patriarchæ ad suas partes obeundas deesset, pallium ipsi transmisit, (*c*) religiosissimeque imperavit (*d*) ut Christianos Syros a vitiis abduceret, ne in se divinas iras extremumque exitium verterent, cum familiare ob oculos excisæ Antiochiæ exemplum versaretur, quam non hostium potentia, sed effusa libido everterat: *Non intendimus doctum instruere, nec certiorare scientem. Nosti, sicut ille, quem mora diutinæ conversationis instruxit, enormia, quæ in transmarinis partibus committuntur: nec te latet qualiter per voluptuosos vitiorum servos & servituti carnis expositos, motus sequentes ipsius, sic inibi divinæ majestatis oculi offenduntur, quod variæ terræ partium illarum, sicut Antiochiæ ac aliorum plurium locorum testatur destructio, manibus inimicorum expositæ in eversionem, & ipsarum incolæ in excidium devenerunt. Propter quod mirandum occurrit, quod licet etiam animalia bruta læsio similium sibi deterreat; habitatores tamen earumdem partium, qui hucusque casus hujusmodi, quos eorum demerita proculdubio mererentur, sola Dei patientia evaserunt; sic ista contemnere, sic videntur ad ea nullo modo terreri, quod a similibus excessibus non solum abstinere non curant; sed ipsos etiam tanto gravius diuturnitate saltem continuationis excedunt, quanto est profecto detestabilius post illa, tam dure vindicata in aliis, in seipsis nec vereri nec aborrere vindictam; ut illud Origenis adimpleri videatur in eis, quo dicitur: Hæc est humani cordis duritia, ut non solum audiendo, sed nec etiam videndo periisse alios æstiment, nisi perire conspiciant & seipsos. Tu itaque frater vigila, labora, in omnibus opus fac evangelistæ; pro viribus argue, obsecra, nec cum expedit, regionis illius populum increpare desiste: sed insta opportune & importune, in illis totis conatibus ministerium tuum implens: speramus enim in eo, qui multam evangelizantibus dat virtutem, quod ipse voci tuæ vocem virtutis tribuet, ut peccatores hujusmodi odibiles Deo ipsius immensa virtute avertas, ab inviis convertas ad viam, reddas Domino populum acceptabilem, bonorum operum sectatorem, &c.*

(*a*) Reg. post eand. ep.

(*b*) Ib. ep. 11.

(*c*) Ep. 14.

(*d*) Cod. Vallic. M. S. sign. lit. C. num. 49. pag. 91.

Antiochiæ excidium peccatis carnis adscriptum.

Jubetur patriarcha Syros Christianos ab iis deterrere.

Adductus est in invidiam patriarcha, dum in comparandis militibus operam daret, minus prudenter se gessisse, ut ex Gregorii querulis literis constat, (*e*) quibus ipsi exprobrat multam pecuniæ vim frustra dissipasse, ac se principum virorum precibus vel artibus aliquorum circumveniri passum esse. Cum enim Gallicæ nobilitatis florem stipendiarium colligere debuisset, plures labori inutiles, vel pannosos ac viles sibi adscivisse, unde Terræ sanctæ damnum grave illatum videretur increbuit, quare subjectis verbis admonitus est: *Te monemus, rogamus, & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus si præmissa, quod vix credere possumus, veritate nituntur, eo quo potes remedio corrigere studeas, & ad statum debitum pro tua possibilitate reducas. Si vero sint, ut mallemus, detractorum potius fictiones, eadem ad stimulum solicitationis admittas, illa de cætero; maxime postquam ad transmarinas partes * perveniens cum charissimo in Christo filio nostro Jerusalem & Cypri Rege illustri, ac venerabilis fratris nostri Anteradensis episcopi, & dilectorum filiorum hospitalis S. Joannis, militiæ Templi, domus Theutonicorum magistrorum, & peregrinorum capitanei consilio usurus solertia in prædictis, quod terræ præfatæ utilitatibus efficaciter subventio per te destinata proficiat, &c.* Duxisse patriarcham Hierosolymitanum in Syriam quingentos equites peditesve, stipendiis Ecclesiæ sustentandos, refert Sanutus (*f*). Et quidem opportune fractos ob Eduardi discessum Palæstinos, versosque pene in desperationem confirmasse, significavit sequenti anno Pontifex Philippo Regi Francorum, cui ob instructum subsidiariis turmis patriarcham gratias egit (*g*): *Dictus*, inquit, *patriarcha personaliter, prout ejusdem nostri mandati habebat adjectio, ad memoratum Regem Siciliæ accedens, ipsius usus consilio & fultus, auxilio hujusmodi congregato, simul cum illo ad partes easdem evestigio in tantæ opportunitatis tempore transfretavit, quod incolæ memorati per recessum præfati Regis Angliæ, qui jam de partibus illis abscesserat, in extrema quasi desperatione positi, per ejus adventum ita spiritum fortitudinis resumpserunt, quod terra eadem, Dei & tuo suffragio, ab imminentis perditionis dispendio præservata substitit, & hucusque subsistit. In quo quantum tibi comparaveris meriti apud eum, cujus in hoc negotium agitur, quique irremuneratum bonum non relinquit aliquid, ille novit; nec tu ipse, saltem cum post exacta feliciter vitæ tempora finis humanus advenerit, ignorabis.*

(*e*) Extant in eod. cod. Vall. pag. 87.

Patriarcha acceptas pecunias male collasse accusatus.

* perveneris

(*f*) Sanut. l. 3. par. 12. c. 12. Traiicit in Syriam cum aliquot turmis.

(*g*) Ext. lit. in M. S. Vall. sign. lit. C. n. 49. pag. 32.

Fideles ad meliorum spem excitat.

XVIII. Quod ad Cypri Regem attinet, in pontificiis literis Hierosolymitani regni titulo exornatum; is erat Hugo e Lisiniano cujus in id regnum jura certa omnino non erant: de quibus Maria Domicella nata Boemundi principis Antiocheni contendebat: & gravissime questa est, eum titulum a Gregorio fuisse collatum. Cui rescripsit sanctissimus Pontifex (*b*) non fuisse

XVIII. Rex Cypri & Maria filia princ. Antioch. de regno Hierosol. contendunt.

(*b*) Lib. 1. ep. 3.

Queritur Maria apud Greg. Excusat se Pont. non ipsius jura lædere.

se sui consilii ea appellatione Cypri Regi attributa ipsius jura infringere ac labefactare: *Cum sub bulla nostra nuper quædam literæ nostræ, in quibus charissimum in Christo filium nostrum Hugonem Jerusalem & Cypri Regem sub intitulatione hujusmodi Regem nominavimus, emanarint; tenore præsentium declaramus, quod nostræ intentionis non extitit, sicut nec esse debuit; nec existit, quod per intitulationem hujusmodi, seu denominationem in nostris literis appositam hactenus, vel in futurum forsitan apponendam, tibi quoad regnum Hierosolymitanum, quod ad te spectare asseris, præjudicium generetur. Dat. Laterani id. aprilis anno* I.

XIX. Nazareno archiep. de utriusque juribus cognoscendi data potestas. (a) Ibid. ep. 101.

Cum itaque gravis de eo regno concitanda discordia timeretur, quæ extremam Terræ sanctæ cladem inferret, non ferro, sed æquitate controversiam dirimi jussit Gregorius: atque utraque parte corona ritu solemni redimiri expetente, imperavit (*a*) Nazareno archiepiscopo, atque aliis, ut de utriusque juribus litem instruerent.

*Archiepiscopo Nazareno, Bethlehemitano & Paneadensi episcopis.*

*Exposuit nobis dilecta in Christo filia nobilis mulier Maria Domicella, filia quondam Milesandæ natæ claræ memoriæ Isabellæ magnæ Reginæ Hierosolymitanæ, quod licet regnum Hierosolymitanum ad eandem nobilem de jure pertinere noscatur; & propter hoc ipsa in Reginam Hierosolymitanam, ut moris est, coronari a bonæ memoriæ G. patriarcha Hierosolymitano (ad quem ratione Hierosolymitanæ ecclesiæ pertinebat Regem Hierosolymitanum insignire) regio diademate petiisset; tamen charissimus in Christo filius noster Hugo illustris Rex Cypri, se in dicto regno falso asserens jus habere, in Regem ejusdem regni coronari, se ab eodem patriarcha cum instantia postulavit. Præfata vero nobiles rem suam agi conspiciens, & metuens ex hoc sibi præjudicium generari, & ad docendum de jure suo offerens se paratam; a prædicto patriarcha instanter petiit, ut nequaquam præfatum Regem, sed ipsam potius coronaret: cum sibi, & non eidem Hugoni, ratione dicti regni Hierosolymitani corona regia deberetur: & ne secus fieret, ad sedem apostolicam appellavit.* Hugo Rex Cypri redimitus corona.

XX. *At idem patriarcha hujusmodi appellatione contempta, venerabili fratri nostro episcopo Liddensi auctoritate propria dicitur commisisse, ut præfatum Hugonem in Regem Hierosolymitanum coronare curaret. Verum ab eodem episcopo, ne ad coronationem hujusmodi procederet, ex parte dictæ Mariæ, ad sedem eandem fuit denuo appellatum: sed dictus episcopus hujusmodi appellationibus vilipensis, prædictum Hugonem in Hierosolymitanum Regem de facto, cum de jure non posset, pro suæ voluntatis libito asseritur coronasse. Nominata vero Maria propter hoc personaliter ad Apostolicam sedem accedens, nos humiliter supplicavit, ut faceremus sibi de prædicto Rege Cypri super iis apud prædictam sedem justitiam exhiberi.* Provocat Maria apud sedem Apost.

*Quocirca mandamus quatenus præfatum Regem Cypri, vos vel duo, aut unus vestrum per vos, vel per alium, seu alios ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra novem menses post citationem vestram per se, vel per procuratorem idoneum ad totam hujusmodi causam; videlicet, tam super appellationibus interpositis, quam super principali toto negotio sufficienter instructum, cum omnibus actis, juribus & munimentis suis ad causam ipsam pertinentibus; apostolico se conspectui repræsentent: facturus & recepturus super iis, quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis, & formam & quicquid inceritis, nobis per vestras literas harum seriem continentes fideliter intimetis.* [1] *Dat. apud Urbemveterem* IX. *kal. novemb. anno* I. Transfudit postea Maria sua in regnum Hierosolymitanum jura Carolo Siciliæ Regi: unde id nomen Siculis Regibus adjunctum est. [2] Inane quidem: cum nec

NOTÆ [1] IN literis pontificiis hic ab Annalista recitatis asseritur Hugo Cypri rex Hierosolymitani regni coronam ab Episcopo Liddensi jussu Guillelmi Patriarchæ Jerosolymitani accepisse. Verum anno 1269. diademate illo insignitum ab ipso Guillelmo asserit Bernardus Thesaurarius. Facile tamen uterque conciliatur, si id scripsisse Bernardum reputaverimus, quod cum ab Episcopo Liddensi jussu Guillelmi corona decoraretur, ab ipso Guillelmo id præstitum dici merito affirmari potuerit. MANSI

[2] QUando Carolus Hierosolymitani regis titulum cessione Mariæ filiæ Boemundi principis Antiocheni usurpare cæperit, colligere mihi videor ex literis ejusdem Caroli, legendis in Anecdotis Martenii tom. I. col. 1131. modo tamen illæ ex mendo, quo vitiatæ sunt, corrigantur. Consignantur illæ *Neapoli anno Domini MCCLXX. die XXIX. Maii indict.* (forte indictione, sed numerus indictionis deest) *reg. nostrorum Jerusalem anno IV. Siciliæ XV.* Siciliæ annus XV. cum anno 1270. plane non congruit; legendum proinde Anno Domini MCCLXXX. qui plane annus eum anno XV. regni Siciliæ & anno IV. regni Neapolitani conjungitur. Pariter alterum diploma Caroli pro Asculano quodam in Apulia Episcopo apud Ughellium Ital. Sacr. tom. VIII. col. 228. nov. edit. datum Neapoli die X. Februarii indict. VIII. adeoque revera anno MCCLXXX. Ex his vero constat cessionem regni Jerosolymitani factam anno MCCLXXVI. post diem XXIX. maii. Mire his congruit Sabba Malaspina, qui per has dies Chronicon suum Siciliæ scribens testatur, cessionem hanc peractam eo brevi tempore, quo Innocentius V. sacris præfuit nempe anno 1276. MANSI



nec ipse Aragonio bello, & Siculorum defectione implicitus e Saracenorum tyrannide, ut concitatæ de illo spes pollicebantur, vindicare potuerit: aliique Reges, umbra contenti, idem regnum hosti eripere non sint ausi.

XXI. Urebant interim Gregorium graviores curæ, qua tandem ratione afflictas Terræ sanctæ res ab extrema pernicie non vindicaret modo, sed Saracenorum etiam potentiam prosterneret: ad Ecclesiæ conjunctionem Græcos adduceret, Christianam religionem diffunderet, deformatos nimium ecclesiasticorum mores perpoliret, primævumque sanctitatis florem revocaret. Arduam, & difficilem suscipiebat provinciam, quam solus perficere non poterat: atque ideo concilium œcumenicum indixit, cujus convocandi encyclicæ literæ hæ sunt Senonensi archiepiscopo, ac suffraganeis inscriptæ.

*Lib.* I. *ep. cur.* 2. *extant etiam in cit. cod. Vallicell. pag.* 86. *& tom.* 3. *concil. p.* 2. *ante Conc. Lugd. sub Greg. X.*

*Gregorius &c. archiepiscopo & episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, & aliis ecclesiarum prælatis per Senonensem provinciam constitutis.*

Lit. encyclicæ de concil. celebrando.

*Salvator noster, in cujus ditione cuncta sunt posita, civitatem Hierusalem videns, & prævidens ruituram, flevisse describitur super eam. Et nos itaque, qui civitatem veri David, religionis videlicet Christianæ, circa cujus regimen non insufficentiæ nostræ debilitatis, sicut nec debemus, innitimur; sed de sola superabundantia virtutis divinæ speramus, non solum scissuras juxta prophetiæ vaticinium multiplicatas aperte videmus; sed & ruinæ magnæ periculum in subtractione populi Græcorum, qui a sedis Apostolicæ devotione, ac obedientia se subtraxit; in occupatione maxima, & vastatione valida Terræ sanctæ; in subversione morum, quæ universaliter in clero graviter obrepsisse videtur & populo; jam non tam cernimus, quam palpamus; non possumus non lugere; non comprimere lacrymas, continere suspiria, vel cohibere singultus. Profecto cum tanta subsit plangendi ratio, planctum declinare non possumus: sed necesse est jam foras exeat, ab olim, dum etiam nos minor status haberet, tanto altius radicatus introrsum, tantoque diuturnitate factus acerbior, quanto facultate vetante diutius non est efficaciter exire permissus. Exeat igitur, exeat ad fratres & filios, ut scientes incommodum ipsum, prudentius æstimantes, cooperationis remedio efficacius pro viribus relevent, & planctum piæ compassionis officio dulcius consolentur. Quis ergo dabit capiti nostro aquam, aut oculis nostris fontem lacrymarum, ut sic populi humilitati nostræ commissi spiritualiter & temporaliter interfectos diebus ac noctibus ingemamus, quod culparum sordes, quibus iram meruisse creditur, diluamus? Lugendum siquidem occurrit, quod per subtractionem prædictam a sedis Apostolicæ unitate subtractos, & in devio posito grandis culpæ mors afficit: quod sanctum universalis corpus Ecclesiæ membro tam nobili eadem gravius admodum, & dispendiosa subtractio tanto tempore mutilavit. Lugendum & iterum, ac amare dolendum, quod sicut in partibus transmarinis non tantum audivimus, sed & oculis nostris vidimus, & manus nostræ contrectaverunt, proh dolor! detestabilius solito blasphematur in gentibus nomen Christi: cum jam non tam verbis, quam rebus ipsis, & factis Christianis insultetur ab infidelibus, & dicatur: Ubi est Deus eorum; dum funiculus hereditatis Domini, eadem Terra sancta per nefandissimos Saracenos sic audacter invaditur, sic secura occupatur audacia, sic vastatur intrepide, sic in eisdem partibus Christianus populus inhumaniter trucidatur, quasi non sit illis adjutor; nec sit qui misereri possit ipsorum.*

Quanta e Græcorum schismate mala secuta.

Infelix Syriæ status.

Saracenorum insolentia.

XXII. *Lugendum, & amplius pariter, & horrendum, quod cum ille paterfamilias diligens, qui horis diei variis operarios suam misit in vineam; ille summus agricola, sator bonorum omnium, & plantator, agrum mundi hujus diligenter excolens, in eo seminaverit semen bonum; inimicus homo tanta invenitur in ipso superseminasse vitiorum zizania, & errorum, ut ea deflere magis liceat quam narrare: idemque ager quotidie potius arescere videatur ad ignem, quam albescere inveniatur ad messem. Hæc dum ministerio considerationis debitæ mentis nostræ præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina relevenda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cum nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem: montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem; unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devote speramus.*

Tantis mederi malis aggreditur Pontifex.

*Et quia salubre in iis adhiberi remedium interest generaliter omnium; nos cum fratribus nostris aliisque viris prudentibus exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio generale concilium, sicut imitatione digna sanctorum patrum consuetudo laudabili longævæ observationis exemplo nos instruit; opportuno tempore decrevimus congregandum: ut in eo tam circa præmissa, quam circa cætera, quæ salutem respiciunt animarum; illa Deo auspice communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione concilii roboretur, per cujus salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, reductis errantibus*

Indicit œcumenicam synodum.

Cogendæ illius causas exponit.

*bus, redintegrata ejusdem fidei unitate, sedatis discordiis, pace firmata, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis; correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solidis munimentis instructa, recuperatis deperditis, & ejusdem Terræ sanctæ statu prospero reparato; hujusmodi scissuras uniat, ruina impleat, occupata restituat, vastata restauret, restituta & restaurata conservet: nobisque viam aperiat idem ipse qui novit, & facultatem tribuat ipse qui potest, ut vitiorum errorumque zizaniis ad*
* in *comburrendum * fasciculos alligatis, ad triticum in ejus horreum congregandum, sic in præmissis juxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus utiliter, quod idem verus ejusdem universalis sponsus Ecclesiæ ipsam dilectam suam expeditam rugis, purgatam maculis, munitam virtutum monilibus, ac ornatam, unam semper habeat & formosam ad sui nominis laudem & gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem & exaltationem populi Christiani.*

XXIII. Tempus designat. *Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indiget, ut deductum maturius, ac felicius, auctore Domino, effectum debitum sortiatur, biennium numerandum ab initio instantis maii ad id duximus deputandum: deputaturi præterea interim aliquos viros tanto ministerio competentes ad prædicandum in terræ præfatæ suffragium salutiferum verbum crucis, per quod corda principum, prælatorum, cæterorumque fidelium inducantur ad subsidium eidem terræ, prout ipsius exposcit extrema necessitas, impendendum. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotii qualitas exigit, dispositis & paratis, sic medio tempore vos accingatis ad iter, quod kal. maii anni ab incarnatione Domini millesimi ducentesimi septuagesimi quarti, quas vobis & aliis pro termino assignamus; in loco, quem licet ad præsens subiiceamus ex causa competenti, tamen tempore vobis curabimus intimare; nostro vos conspectui præsentetis, ad subventionem necessariam terræ prædictæ: solers & operosum interim studium impensuri, prosequendo favorabiliter & fideliter adjuvando illos, quos ad hujusmodi prosequendum negocium duxerimus deputandos.*

XXIV. Decernit, ut nonnulli episcopi in singulis provinciis remaneant. *Volumus autem, quod in vestra provincia ex vobis, fratres episcopi, unus vel duo remaneant ad ea, quæ officium episcopale requirunt, inibi exercenda; & tam ille, vel illi, quos propterea contigerit remanere; quam alii, quos ad idem venire concilium præpeditio forsan canonica prohibebit; capitula insuper ecclesiarum omnium ejusdem provinciæ, tam cathedralium quam etiam aliarum, quibus per vos, fratres archiepiscope & præfati episcopi, ex parte nostra volumus id mandari; cum in eodem concilio tractanda sint aliqua, quæ pertinebunt ad ipsos; ad idem concilium viros idoneos pro se mittant: non obstantibus quibuscumque privilegiis, seu indulgentiis quibuscumque personis, ordini, vel dignitati, seu collegio sub quacumque verborum forma vel expressione a prædicta sede concessis, per quæ possit effectus hujusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliqua derogari: circa personarum & evectionum numerum moderamine, quod alias statuit Lateranense concilium, taliter observato, ut nemini liceat illud excedere: sed omnibus prout libet arctare. Nullus pomposus aut inanis gloriæ quæsitor; sed quilibet sic veræ humilitatis cultor appareat, quod & ecclesiæ sibi commissæ nequaquam onerosus existat. Interim quoque per vos, & alios prudentes viros Deum timentes & habentes præ oculis, omnia, quæ correctionis & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter & conscribentes fideliter; eadem ad ipsius concilii notitiam deferatis. Et nos nihilominus variis modis & viis solers studium, & efficacem operam dare proponimus, ut omnia & alia in examen ejusdem deducta concilii, correctionem & directionem recipiant opportunam. Nullus igitur inobedientiæ notam, & canonicæ ultionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerum; quæ Domino prava in directa, & in vias planas sua omnipotentia convertente aspera, cessabunt; frivolæ allegationis munimenta confingat, ut a tam sancti prosecutione operis se subducat: sed occurrant singuli voluntarii ad id, quod & divinæ congruit voluntati, & salutem animarum, ac utilitatem respicit singulorum. Dat. Laterani 11. kal. aprilis pontificatus nostri anno 1.*

Hortatur, ut cæteri ad synodum conveniant.

XXV. Aliæ ad Francorum Regem datæ literæ, (*a*) quibus, ut ad concilium accederet, rogatus est: tum solicitati cæteri Reges, ac principes, ut illud sua præsentia ornarent. In primis vero invitatus Palæologus Græcorum Imperator, ut suos oratores mitteret pro expetita adeo orientalis cum Romanæ ecclesiæ conjunctione. Cœptum fuerat opus, ut vidimus, ab Urbano & Clemente summis Pontificibus, quorum postremus literis (*b*) suis modum Imperatori præscripserat, quo ea res ad felicem exitum perduceretur. Transmiserat nimirum professionis fidei formam in certa capita discretam, quam professurus erat, ac Rom. ecclesiæ primatum agniturus; quod pariter patriarcha atque alii Græcorum præcipui præsules facere jubebantur. Quam viam initam, Gregorius sibi ut optimam insistendam censuit, ac Palæologo scriben-

(*a*) Libr. 1. ep. cur. 3. Reges ad eam vocat.

(*b*) Clem. to. 2. ep. 333. Palæologum Imp. pro conjunctione perficienda invitat.



benti, maximo se copulandæ utriusque Ecclesiæ desiderio ardere; utque S. Ludovicum Francorum Regem pacis arbitrum constituisset, perque fusum Christi in cruce sanguinem esset obtestatus, ut eam provinciam susciperet, ac si eam respueret, coram divino tribunali rationem Numini tot periclitantium animarum redditurum; respondit Gregorius, (*a*) Francorum Regem prudenter censuisse id munus sibi arrogandum non esse: nunc vero opportunum perficiendæ rei tempus affulsisse, si ex animo eam conjunctionem expeteret, navaret operam: æternum sibi gloriæ decus, nulla ætate obscurandum, pariturum.

(*a*) Greg. l. 1. ep. cur. 37.

*Viro magnifico Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum illustri gratiam, per quam gloriam obtineat in futurum.*

Pont. de ea literæ. *Qui miseratione ineffabili, cum venit temporis plenitudo, vocavit ab oriente avem, & virum voluntatis suæ de terra longinqua, ipse nos in orientalibus peregrinantes partibus, ut licet immeritos ejus vicarium sua sola dignatione statueret, qui ore prophetico avis uomine in metaphora præmissa signatur, vocari ad gerendum apostolatus ministerium dignanter potius quam digne permittens; vota nostra etiam dum nos minor status haberet, sicut firmiter credimus, & fatemur humiliter, in pacis direxit semitas: & eadem a nostræ promotionis auspiciis ad illius commoda, in omnes pretioso Christi redemptos sanguine, præcipue autem in Christiani nominis titulo insignitos, diffundenda pro viribus, eo magis accendit, quo salutem animarum (ad quam nos, & affectus intentio afficit, & debitum suscepti officii pastoralis astringit) speramus exinde liberius, & efficacius, divina concedente clementia, proventuram. Unde quamprimum ad locum, in quo cum fratribus nostris sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus; quorum specialiter consilio utimur, & auxilio communimur; convenire potuimus, nos, hybernis maris calcatis fluctibus, potentia divina perduxit, nequaquam torpuimus otio, sed non sine gravi amaritudine attendentes præfiguratam in piscatoris Petri rete, quod præ multitudine piscium rumpebatur, scissuram universalis Ecclesiæ; quam in suis fidelibus, non in fide (pro qua ille, qui pro sua reverentia est in omnibus exauditus, se rogasse testatur, ne deficiat fides ejus) aperte videmus non solum damnose divelli, verum etiam in eorundem scissura casu & aversione fidelium periculose divulsam, & ruinis gravibus deformatam; elaborandum summopere fore putavimus: ut illo, qui est lapis angularis utraque unum faciens, & parietem utrumque connectens, sua immensa pietate donante, salubris exquiratur, & desiderata provisio, per cujus prosecutionem, dicente Domino aquiloni: Da; & austro: noli prohibere: ipsa mater Ecclesia, suos afferens filios de longinquo, & suas ab extremis terræ scissuris coeuntibus, cadentibus, relevatis, aversisque conversis, ruinis impletis, & deformitatibus reformatis; dissidentium multitudine in unitate fidei & vinculo charitatis, unita, juxta prophetæ vaticinium, dilatet tentorii sui locum, funes tabernaculorum suorum extendat, & consolidet clavos suos: ad dextram & lævam penetret, semen ejus, gentes hereditet, & desertas inhabitet civitates. Hoc est enim quod ab ipso largitore bonorum omnium profundis suspiriis petimus: hoc quod effusis lacrymis postulamus, ut ipse, in cujus unitate fundatur fidei unitas, unitatis ecclesiasticæ fundamentum, dicente Apostolo: Unus Dominus, una fides; suam sanctam atque catholicam ecclesiam redintegrando uniat, & uniendo redintegret, in sinu ejus populis universis Latinis & Græcis specialiter adunatis in fide integra, spe solida, & charitate sincera. Et quia hæc, si fons misericordiæ desideriis nostris benigne annuerit, ad communem cederent utilitatem omnium, communi ad ea deliberavimus consilio insistendum. Ideoque cum eisdem fratribus nostris, multisque aliis prudentia & veritatis amore pollentibus, deliberatione præhabita, propter hæc; & ad providendum utiliter & efficaciter de necessario Terræ sanctæ succursu, de generali morum reformatione, quorum deformatio in clero & populo nimis obrepsisse videtur; nec non & propter alia quæ in cunctis Christi fidelibus speramus, auctore Domino, spiritualiter maxime ac insuper temporaliter profutura; de dictorum fratrum nostrorum consilio synodum generalem universis catholicis mundi principibus & ecclesiarum prælatis, ad illam per nostras sub certa forma literas evocatis in kal. maii ab incarnatione Domini millesimi ducentesimi septuagesimi quarti, annuente Domino, indiximus congregandam. Super quo, licet ab exordio indictionis hujusmodi ad magnificentiam tuam literas & nuntios disposuerimus destinare; ipsorum tamen consulto suspendimus missionem, anxii expectantes, ut a te super iis, quæ felicis recordationis Clemens Papa prædecessor noster novissime tuæ celsitudini scripserat, apocrisarii receptis aliquibus, nostror plenius mitteremus instructos.*

Studium suum Gregorius pro admittendis in gremium Græcis explicat.

Quas ob causas indicendam synodum censuerit, indicat.

XXVI. Literarum Palæologi ad Gregorium sententia.

*Nobis vero de tuorum apocrisariorum expectatione solicitis, dilectus filius frater Joannes de ordine Minorum a tua serenitate transmissus, bonus de terra longinqua nuncius supervenit, tuas nobis devotione plenas, & lætitiæ causa non vacuas literas repræsentans: in quibus gaudium de nostro, quem sperabas ad tuas partes adventu, conceptum; & honorem ac reverentiam*

*tiam nobis, ut patri affectuosissimo, a te ac tuis, velut a dilectis filiis, exhibendos; & subsecutum dolorem ex nostro transitu aliunde reverenter exprimens, inter cætera inferebas, nos debere diligenter advertere, qualem affectum & zelum tuum gerit, ut dicebas, Imperium ad pacem & unionem populi Christiani; sperans, sicut eædem literæ continebant, ex hujusmodi nostro adventu distantiam, quam inter pastorem & ovile sathanæ induxit suggestio, dissolvendam: ac deinde in literis ipsis edicens, quod idem frater tuo dilectus Imperio, ut earumdem literarum verba sequamur, enarraret oretenus reverentiam, quam gerit idem Imperium ergasummam & Apostolicam sedem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris tuæ; & maximum dolorem quem habes propter schismata, quæ intra ecclesiam Christi permanent dolorosa: & præcordialem affectum, quem observas thalamo cordis tui pro pace ac unione populi Christiani; ac ferventem zelum contra omnes impios crucis vivificæ ac honorabilissimæ inimicos: Demum in calce literarum ipsarum ejusdem fratris verbis, tamquam ex ipsius ore prolatis Imperii, nos fidem adhibere plenariam petiisti. Sane tantæ ad nos tuæ devotionis indicia, nobis in præmissis exhibita, valde nimirum gratanter accepimus; & laudabile tuum propositum & affectum ad reparandas ipsius populi Christiani scissuras, ac ipsa in indemnitate catholicæ fidei & charitatis glutino uniendum; nec non & recognitionem reverentiæ debitæ præfatæ sedi Apostolicæ, ipsiusque Romanæ ecclesiæ matri tuæ, per fratrem & literas prædictos expressa, cum tanto majori gaudio acceptamus, quanto id credimus Deo acceptius, populo eidem utilius, & tuæ ac ipsorum saluti, nostrisque proinde affectibus plenius convenire.*

Commendata a Gregorio pia illius studia.

*Adiicit quoque non modicum ad conceptam ex præmissis cordis nostri lætitiam, quod hujusmodi laudabilem zelum tuum ad ejusdem populi unionem claræ memoriæ Ludovico Regis Francorum illustri, sicut intelleximus, apertius revelasti, eidem patenter insinuans, quod tu, clerus, & populus tuæ ditioni subjecti; desiderantes ad obedientiam ejusdem ecclesiæ Romanæ redire, ipsique in ejusdem fidei professione uniri; ac varias super hoc ad eandem sedem literas & nuntios destinantes, quorum etiam aliqui in via detenti non pervenerant ad eandem; frequenter & humiliter ad id vos postulastis admitti, nec adhuc tuæ ac ipsorum fuerat instantiæ satisfactum; apud eundem Regem multiplicatis super hoc literis & nunciis institisti, petens instanter, ut ipse in tam pio & utili negotio arbitri partes assumens, ad ipsius consummationem solicita intenderet pietate; ac insuper ut tuis verbis, prout nobis referuntur, utamur, te velle Regem eundem arbitrum in hoc constituere, asserens promittebas, quidquid idem Rex super hoc diceret, te plene ac inviolabiliter servaturum. Et ut plenius circa hoc tuum manifestares affectum, adjurasse diceris Regem eundem per aspersionem sanguinis Jesu Christi, ne assumere onus hujusmodi recusaret: & ne secus faceret, ad summum Judicem, ut ipse Rex in extremo judicio coram eo de hoc rationem redderet, appellasse. Et licet idem Rex, prudenter attendens ac humiliter recognoscens, quod suum non erat tale in eodem negotio, quod specialiter pertinere dignoscitur ad ejusdem sedis examen, officium usurpare: consulte responderit, quod in ipso nequaquam hujusmodi partes assumeret, sed pro ipsius consummatione, apud sedem ipsam libenter instaret; ac propterea literas & suos ad eandem sedem nuncios destinarit, qui hæc omnia, ipsa tunc sede vacante, coram prædictis nostris fratribus retulerunt; ad quorum etiam pro parte ipsius Regis instantiam bonæ memoriæ Albanensi episcopo, tunc in partibus illis ejusdem sedis legato, super hoc plena commissio facta fuit, tamen ipsis Rege ac legato humana de hac luce sorte subtractis, processus aliquis haberi non potuit per eandem. Habent hæc itaque multæ jucunditatis causam, & materiam exultationis in Domino repræsentant. Si enim, prout est de tanto principe supponendum, de arcano mentis, ori consonæ, in veritate procedant, verisimiliter credi potest, quod ille, qui ubi vult spirat, tuum ad tale tam utilis unionis desiderium animum inspirarit.*

Ut Palæologus S. Ludovicum concordiæ interpretem adhibuerit.

Arbitrum controversiæ constituerit.

S. Ludovici prudentia laudatur.

Intermissa res ob Albanensis episcopi obitum.

*Quæsumus itaque spiritum non extinguas, nec irrita facias, quæ ad eandem tuam matrem Ecclesiam & ad tantum principem, per diversos, ut præmittitur, nuncios, & literas de tuis dicuntur labiis processisse. Sed attende potius, & in conspectu attentæ considerationis expande, quod ille, qui est verum caput corporis mystici, ecclesiasticæ videlicet unitatis, juxta illud Apostoli: Omnes sumus unum corpus in Christo; instante suæ passionis articulo, pro hac sibi placida unitate legitur signanter orasse: Volo, inquiens, Pater, ut omnes in nobis unum sint. Si ergo juxta Scripturæ sacræ testimonium, consilium ejus stabit & fiet omnis voluntas ipsius, necesse profecto est, hanc unionem impleri. Festina itaque, tolle moras, & consulte fac tui esse muneris, quod omnino alicujus futurum est temporis. Festina & considerans incertam humani temporis brevitatem, tantum bonum non ultra differendo procrastines; ne forte, cum voluntas affuerit, ad perficiendum quod volueris, vita deest: sed celeriter viam salutis & pacis per desiderabilem cordi tuo,*

Adhortatio Gregorii ad Palæolog. ut cœptam conjunctionem redintegret.





*(ut tam publice, tam laudabiliter profiteris) unionem Latinorum pariter & Græcorum in unius professione fidei & charitatis solidæ unitate tuis subditis aperi, tuis posteris præpara; & incomparabile meritum tibi solicite, ac prudenter, ex tam utili tam salubri præparatione præoccupa. Considera, considera, quam intrepidus, quam securus in extremo judicio coram tremendo Judice, tantis ad ejusdem matris gremium tecum tuo ministerio reductorum stipatus cuneis, aliis tuis ad id concurrentibus meritis, apparebis: quam gratus advenies, quam gratanter etiam admitteris, quando comitiva gratissima ornandus illorum; quos innumeros, ut speramus, de tam numerosa multitudine, quam ad illius ovile, ipso præstante, reduces, tandem ipse pastor bonus, qui pro eis animam suam posuit, in dilecta sua tabernacula introducet; tu in eadem exultans & jubilans de suo munere introibis. O te felicem, si ad hæc te Dominus præparavit: si facultatem, quæ ad ea tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter prosequens, & de contingentibus nil omittens, multis ab olim ad eadem laborantibus per diversos modos & vias; tu in labores eorum introiens pervenias solus ad bravium, optatum illorum finem obtineas, & inæstimabilem gloriam, quam specialiter sequi debes, finaliter assequaris.*

XXVII. Divinorum prius quam Imperii controversias conciliandas.

*Cæterum ut sit incœpti super iis tractatus prosecutio, Deo adjuvante, facilior, & desideratus exitus promptior; felicis recordationis prædecessorum nostrorum Urbani, & ejusdem Clementis Romanorum Pontificum gesta, circa instans negotium habita, recensuimus diligenter: & eos prius de fidei veræ dogmatibus, quam de concordia inter eosdem Latinos & Græcos, in charitate mutua solidanda, tractandum, evidentibus ad hoc inductis rationibus (licet aliud continere tua petitio videretur) elegisse comperimus. Nec indigne cum spiritualem unionem fides initiet, dicente Domino per prophetam: Sponsabo te mihi in fide; charitasque, consummet, egregio gentium doctore testante, quod qui adhæret Deo, unus spiritus est: unus profecto cum illo; non tamen identitate substantiæ, sed gratiæ participatione, ac gloriæ. Memoratus itaque prædecessor noster Clemens apocrisariis & literis tuis ad ipsius præsentiam super hujusmodi negotio destinatis, benigne receptis; & tam secreto quam publice, prout eis placuit, plene ac patienter auditis; multisque aliis, ejusdem negotii utilitate ac justitia exigente, peractis; quæ ipsius prædecessoris Clementis literæ, per eosdem tuos apocrisarios ad te missæ, ad tuam ut credimus notitiam devolverunt; denum, ut hujusmodi conjunctionis spiritualis initium ordinate procederet, idem prædecessor Clemens ad utilem & finalem expeditionem tanti negotii, præmissum ordinem, quem rationibus probaverat, facto etiam approbavit. Et ne ultra contingeret, idem negotium per inefficacia verba deduci, manifeste in prædictis literis suis expressit, quid tibi, tuis clero & populo supradictis faciendum incumberet, ut reverenter ad ejusdem sacrosanctæ Romanæ * sinum tu & ipsi sano freti consilio rediretis; in eisdem literis veræ catholicæque fidei professionem, quam eadem Romana firmiter tenet, fideliter docet, constanter prædicat, & publice confitetur Ecclesia; quamque a te, tuis clero & populo supradictis, idem prædecessor noster Clemens expostulans, te ac ipsos profiteri, si velletis juxta ejus desiderium redire ad Ecclesiæ unitatem; ea insuper quæ circa ejusdem Ecclesiæ Romanæ primatum, ac ipsis tuis clero & populo acceptari & recipi voluit; plenius explicando.*

* ecclesiæ

Gesta a Clemente cum Palæologi oratoribus.

*De ipsa præterea fidei professione, dictis tuis apocrisariis copiam faciens, clementer obtulit eisdem satisfacere, si super ea in aliquo dubitarent: adjecto nihilominus in literis supradictis, qualiter provida deliberatione conceperat, aliquos in lege Dei peritos ad tuam præsentiam destinare, cum quibus tu, iidemque tui clerus & populus super præmissis conferre possetis: & quod, si nihilominus aliquid tuum tuorumve animos concuteret, aut turbaret; propter quod aliquid de contentis in præscriptæ fidei professione tu, vel ipsi vereremini profiteri; aliquos de peritioribus eorumdem tuorum cleri & populi mitteres ad eumdem, quibus se paratum obtulit, sicut eadem Romana ecclesia parata semper extitit & existit, omni poscenti de ea, quæ in ipsa est, fide, ac spe reddere rationem.*

*Quamquam autem hujusmodi suos apocrisarios, pro eo quod aliqui ex eis, qui ad hoc fuerant de longinquis partibus advocati, & ipsemet morte præventi fuerunt, non potuerit mittere ut concepit; tuam tamen excellentiam per easdem suas literas monuit, & variis exhortationibus invitavit instanter, ut sic studeres habilitare materiam, sic animos tuum tuorumque disponere, quod in eorumdem apocrisariorum, quos ad te, ut prædicitur, mittere sperabat adventu; te ac prædictis tuis, clero & populo præscriptam humiliter suscipientibus, & fideliter profitentibus fidei veritatem; facilis foret ad reliqua, divina gratia favente, processus. Ad quorum prosecutionem, & specialiter ad charitatis vinculum inter eosdem Latinos & Græcos solido fœdere confirmandum; si post receptionem & professionem ejusdem fidei, & postquam ad obedientiam ejusdem Romanæ ecclesiæ, tu ac iidem tui clerus & populus redissetis, ad locum, de quo eadem*

Propositum Græcis post initam ecclesiarum conjunctionem concilium celebratum iri.

*dem Romana expedire videret ecclesia, generale concilium peteres convocari; satis aperte spem tribuit, quod tuum in hoc desiderium adimpleret: non ad prædictæ discussionem, vel novam diffinitionem fidei, quam tamquam innumeris sacræ paginæ auctoritatibus, numerosis sanctorum patrum sententiis, & Romanorum Pontificum stabili diffinitione firmatam, nec ipse voluit, nec nos intendimus, sicut nec decet, nec foret expediens, in dubium novo ipsam exponendo examini, revocare. Cujus seriem ad majorem certitudinem, ne forsan ejus copiam casus abstulerit, vel illius memoriam obliteravit oblivio; nec non & illorum, quæ circa ejusdem ecclesiæ Romanæ primatum, idem prædecessor Clemens a te, tuis clero & populo supradictis acceptari, & recipi voluit; licet eadem per prædictas ipsius prædecessoris Clementis literas ad tuam notitiam pervenisse credamus; præsentibus duximus annectendam, quæ talis est: Credimus S. Trinitatem Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, &c.* conceptam iisdem verbis hanc orthodoxæ fidei formulam in Clemente attulimus (*a*), atque ideo iterum repetere supervacaneum ducimus.

(*a*) *An. Chr.* 1267. *n.* 75.

XXVIII. *Nos igitur debita meditatione pensantes, idem negotium, tam utiliter, tam propenso consilio & exacta maturitate dispositum & electum; ad executionem ipsius, ab eisdem prædecessoribus nostris ordinem imitandum potius quam mutandum; dilectos filios religiosos viros fratres Hieronymum de Æsculo, Raymundum Berengarii, Bonamgratiam de S. Joanne in Perseceto, & Bonaventuram de Mugello de ordine Minorum; viros quidem pauperes spiritu, sed divites fide, mundi hujus contemptis divitiis, cæterisque abjectis illecebris, post Christum simul in unum divitem & pauperem per suorum, quantum eis ab ipso conceditur, gradiendo semitam mandatorum, ipsum veram sapientiam imitantes; decrevimus ad tuam celsitudinem destinandos. Ideoque magnificentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur in unigenito Dei Filio Jesu Christo, per suæ crucis mysterium, & immensæ redemptionis humanæ beneficium, in charitatis visceribus obsecrantes, quatenus ipsos benigne recipiens, & ad illum respiciens salutis & pacis actorem, qui operatus est in medio terræ salutem; qui oriens ex alto pacem sibi acceptam, & ab omnibus acceptandam evidenter ostendens, eam in ortu suo Angelorum ministerio bonæ voluntatis hominibus nuntiavit, & inter homines conversatus verbo docuit, prædicavit exemplo, ut ad ovile Domini redeas, ac ipsos tuos clerum & populum, eo concedente reducas, tibi & ipsis quietem tribuas: innumerabilibus periculis animarum & corporum eorumque dispendiis, quæ guerrarum induceret, quam avertat Altissimus horrenda calamitas, prudenter occurras; & de tam pii negotii consummatione, in æternum tibi memoriale constituas, hujusmodi salutarem unionem Latinorum & Græcorum, quam tibi votivam admodum evidentibus fateris affatibus, sedulis prosecuturus affectibus: præscriptam fidei puritatem, immo puram, & solidam veritatem agnoscas, suscipias corde humili & sincero; coram eisdem fratribus apocrisariis nostris profitearis ore veridico, ac fideli. Præmissum etiam ejusdem ecclesiæ Romanæ primatum, ad illius obedientiam spontaneus veniens recognoscas, ipsum acceptes, & sponte recipias: prædictosque tuos clerum & populum, ipsam fidem similiter suscipere, profiteri, ac ad obedientiam ipsius ecclesiæ Romanæ venire, primatum ejus recognoscere, ac acceptare procures.*

Missi a Gregorio nuntii.

*Præmissis primitus adimpletis, ad memoratam synodum, cui una cum aliis catholicis principibus te decebit, & nos desideramus, ac petimus interesse, in loco in quo ipsam congregari continget, ut ad cætera quæ imminent, ipsorum & tuo fulti consilio securius procedamus; vel personaliter venturus, si facultas affuerit, vel apocrisarios magnæ auctoritatis, & prudentiæ viros tuo missurus nomine, per quos tuum nobis super agendis inibi consilium reveletur. Perfecta siquidem hujusmodi utriusque populi, Latinorum videlicet & Græcorum, in prædictis professione fidei & recognitione primatus, tam sancta, tam desiderabili unione; per quam præmissum tuum zelum laudabilem, a te verbis, & literis frequenter expositum, facto manifestabis; & probabis apertius, per quam nostrum & eorumdem fratrum nostrorum aliorumque Latinorum tibi animos attrahere poteris, & in iis quæ agenda supererunt, nostrum, & ipsorum favorem, in quibus sine offensa Dei præstari poterit, merito vendicare; ad præmissa solide roboranda commodius, & ad tractatum charitatis inter ipsos Latinos & Græcos, radicibus zizaniorum evulsis, omnibusque discordiis, Domino annuente, sedatis, inviolabiliter solidandæ tanto efficacius, tantoque favorabiliter intendemus quanto liberius tibi de regione dissimilitudinis jam reverso; post productam in spe recuperandæ innocentiæ stolam primam, post annulum in manu tua ex fidei professione positum; condescendere poterimus, & sine conscientiæ læsione rationabilibus acquiescere votis tuis. Sic namque præmissa cordi nostro insident, sic ad ea totis præcordiis aspiramus, ut pro eorum executione non solum labores impendere, sed etiam superimpendi modicum reputemus.* XXIX.

Pontificiam solicitudinem collocaturum pro conciliando Carolo, promittit Gregor.

Ingens studium ipsius lucrandi Christo demonstrat.

*Propter quod licet tam tibi & tuis hæc via* XXX.



*via salubrior, quam ipsius negotii qualitati sit aptior; cum fidei puritas consensum purum ac liberum exigat, & conditionem aliquam non admittat; tamen si peccatis exigentibus populi utriusque nondum datum est desuper, ut ad ea prædicto modo complenda tuus tuorumque animi sint parati; nos non intendentes idem salutare negotium desperatione præcidere, sed saltem manuductione, qua possumus, promovere, tolerabimus patienter. Quod si velis ad sedem eandem ante prædictam synodum vel in ipsa synodo (ut ibi ordine suo prædicta omnia, tam circa professionem fidei cum recognitione primatus ejusdem ecclesiæ Romanæ, quam circa ipsos Latinos & Græcos, dissensionis cujuslibet inter eos sublata materia, in charitate mutua uniendos plenius & solidius compleantur) tuos apocrisarios destinare, ad eadem pro te ac ipsis tuis clero & populo facienda secure cum potestate plenaria; solemnes, prout facti qualitas exigit, mittas apocrisarios ad præmissa. Volumus tamen quod prius tam tu serenitatis tuæ apices, quam omnes, vel saltem patriarcha Græcorum, & aliqui alii majores prælati ejusdem Imperii, prædictis nostris nuntiis in forma, quam destinamus sub bulla nostra, per ipsos tibi, cum te ac eosdem tuos clerum & populum ad hæc procedere velle patuerit, ostendendam; literas concedatis, de præmissis professione fidei, & recognitione primatus ejusdem ecclesiæ Romanæ primo apud nos per eosdem solemnes mittendos apocrisarios, (Domino viam ad sedandas inter eosdem Latinos & Græcos discordias, alias demonstrante) tuo & tuorum nomine infallibiliter faciendis; & postmodum per te, prælatos omnes, ac tuos clerum, & populum supradictos, cum a sede ipsa mandatum fuerit, personaliter iterandis. Nos enim eosdem tuos apocrisarios concessis prædictis tuis apicibus & prælatorum literis, destinandas recipiemus alacriter, charitative tractabimus, & ad consummationem præmissorum cum omni diligentia, prout Dominus concesserit, procedemus: & nihilominus super sedatione discordiarum ipsarum, tam per ipsos apocrisarios, quos ad præsens mittimus, quam per alios hinc inde mittendos, poterit interim tractatus haberi; & exquiri diversæ viæ ac modi, qui ad expeditionem faciliorem idem negotium, favente Domino, præparabunt.*

Præscripta Græcis ratio qua gremium ecclesiæ sint repetituri.

*Quia vero cordi nobis est de ipso negotio saltem in eadem synodo providere salubriter; & ideo desideramus, quod dudum ante ipsam ad nos de illorum exitu, felici utinam, proveniat certitudo; celsitudinem tuam affectuose requirimus & rogamus instanter, ut eosdem fratres apocrisarios nostros; feliciter & sic celeriter studeas expedire, quod redeuntes cum tuo certo ad præmissa responso, dictum tempus pro ejusdem synodi congregatione præfixum, adeo valeant commode prævenire, quod ad ejusdem negotii provisionem ante ipsam synodum possit, ut decet, habilitari materia sufficientis ad hoc temporis opportunitate concessa. Scire quidem te volumus, quod si eosdem nostros nuntios contra hujusmodi nostrum desiderium retardari contingat, nos, de tua responsione incerti, tam utilis negotii prosecutionem per vias, quas ad animarum salutem Dominus aperire dignabitur, propterea nec omittere intendimus, nec differre. Datum apud Urbemveterem* IX. *kal. novembris anno* I.

His Palæologum a schismate abducere nitebatur Gregorius: qui simillimis literis patriarchæ significavit, (*a*) kalendis maii anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto concilium ob urgentissima Ecclesiæ negotia indictum: ad quod, cum præcipuis præsulibus Græcorum accederent, rogavit. Legatis vero quemadmodum cum Imperatore se gerere deberent, præscripsit, (*b*) ut post editam fidei professionem ac primatum agnitum, ad id præstandum Græcos adducturum sacramento polliceretur, tum Imperatoris apocrisariis diploma pontificium tuti, & liberi comeatus tribuerent (*c*). Quo argumento sanctissimus Pontifex ad Carolum Siciliæ Regem literas dedit, quibus de cœpto Græcorum cum Romana ecclesia conjunctionis tractatu certiorem factum deprecatus est, ut Constantinopolitanis oratoribus venientibus itinera omnia aperiret, salvosque & incolumes tueretur.

(*a*) *Ib. ep.* 39. Patriarcha Constantin. ad concilium vocatus.

(*b*) *Ep.* 38. Data legatis ad tractandum cum Græcis imperia.

(*c*) *Ep.* 40.

(*d*) *Ep.* 41. Carolus Siciliæ Rex Græcis liberum commeatum jussus permittere.

XXXI. Conjungemus hic alia ad Palæologum hoc anno spectantia: quem belli Latini terrore urgere meditatus videtur Gregorius ad ventilatam toties Græcorum ad Ecclesiam reditus causam absolvendam. Cum enim inducias a Venetis cum Palæologo antea initas jam effluere, ac Græcum de iis producendis apud Venetos instare accepisset, repetitis frequentibus ad Laurentium Teupulum ducem venetorum literis rogavit, ne inconsulta sede Apostolica inducias, vel fœdus cum Palæologo coiret: cum maxime ex eo Christianæ reipublicæ damnum ingens infligeretur. Sed nullum responsum pontificiis literis dante duce, gravioribus eum querelis perstrinxit (*e*) Pontifex, acceptum nuper absolutionis beneficium oblivione deleviſse; tum mixta precibus imperia adjecit, ne iis induciis consentiret: *De tua*, inquit, *fili, discretione non possumus non mirari, quod cum te nuper ad sinum matris Ecclesiæ sic gratiose, non sine aliquorum magnorum murmure, duxerimus admittendum, in hoc tibi affectionem, quam ad te gerimus, non modicam ostendentes; tu quasi tam immemor beneficii*

(*e*) *Ext. ejus lit. in cod. Vallic. sig. lit. C. n.* 49. *pag.* 92. Gregorii ad Venet. lit.

*ficii tam recentis, & velut ad exhibitionem tantæ affectionis ingratus; ad varias nostras tibi & dilecto filio communi Venetorum directas literas, super treugis inter vos & Palæologum inhibendis, respondere hactenus non curasti; mandata nostra reprehensibili silentio, vel damnabili contumacia negligendo. Quia vero cordis nobis est, ut ab hujusmodi treugis cum dicto Palæogo tu & dictum commune abstineatis omnino, sicut ipsa literarum super hoc inculcatio manifeste indicat, & contenta in illis nostræ voluntatis expressio manifestat; nobilitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, tibi nihilominus districte præcipiendo mandantes, quatenus ob reverentiam Apostolicæ sedis & nostram studiosam operam & operosum studium cum omni diligentia, qua potes, impendas, ut a tractatu treugarum hujusmodi contrahendarum, vel producendarum in longius penitus desistatur.* Quo argumento ad Petrum Venetorum ducis filium scripsit, (*a*) gratulatusque est suam illum voluntatem pontificiæ accomodasse; utque ad eas inducias noxias Ecclesiæ discutiendas navaret operam, & quid demum perfectum esset, ipsum literis suis quamprimum faceret certiorem, hortatus est.

(a) Ibid.

XXXII. Balduin. Imp. & Carolus Rex Venetos de coeundo fœdere solicitant.

Solicitatos ad pacem Venetos a Palæologo fuisse, etiam meminere Veneti historici: atque ad ineundam ab iis gratiam, quos in vinculis tenebat, restituisse libertati. Nec minus Balduinum & Carolum Siculum Venetos de firmando fœdere pro recuperanda Constantinopoli interpellasse, narrat Andreas Dandalus (*b*) sub quarto Laurentii Teupuli anno, qui in præsentem incidit: *Eodem*, inquit, *tempore apocrisarii Michaelis Imperatoris Græcorum quingentos homines Venetos, quos in galeis fundatorum Nigropontis ceperat, duci offerunt, & renovationem treugæ requirunt. Tunc etiam ambasciatores Balduini Imp. Constantinopolitani & Caroli I. Regis Siciliæ, qui filiam suam Catharinam Philippo primogenito Balduini in conjugem dederat, Venetias accedunt, & colligationem Imperii Romaniæ a duce petunt. Dux vero per suos legatos utrisque respondere promisit, & cum duabus galeis legatos Græcorum Constantinopolim transferri fecit. Postea Balduinus Imp. obiit, cui Philippus filius successit.* Ad restituendum Imperio genetum ingentem postea apparatum instruxisse Carolum; sed Palæologum Prochytæ suasu, adjuto ære ingenti Petro Rege Aragonum, ut Siciliam invaderet, periculum discussisse, inferius videbimus. Nunc ab orientali Imperio ad occidentale orationem traducamus, cujus miserrimus status cum esset ob diuturnum interregnum, volvebat animo Gregorius in œcumenica synodo, decisa principum consilio veteri controversia, illud pristinæ restituere dignitati.

(b) Andr. Dand. hist. l. 10. c. 8.

Philippus Balduini filius Caroli filiam sibi despondet.

Balduini II. mors.

Alfonsus Rex Castell. pro obtinendo Imperio agit apud Gregorium.

XXXIII.

Miserat Alfonsus, sublato e vivis Richardo Imperii æmulo, ad summum Pontificem oratores, qui suo nomine flagitarent, ut ipsum ad Imperiale diadema solemni ritu conferendum vocaret, omniaque gesta, quæ ipsius detrahebant dignitati, rescinderet; cum servatis omnibus juris circumstantiis in Regem Romanorum electus esset: tum principes electores electionem aliquam novam moliri vetaret. Denique ea re Apostolicæ sedis judicio permissa publice professi sunt Castellæ Regis oratores, se ad eandem sedem, ne electores aliquid novi in ipsius damnum pertentarent, provocare. Quæ cum in Cardinalium consessu agitarentur, visum est (*c*) decidi rem non posse, nisi Richardi electoribus excitis, cum ad eos de eo eligendo, qui in Imperatorem ungendus erat, pertineret: cum vero integra eorum essent jura, posse ad electionem alterius convenire. Quod si facerent, atque interea Pontifex Castellæ Regem corona Imperiali redimiret, gravissimam discordiam emersuram, ac forte æquitate cogente, latam sententiam rescissum iri. Cæterum quod Richardus sublatus e vivis esset, nullum ipsius causæ novum jus adjectum; ac nutare adhuc Imperialem in illo dignitatem, si ab ipso principio non justis suffragiis delata Alfonso fuisset.

(c) Lib. 1. ep. cur. 35. & cod. Vall. sig. lit. C. n. 49. pag. 26.

*Illustri Regi Castellæ ac Legionis in Romanorum Regem electo.*

Missi ab eo oratores.

*Dilecti filii frater Aldemarus de ordine Prædicatorum, & magister Fernandus canonicus Zamorensis, tui procuratores & nuntii, habentes ante sub tuo sigillo liberum & generale mandatum ad petendum pro te ac tuo nomine a nobis, & fratribus nostris, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, inunctionem, consecrationem, & Imperii coronam; ac assignari tibi diem ad recipiendum easdem, & ad petendum favorem ipsius Ecclesiæ, tibi medio tempore impendi pro juribus & honoribus Imperii prosequendis, & etiam conservandis: ad petendum etiam cum instantia revocari, quicquid in præjudicium tuum, vel juris in Imperio tibi debiti, post electionem de te factam, & consensum a te præstitum, per aliquem, vel aliquos extitit innovatum circa jura Imperii vel aliquam ejus partem in tuum præjudicium, & gravamen; in nostra & eorundem fratrum præsentia constituti tuo nomine petierunt, ut te ad recipiendum inunctionem, consecrationem, & coronationem in Imperatorem vocaremus: & assignaremus tibi certam diem, qua venires prædicta omnia recepturus: quodque tibi debitum, & consuetum favorem medio tempore præstaremus*

Postulant conferendi diadematis diem designari.



Rescindi quæ post ipsius electionem contra eum tentata.

Prohibendos electores, ne tertium eligant.

*mus, & hoc faceremus secundum formam, & justitiam consuetam. Dicebant autem id debere concedi pro, eo quod qualis & a quibus, & sicut, & ubi debuisti, fueras in Romanorum Regem electus, in Imperatorem postmodum coronandus: prædictis quoque secundæ petitionis articulum adjungentes, videlicet ut ea quæ post electionem tuam & consensum adhibitum circa jura & possessionem Imperii, vel aliquam ejus partem tibi quæsitam, per aliquem vel aliquos innovata fuerunt, deberent in irritum revocari: cum jure tuo, possessione, vel quasi privari non debeas, sine causa. Tertio petierunt, quod inhiberemus Imperii electoribus, ut prima petitione durante, ad aliquem alium non procederent eligendum de facto, cum de jure non possint. Et demum hujusmodi tertiam petitionem nostro arbitrio committentes, protestati fuerunt, quod prædicti electores, ad aliquam aliam electionem procedere non deberent in tuum præjudicium & gravamen: & ne contra fieret, sedem Apostolicam appellarunt, asserentes ex causis se legitimis appellare.*

Imminere grave periculum, si principes electores tertium eligant.

XXXIV. Respondetur, Richardi electoribus non vocatis, rem dirimi non posse.

*Cum autem ad investigationem veritatis, super hujusmodi petitionibus, in consistorio publico cum ipsis tuis procuratoribus, & aliis juris peritis, eisdem in prosecutione tui juris assistentibus, quasi familiariter conferremus, inter cætera tangebatur, quod claræ memoriæ Richardi in Romanorum Regem electi electoribus non vocatis, vel saltem denunciatione aliqua non facta eisdem, non erat ad expeditionem petitionum hujusmodi procedendum: cum eorum videatur specialiter interesse, utpote cum jus eligendi Regem Romanorum, in Imperatorem deinde promovendum, sibi vendicent, & in pacifica esse dicantur ipsius possessione, vel quasi. Ex quo etiam arguebatur, non posse, nec debere inhiberi eisdem, quo minus hujusmodi sua possessione libere uterentur; alium, si eis videretur expediens, eligendo. Ex hoc insuper manifesta quædam tua ratio videbatur insurgere, per quam dictæ petitiones videntur non esse aliquatenus admittendæ: quia si contingeret easdem petitiones admitti, & interim dictos electores in alium consentire; cum non possemus electo taliter audientiam sine injuria, & gravi scandalo denegare; cogeremur habitum pro te recensere, & forsan urgente justitia revocare processum, quem petitiones admittendo prædictas, justum videremur antea censuisse. Iis & aliis in collationem deductis hujusmodi, receptisque quibusdam allegationibus ab eisdem tuis procuratoribus super illis tandem actis, & statu ejusdem negotii solicite repetitis; invenimus per quemdam magistrum de Podio Bonizi procuratorem tuum, articulos diversos oblatos, & ipsum procuratorem se admitti ad probandum eosdem in Alemannia, Francia, Hispania, Italia, & nihilominus in curia Romana tuo nomine cum instantia postulasse; ac ipsos & alios quos dilectus filius magister G. de Corneria procurator memorati Richardi ejus nomine obtulit, per felicis recordationis Clementem Papam prædecessorem nostrum de fratrum suorum consilio fuisse, prout ficti qualitas suasit, admissos: & tandem assignato utriusque partis procuratoribus tui & memorati Richardi nomine ad probandum eosdem articulos terminos propter impedimenta varia circumducto, demum iterato ad multam tuorum specialiter procuratorum instantiam, ad idem alium præfixum terminum, & in prædictis provinciis assignata loca, in quibus testium productio fieret, ac examinatores ipsorum nihilominus deputatos.*

XXXV. Nullum jus ex Richardi obitu Alfonso accessisse.

*Et quia inter moras, eodem prædecessore viam universæ carnis ingresso, nullus circa probationem eorundem articulorum ex præmissis habitus est processus; cum nullum de jure sit dubium, juri tuo nihil ex dicti Richardi obitu accrevisse, quia electio tua vires ex post facto non assumpsit, si nequaquam a principio habuisset; nec ex casu partis alterius fulcimento aliquo indigeret, si rite fuerat celebrata; prædictos fratrem & canonicum tuos procuratores publice in eodem consistorio interrogavimus, utrum vellent præfatis articulis pro parte tua oblatis insistere, ipsosque probare; an eisdem renunciare, seu ipsis omissis, quasi esset in hujusmodi conclusum negotio expectare finalem ordinationem ipsius. Verum ipsi dicentes, quod ad ista respondere non poterant, nec debebant, utpote ad petitiones duas primo propositas deputati, & ad instrumenta & chartas, quæ habebant, in curia ostendenda, & ad responsionem superdictis petitionibus audiendam; demum literas & instrumenta quamplurium magnatum de Alemannia, & aliquarum civitatum, & singularium personarum de Italia, ut dicebant, & earundem literarum series prætendere videbatur; in nostra & eorundem fratrum præsentia exhibere curarunt: protestantes expresse, quod, etsi præmissa, ut eorum verba sequamur, facerent coram nobis tamquam coram judice, qui petita facere poterat & debebat secundum justitiam consuetam in aliis promovendis ad coronam Imperii a nostris prædecessoribus observatam; non tamen hoc petebant nec exhibebant, nec faciebant coram nobis, ut in figura judicii; sed de plano ad instructionem & informationem nostram & fratrum nostrorum super jure tuo, & exhibitione justitiæ consuetæ: ac insuper asserentes, quod credebant ex eisdem instrumentis & chartis exhibitis, & ex iis quæ per ipsos proposita fuerant, coram nobis & per*

Proponitur an velit jus ad Imperium probare, an cedere.

Renuunt Alf. oratores Pontifici ut judici se subiicere.

*& per alios tuos & Imperii nuncios coram nostris prædecessoribus, a quindecim annis circiter; nec non & ex qualitate facti, quod publicum per famam, immo notorium communiter reputari dicebant; nos & eosdem fratres nostros super jure ac justitia tua sufficienter instructos petierunt, institerunt, & etiam supplicarunt, ut dictas petitiones dignaremur admittere cum effectu, & ad eas utiliter & celeriter respondere, salvis protestationibus omnibus, quas in hoc negotio ipsi tam in propositione publica, quam privata proposuerunt, in suo robore duraturis: cum tamen frequenter protestati fuissent, quod nequaquam renunciare probationibus intendebant; sed, si opus esset, potius uti eis.*

Petita sine probationibus admitti flagitant.

XXXVI. *Sane licet nos debitum non urgeret officii, dictos tuos procuratores instruere, sed juxta qualitatem petitorum respondere sufficeret ad petita; illa tamen, quam ad te gerimus, coegit affectio, ut benigne tecum & cum ipsis agentes; ne votivam nobis instantis expeditionem negotii, per ineptas petitiones contra nostrum desiderium contingeret impediri; eis præmissæ primæ petitionis ostenderemus ineptitudinem, nec secundæ injustitiam taceremus. Siquidem prima petitio cum ipsius negotii decisionem exigat cum protestatione, quod adhuc probationibus uti liceat, se non compatitur, nec cum ipsa concurrit. Sive namque ipsam admitti, sive finaliter & decisive repelli contingeret, post decisum alterutro modo negotium, nullus profecto locus probationibus superesset, nec probationum facultate pendente: sed demum post renunciationem probationum expressam vel conclusionem saltem explicitam, seu interpretativam ex jure, sunt negotia finali calculo terminanda. Secundæ vero petitionis injustitia proculdubio late patet. Quomodo enim, dum de jure, quod in Imperio tibi asseris acquisitum, pendet examen, procedere juste potest illa petitio, qua pro parte tua petitur, revocari quidquid innovatum est in præjudicium juris tui? Cum illud adhuc incertum sit, & ex incerto judiciorum pendere videatur eventus: maxime cum caveatur in jure petitori, pendente controversia super rei dominio alicujus interim ipsius rei ratione jus aliquod vendicanti, exceptionem obstare, ne majori quæstioni fiat præjudicium per minorem.*

Ea injustitiæ arguit Gregorius.

XXXVII. *Porro cum ad vicariam in Tuscia charissimo in Christo filio nostro Regi Siciliæ illustri ejusdem sedis auctoritate commissam, & potestarias in quibusdam Tusciæ ac Lombardiæ civitabus a Rege ipso ejusdem sedis tolerantia, seu permissione susceptas, ipsius petitionis feratur intentio, prout eam proponentium expressio continebat, expresse supplicantium quidquid circa illas factum fuerit, revocari; ex hoc ejusdem petitionis injustitia evidentius apparebat, quod auctoritatis commemoratio, eidem Regi præstitæ in præmissis manifeste docebat. Dudum siquidem dictus prædecessor noster prudenter attendens, quod cum ad prælatos omnes & episcopos maxime spectet, in suis diœcesibus exhortationibus prius, & demum sua jurisdictione ac auctoritate revocare ad concordiam discordantes; ad ipsum singulariter pertinebat in universali Ecclesia cunctave congregatione fidelium pacem quærere, ac ipsam facere diligentius observari; & potissime in eisdem Tusciæ ac Lombardiæ partibus, quæ Imperiali destitutæ regimine, in iis provisionem ipsius & dictæ sedis specialiter expectabant; de ipsorum fratrum consilio salubriter ordinavit, ut incolæ partium dictæ provinciæ Tusciæ, ipsi subjectarum Imperio, jurarent pacem se inviolabiliter servaturos, & eam studerent fideliter observare: non intendens, quod per hoc aliquis sui juris prosecutionem omitteret; sed ut illud non viribus sed juribus prosequeretur coram judice competenti: ne si quisquam sine sui magistratus imperio sibi jus dicere propria temeritate præsumeret pacem provinciæ, non absque gravi aliorum dispendio perturbaret.*

Nec minus iniquum quod deposcebant Vicariatum Caroli in Italia rescindi.

Juste illum a Clemente constitutum.

XXXVIII. *Pacis autem hujusmodi eundem Regem a principio constituens servatorem, deinde ut in commissa sibi provincia singulis suam reddendo justitiam, pacem melius conservaret, cum pax justitiæ sit opus, & fructus ipsum ut haberet exhibendo omnibus justitiæ potestatem; vicarium sub certa forma in eadem provincia Tusciæ constituit generalem: & demum, cum post labores innumeros, & expensas non modicas, reductis rebellibus per suum ministerium, toti eidem provinciæ pax saltem publica proveniret; idem prædecessor regiminis Regis ipsius utilitate pensata, patienter toleravit, seu non indigne permisit, eundem potestariæ officium in civitatibus Lombardiæ, quæ illud sibi offerrent, licite recipere ac libere, prout suaderet justitia exercere: potissime cum secundum conventiones habitas inter Ecclesiam & ipsum in concessione regni Siciliæ sibi facta, ipsus recipiendi facultas non adimatur eidem, dum tamen in majori parte ipsius provinciæ dominium non præsumeret usurpare. Injuste itaque dicebantur innovata, & proculdubio petebantur injustius, maxime tuo nomine, cum de jure tuo nondum constet, ut prædicitur, revocari ea, quæ tanti auctoritate prætoris ex causa tam rationabili sunt concessa. Cæterum memorati tui procuratores & nuntii super iis patenter & diligenter admoniti explicite responderunt, quod prædictas petitiones nec moderari poterant nec etiam variare, utpote certo a te super illis mandato recepto. Regalis igitur excellentiæ circumspectio colligat, quæ de præmissis, exigente justitia, responsio subsequatur: cum primam earundem petitionum, tamquam sibi contrariam & ineptam sua ineptitudo repellat. Secundam vero, velut evidenter injustam justitia manifesta confutet. Et ideo ipsas, quantumcumque tui zelemus honoris augmentum, considerato ejusdem statu negotii, de ipsorum fratrum consilio non duximus admittendas. Dat. apud Urbemveterem XVI. kal. octobris pontificatus nostri anno I.*

XXXVIII. Ut Carolo primum paciarii munus demandatum.

Dein vicarii generalis.

Demum potestatariæ in nonnullis urbibus traditum.

Excusat se apud Alf. Gregorius, si ejus postulata repulerit.



XXXIX. Non repulsam modo imperialis immunitionis passus est Alfonsus Castellæ ac Legionis Rex; verum etiam demum jure omni abire, ne pontificia sententia illius causa damnaretur, compulsus. Cumque in Italiam post Richardi mortem Hispanas copias, qui Gibellinam factionem tuerentur, juraque imperialia occuparent, submisisset, Pontifex, qui pacis in Italia revocandæ, bellique in Asiam transferendi desiderio summo tenebatur, Aquensi archiepiscopo A. S. L. in eas censurarum distringendarum provinciam dedit (*a*): *Tam*, inquit, *contra incolas ejusdem provinciæ*, de Insubria loquitur, *quam contra quoscumque Hispanos, Theutonicos, vel alios eandem provinciam ad turbandam pacem ipsius ingredi præsumentes; & ipsorum audaciam per censuram ecclesiasticam, & aliis remediis, de quibus expedire videris compescendi, plenam & liberam fraternitati tuæ tenore præsentium concedimus potestatem, &c.*

Submissæ ab Alfonso in Insubriam copiæ.

(a) *Ext. ejus lit. in eod. MS. Vallic. pag. 90.*

Ad eas reprimendas creatus a Gregorio legatus.

XL. Permoverat Pontificem ad creandum illum legatum infelix rerum Italicarum facies, ut bella plusquam civilia ex Italia pelleret. Insubres enim in factiones divisi mutuis se cædibus atterebant. Nec provincia modo, sed ipsæ urbes contrariis studiis laniabantur: inter quas Placentia calamitatis exemplum extitit. Bononienses ac Veneti multis se conficiebant præliis: iterumque Veneti ac Genuenses maritimum sibi bellum inferebant. Etruria Guelphorum ac Gibellinorum veteri ac familiari malo torquebatur. Quas dissensiones sanctissimus Pontifex, (*b*) ut primum Italiam attigit, sopire in animum induxisse, legato in literis de munere ei imposito traditis significat. Cum illud obire Aquensis archiepiscopus, atque ad populos in mutuam concordiam adducendos strenue operam dare cœpisset, maximas difficultates a pacis publicæ hostibus passus est. Ad quas superandas hortatus illum est Gregorius (*c*) ut omnes conatus consumeret, atque hæc Insubribus ob oculos proponeret, inculcaretque.

Pacandis exortis discordiis in Italia jussus incumbere.

(b) *Lib. 1. ep. 33.*

Plures sibi adversantes patitur.

(c) *Ext. ejus lit. in eit. cod. Vallic. pag. 89.*

XLI. *De singulis partium earumdem idoneis ad hoc ambassatoribus competenti in loco ad tuam præsentiam vocatis, primo ipsis prudenter & patenter exponas, quod cum ad reformationem specialiter pacifici status mundi generale concilium mandaverimus certo tempore congregari; & sive in Italia, sive ultra montes ipsum celebrari contingat, venturis ad illud viarum est præparanda securitas; decet ipsos solicite laborare, ut in partibus ipsis discordiarum turbines, vel per solidæ concordiæ vinculum tollantur omnimodis; vel saltem per treugarum remedia cessent ad tempus. Deinde ipsis utili commemoratione suadeas, quantis animarum periculis & corporum, rerumque dispendiis per domesticas simultates & plusquam civilia bella patuerint: quodque, si eos in antiqua guerrarum dissidia recidere, fortuna noverçante, ne ipsorum dixerimus malitia exigente, contigerit; eo molestiores proculdubio sentient recidivæ collisionis insultus, quo solet esse recidenti profecto deterius, quam cadenti. Nec omittas illis aperte suggerere, ut oppressiones innumeras casuum adversorum, quibus eos exacti temporis tempestas involvit, in meditationis solicitæ scrutinio recensentes; & considerantes attente quantis laboribus quantisque sumptuum oneribus se ab illis, dum ipsorum eos moles opprimeret, redemisset; quantisve redimerent si, quod absit, in casus similes tantorum malorum principia quæ jam patulo in ipsis partibus patere dicuntur, neglecta reducant: sed illis studeant obstare celeriter, paucos adhuc quietem turbantes ipsorum ad pacem, si fieri potest, reducendo pacifice, vel castigatione debita viriliter compellendo, quod per longas moras nequaquam periculosius convalescant.*

Urbium oratores ad se vocare jubetur.

Exponere necessariam ad celebrandum concilium itinerum securitatem.

Indicere ad tempus inducias.

Addit Insubres eo facilius ad pacis consilia adducendos, quo in concilio œcumenico de publica pace alenda ferendæ sint leges. Præterea subiicit ut in quoscumque, qui pacem in iis regionibus disturbarent, censuras distringat: ac maxime in Ubertinum de Lando, quem Pontifex nullis monitis, nec incusso censurarum terrore, ad pacem amplectendam inflectere potuerat. Dedit (*d*) etiam aliis literis imperia, ut non modo contra incolas provinciæ, verum contra Hispanos etiam ac Germanos, publicæ pacis turbatores, animadverteret.

Ubertinus turbarum auctor. Censuris devinctus.

(d) *Extat ib. p. 90.* Hispani Germaniqne infestantes Insubriam iis percelli jussi.

XLII. Egregiam vero ad id navasse operam, ostendunt literæ (*e*) ad magistratum Mediolanensem datæ, quibus gratulatur, ad pacem amplectendam flexisse civium animos, atque ad illam apud cæteros adducendam egregiam operam dedisse maximeque apud Brixianos, quos ad legati apostolici excipienda imperia permoverat. Eumdemque Mediolanensium præfectum aliis literis (*f*) rogavit, ut adductæ in extremum discrimen Placentiæ succurreret: cum maxima ex illius urbis

(e) *Ext. ib. pag. 93.* Mediolanenses paci student.

(f) *Ext. ib. ead. pag.*

Ad opem ferendam Placentinis excitati.

bis eversione pericula toti Insubriæ imminerent. Describit Pont. (a) calamitosissimum illius urbis statum, quæ olim inter Italiæ civitates opibus ac populi multitudine efflorverat, tum vero mutuis civium cædibus attrita ac deformata erat: ex quo Gibellinorum furore abrepta Uberti Palavicini hostis Ecclesiæ tyrannidi se subjecerat. Ita enim Placentinos alloquitur.

(a) Lib. 1. ep. cur. 20. Extat etiam in cit. cod. Vall. c. 49. pag. 86.

XLIII.

*Impletur in ea illud propheticum: Contritio & infelicitas in viis eorum; qui pacis semitas non cognoscunt. In iis quidem, licet propheticæ vox doctrinæ custos communiter instruat, vos tamen singulariter evidentia * veritas experimentalis informat. Qualiter enim civitatem vestram stiderit inveterata dissensio, quam graviter lacerarit; quæ insuper animarum pericula, quas strages corporum, quanta induxerit rerum dispendia; vos non aliter quam expertos expedit admonere. Nostis etenim, ut singularia non facile numeranda dispendia taceamus, civitatem ipsam dudum virorum præditorum virtutibus, & divitiarum fœcunditate præclaram, claritate conspicuam, & ipsorum abundantia in conspectu omnium gloriosam; nunc multis ex suis civibus in præmeditatis, hinc impetuose, hinc insidiose subtractis, castrisque ad vos ac ipsam spectantibus, & quampluribus nobilibus ipsius ædificiis nunc subversis hostiliter, nunc succensis immaniter; debilitatam incolis, ope attenuatam & opibus, intestinis dissidiis laceram, & immanitate diffidentium taliter laceratam, ut in se ipsa evidenter experta, quod inimico familiari nulla pestis efficacior ad nocendum, amare desleat, gravius manus similiter nocuisse domesticas, quam imperantium hactenus & aliorum ipsam persequentium dexteras inimicas.*

* veritatis

*Nostis quod per hujusmodi seditiones & odia inquietudini ac periculis exponuntur animæ simul & corpora; & bona nihilominus vastata . . . . testante, quod in concordia crescunt res minimæ, in discordia maximæ dilabuntur. Et utinam, filii, consultius advertatis; unde tam gravis, tam sæva in vos pestis irrepsit, & unde inter vos, velut inter hostes infestos, desævit rabies sic hostilis. Profecto non potuit in vos hactenus cujusquam potentia mala, quæ vos ipsi alterutrum ad internecionem vestram per peccatorum, ut creditur, demerita congessistis. Pro eo namque, quod abiisse videmini post turbati animi pravitatem, videtur & vos Dominus cibasse absynthio, & potasse insuper aqua fellis mittens post vos gladium consummantem. Hæc nos non solum ex suscepti pastoris officii debito, sed etiam ex singulari, quem ad vos gerimus, charitatis affectu, cura pervigili & intento studio meditantes; licet multo desiderio affectemus, fluenta pacis abunde in universos sanctæ matris Ecclesiæ filios derivare; in vos tamen illa velut flumen effluere tanto singularius affectamus, quanto magis ad vos singulari afficimur charitate, &c. Dat. Lateran. IV. kal. aprilis pontif. nostri anno I.* Hortatus (b) est aliis literis, ut conjunctis animis hostem propulsarent: fœdum enim videri ipsos, qui Frederici Imperatoris potentiæ restitissent, Palavicini marchionis conatus sustinere non posse: nec Regis Siciliæ auxilia unquam defutura.

(b) Eod. cod. pag. 91.

XLIV.

Non ad Placentinos modo, & alios Insubriæ populos inter se conciliandos incumbebat (c) Aquensis archiepiscopus A. S. L. verum etiam inter Bononienses ac Venetos, eosdemque inter ac Genuenses pacem agitare cœperat. Cujus adducendæ Gregorius cum desiderio summo teneretur, earum urbium oratores ad se evocandos duxit. Sed ne multiplices tractatus rem confunderent, pontificias literas ad legatum transmisit, ut si ipsos in concordiam adducturum speraret, cœpto tractatui insisteret: si vero ea spes non affulgeret, ad Venetos, Bononienses, ac Genuenses de mittendis ad sedem Apostolicam oratoribus literas transmitteret. Extant in Vallellano MS. codice memoratæ literæ (d) ad Genuenses, Bononienses ac Venetos eodem exemplo missæ, quibus jubet, oratores ad pacem agitandam ad aulam pontificiam recurrente sacro B. Lucæ die transmittere, hisque verbis ipsos ad concordiam allicit.

(c) MS. Vallic. bibl. sig. lit. C. n. 49. pag. 90. Gregor. ad conciliandos Januenses Bononienses & Venetos incumbit.

(d) Ib. n. 49. pag. 90. & post eund. ep.

XLV. Mitti ad senatores jubet.

*Quanta ex concordia inter vos & dilectos filios commune Venetorum reformanda, si annuat Dominus votis nostris provenire possit utilitas; ipsa dispendiorum, quæ jam ex perniciosa inter vos & ipsos discordia emerserunt, consideratio evidentius manifestat. Sopiret enim pacis lenitas mala, quæ guerrarum calamitas introduxit: & commoda multa ex pacis reformatione succrescerent, præcisis in posterum & saltem aliquibus jam illatis emendatis incommodis, quæ dissensionis iniquitas germinavit. Hæc & alia, quæ considerandæ tanti negotii circumstantiæ suggesserunt, frequenter in meditationis debitæ scrutinio recensentes, plenis desideramus affectibus, pacis fœdera inter vos & eosdem Venetos solide reformari. Et quia credimus apud nos id posse tractari consultius, & majori soliditate firmari, partes eligimus ad nostram præsentiam evocandas, &c.*

Paruere apostolicis monitis Genuenses ac Veneti: atque Christi vicario interprete in mutuam pacem, ut arma in Saracenos verterentur, consensere. De quibus Andreas (e) Dandulus: *Joannes Dandulo, Thonisius Justinianus, Nicolaus Nani-*

(e) Andr. Dand. hist. Ven. l. 10. c. 8. in Laur. Teupulo.





Pactæ Januenses inter, & Venetos induciæ.

*nigioso ducis nuncii cum legatis Januensibus coram Gregorio Papa, qui ad passagium plurimum anhelabat, conveniunt, ut carcerati utriusque partis, qui in firmatione treugæ detenti remanserant, debeant relaxari.* Non tam facile Bononiense bellum sopiri potuisse refert idem auctor (a): cujus causam inde emersisse scribit, cum Bononienses tertio Laurentii Teupuli anno virium freti potentia, ac totius Romandiolæ affectata dominatione, Venetos frumentum & sal australi fluminis ripa devehere indignaretur, atque arcem in faucibus fluminis Primarii excitare apparassent: sed pontificia demum auctoritas ipsos ad mutuam pacem adduxit, quæ iis legibus est percussa, ut arx a Bononiensibus in Primariano excitata solo æquaretur.

(a) Id. ib.

Redacti in concordiam Veneti & Bononienses.

XLVI.

Ad pacandam etiam Etruriam Gregorium eodem tempore apostolicum studium defixisse ad Dominicanorum præfectum docent literæ (b) quibus strenuam in ea re illius diligentiam commendat, cœptisque insistere jubet. Cumque religiosorum opera, Gregorius amantissimis verbis earum partium Gibellinos mulcere studet, non minus incusso censurarum terrore, si factionis studium pietatem omnem ex eorum animis delevisset, ad officium urgebat, ut omnes populi mutuo amore coalescerent, suaque odia in Christiani nominis hostem pie exercerent. Hærebant adhuc in contumacia Senenses, atque ob turbatam Italiæ pacem, tyrannorum defensas partes, nec admissum Carolum Regem in gerendo publicæ servandæ quietis magistratu censuris ecclesiasticis a Romanis Pontificibus Alexandro, Urbano, Clemente irretiti erant, quas in eos Gregorius renovavit (c). Easdem censuras adversus Pisanos (d), Ticinenses, (e) Veronenses, (f) Ludovicum ducem Bavariæ, (g) comitem Tyroli, atque alios, qui victi Conradini partibus fuerant impliciti, atque ob id pœnis ecclesiasticis damnati, nondum ab sede Apostolica criminis veniam poposcerant, tum in die cœnæ Domini, tum in ejus Ascensione, tum in festo Basilicæ S. Petri, confirmavit.

(b) Ext. in MS. Vall. bibl. sign. lit. L. n. 49.

Pontificium studium pro Etruria pacanda.

Senenses censuris defixi.

(c) Lib. 1. ep. cur. 4. & 48. Et plures alii populi.

(d) Ibid. ep. 5. 26. 46.

(e) Ib. ep. 6. 49.

(f) Ep. 7. 27. 47.

(g) Ep. 7. 27. 47.

Et quidem Pisanos, non modo ob secutas Conradini partes, non exceptum in Etruria Carolum publicæ pacis servatorem, & immissam in Siciliæ insulam classem; verum etiam ob Sardiniæ insulam sedis Apostolicæ beneficiariam, oppugnatam, captamque Sassarim, sacris multatos, e pontificio edicto constat: (b) in quo hæ omnes causæ intentatæ ecclesiasticæ execrationis afferuntur: *Quia civitas, cives & commune Pisanorum antiquam persecutionem, cui cum eodem Friderico contra eandem Ecclesiam institere diutius; & contumaciam ad mandata ipsius Ecclesiæ consuetam obfirmata pertinacia prosequentes, prædictas inhibitiones, comminationes & sententias contemnendo, in prædictum Conradinum velut in Siciliæ Regem intendere, ipsique nuntios & literas ut Siciliæ Regi mittere, ac ab ipso tanquam a Rege Siciliæ sub præmissis intitulatione & denominatione recipere, sicut etiam ambaxiatores seu syndici communis ipsius in eorumdem prædecessoris & fratrum præsentia confessi fuerunt, & alias eidem favendo multipliciter, ipsum ad veniendum contra eosdem Ecclesiam & Regem Siciliæ in Italia incitare sibique ad hoc pecuniarium etiam præstare subsidium; aliaque promittere temeritate damnabili præsumpserunt; præfatum quoque Regem de prædictorum fratrum consilio a prædecessore ipso destinatum in Tusciam tamquam pacis publicæ servatorem admittere sibique in pacis observatione parere contumaciter recusarunt; ipsumque ac prædecessorem eundem* (nempe Clem. IV.) *in ipso in omnibus, in quibus poterant pro posse offendere sunt conati.* Et pluribus interjectis quibus narrat, ut a Clemente censuris fuerint defixi, eorumque civitas archiepiscopali sede nudata: *Non solum ad ipsius prædecessoris mandata infra dictum eorumdem Apostolorum festum redire contumaciter non curarunt, verum etiam cum eodem Conradino gentem suam mittere, ac pro ipso in regnum & specialiter in insulam Siciliæ galearum stolium destinare, variaque loca ipsius regni & præcipue insulam ipsam invadere; illisque, necnon & habitatoribus eorumdem multiplicia damna inferre, ac in præfata insula Sardiniæ, quæ est sedis Ap. specialis, judicatum Turritanum, & specialiter Sassarim, locum insignem & quasi caput judicatus ipsius; eodem prædecessore defuncto occupare ausu temerario præsumpserunt, & occupatum adhuc detinere præsumunt: propter quod non est dubium ipsos tam præmissas spirituales sententias latas in eos, quam temporales pœnas illatas eisdem, ut præmittitur; & specialiter privationem terræ & juris, si qua in prædicta insula Sardiniæ habuerant, cum infra prædictum festum Apostolorum ad mandata Ecclesiæ non redierint, & idem prædecessor ipsos eo ipso, ni redirent infra illud, prædictis terra & jure primaverit & privatos manere decreverit; incurrisse.* Et infra, ubi nonnulla de Pisanorum contumacia, illatisque variis pœnis disseruit iis subdit: *Memoratos civitatem & commune Pisanorum monemus districte mandantes eisdem, ut infra tres menses, quos eis ad hoc pro peremptorio præfigimus termino, de memorata insula Sardiniæ gentem suam, si quam illuc miserunt, revocent; & eandem insulam, & specialiter dictos judicatum & locum Sassari no-*

(b) Ep. 46. Causæ ob quas Pisani sacris multati.

Datum crimini exciviſſe Conradinum.

Classem ad invadendam Siciliam immisisse.

Invasisse Sardiniam.

Sassarim occupasse.

*nobis, ecclesiæ Romanæ, ac nuntiis nostris liberè & in pace dimittant, nullam de cætero molestiam super ilis per se, vel per alios, aut cum aliis illaturi: quodque infra instans festum Purificationis, quod eis pro peremptorio termino assignamus, humiliter ad nostra & ipsius Ecclesiæ studeant redire mandata, satisfactionem de præmissis impensuri plenariam & nostris præcise beneplacitis parituri: alioquin ex tunc ad privandum ipsam civitatem Pisanam episcopali dignitate, quæ illi sola remansit; ac jure civitatis, seu universitatis & cujuscumque territorii, seu districtus, jurisdictione insuper ac vassallis quibuslibet; nec non ad invocandum contra ipsos cives, civitatem, ac commune brachii sæcularis auxilium tam per regalem potentiam, quam per alios magnates & communia civitatum, aliorumque locorum, ac alias graviter spiritualiter & temporaliter, prout expedire viderimus; procedemus &c. Actum in ecclesia Urbevet. in festo dedicationis basilicæ Principis Apost. pont. nostri anno* I.

Intentata illis, ni resipuerint, Caroli arma.

XLVII. Cum Regis Caroli mentio inciderit, non prætermittemus, quantam solicitudinem Gregorius pro extinguenda ipsum inter & Margaritam Francorum atque Alieonoram Anglorum Reginas in comitatus Provinciæ causa, discordia collocarit. Præibant eæ Reginæ ætate sorori Beatrici Reginæ Siciliæ, ac potiora in Provinciam & alios comitatus jura obtinere contendebant: quam controversiam S. Ludovicus fraternæ charitatis studio, dum vixit, sopivisse vidimus, & Clementem arguisse Carolum ob Provinciales sibi fidei sacramento devinctos; cum ea re Margaritæ Berengarii Provinciæ comitis natu maximæ filiæ juribus detraxisset. Egit igitur Gregorius cum Rege Carolo, ac Reginis Margarita & Alienora pluribus literis (*a*) ut amanter controversiam componerent: cumque oratores instructos auctoritate ad rem dirimendam mittere assensissent, Sylvanectensis episcopus & abbas monasterii S. Dionysii, ut communes amici a Pontifice ad tractandam concordiam delecti sunt. Extractam in plures annos illam inter Regem ac Reginas discordiam videbimus & a Rodulpho Rege Roman. provinciam Carolo attributam (*b*) nec ullum bellum in ipsum a Reginis concitatum. Ut vero antea Pontificem in Italia & Galliis, ita nunc in Ungaria & Boemia paci restituendæ, alendæve studentem intueamur.

Veterem de Provincia inter Carolum & Reginam Franc. controversiam sopire studet Greg.

(*a*) MS. Vallic. bibl. sig. lit. C. n. 49. pag. 28. & 29.
(*b*) Ext. de eo diplom. Rodulph. apud Martin. IV. to. 1. l. 1. insertum ep. 11.

XLVIII. Confirmavit hoc anno Gregorius percussas superiore inter Stephanum Ungariæ, & Othocharum Bohemiæ Reges, fœderis leges, datis ad Ungarum (*c*), & Boemum (*d*) literis: atque Strigoniensem & Waciensem Pannoniæ, Pragensem (*e*) & Olomucensem Boemiæ præsules ad servandas eas leges, incusso censurarum metu, utrumque principem compellere imperavit. Sed parum tenuit ea pax: ac Stephano Rege hoc ipso anno, cum duobus regnasset, extincto, est rescissa. [1] Reliquit ille duos liberos Ladislaum & Andream: quorum major natu regio nomine insignitus, Andreas ducali dignitate donatus est. Exorto vero paulo post bello, tradit Stero (*f*) facem prætulisse Henricum comitem, qui ab Stephano Rege adhuc superstite Ungaria ejectus, ad Regem Bohemiæ confugerat: sublatoque e vivis Stephano, reversus ac Ladislai novi Regis gratiæ restitutus, Belam ducem, Regis Ladislai avunculum, ac Regis Boemiæ consobrinum proditionis in Ladislaum accusatum crudelissimo mortis genere in insula apud Budam trucidavit, ejusque membra in frusta concidit. Ex quo scelere Othocharus iracundia exæstuans pacem cum Ungaris compositam, atque a Gregorio corroboratam, abrupit: ac solemnibus Ungarorum oratoribus pacem flagitantibus, nullis precibus flecti potuit: sed conflato exercitu in limites Ungariæ excurrit. Suam quidem auctoritatem pro emollienda Boemiæ Regis iracundia, qui se læsum querebatur, adhibuisse Gregorium Papam, ex ejus literis constat: (*g*) quibus recrudescentem discordiam, propositis ob oculos ingentibus malis, quæ ex præteritis bellis emersissent, sopire studuit: juratas pacis leges coleret: si qua in re violata ejus dignitas foret, Ladislaum ipsi facere satis paratissimum: non verti ipsi gloriæ pupillum, eumque ipsi affinitate conjunctum invadere & opprimere; ac saltem Carolum Siciliæ Regem, cujus in bello virtus celebratissima erat, quique Isabellam filiam Ladislao nuptui tradiderat, revereretur.

(*c*) Lib. 1. ep. 4.
(*d*) Ep. 6.
(*e*) Ep. 5.
Stephani Ung. Regis mors.
Ladislaus filius sceptrum capessit.
(*f*) Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1. pag. 302.
Henricus comes in Ung. reversus accusatur proditionis.
Obtruncatur Belam ducem.
Othocharus illius necem ulciscitur.
(*g*) Ext. in cit. cod. Vall. pag. 29.
Eum admonet Greg. ut pacem cum Ungaris servet.

*Regi*

NOTÆ [1] STephani Ungariæ regis obitus circa Kalendas Augusti consignatur in Annalibus Steronis. Obitus vero Henrici Anglorum Regis, de quo agit Annalista num. 61. diei sacræ S. Eadmundi Archiepiscopi Cantuariensis ab Anglis scriptoribus consignatur, inter quos legendus eorum temporum æqualis Trivettus in Annalibus. Quoad successorem ejus Evardum adnotare juvat vulneratum fuisse nefanda cujusdam proditione, ut in Annalibus hic numer. 65. narratur, die XVIII. Junii teste Bernardo Thesaurario; qui & asserit Eduardum e Palæstina rediturum solvisse die XIV. Septembris. Quæ si vera sunt ante patris obitum reditum maturavit; quamquam Viterbii & alibi commoratus, nonnisi sequenti anno in Angliam pervenit. MANSI



*Regi Bohemiæ illustri.*

XLIX. *Paternum ad tuæ celsitudinis incrementa amorem gerimus, dum te ad ea, quæ saluti expediunt, & honori tuo congruunt, solicitis monitionibus invitamus. Persuasiones itaque nostras devota mente suscipias, ad ea, quæ tibi benigne suggerimus, apertos habiturus oculos, & aures illis adhibiturus intentas, ut in rationis deducta secretum, & ipsius examinata scrutinio admittantur devotius, & pressius imprimantur admissa, & impressa fructificent; germinatura pacem, & productura quietem: præcidendo inimicitiarum causas & amicitias augmentando. Nosti, fili charissime, quod post varia & gravia guerrarum discrimina, quas inter te & claræ memoriæ Stephanum Regem Ungariæ inimicus humani generis pacis impatiens excitavit (de eo bello agunt Longinus (a) & alii b) post graves ex eis hinc inde personarum strages, grandiaque rerum secuta dispendia, disponente pacis actore, inter te ac Regem eundem reformata concordia, formata sunt fœdera juramenti, & pœnarum adjectione confirmationis nostræ, ad tuam & ipsius instantiam, ac aliarum firmitatum robore confirmata: quæ idem Rex toto vitæ suæ tempore dicitur observasse.*

Præteritarum clades memoriam refricat.

(*a*) Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann.
(*b*) Bonfin. rer. Ung. dec. 2. l. 8. & alii.

L. *Cæterum memorato Regi charissimus in Christo filius Ladislaus Rex Ungariæ, ut tua novit sublimitas, in regno successit; qui, cum sit adhuc ætatis innocentis, de nulla contra te potest offensa notari: & cum ipsum filiis tuis uniat, sicut accepimus, sanguinis unitas, contra eum nulla tibi de futuro verisimilis potest esse suspicio: quam naturalis potius non solum excludere debet omnino conjunctio, sed & suspicantium corda ponere in tranquillo. Ad observanda igitur illi cum memorato genitore ipsius inita fœdera, tanto efficacius tuam debet excellentiam horum consideratio invitare, quanto judicium est de præterito certius, ea per ipsum non esse hactenus violata; & de futuro verisimilius credi potest, nec in posterum violanda. Adiicit autem ad servandæ a te hujusmodi observationis instantiam, quia si quis in eodem genitore vel ejus subditis forsan argui possit excessus, idem Rex Ladislaus ad emendationem cum debitæ satisfactionis promptitudine, juxta conventiones in fœderibus prædictis adjectas, dicitur esse votivus, & quia nec gloriosum foret celsitudini regiæ, nec gloriæ regali magnificum, in pupillum insurgere aut ætatem tam teneram impugnare.*

Puerum Regem purum ab omni flagitio esse.

Abesse ab illius gloria pupillum insectari.

*Ideoque serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur in domino Jesu Christo, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus prædictas conventiones diligenter observans, ab omni memorati Regis Ladislai suorumque offensa & injuria studeas penitus abstinere: in hoc non solum ejusdem Regis Ladislai, & charissimæ in Christo filiæ nostræ Isabellæ consortis ipsius, natæ charissimi in Christo filii nostri Regis Siciliæ illustris, ætati deferens; sed ad eundem Regem Siciliæ, virum excellentiæ tantæ ac virtutis, cui celsitudini tuæ utile fore credimus in sinceritate charitatis uniri, prout te decet, attendens nostrisque monitionibus, quæ bonorem etiam tuum respiciunt, cum tuæ magnitudini congruat, promissa servare, taliter acquiescens, quod ad tua commoda memorati Regis Siciliæ animum attrahas, & apud nos proinde augmentum tibi favoris acquiras.*

Proponit Carolum Reg. Sicil. Ladislai socerum esse.

Colendam esse illius amicitiam.

LI. Paternum igitur solium cum paulo ante conscendisset Ladislaus, ad magnas spes pubescebat; cum sanctissimus Pontifex apostolicas ad eum literas paterni amoris significatione insignes dedit (*c*); quibus salubribus eum monitis ad moderandum egregie regnum instruxit: nempe, ad ejus dignitatis fastigium a summo Numine evectum se agnosceret, ecclesiasticum splendorem tueretur: ne jura Ecclesiæ infringeret: probos sibi consiliarios adhiberet: susurrones eiiceret, qui ipsum suis imbuere calumniis niterentur: soceri Regis Siciliæ amicitiam coleret; si quid occurreret, ad Apostolicam sedem confugeret: literas se Ungariæ clero ac nobilitati mittere, quibus commendet, ut ad ipsius regni felicem tranquillumque statum tuendum, & capessenda ipsius imperia promptissimos sese exhibeant.

(*c*) Ext. in cit. cod. Vallic. pag. 29.
Novum Regem Gregor. præceptis saluberrimis imbuit.

*Regi Ungariæ illustri.*

LII. *Habes, fili charissime, unde humiliato apud Deum spiritu & corde contrito in vocem exultationis & confessionis erumpas; ut exultes in ipso, & ejus circa te immensa beneficia fatearis. Ipse namque tibi donavit tantis oriri natalibus, immensis abundare divitiis, & primogenituræ jura concedens, regiæ prædestinavit excellentiæ successorem. Ipse, claræ memoriæ patre tuo de hac luce subtracto, te in annis juvenilibus constitutum ad paterni solii culmen, secundum omnipotentiam suæ virtutis, erexit. Quid igitur retribues Domino pro tantis, quæ tuæ tribuit juventuti? Profecto si paternis aurem inclines affatibus: si pio patri de tua salute solicito, & ejus salutaribus monitis acquiescas, regnum tuum ab ipso, per quem datur regnare principibus, recognoscens; ad eum, a quo bona cuncta procedunt, omnia tibi collata beneficia referes, illi juventutis tuæ primitias offeres, ad ipsum fortitudinem tuam custodies, & residua vitæ tuæ tempora in continuatione salutaris propositi, & piorum prosecutione operum devovebis, favendo ecclesiis, ipsa-*

Jubet a Numine sceptrum acceptum agnoscere.

Illius gloriam & ecclesias tueri.

*ipsarum libertates & jura, nec non & ministros Dei personas ecclesiasticas confovendo: hæc enim tibi annos vitæ producent: hæc dierum longitudinem ministrabunt: hæc firmabunt proculdubio thronum tuum.*

LIII. *His itaque ab annis teneris tuum animum imbue: iis informa: talibus assuesce, ut per consuetudinem mores fiant, nec perverti possint amplius conversa quodammodo in naturam. Ad quod serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur in Domino, sano nihilominus consilio suadentes, quatenus & consiliarios & alios familiares tibi assumere studeas, qui te in semitas mandatorum Domini dirigant non perversis suggestionibus a via rectitudinis abstrahant, nec exemplis detestandis abducant: tuum statum pacificum diligant, tuos subditos foveant, & sua lucra in alienis dispendiis non venentur: qui erga tuam & charissimæ in Christo filiæ nostræ Reginæ Ungariæ illustris consortis tuæ, charissimi in Christo filii Caroli Regis Siciliæ natæ personas fidelitate ac devotione debita polleant, sincero affectu ferveant, & consilii maturitate clarescant. Decet siquidem te ac illos, qui tuis commodis inhiant, qui tuis prosperis eventibus delectantur, circa tuam & ipsius Reginæ custodiam solerter intendere; ipsamque ob claram generis sui prosapiam, ob singularem sui generis claritatem, & tanti principis sui genitoris obtentu; cujus virtus eminet, cujus probata strenuitas evidentia probationis experimentalis elucet; juxta tantarum circumstantiarum exigentiam singulari honore * ut ejus Regis animus tibi vinculo tantæ affinitatis astrictus, toti regno tuo & ipsius incolis perinde fortius adstringatur.*

Abhorrere a vitiis.

Fideles ad ministros sibi adhibere.

Caroli soceri amicitiam colere.

* prosequi,

LIV. *Nos autem, zelantes etiam temporaliter prosperum statum tuum, ad ipsius conservationem & promotionem in tuis opportunitatibus magnificentiæ Regiæ promptitudinem apostolici favoris offerimus: & ob hoc ipsam tam affectuosis monitionibus prævenimus, volentes, ut ad nos ac tuam matrem ecclesiam Romanam cum omni fiducia & securitate recurras, quæ tibi opportuna fuerint, cum abundantia paternæ dulcedinis, quantum cum Deo poterimus, percepturus. Et ecce ad tui favoris augmentum venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis & episcopis, cæterisque prælatis ecclesiarum; nec non comitibus, baronibus, & aliis magnatibus regni tui, affectuosas pro te literas destinamus, ipsos ad exhibendum tuæ celsitudini affectionis & devotionis debitum, tibique constanter & fideliter consilio & auxilio in tuis commoditatibus assistendum, efficaciter & multipliciter exhortantes.*

LIV. Apostolicam operam pollicetur.

Non demisit in animum pontificia monita Ladislaus; sed vitiis fræna laxavit; in quem divinam justitiam severitatis suæ exemplum statuisse, post multos annos videbimus. Nunc Gregorius ut promissa illi studia impenderet, ad fulciendam teneram illius ætatem, paterna solicitudine Ungaros in novi Regis obsequio confirmare est conatus (*a*): nec præmia ipsorum virtuti defutura est pollicitus.

Ungaros præsules procerescque solicitat, ut suum Regi studium explicent.

(*a*) *Ext. apost. lit. in eod. cod. pag. 95.*

In Prussia (*b*) partus est hoc anno de infidelibus triumphus: profecti enim ex superiori & inferiori Germania crucigerorum equitum adversus Pruthenos auxilio nonnulli viri nobiles; inter quos Juliaci & Marchæ comites eminebant, quos propagandæ religionis ac tuendi Christiani nominis pius ardor incendebat; nobilissimam de hoste victoriam retulerunt. Superioribus præliis efferatior Pruthenus superbe admodum se efferebat: cumque in Sambuciensem regionem, instructo agmine, itum esset, durissimo conflictu cum barbaro certatum est; ac bello, multo jam fuso sanguine, ingravescente, religionis hostis succubuit & in fugam versus, cum animis collectis fronte opposita resisteret, ingenti clade a Christianis fractus cæsusque est.

(*b*) *Long. hist. Pol. l. 7. but ann. & alii.*

Juliaci & Marchæ comites in Pruthenos movent.

Barbari in Sambuciensi agro deleti.

Absolvamus Germanicas res insigni divinæ severitatis exemplo: oppidum enim, cui Seconis nomen erat, cum cives interregni occasione, innocentium direptis fortunis, gulæ, vetitisque delitiis indulgerent, deletum est improviso ac repentino incendio. Cujus cladis præsagia non obscura extiterant: in feretro enim, quo S. Fridolini ossa, cujus clientelæ is locus commendatus erat, continebantur, magni & crebri ictus astantium stupore exauditi, ut chronici Colmariensis auctor subjectis verbis enarrat (*c*).

LV. Seconiana arx divinitus incensa.

(*c*) *Chron. Colmar. parte altera.*

LXVII. *Castellum, quod Seconis dicitur, quod tunc erat de dominio comitis Rudolphi, ignis casu superveniens, exceptis duabus vel tribus domibus, devastavit. Eorum enim peccatis exigentibus hoc eis creditur accidisse. Sanctus enim Fridolinus locum illum usque ad illud tempus custodierat, quod nullus dominorum eos enormiter poterat infestare. Cives vero loci illius, non confidentes in domino suo S. Fridolino, pontem lapideum, quem ipse construxerant, destruxerunt, prædas pauperum innocentum introduxerunt, & comessationibus & luxuriis insistebant. His & similibus peccaverunt; ideo perierunt: indignationem enim suam S. Fridolinus duobus annis ante destructionem loci pulsationibus, quas faciebat in capsa, qua ejus reliquiæ quiescunt, pluribus & multis vicibus ostendebat. Custos etiam ecclesiæ domina de Gliers conditionis liberæ, solemnis receptatrix fratrum Minorum atque Prædicatorum, & pauperum aliorum, dixit S. Fridolinum filiabus canonissis suis in*



*in somnis apparuisse, & indignationem suam sæpius ostendisse. Frater hospitalis custos ecclesiæ S. Fridolini, qui in ecclesia semper jacuit, eamque custodivit infra duos annos, sæpius eum se retulit audivisse.* Hactenus de Germanicis rebus: nunc ad Gallicas transeamus.

Successerat sanctissimi parentis solio, ac Francorum sceptra tractare cœperat Philippus, ut supra insinuavi, quem Pontifex proposita generis nobilitate ad imitandas S. Ludovici augustas virtutes, omnemque criminis labem declinandam incendit (*a*).

(*a*) *Ext. ejus lit. in cit. cod. Vall. pag. 25.*

Gregorii lit. ad Regem Franc.

*Regi Francorum illustri.*

*Si eximii prophetarum exemplo deducimur, præclara cuique sua esse debet hereditas; sed quo pretiosior, eo nimirum est habenda præclarior. Licet igitur claritate refulgeat, temporalis hereditatis jura defendere; longe tamen est clarius apud omnes, suis majoribus in virtutibus successisse, successionemque hujusmodi, gradiendo de virtute in virtutem, augmentis successivis augere. At hujusmodi autem virtuosæ successionis debitum illi proculdubio plus tenentur, quos natura constituit successores, quibus ad id doctrina non defuit, quos exemplaris informatio, quæ verbali tanquam efficacior in instruendo præfertur, instruxit: cum natura nobilibus maxime necessitatem videatur imponere, ne a majorum suorum degenerent probitate: cum doctrina ipsam naturam informet; cum longum sit iter per doctrinam, breve ac efficax per exempla. Hæc quidem, fili charissime, in claræ memoriæ gloriosissimi Regis Franciæ patris tui, tibi successione non desunt, siquidem tu filius es & heres. Te ille princeps inclytus solicite satagens vas aptum præparare virtutibus, a teneris annis bonis moribus imbuit, & per laudabilia opera exemplis salutaribus informavit. Gloriosum itaque, fili, proculdubio gloriosum, temporalem hereditatem tibi delatam ab ipso manutenere viriliter, & juste sine aliorum injuria etiam ampliare; sed longe quippe inæstimabiliter gloriosius, si virtutum semina, quæ in corde tuo idem, cum laudibus commemorandus, agricola seminavit, studeas confovere; ne illa, quod absit, quasi sata secus viam malus eripiat, aut velut jacta supra petram arescant, vel quasi seminata inter spinas solicitudinibus hujus seculi suffocentur: sed tanquam a terra bona prout desideramus, accepta fructum non solum trigesimum vel sexagesimum afferat, sed & centesimum in die messionis extremæ producant.*

Commendat Pont. præceptis optimis a S. Ludov. informatum fuisse.

Ad ea recalenda solicitat.

LVIII. *Hoc tibi, fili, facile Deo adjuvante proveniet, si frequenter ejusdem tui patris verba sancta commemores: si laudabilia facta recenseas: si ante tui cordis obtutus commemorandæ ipsius exempla præsentes: si peccatorum occasiones solerter effugias: si peccatores, qui te forsan oblectare cuperent, constanter effugans, nequaquam illorum oblectationibus acquiescas. Hæc, fili, sicut de paterni affectus dulcedine prodeunt, sic in filialis, quæsumus, devotionis affectione dulcescant. Quamquam enim salutem omnium plenis desideremus affectibus: ex causis tamen, cunctis evidentibus, sic singulariter ad tuam afficimur, ut instanter pro singulari munere postulemus, serenitatem regiam ad id solicitis in Domino exhortationibus obsecrantes, quatenus ad tuæ respiciens salutis actorem, te in tua præcipue juventute vigilanter observes, donec instructionem laudabilem, quam de ipsius tui genitoris inclyti recolendis verbis, & operibus suscepisti, sic visceribus tuis immisceas, sic præcordiis tuis incorpores, quod in naturam quasi assiduitas diuturnitate conversa, nec perverti nec avelli a te valeat, vel averti: per hoc enim & in Creatoris tui te amore custodies, & famæ tuæ claritatem integram conservabis; proinde ad commemorabilem tuæ laudis titulum imitabile aliis principibus futurus exemplum.*

Voluptates frangere persuadet.

Singulare in ipsum studium ob patris sanctitatem explicat.

Ornavit novum Regem Gregorius apostolicis beneficiis, inter quæ illud (*b*) ad eius pietatem alendam concessit, ut festis præcipuis diebus in locis interdicto ecclesiastico suppositis posset sacris interesse, modo sine campanarum classico, ac voce submissa celebrarentur; nec ii qui ipsum stiparent, ferendo interdicto occasionem præbuissent. Eligendi etiam quem optaret sacerdotis pro sacris ipsius excipiendis confessionibus potestatem fecit (*c*): *Quia*, inquit, *proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia, clementia regia libenter inquirit remedia, quibus irruentes actores mortis valeat declinare. Hinc est quod nos, tuis devotis precibus inclinati, regali excellentiæ præsentium auctoritate concedimus, ut quandocumque & quotiescumque malueris, aliquem discretum presbyterum sæcularem, seu etiam religiosum in confessorum tuum eligere; & illo dimisso, alium, quoties expedierit, assumere valeas: qui audita confessione tua, cum opportunum fuerit, injungat tibi pro commissis pœnitentiam salutarem, & beneficium debitæ absolutionis impendat. Nulli ergo &c. Dat. apud Urbemveterem x. kal. aprilis anno 1.* Plurasque alia ejus generis adjecit (*d*). Cum vero augeretur in dies D. Ludovici sanctitatis gloria, quam nova miraculorum luce Deus collustrabat, Gregorius Gaufrido e Bello loco, qui, ut vidimus supra, sancto Regi a confessionibus fuerat, ac plura ejus gesta hauserat oculis, provinciam imposuit (*e*), ut ejus vitam conscriberet: ne eximia tantarum virtutum exempla oblivione obscurarentur: quæ

LIX. (*b*) *Lib. 1. ep. 146.* Privilegia Philippo concessa.

(*c*) *Ib. ep. 145.*

Gregorius Gaufrido e Bellologo S. Lud. vitæ scribendæ provinciam imponit.

(*d*) *Ib. ep. 150. 151. 153. 155.*

(*e*) *Regest. alter. ep. 8.*

quæ utinam Reges omnes principesque altissimo pectore defigerent, atque exararent.

*Gregorius electus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio fratri Gaufrido de Belloloco ordinis Prædicatorum salutem &c.*

*Claræ memoriæ Ludovici Regis Francorum præcelsa merita recolentes, de beatitudine vitæ suæ, quæ cæteris principibus orthodoxis beate vivendi præbebat exemplum, tanto majoris adhuc percipimus suavitatis odorem, quanto ipsum, quem vivum pura mente dileximus, revocatum ad patriam recentiori memoria retinemus. Verum licet de vitæ modo, quem sui Redemptoris beneplacita prosequendo servabat, habuerimus in parte notitiam; cupientes tamen, quod modus huiusmodi nobis plenius innotescat, in iis potissime, quæ secretius agebantur, devotionem tuam rogamus, & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus satisfaciens devota solicitudine votis nostris, prædictum vivendi modum in omnibus & singulis actibus, & observantiis suis; nil ultra quem fuerit addito, sed veritatis puræ servata substantia; seriatim nobis, & secreto sub tuo sigillo quamcitius poteris per certum nuncium scribere non postponas. Volumus autem, quod apud te verbum remaneat nemini referendum. Dat. Viterbii IV. non. martii suscepti a nobis apostolatus officii anno I.*

LX. Scriptores vitæ S. Ludovici.

Obsecutus est jussis pontificiis Gaufridus, ac libellum de vita sancti Ludovici, qui omnium manibus circumfertur, conscripsit, e quo lectiora in annales suo loco contuli. Decerpsit etiam plura ex eo Nangius. Guillelmus vero Carnotensis, qui sancti Regis præclara gesta oculis contrectaverat, postea nonnulla digna memoria ab alio prætermissa ab oblivione vindicavit scriptisque tradidit: quo etiam auctore, dum de S. Ludovico egimus, usi sumus. Accuratissime etiam de eodem scripsit Jonvillæus quæ sibi exploratissima fuere, ac plures alii moderni, quos consulto prætermimus: Sed a S. Rege Franco ad Anglum pietate æmulum, ætateque supparem Henricum; quem filios suos Eduardum & Edmundum Christo pro defendenda in Syria fide consecrasse superius vidimus, sermonem traducamus.

LXI. Henrici Regis Angl. mors.

Discessisse ex hac vita post gestatum quinquaginta sex annis & amplius Anglorum sceptrum, Westmonasteriensis tradit (*a*): ex quo aliisque corrigendus adjectæ Parisio appendicis auctor, qui ejus obitum in sequentem annum retulit: quique ex eo potissimum erroris arguitur, quod Pontifex literis suis sequentis anni initio Eduardi conceptum ex patris morte dolorem delinire conatus sit. Contraxerat (*b*) Henricus lethalem morbum, cum post justas de Norvvicensibus, qui immani sacrilegio ecclesiam nobilissimam ex odio, quo in monachos efferati erant, flammis exusserant, acceptas pœnas rediret sacramentisque Ecclesiæ communitus animam pie admodum Deo reddidit. De ejus in audiendo missæ sacrificio avida pietate hæc tradit memoratus auctor: (*c*) *Hic Rex quantum in actibus sæcularibus putabatur minus prudens, tanto apud Dominum majori devotione pollebat: singulis namque diebus tres missas cum nota audire solebat, ac cum sacerdos corpus Dominicum elevaret, manum sacerdotis tenere & illam osculari solebat.* Subiicit argutum ejusdem piissimi Regis ad S. Ludovicum responsum; dum ipsum ad sacras conciones audiendas hortabatur: *Contigit aliquando sanctum Ludovicum Francorum Regem cum eo super hoc conferentem dicere, quod non semper missis, sed frequentius sermonibus audiendis est vacandum. Cui facetæ urbanitate respondens ait, se malle amicum suum sæpius videre, quam de eo loquentem, etsi bona dicentem, audire.* Quod etiam præter alios referunt Novatores (*d*).

(*a*) *Vvestm. Flor. hist. hoc ann.*

(*b*) *Continuator Par.*

(*c*) *Id. Continuator Par.* Singularis illius in audiendo missæ sacrificio pietas.

Argutum illius responsum ad S. Ludovicum.

(*d*) *Cent. 13. c. 6. col. 622.*

Consentit Westmonasteriensis (*e*) dictis supra de Henrici Regis vitæ probitate: *Qui quanta*, inquit, *fuerat innocentiæ, quantæ patientiæ, quantæque devotionis in obsequio Salvatoris, Dominus novit, & qui ei fideliter abæserunt: & insuper quanti meriti in vita sua fuerat apud Deum, testantur post ipsius mortem miracula subsecuta.* Contulisse quidem viventi plures victorias Deum, atque ex extremis periculis ob pietatis ejus commendationem eripuisse, visum est. Effusæ etiam in pauperes liberalitatis fuisse, demonstrat illud S. Ludovici in ejus laudem dictum (*f*) eleemosynis suis ab omnibus periculis ereptum iri. Cujus oraculi veritas postea conspicua fuit, cum inter hostium manus lapsus, cinctusque periculis ex iis felicissime, cæsis hostibus, emersit; probatque etiam aliud Leolini principis Walliæ dictum memorabile, se magis Henrici eleemosynas, quam ipsius exercitus pertimescere.

LXII. (*e*) *Vvestm. Flor. hist. ubi sup. Theod. Vallicel. apud Masson. l. 5.* Fertur miraculis coruscasse. Effusæ in pauperes ejus eleemosynæ.

(*f*) *Apud Jonvill. in vita S. Lud.*

Obstrinxere fidem Angli (*g*) proceres absenti Eduardo: qui cum in bello sacro adversus Sultanum Babylonium una cum fratre Edmundo opes suas consumpsisset, Gregorius ab ecclesiasticis Anglicanis ære juvandos edixit: cum æquissimum esset, ut e Crucifixi bonis eorum inopia levaretur, qui sua pro Crucifixi obsequio & Christiano nomine gloriosissime prodegissent. Datis itaque pridie kal. octob. ad Wintoniensem (*h*) aliosque Angliæ episcopos (*i*) literis, subsidiarium æs cogi jussit: clerumque Anglicanum, expositis egregiis Eduardi facinoribus, cujus

LXIII. (*g*) *Continuator Paris.*

(*h*) *Lib. 1. ep. cur. 29.*

(*i*) *Reg. post eand. ep.*



jus virtute reliquiæ Syriæ contra Sultani impetus steterant, ad liberalitatem explicandam hisce verbis est cohortatus: (*a*) *Si debita meditatione revolvitis, quantis progenitores ipsorum ecclesias vestras libertatum privilegiis munierunt, quanta liberalitatum largitione dotarunt; nunquam tanti beneficii largitores in prædictis nobilibus sanguinis & memoriæ continuatione viventes, in tantæ necessitatis articulo negligetis: nunquam ipsis ejus partem negabitis, quod * eis, cum testatoris & heredis personæ eadem censeatur, & utriusque factum idem juris æstimatione putetur integrum; recepistis: præsertim cum eos habituri sitis proinde propitios & promptiores jurium vestrorum defensores.*

(*a*) MS. Vallic. sign. lit. C. n. 49. pag. 88.

* ab

LXIV. Ab Assassino sauciatus.

Adornabat tum e Syria, inscio Pontifice, reditum in occidentem Eduardus suorum impulsus consiliis, ut a barbarorum insidiis sibi consuleret. Quem quidem, dum ad servandas Terræ sanctæ reliquias incumbebat, grave vitæ discrimen adiisse auctores (*b*) consentiunt. Harsacida enim a Sultano Babyloniæ, Syriæ, Ægypti, totiusque orientis domino immissus, in ejus thalamum ingressus, secreti alicujus insinuandi specie, non cogitantem imbuto veneno cultello sauciavit: vixque Eduardus periculo liberari potuit, cum virus in totum corpus se diffunderet: neque illius vis nisi tarde remediis edomita est. Nec minus in mari evasit periculum: ac valida tempestate jactatus, applicuit Drepanum in Sicilia. Quem Carolus Rex magnificentissime excepit (*c*): moxque de illius accessu superatoque ab eo discrimine certiorem fecit Gregorium. Quibus acceptis sanctissimus Pontifex rescripsit (*d*) Carolo, quantum de salute Eduardi gaudium hausisset.

(*b*) *Vvestm. in Flor. hist. Continuator. Paris. hoc ann. Sanut. l. 3. p. 12. c. 12.* E vulnere convalescit.

(*c*) *Vvestm. in Flor. hist.*

(*d*) *Ext. in cit. cod. Vallic. C. n. 49. pag. 31.*

LXV. Gratulatur Pontifex insidias & pericula maris evasisse.

(*e*) *Ibid. pag. 36.*

Increbescente vero rumore Eduardum apostolici conspectus potiundi desiderio teneri, paterno amplexus maris periculis barbarorumque insidiis redivivum excepturum significavit: (*e*) *Felicis ad nos rumore perlato, quod tu, consors, & reliqua comitiva tua prospere ad portum Trapani pervenisti, gaudemus; & exultamus in illo, qui personam tuam de tantis periculis eruit; qui tantas insidias superare concedens, te sicut firmiter credimus, ut beneplacitis suis inservias, reservavit. Recognoscens itaque, fili charissime, te ipsius omnipotentia præservatum, in mandatorum ejus semitas animum dirigas, & eadem omni diligentia studeas observare: hæc etenim tibi dierum longitudinem, annos vitæ, ac pacem apponent. Sane si te ad nostram præsentiam, sicut habet aliquorum assertio, venire contingat; in quo propter singularitatem affectionis, quam ad te gerimus, tuas te volumus commoditates, & alias circumstantias diligenter attendere, potius quam nostris desideriis indulgere; te proculdubio, sicut nosse te credimus, cum multa jucunditate videbimus, & paterni tibi affectus indicia, prout erga charum filium spiritualem patrem decuerit, apertius ostendemus.*

LXVI.

Deductus est sequenti anno ab Rege Carolo Viterbium, ubi Pontifex una cum Cardinalibus agebat; quo salutato, Terræque sanctæ rebus expositis, poposcit ut justitiam in Guidonem e Monteforti aliosque Henrici majoris natu filii Richardi electi Regis Romanorum interfectores exerceret, de quibus inferius agetur. Hic vero non præteribimus, Eduardum a Gregorio clementiæ laude exornatum, obtritis oblivione injuriis ab Henrico episcopo Londoniensi, qui una cum Simone Montfortio in ipsum, ut vidimus, conjurarat, & in Clementem IV. dum legationis munus obibat, proterve se gesserat; suam auctoritatem apud Gregorium adhibuisse, ut Londiniensi sedi restitueretur. Cujus precibus flexus Pontifex sanctissimus, meritam Henrico exauctorato pœnam remisit: *Quia*, inquit in literis pridie kal. junii datis, *jamdudum ad eandem sedem accedens, inibi longo tempore conversatus & multæ pœnitentiæ signa prætendens, te, sicut fratrum nostrorum testimonio fide digno recepimus, adeo humilem, & devotum exhibere curasti, quod nos & sedem ipsam erga personam tuam ad benevolentiam, & mansuetudinem tua humilitas & devotio efficaciter inclinavit; nos, sperantes te post lapsum hujusmodi futurum in ipsius sedis obedientia, præsertim ob perceptæ in hoc ab ipsa benignitatis gratiam fortiorem; & erga ipsum Regem & dilectum filium Eduardum primogenitum ejus, qui tamquam vir mansuetissimus injuriarum dicto Regi & sibi factarum oblitus, pro te apud eandem sedem supplicationibus institit, & literis supplicavit, &c.* pristinæ illum restituit dignitati: clementiamque pariter in nonnullos alios præsules Anglos, præteritæ perduellionis reos, ad Eduardi preces, qui regni exordia a mansuetudine auspicabatur, explicuit.

Henricus Lond. ep. suæ sedi restitutus.

Eduardus clementia regnum auspicatur.

Cum vero ad ecclesiarum optimum regimen maximi interfit, viros probitate conspicuos earum gubernaculis admovere, singulares curas in evehendis ad dignitates ecclesiasticas viris scientia, & sanctitate insignibus collocavit. Ita Robertum egregiis virtutibus ornatum Cantuariensi ecclesiæ imposuit (*f*) Joannem Gradensem patriarcham creavit (*g*); ornavitque pallio; Petrum e Tarantasia sacræ Prædicatorum familiæ religiosum virum, gerendis quibusque maximis muneribus virtutibus parem, Lugdunensem ec-

LXVII. Robertum Cantuariensi ecclesiæ præficit Pontif. Joannem Gradensi.

(*f*) *Lib. 1. ep. 67.*

(*g*) *Ep. 65.*

ecclesiam gerere jussit: ad quem in MS. Vallicellano codice extant datæ literæ, quibus ipsum ad zelum pro divina augenda gloria explicandum, munusque obeundum est adhortatus.

*Electo Lugdunensi.*

Ejus ad Petrum e Tarantasia lit.

*Conceptum in nobis ab olim de te, fili, signa evidentia formarunt, quod vir virtutis existas, & in persona tua ille, a quo cuncta data sunt optima, multa dona congesserit, per quæ in conspectu ejus acceptus redderis, & in oculis hominum gratiosus haberis. Ideoque opportunitate concessa, conceptum hujusmodi producere intendentes in partum; ne talenta tibi credita per humilitatem status, quasi suffossa remaneant, sed ea tanquam fidelis servus, & prudens multiplicata credenti fœnore duplicato præsentes; te in eminentioris gradus loco putavimus collocandum, ut velut accensa lucerna supra candelabrum posita, per virtuosorum exempla operum, & laudabilis doctrinæ ministerium ingredientibus in domum Domini præbeas lumen vitæ. Propter quod Lugdunensi ecclesiæ, tunc vacanti, te de fratrum nostrorum consilio in archiepiscopum præfecimus, & pastorem: in quo sic corpori majoris oneris & laboris moles imponitur, quod menti spes fœcundioris retributionis offertur. Non igitur laborum certamen deterreat, sed magnitudo potius præmiorum oblectet: præsertim cum tanquam expertus intelligis, quam leve sit onus Domini jugumque suave, quod ad bonum tibi ab adolescentiæ teneritate portasti: cumque merces laboris debeatur, elaborandum est tibi solicite, ut possis cum Apostolo gloriari, te quantum conceditur ex alto, plus aliis laborasse. In remissionem itaque tuorum peccaminum suademus, ut vocationi Domini, per cujus contemptum ipsius in te posses iracundiam provocare, nullatenus contradicas: sed illi prompte consentiens, eandem Lugdunensem ecclesiam fiducialiter adeas; ipsiusque regimen sub spe Omnipotentis, & nostri fiducia secure suscipiens, ejus administrationem in spiritualibus & temporalibus ad salutem populi tibi commissi, & tuam exerceas confidenter: sciturus quod nos in tuis, & ecclesiæ prædictæ necessitatibus, quantum tibi cum Deo poterimus, constanter adesse proponimus, & tamquam manuum nostrarum operi auxiliatricem dexteram libentissime porrigemus.*

Lugdunensi admovet sedi.

LXVIII. Cardinalem creat. Is fuit. Gregorii in pontificatu successor.

Exploratis perspectisque magis tanti viri virtutibus, Gregorius Petrum paulo post, ut cum ipso pontificatus, ad quem divina providentia Innocentii V. nomen accepturum vocabat, onera patiretur, una cum S. Bonaventura in Cardinalium collegium cooptavit, [1] ut hisce verbis refert Ptolemæus Lucensis (*a*): *Hic fecit ordinationem Cardinalium proborum virorum, inter quos duo fuerunt magistri in theologia, quorum unus fuit de ordine fratrum Prædicatorum, quem ipse fecerat archiepiscopum Lugdunensem, & factus est Ostiensis, vocatusque est frater Petrus de Tarantasia; vir magnæ religionis & doctrinæ, qui multo tempore Parisiis rexit in theologica facultate. Scripta fecit super sententias, & multos libros Bibliæ postillavit, specialiter epistolas Pauli. Secundus fuit frater Bonaventura de ordine fratrum Minorum, qui similiter fuit magister in theologia, & minister generalis dictorum fratrum, natione Tuscus, vita & doctrina admodum gratiosus: sed præcipue in sermone. Fecit scripta super sententias, & postillavit aliquos libros Bibliæ, sicut libros Salomonis & Job, & epistolas Pauli: quem Gregorius assumpsit in episcopum Albanensem.*

(*a*) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. Ejus doctrinæ monumenta.

S. Bonav. creatus Card.

Quæ scripserit.

An-

NOTÆ [1] CArdinalium promotio a Gregorio facta neque ad hunc annum, cui ab Annalista assignatur, neque ad annum 1274. pertinet; sed cum anno 1273. illiganda est. Porro ab anno isto 1272. retrahendam perspicue demonstrant literæ S. Bonaventuræ, qui unus fuit e quinque ad eam dignitatem accitis. Protulit illas ex Chartario Burgimedii Wesensis P. Martene Anedoct. tom. I. col. 1138. atque in iis S. Bonaventura se *fratrem, & Ordinis Fratrum Minorum generalem ministrum*; non vero Cardinalem, & Albanensem electum (quam utramque dignitatem simul adivit) appellat. Signatæ vero illæ sunt *Parisiis XIII. Calendas Aprilis anno Domini MCCLXXIII.* Nondum ergo anno illo Cardinalem agebat. Eodem vero anno 1273. dignitatem obtinuisse, nec retrahi serius posse, inde discimus, quod author vitæ Gregorii in nota ad hunc annum num. 1. relatus, scribat illum antequam Urbevetere digrederetur Florentiam, inde Lugdunum perrecturum Cardinales renunciasse. Constat autem e registro Epistolarum ejusdem anni Pontificem sub ipso mensis Junii exordio Urbevetere recessisse. Ab hac authoritate anonymi Scriptoris vitæ Gregorii, quem floruisse circa finem hujus sæculi inde colligunt quidam quod S. Ludovicum Francorum regem Sanctum haud appellet, cum anno 1297. eum titulum a Pontifice obtinuerit; ab hac, inquam, authoritate nolo temere recedere, quamquam literæ illæ S. Bonaventuræ supra laudatæ hanc mihi suspicionem iniecissent, veram esse opinionem, quæ ad anni 1274. ferias Pentecostes promotionem illam transfert. Cum enim literas illas Parisiis dederit S. Bonaventura, Gallicanum stilum sequutus credi potuisset, quod dies XIII. Kal. Aprilis anni 1273. stilo nostro est annus 1274. Viderint hæc docti. MANSI



I. ANcipiti cogitationum æstu diu fluctuarat Gregorius, quo in loco indictam a se synodum celebraturus esset, cum hoc anno millesimo ducentesimo septuagesimo tertio indictione prima decrevit Lugduni in Galliis eam cogere. Non deerant rationes gravissimæ, quæ ab eo consilio ipsum abducturæ viderentur: Guelphorum enim & Gibellinorum factionibus nondum extinctis, in discrimen adducebatur Italia, ex summi Pontificis absentia; tum ob longiora itinerum intervalla sacro Cardinalium collegio, quorum plures ætate graviore affecti erant, atque ipsi Gregorio magni subeundi erant labores. Verum cum sacra synodus potissime ob submittenda Terræ sanctæ auxilia cogeretur, quæ a transalpinis maxima petenda & contrahenda essent, in eam sententiam adductus est, ut in iis partibus concilium celebraret. Quam susceptam mentem Christiani orbis præsulibus subjectis literis encyclicis significavit (*a*).

De loco concilii designando.

(*a*) Greg. l. 2. ep. eur. 4. ext. etiam in eod. Valdic. sig. lit. C. n. 49. pag. 36.

*Archiepiscopo Senonensi & episcopis; ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, propositis, & aliis ecclesiarum prælatis per Senonensem provinciam constitutis.*

*In literis quas per universos orbis principes & prælatos super generali convocatione concilii destinavimus, locum, in quo idem concilium convenire deberet, ex causa duximus subticendum; prædiximus tamen in illis, quod locum eundem ipsis principibus, & prælatis intimare competenti tempore curaremus. Nobis igitur cum fratribus nostris, hujusmodi loci electionem deducentibus in exactæ discussionis examen, occurrebant hinc inde diversa, quæ discutientium videbantur judicium alternare. Nec enim præterit nostræ considerationis indaginem, quam grave, quam durum est locum sedis Apostolicæ proprium, in quo præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, in quo illorum corpora gloriosa quiescunt, terrarum spatio tam diffuso dimittere: tanto locorum intervallo a peculiari nostro populo Romanæ urbis abesse: convicinis partibus, quæ sedi eidem non solum spiritualiter, sed & temporaliter subesse noscuntur, commoditatem vicinitatis nostræ subtrahere: quanta ex absentia nostra diversis Italiæ partibus possent imminere discrimina: quantum partium earundem inveterata scissura pro integrandæ unitatis obtinendo remedio nostro auxilio indigebat: quantis denique oneribus, quantis laboribus nos & fratres nostros; quorum aliquos ætas, quosdam debilitas, nonnullos infirmitas, & omnes ad hæc desuetudo reddit inhabiles; exponimus non sine rerum d[illegible]endiis, quæ quasi pro nihilo ducimus, [illegible]on sine discriminibus corporum, quæ non facile contemnuntur. Hæc & alia quæ non posset succinctus sermo percurrere, in partibus istis locum hujusmodi eligendum concludere videbantur.*

Exponit difficultates illius extra Romam celebrandi.

II. Contrariæ rationes.

Agitandum in eo de Terræ S. rebus instauramdis.

*Verum ea, quæ in eodem sunt agenda concilio, contrarium suadebant: & specialiter negotium Terræ sanctæ, quam dum Creatori omnium chariorem omnibus Scriptura describit, satis aperte indicat charissimam proculdubio a nobis habendam: cum soleat, quod est in superioris conspectu præstantius, in subditorum æstimatione præstare. Adiicit insuper beneficiorum consideratio, quæ inibi humano generi de divinæ superabundantia gratiæ obvenerunt. Siquidem Salvator omnium operatus est in medio illius terræ salutem: ibi sumpsit corporalis nativitatis initium, ibi conversationis humanæ deduxit tempora: ibi post probrosæ passionis opprobria pro redemptione nostra mortem subiit temporalem; & sui pretiosi effusione cruoris vetus piaculum expiavit. Nunquid igitur non contingent redemptorum corda immensa & innumerabilia beneficia redemptionis? Numquid non accendent cujusque præcordia, ut ipsi pro tot quæ nobis tribuit, hoc saltem necessitatis tempore aliquid impendamus, dum crucis hostes Crucifixum habentes ostentui, cultores ipsius Christiani nominis professores, ut Christi cultum de terra deleant, incessanter exterminant & conculcant; ipsos debilitantes viribus, extenuantes opibus, & eorum facies replentes ignominia, ipsosque diversis confusionibus saturantes?*

III. Transalpinos facilius in Galliis conventuros.

Transferendæ sedis incommoda.

*Ad vindicandas itaque Redemptoris injurias, ac redimenda ignominiosæ conculcationis opprobria in redemptis, nostrum circa terram eandem Creatoris conformantes affectui; ac debita meditatione pensantes, quod ejusdem terræ subsidium præcipue de principum & prælatorum pendet auxilio, quos ultra montes credimus convenire posse commodius; exinanivimus nosmetipsos, & sub specie illius, qui dat lapso virtutem, debilitatem nostram contempsimus: sub ipsius fiducia, qui de sua misericordia nos confortat, quod intendimus, in eo posse sperantes, parvipendimus onera, labores consideratione calcavimus & cæteris nostris, ac fratrum nostrorum incommoditatibus, in ejusdem considerationis examinatione postpositis, ut principum & prælatorum eorundem facilius possimus habere præsentiam, ac terræ prædictæ subventionem efficacius promovere; civitatem Lugdunensem, quo inibi concilium cum majori commoditate conveniat,*

Lugdunum, spretis laboribus, ad celebran. concil. designat.

*de ipsorum fratrum consilio duximus eligendam. Quod vobis tenore præsentium nunciantes, universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur in Domino, apostolica vobis nihilominus auctoritate mandantes, quatenus in prædicta civitate Lugdunensi juxta præscriptam per supradictas literas nostras formam studeatis omni, quam inevitabilis necessitas non indicet, excusatione postposita, in præfixo per easdem literas termino comparere. Dat. apud Urbemveterem id. april. anno* 11. Subiicitur in regesto archiepiscoporum catalogus, ad quos literæ, eadem verborum forma conceptæ, transmissæ fuere.

IV. De nuntiis ecclesiarum mittendis ad concilium.

Cum literis suis Gregorius abbates omnes, priores, decanos, præpositos, archidiaconos, & alios ecclesiarum præsules ad concilium convocasset, modum aliquem statuendum censuit, ne sumptuum magnitudine obruerentur. Decrevit ergo ut e singulis diœcesibus abbas unus, ab aliis abbatibus & prioribus ejus provinciæ pro excipiendis sacrosanctæ synodi imperiis procurator institueretur: idemque de propositis aliisque ecclesiarum non cathedralium prælatis statuit. Gessit vero maxime in votis Pontifex, ut Reges Christiani præsentia sua œcumenicam synodum ornarent, quo amplissima contra Saracenos expeditio comparari posset: quos literis suis allicere est conatus. Hæ certe sunt ipsius preces Regi Castellæ porrectæ, (*a*) quæ incensum illius rei votum significent: *Serenitatem regiam rogamus & hortamur in illo, qui Regibus dat salutem, in remissionem tibi peccaminum suadentes, ut te illi gratificans, qui tot gratiis te prævenit, laborem voluntarium ad tam sancti, tam utilis negotii promotionem assumens, præfixo per easdem literas termino interim ad hoc opportunitate captata in civitate prædicta una cum aliis principibus & prælatis, quorum super hoc corda tetigerit Dominus, tuam velis præsentiam exhibere.* Parum ab iis discrepant literæ, quibus Philippum Francorum Regem ad concilium allicere nitebatur (*b*). Invitavit quoque inter cæteros Regem Armeniæ, (*c* quem ut ad se integra Nicænæ synodi acta, quæ Armeno idiomate concepta habebat, una cum aliis conciliis ac peritissimis interpretibus mitteret: eodemque argumento ad Armenorum catholicum (*d*) is eorum archiepiscopus erat) scripsit, ac provinciam Hierosolymorum patriarchæ, atque episcopo Anteradensi eadem concilia ad se transmittendi imposuit (*e*).

(*a*) Eod. cod. Vallic. pag. 43. Alfonsus Rex Castellæ ad concilium invitatus.

Et Philippus Francorum.

(*b*) Lib. 2. ep. cur. 5.

(*c*) Ib. ep. 1. Armeni ad illud exciti.

(*d*) Reg. post eand. ep.

(*e*) Ib. ep. 2.

V.

Nec Armenos modo ad œcumenicam synodum Lugduni celebrandam, sed Græcos etiam, immo & nationes barbaras, ut Tartaros, ad excipiendos lucis evangelicæ radios convocavit. De qua re hæc Ptolemæus Lucensis (*f*): *Anno Domini MCCLXXVIII. Gregorius X. concilium advocat apud Lugdunum; ad quod concilium Græcos vocat, & Palæologum requirit, qui Papam solicitaverat ad Latinorum concordiam & Græcorum, sicut eventus rei testimonium perhibet. Ad hoc etiam concilium vocantur barbaræ nationes, ut gens Tartarorum ad Christi fidem adduceretur, procurantibus religiosis personis, quæ fuerant ad nationes transmissæ.*

(*f*) Ptol. Luc. in annal. Græci ad schism. exuendum. Tartari ad fidem suscipiendam.

VI.

Cum vero in ea synodo excindere vitia, quæ in Ecclesiam irrepserant, improbas consuetudines delere, Christianorum mores ad primævum sanctitatis florem revocare, meditaretur, pluribus archiepiscopis, atque episcopis scientiæ ac prudentiæ opinione florentissimis provinciam demandavit, ut solicite inquirerent, quæ emendanda in populo Christiano, vel in religiosis familiis viderentur: quæ a gentilibus, Judæis, vel hæreticis imminerent pericula; tum quæ congrua iis remedia adhibenda essent, designarentur: [1] mitterentur oratores ante concilii indictum tempus mensibus sex, quo ea

Injuncta præsulibus provincia, ut quæ censura egent in scripta redigant.

NOTÆ [1] NOn Episcopis tantummodo, sed & viris scientia, & religione eximiis injunctum fuisse credo a Pontifice, ut si quæ haberent Concilio suggerenda, scriptis redigerent. Egregiam ea de re consultationem dedit F. Humbertus de Romanis, qui anno 1257. ad supremum regimen Ordinis Fratrum Prædicatorum vocatus, anno demum 1263. dignitatem illam abdicavit, annoque 1277. pridie Id. Julii in Provincia decessit. In hac vero doctissimus vir multa habet in quibus prudentiam ejus & judicium admirere. Primo itaque expendit, quam gravis sit Saracenorum in Christianos infectatio, ut digna res videatur, quare iis exscindendis Christiani totis adnitantur viribus; & ea, quæ transmarinæ expeditioni a nonnullis opponuntur, singula refutat. Huic vero bello sustentando proponit, ut milites non ex perditissimis hominibus, sicut hactenus factum est; sed ex probis, & piis deligantur. Sumptus in eam rem præstandi primo *ex redditibus perpetuis emendis de superfluo Ecclesiarum thesauro, in lapidibus, vasis, &c.* Secundo *ex prebendis una vel pluribus de Collegiis singulis ad id deputatis.* Tertio *ex Prioratibus, in quibus pauci cum scandalo morantur.* Quarto *ex Abbatiis destructis, quarum reformatio desperatur.* Quinto ex fructibus Beneficiorum anni unius alteriusve.

Dein ad unionem Græcorum cum Ecclesia gradum faciens, dilutisque Græcorum junctioni adversantium objectis, tum & dissidii hujus causis, ejusque tollendi necessitate demonstrata, quibus mediis id obtineatur, indicat. Inter ea enumerat Græcæ linguæ studium, nam ait; *vix in curia Romana invenitur, qui sciat legere literas ab eis* (Græcis) *missas; & Legatos ad eos*



ea, qua par erat, prudentia discuti atque in concilio ipso ordine debito proponi possent. Ita electo (*a*) Compostellano, ut in regno Legionensi id ageret, Hispalensi, Taraconensi, Toletano, Cæsaraugustano, Segobiensi, Pampilonensi in reliqua Hispania; in Germania vero Olomucensi episcopo, aliisque in cæteris Christiani orbis regnis ac provinciis id injunxit, (*b*) Egregie vero ea persuasus inter cæteros Olomucensis: cujus literæ in arce S. Angeli reconditæ sunt, atque a Platina jussu Sixti IV. redactæ inter insignia monumenta, quæ tribus voluminibus est complexus, (*c*) quæ lucem aspiciant dignissimæ: quamvis parum æquo in religiosos viros zelo invectus videatur.

(*a*) Lib. 1. ep. cur. 65.

(*b*) Reg. post eand. ep. Quæ retulerit Olomucensis episc.

(*c*) To. 1. MS. vat. pag. 108. lib. privileg. Rom. eccl. to. 1. pag. 224. MS. bibl. Vall. sig. n. B. 12. pag. 548.

*Relatio episcopi Olumucensis in Alemannia ad Papam super deliberandis in concilio.*

*Quoniam dies mali sunt, ad istantis temporis malitiam redimendam, immo potius propulsandam, vestra providentia sanctitatis indixit, concilium, ut communi consilio malis communibus occurratur; inter cætera mandans nobis, quatenus ea, quæ in regno Alemanniæ & partibus convicinis, prout facultas aderit, sive in clero cujuscumque religionis aut status, vel in reliquo populo Christiano utriusque sexus; sive in infidelibus cujuscumque sectæ, vel ritus conversantibus inter eos, quatenus per illos Christiana religio inficiposset seu quomodolibet fermentari, correctionis remedio indigere, videntur; per nos aut alios viros ad hoc idoneos, non quidem per testes juratos seu alios ordinaria inquisitione, sed alia investigatione, quæ per familiares collationes & alios diversos indagandi modos cum religiosis & aliis execrantibus maxime vitia, colentibusque virtutes haberi poterit; diligenter exquirentes, ea sigillatim, distincte & aperte conscripta; nec non & consilia de remediis adhibendis ad correctionem & reformationem illorum sub sigillo nostro per aliquos fideles nuncios ad præsentiam vestram mittamus, in missione hujusmodi tempus ipsius præveniendo concilii per sex menses; ut interim haberi possit competens discussio, & plena deliberatio ad opportuna exquirenda, ut decet; antidota circa illa per approbationem ejusdem concilii adhibenda; volentes nos omni cautela & diligentia providere, ut ad investigationem prædictorum tabiter procedatur, quod nulli per hoc irrogari possit infamia, nec adversus aliquem proinde scandalum suscitari. Quod quidem intelligimus de personis specialibus, non in genere: præsertim cum mandaveritis in clero cujuscunque religionis, aut status in regno Alemanniæ & partibus convicinis, sive in reliquo populo Christiano utriusque sexus fieri hoc debere.* Qua in re Pontificum Romanorum in evellendis ex universa Ecclesia vitiis commendandum studium, ac sacra consuetudo observanda, qua, indicta œcumenica synodo, episcopi incommoda scandalave in Ecclesia Dei exorta aliquot ante mensibus denuntiare, & remedia illis afferenda proponere jubebantur, quo ea maturo



NOTÆ *eos missos oportet habere interpretes, de quibus nescitur utrum intelligant aut decipiantur.* Addit & copiam librorum Græcanicorum, in quibus, ait, *verisimile est multa inveniri pro nobis; & curatum est multa de libris philosophiæ, & jure transferendis; non sic de theologicis.* Denique commendat ne Græci temnantur, ne a Latinis opprimantur; ac denique librorum Latinorum in Græcum transtationem. Ultimo tandem quid in Ecclesia reformatione indigeat percensens, suadet ne nova festa injussu Romani Pontificis instituantur, & in festis per annum *præterquam in majoribus* permittantur fidelibus *post auditum officium* opera servilia; eo quod, ait *in festis multiplicantur peccata, quæ mala docet otiositas*; suadet pariter *divinum officium sic abbreviari, quod devote & integre dicatur, & audiatur.* Repugnat huic Episcopi Olomucensis monitum, de quo in Annalibus hic num. 17. Addit ne vacatio Ecclesiæ Romanæ deinceps longius prorogetur, *quod ne accidat de cætero*, monet, *ne interim Cardinales uti permittantur de bonis Papæ vel Ecclesiæ, nec munia quacumque gerere; ut si prorogetur ultra certum terminum electio; tunc electoribus alii adjungantur de primariis.* Tum suggerit minui Religiones mendicantium *approbatis tantummodo retentis*; tolli moniales nisi quæ possint sustentari ex redditibus sine *mendicitate, & discursu.* De Prælatis curandum edicit ut *facilius deponantur*, alioqui, ait, *absque timore perpetrant mala*; ut crebris inquisitionibus eorum gesta explorentur, ut supellectilis & familia eorum in ordinem modestum redigatur. Inter ea quæ providenda sunt in Paræciis suggerit, ut *fiat aliquod opusculum pro instructione ignorantium idiotarum in suis officiis.* Censet quoque expedire, *quod in biblia glossetur continue de dictis sanctorum in libris non glossatis*; nempe quos nondum quisquam eo commentandi genere exposuit. Item *quod Concilia maxime universalia in Metropolitanis Ecclesiis omnibus haberentur.* De Imperio vero consulit ut eo vacante vicarius constituatur; vel rex *Teutoniæ* deinceps *per successionem non per electionem* fieret; & quod contentus ille Germania sua, Italiam uni vel duobus regibus ex consensu *prælatorum*, & communitatum eligendis permitteret. Electi vero *in certis casibus possent deponi per apostolicam sedem.* Vel denique rex in Longobardia constitutus vicariam imperii potestatem exerceret in Tuscia Imperio vacante; Imperatori vero coronato tenere se ex illo ex Pontifice regnum juraret. Hæc Humbertus, cujus monita plura salutaria erant ætate illa, non vero nostra facile executioni mandanda. MANSI

turo librata examine ac discussa, synodo, ut sententiam ferret, proponerentur: adeo ut quæ probanda refutandave in conciliis, diu prudentia insignium virorum sagaci judicio perpenderentur. Ut mirum videri jam non debeat, si concilia, in quibus res adeo mole sua graves ac varietate distinctæ tractabantur, paucis sessionibus absolverentur, quæ aliunde longo tempore, ut in examen vocarentur, eguissent.....

VII. Queritur in Germania electores Regum & præsulum contrariis scindi studiis.

*Nos igitur in his vestro parentes mandato, immo secundum opinionem procedere intendentes in his, quæ per experientiam didicimus, quod scimus loquimur, & quod vidimus protestamur: quoniam, secundum Apostolum, periculosa tempora jam venerunt, in quibus homines seipsos amantes præponunt commodo reipublicæ rem privatam: unde non solum in regno Alemanniæ, sed ubique hæc pestis tantum invaluit, quod, quantum est in hominibus sive spiritualibus, sive sæcularibus, horrentes juga superiorum in Regum electionibus, & etiam prælatorum, aut tales eligunt, quos eis subesse potius oporteat quam præesse, aut in diversos dividunt vota sua: duabus forsan de causis, ut plus emungant a pluribus quam ab uno; aut ideo, si voluerit unus procedere per rigorem justitiæ contra ipsos, per alium defendantur. Ecce, pater & domine reverende, exemplum hujusmodi coram vestris oculis est & nostris, jam præteritum & jam instans: præteritum in electione Regis Hispaniæ & comitis Richardi; & nunc Regis Hispaniæ & comitis Rodulphi.*

Quæ causæ ipsos ad id permoveant. Exemplum affert Alfonsi Rodulphique electionis.

Consentiunt præsulis hujus sagacissimi dictis nonnulli auctores, qui tradidere exteros principes a Germanis electos non tam ob præclaras virtutes, quibus florebant, quam ut ab iis munera corraderent; ac minus eorum imperiis subessent, quibus ipsorum auctoritas ac potentia magis necessaria videretur. De altera vero electione, extincto, ut vidimus, (a) Richardo, celebrata, congruunt scriptores, qui Rodulphi electionem in hunc annum conjecere; inter quos Eberhardus Altahensis, ecclesiæ Ratisponensis archidiaconus; (b) jussi enim a Gregorio fuerant electores, ut in uno eligendo consentirent, darentque Ecclesiæ defensorem, ut tradunt Ricordanus, Malespina (c) & Joannes Villanus (d): quibus addit Nauclerus (e) denuntiasse Gregorium, ni Regem crearent, se apostolica auctoritate illum renuntiaturum. Adiicit Eberhardus, mox Rodulphum fidei sacramento principes in sua verba adigere voluisse, iisque, cum sceptro careret, recusantibus, crucem manu arripuisse, quæ in Christiani principis manu omni sceptro augustior censenda esset: *Electus est*, inquit, *Rudol. comes de Habspurch in Romanum Regem, postea in Imperatorem consecrandus, qui Rudolphus statim exegit a principibus clericis ac laicis fidei juramentum: quod cum recusarent propter sceptri absentiam, ipse electus signum crucis accipiens, talia dixisse fertur: Ecce signum, in quo nos & totus mundus est redemptus, & hoc signo utamur loco sceptri: & deosculata cruce, omnes principes tam spirituales quam sæculares ipsam crucem loco sceptri osculantes, recipientes feuda, sibi fidelitatis juramentum præstiterunt.* Paulo post autem Aquisgrani solemni pompa regiis insignibus est redimitus.

(a) An. Ch. 1271. n. 32. Ptol. Luc. hist. Eccl. l. 23. c. 3. Jord. MS. vat. bibl. (b) Eberhar. in chr. hoc ann. apud Canis. antiq. lect. to 1. pag. 307. (c) Rich. Malesp. hist. Flor. c. 198. (d) Jo. Vill. 7. c. 43. (e) Naucl. gener. 43.

Rodulphus comes eligitur.

IX. Rodulphi elogia.

Fuisse quidem Rodulphum numeris omnibus absolutissimum principem, fidem faciunt auctores, inter quos Siffridus hæc in ejus laudem annalibus commendanda celebravit: *Æquus judex diviti & pauperi extitit: ecclesias, hospitalia defendit & protexit. Cum videret milites humilibus personis, secum loqui cupientibus, accessum ad se prohibere, dixit: Per Deum date hominibus accedendi locum: non enim propter hoc ad Imperium sum electus, ut hominibus in arca præcludar.* Feruntur plura præsagia, quibus divinam providentiam, non hominum nutu illum ad Imperium extulisse demonstrent, inter quæ illud in Colmariensibus (f) annalibus adductum, virum prænobilem atque opulentum, cui de Clingen nomen erat, hoc cœlesti viso imperaturum agnovisse: *Vidit*, inquiunt, *principes & electores Imperii congregatos, & dicentes: Quicumque ex nobis hanc coronam levare poterit, Rex ab omnibus habebitur. Singulis autem se probantibus, nullus eorum levare potuit eam. Tandem Rodulphus de Habspurc comes coronam potenter elevavit, seque coronavit. Visionem hanc eventus subsequens approbavit; eligitur enim in crastino Michaelis anno MCCLXXIII.* Addit eorundem Colmariensium annalium auctor, (g) contigisse aliud quiddam singulare, dum consueto ritu in pervigilio festi omnium sanctorum Imperii ornamentis cingebatur, nimirum nubem candidam in modum crucis efformatam in aere conspectam fuisse, eamque postea cruoris ruborem induisse; reque adeo admiranda, quæ stupore omnes defixerat, a principibus Rodulpho renuntiata dixisse: *Si Dominus mihi vitam prosperitatemque dederit, transmarinas partes adibo, & pro peccatis meis maximis sanguinem meum consecrabo Domino Jesu Christo.* His consentanea tradit Ptolemæus Lucensis (b) de Rodulpho.

Aditu facilem se omnibus exhibet.

(f) Colmar. chr. part. alt.

Ejus electio cœlesti viso prænuntiata.

Conspecta in cœlo crux dum regalibus insignibus cingitur.

(g) Colmar. annal. hoc ann.

Expeditionem Asiaticam Rodulphus vovet.

(b) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 23. c. 3.

X.

At postea Christi causam turpiter deseruit. Sed ad Olomucensis episcopi literas, statum Germanicarum rerum describentes, a quibus longa digressio nos abripuit, redeamus. *Hoc ideo vobis scri-*

bi-



Consulit Olomuc. episc. creandum Imp. expeditionis ducem.

*bimus*, nempe de Imperio iterum Alfonsum inter ac Rodulphum diviso loquitur, *quia in litera prima, quam de concilio scripsistis super uno principali articulo celebrando, qualiter subveniatur Terræ sanctæ, eadem subventio jam debilitata videatur, cum Imperii turbatio penitus turbet eam. Cujus reformationis concilii credimus esse summam, quod talis, si fieri posset, per vestrum consilium haberetur Imperator, consilio concilii adjuvante, qui potenter ordinata pace in mundo posset esse hujus executor negotii propria in persona.* Sapiens hoc consilium admisit Gregorius, cum Rodulphum, repudiato Alfonso, regio nomine decoravit, eumque transmarinæ expeditionis ducem futurum sacramento adstrinxit. Addunt superioribus episcopi Olomucensis literæ.

XI. Queritur electores ab eligendo præpotente principe abhorrere.

*Terræ * domine reverende, si audemus dicere, videtur quod tam spirituales quam sæculares Imperatoris potentiam jam abhorrent. Volunt quidem per Spiritum sanctum benignitatem, Imperatorem habere, & per unigenitam Sapientiam Dei Patris, Imperatorem eligere sapientem: sed quasi personam tertiam abnegantes potentiam ipsam horrent: cum tamen velle & scire nihil valeant sine posse: & * magis expediens videatur quam unius potentia, etiamsi aliquantulum malignari vellet, malignitatem aliorum nihilominus compescendo, toleraretur, quam si sine compescente insolescerent universi, illius saltem malignitate mors deleret unius, plurium insolentiam de facili delere non posset; cum jam in consuetudinem devenisset. Hæc de regno Alemanniæ sufficiant: quamvis in eis exprimendis nos diminutos potius quam superfluos reputemus.* Vera nimium tetigit episcopus: ex diuturna enim illa rectoris orbitate creverat adeo effrænata nobilium audacia, ut quisque raperet; & quasi prædæ datum esset Imperium, ex illius ruinis suam potentiam conderet; fuereque gravissima bella Rodulpho suscipienda, ut jura Imperii recuperaret: unde ob bellorum molem a profectione Hierosolymitana retardatus, in Saracenos arma non convertit. Pergunt præsulis literæ finitimorum Germaniæ regnorum statum depingere.

* nil

Unde mali causa emergat.

XII. Impendentia Ungariæ pericula exponit

Cumanos crescere ferocia.

*Confinia vero regni circa terminos nostros hæc sunt: Ungaria, Russia, Lituania & Prussia. Hæc vero sunt pericula a regno Ungariæ Christianitati imminentia: primum quod in ipso regno Cumani manutenentur, qui non solum alienigenis, sed etiam ipsius regni incolis atrociter sunt infesti, & modo apud alios minus solito præliandi, infantibus & senibus non parcentes; juvenes & juvenculas captivatos in sui ritus malitiæ deducunt consuetudinem: ita quod potentiam suam taliter jam multiplicaverunt per eosdem, quod ipsi Ungariæ certum ex hoc imminet periculum & jactura, & terris etiam convicinis.* Et quidem tradit Stero (a) hoc anno post festum purificatæ Virginis Cumanos Ungaris junctos irrupisse in Ungariam, Styriam, & Moraviam, ac strages horrendas, nullo ætatis sexusque discrimine, edidisse: incensum enim antea inter Othocarum Bohemiæ & Ladislaum Ungariæ Reges bellum supra insinuavimus, quod Pontifex extinguere nisus est: atque etiam hoc anno Carolum Siciliæ Regem, qui Ladislao filiam uxorem locarat, ut ad illud sopiendum suam operam strenue adhiberet, subjectis verbis est adhortatus (b).

(a) Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1. pag. 303.

Ex Ungar. & Bohem. bello funestæ exortæ clades.

(b) Extat Greg. ep. in cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. pag. 31.

Gregorius Carolum hortatur, ut discordiam mature sopiat.

*Regiæ serenitati paterno suademus affectu, quatenus iis, quæ in dictis continebantur literis, debita meditatione pensatis periculis, quæ de guerra inter memoratum Regem, & charissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ungariæ generum tuum possunt insurgere, nisi ejus obstetur initiis, quantum tibi facultas aderit, solerter attendas: cum sit cautius tempora prævenire discriminum, quam eorum instantia expectare.*

XIII.

Nec ea sola Ungariam premebant mala, verum serpebant etiam in eo regno hæreses, & schismatici invalescebant, ut in relatione Gregorio facta deploratur: *Item in eodem regno manifeste hæretici & schismatici confoventur terrarum profugi aliarum. Ecce ipsa Regina Ungariæ est Cumana*, de Ladislai matre loquitur, *proximi parentes ejus gentiles sunt, & fuerunt: duæ filiæ Regis Ungariæ Rhutenis, qui sunt schismatici, desponsatæ fuerunt; soror juvenis hujus Regis.... est tradita Ecclesiæ inimico: Rhuteni sunt schismatici & Tartarorum nihilominus servitores: * Lethircani & Utheni * velut gentiles plures episcopatus Poloniæ jam penitus deleverunt: isti sunt parietes proximi nobis, in quibus cum ardeat, rem nostram agi sine dubio jam videmus.* Inflictas hoc anno a Lituanis & Pruthenis Poloniæ clades luget Longinus (c), qui ait Boleslai potentia bellis civilibus attrita, ipsos in Lublinensem provinciam ferro flammaque succinctos excurrisse, ac barbarico more sævisse: laborasse vero proditionis infamia Paulum Cracoviensem episcop. atque a multis creditum, ab ipso ad capiendam de Boleslao ultionis voluptatem excitos. Subdit auctor nonnulla ad id confirmandum prodigia, cum in templo sanctæ Trinitatis septuaginta viris cinctus versaretur, auditam in aere vocem, boni ne an mali angeli incertum: *Væ tibi, Paule episcope. Satius tecum actum esset, si natus non fuisses.* Visum etiam a viro pio per quietem lupum, erectis prioribus sursum pedibus voce humana in Paulum

Impendentia ex affinitate hostium ecclesiæ Ungariæ mala.

* Lithuani

* Prutheni

(c) Long. hist. Pol. l. 7.

Lithuani & Prutheni Poloniam vastant.

De Paulo episc. Cracovien. qui ipsos exciverat.

lum

lum episcopum intonuisse: *Væ tibi, Paule episcope, quoniam cepisti & occidisti;* eaque voce & relatione conterritum plurimum de criminibus dolorem hausisse: cumque ea solitarius in cubiculo plangeret, alteram vocem exauditam: *Ne timeas, Paule episcope: age quodlibet, in anno septimo moriturus.* Cui voci respondit ille: *Optime aget mecum divina pietas, si vitam mihi usque in septennium proteluerit, infra illud tempus de factis meis digna pœnitentia expiationem obtenturus.* Hæ erant artes dæmonis, qui miserum hominem primum in desperationem deiicere, deinde in effrænatam peccandi audaciam allicere meditabatur. Mentitus vero est, cum in plures annos Paulus vitam produxerit. Cæterum subdit Longinus ejusmodi voces tam alte insonuisse, ut ab iis, qui fores cubiculi observabant, fuerint exceptæ. Quod porro ad Lituanos ac Pruthenos attinet; non impune scelus tulere: Lestko enim & Conradus Cujaviæ & Masoviæ duces, Polesitarum ac Pruthenorum terras ingressi, omnia cædibus rapinisque corruperunt.

Ut ludibriis dæmonum exagitatus sit.

Poloni de Pruthenis ultionem repetunt.

XIV. Alia mala quibus a concilio providendum sit.

Ubi hæ calamitates finitimorum regnorum Germaniæ in oculis Pontificis ab Olomucensi episcopo collocatæ fuerunt, redit narratio ad reliqua Germaniæ mala: *Ut ergo de principibus Theutoniæ taceamus, qui adeo inter se sunt divisi, ut superiorem habere non intendant, quod desolationem & destructionem suæ terræ unus ab altero expectare videtur; unde ad Christianitatem in nostris partibus defendendam, vel ad damna transmaritimarum partium propulsanda inhabiles sunt omnino; soli regno Boemiæ imminere videtur in partibus nostris defensio fidei Christianæ. Certe per has terras fuit introitus Tartarorum, & iterum expectatur, nisi vestra paterna providentia cavere voluerit periculis jam vicinis, sic studens in acquisitione Terræ sanctæ, quod non relinquat in periculo terras istas: volentes vitare Charybdim, in Scyllam utique incideremus. De clero non scribimus ita vobis, quod in illis quidem, quæ sunt de vita & honestate eorum, satis in aliis conciliis est provisum. De quibusdam vero emergentibus in terris nostris & nobis vicinis, nescimus autem, si sint generalia apud omnes, credimus ita esse, quod quoad paucitatem beneficiorum, & eorum tenuitatem, nimietas est eorum, qui gaudere volunt privilegio clericali: ex quo nobis, qui prælati simus, maxima perplexio consuevit oriri. Cum enim talibus provideri non possit, coguntur mendicare in opprobrium ordinis clericalis: vel, quod verius est, nolentes fodere, artes mechanicas nescientes, quarum commercio vitam ducant, ad furta, latrocinia, & sacrilegia convertuntur, & in talibus comprehensi quandoque traduntur episcopis: quorum tandem carcerem evadentes, perseverantes tamen malitia in consueta, iterum deprehensi suppliciis deputantur manibus judicantium, & consentientium inquinatis: adeo ut multitudinem effrænatam propter hoo accidat aliquando denunciari excommunicationis vinculum incidisse, propter quod inter prælatos & laicos frequenter scandalum suscitatur.*

De Tartarorum irruptionibus in Germaniam.

De indignis clericatum affectantibus.

XV. Lugendum cruentis sane lacrymis ob clericorum hujusmodi excessus, qui non pietate adducti, sed avaritia clericali militiæ nomen dedere, ut divitias sub paupere Christo, quas sub mundo divite sperare non poterant, assequantur: vel qui sæpius mancipiorum more acti a parentibus, qui ipsos familia bonisque paternis eiiciunt, ut majores natu bene collocent, ad divina obeunda officia se conferunt; a quibus eo magis abhorrent animo, quo pietatem invitis imprimere alii contenderunt. Quid enim ex iis expectandum est, quam ut sui muneris dignitatem contaminent, & depravato morum exemplo horrorem omnibus incutiant:

XVI. Proponitur Gregorio facinorosos clericos ab episcopo exauctorandos.

*Placeat ergo sanctitati vestræ, ex quo tanta est distantia episcoporum in partibus nostris, quod de facili ad degradationem talium convenire non possint in talibus casibus, ubi incorrigibiles inveniuntur clerici, primo, secundo, & tertio in factis enormibus deprehensi, valeat episcopus sine convocatione episcoporum, eos solus in sua solemni synodo approbante ipsa synodo degradare; vel aliter propter multitudinem ipsos clericos capientium sine difficili accessu curiæ Romanæ ipsis laicis vestra studeat paternitas in absolutionis beneficio providere. Sunt alia vero, in quibus clerum & ecclesias sæculares, conventuales, seu parochiales adeo contingit offendi, quod sedem Apostolicam ab hujusmodi filiabus jam non oporteat expectare quod crescant: cum eas quotidie in rebus & juribus minui, & decrescere videamus. Illa enim ostensio, quæ per Dominum in Evangelio, & per Moysen in veteri testamento leprosorum sacerdotibus debebatur, per quam peccantium confessio intelligitur, est de medio sublata: prædicationis verbum, quod eis in commisso sibi populo competebat audiri, contemnitur ab eisdem: ipsas conventuales & parochiales ecclesias in diebus dominicis & festivis non contingit a populo frequenturi; & hoc maxime in civitatibus & oppidis, ubi Prædicatores & Minores domicilia sua habent.* Monitum hic ego pium lectorem velim, parum æquo zelo ferri hunc episcopum videri, qui Dominicanos, ac Minoritas ob disseminatum verbum divinum perstringat. Quod enim? si clerici, quos sane

Divinum cultum in ecclesiis exolescere queritur Olomuc. episc.

cura



cura tangit populos instruere, ob divitias quibus affluunt, otio marceant, num religiosi viri ideo vituperandi, si divino incensi zelo populos edoceant, vel si clerici suo strenue in populis Christiana pietate informandis officio non fungantur? Præterea si populi plus religiosis viris, quam sæcularibus affici videantur, quid succensere illis possunt?

XVII. *Solent enim dicti fratres primo diluculo dicere missas usque ad horam tertiam, non cessando: præter unam autem, quam dicunt solemniter in conventu, legendo breviter continuant plures missas: & quoniam gaudent brevitate moderni, populus quærit potius missas illas, conventualibus & parochialibus ecclesiis prætermissis. Consueverunt etiam dictis missis fratres detinere populum per sermonem, quare alias ecclesias non visitant, ut deberent. Consueverunt etiam dare indulgentiam duorum, trium, quatuor, decem, plurium annorum in diebus solemnitatum suarum & per octavas earum.* Et infra: *Hæc de clero vobis scripsimus, sicut de veritate omnimoda nobis constat.*

Viros religiosos privilegiis nimium augeri.

XVIII. Laicorum excessus impune ferri.

*De populo vero Christiano utriusque sexus vobis constare scimus, tanquam ei qui Leodiensis archidiaconus extitistis, quod in illis & aliis quibusdam partibus Christianitatis synodus aliquotiens in anno cum laicis celebrari consuevit, ubi testes synodales ad hoc electi & jurati deponere consueverunt & dicere quæ contra Deum & religionem Christianam publice fiunt a laicis illo anno; vel etiam quæ fama accusat, contra quam vel purgare se contingit accusatos, vel non purgantes se canonicam secundum terræ consuetudinem non evadere ultionem. In aliis vero diœcesibus hoc fieri non obtinet consuetudo, unde laicorum impuniti maneant excessus, si sint etiam manifesti. Si vero sacerdos tales forsitan voluerit in sua parochia accusare, frequenter ex eo sentit periculum vitæ suæ. Provideat ergo sanctitas vestra, si placet, ut Christianitatis synodus servetur ubique pro conservanda honestate populi Christiani: cum idem deposcat auctoritas evangelica, in qua dicitur: Dic Ecclesiæ, quod talia Ecclesiæ sunt dicenda.*

De religiosum habitum præferentibus nullam professis formulam approbatam.

*Sunt etiam quidam & quædam apud nos religiosorum sibi habitum & nomina vendicantes, quos & quas, cum eorum non sit religio per sedem Apostolicam confirmata, sectarum nomine credimus comprehendi: qui passim ut jugum evadant obedientiæ, habentes velamen malitiæ libertatem quasi liberius Domino servituri, dominos & dominas habere nolentes; fugientes etiam obedientiam sacerdotum, seu etiam coercitionem conjugii maritalis, & per aliquem ordinem se astringi; feminæ juvenes in statu viduitatis se ponunt, illectæ forsitan ab aliquibus, per quos nubere prohibentur, contra Apostolum, qui de talibus ita dicit: Vidua non eligatur nisi sexaginta annorum. Item: Adolescentiores autem viduas devita. Volo autem hujusmodi nubere; istæ enim sunt quæ solent circuire domos non solum otiosæ, sed verbosæ; unde & post sathanam sæpius convertuntur retrorsum. Certe istæ sunt illæ religiosæ, quæ sub nomine honestatis, sicut olim contra Barnabam & Paulum, seditiones contra clericos suscitare sueverunt: a quibus etiam in confessionibus fugiunt, nec recipiunt ecclesiastica sacramenta: & innuentes tacite, quasi sacramenta in eorum manibus sint polluta. Consilium autem de hujusmodi aliud non damus, nisi quod Apostolus dedisse dignoscitur, sicut supra, quod tales nuberent, suam dixit omnimodam voluntatem, vel in approbatis religionibus retrudantur.* Huic malo mederi est conatus Gregorius (*a*) cum in concilio edita constitutione sodalitia a sede Apostolica non approbata dissolvi, atque extingui imperavit: tum eorum licentiam, qui sibi religiosam professionem affingerent, coerceri.

(*a*) Cap. relig.

De Judæorum excessibus.

*De infidelibus vero inter nos conversantibus; Deo teste, de hæreticis nihil scimus. De Judæis vero dicimus, quod Christianas habent nutrices, usuras patenter exercent, & eas indigentibus aggravant ultra modum; in tantum, ut infra annum excedant etiam ipsam sortem. Publica exercent officia: telonearii, monetarii fiunt, & cum alias sint infideles, fidem minimam etiam in his servant. Furatos calices, vestes sacras, nec non & libros recipiunt a furibus, & servant; & cum sic acceptos cogantur restituere Christiani, si apud eos fortassis inveniantur, Judæi eos restituere non coguntur.*

*In his omnibus, quæ vestræ scripsimus sanctitati, si diminuti forsan vel superflui invenimur, petimus ut vestra discretio parcat nobis. Voluistis autem ut vobis cum omni cautela & diligentia scriberemus: quod sine dubio nobis ipsis necessarium arbitramur, quoniam sit litera ista de nomine nostro ad aliorum manus, quam ad vestras forsitan perveniret, scimus quod persecutionis scandalum evadere non possemus.* Hactenus Olomucensis episcopus ad Gregorium de malis in Germania exortis, quæ in concilio indicto falce Apostolica resecanda videbantur.

XIX. Insignis inter archiep. Nidrosien. & Magnum Regem Norwegiæ controversia.

Adjungenda hic nonnulla alia visa sunt, quæ indicti concilii occasione in Norvvegia gesta fuere. Joannes enim Nidrosiensis archiepiscopus a Gregorio monitus inter cætera, in episcoporum conventibus de restituendis ecclesiarum juribus agitatum iri; cum suæ sedis prærogativas obsolevisse perpenderet, quæ tamen sine maximo discrimine pristino statui asseri non possent; quippe qui conten-

tenderet Norvvegianum sceptrum ecclesiæ Nidrosiensi esse obnoxium, Regemque non successione hereditaria, sed liberis suffragiis, quorum præcipuum archiepiscopus Nidrosiensis obtineret, creandum; Magnus vero Rex Norvvegiæ contraria opponeret argumenta; publicæ pacis colendæ studio cum Magno ipso his pactionibus controversiam composuit, (a) quibus & Regis & Ecclesiæ dignitati consuluit.

(a) Ext. apud Greg. ann. 3. pag. 138. insert. ep. 38.

*In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.*

*Ut certitudo præsentium det veram in perpetuum, & evidentem memoriam præteritorum, sciendum est, quod cum venerabilis pater Joannes, Dei gratia, Nidrosiensis archiepiscopus fuisset ad regimen Nidrosiensis ecclesiæ superna dispositione vocatus; reversus a sede Apostolica, munere consecrationis recepto, tanquam sponsæ Christi in parte solicitudinis fidelis procurator effectus; incœpit inquirere, prout scivit & debuit, de juribus, & libertatibus, & privilegiis ad eam pertinentibus: & cognovit sibi fuisse in prædictis omnibus per obreptiones contrarias multipliciter derogatum, juri communi videlicet, quia causæ fere omnes ad ecclesiam pertinentes per exactores & balivos laicos ex parte regni secundum leges patriæ scriptas, vel consuetudines *, jure canonico & ecclesiasticis judiciis tractabantur libertatibus, quia nullos homines liberos obtinebat Nidrosiensis ecclesia, exceptis illis, qui in curia archiepiscopi & in fabrica ipsius ecclesiæ continue laborabant. Privilegiis siquidem omnibus sibi a quibuscumque concessis detractum fuerat multipliciter, ut creditur, non utendo & præcipue privilegio a Magno quondam, ut dicitur, Rege Norvvegiæ in ea parte, qua continebatur, quod præfatus Rex devovit se & regnum suum B. Olavo Regi & martyri; & in signum perpetuæ subjectionis præcepit, coronam suam post decessum suum, & omnium in regno sibi succedentium offerri præfato martyri Nidrosiæ in ecclesia cathedrali: nec non & cuidam constitutioni antiquæ patriæ, forte per eundem Magnum editæ, quæ innuit Reges Norvvegiæ debere eligi, & in electione archiepiscopum & episcopos regni inter cæteros electores vocem præcipuam obtinere. Tandem receptis literis apostolicis pro congregatione concilii generalis, inter cætera continentibus, quod unusquisque prælatus notaret articulos, quos in sibi commisso regimine reformatione, ac correctione perpenderet indigere; deliberavit prædictus pater archiepiscopus præfatos articulos, quaquam correctione dignos, Romano Pontifici præsentare. Verumtamen quia ex iis posset discordia inter regnum & Ecclesiam provenire, multis animabus & corporibus nocitura; præfatus pater archiepiscopus prius ipsos domino Magno, Dei gratia, illustri Regi Norvvegiæ explicavit, supplicans, ut inter se de prædictis taliter ordinaret, quod cederet ad honorem Dei omnipotentis, & utilitatem Ecclesiæ, animarum, ipsorum, & totius sibi commissi populi ad salutem.*

* non

Norvvegiana corona B. Olavo oblata.

Magni Regis responsum ad archiepiscopi petita.

*Verum, licet prædictus dominus Rex assereret sufficientes rationes ad respondendum præfatis articulis se habere, si super iis coram justo judice duceret contendendum; & maxime contra electionem & oblationem coronæ, de quibus vix posset probari Nidrosiensem ecclesiam possessionem pacificam habuisse; & novum genus exactionis videri poterat, illud ab eo exigi, quod non fuerat hactenus attentatum, vel consuetum; & præcipue quia de subjectione regni sui agebatur, quod ipse post patrem & antecessores suos asserebat; se jure hereditario liberum suscepisse; & sic illud proponit per Dei gratiam suis heredibus & successoribus dimittere post se liberum & quietum; verumtamen ex solitæ benignitatis affectu, quem ad honesta quæque, & maxime circa matrem Nidrosiensem ecclesiam hactenus habuit, & adhuc habere dignoscitur, volens eam fore sibi pacatam, & amplioribus libertatibus & privilegiis suis temporibus decorari; tamquam pacis amator & cultor justitiæ, post multos tractatus hinc inde habitos super prædictis, interveniente consilio & assensu episcoporum, baronum, & canonicorum Nidrosiensium, & aliorum plurium; duxit componendum prædictus Rex illustris cum domino archiepiscopo anno Domini MCCLXXIII. in festo S. Petri ad vincula in civitate Bergensi in hunc modum.*

XX. Compositæ controversiæ forma.

*Videlicet, quod prædictus archiepiscopus, pro bono pacis & commodo ecclesiæ & animarum procuranda salute, renuntiavit nomine Nidrosiensis ecclesiæ pro se & successoribus suis canonice intrantibus in perpetuum omni juri, si quod in prædicta electione Regum, subjectione seu oblatione coronæ habebat, vel habere poterat, tam in petitorio quam in possessorio ratione dicti privilegii, seu legis, vel quocumque alio modo sibi competere videretur; omnibus aliis juribus, ad ecclesiam spectantibus, quæ in legibus patriæ continentur, & ecclesiasticorum privilegiis semper salvis: dummodo supersit aliquis, qui legitime possit & debeat jure hereditario succedere. Si vero nullus inveniatur successor legitimus, archiepiscopus & episcopi inter cæteros nobiliores & discretiores regni electores in electione tantum voces primas & potissimas obtinebunt. Præfatus autem dominus Rex renuntiavit pro se, & heredibus, successoribus suis in perpetuum omni*

Deficiente herede, Norvvegiani sceptri præcipuus est inter electores archiepisc. Nidros.



*omni juri, si quod in auditione, examinatione, & determinatione causarum ad Ecclesiam spectantium hactenus habuerat; inhibens firmiter universis exactoribus & legiferis Regis, tam propinquis quam remotis, tam præsentibus quam futuris per totum regnum, ne de ipsis causis præsumant judicare; vel prætextu alicujus consuetudinis, quam retroactis temporibus habuerat prædictus dominus Rex, vel habere visus fuerat, se aliquatenus intromittant: sed per judices ecclesiasticos tales causæ de cætero libere dirimantur, ut sunt hæ omnes causæ clericorum, quando inter se litigant, vel a laicis impetuntur: matrimoniorum, natalium, juris patronatus, decimarum, votorum, testamentorum; maxime quando agitur de legatis, ecclesiis, & piis locis, & religiosis: tuitio peregrinorum visitantium limina B. Olavi, vel aliorum sanctorum, & eorum causæ. Item personarum ecclesiasticarum, sacrilegii, perjurii, usurarum, simoniæ, hæresis, fornicationis, adulterii, & incestus; & omnes aliæ, quæ ad forum ecclesiasticum possent de jure communi quoquo modo spectare. Item denuo concessit dominus Rex, & firmiter observari præcepit, quod a prædecessoribus suis est concessum, scilicet ut semper licitum sit archiepiscopis & episcopis in capellis a Regibus fundatis, vel dotatis, sicut & in aliis capellis suæ provinciæ, instituere idoneas sine ipsorum & aliorum laicorum assensu vel præsentatione personas. Item concessit quod in electionibus episcoporum, vel abbatum Nidrosiensis provinciæ nulla vis, nulla potentia, nulla auctoritas Regis vel principis interveniat: nec favore ipsorum quisquam officium ecclesiasticæ prælationis obtineat; sed ille præficiatur, quem ipsi, ad quos electio pertinet, vacanti ecclesiæ scientia & moribus judicaverint aptiorem. Item denuo concessit, quod Regibus non liceat approbatas patriæ leges & scriptas, & pœnas pecuniarias sive in clericis sive in laicis contra antiquam consuetudinem in ecclesiarum seu clericorum dispendium immutare.* Et interjectis pluribus, quibus Nidrosiensis & aliarum ecclesiarum privilegia aucta, & amplificata sunt, subditur.

Restituta tribunalia ecclesiastica in Norvvegia.

Asserum archiep. Nidros. cudendæ monetæ jus.

*Item concessit, quod liceat domino archiepiscopo habere unum hominem in curia sua, qui cudat denarios, prout litera sua super hoc confecta attestabatur. Hanc autem compositionem iniverunt sæpe nominatus dominus Rex illustris, & reverendus pater archiepiscopus præsentibus venerabilibus patribus domino Triullo, Dei gratia, episcopo Stavvangrensi; Andrea Aslotensi, Askivino Bergensi: & istis baronibus regni Brunulpho, Rognaldo, Andrea Gregorii, Elivvo de Naustal, Andrea Plut, Aslaco Gus, Bernone Elingi, & Thoria cancellario domini Regis:* Et infra. *Renuntiantes in hoc facto omni exceptioni doli mali, fraudis, actioni in factum, & specialiter restitutioni in integrum, & omnibus literis inter ipsos vel prædecessores suos hactenus habitis & obtentis, & omnibus indulgentiis, & privilegiis apostolicis impetratis & impetrandis, & omni alii remedio juris canonici & civilis, per quæ prædicta compositio & finalis concordia posset impediri, seu modo aliquo irritari: salva tamen in omnibus Apostolicæ sedis auctoritate. Hoc adjecto, quod si Romanus Pontifex huic compositioni consentire noluerit, eam per suas literas confirmando, salvæ sint tam domino Regi quam archiepiscopo actiones & defensiones, quæ sibi in præsenti competere dignoscuntur, &c. Dat. apud prædictam civitatem anno & die prædictis, regni vero domini Magni quarti Dei gratia illustris Regis Norvvegiæ XI. consecrationis vero venerabilis patris Joannis Nidrosiensis archiepiscopi anno VI.*

Confirmavit apostolica auctoritate Gregorius sequenti anno VIII. kal. aug. has pactiones, dum solemnes episcoporum conventus Lugduni celebrabat. Sed antequam de Pontificis in Gallias profectione, atque in itinere ab eo gesta prosequamur, illa nobis præmittenda quæ priusquam iter iniret, perfecit.

XXI. Eduardus Henrico in Angliæ regno succedit.

Extincti, ut vidimus, anno præterito Henrici Angliæ Regis lugubris nuncius ineuntis hujus initio ad Pontificem pervenit; qui ut Eduardum dolore confectum ex acerba parentis suavissimi morte erigeret, atque ad constantiam excitaret, literas dedit; (a) cumque ex transmarina expeditione rediisse incolumem didicisset, bene ac fauste illi precatus ad se accedere, ut mutuo conspectu potirentur, invitavit.

(a) Ext. in cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. pag. 30.

*Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.*

Consolatoriæ ad eum de parentis morte lit.

*Decet, fili charissime, principem maxime fortitudo, ut nec elevetur in prosperis, nec concidat in adversis: sed sic animum præmittat in omnia, quod in omnibus divinis beneplacitis se conformet: & tam ad illa, quæ interdum infert adversitas, quam ad ea quæ affert interdum instabilis prosperitatis arrisio, appareat uniformis; bona de manu Domini cum spirituali lætitia, & mala, si quando illæ permiserit, cum patientia humili recepturus. Talem te, fili, fore præcipue, quem ad te gerimus, desideramus affectu, quatenus illius, qui te de insidiis tantis eripuit, & tot & tanta pericula superare concessit, beneficia recognoscens; & te ad illius servitia reputans præservatum, & satagas servire pro viribus, tuam semper illius voluntati coaptans. Patienter itaque ipsius dispositionem suscipias in quoca-*

*tione claræ memoriæ illustris Regis Angliæ patris tui, quem eduxit Dominus de valle miseriæ mundi hujus, tanquam catholicum principem in patriam, ut credimus, delaturus. Sitque in hoc ex eo consolationis tibi præsto materia, quod sicut de miseratione divina, & ejusdem tui genitoris potest devotione sperari; ad hoc est de præsenti sæculo nequam ereptus, ut post ejus inquietudinem transiret felicius ad quietem. Cæterum licet ingentem conceperimus de tuo & tuorum prospero adventu lætitiam, de tuæ tamen personalis exhibitione præsentiæ, illius exuberantiam avidi expectamus. Dat. apud Urbemveterem VI. id. januarii anno I.*

XXII. Eduardus Rex occisi Henrici consobrini justitiam poscit. Pontificiæ in Guidonem censuræ.

Ubi in conspectum Pontificis accessisset Eduardus, ab eo inter cætera enixe contendit, ut fusum Henrici majoris natu filii Richardi electi Romanorum Imperatoris sanguinem ulciscereturr, justamque severitatem in Guidonem e Monteforti cædis auctorem distringeret. Vibrarat quidem antea Pontifex sub pontificatus auspiciis anathematis fulmen, aliasque pœnas cumularat, quas hoc anno kal. martiis Urbevetere renovavit: (*a*) ac magistro Raynerio (*b*) ut illi apud civitatem Suanensem, Marcellino (*c*) apud Castri urbem, Uberto (*d*) apud Montisalti oppidum diem indicerent, provinciam injunxit: qui literis, imperata egisse, Pontificem certiorem fecerunt. (*e*) Adductus est in suspicionem sceleris atque auxilii Guidoni dati Aldebrandinus comes Rubeus Guidonis socer, cui a Raynerio ad objecta diluenda diem dici præcepit (*f*) Gregorius; functusque officio Raynerius rescripsit Pontifici, (*g*) Aldebrandinum comitem sistere se jussum, illumque ad capessenda omnia Pontificis imperia paratissimum professum esse. Postea Joannis S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Card. imposita provincia est, (*h*) ut quæreret in Aldebrandinum comitem, si Henrici necis reus extitisset. At Guido vibratis in se sententiis defixus, cinctusque undique periculis, datis ad Gregorium literis, purgare facinus nisus, excusavit se, (*i*) tutum atque integrum sibi non videri, Apostolicam sedem adire; ac postea repetitis literis (*k*) inanes querelas in Gregorium effudit: ipsum erga se plus æquo ab Eduardo concitatum exasperatumque, ac nullo juris servato ordine sententiis atrocissimis obruisse. Sed iniquas sacrilegi querelas contempsit sanctissimus Pontifex, atque illi ob immanitatem sceleris censurarum severitatem incussit: (*l*) latas a Carolo Siciliæ Rege in eum sententias confirmavit: perculit anathemate: infamia damnavit: loca, in quibus præsens esset, subjecit interdicto: bonis exuit: omnem in uxoris ditionem auctoritatem ademit;

(*a*) Lib. 1. ep. cur. 52.
(*b*) Ib. ep. 53.
(*c*) Ep. 55.
(*d*) Ep. 57.
(*e*) Ep. 54. 56. 58. Aldebrandinus Rubeus in criminis societatem vocatus.
(*f*) Ep. 59.
(*g*) Ep. 60.
(*h*) Lib. 2. ep. cur. 85.
(*i*) Lib. 1. ep. cur. 61.
(*k*) Ib. ep. 62. & 63.
(*l*) Greg. l. 1. ep. 64. Sententia in Guidonem lata.

ipsum capientibus exposuit: ejus tamen vitæ parci imperavit, edixitque ne quis ipsi faveret.

XXIII. Servituti exponitur.

*Memoratum Guidonem citra mortis, & mutilationis periculum diffidamus, & etiam forbannimus. Persona nihilominus ipsius citra idem periculum exponentes, ita quod ab omnibus libere capi possit. Omnibus provinciarum præsidibus, quocumque nomine censeantur, nec non potestatibus, consulibus, aliisque rectoribus civitatum, castrorum, aliorumque locorum districte præcipimus, ut ipsum Guidonem capiant, & ad curiam nostram ducant deputandum carceri, vel alias, prout nobis videbitur, castigandum. Ipsum quoque sacrilegum, & contumacem excommunicationis sententia innodamus, decernentes, ut omnia loca, ad quæ pervenerit, donec inibi præsens fuerit; nisi capiatur, vel captus teneatur in eis, ad nos ut prædicitur deducendus; ecclesiastico sint supposita interdicto.*

Censuræ in eos, qui favebant Guidoni, latæ.

*Ad hæc universis & singulis civitatibus, communitatibus, universitatibus quibuslibet, & personis singularibus, ecclesiasticis & mundanis; cujuscumque conditionis aut status existant, etiamsi imperiali, vel regali, aut alia quacumque dignitate præfulgeant; hoc generali mandamus edicto, ut nullus dictum Guidonem receptet, vel quantum in eo fuerit, receptari permittat. Nulla eum universitas in potestatem, consulem recipiat, aut rectorem, vel ad quodlibet aliud officium, quocumque nomine censeatur, admittat. Nullus commercium aliquod, aut communionem quamlibet, nisi forsan in illis, quæ ad salutem animæ ipsius respiciunt, habeant cum eodem. Nullus ei præstet auxilium, consilium, vel favorem, publicum vel occultum. Nullus cum ipso Guidone sub quovis ingenio, colore, machinatione, vel arte societatem, seu confœderationem aliquam inire præsumat: & si secus scienter præsumptum fuerit, omnes singulares personas contrarium præsumentes, non obstante qualibet indulgentia sub quacumque formâ, vel expressione verborum ipsis ab eadem sede concessa, vel in posterum concedenda, quam quoad hoc viribus omnino carere volumus; sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, incurrere volumus ipso facto. Universitatem autem, quæ secus scienter fecerit, & terras illorum, qui eum receptaverint, aut societatem, vel confœderationem cum eo inierint, ecclesiastico supponimus interdicto: & nihilominus societatem, & confœderationem initas, & in posterum ineundas; etiamsi pœnarum & juramenti adjectione, vel quacumque fuerint alia firmitate vallatæ quatenus in ipsis ejus commodum vertitur; omnino viribus vacuamus, & esse decernimus vacuas, irritas, & inanes.*

*Vas-*



*Vassallos quoque, ac subditos, si quos habet idem Guido, absolvimus, a fidelitate, qua tenentur eidem; juramenta super hoc præstita de potestatis plenitudine relaxantes. Memoratos vero ejusdem Guidonis in præmissi commissione flagitii complices, & fautores excommunicationis & anathematis sententia innodamus contra eos gravius spiritualiter, & temporaliter processuri, prout viderimus expedire, &c.* Addit jubere se tanta religione eas leges observari, ut nullus nisi in mortis extremo discrimine absolvi possit, omniaque privilegia contraria infringi: permittere tamen, ut mulieres, quæ favorem præstiterint scelestis, a suis diœcesanis absolvi possint. *Datum in palatio nostro Urbevetano kal. april. pontif. nostri anno II.*

XXIV.

Perculsus harum legum acerbitate Guido, æstuque conscientiæ jactatus, ad suscipiendas omnes, quas Pontifex pœnas infligeret, sponte se submisit: de quo inferius. Nunc de aliis censuris in veteres Ecclesiæ hostes districtis adjungimus, vibratas a Clemente IV. censuras in die cœnæ Domini, uti moris erat, tum in festo Ascensionis dominicæ in Veronenses (*a*) & comitem Tyrolensem ob admissum in suscipiendis Conradini partibus scelus, renovasse. Percussi etiam Papienses (*b*) anathemate, qui quamvis oratores, ut jussi erant, misissent; ob pervicaciam tamen in respuendis Pontificiis imperiis veteribus censuris irretiti: nec ullum amantissimi patris officium pro Ecclesiæ perduellibus vel minis infringendis, aut verborum suavitate pelliciendis prætermisit. Explicuit etiam eximium zelum in tuendis ecclesiarum juribus: cum enim subortum esset inter Lugdunenses ac principis ecclesiæ clerum, cujus dominationi se subduxerant, gravissimum dissidium, censurisque a decano defixi clericos divexassent; ac missis ad eos conciliandos Cluniacensi & Casædei monasteriorum abbatibus, controversia sopiri nondum potuisset; annisus est Gregorius hisce literis (*c*) cives ad æquitatis rationem adducere.

(*a*) Lib. 2. ep. cur. 7.
(*b*) Ib. ep. 8. Qui sentiebant cum Conradino censuris defixi.

Controversiam inter Lugdunen. clerum & cives componere studet Greg.
(*c*) Ext. in cit. cod. Vallic. pag. 133.

*Gregorius, &c. dilectis filiis civibus, & populo Lugdunensi.*

*Paternæ solicitudinis incumbit officio nunc arguendo monitionibus, nunc correctionibus increpando: discordantes filios ad concordiam revocare.* Et infra: *Nostis quidem, quid status ecclesiæ Lugdunensis, quidve illi juris, quid jurisdictionis in civitatem Lugdunensem & cives competat, nos non latet. Quantum autem in præmissis excesseritis contra eam, vos ipsi satis advertitis, si hoc, sicut decet, in cordis arcano vertatis. Nec enim credimus nec credere possumus, vos sic penitus abjurasse judicium, quin voluptatis impetum rationabilis discussionis saltem interdum subiicientes examini, vestros circa præmissa tam graves, tam notorios attendatis excessus; consideretisque prudenter, quod, cum nos eadem ecclesia dudum in minoribus officiis constitutum, suis tamquam illius canonicum lactarit uberibus, graviter proculdubio mentem nostram tam grandes injuriæ matris afficiunt, & in illius molestiis non immerito molestamur, cum inter vos, tamquam ejusdem membrum ecclesiæ in multa familiaritate non modicum tempus egeramus, compassione vobis speciali compatimur, dum in gravia vestrarum animarum pericula, & corporum rerumque dispendia corruisse videmus: cum multi hoc nos non ignorare considerent, proculdubio rationabiliter admirantur, quod in iis nondum correctionis apposuimus dexteram, nondum saltem justitiæ remedia festinavimus adhibere.* Et infra:

In ea ecclesia olim canonicus extiterat.

*Quia tamen de charorum utilitatibus agitur, & tam ipsi ecclesiæ quam vobis specialiter expedire putamus, ut per humilitatis & pacis semitas ad ejusdem ecclesiæ gremium redeatis, dilecti filii Lugdunensis electi (is erat Petrus e Tarantasia, vir ingentis famæ postea Innocentius V. inter Rom. Pontifices nuncupatus) ac eorundem decani, & capituli ex hoc plenius & solidius benevolentiam habituri; a cœptis non putavimus desistendum. Sed adhuc sedulis monitionibus insistentes, quo frequentius, eo ferventius universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur in Domino, vobis nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus consultius attendentes manifestam memoratæ ecclesiæ justitiam, injurias & damna eidem illata qua decet, attentione pensantes, inconsultos motus fræno prudentiæ refrænetis, &c. Dat. Viterbii IV. id. april.*

XXV. Alfonsus Rex Lusitaniæ ob violatam eccl. libertatem correptus.

Antequam Urbevetere Gregorius discederet, consulere libertati ecclesiasticæ in Lusitania studuit, Alfonsumque illius eversorem gravissimis literis monuit (*d*) ut eam pristino restitueret splendori.

*Regi Portugalliæ illustri.*

*Scire debes, fili charissime, sicut necessario scire te convenit, ut regni tui negotia per circumspectionis directa prudentiam prosperis successibus convalescant, quod præ cæteris rebus, quibus Christiana regna fundantur solidius est tutela ecclesiasticæ libertatis, ita ut omnia tam tempora quam loca considerationis oculo percurrendo, nullus ignorat, quod eadem libertate convulsa, sceptra regalia tenere non possunt aliquam firmitatem. Cum enim eadem libertas sit catholicæ fidei munimentum, & fidei religio societatis humanæ sit vinculum, quo populorum multitudines sub principibus continentur; liber-*

(*d*) Lib. 2.

Admonetur eam esse basim regnorum. *tatis ipsius, quod absit, privilegio violato, perfidiæ patebit insultibus immunitum fidei fundamentum. Ideoque hostis humani generis dolosa malignitas superiorum invida potestatum, dum ad præcipitanda principalia culmina studio iniquæ intentionis aspirat, sciens se in obruendo civilis regiminis principatu prævalere non posse, quamdiu legibus reverentiam libera divini & ecclesiastici cultus religio subministrat; primum principum oculos vesani consilii præcantatione perstringit, quo eis bonum videtur & utile, tamquam oppositam votis suis, ecclesiasticam subvertere libertatem*. Et infra:

Illatæ ab eo ecclesiasticis injuriæ. *Accepimus quod tu in regno tuo, prædictam satagens subvertere libertatem, venerabiles fratres nostros episcopos, & alios ecclesiarum prælatos, clericos, & personas ecclesiasticas, nec non consilia & communitates, ac homines civitatum, castrorum, & villarum ipsorum in prædicto regno consistentium, in eorum præjudicium gravibus injuriis afficis, & damnis importabilibus aggravas & molestas, immemor vel transgressor potius juramenti, quod de conservanda libertate prædicta, & provisionibus apostolicis, quas firmiter observare teneris, in regno præfato diceris præstitisse*. Subdit ut Clemens Papa IV. Bracharensis archiepiscopi & aliorum episcoporum justis querelis permotus, Guillelmum Folquinum nuntium in Lusitaniam miserit, ut his malis mederetur; isque a legatione ob ipsius Pontificis obitum fuerit revocatus, atque interim res in pejus lapsa sit, e quibus hæc Gregorius recenset: *Inter alia quidem, quæ nostris sunt auribus intimata, mirantes audivimus, quod tu ad bona ecclesiastica oculos cupiditatis iniiciens,* Præsules divexati. *Bracharensis, Colimbriensis, Visensis, & Lamecensis ecclesiarum redditus & proventus occupasti, & detines occupatos: civitati Bracharensi, cujus proprietas & dominium ad prædictam ecclesiam Bracharensem pertinere dicitur pleno jure, prætorem auctoritate propria præfecisti: nonnullas vero ecclesias parochiales, jura patronatus ipsarum; nec non aldeas, domos, possessiones, jura & redditus venerabilis fratris nostri episcopi & ecclesiæ Ægitaniensis occupans; aliquas ecclesiarum, aldearum, & possessionum ipsarum diversis personis, clericis, & laicis contulisti; aliarum vero possessionum in laicos & sæculares personas transtulisti pro tuæ libito voluntatis, auctoritatis ecclesiasticæ terminis illicite occupatis, &c.* Addit, non modo Ægitaniensis ecclesiæ castra Alfonso filio contulisse; verum etiam ecclesiarum aliarum, monasteriorumque vectigalia & decimas invasisse vel dissipasse. Tum de eversis tribunalibus ecclesiasticis a magistratibus regiis ita conqueritur.

*Dictus etiam superjudex in clericos & personas ecclesiasticas dicti regni indebitam sibi jurisdictionem usurpans, de causis ad ecclesiasticum forum spectantibus cognoscere, ac de rebus ecclesiasticis judicare præsumit: & si dicti clerici propter hoc ad Apostolicam sedem appellant, dictus superjudex ipsorum appellationibus vilipensis, eos reputat contumaces; & conquerentes in possessionem dictorum bonorum inducere non veretur. Tu quoque prædictos clericos & personas passim in omni causa in tua, & judicum aliorum curiis respondere compellis: nova etiam pedagia & exactiones indebitas imponens tam clericis, quam laicis vassallis & colonis suis, ab ipsis pedagii nomine in eorum præjudicium decimam partem omnium, quæ de prædicto regno extrahunt, exigi & extorqueri facis contra canonicas sanctiones, latam in tales per sedem Apostolicam excommunicationis sententiam non formidans. Præterea si quando Judæi vel Saraceni liberi divina inspiratione, veniunt ad baptismum, tu bona ipsorum facis protinus confiscari, & eos in novam redigi servitutem. Et si Saraceni servi Judæorum per baptismum Christi fidem acceperint, eos reduci facis in servitutem pristinam Judæorum. Si Judæi quidem vel Saraceni emptionis vel pignoris titulo Christianorum possessiones obtineant, vel acquirant, non permittis, edicto generali super hoc edito, ut de hujusmodi possessionum fructibus, quas dicti Judæi vel Saraceni propriis manibus, vel sumptibus excolunt, ecclesiis in quarum parochiis possessiones ipsæ consistunt, decimæ ac primitiæ persolvantur. A colonis præterea prædiorum clericorum, & ecclesiarum, ac etiam laicorum in ipsorum clericorum & ecclesiarum præjudicium, contra antiquam consuetudinem partem fructuum dictorum prædiorum sub nomine jugtæ contra justitiam exigis; & tam clericis quam laicis in ipsorum clericorum præjudicium in fructibus & laboribus prædiorum suorum, ac emptionibus & venditionibus rerum venalium onera, leges, & consuetudines novas imponis. Hæc & alia plura fecisse, ac facere diceris, quæ in Dei offensam redundant, & derogationem ecclesiasticæ libertatis, &c.* Addit Apostolicas adhortationes, ut dignitatem ecclesiasticam pristino splendori afferat, ereptas ecclesiarum opes restituat, vetera statuta servet, episcopos exules in suas sedes revocet, ac demum oratores ad sedem Apostolicam componendæ publicæ pacis gratia mittat. *Dat. apud Urbemveterem* V. *kalend. junii anno* II.

XXVI. Regiorum administrorum licentia.

Insignis Alfonsi impietas.

Lapsis aliquot diebus, IV. nimirum nonas junias, religiosos viros, qui Prædicatoribus ac Minoritis Olysipponensibus præerant, conferre se ad Regem, & ea ca-



capita, in quibus præsules opprimeret, pontificio nomine ut corrigeret, percensere imperavit (*a*): ac si pœnitentia ductus ea se emendaturum polliceretur, interdicti a prælatis latam sententiam ad septem menses amoverent; ea tamen lege, ut intra menses quatuor ad sedem Apostolicam oratores mitteret: si vero parere respueret, regnum ipso jure, lapsis septem mensibus, interdicto pristino subiiceretur. Eisdem etiam religiosis viris provinciam imposuit, (*b*) ut pontificias literas, quibus Lusitanum oppressæ ecclesiasticæ libertatis carpebat, ipsi offerrent, & qua ratione in ea re se gessissent, sedem Apostolicam facerent certiorem. Verum iterum hoc malum recruduisse, libertatemque ecclesiastica n. fuisse oppressam, visuri sumus inferius.

(*a*) *Lib. 2. ep. 50.* Intentatæ illi censuræ.

(*b*) *Ib. ep. 51.*

XXVII. Gregorius Florentiam petit. His gestis Urbevetere Gregorius, ut cæteris exemplum diligentiæ in suscipiendo itinere Lugdunensi ad celebrandam œcumenicam synodum explicaret, ineunte æstate profectus est Florentiam una cum Cardinalibus, Imperatore Constantinopolitano regia sede pulso, & Carolo Rege Siciliæ, pluribusque aliis proceribus stipatus: extinguendæque Guelphæ & Gibellinæ factionis zelo incitatus, ut omnium arma in communes fidei hostes stringerentur, gravissima oratione partium signiferos inter se conciliare studuit. Inter alia quidem S. Antoninus e Leonardo Aretino (*c*) Pontificem sanctissimum ad mulcenda Guelphorum odia has sententias protulisse refert, dum irarum causas sciscitanti, sibi ipsi ita responderet: *Gibellinus est: at Christianus, at civis, at proximus. Ergo hæc tot & tam valida conjunctionis nomina Gibellino succumbent: & id unum atque inane nomen (quod quid significet nemo intelligit) plus valebit ad odium, quam ista omnia tam præclara, ac tam solida & expressa ad charitatem?* Et infra: *Quoniam hæc vestra partium studia pro Romanis Pontificibus contra eorum inimicos suscepisse asseveratis, ego Romanus Pontifex hos vestros cives, etsi hactenus offenderint; redeuntes tamen ad gremium recepi, ac remissis injuriis pro filiis habeo. Et vos ergo in nostra causa non plus, quam nos ipsos velle par est. Quare si bellum pro nobis suscepistis, pro nobis etiam pacem suscipiatis*. Agunt de his pluribus Florentini historici, (*d*) nobis pontificium edictum, quo sancitam concordiam promulgavit, Gregorius, subiicere suffecerit.

(*c*) *Leonard. Aretin. hist. Flor. l. 3. S. Anton. 3. par. tit. 20. c. 2. §. 1. 2. 3.*

Gibellinos & Guelphos inter se conciliat.

(*d*) *Ricord. Malesp. hist. Flor. c. 198. Jo. Villan. l. 7. c. 43. & alii.*

*Ordo pacis per dominum Gregorium Papam X. de consilio fratrum suorum editæ apud Florentiam inter Guelphos & Gibellinos.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

XXVIII. *Non sine multa cordis amaritudine recensentes, qualiter hactenus civitatem Florentinam sciderit intestina & inveterata dissensio: quam graviter lacerarit: quanta longe, lateque diffusa proh dolor! animarum pericula, quantas corporum strages induxerit: quanta multiplicaverit dispendia facultatum; sub spe illius, cui est in facili res etiam desperatas sine moliminis tarditate perficere, ad id solicitudinem nostram convertimus, ut licet grandium negotiorum moles ingrueret, licet pro illorum prosecutione ad assumpti continuationem itineris nos qualitas ipsorum urgeret; nihilominus tamen illis ad tempus omissis, non sine ipsorum discrimine, nostro & charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris, ac fratrum nostrorum gravamine; una cum ipso Rege ad civitatem divertentes eandem, impenderemus solicitas operas, quatenus illo favente, qui est lapis angularis, utraque unum faciens, hujusmodi coeuntibus in ipsa civitate scissuris, dissidentium corda indissolubilis charitatis bitumine unirentur. Ideoque variis cum partibus, quas Guelpham & Gibellinam vulgus appellat, tractatibus habitis, & unicuique ipsarum articulis patenter expositis, in quos eos credebamus posse rationabiliter convenire; demum tam partem Guelphorum in generali consilio ad hoc specialiter congregato requiri fecimus, & nos ipsi viginti quatuor ex eis propter hoc de voluntate totius consilii, & tandem consilium ipsum in nostra præsentia constitutos, quam etiam syndicos, procuratores, & nuncios comitum Guidonis Novelli, Simonis fratris ejus capitaneorum consilii partis Gibellinæ; nec non & totius partis ipsius mandatum super hoc ab ipsis plenum habentes requisivimus, & monuimus diligenter, ut in formam pacis, cujus substantia exprimebatur in dictis articulis concordarent.*

Pontificium studium pro conciliandis Gibellinis & Guelphis.

XXIX. *Et licet longa fuerit super hoc concertatio, nunc altera partium, nunc reliqua reluctante circa ea, quæ dicti articuli continebant, finaliter tamen, tam memorata pars Guelphorum, super hoc eodem consilio congregato, per potestatem, sive vicarium regium & aliquos de ipso consilio, quam etiam præfati comites, & alii Gibellini per suos ambassatores, syndicos, & procuratores, seu nuncios supradictos responderunt expresse, se in dictam formam pacis, quæ per eosdem exprimebatur articulos, juxta nostra & ipsius Regis monita & beneplacita, consentire. Nos itaque, habito dicti Regis & earumdem partium, ut prædicitur, expresso consensu, volentes & mandantes pacem eamdem ab eisdem partibus inviolabiliter observari, sub pœna viginti millium marcharum sterlingorum pro medietate nobis, pro reliqua vero medietate dicto Regi sol-*

Init inter eos concordiam.

Gravem mulctam illam violaturis imponit.

*solvenda eam, & formam ipsius astante hac numerosa fidelium multitudine publicamus.* Ne quid Pontifex ad jungendam illam pacem prætermitteret, censuras, quæ in Guidonem Novellum, Simonem fratrem ipsius, aliosque Guelpharum partium jactæ fuerant ob impensa Conrado, Manfredo, ac demum Conradino studia, ab Anselmo familiæ Cisterciensis religioso viro, Pontificisque capellano, ac pœnitentiario dissolvi jussit, ubi, quas tenebant arces, Regis Caroli nunciis datæ fuissent, seque ad Ecclesiæ excipienda imperia sacramento obligassent.

XXX. Florentia interdicto supposita.

At pia sanctissimi Pontificis consilia Joannes e Busson Caroli in Etruria præfectus, vir irarum impotens, effusis temere in Gibellinos minis abrupit. Quare Gregorius, qui mutuo fœdere arctissime dissidentium animos adstringere peroptabat, justissimo zelo incensus excanduit, Florentiamque perculit interdicto. Extant quidem Gregorii Papæ ad Carolum literæ plenæ querelarum, postquam Florentia abscessisset, datæ (*a*): quibus obiicit Florentiam se ab illo rogatum, susceptis magnis laboribus pro adducendis in concordiam civibus, petiisse; ex eoque itinere gravem se contraxisse morbum: cumque pacem attulisse & omnia probe composita reliquisse videretur, rem ad exitum non fuisse perductam; atque inde gravem invidiam conflari tum ipsi, tum sedi Apostolicæ: Carolo quidem violatas fœderis leges; sedi vero Apostolicæ inertiam impingi: quare citius eam deleret maculam: quinquaginta obsidibus contentus esset: Gibellinos Florentiæ bonisque pristinis restitueret: illos ad obsequium paratissimos: virum pacis & concordiæ amantem ad rem perficiendam in Etruriam mitteret. Sed pontificiis votis obtemperatum non est: immo Guelphi; eductis Florentia copiis in Gibellinos furorem in Ubaldinos, quos Carolo studuerat (*b*) conciliare Gregorius effuderunt: ex quo graviorem Pontifex dolorem hausit, & Carolum, ut tot malis mederetur, excitavit.

(*a*) MS. Vallic. bibl. sign. lit. C. n. 49. pag. 33.

(*b*) Ricord. Malasp. hist. Flor. cap. 198. Jo. Villan. l. 7. c. 43.

XXXI. Genuenses intestinis discordiis laborant.

Nec his modo turbis quatiebatur Etruria, sed Liguria etiam tum intestino, tum extero bello laborabat. Addicti erant Carolo nonnulli Genuenses, alii ipsi infensi: atque adeo crevere odia, ut per hæc tempora crudele bellum, ut refert Ptolemæus Lucensis, (*c*) ipsos inter & Carolum accensum fuerit, atque navali prælio pertinacissimis animis dimicatum. Cujus discordiæ sopiendæ cupidissimus Pontifex, Carolum suis est literis (*d*) adhortatus, ut Genuenses contrariis inter se studiis discissos conjungeret, pacem cum iis iniret, atque oratores ab ipsis missos perhumaniter exciperet. [1]

(*c*) Ptol. Luc. in annal.

(*d*) Ext. in cod. Vallic. sign. lit. C. n. 49. pag. 31. Bellum gerunt cum Carolo.

XXXII. Pisani in Ecclesiæ gratiam revocati.

Per hæc quoque tempora Pisani, qui pluries anathemate defixi, atque eorum civitas interdicto percussa ob secutas Conradini partes fuerat, in gratiam Ecclesiæ a Joanne ordinis Prædicatorum religioso viro admissi fuerunt. Quæ provincia a Gregorio ut infra dicetur, dum adhuc Urbeveterae morabatur, imposita est. (*e*) Qui ne rigorem omnem exuisse videretur, archiepiscopalis sedis dignitatem a Clemente ademptam tunc non restituit: sed lapso post mense, (*f*) nimirum XII. kal. julii, cum Florentiæ agens conficiendæ Guelphorum paci operam daret. (*g*) Prætereundum vero hoc loco non visum est, ut Pisani oratores ad Gregorium pro sarciendis præteritis Ecclesiæ injuriis illatis miserint; utque publico decreto (*h*) obsequentes in posterum sedi Apostolicæ futuros sanxerint.

(*e*) Lib. 2. ep. cur. 6. Episcopalis sedes Pisis restituta.

(*f*) Lib. 2. ep. 52.

(*g*) Ext. Gregor. lit. inserta instrumento ratificationis Pisan. lib. privil. Rom. Eccl.

(*h*) T. 2. pag. 514. Pisani recepti in gratiam.

*In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Ex hujus publici instrumenti serie sit omnibus manifestum, quod dominus Stephanus de Rusticassio de Placentia, Dei gratia, Pisanus potestas, & dominus Guillelmus Bor de Mediolano, tertia vice capitaneus Pisani populi, præsentia & auctoritate antianorum Pisan. & consilii generalis Pisanæ civitatis, & ipsi antiani & consilium una cum suprascriptis potestate, & capitaneo pro communi Pisano & ejus vice & nomine, fecerunt, constituerunt, & ordinaverunt prudentem virum Gualterotum Zampantem judicem præsentem, & suscipientem suum pro communi Pisano, & communis Pisani syndicum & procuratorem & certum nuncium ad acceptandum, & ratificandum omnia & singula præcepta facta a sanctissimo Patre domino Gregorio Papa X. sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifice in publico consistorio præsidente, assistentibus sibi sacro collegio reverendorum patrum dominorum Cardinalium.* Et infra: *Et insuper ad jurandum de novo nomine ei-*

NOTÆ [1] PAx illa Genuensium cum Carolo, quam Gregorius hoc anno conciliare adnisus fuit, ut in Annalibus, non solum non coaluit, sed in bellum crudele, & diutinum diffluit. Nam toto hoc, & duobus sequentibus annis crebris infectationibus mutuo se ambo lacesserunt. Genuenses his de causis interdicto subjecti a Gregorio anno sequenti. Tandem anno 1276. Innocentius V. utrosque composuit, ut ex continuatoribus Caffari ad eundem annum erudimur; ejus vero successor Adrianus V. interdictum solvit, cum Innocentius V. morte inter hæc oppressus rem perficere haud valuerit. MANSI



*civium, civitatis, & communis Pisan. in animabus suis, & civium prædictorum stare præcise & absolute mandatis ipsius Pontificis super omnibus illis, pro quibus in prædictos cives, civitatem, & commune Pisan. excommunicationum, & interdicti sententiæ sunt prolatæ, vel habiti contra eosdem alii quicunque processus; & generaliter ad omnia, & singula alia faciendum, quæ ad prædicta, vel aliquod prædictorum fuerint opportuna. Et promiserunt eidem syndico per stipul. se pro communi Pisano & commune Pisanum habituros semper, & omni tempore firmum, & ratum totum quod ipse syndicus fecerit syndicatus officio in præmissis. Actum Pisis in ecclesia majori sanctæ Mariæ, præsentibus venerabili patre domino Frederico, Dei gratia, Pisano archiepiscopo, & fratre Alberto Pulte de ordine fratrum Prædicatorum, & Henrico Fraxiæ judice, & Pantonerio notario, cancellariis Pisani communis, & Moricone notario de Veltri de Astiano notario publico cancellariæ Pisan. communis, & Leopardo notario de Gherandi notario de communia testibus ad hoc rogatis. Dominicæ incarnationis anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, indictione primâ, pridie nonas junii:* antequam accederent oratores Pisanorum Gregorius Joanni Viterbiensi ordinis Prædicatorum munus demandavit, ut pœnis omnibus exolveret. Quas vero ob causas Pisani censuris constricti fuissent, Pontifex subjectis literis (*a*) in medium adducit.

Annorum computum Pisanor. commune computum anno excedit.

(*a*) Ext. ibid.

*Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio fratri Joanni de Viterbio ordinis Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem.*

XXXIII. *Occasione consilii, auxilii & favoris, quæ cives, civitas, & commune Pisan. contra monitiones, inhibitiones, & comminationes felicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri, olim Conradino Friderici dudum Romanorum Imperatoris nepoti, eidem pertinaciter adhærendo, diversimode præstiterunt; & quia charissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Siciliæ illustrem primo paciarium, & postmodum vicarium Imperii per Romanam ecclesiam in Tusciam destinatum non solum recusarunt admittere, verum etiam se illi opponere, ac illum impugnare multipliciter præsumpserunt; primo per prædecessorem eundem, ac varios Apostolicæ sedis legatos & nuntios, & postmodum per nos ipsos in potestatem, capitaneum, cives Pisanos, & cæteros, quorum consilio eadem civitas tunc temporis regebatur, ac omnes alios, quorum consilio vel assensu prædicta facta fuerunt; diversæ tum excommunicationis, quam interdicti sententiæ sunt prolatæ: variis nihilominus pœnis adjectis, & processibus aliis habitis contra eos, sicut apertius, tam eorumdem prædecessoris, legatorum & nunciorum, quam nostrorum etiam processuum series manifestat. Verum iidem cives, tangente Domino cor ipsorum, post multiplices in prædictis variorum excessuum culpas magnæ humiliationis indicia prætendentes, ejusdem matris Ecclesiæ misericordiam continuata diutius instantia implorarunt, oblatis devote insistentes supplicationibus & devotionis ad eandem Ecclesiam irrevocabiliter observandæ oblationibus supplicantes, ut eos ad sinum ejusdem matris Ecclesiæ, a qua ipsi sua, quam recognoscebant humiliter, perversitate recesserant, sola miseratio materna reduceret; & circa filios pœnitentes superexaltata, judicio benignitas piæ matris quoad sententias, pœnas, & processus etiam memoratos misericorditer provideret.* Et infra.

XXXIV. *Nos itaque in præmissis, qua decet diligentia providere volentes restitutionem archiepiscopalis dignitatis, qua eorundem civium culpis exigentibus fuerunt dicta civitas & ecclesia Pisana privatæ, nobis specialiter reservantes; sententias latas, vel processus habitos contra eos, quo ad insulam Sardiniæ, seu quamlibet ejus partem, & jus ex eisdem, vel quibuslibet aliis sententiis, vel processibus Romanæ ecclesiæ, quibuslibet aliis ecclesiis, vel universitati, aut cuicunque singulari personæ in eadem insula, vel ipsis aliis ecclesiis, universitatibus, aut singularibus personis in quibuscunque locis, rebus vel juribus quomodolibet acquisitum; nullam volumus per ea, quæ ad præsens cum eisdem Pisanis aguntur, vel per quemcumque processum per te auctoritate apostolica faciendum, immutationem recipere: sed per omnia in suo robore permanere; nec tibi super præmissis concedimus, sed interdicimus potius potestatem. Quoad alias vero sententias latas, & pœnas statutas contra eosdem cives, civitatem & commune prædicta occasione consilii, auxilii & favoris, quæ dicto Conradino, ut prædicitur, impenderunt; seu pro eo quod præfatum Regem Siciliæ non admiserunt, sed impugnaverunt, ut superius est expressum; personæ tuæ, de cujus industria & fidelitate confidimus, ministerium eligentes, discretioni tuæ præsentium tenore mandamus, quatenus personaliter ad dictam civitatem accedens; præmissis, quæ ut præmittitur facienda sunt in conventione prædicta, per eosdem cives & commune primitus adimpletis; eisdem quoad prædictas alias sententias & pœnas auctoritate nostra per te ac per alios providere procures, omnes de dicta civitate ac districtu ipsius occasione præmissorum & alios, pro eo quod inibi post easdem sententias gesserunt officia, prædictis excommunicationum sententiis innodatos, petentes humiliter*

*liter, ab eisdem aliis sententiis, juxta formam Ecclesiæ absolvendo, relaxando, sententias interdicti revocando, prædictas alias pœnas remittendo eas, & etiam de nostræ potestatis plenitudine absolvendo, restituendo eisdem civitati, civibus, & communi privilegia & libertates, quibus fuerunt eadem occasione privati; quæ tamen factum Sardiniæ non contingant, & contra quæ jus non sit alicui acquisitum; nec non cives eosdem reddendo habiles ad dignitates, officia publica, & honores. Quicquid autem super iis duxeris faciendum, una cum tenore præsentium redigi facias in publica documenta, eadem ad nostram delaturus præsentiam, vel per fidelem nuncium transmissurus. Dat. apud Urbemveterem* XII. *kal. junii Pontif. nostri anno* II. Instructus ea auctoritate a Gregorio Joannes Viterbiensis Pisanos in gratiam cum Ecclesia admisit. De quo editæ sunt hæ publicæ tabulæ (*a*).

(a) Ext. ib.

*Omnes sententias excommunicationis, interdicti & alias pœnas latas in civitatem, cives, & districtum Pisan. ibidem publice auctoritate apostolica relaxavit: ac præter restitutionem archiepiscopalis dignitatis, quam idem summus Pontifex sibi specialiter reservavit; nec non & præter sententias, sive processus, si qui habiti sunt contra cives, & civitatem prædictos, quoad insulam Sardiniæ, vel quamlibet ejus partem; vel si jus aliquod ex eisdem sententiis, vel processibus foret Romanæ ecclesiæ, vel quibuslibet aliis ecclesiis, aut universitati, seu cuicumque singulari personæ in quibuscumque locis, rebus, juribus in eadem insula quomodolibet acquisitum, de quibus idem frater Joannes juxta formam mandati apostolici se nullatenus intromisit; omnes alias sententias, præmissorum occasione contra dictos cives, civitatem, commune, ac districtum Pisanum per quoscumque prolatas eadem auctoritate publice relaxavit: ac omnes privationes & pœnas alias eisdem civibus, civitati, & communi per quoscumque, præmissorum occasione, impositas vel inflictas revocavit, remisit, & penitus abolevit. Actum Pisis in prædicta majori ecclesia Pisana in publica conventione prædicta.* Interjectisque aliquot testium nominibus: *Dominicæ incarnationis anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto secundum cursum Pisanum, & millesimo ducentesimo septuagesimo tertio secundum cursum Romanæ curiæ, indictione prima pridie non. junii pontificatus domini Gregorii Papæ X. anno secundo.*

XXXV. Gregorii pro adducendis in concordiam Insubribus studia.

Ferebatur maxima publicæ pacis adducendæ pacandæque totius Italiæ cupiditate Pontifex: utque Florentiam ad suas partes in ea conficienda adhibendas adjerat, ita Mediolanum ad Insubriam pristinæ paci restituendam petere gerebat in votis: sed cum imminentis concilii tempus longiores in itinere moras ducere non pateretur, Mediolanensibus ipsius adventum expetentibus rescripsit, (*b*) rem ad suum in Italiam reditum differendam: viros interea probos publicæ pacis amantes mitterent, qui sibi occurrerent Placentiæ, cum quibus de provinciæ pace concilianda tractaret.

(b) Eod. cod. Vallic. p. 135.

Consultum rebus Syriacis.

Dum in oppido, cui S. Crucis nomen est, diœceseos Florentinæ agebat Gregorius, acceptis a Philippo Rege Francorum literis, ut viros in rebus bellicis exercitatissimos in Syriam misisset, qui rerum statum explorarent, ut necessaria subsidia submitteret, gratias egit, sua in ea re vota occupasse. Florentia enim Willelmum Matisconensem legatum ad ipsum miserat, (*c*) qui necessarios sumptus pro defendendis reliquis Christianorum arcibus suppeditare rogaret, dum magna illa expeditio in concilio decernenda ornabatur. Commendatitiis etiam literis Erardum (*d*) e Valeriaco atque Imbertum (*e*) Belliloci comitem stabilem Galliarum; qui apud Regem gratia florebant, atque erga Terræ sanctæ res erant egregie affecti; solicitarat, ut legato suo opera & consilio non deessent, ac Philippum ad petita illius admittenda inflecterent. Hæc vero missarum Regi literarum sententia est (*f*).

(c) Eod. cod. pag. 134.

(d) Ibid.
(e) Ibid.

(f) Greg. l. 2. ep. 33. Greg. ad Franc. Regem lit. de parandis auxiliis.

*Regi Franciæ illustri.*

*Gaudemus in domino Deo nostro, & læti plurimum exultamus, quia te pietatis operibus libenter intendere per ipsam facti evidentiam experimur. Inter quæ siquidem opera laudabile judicamus, quod sic, veluti pii patris filius generosus, miserabili statui Terræ sanctæ grandi affectu compatiens, de illius subsidio sæpius meditaris; votis, & desideriis spiritualis matris tuæ sedis Apostolicæ super hoc maxime filiali mansuetudine te conformans. Pro continuando enim ipsius terræ subsidio, donec per generale concilium ad hoc specialiter convocatum, obveniat ei provisio plenior, regiæ celsitudini direximus preces nostras, dilecto filio magistro Guillelmo de Matiscone capellano nostro, & generali causarum nostri palatii auditore, propter hoc ad tuam præsentiam destinato.*

Commendat ejus zelum.

*Tu itaque, qui zelo fidei & devotionis accensus jam per laudabile propositum præveneras, ut intelleximus, hujusmodi votum nostrum, suscipiens & admittens devotione benevola preces ipsas, aliquos viros idoneos experientiam armorum habentes, ad ejusdem terræ statum plenius explorandum, illuc in instanti passagio deliberato consilio mittere; & eorum relatione audita, ipsi terræ de competenti bellatorum subsidio usque ad provisionem præfati concilii in passagio martii proximo futuri subvenire divina concedente clementia*



*tia decrevisti, prout exhibitæ nobis regiæ pietatis literæ plenius continebant. Nos itaque tuum in hac parte propositum promptis laudibus commendantes, requirimus attentius, & rogamus, ac obsecramus per misericordiam Jesu Christi, quatenus propositum ipsum studiose prosequens, efficaciter implere studeas quod cœpisti, ex hoc, & aliis tuæ pietatis operibus de immarcessibili corona gloriæ fiduciam plenam habens. Dat. apud S. Crucem* v. *kal. septembris pontificatus nostri anno* II. Subjectæ sunt in regesto pontificio eodem argumento ad Willelmum legatum literæ, (*a*) quibus in Terram sanctam profecturis peccata condonare jussus est.

(a) Ib. ep. 34.

XXXVI.

Submissas porro in Syriam aliquas subsidiarias copias, quæ in Galliis contractæ fuerant, refert subjectis verbis Sanutus: (*b*) *Oliverius de Termes MCCLXXIII. VIII. aprilis, rediens a Rege Franciæ ad ipsius Regis stipendia duxit XXV. equites & centum pedites ballistarios.* Et infra: *Venit quoque Ptolemaidam Ægidius de Santi cum quadringentis ballistariis ad stipendium Ecclesiæ & Regis Franciæ: & post hunc Petrus Damineis cum trecentis ballistariis ad conforme stipendium.* Confirmavit iis auxiliis Pontifex Hugonem Cypri & Hierosolymorum Regem: deque concordia ipsum inter ac proceres felicissime conciliata est gratulatus (*c*): *Fili charissime de concordia inter te ac præfatos barones, ut prædicitur, reformata gaudemus: & rogamus supplicite pacis actorem, ut ipse pacis commoda in universos fidei Christianæ cultores effundens, illam in tempora longa conservet. Verum quia status noster non patitur propter infirmitatem, quæ nos iis diebus afflixit, licet nos in via curationis esse medicorum judicio censeatur, & nos etiam sentiamus, sermonem texere longiorem præmissis excellentiæ tuæ petitionibus breviter respondentes; serenitatem tuam volumus non latere, quod pro continuando terræ memoratæ succursu, donec ex ordinatione indicti ad hoc inter cætera specialiter concilii generalis obveniat, illi provisio plenior, ad charissimum in Christo filium nostrum Regem Franciæ illustrem, cui tam ex laudando proposito, quam alias ex causis variis ad subventionem hujusmodi, & voluntas pronior & facultas est promptior; nuntium destinavimus specialem.* Et infra: *Tu itaque, fili, una cum memorato patriarcha, cæterisque ipsius terræ magnatibus, & incolis aliis ad illius terræ custodiam medio tempore solicite studeas; & quantum tibi ex alto permissum fuerit, de contingentibus nihil omittas.*

(b) Sanut. l. 3. p. 12. c. 12.

(c) Ext. ejus lit. in cod. Vallic. sign. lit. C. n. 49. pag. 33.

Ægritudo Pontificis.

Qua porro de causa superiori anno inter Hugonem ac proceres discordia exarsisset, utque sopita fuerit certis legibus, narrat Sanutus his verbis (*d*): *Illis diebus,* nempe MCCLXXII. *inter Regem & milites Cypri discordia quædam emersit, requirente Rege ut sibi cum armis extra insulam inservirent: illis vero e contra asserentibus, quia ad id nullatenus tenerentur; tandem quibusdam mediatoribus convenerunt, ut quatuor mensibus anni Regi ex insula serviant, ubi adesset personaliter aut filius Regis.*

(d) Sanut. l. 3. p. 12. c. 12.

XXXVII. Othocharus expeditionem Asiaticam vovet.

Adducere etiam hoc loco visum est, Othocharum Boemiæ Regem profectionis Hierosolymitanæ votum nuncupasse: cui pium desiderium significanti Pontifex his verbis gratulatus est (*e*) non alio quam divino spiritu ad sacrum adeo consilium capessendum afflari potuisse.

(e) Cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. pag. 44. Gregorii ad Reg. Boem. lit.

*Regi Boemiæ illustri.*

*Jucunditatis causam, quam nobis literarum & nunciorum tuorum relatio ministravit, illi soli credimus adscribendam, qui ubi vult spirat, & corda principum habens in suæ potestatis arbitrio, eadem ad nutum suæ voluntatis inclinat. Illi & tu, charissime fili, teneris proculdubio cordis genua flectere, humiliare spiritum, ex intimis gratias agere, quod tuo inspiravit animo, & in te tale dignatus est formare ac firmare, prout testantur literæ prædictæ propositum, ut in ejus beneplacita dirigens vota tua, te ad Terræ sanctæ subsidium offeras tam liberaliter, tam potenter. O fili, si prudenter consideres hujus propositi exitum, si fructum operis mediteris, proculdubio, sicut speramus firmiter, zelus tuus adeo accendetur, quod tibi molestiam ingeret propositi ejusdem quæcumque dilatio, & desiderantis affectibus præsentabit ipsa quasi celeritas tarditatem, consurget ingenium, inibit consilia, remedia exquiret attentius, ut impedimenta submoveat, & executionis promptitudinem præparet, ne tua tam salubris dispositio, moræ cujusque dispendium patiatur.*

Gratulatur illi Pontifex.

*Considera itaque, princeps inclyte, considera & attende, ad quantum propter hoc tuæ gloriæ titulo, immo ad quantum salutis animæ tuæ compendium invitaris. Considera, & excitatum in te a Domino spiritum ne extinguas, nec a quibuscumque te a tam salutari proposito retrahere volentibus patiaris extingui; sed susurronibus, quæ sunt sua quærentibus, non quæ Christi, resiste viriliter: & ut non impinguet peccatoris oleum caput tuum, nequaquam ipsorum adulationibus acquiescas; quin potius in ipsarum regali exordio regali constantia confutes eosdem. Cæterum super sedatione discordiæ, de qua celsitudini tuæ alias scripsimus, & tu etiam respondisti, cito quod expedire credimus, curabimus plenius intimare, & nihilominus nuntii tui latores præsentium interim aliqua referent viva voce.* Eodem Ter-

Alfonsus Rex Castellæ significat Pontifici de magnis cum ipso rebus agitare velle.

(a) Lib. 2. ep. 28.

tæ sanctæ liberandæ desiderio incensus visus est Alfonsus, cujus literæ ad Pontificem, Camberiacum accedentem, pervenere: quibus magna se teneri visendi Pontificis cupiditate significavit, ut cum ipso de rebus arcanis, quæ ad Terræ sanctæ res instaurandas, ac Græcos ad Ecclesiæ obsequium trahendos spectabant, colloqueretur. Cui Gregorius respondit (*a*) urgeri se concilii Lugdunensis imminentis temporis angustiis: mitteret viros fidissimos, qui hæc arcana aperirent: ac si post concilium ea res perfici posse videretur, congressum ipsius jucundissimum sibi futurum.

*Illustri Regi Castellæ in Regem Romanorum electo.*

XXXVIII. *Celsitudinis tuæ literas solita benignitate recipimus, & tam ea quæ continebantur in ipsis, quam illa quæ dilectus filius Joannes de Porta miles & nuntius tuus, cujus verbis fidem nos adhibere per easdem literas voluisti, coram nobis ex parte tua proponere voluit, audivimus diligenter. Et quidem inter cætera quæ prædictarum literarum continebat series, & prædictus nuntius referebat, hoc quasi præcipuum videbatur, quod tamquam zelator catholicæ fidei pro Terræ sanctæ utilitate, Græcorumque reditu ad ecclesiæ Romanæ devotionem, gerebas in desiderio personaliter nos videre. Et licet nostra, quantum ad mutuam visionem utriusque nostrum, si per mare nos contigisset venire, satis cum tua super hoc concurreret voluntate; conditione tamen personæ nostræ tunc id minime patiente, ac suadente honestatis consilio, per Lombardiam ex causis necessariis elegimus peragere viam nostram.*

Indicto a se concilio distineri significat Gregor.

*Generali autem concilio, pro quo viam ipsam assumpsimus, & cui te juxta vocationem nostram, si potuisses, desideravimus interesse, faciente Domino, celebrato, si personæ nostræ conditio, seu negotiorum urgens utilitas ad partes illas, in quibus personam nostram videre conceperas, nos venire induxerint, id tibi, utilitate publica suadente, tempore tam congruo significare curabimus, quod illuc tunc regia venire poterit celsitudo. Attamen quia posset accidere, quod negotia non urgebunt, vel non patietur personæ nostræ conditio, ut ad partes veniamus easdem; vel non sustinebunt, ut te vocemus, seu expectemus, si etiam veniamus; quia etiam ignoratur, quamdiu in partibus Lugdunensibus oporteat nos morari, sicque in retinendo interius, seu celando illud quod pro hujusmodi Terræ sanctæ recuperatione, ac Græcorum reditu nobis revelare proponebas, ibidem non leve posset esse periculum, & jactura maxima causæ Christi; rogamus & obsecramus attentius, ac pro animæ tuæ salute, cui sine dubio in hoc periculo, & jactura hujusmodi vehementissime deperiret, pio consilio suademus, quatenus id nobis per aliquem secretarium tuum, de quo plene sicut de te ipso confidas, sine difficultatis obstaculo, & moræ dispendio exprimas & reveles: vel saltem acceptes & scribas nobis, ut aliquam religiosam personam de nostris secretariis, de qua sicut de corde nostro & anima sentiamus, ad tuam præsentiam destinemus, & per eam nobis id ipsum cum securitate plenaria, vitata hujusmodi periculosa dilatione, denudes.*

Rogat ut arcana aperiat.

XXXIX. *Et quia potiorum munerum Distributor per affluentiam bonitatis suæ videtur concessisse tibi gratiam in præsenti, ex qua obtinere valeas gloriæ certitudinem in futuro, fervidum videlicet de Deo serviendo propositum; insta velut princeps catholicus, & diem & horam tuæ salubris visitationis agnoscens, iis quæ in hac parte Spiritus paraclitus tibi suggerit, non resistas; sed ad ea quæ pium inclinat animum, hoc apto tempore dexteram regiæ potestatis extendas; attendens quod magnæ sapientiæ est, ac optimum Dei donum, ut qui longo vixit tempore super terram, vitæ suæ residuum deputet obsequiis Jesu Christi, ac eligat in causa Redemptoris sui, si expediat, mori cum gloria, dum restat post modicum sine proventu gloriæ gratis mori. Dat. apud Camberiacum III. non. novemb. anno III.*

XL. Lugdunum pervenit Pontifex.

Post multas itineris superatas difficultates Lugdunum ingressus Gregorius, haud multo post incommodis in itinere toleratis defessus morbo implicitus est; adeo ut in festo dedicationis Basilicæ principis Apostolorum, missæ augustissimo sacrificio de more interesse non potuerit. Judicii tamen forma consueta contra Ecclesiæ rebelles observata (*b*) ac sententiæ a Clemente latæ in eos renovatæ.

Morbo implicitus.

(b) Lib. 2. ep. cur. 18.

Sententias in rebelles Ecclesiæ renovat.

Historiæ vero ecclesiasticæ suscepta a nobis ratio efflagitat, ut quæ Lugduni a Gregorio hoc anno effluente gesta in luce collocemus. Acceperat ipse Eduardum novum Angliæ Regem regiæ inaugurationis pompam celebrandam eo tempore indixisse, quod in œcumenicæ synodi tempus incurrebat; unde Angliæ præsules, ne concilio interessent, abducebantur. Quare Pontifex Eduardum monuit (*c*), ut consecrationis regiæ celebritatem vel maturaret, vel in aliud tempus differret, ne illius occasione adeundæ synodi occasio Anglicanis patribus eriperetur. Exarserant porro antea Eduardum inter atque ejus fratrem Eadmundum Leycestriæ comitem nonnullæ controversiæ: ad quas extinguendas Gregorius studium omne adhibuit, ut ejus ad Anglorum Reginam literæ demonstrant (*d*): erga quam egregie se gessisse

Rogat Eduardum ut inunctionis regiæ pompam differat.

(c) Lib. 2. ep. cur. 24.

Controversia inter ipsum & Eadmundum componit.

(d) Ib. ep. 26.



(a) Ep. 25. sisse Eduardum ipsi est gratulatus (*a*). Cui etiam iisdem literis præcepit, ut quæ circa decimas Eadmundo debita forent, persolveret. Jam enim Pontificem Angliæ decimas Eduardo atque Eadmundo ob suas in Terra sancta defendenda exhaustas opes attribuisse, superius vidimus. Eadmundo vero imperavit (*b*) Gregorius, ut qua par erat prudentia fratri obsequentem se exhiberet.

(b) Ep. 27.

XLI. Præterea significavit (*c*) eidem ut Guido e Monteforti, adversus quem Eduardus ultionem de cæso Henrico patruele poposcerat, censuris defixus flagitii veniam, adhibitis pluribus interpretibus, orasset, repulsamque passus, sibi Florentia abeunti pœnitentis cultu laqueo e collo pendente ad pedes accidisset, seque ad subeundas carceris pœnas paratum obtulisset; datam vero duobus Cardinalibus provinciam, ut sponte venientem custodiæ fidissimæ traderent.

(c) Ep. 23.

*Regi Angliæ illustri.*

Guidonis pœnitentiam significat Eduardo Greg.

*Princeps inclyte, novit excellentia regia quam dire, quam dure Guidonis de Monteforti malitiam, non omittendo tantum justitiæ semitas, sed exquisitos etiam sequendo juris tramites, fuerimus persecuti. Et ideo est opus habitum contra ipsum repetitione aliqua commemorare processum; sed sufficit quæ sunt exinde postmodum subsecuta, tuæ celsitudini nuntiare. Et quidem memoratus Guido magnæ pœnitentiæ signa prætendens, postquam Florentiam venimus, & uxoris suæ præsentia, & multiplicatis aliis nuntiis institit, multaque ac longa instantia supplicavit, ut ad nostram permitteretur venire præsentiam; paratus simpliciter, ut dicebat, nostris obedire mandatis. Sed multiplici ejus instantiæ multiplicem opposuit non solum qualitas offensæ, saltem in magni temporis dilatione repulsam: verum etiam cujusdam nostræ deliberationis examen, quo investigandum fore providimus, an contriti & humiliati cordis indicia, quæ tanta, tamque assidua ejusdem Guidonis instantia verisimiliter arguebat, veritatis munimine fulcirentur; an essent velamine simulationis obducta.*

XLII. Ut nudo corpore, injecto collo laqueo, veniam petierat.

*Cumque postmodum nos contingeret civitatem Florentinam exire, idem Guido quasi ad duo milliaria extra civitatem eamdem, nec non & quidam alii, quos ad hoc sibi comites habuit, depositis omnibus calceamentis, & vestibus, præter camisias, & femoralia, cum chordis ad colla, prostratique in terram; se nobis in via exhibuere cum lacrymis: & subsistentibus quampluribus, qui erant in nostro tunc temporis comitatu, memoratus Guido cum ejulatu non modico profusis lacrymis, instantis supplicationis verbis effusis se alt & bas sine tenore, modo, vel conditione aliqua nostris mandatis exponens, petebat humiliter, & supplicabat instanter, saltem ubicunque nobis placeret, in carcerem se detrudi, & in absolutionis beneficio misericordiæ, sibi januam aperiri; nullo penitus adjecto in suis supplicationibus mediate, vel immediate porrectis, per quod alias derogari posset in aliquo prædicto processui habito contra ipsum.*

XLIII. Repulsam tum sit passus.

*Sed nec tunc hujusmodi supplicationem ipsius duximus admittendam, nec responsum ipse a nobis habuit aliquod: immo redarguimus potius alios assistentes eidem, quod in talibus nec loci, nec temporis competentiam observarant. Verum urgente tandem conscientia; ne deesse justitiæ videremur, & contra ipsius debitum Ecclesiæ claudere gremium redeunti; de fratrum nostrorum consilio in hoc condescendimus instantiæ supplicantis. Mandavimus quidem per dilectum filium nostrum Ricardum sancti Angeli, & Jo. sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconos Cardinales in Urbe morantes, Guidoni præfato in terra ecclesiæ Romanæ in aliqua arce tuta locum carceris assignari, & propter nostram de partibus illis absentiam, ipsum Guidonem per charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem, & alias personas idoneas inibi cum diligentia custodiri: sicut dilectus filius Gerardus de Poscillon noster familiaris & clericus, cui super iis, quæ tibi ex parte nostra duxerit exponenda, fidem indubitatam habere poteris, plenius oraculo vivæ vocis exponet.*

Mandatus carceri fuerit.

*Quid autem circa hoc postmodum actum sit, nondum ad nos relatio certa perduxit. Hæc tamen ideo tibi sic seriose intimanda decrevimus, ne nostrorum processuum puritatem tertiæ linguæ malitia in tuæ celsitudinis auribus fermentaret. Dat. Lugduni III. kal. decembris anno II.*

Paruit Pontificis imperiis Guido Montfortius, atque in arcem e Leveo in Mediolanensi agro, carceris tædia squaloremque subiturus, se contulit: sprevitque generose corporis servitutem, ut animam e vinculis anathematis vindicaret. Qua in re præclarum habet demissionis Christianæ ac formidandarum ecclesiasticarum censurarum posteritas exemplum, a quo plures ætatis nostræ principes descivere. Mancipato vero ita carceri Guidone, sanctissimus Pontifex, clementia temperaturus severitatem, patriarchæ Aquilejensi sequenti anno illius fidelium communioni restituendi partes ea lege demandavit, (*d*) ut inflictæ tamen aliæ pœnæ ob patratum in Henrico inter aras cæso flagitium valerent.

(d) Lib. 3. ep. 14.

XLIV. Palæologus ecclesiæ Rom. aggregari postulat.

Qua pietate Gregorius homicidæ sacrilego reditum ad Ecclesiam non præclusit, ad ejus sinum confugere meditanti Michaeli Palæologo paternum pectus ex-

expandit, atque ad rem perficiendam, & Græcos adducendos obvias difficultates lenivit. Excitatus enim pontificiis literis superiori anno datis Græcus Imperator, strenue ad cœptum opus, sive illum pietas, sive rerum suarum commodum duceret, incubuit. Cujus ad Gregorium demissionis Christianæ ac religionis notis insignes hæ sunt literæ (a).

(a) Ext. in regest. Greg. l. 2. p. 104. n. 10.

*Sanctissimo & beatissimo domino Gregorio Papæ veteris Romæ, ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, & sedis Apostolicæ successori, reverendissimo Patri suo; Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, semper Augustus; suæ sanctitatis obediens filius, debitam paternitati suæ reverentiam & orationum petitionem.*

Demissæ ejus ad Gregorium literæ.

*Multa sunt, sanctissime domine, quæ possent spiritualem delectationem conferre homini & suaderent exultatione & lætitia animæ actionum gratiarum laudem attribuere Deo vero. Sed nobis videtur, quod numquam aliquid sic lætificare potuit aliquem, sicut nos exhilaravit epistola vestræ apostolicæ sanctitatis nuper Imperio nostro transmissa: quam gavisi recepimus, cum in spe eramus ipsam ad nos diutius destinari. Quam etiam multo desiderio legimus, & perlecta lætati fuimus in lectione ipsius, & sicut ex adipe & pinguedine ipsius delectatione repleti, omni gaudio fuimus recreati. Primo quidem quia nobis fuit a vobis destinata epistola, quem supremum profitemur Pontificem, utpote Apostolicæ sedis successorem & decus; & etiam erga Imperium nostrum affectuose dispositum, paternalem obtinere affectum: quem tanquam lucernam lucentem puritate conversationis & vitæ divinitate super maximam Pontificatus sedem, veluti super candelabrum Deus constituit, ut in omnibus finibus fulgeretis. Cujus opera, juxta Sirach: Sicut sol in conspectu Domini: & oculi conspicui super vias ejus; cujus laudem lingua nostra tota die propterea meditatur. Secundario vero quia pacem Christianitatis & plenitudinis unionem, quæ adest secundum Deum; quam nos etiam semper sitimus (novit hoc pacis Deus) desiderare vestram paternitatem ipsa epistola deifice denotabat. Quæ nos etiam suadebat, vestram in hac parte agnoscere sanctitatem instantem cohortatricem boni hujus, & cooperationem promptissimam & sinceram, & dicere: Ecce vir timens nomen Domini, in cujus ore lex veritatis consistit, & iniquitas in ejus labiis non invenitur; quoniam ambulat in pace directus. Et juxta magnum Eliam: Cor restituit patris ad filium: & hominis ad proximum suum. Hujus gratia multo magis exaltati in his, ultra quam qui invenit spolia multa, & illum, qui hoc perficit, non cognovimus alium præter Deum, cui juste & digne ad gratiarum acumen assurgere commovemur, dicentes: Magnificetur semper Dominus, quia erexit vos semper magnum Pontificem suorum servorum pacem optantem, qui suum sanctissimum nomen invocant indefesse.*

Agnoscit illius primatum.

Commendat ingentibus laudibus ob pacis studium.

XLV. *Et licet antea pergeremus ad viam unionem ferentem, & festinaremus ad hoc negocium ab antiquo, quod communem Christianorum utilitatem exhibet, nunquam sine solicitudine tanti operis moraremur; nunc tamen, ex quo ad nos vestræ sanctitatis literæ pervenerunt, multo magis institimus, & cum ardore animæ festinantes opus suscepimus peroptatum: ad Dominum continue aspicientes, illum inceptionis nostræ & promptitudinis cooperatorem obtinere; & perfectorem continuum invocantes, qui jam vestris sanctissimis & sacratissimis orationibus exhilarati: cum ipse Deus clemens sit cupiens unionem, propitius ad nos inspexit, & orationes nostras benigne intendit, super cogitationes nostras ascendens: & secundum suam magnam & ineffabilem misericordiam intellectus nostros direxit, & viam nobis rectam ostendit, per quam bene perficietur: & dexteram consummationem accipiet negotium supradictum, & modico temporis spatio tantum opus Deo acceptum manifestabitur; cum ad honorem & gloriam ejus existat, acceptum etiam apostolicæ Ecclesiæ & vestræ etiam sanctitati. Primitus enim, sanctissime domine, dum occuleretur via, quæ ducebat ad pacem, incertus erat modus quiliter ipsam tractare deceret, & sicut errantes vere oves currebant, & dubium erat ut aliquis posset ad finem hujus operis pervenire. Deus autem ex quo ostendit principium, nullum impedimentum consistit nec prohibet: sed negotium sic facile de cætero compleri videtur, quod omnis dubitatio & formido procul habetur, quod spes quoque melior animabus plantatur, & nos cum favore divino putamus amodo finem inde attingere concupitum: alio enim modo in spe bona existentes; quod etiam sic oportet cum Deo sperare vestram apostolicam sanctitatem.*

Excitatum se magis ad rem perficiendam pontificiis lit. profitetur.

XLVI. *De hoc vero, quod accidit moram nobiscum protrahere fratres, & aliquis finis usque ad hodiernum diem non apparuit; exinde vestra sanctitas non admiretur: cum licet quid modicum videretur in principio, quæ inter nos & vos differentia modica consistebat; sed ipsius prolixitas in tantum invaluit, & tam magnam dilatavit & fecit, quod nec facilem esse, quamvis hoc putetur ab aliquibus, verum etiam difficilem & onerosam dissolutionem hujusmodi repræsentat. Quare omnes dicent: Opus est ad hoc temporis, & laboris: Temporis quidem, ut congregatio fiat pontificum, qui longe existunt; quos necesse est adesse huic communi negotio, & voluntatem & propriam intentionem facientem pacem proferre, & nobiscum sentire, quod omnibus expedit: qui prælati non modica pars universitatis consistunt, ut ne forte veterem scissuram fuere quærentes, alteram de novo ex imperitia, & non minorem priore aliunde rumpamus. Laboris autem, quia per instantiam & perseverantiam fit; & etiam quæ sunt difficilia emendare quis potest? Præter autem ista nihil unquam homo de levibus perfecit, non solum tantum negotium, quale hoc existit propositum. Unde, si debet illorum aliquid consummari, quæ expediunt, & quæ consummatum ad omne tempus, quod deinceps erit firmum, forte, & perenne, vallari; necessarium est, quod labor sit, & temporis erogatio intercedat.*

Queritur diuturniores in tractatu perficiendo moras difficultates multas peperisse.

XLVII. *Hujusmodi autem præsumptuose quodammodo scribere moti sumus vestræ apostolicæ sanctitati, quia & alias; cum debemus ad invicem ad pacem conjungi, existentes jam ad unionis consummationem, licet alio modo tunc tempori ea, quæ sunt pacis tractabuntur, aliter vero nunc dispensatur gratia Christi; consideravimus aliquos sequentes proprias voluntates, & injuste pacis prosecutionem prohibentes, qui jam consensu diutino perfecerunt propositum eorumdem, & bonum Christianæ gentis invidentes inimicitiam ad commune intentum omnium introduxerunt; nos tamen omnem curam unionis & concordiæ apponentes, sic habemus per omnia, sicut dictum est, & nulla a nobis consurget occasio: nam quales in verbis nos ostendimus fore, tales etiam, & ferventiores nos in operibus invenietis paratos. Beatitudo autem vestra, sanctissime domine, non aliter de nobis recogitet; nec aliquam hæsitationem habeat de consummatione negotii sæpedicti: sed omnem ambiguitatem & timorem eiicientes ab anima de consummatione & perfectione negotii sæpedicti, quod ad manus est, sicut jam ad præsens recipiet sanctitas vestra: tempus enim, in quo magis convenit dispensari super Christianorum utilitate communi, non aliud nunc quidem videtur, quam præsens. Ad quod nos quidem, ad unum convenientes cooperatione Spiritus sancti, ubicunque voluerimus ambulare, in Deo faciemus virtutem, angulari lapide Christo, qui est caput Ecclesiæ, in quo omnis ædificatio ad templum sanctum in medio nostrum compaginata concrescit; justam exinde promissionem habentes, & nos in pace indiruptibiliter conjungentes, non duo vel tres existimemus, sed milliaria infinita & innumerabilia in ipsius nomine congregata.*

Nonnullos pacem disturbasse.

Paratissimum se exhibet.

XLVIII. *Contra inimicos autem Dominicæ crucis divi Amos dictum bene & optime inducitur: Occidet sol in eis in meridie; sic opinantibus ex angustia cordis & obumbrabitur super terram eorum in die lumen, & in meridie velut in nocte palpabunt: expugnatio erit eis, & totalis destructio; redemptio vero Terræ sanctæ, & ultra alienigenæ non transibunt per eam. Ait Joel magnus: Ægyptus ad destructionem erit, & Idumæa ad campum perditionis. Et sic tanquam ignis & flamma novi Israelis domus apparebit. Domus vero Esau tanquam stipula, & consummabuntur iniqui: quoniam venerunt dies vindictæ juxta dictum divi Oseæ, & dies retributionis eorum. Nos vero tota Christiana gens dicimus, faventibus orationibus vestris virtutem a Deo accipientes: Dilatati erimus, & ad pristinum iterum veniemus; si distantia enim nostra impiis superbiendi libertatem concessit, coadunatio utique, & in unum congregatio manifestissimum eis in tertium præparabit. Istud est tempus illud, quod multi quidem nostrorum spiritualium virorum, & etiam non pauci vestrorum mentis oculis discernentes, & prophetizantes super hoc, desiderarunt etiam illud corporeis oculis revidere, sed non viderunt. Deus autem in vestris diebus, sanctis vestris orationibus annuens, videre hoc nos dignos concessit, secundum suæ judicium voluntatis, quod non decet omittere apostolicam animam vestram, nec in vanum transire concedere: incertum enim existit, si tale deinceps tempus eveniet.*

Spem inicit ex ea conjunctione Saracenos perdomitum iri.

XLIX. *Sed hæc quidem, beatissime domine, & propter bonas spes & confisas, quas decet vos de futuro habere, suggerunt vestræ scribere sanctitati, ut ad futurum quod jam per vos debet celebrari concilium, futuram cum Deo ecclesiarum annuncietis confirmationem & restaurationem; & omnes divi viri, qui congregari debent ibidem, cum deceat ipsos gaudere super negotio ipso, lætiores fiant, certificati de perfectione unitatis prædictæ. Et etiam quod omnibus certificetur, quod labor, quem sanctissima benignitas vestra ad præsens negotium subrogavit, non vanus factus est illius gratia, qui ad hoc vos inspiravit; illa fiducia, quam ad ipsum habetis, sed ad tempus conducens, reddet fructum, non solum in triginta & sexaginta, sed etiam ad centuplum, juxta vocem Salvatoris in evangeliis: residuum sane in cura vestræ sanctitatis existit. Quid restat? Debent in brevi nuntii nostri una cum aliis fratribus, qui penes nos existunt, viam cum Deo accipere ad vestram sedem altissimam proficiscentes, ut appareant coram vobis cum perfectione operis peroptati. His autem hoc facere debentibus, sicut summus Pontifex & pastor pervigil animarum, ac provisor omnium provideatis, si placet; & viam qua transire debent nuntii, modis omnibus securam & sine periculo fieri statuatis, ut sine impedimento nostri nuntii va-*

Certiores efficiat patres concilii de orientalium reductione.

Brevi ipsorum oratores in occidentem iter agressuros.

*valeant ad vestram sanctissimam præsentiam proficisci. Nam timemus valde, ne ipsis differentibus tanti & talis operis effectum, forte antiquus bellator, pacis motus invidia, tanto divino operi obviare conetur, ut imperfectum contingat multo tempore remanere, per quosdam iniquos homines indesperate periculum operetur. Sed divinitas vestra, sua magna providentia repellat insidias assidui inimici, quare dictis nuntiis & fratribus viam præparetis securam, ut exinde verecundia malignitatis principi fiat; & eorum cogitatione annullata vestræ providentia sanctitatis bonum, quod labore est tanto tempore acquisitum, perducatur ad finem, ne propter despectum, antequam confirmetur & radicetur, aperte rumpatur. Quemadmodum enim labor potest reædificare, quod destruxit inertia; ita destruit injuria, quod acquisitum est labore. Quapropter divinam vestram, & efficacem in operationibus providentiam ad hæc cogitavimus incitare, quam certi sumus retribuere velle negotio antedicto; in Deo confidentes, qui pacem super omnia acceptat, & ipsam tribuit animabus diligentium ipsum, & in vestra providentissima & imitativa sanctitate, cujus orationes nobis affectuose concedantur. Amen.*

L. (a) Ext. ib. n. 11. Gregorius Palæologum ad constantiam hortatur.

Aliis etiam literis (*a*) certiorem Gregorium fecit, se brevi solemnes oratores ad synodum missurum; atque adeo rogare ut literis Apostolicis daret operam, ut omnia ipsis itinera tuta & libera forent, ne adeo optata conjunctio alicujus improbitate atque invidia convelleretur. Quibus acceptis ingenti gaudio delibutus sanctissimus Pontifex, Palæologum ad constantiam excitavit (*b*).

(b) Lib. 2. ep. cur. 12.

*Magnifico viro Michaeli Palæologo illustri Imperatori Græcorum gratiam in præsenti, per quam gloriam obtineat in futuro.*

*Literarum series, quas nobis novissime tua magnificentia destinavit, cunctis, qui spiritu Dei aguntur, ipsas audientibus gaudii & exultationis in Domino materiam subministrat. Siquidem circa instans unionis Latinorum & Græcorum desideratæ, perutilis, ac Deo acceptæ negotium & intensum tuum testatur affectum, & votivum illius exitum proximum repromittit: adiiciens inter cætera, quod cum qualem te ostendis in verbo, talis & ferventior inveniaris in opere, nullius dubitationis scrupulus in nostro corde remaneat de confirmatione ac perfectione negotii supradicti. Hæc quidem catholicos rei conscios in jubilum excitant animos. Sed multorum circa hoc motus reprimit, quod, ut verum fateamur, quamplures magnæ conditionis & status asserunt, unionis prædictæ tractatum ex Græcorum parte diutius in figmentis verborum & simulate deductum. Propter quod & nobis super apocrisariorum nostrorum, qui ad tuam pervenere præsentiam, deliberantibus missione, id dissuasere frequentius; viam aliam quæ se videbatur offerre præ manibus, potius suadentes: licet autem illis credulitatis aures non duxerimus inclinandas, hæc tamen excellentiæ tuæ ad stimulum quasi solicitudinis exponimus, ut attendens, quod ex iis, quæ de prædictis tuis literis brevis supra commemoravit epilogus, & aliis, quæ patent latius in eisdem, te oris tui verbo non solum Deo, sed & universis audientibus, si famam tuam non negligas, ad consummationem prædicti negotii quasi obligasse videris; ad illam sic solerter intendas & efficaciter, & in veritate procedas, quod tuæ promissionis effectu per evidentiam operis apparente, obstruantur ora inique loquentium, qui celsitudinem tuam libenter forte notarent, quasi non in sinceritate debita hoc tam salubre negotium prosequaris; sed & nunc post nuntios nostros tanto tempore detentos quasi necessitatem dilationis ingesseris, sicut hactenus ex eadem parte frequenter ingestas asserunt, ut per angustias temporis & per inopinatos casus, qui persæpe in negotiis tractandis emergunt, desiderato fructu hoc tam salubre negotium frustraretur; ne quando nobis supergaudeant & insultent ac dicant: Ecce quod verebamur accidit; sicut enim vobis prædiximus solam perditionem temporis nostrorum missio habuit nunciorum. Hæc sicut ad tuam instructionem & provisionem de paterna dulcedine prodeunt, ita in tuæ considerationis attentione dulcescant. Sic enim ad salutem animæ tuæ afficimur, ut & personæ in via hac, quam præmissæ literæ te ambulare describunt, zelemus honorem & desideremus te diligentissimum fore opinionis tuæ custodem, curam habentem de tuo nomine, nec famam aliquatenus negligentem. Persta igitur: nosti enim, quod perseverantiæ palma debetur. Persta, & quæ te præmissæ tuæ literæ tam solicite incœpisse commemorant, & nuntii nostri, qui ad nos rediere, testantur, solicitudine continuanda, & quantum facultas permiserit, augumentanda prosequere, ad obtinendum immensum divinæ retributionis præmium, & memoriale inter homines de tam pio, Deo tam amabili, & Christianitati tam votivo, tam utili opere in æternum; missurus apocrisarios, quorum eædem magnitudinis tuæ literæ pollicentur adventum, cum potestate plenaria; & ad omnia, quæ nostrarum missarum ad te per eosdem nuntios literarum tenor exigit, plene, prout decet, instructos. De quorum securo conductu, sicut inserta tuis literis petitio continebat, per viam a celsitudinis tuæ nuntiis ad nos propter hoc inter cætera destinatis, de speciali mandato tuo, ut*

Significat pervagatam opinionem, Græcos dolo & ludificationibus conjunctionem ecclesiarum tractare.

Quantus inde pudor imminent exponit.



*ut dicebant, electam salubriter duximus providendum. Dat. Lugd. XI. kal. decemb. pontificatus nostri anno II.*

Ad Philippum vero Constantinopolitanum Imperatorem (id ipsi nomen sine Imperio hæserat) literas dedit, (*a*) quibus revocavit in memoriam, ut ab sede Apostolica nuntii ad Palæologum pro conficienda ecclesiarum pace essent legati, rogavitque ut oratoribus a Palæologo mittendis regium diploma daret, quo in itinere, mora, ac reditu ipsorum saluti libertatique consultum esset: *Imperialem excellentiam rogamus & hortamur in Domino, quatenus prædictis, ejusdem Palæologi nuntiis, ad idem concilium destinandis, patentes literas de plena, & pro personis, familiis & bonis suis in eundo, morando, & redeundo assecuratione concedas; & a tuis, si ad eos quandocumque pervenerint, mandes & facias decenter & benigne tractari. Datum Lugduni XII. kalend. decembris pontif. nostri anno II.* Atque eodem argumento Carolum Siciliæ Regem, atque alios principes exoravit, (*b*) ut simili diplomate oratorum Palæologi securitati caverent. Minoritas insuper, qui tanti operis strenui erant administri, atque apocrisariorum pontificiorum munere fungebantur, Palæologum rogare jussit, (*c*) ut ipsos una cum Græcis oratoribus ad concilium dimitteret.

(a) Ib. ep. cur. 14.

Liberi commeatus syngrapha a Philippo & Carol. ipsi providet.

(b) Ib. ep. 13. &c.

(c) Ib. ep. 17.

LI. Rex Franc. comitatum Venusinum Ecclesiæ tradit.

Imponemus huic anno finem, adducto Philippi Regis Francorum erga ecclesiam Romanam studii insigni argumento: cum enim comitatum Venusinum ad se a patruo Alfonso, qui Raymundi Tolosani comitis filiam duxerat, una cum reliqua ditione, devolutum teneret; neq; deessent, qui jura sua defendere Alfonsi Raymundique exemplo suaderent; flagitante legato pontificio, sponte comitatu cessit, [1] quem Rom. ecclesia sibi jure debitum contendebat; de quo hæc Sanutus: (*d*) *Philippus Rex Franciæ tempus prævenit concilii, reddiditque summo Pontifici comitatum Venesi, quem longo tempore ab ecclesia sui tenuerant prædecessores.* Tantæ rei testes sunt Gregorii Papæ literæ effluente hoc anno ad Philippum datæ (*e*).

(d) Sanut. l. 3. par. 12. c. 13.

(e) Lib. 2. ep. 22. Gregorii lit. ad Regem Franc.

*Illustri Regi Francorum.*

*Libenter audivimus, quod benevole susceperis, & acceptaveris mansuete nostrum & Apostolicæ sedis verbum, per dilectum filium magistrum Guillelmum de Matisiona capellanum nostrum, ac generalem causarum nostri palatii auditorem ex parte nostra, & sedis ejusdem regiæ serenitati expositum, de terra Venesina, quam quondam Alfonsus comes Tolosæ ac Pictaviæ patruus tuus obtinuit, & ad manus tuas pervenit; Romanæ ecclesiæ, cujus est propria, libere dimittenda. Sicut enim idem capellanus, cujus dictis fidem adhiberi scripsisti, nobis & fratribus nostris exposuit, tu eodem verbo suscepto, & deliberatione habita super illo, disposuisti & ordinasti consulte, prædictam terram extra manus tuas totaliter ponere; & ab ipsa prorsus omnes illos, qui eam tuam nomine obtinent, per nuntios tuos, ad hoc speciale mandatum habentes, nostris præsentibus nuntiis amovere, ut sic idem nostri nuntii prædictæ sedis, & nostro nomine & auctoritate possessionem ipsius terræ expeditam, & vacuam apprehendant.*

Comitatus Ven. Alfonsi patrui successione ad Regem Franc. pervenerat.

*Nos igitur pro iis Deo laudes reddentes debitas, & regiam promptitudinem commendantes, rogamus attentius & hortamur, quatenus hujusmodi tuam dispositionem, veluti animæ tuæ saluti, ac divinis beneplacitis congruentem, opportuna diligentia prosequaris. Nuntios autem quos propter hoc miseris, venire ad sedem facias supradictam, ut eis nostris associatis nuntiis, negotium, auctore Domino, feliciter valeat confirmari. Datum Lugduni XI. kalend. decemb. anno II.*

Gratias agit Philippo Pont.

Insi-

NOTÆ [1] Venusini Comitatus cessio in commodum Pontificis Romani isto quidem anno agitari cœpit, ut optime notat Annalista; sed nonnisi sequenti in Lugdunensi Concilio absoluta, & confirmata. Id enim disertis verbis affirmat horum temporum Scriptor Joannes Iperius in Chronico S. Bertini Anecdot. Marten. tom. III. col. 732. Ita enim scribit. *In hoc Concilio* (Lugdunensi) *Philippus rex Francorum Domino Papæ reddidit comitatum Venusinum, quem ab ecclesia sui tenuerunt prædecessores.* MANSI

I. Præcipua in concilio Lugdunen. gesta.

INsignis est annus Servatoris septuagesimus quartus, supra millesimum ducentesimum indictione secunda rerum in œcumenico concilio (*a*) Lugdunensi secundo gestarum majestate: cum in eo Græci Spiritus sancti ex Patre Filioque processionem festis vocibus agnoverint: Christifidelibus contra Saracenos se conjunxerint Tartari: sint decreta Terræ sanctæ ferenda auxilia: sedi Apostolicæ, immo universo orbi Christiano, qui diu ob Cardinalium diffidia pastore carere consueverat, consultum. De quibus hæc Ptolemæus Lucensis (*b*) in historia ecclesiastica affert in instituta de Gregorio X. narratione: *Hic tertio anno sui Pontificatus pro utilitate Terræ sanctæ, quam personaliter visitare intendebat, Lugdunense solemne celebravit concilium, in quo & Græcorum & Tartarorum celebres nuncii etiam interfuerunt, hoc procurante Palliologo, qui tunc imperabat in Constantinopoli, Græci ad unitatem fidei redire promittentes, in cujus signum symbolum alta voce & cum solemnitate decantaverunt, videlicet Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere: nuncii vero Tartarorum intra concilium baptizati ad propria redierunt. Numerus autem prælatorum, qui interfuerunt concilio, fuit quingentorum episcoporum, abbatum LXX. aliorum prælatorum mille. Hic in concilio multa bona constituit, videlicet pro subsidio Terræ sanctæ, pro electione summi Pontificis, & pro statu Ecclesiæ.* Tot tantasque res oratione aggressurus, earum historiam ex ipsius concilii actis in lucem editis, quæ cum una cum manuscriptis Vaticanis contulerim, summa inter se fide consentire reperi, delibabo (*c*). Inchoatum est (*d*) nonis maii hujus anni feria secunda, in ecclesia S. Joannis: cum ante omnibus præsulibus & capellanis suis Pontifex tridui jejunium indixisset. De cujus auspiciis hæc actorum scriptor. [1]

Patrum, qui illi interfuere, numerus.

Quo tempore inchoatum sit.

*Dominus Papa circa horam missæ descendens de camera sua in ipsam ecclesiam, parato sibi faldistorio in choro, conducentibus eum duobus diaconis Cardinalibus, ut moris est, dixit tertiam & sextam, quia erat dies jejunii. Quibus finitis, subdiaconus venit cum sandalibus, & calceavit eum, capellanis dicentibus psalmos consuetos circa ipsum. Et eo calceato, & lotis manibus, diaconus & subdiaconus more solito induerunt eum omnibus vestimentis pontificalibus albi coloris, quia inter pascha & ascensionem erat; & pallio, sicut si esset missam celebraturus. Et inde, præcedente cruce, ascendit pulpitum præparatum & ornatum, & sedit in faldistorio suo, ministrante sibi pro presbytero domino Simone tit. S. Martini, & diacono domino Othobono Card. & assistentibus sibi in eodem pulpito ipso domino Othobono S. Adriani & dominis Jacobo S. Mariæ in Cosmedin, * S. Georgii ad velum aureum, Huberto S. Eustachii, Matthæo S. Mariæ in Porticu diaconis Cardinalibus; etiam sedente juxta eum domino Jacobo Rege Aragonum, assistentibus etiam sibi quibusdam capellanis superpelliceis indutis. Sedens idem summus Pontifex in faldistorio suo, fecit crucem super prælatos & concilium, qui sic sedebant ab opposito, & in eminentibus sedibus præparatis.*

(*a*) Siff. in ep. l. 2. Stero in annal. Eberarb. apud Canis. antiq. lect. to. 1. p. 308. Nang. in reb. gest. Phil. Ric. Malesp. c. 199. Jo. Villan. l. 7. c. 44. Anton. p. 3. tit. 20. c. 2. & c. 6.

(*b*) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 23. c. 3.

(*c*) Ext. in reg. 3. Gregor. X. n. 101. & in to. Conc. 3. part. 2.

(*d*) Ibid.

II. Et quo ritu.

* Gotifredo



III. Patriarchæ in medio ecclesiæ loco consident.

Quod ad sedium ordinem attinet; Pantaleo Constantinopolitanus, & Opizio Antiochenus patriarchæ, nimirum qui Latinis præerant, in medio ecclesiæ alveo sedere: e latere dextro episcopi Cardinales: e sinistro alii Cardinales post quos primates archiepiscopi, episcopi, abbates, priores nullo inter se sedium discrimine consedere; cum a Gregorio ante sancitum esset, ut datas sedes sine ullo ecclesiarum suarum dignitatis juria acciperent. Inferius vero Templariorum atque Hospitalariorum præfecti una cum Gallorum, Germaniæ, Angliæ, & Siciliæ Regum oratoribus collocati sunt. Fusis deinde precibus, ac Spiritus sancti numine implorato, peroravit Pontifex in hæc verba: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar & antequam moriar;* ac rationes adstantibus proposuit, quæ ipsum ad cogendam synodum impulissent. Tum secundam sessionem in secundam sequentis hebdomadæ feriam indixit. Nec frustra consumptum tempus, quod medium in-

In præsulum sedibus nullus ordo servatus.

Pontificis ad patres oratio.



NOTÆ [1] AGendum hic suscipit Annalista de concilio Lugdunensi II. œcumenico, cui ab illo contextæ narrationi nos pro nostro more quædam addemus a Scriptoribus libata, quæque vel ipsorum Collectorum diligentiam fugerunt. Ac primo quidem de mense & die, & anno, quo cœpit nulla est inter scriptores controversia, cum omnes temporis notæ in actis hujus concilii diligenter adnotentur. Cœpit nonis maii anni hujus 1274. tum sessio altera die XVIII. ejusdem mensis habita. Successit sessio tertia die VII. junii; die VI. julii quarta; die XVI. ejusdem mensis quinta; die XVII. ejusdem postrema. De patrum numero non satis inter Scriptores constat: Ptolemæus Lucensis in Annalibus 1570. supputat. Bernardus Thesaurarius in historia Gallica mille quadrigentas *pastorales virgas*; Joannes Iperius in Chron. S. Bertini Episcopis 1570. Abbates & alios inferiores Prælatos 1000. adiicit. Nangius, & Trivertus numerum hunc Patrum in arctum cogentes interfuisse asserunt episcopos 500. Abbates 60. Prælatos & alios circa 1000. Congruit his Bernardus Guidonis in vita Gregorii, F. Pippinus in Chronico, & veteres rerum Pontificiarum Chronistæ Martinus Polonus, cæterique ab Eccardo inter Historicos medii ævi to. II. vulgati. Author Chronici Parmensis, qui opus suum ad annum 1310. perducit, Rer. Ital. tom. IX. exterorum qui Concilio huic adfuerunt numerum prorogat ad CLX. millia, quod tamen de Patrum numero vix credibile est. Recentiores Scriptores nihil moror, utpote qui non comperta nec meditata scripserint, sed prout quisque in antiquo aliquo, quem explicabat, scriptore offendit nihil aliud cogitans ita scripsit. Inter has sententias præferendam, arbitror illam, quam potior, & sanior Scriptorum pars tenet de Episcopis quingentis, Abbatibus LX. vel LXX. & Prælatis inferioribus M. Adfuisse etiam cum cæteris Magistros supremos Templariorum, & Hospitalariorum equitum scribit Spondanus, quod ex ipsis Concilii actis petitum est. Sed mendi aliquid in acta hic irrepsisse constat; nam concilio quidem præsens adfuit magnus Templariorum Magister teste Bernardo Thesaurario. Templariis tunc præerat Gullelmus de Bleavixeu, qui tunc recens electus & in Transmarinis adhuc partibus agens ad concilium, eodem Bernardo teste se contulit. An vero cum Magistro Templi Magister pariter Hospitalariorum adfuerit, acta quidem asserere videntur; sed cum in illis genuinum nomen magistri Hospitalis non legatur, neque pariter Hospitalari illi, qui adfuit, titulus *magni magistri* tribuatur, quod tamen Templariorum magistro additur; atque insuper de hoc magistri Hospitalis itinere ad concilium nihil scribat Bernardus, qui id tamen notat de magistro Templariorum; ideo suspicor concilio huic non quidem ipsum per se magistrum Hospitalis sed per legatum adfuisse. Quod & eruitur ex consilio magistri Templi dato Clementi V. de quo inferius. In eo enim asseritur adfuisse concilio magister Templi, & de ordine Hospitalis F. Guillelmus de Corcellis.

Ad constitutiones concilii hujus quod attinet, diligenter illas Annalista persequitur. Animadvertere tamen juvat constitutionem illam de iis, quæ in electione Romani Pontificis a Cardinalibus servanda fuerant, non diu post suspensam ab Adriano V. & Joanne XXI. dein a Cœlestino V. innovatam rediisse; prout suis annis adnotabimus.

Græcos in hoc concilio ad communionem receptos nemo ignorat, idemque argumentum ab Annalista diligenter tractatur. Sed ab illo, sicut & ab aliis omnibus huc usque ignoratum fuit, Logotetam, qui pro Imperatore legatus in concilio agebat, schisma quidem nomine ipsius Imperatoris ejurasse; *sed per hoc mandatum ejus non ostendit;* ut notavit Innocentius V. in in institutione quam dedit nunciis suis ad eumdem Imperatorem destinatis, quam publici juris fecit P. Martene in Collection. Monum. to. VII. col. 254. Hinc de sinceritate Græci principis argumentum capias.

Præterea iis quæ de rebus in hoc Concilio tractatis apud Labbeum differuntur, addenda est Leodiensis Episcopi depositio, de qua pariter mentio fit in actis. Sed ex Cornelo Zantfliet, qui Chronicon suum anno 1450. circiter absolvit, vulgatumque est in eadem Collectione Martenii to. V. discimus Episcopum hunc fuisse in vitia omnia effrænem, qui cum propterea a Gregorio, adhuc tunc ejus archidiacono, corriperetur, calcem illi impingere ausus fuit. Huic amoto statim a Pontifice successor datur Johannes de Angia. Præter hunc alter etiam episcopus, Rhodiensis nempe depositus fuit, teste Bernardo Thesaurario; sed hujus causa ignoratur. Denique cœpta præcedenti anno de cessione Comitatus Venusini in favorem Sedis Apostolicæ tractatio in Concilio peracta, & confirmata, ut in nota A. 1273. LI. scripsi.

Addere hic pariter juvat nomina Archiepiscoporum quorumdam, sicut & Cardinalium omnium, qui Concilio huic præsentes adfuerunt, legi in Charta confirmationis jurium S. R. E. quæ sane confirmatio a F. Conrado Minorita Rodulphi legato exhibita fuit Nicolao III. Papæ anno 1278. de quo in Annalibus ibid. num. 47.

In eodem pariter Concilio præceptum datum est omnibus verbi Dei præconibus ut pro concione populum hortarentur ad inclinandum religiose caput quoties in ecclesiis *Jesu* nomen pronunciari audirent. Qua de re Gregorius hoc ipso anno die 12. Kal. Octobris literas dedit ad Fratrem Joannem de Valentia priorem provincialem ordinis Fratrum Prædicatorum, quas literas exhibet Martenius inter acta selecta Capitulorum generalium ordinis Prædicatorum Anecdot. tom. IV. col. 1776. Id executioni ut mandarent ordinis Prædicatorum Fratres in Capitulo Generali Mediolani anno 1278. statuerunt, *ut juxta constitutionem Domini Gregorii Papæ editam juxta Concilium Lugdunense, quod quandocumque nomen Domini nostri Jesu Christi nominatur, omnes Fratres inclinent Capita sua propter reverentiam Crucifixi.*

Diu etiam multumque in eodem Concilio adnisi sunt quidam, ut Regularium privilegia vel tollerentur penitus, vel labefactarentur; at resistentes Regulares, quorum gratia summa erat apud Pontificem, id evicerunt, ut nihil in eorum detrimentum innovaretur. Discere id licet ex Statutis in Capitulo Generali Ord. Cistercienſis anni 1274. vulgatis a Martenio Anecdot. to. IV. ubi in constitutione XIV. edicitur vectigal quoddam a Monasteriis ejus Ordinis solvendum Abbati Cistercii ad sarciendos sumptus erogatos *propter defensionem libertatum Ordinis, quas libertates major pars prælatorum ibidem* (in Concilio) *existentium totis viribus impugnabat.* Id etiam constat ex literis Joannis Vercellensis Magistri generalis Ordinis Prædicatorum, quæ subduntur statutis in Capitulo anni 1274. ejusdem Ordinis apud Martene ibid.

Denique Lugdunensibus Patribus consulendum fuit de jungendo in unum quemdam communem ordinem omnes Ordines militares. Sed cum multa, & varia jactarentur, rem tandem intactam relinquere visum fuit, cum Reges Hispaniæ nunquam idem consilium admissuri reputarentur *propter tres religiones* (S. Jacobi, Calatravæ, & militum Jesu) *armorum, quæ sunt in patria sua stabilita.* Narrat hæc Magnus Magister Templariorum in consilio dato Clementi V. cum de jungendis Templariis Hospitalariisque tractaretur, vulgato a Baluzio in Collect. Actor. Veter. ad Vitas Paparum Avenionens. tom. II. col. 181. MANSI

Decimas sexennales pro re Syriaca instauranda postulat.

inter sessionem utramque effluebat: e qualibet enim provincia archiepiscopum, episcopum, & abbatem ad se venire jussit, atque ab iis omnium ecclesiarum proventuum decimas ad sex annos pro submittendis Terræ sanctæ auxiliis postulavit, obtinuitque; adeo ut a festo S. Joannis Baptistæ ejus anni tempus excurreret. Atque interea a Minoritis Apostolicæ sedis apocrisariis pervenere felices literæ ad Gregorium, quæ maximo ipsum gaudio perfuderunt; quasque convocatis præsulibus, sacram prius concionem habente S. Bonaventura, perlegi jussit.

Literæ de adventu Græc. lectæ in concilio.

IV. Constitutiones editæ pro disciplina ecclesiast. restituenda.

Celebrata est secunda sessio, decimo quinto kal. juniis, in qua nonnullis constitutionibus lectis procuratores capitulorum, abbates ac priores, quibus mitræ usus non erat permissus, abire jussi.

In tertia sessione lectæ etiam plures constitutiones, quæ ad sacerdotum emendandos mores, excutiendas sordes avaritiæ, primævam revocandam sanctitatem pertinebant.

V. Flagitatum a patribus, ut schisma Imperii sedaretur.

Consultum tum temporis est occidentali Imperio, non quidem in ipso concilio, sed Cardinalium consistorio. Miserant ad Gregorium Alfonsus Castellæ Rex, ac Rodulphus oratores, & quisque certabat officiis ac promissis, ut exauctorato æmulo, Imperio potiretur. Ac sanctissimus Pontifex, proposita sibi ob oculos Dei gloria, & populorum concordia, missis litigiorum ambagibus, quibus prædecessores tot annis se implicuerant; cum patrum concilii clamoribus urgeretur, (*a*) ut lacerato consuleret Imperio, Alfonsi oratores re infecta dimisit: Germanicos vero ad sacramenta Rodulphi nomine nuncupanda, ac privilegia Romanæ ecclesiæ, a veteribus concessa Imperatoribus confirmanda, admisit. Quæ ut majori cum celebritate gererentur, adhibiti sunt principes ecclesiastici electores, aliique insignes Germani præsules, qui Imperialia diplomata perlegere: atque ad rem secuturis ætatibus mandandam solemnes hæ tabulæ confectæ sunt, quæ in molis Adrianæ archivo asservantur, atque a Platina jussu Sixti IV. inter illustria monumenta, quæ ad Romanæ ecclesiæ dignitatem spectant, collectæ (*b*).

(*a*) *Formul. Mar. Ebul. pag.* 153.

Constabilita Rom. eccl. jura concessa ab Imperatoribus.

(*b*) *Collect. Platin. MS. Vat. arc. to.* 1. *pag.* 81. *ad pag.* 89. *lib. privil. Rom. eccl. to.* 1. *pag.* 376. *MS. Vall. bibl. sign.* D. 1. *pag.* 87.

VI.

*In nomine Domini. Amen.*

*Nos Henricus Trevirensis, Guarnerus Maguntinus, Enguebertus Coloniensis, Conradus Magdebugensis, Ciselbertus Bremensis archiepiscopi; Conradus Argentinensis, Leo Ratisponensis, Bruno Brixinensis, Otho Mindensis, Fredericus Merseburgensis, Vvidego Missinensis, Joannes Kimensis, Ildebrandus Eistetensis episcopi; Fredericus Burcladiius de Nuremberc, & Gotifredus comes Setineusis præsenti scripto fatemur nos vidisse, ac diligenter respexisse privilegia, nec non & juramenta claræ memoriæ Othonis IV. & quondam Frederici II. Imperatorum tunc Regum Romanorum non cancellata, non abolita, nec in aliqua sui parte vitiata: sed in prima sui facie aureis bullis Regum ipsorum regiæ majestatis impressis typario consignata, quorum tenores tales sunt, &c.* Præterea censemus ea Imperialia diplomata, cum a nobis in superiori tomo iisdem concepta verbis, insinuata sint, (*c*) ac loca indicare suffecerit. His subjungemus aliud (*d*) quod iis magna ex parte consonat.

(*c*) *An. C.* 1201. *n.* 15. 1209. *n.* 10. & 1213. *n.* 23.

(*d*) *Extat. to.* 1. *privil. Rom. eccl. pag.* 380. & *cod. Vallic. MS. sign. lit.* D. *pag.* 87.

*Tenor juramenti ejusdem Friderici tunc Regis Romanorum præstiti memorato Honorio Papæ III.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Ego Fridericus II. Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Rex Siciliæ tibi domino meo sanctissimo, & patri charissimo Honorio Papæ III. tuisque successoribus, & ecclesiæ Romanæ, præsentibus subscriptis principibus Imperii, & nobilibus, spondeo, polliceor, & promitto & juro, quod omnes possessiones, honores, & jura Romanæ ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam & servabo. Possessiones autem, quas ecclesia Romana recuperavit, liberas & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo: quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum secundum posse meum ero sine fraude defensor; & quæcumque ad manus meas devenerint, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicofano, usque Coperanum, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissæ Mathildis, comitatus Brittenorii cum adjacentibus terris, expressis in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici. Has omnes pro posse meo restituam, & quiete dimittam cum omni jurisdictione, districtu, & honore suo. Verumtamen cum ad recipiendum coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica sede vocatus accessero de mandato summi Pontificis, accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum ecclesiæ Romanæ regnum Siciliæ. Tibi etiam domino meo Honorio Papæ & successoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & catholici Imperatores consueverunt sedi Apostolicæ exhibere: & si propter negotium meum Romanam ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam, ei sicut necessitas postulaverit in expensis: omnia vero supradicta tam juramento quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. Principes autem Imperii*

Terræ ditionis ecclesiasticæ.



*vii & nobiles, coram quibus juravi, hi sunt. Henricus Basiliensis episcopus, abbas S. Galli, Hugo abbas Morbacensis, Golfradus de Vizeburg, Tibaldus dux Lotharingiæ, comes Egendo de Urach, comes Ludovicus de Virtumbere, comes Everardus de Elfinsem Henricus, de Niffen, & quamplures alii. Actum apud Agnove anno dominicæ incarnationis MCCXVIII. mensis septembris indictione VIII.* Perlectis Othonis IV. & Friderici II. privilegiis & sacramentorum formulis, quibus se Romanis Pontificibus obstrinxerant: ne iis pietate & studio in sedem Apostolicam Rodulphus inferior videretur, illius oratores idonea instructi auctoritate rata & sancta habitum iri jurati sponderunt. De quo insigne hoc monumentum (*a*) editum in mole Adriana asservatur.

Othonis & Friderici privilegia a Rodulphi oratoribus confirmata.

(*a*) *Ext. in l. privil. Rom. Eccl. Coll. Platin. & MS. Vallic. sig. lit.* D *n.* 1. *ubi sup.*

VII.

*Prædicta quidem privilegia, & tenores juramentorum, in consistorio vestro, sanctissime pater & domine Gregori divina providentia Papa Decime, assistentibus vobis reverendis patribus Joanne Portuensi, Petro Tusculano, Vicedomino Pænestrino, Bonaventura Albanensi, Petro Ostiensi episcopis; Simone S. Martini in montibus, Anchero S. Praxedis, Guillelmo S. Marci, Simone tit. S. Cæciliæ presbyteris; Othobono S. Adriani, Jacobo S. Maria in Cosmedin, Gotifredo S. Georgii ad velum aureum, Uberto S. Eustachii, Matthæo S. Mariæ in porticu diaconis Cardinalibus; ac nobis in vestra præsentia, inibi constitutis, per venerabilem virum Othonem S. Guidonis Spirensis præpositum, domini nostri Rodulphi Regis Romanorum illustris cancellarium & procuratorem lecta; & propter nos supradictos Burclavium & comitem, qui nec literas, nec linguam Latinam novimus, fideliter fuerunt exposita. Idem quoque cancellarius habens ab eodem Rege Rodulpho potestatem & speciale mandatum subscripti tenoris, de nostro consilio & assensu, omnia & singula in eisdem privilegiis & juramentorum contenta tenoribus ejusdem Regis Rodulphi nomine ratificavit, rata & firma se habere, ac ab aliis haberi velle professus est; & eadem innovavit, ac denuo concessit.*

VIII. Promiserunt Rodulphum ditionem eccles. non invasurum.

*Promisit insuper eodem nomine, ac juravit in animam ipsius Regis Rodulphi, quod ipse Rex per se, vel per alium, seu alios, non occupabit, nec invadet in totum, vel in partem terras ecclesiæ Romanæ, aut terras vassallorum ejus, quas jure feudi, vel sub censu, aut alterius præstationis titulo, sive alio quocumque modo tenet ab ipsa Ecclesia: nec eas, vel earum aliquam procurabit occupari per alium, seu alios, vel invadi. Quin etiam nec ipsas, nec tenentes easdem, se vel terras ipsas sibi ultro volentes subiicere; nec officium aliquod aut dignitatem, vel quamcumque potestatem in terris eisdem, & specialiter in civitate Romana, recipiet sub quocumque colore sine vestra vestrorumque successorum licentia speciali: & si qui eas occupare, vel invadere tentarent, non solum denegabit illis auxilium, consilium, & favorem publicum & occultum; verum etiam ad requisitionem vestram dictorumque successorum, adjutor erit contra illos in defendendis & conservandis eisdem.*

IX. Bellum Siciliæ Regi non illaturum.

*Item quod idem Rex Rudolphus per se, vel per alium non offendet vassallos Ecclesiæ, & specialiter magnificum principem dominum Carolum Regem Siciliæ illustrem, seu heredes ipsius: nec volentibus ipsum offendere præstabit consilium, auxilium aut favorem, publice vel occulte: nec regnum Siciliæ, quod idem Rex ab eadem Romana ecclesia tenet, vel aliquam ejus partem occupabit, aut invadet per se, vel per alium; aut occupari, vel invadi procurabit; nec invadere, aut occupare tentantibus, præstabit auxilium, consilium, vel favorem, publicum vel occultum. Alios etiam devotos Ecclesiæ, qui eidem adstiterunt contra prædictum Fredericum, heredes, vel successores ipsius, propterea non gravabit; sed nihilominus favorabiliter prosequetur: vassallos autem suos, contra prædictorum aliquod facientes, pro posse bona fide compescet. Servabit præterea & faciet omnia & singula, quæ in canonibus positis LXIII. distinct. quorum quidem canonum alter: Ego Ludovicus; alter vero: Tibi domino Papæ; incipit, continentur. Quodque idem Rex Rudolphus prædicta omnia, tam in privilegiis ipsis contenta, quam alia, inviolabiliter observabit, ac de præmissis omnibus & singulis observandis, præstabit, tactis sacrosanctis Evangeliis, corporaliter juramentum; & privilegia per omnia, verbis tamen aliquibus competenter mutatis, prout facti qualitas exigit, similia suprascriptis continentia, nihilominus plene omnia alia, quæ præter privilegiorum præmissorum tenores superius exprimuntur; ac insuper ratificationem, confirmationem, innovationem, ac novam concessionem, omnium renunciationum, dimissionum, pollicitationum, sponsionum, concessionum, cessionum, & confirmationum, quas tam dictus Fredericus secundus, quam alii Reges & Imperatores Romani præcedentes eumdem, B. Petro Apostolorum principi, summis Pontificibus, qui pro tempore fuerunt, vel ecclesiæ Romanæ præstitisse noscuntur, præfato Apostolorum principi, ac vobis sanctissimo patri ejus successori, cæterisque vestris catholicis successoribus, & ecclesiæ Romanæ concedet, quandocunque per sedem Apostolicam super hoc literis fuerit, vel nuncio requisitus: & juramenta etiam præstabit, & li-*

*& literas super hujusmodi præstatione concedet, prout dicti Reges Romani præstiterunt, ac concesserunt. Postquam autem Romam, ad recipiendum unctionem, coronationem, seu Imperiale diadema pervenerit, ipsaque ceperit, præmissa omnia & singula innovabit, seu de novo faciet; ac sine aliqua difficultate juramenta præstabit, quæ Imperatores Romanorum hactenus præstiterunt. Item quod dictus Rex Rodulphus bona fide, sine fraude & malo ingenio, procurabit quod omnes principes Alemanniæ laici promittent & jurabunt, se bona fide curaturos & facturos, quod præfatus Rex Rodulphus præmissa omnia & singula inviolabiter observabit; & si, quod absit, ipse Rex Rodulphus prædicta non servaret, iidem principes in hoc ipsi aliquatenus non assistent. Tenor autem mandati, quod idem cancellarius ejusdem Regis Rodulphi nomine præsentavit, per omnia talis est.*

Acceptis imperialibus ornamentis promissa corroboraturum.

X. Rodulphi literæ de instructis auctoritate oratoribus.

*Sanctissimo in Christo Patri & domino suo, domino Gregorio sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Rodulphus Romanorum Rex semper Augustus pedum oscula beatorum. Sanctitati vestræ præsentibus notescat, quod ego devotus vester, & ecclesiæ Romanæ filius, honorabilem virum Othonem præpositum S. Vvidonis Spirensis, regalis aulæ meæ cancellarium meum nuncium & procuratorem constituo, dans ei liberam potestatem & speciale mandatum faciendi nomine meo B. Petro Apostolo cœlestis Regni clavigero, ac vobis ejus successori, cæterisque vestris canonicis successoribus, & ecclesiæ Romanæ confirmationes, concessiones, privilegia, juramenta, & cætera omnia, quæ mei prædecessores Reges Romanorum fecisse noscuntur, seu inveniuntur; nec non & alia promittendi, seu faciendi, quæ vos, sanctissime Pater & domine, sine demembratione Imperii secundum Deum & honestatem videritis expedire; & in animam meam jurandi, quod ea omnia & singula rata habebo, & inviolabiliter observabo, nec contra ea per me, vel per alium publice, vel occulte venire tentabo. Do etiam ei potestatem promittendi nomine meo, quod ego per me ipsum eadem faciam & promittam, atque jurabo quandocumque per vos literis, vel nuncio fuero requisitus. Et super his omnibus patentes literas meas dabo aurea bulla typario regiæ majestatis impressa bullatas. Do præterea eidem cancellario potestatem, & speciale mandatum dandi super omnibus præmissis & singulis patentes literas, seu publicum instrumentum, & omnia faciendi, quæ in præmissis & circa præmissa fuerint necessaria, vel etiam opportuna: etiamsi mandatum exigerent speciale. In cujus rei testimonium, præsentem procurationem fieri feci, & mei sigilli munimine roborari.*

*Dat. Rotemburc anno Domini MCCLXXIV. in crastinum dominicæ quæ cantatur: Quasi modo geniti; regni nostri anno primo. Nos itaque memorati archiepiscopi & episcopi omnia præmissa, quæ per eundem cancellarium, acta sunt, de nostro, ut præmittitur, consilio, & assensu habentes rata & firma, promittimus in verbo sacerdotis, & sacrosanctis evangeliis coram positis: ac nos præfati Fredericus & comes, eisdem evangeliis, tactis promittimus & juramus, nos bona fide curaturos, & facturos: quod idem Rex eadem omnia & singula observabit plenarie: nec per se, nec per alium veniet contra ea, seu aliquod eorumdem. Et si quando, quod absit, secus facere attentaret, nos in hoc aliquo modo non assistemus eidem. Acta sunt hæc Lugduni in prædicto consistorio anno Domini MCCLXXIV. mense junii die martis, VI. mensis ejusdem, pontificatus vestri anno III. Porro ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum nos memorati archiepiscopi, episcopi, Burclavius, & comes, præsentes literas fieri fecimus, & nostrorum sigillorum munimine roborari.*

Germani præsules obstringunt fidem, Rodulphum adservanda promissa adacturos.

XI. Siculi regni juribus cautum.

Ut consultum etiam esset Rom. ecclesiæ juribus in utrumque Siciliam, ne Imperator id regnum conjunctum Imperio contenderet, affectaretve unquam; principum electorum, qui olim, adeunte Imperium Frederico Siciliæ Rege, in Francofurtensibus conventibus pronuntiarant, Siculum regnum Imperio obnoxium non esse, literæ confirmatæ sunt ab iisdem Rodulphi oratoribus, ac subjectæ tabulæ, de ea re editæ, quæ in molis Adrianæ archivo asservantur, tum a Platina jussu Sixti IV. inter insignia monumenta repositæ (*a*).

(*a*) Coleff. Platin. MS. Vat. to. 2. pag. 87. & 107. Lib. privil. Rom. eccl. to. 1. pag. 59. MS. Vall. sig. lit. B. n. 12. pag. 558.

*In nomine Domini, Amen.*

*Nos Henricus Trevirensis, Guarnerus Maguntinus, Enguebertus Coloniensis, Conradus Magdeburgensis, Griselbertus Bremensis archiepiscopi, Conradus Argentinensis, Leo Ratisponensis, Bruno Brixinensis, Otho Mindensis, Fridericus Merseburgensis, Vvidego Misnensis, Joannes Kimensis, Ildebrandus Eistetensis episcopi, Fridericus Burgravius de Nuremberc, & Gotfridus comes, Sennensis præsenti scripto fatemur, nos vidisse, ac diligenter inspexisse patentes literas principum Imperii subscripti tenoris, sigillis eorumdem pendentibus consignatas, quarum tenor talis est.*

Principum German. lit. de Sicilia Imperio non obnoxia.

*Nos principes Imperii universis præsentem paginam inspecturis. Ut tollatur de medio omnis materia scandali, dissensionis, seu etiam rancoris occasio inter Ecclesiam & Imperium, & ii duo gladii, in domo Domini constituti, intimæ dilectionis fœdere copulati exurgant in reformationem universi populi Christiani; & merito mundo*



*do appareant in omnem exhibitionem justitiæ & veritatis, illa duo magna luminaria posita in medio firmamenti; & nos in opere, & voluntate filii inveniamur omni tempore devotionis, & pacis, qui tam Ecclesiam, quam Imperium confovere tenemur, ac etiam unanimiter gubernare: quicquid ipsi S. R. E. matri nostræ factum est per dominum nostrum Fridericum, Dei gratia Romanorum Regem semper Augustum & Regem Siciliæ, per privilegia, seu etiam scripta sua, pro omni discordia sopienda & evitanda in posterum, & pro pace totaliter reformanda pariter & observanda; ut sit in omnibus eisdem omni tempore idem velle & idem nolle, & nos bonorum operum sectatores, feliciter gaudeamus nostri nomine principatus, sicut olim ad petitiones & preces, nec non & mandatum prædicti domini nostri Regis Friderici tempore bonæ memoriæ domini Innocentii III. Papæ pro bono pacis ad omnia scandala evitanda, ipsi S. R. E. super privilegiis ipsius Regis sibi datis nostram tunc voluntatem præbuimus & consensum; sic nunc eandem voluntatem & consensum nostrum noviter innovamus, & per omnia approbamus. Et ut hæc nostra voluntas, & approbatio, sive renovatio, a nobis ipsi S. R. E. in perpetuum observentur, ut liqueat in effectu in testimonium illi, & ad perpetuam memoriam nostri, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorum sigillorum munime roboratum, super omnibus privilegiis ab ipso Rege, usque nunc sibi datis, & etiam adhuc dandis, tam super facto Imperii, quam super facto regni Siciliæ; ita quod Imperium nihil cum dicto regno habeat unionis, vel alicujus jurisdictionis in ipso. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXX. Dat. apud Franckenfort in solemni curia IX. kal. maii indictione VIII.*

XII. Confirmatæ in consistorio a præsulibus Germ.

*Prædictæ quidem literæ in consistorio vestro, sanctissime Pater, & domine Gregori divina providentia Papa X. assistentibus vobis reverendis patribus, Joanne Portuensi, Petro Tusculano, Vicedomino Prænestino, Bonaventura Albanensi, Petro Ostiensi episcopis, Simone S. Martini in montibus, Anchero S. Praxedis, Guillelmo S. Marci, Simone tit. S. Cæciliæ presbyteris, Ottobono S. Adriani, Jacobo S. Mariæ in Cosmedin, Gotfrido S. Georgii ad velum aureum, Uberto S. Eustachii, & Matthæo S. Mariæ in porticu diaconis, Cardinalibus, ac nobis in vestra præsentia inibi constitutis, per honorabilem virum O. sancti G. Spirensis præpositum domini nostri Rodulphi Regis Romanorum illustris cancellarium & procuratorem lectæ & propter nos supradictos Burgravium & comitem, qui nec literas, nec linguam Latinam novimus, fideliter fuerunt expositæ. Præfatæ quoque literæ erant non cancellatæ, non abolitæ, nec in aliqua sui parte vitiatæ sed per omnia in prima sua figura. Acta sunt hæc Lugduni in prædicto consistorio, anno domini MCCLXXIV. mense junii die martis VI. mensis ejusdem pontificatus vestri an. III.*

Quantum vero studii & operæ posuerit Gregorius, ut Rodulpho Imperium assereret, alliceret in Italiam, ut insignia imperialia conferret, conciliaret, illi Boemiæ & Siciliæ Reges, ac denique Alfonsum Regem Castellæ ab Imperio affectando abduceret, dicetur inferius. Nunc de orientali Imperio ad Romanæ ecclesiæ conjunctionem revocato agemus.

XIII. Græci ad concil. Lugdun. accedunt.

Hæserant diu patres expectatione adventus Græcorum suspensi; cum demum Palæologi Imperatoris, atque orientalium præsulum synodi oratores accessere, ac præterita silentio controversia, quæ de Imperio cum Philippo Balduini II. olim Constantinopolitani Imperatoris filio Caroli Siciliæ Regis genero, intercedebat, ad sinum Rom. ecclesiæ admitti supplices flagitarunt, de quo hæc concilii historia narrat: *Dominus Papa allocutus est concilium, narrans prædictas tres causas vocationis concilii; & dicens, qualiter contra opinionem quasi omnium Græci libere veniebant ad obedientiam Romanæ ecclesiæ, profitendo fidem, & recognoscendo primatum ipsius; nihilque temporale petendo, de quo multum dubitabatur.* Contendisse jam ante Palæologum ab Urbano ut prius Imperii controversia dirimeretur; sed tum ab ipso, tum a Clemente IV. repulsam passum vidimus, cum prius fidei dignitati, & animarum saluti consultum sedes Apostolica vellet. Reversis vero ad obsequium Ecclesiæ Græcis, Gregorium ad pacem Carolum Regem ac generum fœderatum inter & Palæologum revocandam conciliasse inducias, dicetur postea: nunc cœptam prosequimur orationem. Porrexere Pontifici Græci oratores imperiales literas, in quibus orthodoxam fidem præscripta ab Apostolica sede forma profitebatur, subjectis verbis conceptas (*a*).

(*a*) Ext. MS. in archiv. in Vatic. & arcis S. Angeli & collect. Plat. MS. pag. 89.

XIV. Palæologus Imp. orthodoxam fidem profitetur.

*Sanctissimo & beatissimo primo & summo Pontifici Apostolicæ sedis venerabili Papæ & communi patri omnium Christianorum, & venerabili patri Imperii nostri domino Gregorio: Michael in Christo Deo fideles Imperator & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comninus, Palæologus, & spiritualis filius magnæ sanctitatis vestræ convenientem honorem & reverentiam cum sincera & pura affectione, & orationum postulatione. Quoniam missi sunt a magnitudine vestra ad Imperium meum nuntii Deo placentis ordinis fratrum Minorum frater Hieronymus de Asculo, frater*

*ter Raymundus Berengarius, frater Bonagratia de S. Joanne in Perficeto, frater Bonaventura de Mugello; & obtulerunt literas magnæ sanctitatis vestræ Imperio meo, in quibus inter alia de confessione fidei, quam docet, & prædicat, & confitetur sancta Romana ecclesia, continebatur, & oportebat in his magis responsionem convenientem nos facere; ecce hoc facit Imperium meum. Habet autem professio fidei in dictionibus taliter: Credimus sanctam Trinitatem &c.* Concepta est iisdem omnino verbis atque illa, quam a Clemente IV. ipsi propositam jam ante adduximus, (*a*) ut propterea hic eam repetere supervacaneum sit. Suffecerit tantummodo non præterire controversa fidei capita perspicuis verbis professum, veluti processionem Spiritus sancti. *Credimus & Spiritum sanctum, plenum & perfectum, verumque Deum ex Patre Filioque procedentem.* Tum de sacramento Eucharistiæ. *Ex azymo conficit Romana ecclesia, tenens & docens, quod in ipso sacramento panis vere transubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi.* Tum de primatu Romanæ ecclesiæ. *Ipsa quoque sancta Romana ecclesia summum & plenum primatum, & principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare, & in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest judicium recurri: & eidem omnes ecclesiæ sunt subjectæ; ipsarum prælati obedientiam, & reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias cæteras ad solicitudinis partem admittit: quarum multas, & patriarchales præcipue, diversis privilegiis eadem Romana ecclesia honoravit: sua tamen observata prærogativa, tum in generalibus conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva suprascripta fidei veritate; prout plene lecta est & fideliter exposita. Veram, sanctam, & catholicam, & orthodoxam fidem cognoscimus, & acceptamus: & ore ac corde confitemur, quod vere tenet, & fideliter docet & prædicat sancta Romana ecclesia, inviolabiter observare eandem professionem, & in ea omni tempore perseverare, nec ullo unquam tempore ab ipsa discedere quoquomodo, aut deviare, vel discordare promittimus. Primatum quoque ejusdem S. R. E. sicut in præmissa serie continetur, ad ipsius sanctæ ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur & recognoscimus, acceptamus, & sponte suscipimus. Confitentes vero hæc, & approbantes, & acceptantes, & promittentes observare, ut superius dictum est, rogamus magnitudinem vestram, ut ecclesia nostra dicat sanctum symbolum, prout dicebat hoc ante schisma usque in hodiernum diem, & quod permaneamus in ritibus nostris, quibus utebamur ante schisma: qui scilicet ritus non sunt contra supradictam fidem, nec contra divina præcepta, nec contra vetus & novum testamentum, nec contra doctrinam sanctorum generalium conciliorum, & sanctorum receptorum per sancta concilia, quæ celebrata sunt a spirituali dominatione ecclesiæ Romanæ. Hoc igitur non grave est vestræ sanctitati, nec inusitatum, & nobis nunc difficile propter infinitam multitudinem populi, &c.* Quibus consentanea Andronicus suis literis est professus.

(*a*) *An. Chr. 1267. n. 75. usq. ad 79. excus. etiam typis to. 3. concil. par. 2.*

Spiritum S. procedere ex Patre Filioque.

Transubstantiationem in Eucharistia ex azymis.

Primatum Rom. Pontificis.

Aliarum ecclesiarum dignitatem ab ea pendere.

Postulat non immutari symbolum.

Nec ritus veteres pios.

XV. De Græcorum diffidiis.

Exarsisse sane inter Græcos controversias, refert Pachymerius (*b*) auctor schismaticus, cum ad ecclesiarum conjunctionem redintegrandam synodus coacta esset: adeo ut, cum Palæologus Imperator gravissimis sententiis ad eam ipsos pelliceret, carthophylax suam de Latinis sententiam jussus depromere, annuente patriarcha Josepho, impudenter has voces protulerit: *Aliqui dicuntur & sunt: alii nec sunt neque dicuntur: hi dicuntur & non sunt; & rursus alii sunt quidem, sed non dicuntur: in horum numero collocandi Latini, qui hæretici non dicuntur, sed manifestis hæresibus sunt inquinati.* Addit Pachymerius, abscedente ex synodo illa Palæologo, cum graviores ob proterviam hominis, quem ipse laudat, iras concepisset, patriarcham & sequaces in eos, qui catholice sentiebant, vesparum more involasse. Quam quidem dissentionem animorum Græci præsules, qui ab impio patriarcha discessere, Gregorio subjectis literis significarunt: & celebrata synodo, se ad supremum illius in omnes ecclesias imperium agnoscendum mutua conspiratione consensisse. [1]

(*b*) *Pachym. in hist. Græc. l. 5.*

Insignis hominis schismatici impudentia, Latinos hæreticos appellantis.

Potior antistitum pars schisma damnat.

*Sanctissimo, reverendissimo, & beatissimo*

XVI.

NOTÆ [1] Synodus illa Græcorum, in qua de utriusque ecclesiæ conjunctione deliberatum fuit, melius quidem ad præcedentem, quam ad præsentem annum referretur. Cum enim, teste Pachimere, Josephus patriarcha a synodo persuasus, ut ex literis patrum ejusdem concilii hic in annalibus legendis constat, in monasterium secesserit die secunda januarii anni 1274. huic



Eorum literæ ad Gregor.

*mo Papæ antiquo Romanorum domino Gregorio magno Pontifici excellentissimæ Apostolicæ sedis, & venerabilissimo domino & patri nostræ humanitatis; nos qui ecclesiasticam complemus ordinationem vestræ sanctissimæ ecclesiæ salutem, spiritualis subjectionis affectionem metropolita Ephesius, præhonoratus exarchus totius Asiæ cum ea, quæ circa me est, sancta synodo, &c.* Subiicitur prolixa series archiepiscoporum Asiæ, & Europæ, qui una cum suis suffraganeis & provincialibus synodis ad primatum Rom. Pontificis agnoscendum consensere. *Non solum nunc, sed prius beatissimæ & sanctissimæ vestræ ecclesiæ magnam faciebamus divisionem integritatis, & ecclesiarum Christi totaliter unitatem dilacerabamus, quomodo qui unius pastoris sumus, non in unum, & intra unum aggregamur ovile: nec unum replemus mandatum Christi; sed ea quæ sunt discordiæ magis eligimus, & bono pacis amisso invenire non quærimus illud, quod ex bono zelo nobis declarabatur: nullus autem erat, qui conjungeret omnes in unum, & sufflaret quasi ad unum flamen singulorum concordiam.* Pluribusque interjectis ad laudem Palæologi, qui studia ad redintegrandam ecclesiarum conjunctionem applicuerit, exceptisque apostolicis legatis synodum Græcorum coegerit; in qua alii paribus cum Imperatore votis concurrerint, alii dissenserint, demum vero imperialis diligentia eorum pertinaciam vicerit, atque in concordiam agnoscendi Apostolici primatus redegerit; subdunt.

XVII. Romani Pontificis primatum agnoscunt.

*Scitote, quod nos volumus, quod pontificalis sedis tota plenitudo cum toto venerabili clero, & omnibus officiariis, sacerdotibus, diaconis, & lectoribus sanctissimæ Ecclesiæ Dei conveniat in unum, ut attribuat prompte vestræ sanctitati & Apostolicæ sedi, quod ad honorem pertinet, nec alium primum & summum Pontificem ecclesiarum omnium nominaturi: sed antiquam internunciorum confectionem agnovimus, quam & patres nostri semper attenderunt toto præterito tempore usque ad tempus hoc; unde nostrum patriarcham & subsequenter omnes alios (quotquot convenerunt) ut in unum hæreant, & sedis ponerent concordiam obsecravimus. Ipse vero cum magna instantia, tenet, quod agnosci debet primus; & postea, ut indicat, non decidet ab ista voluntate, nec adhuc a prima sententia, quam tenet cum aliqua intentione mutatus est: unde & pluries nos prælati correximus ipsum: ipse nequidquam ad præsens adquievit.* Quibus vero dotibus homo pertinacissimus esset præditus, describit Nicephorus Gregoras, (*a*) impertissimum nimirum fuisse: *Josephus*, inquit, *vir canus, qui longo tempore in monte Gallesio monachum egerat, Græcarum literarum plane rudis & nimium simplex.* Quid vero ad edomandam illius arrogantiam & impietatem decretum sit subdunt præsules Græci. *Nos autem, & nobiscum potentissimus Imperator, injunximus illi a patriarchali sede recedenti omnino in una forma solitudinis manere, quæ sunt Constantinopoli monasteriorum, donec nuncii ad vestram sanctitatem accedant, & audiant sermonem vestrum: & si magnitudo vestra ita recipiat, deleget certos delegatos cum nostris reversis legatis.* Addunt sede motum iri patriarcham, si obduruerit in pertinacia, ecclesiæque Romanæ primatum agnoscere detrectarit. Quibus consentiunt, quæ Nicephorus Gregoras de eo tradit (*b*): *Patriarcha Josephus ea concordia repudiata, sede sua cessit, nec multo post relicta urbe se in archistrategi monasterium ad Bosphorum contulit. Hoc igitur proponimus, a Deo honorate domine, nos quos patriarchalis Constantinopolitanæ sedis sublimes pontifices cum omnibus, qui circa nos, venerabilibus clericis per hoc scriptum nostrum vobis conjungi habemus; qualiter si solum vestra magnitudo ea, quæ legationis sunt admittat, non est quod tempus teratur, & nos inclinamus prompte, & magnæ vestræ altitudini submittimus, & valde gratanter ea, quæ sunt spiritualis subjectionis totius asserimus: & nihil eorum denegamus, quæ ante schisma præstabant patres nostri his, qui Apostolicam regebant sedem; sed statim & nos attribuimus, &c.* Subjuncta est sacramenti forma, qua nuntius a concilii Constantinopolitani patribus missus sese obstricturus, fidemque orthodoxam professurus esset, iisdemque est concepta verbis atque ea, quam Gregorius acropo-

Josephi patriarch. contumaciam damnasse significant.

(*a*) *Niceph. Greg. hist. Rom. l. 4.*

Quæ fuerint ejus dotes.

Monasterio includitur.

(*b*) *Idem l. 5.*

NOTÆ hine recta consecutione deducetur synodus ante eam diem, adeoque labente anno 1273. cœpisse.

Quæ vero annalista hic num. 16. notat de literis ad pontificem missis ab archiepiscopis Asiæ, & Europæ cum suis suffraganeis & provincialibus synodis non ita accipienda sunt ac si in provinciis singulis concilia in eam rem celebrata fuerint. Nam illud quod in iisdem literis legitur: *Metropolita Ephesinus cum ea, quæ circa me est, sancta synodo*, & sic ab aliis omnibus metropolitis exprimitur; id, inquam, non significat provincialem aliquam synodum, quam singuli metropolitæ in suis provinciis habuerint; sed unum eundemque, suffraganeorum cum metropolitanis suis consensum. Hinc alii ommissa *synodi* voce subscribunt: *Metropolitanus Heracleæ Ponti cum iis qui circa me sunt episcopis*; idest cum suffraganeis meis. MANSI

polita Palæologi Imperatoris nomine nuncupavit. (a)

(a) Cod. MS. bibl. Vallic. fig. lit. D. 1. pag. 155. & tom. 3. conc. 2. p. 2. in conc. Lugdun.

*Ego Georgius acropolita & magnus logotheta, nuncius domini Imperatoris Græcorum Michaelis Ducæ, Angeli, Comneni, Palæologi, habens ab eodem sufficiens ad infrascripta mandatum, omne schisma prorsus abjuro; & subscriptam fidei veritatem, prout plene lecta est & fideliter exposita, in nomine dicti domini mei veram, sanctam, catholicam & orthodoxam fidem esse cognosco. Eam accepto, & corde & ore profiteor, ipsamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Rom. Eccl. ipsam inviolabiliter servaturum; nec ab ea ullo unquam tempore recessurum vel quoquomodo deviaturum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Rom. ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam, nomine ipsius, & meo spontaneus veniens, pro ipso, & pro me fateor, recognosco, accepto, ac sponte suscipio; & ipsum omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa ejusdem ecclesiæ Rom. primatum; & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam, ac præsentiam, servaturum, præstito in animam ipsius & meam corporaliter juramento, promitto & confirmo; sic ipsum & me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia, &c.* Præsulum etiam Constantinopolitanæ synodi triginta sex nimirum Asiæ & Europæ metropolitanorum, ac suffraganeorum nomine orator simili jurejurando se obstrinxit. Quibus perfectis, præcinente Pontifice hymnum; *Te Deum laudamus;* denique Græcis Latinisque verbis fidei orthodoxæ forma, repetita bis professione processionis Spiritus sancti a Patre & Filio, decantata est.

Forma sacramenti qua damnatum est schisma a Græcis.

XIX. Pontifex significat Palæologo Rom. eccl. fuisse aggregatum.

Quanto porro applausu ac tripudio concilii Palæologus sinu Ecclesiæ exceptus fuisset, suis literis v. kal. aug. datis Lugduni expressit Pontifex (b).

(b) Lib. 3. ep. cur. 10. extat. etiam in concil. Lugd.

*Charissimo in Christo filio Palæologo Græcorum Imperatori illustri.*

*Occurrentes tibi de regione dissimilitudinis redeunti collo tuo brachiis paternæ affectionis accumbimus, & te solidæ charitatis osculo pressius osculamur. O utinam tibi, fili, pateret ad plenum, cum quanto in his occurrit tripudio eadem Ecclesia nuper in Lugdunensi concilio congregata! O si voces psallentium inibi, Deumque flexis genibus & nudatis capitibus laudantium præcipue prælatorum, in tuis sonuissent auribus, & revelata facie ipsorum oculos, deducentes quasi aquarum exitus, inspexisses! profecto prudenter adverteres, quod erant eorum lacrymæ tam excussi doloris indices, quam adeptæ lætitiæ proditrices. Nec minus intelligeres quam grati tui advenerint nuntii: quam fuerint gratanter accepti; cum quanto etiam jubilo tua professio acceptata. Exulta igitur & tu, fili, exulta & lætare in eo, qui est splendor lucis æternæ, divinæ quædam emanatio claritatis: qui tuum sic animum suo lumine illustravit, ut lumen veritatis intelligens, non solum redires ad illam, sed ad redeundum aliis dux & prævius effici mereteris. Exulta & gaude talem ac tantum jam datum laboribus tuis effectum, ut & de tuo ad sinum unitatis ecclesiasticæ reditu indubitatum expectare valeas præmium, & de aliis per te redeuntibus tibi plenioris debeatur retributionis augmentum. Persta ergo, & quod cœpisti, solicite cum omni diligentia & solicitudine prosequaris; efficacem pro posse daturus operam, ut nec in aliquibus ejusdem schismatis reliquiæ qualescumque supersint, &c. Dat. Lugduni v. kal. aug. anno III.*

Quanta lætitiæ exuberantia perfecta sit ecclesiarum conjunctio.

XX. Et Andronico heredi Imperii data monita.

Eodem argumento ad Andronicum Palæologi majorem natu filium scripsit (c): *Magnitudinem tuam monemus & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus in præmissis, sicut discrete scripsisti, tui genitoris inclyti laudabili proposito nobis per ejus & tuas expresso literas constanter adhærens, totis viribus satagas, ut antiquati schismatis aboleantur omnino reliquiæ; sitque Latinorum & Græcorum unitas perpetuis temporibus inconcussa. Dat. Lugduni v. kal. aug. anno III.* Hortatus etiam præsules est, (d) ut curas omnes in traducendis ad ecclesiam schismaticis aliis defigerent, atque Imperatori consilio & opera adeessent: *Vos, fratres & filios monemus, & hortamur in Domino Jesu Christo, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatenus ad perfectionem solidam incœptorum totis viribus satagentes, ejusdem schismatis abolere studeatis omnino reliquias; abiicientes oves morbidas, ne gregem valeant contaminare dominicum, aut fidei e vobis noviter agnitæ, in vestris cordibus inficere puritatem. In his autem exequendis utilius, & efficacius adimplendis eidem principi constanter & fideliter adhærete, ipsum fulcite consiliis, & auxiliis adjuvate. Decet enim vos, prælatos præcipue, qui constituti estis in specula veritatis, lumen aliis ostensuri aberrantes de tenebris errorum educere, devios in viam rectitudinis revocare, ut vobis adimplentibus officii debitum æterni plenitudine præmii vestrorum laborum exitus compleatur.* Mox abbatem Cassinensem in orientem misit, (e) qui de induciis inter Palæologum, Philippum Imp. Constantinopolitanum, ejusque socerum Carolum ineundis agitaret. Quæ vero deinde a Græcis gesta sint, subiiciemus inferius: nunc de Tartarorum Regis oratoribus dicamus.

(c) Ib. ep. 11.

(d) Ep. 12. Præsules Græcos solicitat in populis ad conjunctionem adducendis studium explicent.

(e) Ep. 13. Abbas Cassinensis missus in orientem ad tractandam inter Palæol. & Philippum pacem.

Pro-



XXI. Abaghæ Regis Tart. oratores ad conc. Lugd. accedunt.

Nonnulla Abaghæ gesta.

Productí sunt in superiori sessione quarta Abaghæ in Perside ac finitimis regnis imperantis oratores, lectæque ejus de conjungendis cum Christianis adversus Saracenos armis propagandaque pietate literæ: quæ ingenti lætitia patrum animos implevere, cum fidem Christianam felicissime inter barbaros disseminatum iri, evertendamque eorum armis Saracenorum tyrannidem, ac superstitionem, spes affulgeret. Contundebat enim armis Bendocdarem Sultanum Abagha, atque occidentalium vires sibi conjungere optabat; cujus nonnulla facinora insignia ex Aytono ad illustrandam historiam adducemus: *Abagha*, iniquit, (a) *pacem composuit cum vicinis, suis qui longo tempore sibi fuerant inimici. Tunc vero temporis Soldanus Ægypti ingressus fuit regnum Turquiæ, & ibi multos Tartaros interfecit, & de pluribus villis fugavit eosdem. Nam quidam Saracenus, qui Paruana vocabatur, erat in regno Turquiæ capitaneus Tartarorum: & iste, rebellis effectus contra Abagham, conabatur Tartaros omnes perdere & fugare. Abagha vero hoc audiens equitavit ita prospere, quod quadraginta dietas in quindecim dierum spatio peregerit. Soldanus Ægypti audiens adventum Tartarorum, subito de regno Turquiæ recessit, nec fuit ausus ulterius expectare: non tamen potuit ita celeriter arripere iter suum, quin Tartari, qui velociter sequebantur, attingerent exercitus sui finem in introitu regni Ægypti in quodam loco vocato Pasblanck. Irruentes itaque Tartari in posteriori custodia exercitus ceperunt duo millia equitum Saracenorum, & divitias multas acquisiverunt: & ceperunt etiam quinque millia domos Cordinorum, qui in illa regione degebant. Perveniente vero Abagha usque ad confinia terræ Ægypti, consultum erat sibi, ne ultra progrederetur, propter æstum: terra enim illa est calida ultra modum, & Tartari & eorum animalia, quæ a longe venerant festinanter, non potuissent pondus ferre laboris & æstus. Unde Abagha rediit in Turquiam, & fecit dissipari & destrui omnes terras, quæ rebelles extiterant, & reddiderant se Soldano. Paruanam vero proditorem cum suis sequacibus juxta morem Tartarorum per medium fecit scindi, & jussit quod in omnibus cibis, quos erat comesturus, poneretur de carne illa Paruana proditoris; de qua comedit Abagha, & dedit suis proceribus comedendum: & talem ultionem sumpsit de Paruana proditore Rex Abagha.*

(a) Ayton. hist. Orien. c. 34.

Illius in Turciam irruptio.

Extrema Bendocdaris acies cæsa.

Recuperata Turciæ.

Paruanæ proditoris supplicium.

XXII. (b) Id. ib. c. 35.

*Postquam ergo (b) Abagha de regno Turquiæ sua vota complevit, & Tartari fuerunt repleti prædis & divitiis, quas acquisiverant contra rebelles & Saracenos; vocavit ad se Regem Armeniæ & sibi obtulit regnum Turquiæ, eo quod pater suus & ipse semper se gesserant fideliter erga dominium Tartarorum. Rex vero Armeniæ tanquam sapiens & discretus de tanto dono obtulit Abaghæ multas grates, & a retentione regni Turquiæ se curialiter excusavit, asserens se non posse sufficere ad duo regna commode gubernanda: nam Soldanus Ægypti erat in integro posse suo, & ad gravamen regni Armeniæ toto conamine intendebat: quare satis sibi facere videbatur, si ad defensionem regni Armeniæ poterat consilium adhibere. Consuluit tamen Rex Armeniæ, ut Abagha de regno Turquiæ taliter ordinaret, antequam recederet, quod de rebellione nullatenus dubitaret, & nulli Saraceno daret dominium in Turquia. Abagha quidem acceptavit Regis consilium, & nunquam postea voluit quod Saraceni in illis terris dominium obtinerent. His itaque completis Rex Armeniæ requisivit & rogavit, quod Abagha vellet intendere ad liberationem Terræ sanctæ & ipsam eruendam de manibus paganorum. Hoc Abagha promisit facere toto posse: & consuluit, quod Rex nuntios suos misit ad Papam, & ad alios dominos & principes Christianorum pro subsidio Terræ sanctæ.*

Turcia Livoni Regi Armeniæ oblata.

Saraceni dominatu pulsi. Pollicetur Abagha Terram S. Christianis armorum vi restituere.

Initiatus (c) est sacris baptismalibus Abaghæ orator una cum duobus prænobilibus Tartaris a Petro Card. episcopo Ostiensi, qui postea in pontificatu Innocentii V. nomen accepit, paulo ante sessionis V. celebritatem: quos Gregorius pretiosissimis vestibus donavit. Datis vero jam ante ad Abagham literis ipsum ad Christi cultum allicere conatus, oratores, antequam iniretur expeditio missurum pollicitus est (d).

Abaghæ orator baptismo instratus Lugduni.

(c) Hist. concilii Lugd. II. tom. 3. part. 2.

(d) Lib. 4. ep. cur. 209. ext. in dicto to. conc. Lugd.

*Abaghæ Regi Tartarorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

XXIII. Gregorii ad Abagh. lit.

*Excellentiæ tuæ literas & nuntios latores ipsarum, quorum alterum postmodum fors, ut dicitur, humana subduxit, ad nostram præsentiam venientes, una cum sacro concilio adventus eorum tempore in nostra præsentia congregato; in quo, sicut per superstitis relationem intelligere poteris, principum & prælatorum multitudo copiosa & veneranda convenit; cum animi lætitia & vultus serenitate recepimus: & literis in communi perlectis, ac nuntiis ipsis benigne in omnibus, quæ proponere voluerunt, auditis; corde contrito & humiliato spiritu exoravimus & exoramus Altissimum, ut ipse qui est lux vera, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, tibi & tuis sua pietate concedat, sic semper in lumine vultus sui lumen veritatis agnoscere, quod in suis beneplacitis ambulantes, ad exaltationem fidei Christianæ, vestramque salutem indefesso proposito intendatis. Caterum*

Ad fidem Christi amplectendam hortatur.

*terum super iis, quæ per nuntios & literas prædictas tua magnificentia intimavit, ante Christiani exercitus ad transmarinas partes adventum disponimus ad tuam præsentiam legatos nostros, prout opportunitas permiserit, destinare: qui & magnitudini tuæ ad illa plene respondeant, & te nihilominus ad alia, quæ, si aures illis exauditionis præstiteris, tuam tuorumque salutem & utilitatem communem respicient, solerter inducant. Dat. Lugduni* III. *id. martii anno* III. At de his hactenus: jam ad synodalem historiam redeamus (*a*).

(*a*) Ext. apud Greg. l. 3. n. 102. & to. 3. conc. part. 2.

XXIV. Constitutiones de creatione Rom. Pont. editæ.

Inchoata sessione quinta, nonnullas constitutiones promulgavit. Primum ad arcenda ex diuturna sedis vacatione mala, quæ Christianum orbem post Clementis IV. obitum misere afflixerant, sancita ab Alexandro tertio aliisque prædecessoribus corroboravit: adjecitque ut elapsis a Pontificis morte diebus decem, sive accederent Cardinales alii, sive non, secretum conclave ingrederentur, qui singulos tantum clericos laicosve ad familiare obsequium adducerent; obseptis undique omnibus aliis aditibus, ut nec cum aliquo colloqui, literasque excipere, intentato in legis violatores anathemate, possent: cumque tres effluxissent dies, sequentibus aliis quinque uno tantum ferculo contenti essent: quibus præteritis vinum, panis, & aqua ipsis tantummodo apponerentur; nec aliquid e pontificio ærario acciperent, donec Pontifex renuntiatus esset: supersedere etiam omnibus aliis negotiis jussit; ni forte aliqua adeo urgens necessitas instaret, ut ipsi e vestigio occurrendum videretur, sed hæc ex Pontificia constitutione libet decerpere (*b*): *Hoc sacro concilio approbante statuimus, ut si eundem Pontificem in civitate, in qua cum sua curia residebat, diem claudere contingat extremum, Cardinales, qui fuerint in civitate ipsa præsentes, absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur: quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes conveniant in palatio, in quo idem Pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo servientibus, clericis vel laicis, prout duxerint eligendum: illis tamen, quibus patens necessitas id suggerit indulgeri, duos habere permittimus, ejusdem electionis arbitrio reservato. In eodem autem palatio unum conclave, nullo intermedio pariete seu alio velamine, omnes habitent in communi: quod, servato libero ad secretam cameram aditu, ita claudatur undique, ut nullus illuc intrare valeat vel exire. Nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat vel facultas secrete loquendi cum eis: nec ipsi aliquos ad se venientes admittant; nisi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium, nihil præsentium, pro iis tantum, quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur.*

(*b*) Regest. Gregor. X. pag. 104. to. conc. 3. par. 2.

De cardinalibus conclavi includendis.

XXV. Vetitum iis nuntium aut literas mittere.

*Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nuntium mittere vel scripturam. Qui vero contra fecerit, scripturam mittendo vel nuntium, aut cum aliquo ipsorum secreto loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. In conclavi tamen prædicto aliqua fenestra competens dimittatur, per quam eisdem Cardinalibus ad victum necessaria commode ministrentur: sed per eam nulli ad ipsos patere possit ingressus. Verum si, quod absit, infra tres dies, postquam, ut prædicitur, conclave prædictum iidem Cardinales intraverint, & non fuerit ipsi Ecclesiæ de pastore provisum, per spatium quinque dierum immeditate sequentium singulis diebus, tam in prandio quam in cœna, uno solo ferculo sint contenti: quibus, provisione non facta, decursis, ex tunc tantummodo panis, vinum & aqua ministrentur eisdem, donec eadem provisio subsequatur. Provisionis quoque hujusmodi pendente negotio, dicti Cardinales nihil de camera Papæ recipiant, nec de aliis eidem Ecclesiæ tempore vacationis obvenientibus undecumque: sed ea omnia, ipsa vacatione durante, sub ejus, cujus fidei & diligentiæ camera eadem est commissa, custodia maneant, per eum dispositioni futuri Pontificis reservanda: qui autem aliquid receperint, teneantur ex tunc a perceptione quorumlibet redditum ad ipsos spectantium abstinere, donec de receptis taliter plenariam satisfactionem impendant. Iidem quoque Cardinales accelerandæ provisioni sic vacent attentius, quod se nequaquam de alio negotio intromittant: nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, quod eos oporteret de terra ipsius Ecclesiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere: vel nisi aliquod tam grave, tam evidens periculum immineret, quod omnibus & singulis Cardinalibus præsentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum.*

Lapso triduo pane, vino, & aqua contenti esse jussi.

Decretum ex ærario apostolico nil recepturos.

Aliis negotiis se implicare vetiti.

XXVI. Quo casu sint conclavi exituri.

*Sane si aliquis de prædictis Cardinalibus conclave prædictum, ut supra exprimitur, non intraverit; aut intrans absque manifesta causa infirmitatis exierit, ipso minime requisito, nec in ejusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum substituendum Pontificem libere procedatur. Si vero, infirmitate superveniente, idem conclave aliquem ex eis exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante, poterit ejus suffragio non requisito procedi: sed si ad alios post sanitatem sibi redditam, seu antea redire voluerit; vel etiamsi alii absentes, quos per decem dies diximus expectandos, supervenerint re integra, videlicet antequam eidem Ecclesiæ sit de pastore provisum; in eo-*



*dem negotio in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittantur, præmissa tam de clausura quam de servientibus, cibo ac potu, & reliquis cum aliis servaturi. Porro si quando Romanum Pontificem extra civitatem prædictam, in qua erat cum sua curia residens, contigerit ab hac luce migrare, teneantur Cardinales in civitate, in cujus territorio seu districtu idem Pontifex obiit, convenire: nisi sit forsitan interdicta, vel contra ecclesiam Romanam in aperta rebellione persistat: quo casu in alia viciniori conveniant, quæ similiter nec interdicto subjaceat, nec sit, ut prædicitur, aperte rebellis. In hac etiam civitate tam quoad expectationem absentium, quam quoad habitationem communem, clausuram, & cætera omnia in domo episcopali, vel alia qualibet eisdem Cardinalibus deputanda, eadem observentur, quæ superius, obeunte dicto Pontifice in ea, in qua cum sua residebat curia, sunt expressa.*

XXVII. Sacramenta a Card. de eligendo aliquo data vi carere declarantur.

Cum vero interdum eligentium libertas pactis, aliisve conventionibus, implicitis expressisve, infringi soleret, divini illis judicii terrorem incussit; atque omnia hujusmodi fœdera, promissave etiam sacramento confirmata convulsit, ut in ea re datam turpiter fidem non servare, laudi non vitio vertendum sit: *Nos nihilominus pactiones, conventiones, obligationes, condicta, & intendimenta omnia; sive juramenti, sive cujuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, cassamus, irritamus, & viribus decernimus omnino carere: ita ut nullus ad illa observanda quomodolibet sit astrictus, nec quisquam ex eorum transgressione notam vereatur fidei non servatæ; sed non indignæ laudis titulum potius mereatur: cum lex etiam humana testetur, Deo magis transgressiones hujusmodi, quam jurisjurandi observationes acceptas.* Hanc constitutionem cum ante Gregorius Cardinalibus ostendisset, duriorem sibi legem imponi questi sunt; & controversia paulo post in publicum erupit, cum Pontifex præsules sine Cardinalibus ad se excivisset: e contra Cardinales præsules suæ nationis cogerent, atque ab iis consilium auxiliumque flagitarent. Sed Gregorius demum, vocatis præsulibus, primum objecto anathemate consilia sua aliis pandere vetuit; iisque expositis, assensum ab iis elicuit, qui etiam sigilla constitutioni apposuere; sparsæque mox per regna & provincias literæ extant de his in libro (*a*) privilegiorum Romæ ecclesiæ patriarcharum Constantinopolitani, Antiocheni, & Gradensis; tum inter insignia monumenta, quæ Platina jussu Sixti IV. collegit, (*b*) archiepiscoporum & episcoporum Franciæ, Provinciæ, (*c*) & Arelates, Germaniæ, (*d*) Angliæ, (*e*) Italiæ, (*f*) Hispaniæ; (*g*) quæ insuper literæ in Adrianæ molis archivo asservantur: in nostro vero Vallicellano MS. (*h*) tum ex his nonnullæ, ac præterea supremorum abbatum Cluniacensis, Cisterciensis, & Præmonstratensis ordinum. Ut vero quæ a tot tantisque patribus in concilio œcumenico fuerant confirmata laudataque ab universa Ecclesia, ad Cardinalium gratiam a Joanne XXI. qui magnam inde sibi conflavit invidiam, abrogata sint, dicetur inferius.

Cardinales Pontifici frustra obluctantur. Gregorius cum præsulibus rem sancit.

(*a*) Lib. privil. Rom. eccl. MS. Vatic. to. 3. pag. 281. & MS. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 300.
(*b*) MS. Vat. to. 1. pag. 93.
(*c*) Ib. pag. 92.
(*d*) Pag. 95.
(*e*) Pag. 97.
(*f*) Pag. 100.
(*g*) Pag. 105.
(*h*) MS. Vallic. sig. lit. B. n. 12. pag. 557.

XXVIII. S. Bonaventuræ obitus. Petrus Ostiensis ep. ejus laudes celebrat.

Inter hæc extinctum est maximum collegii Cardinalium, immo totius Ecclesiæ Dei, quam sua sanctitate ac scientia collustrabat, lumen S. Bonaventura Card. episcopus Albanensis, id. julii: eodemque die, qui fuit dominicus, in ecclesia Minorum, effuso omnium luctu, sepulcro elatus. Funebrem habuit in ejus laudem orationem Petrus e Tarantasia Ostiensis episc. proposito argumento: *Doleo super te, frater mi Jonatha.* Insigne hoc de ipso elogium refert S. Antoninus: (*i*) *Tanta bonæ indolis honestate pollebat, ut magnus ille Alexander de Ales supradictus diceret aliquando de ipso, quod videbatur Adam in eo non peccasse.* Eadem narrant Martinus Suessanus (*k*) ac Sixtus Senensis (*l*), qui ut plures alii, librorum ejus catalogum texit: in quibus pietate non minus affici, quam doctrina refici lector experitur; unde hæc de ipso recolit Ecclesia (*m*): *Multa scripsit, in quibus summam eruditionem cum pari pietatis ardore conjungens, lectorem docendo movet.* Et infra: *Eundem adhuc viventem B. Thomas Aquinas sanctum appellavit: cum enim vitam S. Francisci scribentem comperisset: Sinamus, inquit, sanctum pro sancto laborare.* Cæterum quamvis amplissimis naturæ & gratiæ donis esset ornatus; adeo tamen demisse de se sensisse scribit sanctus Antoninus, (*n*) ut divinam rem interdum peragere non auderet: Christum vero insigni miraculo amantem suum desiderio sui colliquescentem cœlesti pabulo refecisse: *Cum per multos dies, se indignum communione corporis Christi reputans, minime celebrasset, Dominus humilitatem ejus respiciens, cum una die missam audisset devotius, ad ejus confortationem una de particulis hostiæ consecratæ, etiam pro sacerdote divisæ, solo Domini jussu, in os ejusdem generalis intravit, & ipsum gustu suavissimo saginavit.*

(*i*) S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 8. in princ.
(*k*) Apud Sur. to 4. die 14. Jul.
(*l*) Six. Senen. bibl. l. 4. Possev. Bellar. & alii.
(*m*) In offic. div. lect. 5. S. Bonav. eximiæ dotes. Insignis ejus demissio.
(*n*) Anton. 3 p. tit. 24. c. 8. §. Ut sacra Eucharistia divinitus refectus sit.

XXIX.

Illustrata est post mortem pluribus miraculis ipsius sanctitas, quæ toto orbe pervagata Sixtum IV. adduxit, ut solemnes ei sanctorum honores decerneret: (*o*) apud quem, cum Martinus Suessanus orationem haberet, recensitis aliquot prodigiis, id subjunxit; *Non committam ut silentio transeam stupendum ac memora-*

(*o*) An. 1482. extat. apostol. diplom. in Bullar. in Six. IV.

A Sixto IV. sanctorum catalogo appositus.

Lingua ejusdem sancti corruptionis expers.

*rabile quiddam, quod omnipotens Deus ad perhibendum certum testimonium sanctitatis viri in illius venerabili corpore pro sua clementia monstrare dignatus est. Dum idem venerabile corpus transferretur ad novam ecclesiam ad tit. S. Francisci Lugduni erectam centesimo & sexagesimo sui obitus anno, reliqua corporis parte alioquin exesa atque corrosa, caput tamen solidum capillamentum habens, labia, dentes & lingua in nullo a vitali statu, aut colore demutata reperta sunt. Erat profecto divinæ clementiæ illud os a putrefactione servare, quod ad salutem fidelium atque in divinis laudibus semper fuerat operosum, &c.* Qui plura de eo cupiat, Wadinghum (*a*) consulat. Cæterum Gregorius de illius animæ statu solicitus, si quas in purgatoriis flammis expiandas labes haberet, totius orbis præsulibus in sessione quinta imperavit, ut missam pro illius anima celebrarent; alteram pro iis, qui arrepto ad concilium itinere e vivis discessissent. Ex eo numero extitit S. Thomas, quem ad synodum exciverat Gregorius, cum illius sanctitatis doctrinæque gloria late in Dei Ecclesia efflorescceret, ut ejus opera in sacro illo cœtu uteretur. Testatur hoc, ut alios omittamus, S. Antoninus (*b*); qui ipsius doctrinam cœlesti voce confirmatam addit.

(*a*) Luc. Vad. in annal. Min. hoc ann.

Preces a Greg. pro ipso & iis qui in itinere Lugdunen. obierant, indictæ.

(*b*) Antonin. tit. 23. c. 7. §. II. Sur. in ejus vit. to. 2. die 7. mar.

XXX. De S. Thoma excito ad concilium.

*Anno Domini MCCLXXIV. mandatum sibi fuit a Gregorio X. ut ad concilium Lugdunense, tunc celebrandum, accederet propter eminentem ejus scientiam; secumque deferret librum, quem de mandato Urbani IV. fecerat contra errores Græcorum, de quibus erant in dicto concilio, ad quod fuerant vocati, arguendi rationibus efficacibus. Ante tamen quam iter sumeret, in conventu sancti Dominici Neapoli existens, cum quadam nocte ante imaginem crucifixi in ecclesia devotius oraret, a quibusdam eum observantibus visus est a terra elevatus cubiti spatio: auditaque est vox de Crucifixo: Bene scripsisti de me Thoma; quam ergo mercedem a me recipies? Non aliam Domine, inquit, nisi te ipsum. Per quod dabatur intelligi laboribus ejus & vitæ terminum imponendum, prout evenit. Nam recedens ex Neapoli versus Romam, cum transiret per Campaniam ad quoddam castrum, applicuit, quod erat neptis suæ dominæ Franciscæ, languere incœpit.* Et infra: *Post aliquod dies paululum convalescens prosecutus est iter & transiens juxta monasterium Fossæ novæ ordinis Cisterciensis prope Pipernum castrum, invitatus est devote ab abbate & monachis prædicti monasterii ad quiescendum ibidem, donec perfectam recuperaret sanitatem: quod & acceptavit. Et visitatio dictari ecclesiæ cum orationibus, ingressus clausirum dixit ad socium Reginaldum: Hic habitabo; prænuntians ei terminum vitæ suæ.* Et infra: *Crescente languore, & corporis virtute deficiente, petiit sibi afferri venerabile sacramentum Eucharistiæ, cui occurrit, ut potuit, prostratus in terram: requisitusque, ut mos est ecclesiasticæ disciplinæ, an crederet quod in illa hostia consecrata esset verus Dei Filius natus de Virgine, passus pro nobis, resurgens a mortuis, &c. libera voce attenta devotione cum lacrymis respondit: Si major scientia quam fidei integritas & ineffabilis ejus veritas in præsenti exilio de hoc sacramento haberi potest, in illa respondeo: quia vere scio hunc esse verum Deum & hominem, æterni Patris & Virginis matris Filium dominum nostrum Jesum Christum: & sic puro corde credo, & ore confiteor. Sic itaque devote & cum lacrymis accepit illud vivificum sacramentum. Sequenti die recepit sacramentum extremæ unctionis, respondens sana mente ad singulas unctiones. Exinde junctis manibus, spiritum suum commendans Creatori suo, obdormivit in Domino hora matutinali non. martii anno Domini MCCLXXIV. ætatis vero suæ quinquagesimo inchoante.*

Morbo corripitur in itinere.

Insignis illius in Eucharist. pietas.

XXXI.

(*c*) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 29. 31. 22. 24. Leand. de vir. illustr. ord. Præd. lib. 4. Sixt. Sen. l. 4. bibl. Possevin. Bellarm. & alii.

Agit de ejus præclarissimis lucubrationibus inter alios innumeros Ptolomæus Lucensis, (*c*) ipsius discipulus: qui, ut alios plures prætereamus, prodit historiæ, ipsum in extremo vitæ actu omnia scripta Ecclesiæ censuræ Christiana demissione subjecisse; ac miraculum insigne in eo patratum suis spectasse oculis, refert (*d*): *Cæterum quod vidi*, inquit, *de ipso ad indicium sanctitatis ejus tacere non debeo. Cum enim ego cum ipso venirem de Roma, declinavit * Molambriam ad castrum domini Richardi Cardinalis: ibique præfatus doctor infirmatus est de tertiana, socius vero suus frater * Rinaldus de continua gravi: & cum non apparerent in eo signa cretica, medici domini Richardi male judicabant de ipso. Tunc venerabilis doctor recepit reliquias beatæ Agnetis, quas ex devotione secum ferebat de Urbe, & misit dicto fratri, quod super se poneret, & haberet fidem plenam in eis: quod & fecit, & curatus ultra spem omnium medicorum. Propter quam disposuerat singulis annis facere festum solemne de ipsa cum bona refectione fratrum; quod & illo anno fecit Neapoli. Sequenti vero transiit ad Deum.* Ingentibus post mortem fulsit miraculis, quæ illius sanctitatem in luce collocarunt; inter quæ non prætereundum, ex ejus corpore omnis experte corruptionis suavissimum odorem efflasse. (*e*) Aucta vero dein in dies ejus gloria, a Joanne XXII. sanctorum catalogo adjectus est; (*f*) cujus amplissima elogia, ver-

(*d*) Ptol. Luc. l. 23. c. 10.

* Molariam

* Reginaldus

Patratum in eo miraculum.

Illustrata pluribus miraculis ejus sanctitas.

(*e*) S. Anton. ubi sup. §. 13.

(*f*) An. 1323. extat ea de re apostol. diplom. in bullar. in Joan. 22.



(*a*) Baron. in Not. ad Martyr. Rom. die 7. mart.

Ejusdem elogium.

Ut ob ingentia miracula sanctorum catalog. adjectus sit.

Qui non approbati a sede Ap. dissolvi jussi.

Monita præsulibus data.

verbis Card. Baronii (*a*) absolvimus: *Vix quisquam enarrare sufficeret, quot vir sanctissimus atque eruditissimus theologorum præconiis celebretur: quantumque ejus illibatæ doctrinæ a sanctis patribus, in sancto œcumenico concilio considentibus, fuerit acclamatum; jureque ob eam causam sanctissimæ memoriæ Pio V. Romano Pontifice inter celebriores doctores Ecclesiæ fuit annumeratus, dum hujus diei celebritatem iisdem sacris solemnibus peragi voluit, quibus Bonifacius VIII. Papa sanctorum quatuor doctorum Gregorii, Ambrosii, Augustini, & Hieronymi festivitates celebrandas constituit.* Sed ad sessionis quintæ historiam, a qua deflexit oratio, redeamus.

XXXII. Lata plura optima decreta in sessione quinta.

(*b*) Cap. Si forte Regest. Greg. pag. 104.

(*c*) Cap. Sciant cuncti Reg. ibid.

(*d*) Cap. Si canonici Reg. pag. 107.

(*e*) Ibid.

(*f*) Cap. Absolutionis beneficium.

(*g*) Altercationis ant. Reg. p. 10.

(*h*) Cap. Usurarum voraginem Reg. pag. 109.

(*i*) Cap. Decet domum Domini Regest. pag. 108.

XXXIII.

(*k*) Cap. Constitutionem Reg. pag. 109.

Novi ordines relig. institui vetiti.

(*l*) Cap. Religionum diversitatem pag. 108.

Præter constitutionem de Romani Pontificis electione editam sanxit alias Gregorius, quæ sexto decretalium libro insertæ sunt, ut si (*b*) vitium aliquod insigne electo obiiceretur, illud in examen vocaretur; ac si veritate foret destitutum, adversario persequendæ ulterius causæ omnis facultas abscinderetur, deque accusatoribus pœnæ debitæ sumerentur: vincerentur anathemate, (*c*) qui clericos ob non electum, quem ab iis flagitarant, infestarent, eorumve, aut ecclesiæ bona expilarent (*d*). Ne a rebus divinis possent canonici abstistere, antequam rationes ipsorum coram ordinario judice probatæ essent. Frænari jussus (*e*) eorum abusus, qui cruces imaginesque, cum cessabatur a divinis, prostratas urticis spinisque supponebant. Ne (*f*) anathematis vinculis soluti essent ii, qui absolutionem vi extorquerent; immo novo anathemate irretiti. Ne bigami (*g*) tonsuram vel habitum clericalem, quod ante diu in contentionem venerat, deferre possint; aut privilegio clericorum potiri. Ne (*h*) usurarii in Christianorum terris habitare permittantur. Ne in ecclesiis (*i*) indigna loci majestate patrentur. Interfint omnes quo decet pietatis sensu ac religione incruento missæ sacrificio; ac pronuntiato augustissimo nomine Jesu, caput ex pietate inflectant. Vibratæ etiam in eos censuræ, (*k*) qui moniti ab excommunicatorum consortio non abstinerent.

Gregorii studia pro adducendis in opus piis consiliis.

(*m*) Lib. 3. ep. cur. 19.

XXXIV. Philippo Regi Francorum crucem indulsse gratulatur.

Habita est sexta eaque ultima sessio XVI. kal. augusti, in qua ob nimiam religiosarum familiarum varietatem, quæ in dies foboleſcebant, novum ordinem institui vetuit. Pontif. dissolvique jussit (*l*) ea sodalitia, quæ ab Apostolica sede confirmata non fuissent. Tum invectus est in præsules, qui populos exemplis pravis inficiebant qui si vitæ sanctitate cæteris prælucerent, constitutiones eas edere opus non esset: ac se in eos durius animadversurum comminatus, hortatus est ut ad defœcandos mores sedulo incumberent; idoneos ecclesiis præficerent parochos: nec suis pastoribus viduas tamdiu lugere ecclesias paterentur, unde gravissimæ damna in populos emanarent. Denique feliciter cœptum Terræ sanctæ opus; Græcorum vero ad exitum perductum gratulatus. Deoque fusis precibus ac laudibus decantatis concilium dissolvit: moxque apostolicas curas ad mandanda operi omnia, quæ in synodo erant decreta, convertit. Cum vero ad instaurandas Syriæ lapsas res maxime indicta fuisset, ad conficiendos bellicos apparatus animos applicuit: ac Philippo Francorum Regi, qui ex Tunetana expeditione reversus abjectum crucis symbolum resumpserat, seque iterum Asiaticæ accingebat, est gratulatus (*m*). *Nuper, ipso Domino adiiciente quamplurimum in spem salutis hujusmodi, tu attendens, quod licet cum inclytæ recordationis Ludovico Francorum Rege patre tuo, post illa rerum personarumque dispendia, quæ idem pater in terra ipsa pro eausa pertulit supradicta, iter arripueris in ejusdem terræ subsidium transfretandi; tamen, quia eodem patre tuo ad eum, cujus insistebat obsequiis, per naturalis mortis occasum, quasi per viam salubris compendii properante, tu de partibus Africanis, ad quas declinari videbatur utilitas negotii suasisse, ad propria non completo voto una cum ipso exercitu variis causis urgentibus rediisti; deliberasti demum voto priori insistere, depositam resumere crucem, ac te ad intermissam voti executionem termino congruo regali magnificentia præparare, &c. Dat. Lugduni kal. augusti anno III.*

XXXV. Decimæ Galliar. illi attributæ.

(*n*) Ead. ep.

(*o*) Ib. ep. 17.

Missus in Gallias legatus.

Ad promovendam vero sacram eam expeditionem sanctissimus Pontifex Gallicani cleri decimas Philippo attribuit: (*n*) tum Simonem tit. Sanctæ Cæciliæ presbyterum Cardinalem Legatum in Galliis creavit, (*o*) instruxitque auctoritate, ut fideles cruce insigniret. Ad quos in arma sacra concitandos gravissimis sententiis exposuit adipiscendæ æternæ salutis compendium in fundendo pro tuenda Christi gloria, ac religione amplificanda sanguine propositum.

*Simoni tit. S. Cæciliæ presbytero Cardinali A. S. L.*

Pontif. ad accendendos zelo fideles literæ.

*Novum genus salutis summi Regis misericordem Filium pro terra illa, quæ ejus est peculiaris hereditas, indubitanter, providisse confidimus & per abundantis misericordiæ gratiam utiliter instaurasse; dum maximes pro ipsius terræ liberatione generale concilium diebus proximo præteritis, congregari concessit, & multa ibidem pro illius subsidio feliciter ordinari, ut post præcipuum salutis ministerium, quod de secreto Patris egressus ad servos ibidem operari dignatus est ipse dominus Jesus Christus, & hoc novum su-*

*ſalutis genus in dextera Dei ſedens hereditati ſuæ ob ſupremæ neceſſitatis articulum præparaſſe. Cum enim, dividentibus peccatis inter hereditatem ipſam & Dominum, diripuerint omnes ſepes ejus nationes variæ, impetierint ipſam immaniter populi, ac principes infideles, eamque ſibi continuis hoſtilitatibus, ac variis proditionum fraudibus ſubjugarint; exterminaverint quoque velut aper de ſilva, & oppreſſerit eam tanquam ſingularis ferus præcipuus Chriſtiani nominis inimicus; ita ut perditis fere civitatibus & munitionibus univerſis, ac fidelibus ipſarum populis pene omnibus in ore gladii trucidatis, paucis eorundem fidelium reliquiis vix alius quam ſupradictæ terræ, extremus locus civitas videlicet Acconenſis & duæ aliæ potuerint ad vitæ præſidium conſervari; reliquiis ipſis præ ſui exiguitate nequaquam ſufficientibus defenſare civitates eaſdem, nec valentibus protractum diutius expectare ſubſidium, & quibus etiam ad tempus vix conceditur reſpirare; Dominus ipſe miſericordiam in ira non continens, ſed propter nomen ſuum, ne ſemper blaſphemetur in gentibus faciens cum cauſa ſua ſignum in bonum, dedit tanquam pius & miſericors cauſam ipſam in eodem concilio auſpiciis inchoari felicibus & decimam omnium redditum & proventuum eccleſiaſticorum in omnibus provinciis Chriſtianis per ſex annos continuos a proximo præterito feſto nativitatis B. Joannis Baptiſtæ per nos ipſius terræ deputari ſubſidio, & deputationem hujuſmodi per ſupradictum concilium unanimiter approbari, ac etiam ordinari, ut efficaciter proponatur in omnibus Chriſtianitatis regionibus fidelibus populis verbum crucis.*

De barbarorum in Chriſtianos progreſſibus.

Ptolemais & aliæ duæ arces Chriſt. tantum relictæ.

Religioſa propoſito crucis ſymbolo, expeditio indicta.

XXXVI. *Nuper quoque, ipſo Domino adiiciente quamplurimum in ſpem ſalutis hujuſmodi, chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum illuſtris, attendens quod licet ipſe cum inclytæ recordationis Ludovico Francorum Rege patre ſuo, poſt illa rerum, perſonarumque diſpendia, quæ idem pater in terra ipſa pro cauſa pertulit ſupradicta, iter arripuerit in ejuſdem terræ ſubſidium transfretandi; tamen quia eodem patre ſuo ad eum, cujus inſiſtebat obſequiis, per naturalis mortis occaſum, quaſi per viam ſalubris compendii properante, ipſe Rex Philippus de partibus Africanis, ad quas declinari videbatur utilitas negotii ſuaſiſſe, ad propria non completo voto, una cum ipſius exercitu, variis cauſis urgentibus, rediit; deliberavit demum voto priori inſiſtere, depoſitam reſumere crucem, ac ſe ad intermiſſam voti executionem, termino congruo, regali magnificentia præparare, &c.* Subdit Pontifex Simonem ipſum S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem ad urgendum ſacræ expeditionis apparatum mittere: tum comparanda, rite expiata conſcientia, indulgentiarum præmia, ac veteres ſacra arma correpturis in Saracenos, ac ſubſidia pecuniarum ſubmittentibus prærogativas conceſſas proponit ampliſſimumque æternæ gloriæ triumphum pollicetur. *Datum Lugduni kalend. auguſti anno* III.

Propoſitæ crucesignatis indulgentiæ.

XXXVII Cum vero probe noſſet Gregorius, humanos omnes conatus inanes evaſores, ſi divino auxilio deſtituerentur, crucesignatos a legato moneri (*a*) juſſit, ut piis operibus ſe addicerent, nec opes in luxu deliciiſque conſumerent: ornamenta virtutum quam veſtium eſſe potiora: ſi affluerent bonis cum egenis partirentur: nec vero abligurienda, aut in delitiis aucupandis collocanda ſtipendia, quæ ex miniſtrorum Chriſti vectigalibus comparata eſſent.

(*a*) Eod. l. 3. ep. cur. 51. Quibus informandi monitis.

*Eidem legato.*

*Primum diligentiæ tuæ ſtudium circa creditum tibi miniſterium verbi crucis eſſe convenit, ut palmites quos in ſe vitis vera manere, cauſamque ſuam proſequi velle monſtraverit, attento purgare labores, & ſalubribus monitis a conſuetis illecebris expiare: procurare quoque ſolicite, quod ipſi ante omnia, ut virtutes efficaciam habeant, fructumque ſalutis operentur in eis, per veræ confeſſionis lavacrum in mentibus ſuis habitaculum Deo nitidum præparent, reſurgentes a mortuis per ſalvificum pœnitentiæ ſacramentum, flenteſque commiſſa, & flenda ulterius minime committentes: metuantque draconem inſidiantem mulieri quæ parit, ut devoret natum ejus, & fidelem animam in omni opere pio evacuet a mercede: ac ideo, ut ab indebitis omnium, & præcipue ſubditorum ſuorum moleſtiis reverenter abſtineant, nec eos gravent illicitis exactionibus, vel collectis; ſed emendent congruæ ſatisfactionis antidoto, ſi in hoc hactenus exceſſerunt.*

Ut crimina penitentia expient.

A ſubditis oppriſmendis caveant.

XXXVIII *Et quia voluptatum ignes ciborum fomentis increſcunt, & e contra quos abſtinentia frangit, non exurit tentatio; veluti etſi tres pueros abſtinentes Babylonici incendii flamma ſuſceperat, eos attamen non combuſſit; omnes cauſæ Chriſti zelatores infra legationis tuæ terminos conſtitutos, quod ſibi cibos, potus, & veſtes temperent, & ſe illis, ſtudentes placare Deo non in ornatu veſtium, ſed virtutum; ita ut quod ſibi taliter ſubtrahunt, vel cauſæ Chriſti proveniat, vel unde una caro affligitur, inde caro proximi reparetur egentis; diligenter inſtruas & informes, eis dilucide, ac ſignanter exponens, qualiter pecunia dicata promotioni cauſæ prædictæ, quæ pro peccatis mortuorum noſcitur eccleſiis provenisse, propter hoc victui pauperum ſubtrahitur, & de*

Delitias luxumque caſtigent.



Crucifixi opes non profundant.

*& de extremis neceſſitatibus miniſtrorum altaris dominici reſecatur; & quod ideo non eſt in comeſſationibus, vel in pompis, ſeu vanitatibus hujuſmodi mundi & cæteris voluptatibus, ſive ſuperfluitatibus convertenda, ſed reſervanda totaliter negotio Crucifixi, & ex integro in iis, quæ ad illud pertinent, expendenda.*

XXXIX. *Per hanc igitur, & alias ſalubres exhortationes, juxta ſapientiam tibi deſuper attributam, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Regem Francorum illuſtrem, alioſque principes & barones legationis prædictæ, qui præmiſſam Chriſti cauſam crucis aſſumpto ſignaculo promovere decreverint, ab iis, quæ Deum provocare debeant, taliter retrahas; adeoque reddas bonorum operum ſectatores, quod cum confidentia, ſecuritate, ac victoriæ certitudine prælium Domini proſequantur; & tradat omnipotens ipſe in eorum manibus inimicos nominis Chriſtiani ad laudem ſui nominis, & exaltationem fidei orthodoxæ, necnon ad ipſorum Regis, principum, & aliorum ſalutem, & gratiam ſempiternam. Datum Lugduni* IV. *id. octobris anno* III.

XL. Contractæ ex aliis regnis auxiliares copiæ.

Ad conflanda quoque ex aliis regnis & provinciis auxilia eſt adhortatus eccleſiarum omnium præſules, uti ad incitandos pro religione tuenda in arma ſacra Chriſtianos conciones habere, ac proponere indulgentias deberent: qua in re Dominicanæ familiæ religioſos viros ac Minoritas idoneos prædicandi verbi divini miniſtros adhibuit (*a*), ut toto orbe id munus exequerentur: quod inſignibus etiam aliis ſacra eloquentia viris demandavit (*b*). Eam igitur provinciam præſulibus univerſis, encyclicis literis ſubjectis impoſuit. Quæ quidem literæ in regeſto Pontificio archiepiſcopo Eboracenſi, aliiſque Anglis ſunt inſcriptæ (*c*): in Vallicellano vero noſtro MS. codice (*d*) Remenſi archiepiſcopo ac ſuffraganeis leguntur datæ.

(*a*) Eod. l. 3. ep. cur. 95.

(*b*) Reg. poſt eand. ep.

(*c*) Ib. ep. 94.

(*d*) Cod. Vall. ſig. lit. C. n. 49. pag. 56.

Chriſti exemplo ad ſubeunda pericula excitati fideles.

*Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Eboracenſi, & univerſis epiſcopis per Eboracenſem provinciam conſtitutis.*

*Si mentes fidelium, terrenis abdicatis illecebris, recolendis immenſis beneficiis noſtri Redemptoris intenderent; ſi eæ cœleſti lumine illuſtratæ diligenti ſcrutarentur examine; ſi frequenter meditationis attentæ conſpectui præſentarent, profecto eorum corda concaleſcerent intra ipſos igne in meditantum animis exardeſcente. Cujus etenim pectus ſaxeum non emolliret conſiderata illius humanationis humilitas, in qua Dei Filius factus homo exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo? Cujus viſcera non inflammaret charitatis ardore pia conſideratio illius humilitatis extremæ, in qua ipſe idem factus eſt obediens uſque ad mortem, ad exprobrantium opprobria curam tondente ſe velut agnus obmutuit, & ſicut ovis ad occiſionem ductus; poſt contumelias & terrores, poſt ſpinas & ſputa, poſt flagella varia, poſt diverſa denique genera tormentorum innocens ſine cauſa damnatur; & demum ſaturatus opprobriis, clavis affixus, aceto & felle potatus, confoſſus lancea in crucis patibulo tam diræ mortis ſubiit paſſionem, myſterium redemptionis noſtræ perficiens; ſine qua parum nobis nativitas profuiſſet?*

XLI. *Quis igitur hæc & alia largitatis divinæ chariſmata infra pectoris clauſtra debita & frequenti attentione revolvens, non intus fervidæ zelo devotionis accenſus ferveat, foris ebulliat, exclamet & dicat, quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? & non expectato monitoris vel ſolicitatoris officio, ſubjungat ultroneus: Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo? Quem non pudeat ingratitudinis arguit, quin potius de infidelitate notari, ſi Creatori proprio, benefico Domino, piiſſimo Redemptori, tantæ neceſſitatis tempore non aſſiſtat; dum hereditatis ſuæ funiculus Terra ſancta, quam ſibi teſtatur Scripturæ ſacræ teſtimonium omnium chariorem, in Chriſtianitatis confuſionem & dedecus, per nominis Chriſtiani blaſphemos pro parte maxima occupata tenetur, & ad occupationem reſidui per eoſdem inſtantia infeſtæ perſecutionis inſiſtitur, ſuper eo aſſidue in partibus illis populus Chriſtianus impetitur, & moleſtis impetitionibus infeſtatur? Et quidem ſi facultas reſiſtendi competeret, non pateretur aliquis abſque deſertæ fidei ſcrupulo ſui domini temporalis vel vicum aliquem occupari: & hereditatis dominicæ invaſores fideles ulterius patientur? Nunquid marcebunt otio, aut ocyus non exurgent ad vitandum tantæ notæ diſcrimen? Exurgant itaque, qui ſunt Chriſti, & ſe ipſius eſſe non ſolum nomine, ſed opere fateantur. Exurgant itaque in illius auxilium: exurgant ad ſalutis ſuæ compendium, & illam brevis laboris pretio compendioſe mercentur: nunc præcipue dum in ſacro concilio, ad hoc iis diebus inter cætera, immo præ cæteris ſpecialiter congregato, ejuſdem terræ nuper ordinata ſubventio ſub ſpe illius, de cujus ſolius clementi providentia, & clementia provida ordinatio talis & tanta proceſſit, laboris optatum exitum repromittit. Convenientibus ſiquidem in eodem concilio nonnullis principibus, & prælatis de mundi partibus univerſis, aliorumque principum, prælatorum, & capitulorum nunciis, poſt ſubſidium pecuniarum, communi conſenſu terræ deputatum, eidem convenit omnium ſententia in id*

Quantus ſit Chriſtianorum pudor pati Syriam a barbaris conculcari.

Illam expeditionem ſalutis æternæ compendium eſſe.

*id ipsum; videlicet, ut in generali passagio, cujus celeriter, auctore Domino, terminum præfigemus, universis Christicolis contra blasphemos eosdem conflantibus vires suas, quanto erit Christianorum virtus unita potentior, tanto ad liberationem terræ prædictæ sit via securior, sit opportunitas promptior, & de illa Deo auspice spes certior habeatur.*

XLII. Demandata præsulibus conferendi crucis symboli auctoritas.

*Cæterum licet ad excitandos eorumdem fidelium animos in terræ memoratæ succursum sufficere debeat solers attentio præmissorum; licet possit non indigne sperari, quod, si fideles iidem, quo debent pietatis oculo terram eandem respiciant; si ad persecutionis acerbitatem, quam terra eadem continuis lacessita molestiis, & diutinis vexationibus lassata perpetitur, convertant piæ compassionis intuitum; discrimina quoque considerent, quæ per hoc eidem fidei orthodoxæ non est dubium imminere; ad assumendum terræ sæpefatæ negotium se potius ingerent, quam invitari ad hoc commonitionis alicujus suffragio expectabunt; quia tamen speramus, quod vocem virtutis tribuet Dominus voci suæ verbum crucis ad promotionem ipsius negotii in vestris civitatibus & diœcesibus decrevimus proponendum. Ad quod eo confidentius personas vestras duximus eligendas, quo magis ad id famæ vestræ claritas & pastoralis officii debitum nos invitat. Ideoque fraternitati vestræ prædicationis officium in eisdem civitatibus, & in diœcesibus præsentium auctoritate committimus, in remissionem peccaminum injungentes, quatenus in hujusmodi officio juxta datam vobis a Deo prudentiam procedentes, illud efficaciter & prudenter, non obstante quod hoc iidem alii forsitan sit commissum, exequi studeatis: omnes, quos ad hoc utiles fore putabitis, instantius inducendo, ut suscipientes cum reverentia signum crucis, ipsamque suis cordibus & humeris affigentes, ad terræ memoratæ succursum viriliter se accingant, ac ipsius negotium fideliter exequantur. Et ut iidem fideles præmissa eo libentius eoque ferventius prosequi studeant, quo potiorem se noverint fructum ex suis laboribus percepturos: nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, & illa, quam nobis Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui hujusmodi laborem, salutiferæ crucis signo suscepto, in personis propriis subterint & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, veniam indulgemus; & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum, &c. Proponit etiam indulgentiarum præmia iis, qui suis sumptibus milites sustentarint, crucesignatos in clientelam apostolicam suscipit, usuras remitti imperat, sacrorum usum in locis interdictis, in quibus de sacro bello habendæ fuerint conciones, restituendum decernit: tum crucesignatos censuris liberandos, exponendas in templis arcas, quibus stipem fideles inferant. Dat. Lugduni* XV. *kal. octob. anno* II.

Indulgentiæ stipem erogaturis promissæ.

XLIII. De non gravandis pauperibus ecclesiasticis.

Pro suppeditandis crucesignato militi stipendiis præfecti (*a*) sunt a Pontifice ecclesiastici, qui decimas a sacerdotibus exigerent. Ne vero ii, quorum tenuiores fortunæ essent, injustis oneribus opprimerentur, hæc a Gregorio in exigendis decimis sunt sancita: *De redditibus & proventibus leprosorum domorum Dei & hospitalium pauperum quo in usus infirmorum & pauperum convertuntur, decima non solvetur. Moniales etiam, aliæque regulares personæ, quarum redditus & proventus ecclesiastici adeo sunt tenues & exiles, quod de illis sustentari non possunt: sed pro habenda vitæ suæ sustentatione necesse habent publice mendicare, & eleemosynas publice petere, dictam decimam non persolvent. Sæculares quoque clerici, quorum ecclesiastici redditus & proventus annui summam septem librarum Turonensium non excedunt, eandem decimam non præstabunt. Si vero una persona plura habuerit beneficia, quorum nullum per se acceptum dictam summam septem librarum Turonensium annuatim attingat, simul tamen collecta in annuis proventibus summam memoratam excedant, quotquot, vel quantumcumque modica fuerint, de omnibus, & singulis decima persolvetur: sed non solvetur de pitantiis monachorum.*

(*a*) *Lib.* 3. *ep.* 96. 97. *MS. Vall. sig. lit. C. n.* 49. *pag.* 58.

*Similiter de iis, quæ a Christi fidelibus relinquuntur ecclesiis, ut ex iis perpetui emantur redditus: & xeniis prælatis, & aliis personis ecclesiasticis liberaliter factis, decima non solvetur. Solventium decimam electioni seu arbitrio committatur, utrum ipsam velint solvere per totum tempus, quo durabit decima pro rata proventuum, quos singulis annis dicti temporis ipsos percipere contigerit, an per totum ipsum tempus pro rata communis æstimationis proventum eorumdem: sed una via electa non licebit aliam variare ad aliam recurrendo, &c. Dat. Lugduni* X. *kal. novembris anno* III.

XLIV. Rodulphum inter & Alfonsum de imperio controversia.

Othocharus studet Alfonso.

Hactenus de solicitudine sanctissimi Pontificis in conficiendo ærario pro sacri belli sumptibus sustinendis, ac milite in omnibus regnis ac provinciis conscribendo. Sed ii conatus inanes futuri videbantur, si duce Imperatore careret ea expeditio; vel si Germania inter contraria electorum Regum studia fluctuare sineretur. Electus quidem concordibus suffragiis erat Rodulphus, si Boemiæ Regem exceperis: sed alia ex par-



Ad illum inclinat Italiæ pars.

parte Alfonsus contendebat iniquam eam electionem fuisse, ac penitus rescindendam, si sua legitima extitisset; formidandaque erat Othochari potentia, ut aliorum principum conjunctam potentiam (magnam enim Germaniæ partem interregni occasione sibi vendicarat) æquare videretur, quin etiam Italia Alfonsum magis quam Rodulphum spectabat. In quo ancipiti rerum discrimine Pontifex, ut Christianum orbem intestino malo eriperet, Alfonsum paterno affectu admonuit (*a*) ut ab ambiendo Imperio desisteret: rem Christianam, quæ in periculum vocabatur, non pati, ut diutius ea controversia produceretur: æquo ferret animo si justitiæ vis sceptrum Germaniæ alteri transcriberet: longe ipsi majorem gloriam comparandam, si præterita publici tantum boni causa tentasse demonstrarit.

(*a*) *Eod. cod. Vallis. pag.* 43.

Pontifex adversatur.

XLV. Animum perspicue ei aperit.

*Regi Castellæ ac Legionis illustri, in Romanorum Regem electo.*

*Inducit nos singularis affectus, quo claræ memoriæ progenitores tuos, & te ipsum ab olim sedes Apostolica est amplexa, quemque nos prosequi, quantum cum Deo poterimus, constanti voto proponimus, ut paterno more pro te, tamquam pro charissimo filio, consilium capiamus, nec te patiamur perplexitatibus, non solum inutilibus, quin potius damnosis involvi; sed ab eis quatenus te involvisse videntur, cum quanta possumus diligentia celeriter evolvamus, in illis etiam tua procurantes commoda, tuum promoventes honorem. Hinc, fili charissime, procedere cum veritate supponas, ut cum negotium, quod de imperialis fastigii regimine imminet, sine ulterioris moræ dispendio expediri justitia manifesta suadeat, innumeræ mundi necessitates exigant, magna & utilia Dei servitia, pro quibus consilium * congregavimus, & præcipue status miserabilis Terræ sanctæ, quæ in illius prorogatione aperta & periculosa impedimenta deplorant, instantiæ continuatione requirunt; & ad ejus expeditionem accelerandam omnimodis, quasi communis omnium detestantium illud tam periculosa dilatione protractum clamor impellat; pro vigili studio & studiosa vigilantia curaverimus regali excellentiæ rem pro umbra perquirere, pro dispendiosis utilia, pro mundi momentaneis, quæ tamen te consequi justitiæ rigor, & facti qualitas non permittit, perpetua providere. Sint itaque princeps inclyte, aures intentæ, oculi tuæ circumspectionis aperti, ut quæ salubriter suggeruntur, patienter audias: quod in eis agitur, diligenter intelligas; & ad quid pura tui patris spiritualis intentio dirigatur, prudenter advertas. Ad Dei siquidem beneplacita in iis prosequenda studemus, quietem mundi quærimus, cogitationes pacis solicite cogitamus discriminibus, quæ imminere palpamus, occurrimus, ad religionis & fidei Christianæ, ad tui honoris & commodi properamus augmentum.*

* concilium.

Definiendam controversiam, abscissa mora significat.

XLVI. Ut divinæ se voluntati accommodet hortatur.

*Nonne honor tibi, nonne clarius tui nominis tituli coruscabunt, si divinæ voluntati, nostro consilio, te coaptes? Si communem utilitatem tuis desideriis præferas, & nobis, qui tui curam gerimus, de tranquillitate tua & salute solicitis acquiescas, in iis profecto non detractionis cujusquam convitium, sed præconium magnæ commendationis expectans? Omnibus etenim non indigne commendabilis apparebis, & cunctorum præcipue recte sapientum judicio nimirum commendandus occurres, si evidentia operis veritas revelata docuerit, quæ per te acta sunt, ad ipsum obtinendum non ambitione gesta; sed ad exaltationem ipsius orthodoxæ fidei, ad dandum eidem sabbatismum Imperio, ad totius orbis relevanda gravamina, quæ diuturnitas imperialis vacationis ingessit, appareant procurata. Quod ex eo evidentius elucebit, si dum ad hæc promptius promovenda celsitudini regiæ cum evidentia honorifici emolumenti, & emolumentitii honoris affertur via facilior, provisioni nostræ, regalis excellentiæ intuitu adinventæ; devotus obedias; & eam secus suggerentibus non accommodatis credulitatis auribus, in omni promptitudine devotionis acceptis. Ideoque ad hæc tibi seriosius exprimenda venerabilem fratrem nostrum Astoricensem episcopum, & dilectum filium nobilem virum Joannem Num, fratrem Ademarum de ordine Prædicatorum, & magistrum Ferrandum notarium, tuos procuratores, & nuncios remittendos; ac insuper magistrum Fredulum capellanum nostrum canonicum Magalonensem, virum quidem fidelem & providum, de cujus fidelitate confidimus, cujusque relationi circa præmissa fidem adhibere te petimus, & suademus persuasionibus adhærere, ad tuam duximus præsentiam destinandos; serenitatem regiam hortantes in unigenito Dei Filio Jesu Christo, & per suæ salutiferæ crucis mysterium in charitatis visceribus obsecrantes, quatenus in præmissis non quid velles, sed quid velle te decet inspiciens; & tam in illis, quam in aliis, quæ tibi occurrunt agenda, non solum initium, sed & prosecutionem & finem, quantum futurorum incertitudo permittit, præambula, & attenta meditatione discutiens; eandem provisionem nostram divini Numinis voluntatem, cui vides a parte nostra in hoc vota concurrere, amplectaris alacriter, & ad tui Creatoris obsequium, ad constituendum tibi mansuetudinis & clementiæ memoriale perpetuum, sine cujusquam contradictionis aut dilatio-*

Orbis potius, quam sua spectet commoda.

Nuncios ipsi mittere significat.

Bellorum incertos exitus proponit.

*tionis obstaculo velut fortis ejusdem athleta fidei prosequaris. Super his autem responsionem tuam Deo, ut desideramus, acceptam, necessitatibus prædictis accommodam, & proinde nostris desideriis concurrentem, petimus nobis cum celeritate remitti.*

XLVII. Durum admodum videri poterat Alfonso prætentis ad Imperium juribus se exuere. Ad cujus rei emolliendam difficultatem dictum Fredulum nuncium pontificium in literis ad ipsum datis (*a*) instruxit, qua ratione Alfonsum adducere deberet, ut prætento Imperio cederet: exponeret electores, excepto uno, nimirum Rege Boemiæ, Rodulphum elegisse, jamque Aquisgrani corona cinctum pacato Imperio potiri: ingens rei Christianæ malum conflatum iri, si pacem disturbaret, atque expeditio Terræ sanctæ abrumperetur. Si vero a prosecutione destiterit, decimas regni Castellæ in præsenti concilio ad sex annos decretas ipsi attributum iri ad Saracenos Hispaniæ facilius debellandos. Injunxit vero, ut prius ad prætenta omnia in Imperium jura abiicienda, vel ea Pontificio arbitrio permittenda adigeret.

(*a*) Ext. ib. pag. 57. Quæ nuntiis data imperia.

*Gregorius, &c. Magistro Fredulo capellano nostro canonico Magalonensi.*

XLVIII. Sedem Apostolicam ipsi favere non posse. Obstare veteres Imperii consuetudines. Rodulphum Aquisgrani corona redimitum. Omnes electores, uno excepto, cum eo sentire.

*Volumus quod ei, sicut constituto in nostra præsentia expressimus, & ipsi satis per alias nostras literas aperimus, exponas qualiter ex causis variis imperialis provisionem culminis, quam totius orbis & negotiorum Dei, quæ imminent evidentes necessitates instanter exposcunt, nec debemus nec possumus ulterius prorogare; quodque, justitia & facti qualitate vetantibus, sibi ad imperiale diadema, vel idem Imperium obtinendum favere nequimus: præsertim alio, juxta ejusdem Imperii consuetudines hactenus observatas, apud Aquasgranas regni Alemanniæ coronam adepto, & regnum ipsum cum favore omnium vocem in electione Imperatoris habentium, uno dumtaxat excepto, cæterorumque regni ejusdem principum, magnatum, & aliorum pacifice obtinente.*

XLIX. Professum Alfonsum Imperii onus divinæ gloriæ causa suscipere.

*Nec honori suo congruit profecto, nec utilitatibus expedit turbationem mundi totius, non sine Dei offensa, salutis suæ ac famæ dispendio, ut cætera pericula taceamus, in supradictæ provisionis dilatione, vel qualicumque impedimento nutrire. Propter quod nos, animæ suæ saluti prospicere, ipsius consulere commodis, & claritati nominis cupientes ei deliberavimus suggerendum, ut cum hactenus literis & nunciis laudabiliter sit professus, quod in assumendo imperialis onus regiminis non suam quærere gloriam, non suum ampliare dominium; sed ad sui creatoris obsequium, ad utilius promovendum fidei orthodoxæ negotium, ad totius orbis, & ipsius maxime pacem Imperii plenis affectibus, & totis nisibus intendebat; quod verbis, ut præmittitur, frequenter & potenter asseruit, opere fateatur: nunc præcipue, dum sibi eadem prosequendi, non solum facultas offertur, sed cum multorum vitatione discriminum, quæ aperte hujusmodi assumptionis prosecutio comminatur, cum grandis & evidentis utilitatis suæ ac suorum posterorum augmento facilitas indulgetur. Si enim consultius divinæ majestatis obtentu de nostro consilio ab eadem prosecutione desistat per concordem ipsius ordinationem Imperii, quæ in necessitatibus prædictis, & justitiæ rigore cogentibus, absque intolerabili damno imperiri non potest amplius aut differri; mundo tranquillitate concessa, non solum ipse nostra provisione a prædictis discriminibus absolutus consternandis & subjugandis inimicis ipsius fidei Christianæ poterit vacare liberius, * & cæteris fidei ejusdem cultoribus aderit ad id via facilior & divina virtute præambula commoditas promptior, ac efficacior concedetur. Christicolis namque concurrentibus, licet per diversas partes, ad Christi negotium prosequendum & adversus Agarenos persecutores crucis, ipsiusque blasphemos conflantibus & exequentibus vires suas; sperandum est de ineffabili misericordia & immensa potentia Crucifixi, quod persecutores eosdem tanto reddet paratiores ad casum, quanto impotentiores efficiet ad Christianorum prosecutionem unanimen sustinendam. Ut autem hæc utilius pro ipso Rege procedant, cogitamus sibi, ab Imperii prædicti negotio desistenti, decimam omnium ecclesiasticorum redditum suorum regnorum & terrarum usque ad sex annos, sicut ad Terræ sanctæ subsidium in præsenti sacro concilio est concessum, gratiose concedere: ut ipse, per concessionem hujusmodi cum minori sumptuum gravamine persequens in partibus Africæ blasphemos eosdem, quidquid de terris, quas in partibus illis tenent ad præsens, acquirere poterit, in perpetuum, jure dominii sibi & heredibus suis acquirat, &c.* De Fredulo ad Alphonsum misso, deque rejectis regiis oratoribus Mariana meminit (*b*).

Divini fore honoris suis juribus discedere.

In Saracenos Hisp. convertendas illius vires.

* sed

Sexennalem decimam in eam rem ipsi attributum iri.

(*b*) Marian. de reb. Hisp. l. 13. c. 22.

L. Cæterum egregiam navasse operam Gregorium ad bellum civile extinguendum, quod ab Alfonso timebatur, non superiores modo literæ fidem faciunt, verum quæ sequuntur ex MS. etiam Vallicellano excerptæ illustrabunt, cui (*c*) præterea episcopum Valentinum, magni consilii virum legatum misit.

(*c*) Cod. Vall. sig. lit. C. n. 49. p. 46.

*Gregorius, &c. Regi Castellæ, ac Legionis illustri.*

*O quam bonus & suavis esse videatur in*





Pontif. ad Regem Castel. lit.

*in te, fili charissime, Spiritus sanctus, prudenter circumspectio regalis attendat, dum celsitudinem regiam, quantum in nobis est, circumveniri non patimur, in periculosa per ignorantiam prolabi non sinimus; sed more patris alloquimur, & lapsus hujusmodi paternis monitionibus cum quanta possumus diligentia prævenimus. Dudum siquidem ne te in discriminosos anfractus ingereres, sed ipsos potius quatenus in illos incidisse videbaris, evaderes, tuis ad excellentiam tuam remissis nuntiis, & nostris literis ac nuntio destinatis, statum negotii, quod de imperiali regimine imminebat, non sub involucro verborum involvere, nec sub enigmatum velamine velare curavimus; sed revelata veritate deteximus, & detegentes expressimus, quod ad Cæsarei culminis fastigium obtinendum tibi juris censura non aderat; sed & justitiæ rigor, & facti qualitas obsistebant: maxime quia, cum consuetudo apud Germanos incommutabilis, ad decus ac diadema Imperii, quo tuo nomine petebatur, pervenire aliquem non permittat, quem prius solemniter corona regni Alemanniæ non decorat; alio apud Aquasgranas de consensu omnium principum vocem in electione Imperatoris habentium, unico dumtaxat excepto, cum solemnitate debita juxta prædictam consuetudinem coronato, & regnum Alemanniæ pacifice possidente; ad id tibi juris via præcisa finaliter & facti janua præclusa totaliter videbatur.*

Significat Greg. Alfonsi ad Imperium caulam æquitate destitui.

LI. Universum orbem de fide Apost. ob dilatam controversiam murmuratum.

*Et licet dicti negotii expeditionem innumeræ orbis, & præcipue ipsius Imperii, ac Terræ sanctæ necessitates exposcerent: ad eam totius concilii quasi communis clamor impelleret, & vulgaris assertio nobis & ecclesiæ Romanæ non parcens, immo contra nos & ipsam non solum murmurans, sed exclamans illud nimis periculose differri; tuorumque nunciorum coram nobis, ac fratribus nostris iterata frequenter instantia constanter affirmans, in hujusmodi negotio solitum in aliis judiciorum ordinem non servandum; sed partibus etiam non vocatis, alterum in discordia electorum, cui concorditer eligentium numerus major assisteret, delectu non habito .. * prius, vel posterius sit electus per eandem sedem ad favorem apostolicum, & omnia solemnia ejusdem Imperii admittenda necessario & manifesta justitia possessoris urgerent; nos tamen illam tuæ serenitatis obtentu, quamquam nullam spem nostrum in præmissis differendi processum prædictis nunciis dedissemus, non sine multorum admiratione distulimus, ut omnibus in tuam deductis notitiam ab ejusdem negotii prosecutione decentius pro communitate, velut de clementia regali desisteres, quam excludi per diffinitivi calculi rigorem expectares. Et nihilominus ut ejusdem Imperii provisio cum tua magis pace procederet, ea tibi obtulimus, quæ non tantum tuæ saluti evidentius congruebant; sed ipsius Imperii, consideratis oneribus, in quorum consideratione per regnorum tuorum distantiam, aliasque circumstantias varias tuæ quantæcumque potentiæ grave proculdubio pondus adiicitur eidem, immo etiam de jure debito & oblato concorditer forent non immerito plurium recte sapientium judicio præferenda; & demum post moras non modicas, cum pericula, quæ graviora prioribus expeditionis ipsius morosa dilatio minabatur, ulteriorem in præmissis tarditatem arguerent, illamque accusaret conscientia, & evidentia justitiæ condemnaret; nos tam periculis prædictis occurrere, quam piis instantibus providere negotiis intendentes, cum fratrum nostrorum deliberatione præhabita, exigente justitia, & cogente conscientia, charissimo in Christo filio nostro Rodulpho Regi Romanorum illustri, de ipsorum fratrum consilio titulum regiæ denominationis ascripsimus; & eidem ad unctionem, consecrationem, & coronationem de nostris recipiendis manibus terminum in proximo nos assignaturos prædiximus, & decrevimus assignare iis * non prædictis, & aliis ejusdem regni Alemanniæ principibus, magnatibus, & universitatibus per diversas nostras literas nunciatis: præsertim cum & missæ interim tuæ celsitudinis, & præmissi nostri nuncii literæ te præfatis nostris monitis consensurum innuerent, idemque nuncius ad nostram præsentiam rediens affirmarit. Pensa itaque, princeps inclyte, sincerum procedentis affectum, de tuorum periculorum propulsatione solicitum, intentum pro tuis relevandis * honoribus, & pro ampliandis commodis curiosum.*

Standum majori electorum numero.

* quis

Æquitate & conscientia ad confirmandum Rodulpho Imperium adductum.

* modo

* oneribus

LIII. *Pensa processus justitiam, quam ipsius Imperii leges & consuetudo communiunt, & communium necessitatum instantia exigebat; in qua recti stateram judicii nullus inclinavit favor aut odium, nec æterni Judicis odiosa conspectui temporalis in judicio consideratio præmii rationis rectitudinem obliquavit; sed ad eam solius Dei beneplacitum, & status publici votiva tranquillitas, judicantis votum & animum induxerunt. Ideoque serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jesu Christo, per salutiferæ crucis suæ mysterium & sui pretiosi aspersionem sanguinis obtestantes, quatenus præmissa tranquilla mente discutiens; & te a Rege Regum datum Regem in gentibus recognoscens, ut te ipsum ac tuos non peccatorum necessitatibus implices, sed regas & dirigas ad salutem; quodque nisi tui motum animi rexeris, non recte tibi regium nomen & titulum vindicabis; vanam hujus mundi gloriam instar puncti*

Hortatur ut numinis causam suæ præferat.

*cti cum tuo tuorumque periculo prædictum amplius in commotionis spiritu prosequendo negotium, cujus tamen & fructum aliquem nequis proculdubio assequi, non sequaris: sed animarum exitia, strages corporum, rerumque dispendia, quæ prosecutionem hujusmodi verisimiliter prosequuntur, quorumque tu auctor præcipuus censereris, & reddereris debitor rationem pro ipsis in die stricti examinis redditurus; in libra exactæ discussionis appendens, momentaneæ delectationis ambiguum certitudini æternæ postponens salutis; & sub potenti Creatoris tui minu ejus vicario vires tui potentatus humilians, ac justitiæ quæ magnum & parvum similiter judicat, magnificentiæ tuæ colla submittens, humili animo ab eadem prosecutione desistas, omnimodis & & multiplicatis ab olim salutiferis nostris persuasionibus humiliter acquiescas. Ad quas menti tuæ vivæ vocis ministerio efficacius imprimendas, venerabilem fratrem nostrum Valentinum episcopum, virum religione & literatura conspicuum, & suorum meritorum consideratione nobis & fratribus nostris acceptum, excellentiæ regiæ sedulum zelatorem, ad tuam præsentiam destinamus: cujus te rogamus inductionibus in præmissis intendere, ac monita efficaciter exaudire. Dat. Lugdun.*

Proponit ob oculos belli mala si in Rodulphum arma sumpserit.

Episc. Valentinus.

LIII. Rogavit etiam Castellæ Reginam (*a*) virum precibus flecteret, ut pontificio arbitrio in causa Imperii se committeret. De misso apostolico legato Jacobum etiam Aragonum Regem certiorem fecit, (*b*) monuitque, ut pro affinitate, qua Alfonso conjunctus erat, generi cupiditatibus ne abblandiretur; sed repudiatis assentationis omnis lenociniis salubria ipsi consuleret.

(*a*) *Eod. cod. Vallic. pag.* 47. Solicitat Reginam ut virum ad Pontificias voluntates flectat.

(*b*) *Ibid.* LIV. Jacobum Regem Arag. ut salubria genero suggerat consilia excitat.

Pontificiæ voluntati se accommodasse Alfonsum, atque ad Gregorium accedere meditatum, ex aliis literis constat, (*c*) quibus ipsius erga sedem Apostolicam studium & Christianam animi demissionem commendavit: flagitavitque, ut adventus sui temporis faceret certiorem, quo se ad eum excipiendum, qua par erat honoris pompa, compararet: *Dilectus filius Joannes de Porta tuus familiaris & nuncius, regiæ nobis serenitatis literis præsentatis, per quas tuum nobis adventum denuntians, sibi fidem in omnibus, quæ super illo referenda duceret, adhiberi petebas; primo nobis familiari colloquio, & postea in nostra & fratrum nostrorum præsentia constitutus, inter cætera prudenter exposuit, te ad nostram eo proposito venire præsentiam, ut tanquam princeps catholicus & devotus, de progenitoribus trabeatus catholicis, illorum sequendo semitas a nostris & Apostolicæ sedis beneplacitis nullo unquam tempore discrepes: sed illis te conformans ac tuos, semper nostris & ipsius salutiferis persuasionibus acquiescas. Hæc, fili charissime, de te tanto magis gaudenter accepimus, quanto amplius tuæ saluti pariter & honori proculdubio congruunt, obsequiis Dei, circa quæ nostra intentio versatur, expediunt, & totius orbis tranquillitati manifeste concurrunt. Hæc profecto admodum extollit oblatio; sed executio plenius commendabit: & sincerum spiritualis patris animum ad filii tam chari profectum, quantum cum Deo & honestatis observantia id fieri poterit, promovendum tanto efficacius excitabunt, quanto ipsius paternis votis per effectum venient gratiora.*

(*c*) *Ext. ib. pag.* 45. Alfonsus Pontifici obsequi deliberat. De eo conveniendo agitat.

His gestis Gregorius, cum Alfonsi iras molliore illa inita via deliniviſset, Rodulphum ex Cardinalium consilio regio nomine decoravit; quod paulo ante insinuatum Alfonso vidimus, ut ipsum ab affectando Imperio revocaret, præmissisque nonnullis excusationibus, cur tamdiu ad regium illi nomen adscribendum distulisset, admonuit, (*d*) ut qua par erat magnificentia, cum ad insignia Imperii accipienda excieretur, se compararet. LV.

(*d*) *Ib. pag.* 44.

*Rodulpho Regi Romanorum illustri.*

*Solent ardua, præcipue propensis digesta consiliis, sentire potius celeritatis ex directione compendium, quam pati dispendium tarditatis. Sic longa belli præparatio celerem consuevit afferre victoriam. Sic iterum festinatur instanter, dum solicite præparatur. Hæc nos consideratio in Imperialis negotii prosecutione hucusque detinuit: hæc in tui consummatione fastigii multa uti maturitate suasit: hæc varias vias suggessit exquirere, diversaque remedia cogitare; ut, Deo auspice, tanto illa quæ instant deducamus securius, quanto accuratius præparamus. Licet itaque non sine causa distulerimus hactenus tibi denominationem ascribere; cum fratribus tamen nostris nuper deliberatione præhabita, te Regem Romanorum de ipsorum consilio nominamus. Causas autem salubris dilationis; immo potius consultæ accelerationis hujusmodi ad totius orbis, & ad ipsius maxime profuturæ pacem Imperii, ut speramus, dilectus filius Tridentinus electus, & frater Henricus de ordine Minorum tuæ celsitudinis nuntii, non solum ad veritatis expressionem, sed adhortationis solicitationem aperient, ut in eis doctrinæ speculum exemplaris inspiciens, & salutaris consuetudinis informationem recipiens prudenter satagas in cunctis tuis processibus vitare discordias, vias tuas facere pro posse pacificas, & semitas, quas princeps pacis, & Rex regum & dominantium Dominus docuit, quantum ipse concesserit, pro viribus ambulare.*

Pontif. ad Rodulph. Reg. lit.

Rodulphum Regem Rom. agnoscit & insignia imperial. pollicetur.

*Cæterum cum inchoata feliciter ad ejusdem*



Ad ea excipienda ut se quantocius comparet adhortatur.

*dem culmen Imperii tuæ promotionis auspicia non prosecutionis procrastinatione differri, sed festina deinceps consummatione compleri utilitas manifesta suadeat; serenitatem tuam hortamur, & sincero tibi affectu & consilio suademus, quatenus sic te præpares, sic disponas, ut cum te ad unctionem, consecrationem, & imperialis diadematis coronationem de nostris recipiendas manibus duxerimus evocandum; ad quod terminum in proximo prout circumstantiæ pensandæ permiserint, intendimus assignare, non improvisus, sed sicut tanti negotii solemnia exigunt paratus appareas, & ad præmissa non morosus, sed promptus & festinus occurras. Expedit autem, ut aliquos, qui super ejusdem assignatione termini, quid tuæ commoditati congruat, & alias plene tuam super hoc per omnia voluntatem nobis insinuare valeant, cito ad præsentiam nostram mittas. Dat. Lugduni* VI. *kal. octob. anno* III.

LVI. Præsagiebat Gregorius non levia imminere discrimina, si imperialis consecratio produceretur: quare paulo post ad firmandum ejus solium scripsit, (*a*) ut quantocyus accederet pro excipiendo diademate; prius tamen oratores mitteret, qui adventum insinuarent, peterentque pro celebritate perficienda diem: *Serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, utili consilio suadentes, quatenus, nisi consideratio gravis periculi evitandi contrarium suaderet, quanto citius poteris, ad partes terræ tuæ nobis viciniores accedens, nobis tuum adventum insinues, solemnes nobis nuncios, prout alias tuæ celsitudini scripsimus, plene tam super assignatione termini ad imperiale diadema, de nostris recipiendum manibus; quam super iis, quæ inter te & charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem, ac nobilem virum comitem Sabaudiæ agunt, consummandis; instructos celeriter ad nostram præsentiam transmissurus.* Aliis vero literis ad Germaniæ proceres datis, (*b*) eos hortatus est, & cum ipsos Imperii dignitas & confirmatio tangeret, suam pro eo stabiliendo strenue navarent operam, ac Rodulphum ad Imperii ornamenta sumenda venientem stiparent; quo argumento insignes sunt, quæ ad Salisburgensem archiepiscopum scriptæ, (*c*) quibus festum omnium sanctorum diem, proximo nimirum recurrentem anno, ad insignia imperialia in basilica Principis Apostolorum accipienda Rodulpho constitutum ait; seque omnium pene vocibus in concilio Lugdunensi ad collapsum diuturno interregno Imperium instaurandum incitatum.

(*a*) *Eod. pag.* 44.

Ad Imperii limitem accedat ut secum conferat.

Ad tractandam cum Carolo Rege & Sabaudiæ comite concordiam oratores mittat.

(*b*) *Ext. eod. pag.* 44. Monet principes ut Rod. ad imperiale insigne accipiendum comitentur.

(*c*) *Extant in formul. Mar. Ebuli pag.* 153. *n.* 1398.

*Archiepiscopo Salzeburgensi.*

*Sacerdotium & Imperium non multo differre initio sapientia civilis asseruit: siquidem illa, tanquam maxima dona Dei a cœlesti collata clementia, principii conjunxit identitas; ea velut auxiliis mutuis semper egentia suffragiis, suis inter ipsa vicibus alternandis innuit necessitas, & ad profectum mundi regimina instituta, ut alterum videlicet spiritualibus præsit, reliquum vero ministret humanis, una & eadem causa finalis institutionis ipsa inseparabiliter, licet sub ministrorum diversitate, conjuncta designat. Horum insuper necessariam unionem alterutrum considerata carentia evidenter insinuat, emergentia exinde discrimina manifestant. Imperium namque in Apostolicæ sedis vacatione suæ destituitur directore salutis: Ecclesia vero in throni cessatione Cæsarei oppressorum patet incursibus, dum suo defensore privatur. Curare itaque debent, curare summopere gubernantes Imperia, & regna regentes, ut ecclesias & personas ecclesiasticas foveant, libertates & jura tueantur ipsarum, & temporalia iis fulcimenta non subtrahant, a quibus spiritualiter fulciuntur: immo in omni promptitudine temporaliter eos communiant, quorum præsidio spiritualia recipiunt munimenta. Sed nec minus qui ecclesiarum gubernacula gerunt, summa esse cura solicitii, & omni debent ope satagere, ut Reges cæterique catholici principes debitæ polleant integritate potentiæ, status sui plenitudine integrentur. Consulte namque illis assistitur, quorum cedere debet prosperitas in auxilium assistentis. Debent quippe toto niti conamine, ut regna pace floreant, statu pacifico vigeant, & tranquillitate fruantur optata: in hoc enim ecclesiis ipsis quietis & pacis commoda procurantur. Porro prædictorum attenta consideratio non immerito conscientiam nostram coarctabat, ut ad collapsi reparationem imperii solicitudine debita exurgentes, electionem unanimiter ab omnibus principibus, vocem in electione Imperatoris habentibus, charissimi tantum in Christo filii nostri Regis Boemiæ illustris, qui sibi jus in eligendo Imperatorem competere asserit, non interveniente consensu, de charissimo in Christo filio nostro * Rege Romanorum illustri concorditer celebratam; & principum ipsorum ac aliorum, maxime qui nuper in concilio convenerunt, multiplicatam instantiam nec non & communem quasi ejusdem concilii clamorem; ad ipsius Regis Romanorum expeditionem instantem; benovolus favor admitteret, & prompta executio desiderato impleret affectu. Iis adiiciebat non leves solicitationis aculeos, quod sumptæ de præteritis conjecturæ, argumenta satis efficacia futurorum, ipsum Romanorum Regem futurum catholicum principem, Deo devotum, veritatis amicum, zela-*

De eo ad Salisburg. archiep. literæ.

Cur Ecclesiastici Regibus munimento esse debeant.

De Rodulphi electione.

* Rodulpho

Decreto illi regio nomine a sede Ap.

*zelatorem justitiæ favorabilem ecclesiis ac personis ecclesiasticis, & ecclesiasticæ libertatis sedulum promotorem, verisimiliter repromittunt. Propter quod & memorato Romanorum Regi denominatione regia de fratrum nostrorum consilio ascripta suasimus, ut se sic pararet, quod cum ad eum ad unctionem, consecrationem, & imperialis diadematis coronationem de nostris recipiendas manibus vocaremus; ad quod tam sibi, quam tibi & aliis principibus & magnatibus, ac universitatibus Alemanniæ denunciavimus nos terminum celeriter, prout permitterent pensandæ circumstantiæ, præfixuros; ut paratus sicut solemnia tanti negocii exigunt, appareret. Et nihilominus interim aliquem vel aliquos ad nostram præsentiam destinaret, qui super ejusdem assignatione termini quod suæ commoditati congrueret, & alias plene super hoc ejus nobis exprimeret voluntatem. Nuper itaque ipsius Regis Romanorum nunciis super hoc a sua magnificentia destinatis, in nostra & fratrum eorumdem præsentia in publico & solemni consistorio nomine suo petentibus, sibi ad præmissa terminum assignari; nos cum eisdem fratribus collatione habita, & iis, quæ circa hæc attendenda putavimus, perpensa deliberatione discussis; ipsi Regi Romanorum ad petitas unctionem, consecrationem, & coronationem imperialis diadematis in basilica Principis Apostolorum in Urbe recipiendas per manus nostras, Domino favente sermoni festum omnium sanctorum, primo venturum, terminum de ipsorum fratrum nostrorum consilio duximus assignandum.*

Constituto ad imperialia insignia conferenda die.

*Prudenter itaque considerare te decet, quot & quanta hujusmodi coronatio mundo commoda pollicetur. Sicut enim, juxta sapientis eloquium, ubi non est rector, populus facile corruit; sic verisimili potest præsumptione teneri, quod per eum regimine imperialis culminis reformato, & status subjectorum Imperii reformetur, & ruinæ gravissimæ, quas diversa jura ejusdem Imperii ex ipsius diutina fluctuatione senserunt, integritatis plenæ remedio implebuntur, dabitur eidem sabbatismus Imperio, & tam pro ipsius Regis Romanorum imperiali excellentia sublimati, quam per aliorum principum catholicorum auxilium inimicorum crucis cornua confringentur; & ampliabitur cultus fidei Christianæ. Ideoque fraternitatem tuam monemus, quærimus, rogamus, & hortamur, per apostolica scripta mandantes, quatenus, ut tantorum bonorum non expers, sed præcipuus promotor existas ad tanti decus fastigii obtinendum, sic efficaciter assistere studeas sibi, tui magnifici comitatus, prout exigit solemnitatis tantæ celebritas, personalem & honorabilem præsentiam exhibendo, quod tua & aliorum principum in itinere, ac in ipsius coronationis solemniis gloria & comitiva stipatus cunctis gloriosus appareat; & Cæsarei regiminis, Deo auspice, feliciter adepturus auspicia, illud ipso faciente, qui potest, facilius prosequatur. In iis autem exequendis ne termini brevitas, quam consulta provisio, & cautela vitandi periculi & accelerandæ publicæ utilitatis, cum exegerit, impedimenti alicujus occasionem afferat, sed ad eorum executionem; tua fraternitas sic voluntaria, sic prompta consurgat, quod meritum sibi apud Retributorem bonorum omnium, & nos ac Romanam ecclesiam comparet: & apud eundem Romanorum Regem nostra intercessio, si quando eam pro te aut tua ecclesia res exposcet, & aditum liberiorem inveniat, & exauditionem obtineat promptiorem.*

Quæ ex instaurato Imperio speraret Gregorius.

LVII. Alias vero peculiares literas ad Othocharum Regem Boemiæ dedit Gregorius (a), quibus ipsum conciliare Rodulpho conabatur. Quamvis enim in apertum bellum res nondum erupisset; non dubia tamen discordiæ signa emerserant. Ad quam extinguendam sanctissimus Pontifex, ubi certiorem ipsum fecit, urgente æquitate Rodulphum a se & collegio Cardinalium Regem Romanorum agnitum, cum inde ea malorum colluvies, quæ ex interrregno in Germaniam redundarat, exhaurienda putaretur; excitatum etiam, ut oratores pro accipiendo Imperialis consecrationis die mitteret: proinde summis ab eo contendere precibus, ut pacem cum eo iniret, ac suam operam pro adipiscenda Imperiali inauguratione humanissime explicaret: *Regulem excellentiam nolumus ignorare, quod ex causis præmissis & aliis, quæ conscientiam nostram urgebant, memorato Regi*, Rodulpho nimirum, *nuper cum fratribus nostris deliberatione præhabita, denominationem regiam duximus adscribendam, & cum Regem Romanorum de ipsorum consilio nominavimus per nostras literas; hortantes eundem, ut se sic præparet, sic disponat, quod cum eum ad unctionem, consecrationem, & imperialis diadematis coronationem, de nostris recipiendas manibus, duxerimus evocandum; quod terminum in proximo, prout circumstantiæ pensandæ permiserint, intendimus assignare; non improvisus, sed ut tanti negotii solemnia exigunt, paratus appareat: & ad præmissa non morosus, sed promptus & festinus occurrat. Et nihilominus aliquem, vel aliquos, qui super ejusdem assignationem termini, quid suæ commoditati congruat; & alias plene ipsius super hoc per omnia voluntatem nobis insinuare valeant, celeriter ad præsentiam nostram mittat. Ideoque serenitatem regiam paterno commonemus affectu, quatenus in præmissis, non quid velles, sed quid velle te decet inspicens, & tam in his, quam in aliis, quæ agenda occurrunt, non solum initium, sed & prosecutionem & finem, præambula & attenta meditatione discutiens; circumspecte quoque considerans, quam incertus sit guerrarum eventus, quam periculosus animabus, quantum corporum plenus exitio, quantam rerum ingerat vastitatem; discordiam cum prædicto Rege, immo potius cum Imperio solicite ac prudenter evitans, sic ad solidam concordiam cum eodem animum tuum habilites, & opere prosequente coaptes, ut omnis dissensionis inter te ac ipsum sublata materia; ipse tuo fretus auxilio consequatur præmissa unctionem, consecrationem, & Imperiale diadema facilius incumbentia sibi prosequatur efficacius; & ejusdem Imperii throno, te cooperante, firmato, tu & ipse mutuis vos favoribus foveatis, & in unanimitate laudabili, non solum ejusdem Imperii, cujus te tanquam ipsius eximium principem decet reformationi totis vacare conatibus, exaltationi possitis intendere; sed & ad totius Christianitatis & Christianæ fidei promovenda negotia, potentiæ vestræ vires ad obtinendum inæstimabile retributionis æternæ præmium & perpetuæ laudis memoriale præconium, utiliter exercere. Dat. Lugduni VI. kal. octobris anno III.*

(a) Ext. in cit. cod. Vallis. sign. lit. C. n. 49. pag. 44.

Rex Boemiæ infensus Rodulpho.

Illum Gregorius certiorem facit Rodulphum creatum Regem Rom.

LVIII. Non paruit repetitis Gregorii monitis Othocharus, sed fœdera in Rodulphum inire, ac regiæ illius consecrationi obsistere non cessavit: missisque Gregorio literis, præstita a majoribus suis officia sedi Apostolicæ commendavit. Cui Gregorius illa sibi alte hærere in animo rescripsit, (a) proinde optima suggerere consilia: pacem cum Rodulpho amicorum opera contraheret, ne fœdera contra ipsum necteret, copiasque transmitteret in Italiam; non enim Apost. sedem id æquo animo unquam laturam, cui in Rodulphi causa eum se accommodare par esset: *Quocirca serenitatem regiam eo attentius, quo frequentius, rogamus & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus prudenter attendens, quam dispendiosum sit, etiam cum quibusque potentibus statum proprium guernarum eventibus incertis exponere, ut animarum & corporum pensanda præcipue periculataceamus; quantumque Deo implacidum, nobisque ac eidem sedi esse possit infestum, processum prosperum dicti Regis; & proinde eadem Dei negotia impedire; non solum a quolibet ejus impedimento abstineas, & specialiter nullum in Italiam mittendo militiam, nec gentem aliquam, nec alias, cum Italicis contra eum te in obligationes seu confœderationes aliquas involvendo, quod proculdubio sedes eadem æquanimiter ferre non posset; sed sic ad pacis fœdera inter te ac Regem ipsum, apud quem etiam super hoc non omisimus hactenus, nec omittere intendimus, debitæ persuasionis officium, ineundo per communes amicos, qui dissentientium corda concilient, & differentes uniant voluntates, aut aliter, prout ex alto promptius concedetur, animum tuum promptum exhibeas & voluntarium, ac paratum exponas, quod inter te ac ipsum principalis dissensionis sublata materia, cujuslibet sinistræ suspicionis occasio præcidatur: tuque Creatoris tui, pacis auctoris semitas sequendo pacificas, beneplacitis te coaptans, ipsum experiaris in omni tua opportunitate propitium; ac nos ac sedem eandem, qui præfato Regi deesse non possumus; sed favorabiliter ipsius justitiæ adesse proponimus, & quasi operi manuum nostrarum porrigere dexteram, in ipsius de cætero favorabili prosecutione tenemur, habere merearis in tuis beneplacitis promptiores.*

Ut faveat illi ad imperialem inunctionem consequendam solicitat.

Monetur ne incertis bellorum eventibus se exponat.

Contemptis apostolicis monitis infeliciter perit.

LIX. Non inane sanctissimi Pontificis fuit vaticinium: dum enim Rodulpho se opponit Boemus, eumque a Terræ sanctæ ferendo auxilio retardat, sibi exitium conflavit, victusque & captus in prælio misere trucidatus est, ut suo loco dicemus. Ferunt porro aliqui Boemiæ Regem ideo Rodulpho reluctatem, quod Imperii coronam ambiret, inter quos Siffridus (b), ait Othocharum oratores cum ingentibus muneribus Pontifici mississe in Lugdunensi concilio, ut ab eo Imperium obtineret, eaque Gregorium respuisse. Contra alii (c) non modo non affectasse, sed etiam sibi ab electoribus oblatum, contendentibus inter se Alfonso ac Richardo, dum ab expeditione Ungarica redibat, temere aspernatum esse, ut qui Imperium non honori sed oneri fore putaret, seque Imperatori futuro anteferret. Eas vero belli causas affert Dubravius, (d) Rodulphum Austriam & Carinthiam ut Imperii fiduciarias repetiisse, tum more majorum sacramentum ab Othocharo exegisse; detrectasse vero Othocharum in illius procumbere obsequium, quem olim militaribus ordinibus, dum tenuiore fortuna utebatur, præfecisset: *Rodulphus*, auctoris sunt verba, *in fortuna sua non admodum ampla, quo facilius assequeretur, totum se principibus permisit, qui eum statim in Germania more solemni coronaverunt. Post hæc continuo indictus ab eo conventus, ut omnes Imperio subjecti Nortbergam ad exhibendum novo Cæsari officium debitum & obsequium conveniant. Rursus Othocharus venire contempsit. At Rodulphus de principum sententia primum Austriam, tanquam Imperii provinciam, quam mulier abalienare, aut dotis, aut quovis alio titulo non potuerit, repetit. Dein*

Othocharum ambivisse Imperium ferunt.

(b) Siffr. epit. l. 2. Alii oblatum temere aspernatum.

(c) Æneas Sylv. in Boem. c. 27.

(d) Dubrav. hist. Boem. l. 17.

Austria, Charinthia, Styria repetitæ ab Othocharo.

*Dein Carinthiam etiam atque Stiriam ab eo, quas æque Udalrico sine Cæsaris assensu vendere minime licuit, cum utraque ad Imperii, ut vocant, feudum pertineant. Hoc insuper apposuit, ut in verba sua more majorum juraret. Vehementissime ad singula excanduit Othocharus: Ipsa re, inquiens, verum experior, de quo aliquando subdubitavi, insolentius nihil esse humili cum surgit in altum. Hic Rodulphus heri videlicet assecla noster, hodie Germanorum Cæsar, ut subito per summam insolentiam veteri domino suo insultat. Sed propediem sentiet uter magis valeat dominus an servus.* Exarsit itaque atrox inter utrumque bellum: ac parte Austriæ jam a Rodulpho occupata communium amicorum opera pax juncta est: quæ brevi postmodum dissoluta.

LX. Ut studium collocarat Gregorius pro Alfonso atque Othocharo novo Imperatori conciliandis, ita Siciliæ (*a*) & Galliarum (*b*) Reges, comitemque Sabaudiæ (*c*) in ejus amicitiam adducere est conatus. Ad Carolum enim a quo Rodulphus Etruriam repetebat, ut qui creato Cæsare ab sede Apostolica confirmato provinciæ administratione discessurum sacramento spoponderat, episcopum Petragoricensem misit, (*d*) qui ipsum ad æquitatem flecteret, doceretque ipsius rationibus consultum ab eadem sede, quem etiam Gregorius his sententiis officii admonuit (*e*): *Non quid velles, vel quid aliquorum suggerit inconsulta facilitas, sed quid velle decet in talibus, quid dictet ratio, quid Dei beneplacito congruit; quid justitia, quid honestas exposcit, diligenter attendas. Si enim hæc judicio tranquillo discusseris, proculdubio per ea, quæ tibi episcopus memoratus aperiet, patenter intelliges, in iis, quæ acta sunt & agenda circa Imperii negotium imminent; magnificentiæ tuæ paterna diligentia plenius fore provisum.* Aliis etiam literis (*f*) pontificium studium Carolo detulit ad fœdus illum inter ac Rodulphum affinitatibus adstringendum ac vicissim Rodulphum solicitavit, ut Carolum arctiore amicitiæ nexu sibi devinciret. Distinebatur ille in Germania in recuperandis alienatis Imperii rebus, ac Regis Boemiæ consiliis infringendis; unde Pontifex, qui Terræ sanctæ expeditionem accelerare, atque imminentia pericula discutere nitebatur; rerumque gerendarum felicitatem in celeritate constare noverat; Rodulphum iterum iterumque urgere non destitit, (*g*) ut legationem solemnem ad imperiale diadema postulandum decerneret, atque oratores pro firmando cœpto cum Rege Siciliæ fœdere auctoritate instrueret.

(*a*) Ead. cod. p. 43.
(*b*) Ib. p. 45.
(*c*) Ib. p. 44.
(*d*) Ib. pag. 43.
(*e*) Ead. pag. Plures alios principes Rodulpho conciliare studet Pont. Carolum æquitati se accommodare admonet.
(*f*) Ead. pag.
Urget Rodulphum mittat oratores pro fœdere cum eo paciscendo.
(*g*) Cod. Vall. sig. lit. C. n. 49. pag. 45.

LXI. Incumbebant quotidie Rodulpho novæ bellorum causæ, atque alia ex aliis negotia exoriebantur; utque erat ab bellicos labores impiger, manu strenuus, & ad reparanda Imperii jura deperdita acerrimus, aliquid novi in Francorum regni confiniis moverat: atque ideo lacessitus Philippus Rex comparabat copias, easque in Germaniam missurus erat. Quo audito Gregorius, cujus studia in pace inter principes Christianos conjungenda intenta erant, ut eorum armis Christi hostes debellaret, expavit, cum illud bellum ad rei Christianæ certissimam perniciem erumperet, ac Francorum Regem exoravit, (*b*) ut mittere exercitum differret: se apud Rodulphum partes suas, ut facta emendaret, adhibiturum.

(*b*) Ib. ead. p. 45. Regem Franc. cum Rodulpho conciliare nititur.

*Regi Francorum illustri.*

*Pertulit ad nos aliquorum non contemnenda relatio, quod militia quædam de regali jussione paratur cum armis versus partes Imperii processura. Ne igitur ex hoc dissensionis excitetur occasio; nunc præcipue, dum ad Dei servitia promovenda, in populo Christiano, & specialiter inter principes summopore pacem quærimus, & unanimitatem optamus; serenitatem regiam hortamur & instanter obsecramus in pacis auctore, quatenus ob reverentiam ipsius & nostram, regalis circumspectio solerter attendens, quod malorum principiis prudenter obsistitur; differat ad præsens versus partes illas dictæ militiæ missionem. Intendimus etenim dare operam, & jam charissimo in Christo filio nostro Rodulpho Regi Romanorum illustri, mandavimus per nuncios suos, nuper de nostra curia recedentes, efficaciter suaderi, ut si quid in eisdem partibus præsumptum est in tuam vel tuorum injuriam, emendatione celeri taliter corrigatur, quod nulla superfit querelæ materia; sed discordiæ cuiuslibet incentiva tollantur. Nec potest, ut credimus, aliquid hujusmodi auferre dilatio; sed potius quietis commoda, & præconia laudis afferre.* Illum insuper Gregorius impulit, (*i*) ut ecclesias & præsules quos regii ministri opprimebant, contra eorum insolentiam defenderet. Tum etiam legati apostolici, nimirum Simonis tit. S. Cæciliæ Cardinalis monitis morem gereret (*k*) ad eos, qui censuras ecclesiasticas despiciebant, regia auctoritate coercendos. Quo tempore controversiam diremit, (*l*) quæ de dominio in Lugdunensem urbem inter Aymarum archiepiscopum & capitulum vertebatur: *Tam auctoritate apostolica, quam ex ejusdem submissionis juribus procedentes declaramus, jurisdictionem temporalem in civitate Lugdunensi spectare ad supradictos archiepiscopum, & pro aliqua parte ad capitulum ratione juris, quod idem capitulum a quondam comite Foresii acquisivit, & comitatum appellat, &c.* Ne in jure dicundo ordo perturbetur, suis limitibus cujusque auctoritatem definit. *Dat. Lugduni III. id. novemb. anno III.*

Ad defendendos ecclesiasticos solicitat.
(*i*) Lib. 3. ep. cur. 52.
(*k*) Ib. ep. 53.
(*l*) Ep. 97.
Composita inter archiep. Lugdun. & canonicos controversia.



Ad eam litem sopiendam singularis in eam ecclesiam jamdiu pene innatus amor urgebat. Cujus rei argumento sunt eædem literæ pontificiæ, (*a*) quæ his verbis exordiuntur: *Memores uberum ecclesiæ Lugdunensis, quæ olim nos tunc canonicum tractavit ut filium, & multipliciter honoravit, ad eum excitamur affectum, &c.* Eodem benevolentiæ affectu Leodiensem ecclesiam, in qua archidiaconatum gesserat, complexus, bonorum illius invasores frænare studuit. Inter quos ducem Brabantiæ, qui ejus jura in oppido, cui S. Trudonis nomen est, occupabat, abducere conatus, (*b*) oppidanos ipsos ad ea constanter defendenda excitavit (*c*).

(*a*) Ead. ep. 97.
(*b*) Ep. 2.
(*c*) Ib. ep. 1.

LXII. Nonnulli episcopi munere interdicti restituti pristinæ dignitati.

Clementiam suam insuper in quosdam episcopos, qui Manfredi olim tyrannidi faverant, ejusque regiæ inaugurationi interfuerant, explicuit, qui facti veniam demisse poposcerunt: Melitensem (*d*) enim episc. Nolanum, (*e*) Hydruntinum, (*f*) electum Beneventanum, (*g*) Cajetanum (*h*) ob id pontificalis officii munere interdictos pristinæ obeundi illius libertati restituit. At pervicaces ferire justis sententiis ad pertinaciam eorum infringendam non destitit. Veronenses (*i*) enim ob Conradinum olim receptum, intentatis nudandæ episcopatu eorum civitatis minis, ac Papienses, (*k*) atque Ubertinum (*l*) de Andito civem Placentinum repetitis anathematis sententiis perculit. Ac Papienses quidem oratores dominicæ Ascensionis festo ad poscendam veniam miserant: sed cum Apostolica postea imperia detractarent, ut contumaces, atque ecclesiasticæ libertatis violatores iterum censuris defixi. (*m*) Cum quibus Genuenses, Astenses, ac marchio Montisferrati cum fœdus, contra imperia pontificia, iniissent; atque etiam Hispanum militem, a quo Italia turbanda timebatur, vetiti recepissent; in eos omnes censuras vibravit, (*n*) ac Genuensibus classem ad invehendas Italiæ alias ex Hispania copias mittere vetuit (*o*).

(*d*) Ep. 27.
(*e*) Ep. 33.
(*f*) Ep. 40.
(*g*) Ep. 40.
(*h*) Ep. 5. 8. 101.
(*i*) Lib. 3. ep. cur. 3. 6. 98. Censuræ in rebelles populos latæ.
(*k*) Lib. 3. ep. cur.
(*l*) Ep. 4.
(*m*) Ep. 99.
(*n*) Ep. 100.
(*o*) Ead. ep.

Concludemus hunc annum pio Gregorii facinore: ex pontificiis enim literis (*p*) constat, ipsum mille marchas Magno canonico contulisse, ut eas ad levandam in Pisana republica pauperum inopiam erogaret. Sane testatur Lucensis (*q*) Gregorium in eleemosynas effusum fuisse. *Nec intendebat* (inquit) *pecuniarum lucris, sed pauperum eleemosynis*, quod gestorum (*r*) Gregorii scriptor etiam testatur; idque probat diploma (*s*) ineunte anno editum: cum enim in carnisprivio plebeculæ certam panis, vini, & carnium quantitatem circa vesperas dare moris esset, nonnulli, quos ribaldos vocat, sibi ita in eas eleemosynas jus arrogabant, ut pauperes arcerent. Quo audito Gregorius sanxit, ut primo loco eleemosyna pauperibus traderetur; ac si ribaldi accederent, eodem munere potirentur.

(*p*) Ib. ep. 9. Gregor. in pauperes liberalitas.
(*q*) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 23. c. 4.
(*r*) Ext. in MS. Vall. bibl. sign. lit. C. n. 25.
(*s*) Ex notis Baron. ad ann. 1272. & lib. cens. p. 348.

I. Gregorii Lugduno abscedentis itinera.

ANno a Virginis partu septuagesimo quinto supra millesimum ducentesimum, indictione tertia Gregorius sanctissimus Pontifex celebrato, ut vidimus, generali episcoporum conventu Lugduni, ubi diu egerat, nimirum saltem ab XI. kal. decembris anni Christianæ salutis MCCLXXIII. ad pridie usque id. maii hujus anni, ut ex literis Vaticani regesti patet, profectionem in Italiam, ubi ipsius absentiæ occasione Guelphos inter ac Gibellinos discordiæ recruduerant, adornavit. Sed primum alia itinera subeunda, plureſque Galliarum urbes lustrandæ fuerunt, ut cum Alfonso Rege Castellæ apud Belliquadrum, cum Rodulpho Rege Romanorum apud Lausanam colloquia iniret. Inde Sedunum perrexit. Tum Alpibus superatis Mediolanum, Placentiam, Florentiam adiit, jamque Aretio vicinis laboribus fessus, atque onustus meritis, relicto sui ingenti desiderio, ad colligenda præmia pro navata adeo egregie Christi gloriæ opera, in cœlum evolavit de quo sequenti anno agendum erit, nunc quæ Lugduni atque in aliis urbibus gessit, percurrat oratio.

II. Extant plures Gregorii literæ in iis locis, quæ obibat exaratæ, in nostro sæpe laudato codice MS. Vallicellano, (a) quæ in Pontificio regesto desiderantur; quarum plures in lucem edere ob rerum, quas continent, majestatem operæ pretium esse duxi: tum in iis inserendis eo faciliores sumus, ut pulcherrima tanti Pontificis monumenta ab oblivione atque interitu vindicemus. Consulturus igitur in primis Gregorius sedis Apostolicæ dignitati, tum ditioni ecclesiasticæ, atque Italiæ tranquillitati; quamvis Otho regii sigilli præfectus Rodulphi nomine in concilio Lugdunensi omnia ab Imperatoribus concessa privilegia confirmasset, spopondissetque iterum ab illo post accepta solemni ritu Imperialia insignia corroboratum iri; Gregorius tamen asserendi juris ecclesiastici solicitus, a Rodulpho subjectis literis (b) exegit, ut ea, antequam ornamentis Imperialibus cingeretur, rata ac firma futura sacramento polliceretur.

(a) Cod. bibliot. Vall. sig. lit. C. n. 49.

Flagitat a Rodul. ut ante imperialis inunctionis sacra gesta ab oratoribus confirmet.

(b) Ext. ib. pag. 49.

*Gregorius, &c. charissimo in Christo filio Rodulpho Regi Romanorum illustri.*

*Nosti, fili charissime, quod bonæ memoriæ* O. * *sancti Guidonis Spirensis præpositus cancellarius, & procurator tuus, habens ad hoc legitimum & speciale mandatum, nuper in concilio Lugdunensi, præsentibus & consentientibus principibus & aliis prælatis, ac magnatibus regni Alemanniæ, qui tunc temporis in concilio ipso convenerant, quædam privilegia Regum Romanorum, prædecessorum tuorum, & alia concessa per ipsos Reges Romanæ ecclesiæ recognoscens, ac ea nomine tuo innovans & concedens; te illa primo, ut Regem Romanorum, & postea suscepto Imperiali diademate, ut Imperatorem, innovaturum, & etiam concessurum, præstito in animam tuam juramento promisit. Licet itaque ad unctionem, consecrationem, & coronationem, de nostris recipiendas manibus, tibi per alias nostras literas absolute videamur terminum assignare; serenitatem tamen regiam volumus non latere, quod inter nos & fratres nostros hoc expresse actum est, & tam nostræ, quam ipsorum intentionis existit, quod ante ipsum terminum præmissa omnia, quæ memoratus cancellarius, ut præmittitur, de consensu prædictorum principum & magnatum, qui eadem præsentialiter inspexerunt, solemniter nomine tuo promisit; per te ut per Regem Romanorum plenarie impleantur, cum per nos nuncio, vel literis fueris requisitus, &c.*

* Otto

Ea de re ad ipsum literæ.

Stabiliendi Rodulpho Germanici sceptri, atque ejus imperialis consecrationis accelerandæ desiderio tenebatur Gregorius, ut omnes dissensionum occasiones, quæ ex mora nascituræ erant, abscinderet: ac firmato ita Imperio consilia pro Terra sancta, ex Saracenorum servitute eruenda in opus perducere posset: atque ideo, cum accepisset discordias in Insubria recrudescere, ipsiusque æmulum (is erat Alfonsus qui anno superiori ex Hispania militem Genuam transmiserat) plures in suas partes pellexisse; Rodulphum monuit, (c) ut contractas validas copias in Insubriam, antequam malum confirmaretur, appetente majo mitteret.

III.

Monet ut copias transmittat in Italiam.

(c) Ead. pag. 49.

*Eidem Regi Romanorum.*

*Ne celsitudinem regiam forsitan lateant, quæ in tuum dispendium aguntur in partibus Lombardiæ; sed illis in tuam deductis notitiam, agas cautius & disponas consultius, quæ facti qualitate docente videris opportuna; scire te volumus, quod tui adversator culminis, & honoris æmulus non dormit in illis partibus, nec dormitat: sed ingenio conatur & viribus ad devotionem incolarum earumdem partium pervertendam. Regalem itaque circumspectionem decet attendere, quod nisi celeriter ejus nisibus occurratur, adeo convalescere poterunt mala per moram, quod ea, quæ ad præsens constat esse facilia, non sine gravi discrimine in immensum difficiliora reddentur. Ideoque serenitatem regiam monemus attentius, & hortamur, paterno nihilominus suadentes affectu, quatenus, omni mora, & occasione postpositis; competentem militiam strenuam & expertam; cujus quantitatem tibi per dilectos filios fratres H. de ordine Minorum lectorem Maguntinum, B. magistrum ordinis S. Joannis Hierosolymitani per Alemanniam, quos ad tuam præsentiam cum speciali expeditione remittimus, & magistrum A. nuncium nostrum excellentiæ regiæ mandamus exponi, sic studeas præparare, quod saltem circa finem instantis maii cum bono capitaneo & probato sit in partibus supradictis, non solum adversis obstatura conatibus, sed illis, Deo auspice repressis, omnino ad tui commodi & honoris augmentum, conservatura feliciter, & multiplicatura devotos. Quidquid autem super hoc duxeris disponendum, nobis per eumdem nuncium nostrum cum omni, qua poteris, celeritate rescribas, ut legato, quem in magnificentiæ tuæ favorem ad partes destinamus easdem, nostris literis injungamus, quod militiæ prædictæ festinus occurrat, eamque utili consilio foveat & efficaci auxilio prosequatur.*

Alfonsum in Insubria plures suis partibus iretire.



Rodulphus oratores ad Pontif. mittit.

Præter hos religiosos viros ad sedem Apostolicam a Rodulpho missos, decretos alios insignes oratores; nimirum ducem de Tect regium cancellarium, & electum Basiliensem, qui a Pontifice deposcerent, ut ornamentis Imperii Rodulphum indueret; tradunt Colmariensium Dominicanorum annales. (a) Quæ ex literis Pontificiis confirmantur, in quibus addit Gregorius (b) eos postulasse, ut dominicæ Ascensionis dies ad imperiale diadema Rodulpho in basilica principis Apostolorum imponendum, statueretur: iisdemque perstringit Rodulphum, copias in Insubriam non transmisisse, suoque auxilio Mediolanenses destituisse: qui si ab adversariis obruantur, inde ipsos in fastum elatum iri; ejus vero res deprimendas, ac forte numquam Imperiale diadema e pontificiis manibus adepturum: sciret suarum rerum felicitatem in celeritate sitam: occupanda hostis consilia, ac tum obvias quasque difficultates profligatum iri.

(a) Colmar. chr. hoc ann.

(b) Cod. Vallic. ubi supr.

Perstringitur copias in Italiam non submisisse.

*Gregorius &c. eidem Regi Romanor.*

*Attende, fili charissime, quam periculosum foret in ipsis quasi tuæ promotionis auspiciis tantum revelare defectum, quam facile averti possent per hoc corda fidelium; & quod esset longe deterius, ad adversitatis vota converti, si eo (nempe Alfonso) insistente oblatione munerum, nec a prosecutionis instantia desistente, tu illos auxilio tuo destituas, nec eis speratum subsidium militiæ prædictæ transmittas. Considera quantum ex hoc adversarii superbiæ suæ cornua elevarent: quam facile totius Lombardiæ subversio sequi posset, per quam totaliter tui casus negotii forsitan sequeretur; dum adempta tibi facultate prosequendi coronæ imperialis recipiendæ propositum, omnibus spes de consummatione tui fastigii demeretur. Considera quæ via supererit dictum relevandi negotium si viribus, aut insidiis persequentis Lombardia succumbat. Profecto incomparabiliter facilius est impetentem repellere * possidentem. Ideoque affectu paterno tuum zelantes honorem, serenitatem regiam solicitamus attentius, & instanter hortamur, quatenus, si diligis statum tuum, si confusionem extremam vitare desideras, milites, de quibus alias tibi suggessimus, ad partes prædictas non differas ulterius destinare. Speramus enim in Domino, quod si hujusmodi mittendo militiam idem tuum negotium viriliter prosequi videaris, succedet tibi eventus prosperioris applausus, quem variæ conjecturæ promittunt: cedet adversitas, & aspera convertentur in plana; nec erit opus in illis partibus militiam retinere. Vel si res forsan secus exigeret, adversariis in persecutione perstantibus, ibi poterit tractari commodius, ut per devotos, si ejusdem militiæ præsentia indigent, ipsi stipendia ministrentur. Scire quidem te volumus, quod propter fratrum nostrorum, & etiam mercatorum absentiam, perquirendo tibi mutuo vacare nequivimus, nec vacandum credidimus, ne charissimo in Christo filio nostro Regi Castellæ, ac Legionis illustri, nobis jam valde vicino, & infra paucos dies futuro nobiscum hujusmodi tua necessitas, non sine grandi tuo periculo, panderetur.*

* quam

Colloquium habiturum cum Alfonso significat.

Non in leve discrimen Rodulphi adductæ res erant in Insubria, in qua Genuenses & marchio Montis ferrati una cum Papiensibus Alfonsi partes efferrent, ac lacesserent Mediolanenses: quare Ligures ac marchionem ut contumaces Gregorius die cœnæ Domini censurarum pœnis Lugduni subjecit (c): dum alias in Veronenses (d), Papienses, (e) Ubertinumque (f) de Andito renovavit: quas etiam exeunte anno Mediolani iis incussisse videbimus inferius. Cincti vero hostibus Mediolanenses decrevere ad Rodulphum oratores, ut auxilia ab ipso elicerent. Quos Gregorius Romanorum Regi commendavit, (g) ut ipsos benevole exciperet; cum rebus suis magnum incrementum præpotens ea civitas allatura videretur, petitisque eorum admissis; cæteras urbes in sui obsequium pelliceret.

Districtæ a Greg. censuræ adversus Longob. infestantes.

(c) Greg. l. 4. ep. cur. 3.

(d) Ib. ep. 1.

(e) Ep. 2.

(f) Ep. 4.

(g) MS. Vall. sig. lit. C. n. 49. p. 49.

IV. Inde ipsius res periclitari.

Suaserat etiam antea illi Gregorius, uti fœdera cum Rege Siciliæ Carolo aliisque iniret, ut eorum potentia sui principatus auspicia corroboraret. Qui cum esset obsecutus Pontifici, & cum Carolo atque aliis principibus amicitiam, at-

V. Agitat Rodulphus de fœdere cum Rege Carolo & duce Bavariæ jungendo.

atque etiam cum Ludovico duce Bavariæ affinitatem injungere decrevisset, Gregorius est gratulatus (*a*) tantorum principum fœderibus firmasse sceptrum, ac vires suas auxisse: *Grata nobis occurrit missarum nuper tuarum series literarum, quæ te Regem pacificum manifestans, voluntatem tuam ad pacem & concordiam cum variis principibus, & specialiter cum charissimo in Christo filio nostro Carolo Rege Siciliæ illustri, ex eo paratam & ordinate dispositam, prout tibi frequenti exhortatione suggessimus, apertius reseravit, * quod inter eundem Regem & dilectum filium nobilem virum L. ducem Bavariæ, comitem Palatinum, ineundæ parentelæ fœdera regalis solicitudinis studio præparata descripsit. Hæc quidem tanto acceptiora sunt nobis, quanto ea divinis beneplacitis & tuis novimus commodis aptiora. Ex his namque regalis magnificentiæ solium solidatum augmenta suscipiet, tuæque virtus potentiæ quanto quietior, tanto efficacior evidentiori clarebit effectu, &c.* Certiores de his fecit Pontifex Guilielmum Neapolionem ac Franciscum Turrianum, qui Mediolanensem rem moderabantur, monuitque ut Hispanorum impetus constanter exciperent, ac propulsarent; data Germanis omnibus imperia, ut in Rodulphi obsequium, quem Romanorum Regem Apostolica sedes agnoscit, procumberent: brevi ipsorum rebus consultum iri; atque Hispanos aliosque, qui in eorum fines irrupere, censuris ecclesiasticis esse irretitos.

(a) Ib. eod. pag. Gratulatoriæ Greg. lit.

* atque

VI. Ex eo inito inter Rodulphum & Carolum fœdere non Imperii modo, sed Ecclesiæ etiam res confirmatas e literis (*b*) ad Albanos colligitur, quos cum ab hostibus Ecclesiæ circumsideri accepisset, ad constantiam erexit, iis Regibus mutuo conjunctis fœdere, atque in Ecclesiæ auxilium excitatis, nullorum hostium vim esse pertimescendam. Quanto ex iis fœderibus a Rodulpho perfectis gaudio est delibutus Gregorius, tanto metu ob discordiam, quæ illi cum Othocharo Rege Boemiæ intercedebat, angebatur. Prævidebat enim immensa mala, quæ ex eo bello eruptura erant: atque contra ex ea concordia rem Christianam auctum iri; ac facile felicem exitum expeditionem, quæ pro Terra sancta liberanda ornabatur, habituram. Quare ardentissimis votis literisque repetitis (*c*) Othocharum est hortatus, ut cum Rodulpho concordiæ fœdus iniret.

(b) Ext. ib. p. 214.

Pacem inter Othochar. & Rodulph. conciliare studet Pont.

(c) Ext. ib. p. 48.

VII. Othocharum hortatur, ut servet pacem.

*Regi Boemiæ illustri.*

*Extenso dudum solicitæ considerationis intuitu ad futura, cum specialiter nostri, qui pastoris in ovili dominico partes exercemus, interfit, reminisci præterita, instantias temporum librare, præsentium & futurorum indicia prævidere; tibi cum charissimo in Christo filio nostro Rodulpho Romanorum Rege illustri amicitiæ fœdus observare suggessimus, & mentem regiam ad unitatis bonum cum eodem Rege concorditer excolendæ literarum nostrarum serie recolimus induxisse. Illud præcipue meditantes, quod ex Regis ipsius, tuaque concordia commoda immensa consurgerent negotiorum Dei, ad quæ vota nostra direximus prompta, sequeretur ac grata promotio, & discriminibus variis ex utriusque damnosa discordia suscitandis materia tolleretur. Sane si, prout credimus, tuæ speculationis examen circa negotium dicti Regis veritas patefacta non præterit, dum initiis ejus atque processibus dexteram Domini liquido patet favorabiliter esse propitiam; dum ex ipsius felici regimini prosperi status Imperii reformatio expectatur; nisi omnino ab illius impedimento desisteres, beneplacito divino resistere, nec sine gravi discrimine reformando eidem Imperio pertinaciter obviare, non immerito censereris.*

VIII. Ingentia ex concordia bona proponit.

*Ideoque nos, de quorum cura præcipue inter Christi fideles pax & unitas procurandæ requiritur; cum te ac eodem Rege concordibus inæstimabilia bona consurgere, te autem ac ipso discordibus mala quodammodo ineffabilia non tam verisimiliter, quam palpabitur extimemus; apud excellentiam tuam quo frequentius, eo instantius, multiplicatis exhortationibus insistentes, serenitatem regiam iterato requirimus, monemus, & hortamur in Domino, in remissionem tibi peccaminum intensis affectibus suadentes quatenus discriminosæ dissensionis nulla profecto tibi vel alii producturæ compendia, sed dispendia gravia probabiliter allaturæ actor vulgari delatione describi prudenter evitans; & imminentis ex dissensione hujusmodi stragis excidia, humana saltem compassione in ejusdem Regis Romanorum & tua reconciliatione præcidens ipsi, quem similiter ad hoc efficacibus inductionibus exhortamur, te ulterius ad plenum reconciliare non differas; sed ut regalem animum manifestius exhibeas amatorem pacis & concordiæ ac tranquillitatis publicæ sectatorem, celeriter sic solida unanimitate conjungas, quod processuum nostrorum, quos ad promotionis ejusdem Regis Romanorum consummanda solemnia, prout utilitas publica exigit, continuare disponimus, quorumque impedimenta pati æquanimiter non possemus; experiamur te ad tuæ salutis meritum, & famæ præconium per rei evidentiam sedulum promotorem.*

Consilium Rodulphi Imperialibus insignibus decorandi aperit.

IX. Solicitatus a Pontifice Othocharus, nuncii opera nonnulla concordiæ capita miserat; quæ cum ab ils, quæ antea



tea transmissa fuerant, non discreparent; subjecit, (*a*) non aliud ipsi respondendum videri, quam preces afferendas repetendasque, ut animum ad pacem ineundam flecteret; mitteret oratores, cum quibus pax confici posset, cum Rodulphus ad sedem Apostolicam accederet. Flecti ad concordiæ, & pacis consilia saluberrimis hisce Pontificis monitis non potuit Boemus: sed concepit sinistram de Gregorio aversi in se animi, nimiique in Rodulphum hostem atque æmulum studii suspicionem; cum Pontifex Rodulpho in tuendis Imperii juribus non defuturum professus esset: utque Pontificiam auctoritatem eluderet, suorum consiliis subornatus oratoris opera denuntiavit Gregorio, se ab illius judicio provocare. Quæ quidem provocatio, cum nulla ratione nixa atque inanis esset, nec nisi ab augustiore fastigio ad celsiorem dirigenda, Othocharum reprehendit (*b*) Gregorius, pravis se consiliis irretiri passum esse: hortatusque est, ut ad pacem cum Rodulpho conciliandam animum converteret.

(a) Eod. cod. p. 53.

Othocharus sinistram de Greg. suspicionem concipit.

Ab eo provocat.

(b) Lib. 4. op. cur. 6.

*Regi Boemiæ illustri.*

X. *Quid ita devotionem illam, quam protestatus es totiens in te a tuis progenitoribus radicatam, absorbuit; quid circumspectionem regiam sic a semitis rationis abduxit, ut in ea prorumperes, quæ nobis novissime per tuas literas destinasti, non sufficimus admirari, cum causam non habeat: etsi occasionem proculdubio frivolam fingere videaris. Quæ namque causa filio suspicionis ad patrem, ipsum ad pacis commoda invitantem, ut ejus saluti provideat, commodis consulat, occurrat dispendiis, sibi ac suis quietem indulgeat, & conservet? Quid aliud ex omnibus literis, excellentiæ tuæ super negotio charissimi in Christo filii nostri Regis Romanorum illustris destinatis, intelligis? Quid iis adversum, vel diversum etiam, nisi perverso forte judicio ad sensum trahantur omnino contrarium, elicis ex eisdem? Numquid forte moleste tulisti, sicut nuncii tui habere videbatur assertio, quod in aliquibus illarum prædiximus nostri esse propositi, ut ejusdem Regis justitiæ assistamus? Profecto si verbi mysterium attendisses, hoc nequaquam tuum animum molestasset. Cum enim justitia jus suum unicuique tribuat; dum justitiæ litigantium alterutrius assistitur, per consequens jus cujuslibet conservatur.*

Suspicionem objectam a se amovet Pontifex.

Rectam justitiæ lancem tenere significat.

XI. Arguit a sede Ap. appellasse.

*Quæ igitur injuria in prædictione prædicta? Quæ in iis suspicionis occasio? Quæ appellandi causa, præsertim ab illo, qui supremi Judicis vicegerens superiorem non habet in terris? Numquid non appellatio gradum exigit, ut etiam non parem appellare sufficiat; sed a minori ad majorem gravatus appellet? Quid hic tuus, vel potius, prout verisimiliter præsumimus, tuorum consiliariorum inconsultus conatus habuit, nisi culpam? Quid aliud nisi præsumptionem admodum temerariam, & argumenta prætactæ tuæ protestationi contraria notabilis, & te omnino indecentis indevotionis expressit? Porro, fili charissime, ista materiam multæ commotionis ingerunt: sed cum nesciat ab amico charitas etiam læsa recedere, proculdubio non imprimunt cordi nostro. Sic enim personam tuam solitæ charitatis vinculis amplexamur, ut præmissa; quæ usque adhuc facilitati, vel aliorum malitiæ credimus imputanda, donec a te illa perceperimus ex sententia dicta esse; ipsam nec movere sufficiant, nec turbare. Ideoque licet eadem tui potissime contemplatione displiceant; cum per ipsa si forsan in communem notitiam devenirent, & fama læderetur, & tuo non modicum favori decresceret; nihilominus tamen eumdem tuum nuncium in illis patienter audivimus in conclavi, & in publico parati eramus audire: nisi quod ipse prudenter attendens, quod, licentiatis & absentibus multis ex nostris fratribus forum judiciale suspendimus quousque nos in terra Ecclesiæ cum tota nostra curia residere contingat, a petitione publicæ audientiæ supersedit; præsertim cum ex causa præmissa hujusmodi audientia nullum habuisset effectum, absente præcipue parte altera, nec vocata.*

Rem temeritati adscribit.

XII. Hortatur ad præterita emendanda.

*Ad cor itaque, inclyte princeps, converterere: ingredere consistorium rationis, & ipsius pacate consiliis acquiescens, patris puritatem attende. Nos enim, nisi quæ inconsulte acta sunt, perseverantia paturerit animi fuisse judicium, non desistemus a cœptis; sed tractatui concordiæ inter te ac Regem prædictum, pacis auctore prævio, sic efficaciter insistemus, quod ipso faciente, qui potest non solum tibi & Regi prædicto exinde, quantum in nobis erit, fluenta quietis affluent; sed Imperio toti tranquillitatis lenitas arridebit. Dat. Belliquadri XI. kal. aug. anno IV.*

Operam ad redintegrandam pacem pollicetur.

XIII. Belliquadrum se confert Gregorius.

Contulerat se Belliquadrum Pontifex, ut colloquium cum Alfonso Rege Castellæ & Legionis iniret. Exposcebat illud magna contentione Rex, cum inani spe Pontificis ad sua vota pelliciendi teneretur: qua expectatione delusum, animoque exulceratum in Gregorium videbimus. Intentus (*c*) itaque Gallicæ profectioni, habitis Toleti Regni conventibus, commissa filio Ferdinando publicæ rei administratione, superiori anno exeunte Valentiam, inde Dertusam, & Taraconem profectus a Jacobo Rege Aragon. Barchinonem adductus natalem Christi in ea urbe celebravit: in qua paucis post diebus, ineunte anno millesimo septua-

(c) Marian. l. 23. c. 22. Alfonsus Rex Castellæ eo iter intendit.

Magnifice a Rege Arag. socero exceptus.

ptuagesimo quinto S. Raymundus Pennafortius, genere Catalanus, e vivis excessit; nimirum die Epiphaniæ sacro VIII. id. januarii, ut refert ejus gestorum scriptor (a) Fuit vitæ sanctitate ac doctrina insignis, quem ideo Dominicanæ familiæ se addixisse ajunt nonnulli, ut commissam in juvene, quem ab eo sacro amplectendo instituto averterat, culpam resarciret. Sed eos refellit Franciscus Penia, (b) qui gesta sanctissimi viri antiquitus conscripta notis accurate illustravit, auxitque. Doctrinæ quidem insignia posteris relicta sunt monumenta, cum Gregorius IX. ipsius, ut viri in utroque jure scientiæ laude florentissimi, opera ad decreta Pontificum in ordinem meliorem redigenda usus sit; eumque librum legendum in academiis, in foro ad dirimendas causas discutiendum proposuerit. Scripsit etiam summam egregiam, quæ cum diu manuscripta circumferretur, tandem typis mandata est. Qui ideo inter scriptores ecclesiasticos jure merito ab auctoribus, qui de iis agunt, recensetur. Nec minor sanctitas cum tanta doctrina conjuncta erat, ut plura ostenderunt ab ipso patrata miracula: quæ percensere non est opus, cum a pluribus ac recenter a Joanne Bolando, (c) qui egregio pietatis studio, summa diligentia, immensoque labore acta sanctorum collegit, scriptis mandata sint, eorumque memoria apud Barcinonenses efflorescat. Inter quæ sulcatum ab ipso in pallio non madido Balcaricum mare, & quadraginta (d) mortuos ad vitam ejus opera excitatos non præterimus: ipsiusque opera institutos in Catalaunia fidei censores ad excindendos hæreticos, qui sæpius ex Narbonensi Gallia in eas terras profugiebant. Curatum magna pompa illius funus, ac duorum Jacobi Aragoniæ, Alfonsique Castellæ & Legionis Regum præsentia cohonestatum, tradunt Surita (e) ac Mariana (f). Quibus consentiunt ea, quæ refert Clemens VIII. in diplomate, (g) quo ipsi sanctorum honores, ineunte nostro sæculo, anno nimirum MDCI. decrevit.

Interest B. Raymundi Penni af. morti.

(a) Leander de vir. illust. ord. Prad. l. 1. & apud Sur. to. 1. die 6. januar. Surit. annal. l. 3. c. 94. & alii.

S. Raymundi doctrinæ monumenta.

(b) Pen. in not. ad c. 4. vitæ S. Raym.

Insignia ab eo patrata miracula.

(c) Jo. Bolan. to. 1. die 7. januar.

(d) Leand. ubi sup. Surit. l. 3. ubi sup.

(e) Id. ib.

(f) Marian. l. 13. c. 22.

(g) Extat. in bullar. in Clem. VIII.

*Omnibus demum virtutibus cumulatissimus, devexa jam ætate, in perpetua quadam erat animi vigilia expectans Dominum ut ad cœlestes nuptias ab eo vocaretur. Igitur annos fere centum natus, cupiens dissolvi & esse cum Christo, in lethalem morbum incidit: atque sacramentis omnibus rite munitus, orantibus ad lectulum fratribus, deficiente sensim omni vitæ sensu, ipso die Epiphaniæ Barcinone obdormivit in Domino anno salutis MCCLXXV. Vulgata ejus morte ingens hominum concursus ad monasterium videndi causa repente factus est: ac tanta fuit sanctitatis ejus apud omnes opinio, ut multi episcopi, complures prælati, ac nobiles viri, clerus etiam & populus Barcinonensis universus funus ejus summa doloris significatione sint prosecuti. Communem vero illam ejus sanctitatis famam auctoritate sua magnopere auxerunt Alfonsus Castellæ & Jacobus Aragoniæ Reges, qui ad ejus exequias sua præsentia cohonestandas, comitantibus filiis ac domesticis omnibus, summa cum veneratione & fama sanctitatis beati hujus viri convenerunt. Itaque corpus ejus magno totius civitatis luctu ac principum virorum dolore honorifice humatum est: quod paucis annis post in sepulcrum marmoreum translatum fuit. Barcinonensis populus B. Raymundo vita functo, quasi totius patriæ lumine extincto, mærore afflictus graviter angebatur: atque ob recentem virtutum ejus atque beneficiorum memoriam eo carcere omnibus acerbissimum erat: sed pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui secundum multitudinem dolorum consolationibus suis timentium se corda lætificat, B. Raymundi meritis beneficia in omnes conferendo, plebem suam mirifice recreavit: nam fidelissimi hujus servi integritatem, & sanctimoniam, multis quidem in vita miraculis claram, pluribus signis post obitum ingenti omnium lætitia comprobavit.*

Et celebres exequiæ.

Insigne illud est, quod narrat Penia (h) cum ex ejus sepulcro suavissimus odor efflavit: *Die IV. aprilis MDXCVI. quo archiepiscopus Terraconensis, & episcopi Barcinonensis & Vicensis beati viri sepulcrum exploraverunt, Ludovicus de Claramunt, qui sexdecim annorum spatio olfactus facultate privatus, dum sepulcrum aperiretur, interfuerat, olfactum recuperaverat; simulque suavissimum ex sepulcro odorem prodeuntem senserat. Eundem suavissimum ac pene cœlestem odorem multi testes, quorum attestationes in actis relatas judices legitimo judicio exceperant se percepisse affirmaverant: addebantque nonnulli non eo modo die, quo celeberrima solemnitate sepulcrum apertum extiterat; verum diversis quoque aliis temporibus ex foramine quodam, in eodem sepulcro existente, suavissimum odorem, quem illi tantum, quos Deus eo honore & gratia perfrui vult, percipiunt, exire solere.* Hactenus de S. Raymundo: nunc ad intermissam de Alfonso Castellæ Rege redeamus.

(h) Penia in vit. S. Raymun. l. 2. c. 100. Illius corpus suavem odorem spirat.

XIV. Jacobus generum a colloq. Belliquadrensi abducere frustra tentat,

Addunt Surita & Mariana, Jacobum Regem Alfonsi generi consilia haud probasse, ac multis verbis a Belliquadrensi cum Pontifice ineundo colloquio abducere conatum; cum jam, Imperii causa Rodulpho adjudicata, Gregorium e sententia discessurum nulla spes esset; Alfonsum tamen, qua putabat florere gratia



Datum Alfonso ut Gallias ingrederetur, liberi commeatus syngraphum.

tia innixum fiducia, retrahi a suscepto itinire non potuisse. De eo acturi colloquio, nonnulla ex pontificiis literis præmittenda sunt, quæ ad viam illi sternendam præcessere. Postulanti Alfonso annuerat Philippus, ut ditionem suam ineundi hujusmodi colloquii causa ingrederetur; ea tamen lege, ut armatum militem secum non duceret: quamobrem offensus Castellæ Rex questus erat apud Pontificem videri sibi a Philippo contra dignitatem suam interdici, ne satellitio regio stipatus accederet. Cui Gregorius non ita rem interpretandam respondit. Ut tamen Regis Francorum voluntatem exploraret illustraretque, literas a Philippo ad Alfonsi gratiam, quibus regii corporis stipatores nonnullasque equitum turmas adducere permissum erat, obtinuit, quas Valentino episcopo Alfonso tradendas misit (a). Quo vero Castellæ Regem venientem debitis officiis prosequeretur, archiepiscopo Narbonensi munus excipiendi Regis, atque ad se deducendi, qua par erat honorificentia, commisit: (b) *Charissimum in Christo filium nostrum Regem Castellæ ac Legionis illustrem ad nostram præsentiam accedentem desiderantes, prout decet, multipliciter honorari, fraternitatem tuam monemus attentius & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eidem Regi per totam terram tuam, per quam eum transire contigerit, honorificentia tanto principi congruenti exhibita, ipsum postmodum ad nos personaliter comiteris.* Magistratui vero Belliquadri curam demandavit (c) ut sibi, Regi, & Cardinalibus, ædes congruas apparet.

(a) Ext. Greg. lit. ad episc. Valen. in cod. Vall. sig. lit. C. n. 49. p. 112.

Narbonensi arch. data provincia deducendi Regis Castellæ.

(b) Ib. pag. 113.

(c) Ib. ead. pag.

Alfonsus Belliquadrum se confert.

Visum quidem Gregorio fuerat locum angustiorem esse ad pontificiam regiamque familiam excipiendam; atque ideo decreverat Tarascone morari, dum Castellæ Rex Belliquadri consisteret: cui tamen ut gereret morem, cum aliquibus Cardinalibus in idem oppidum se conferre pollicitus (d): *Volentes*, inquit, *in hoc tuæ condescendere voluntati, deliberavimus venire Belliquadrum, aliquibus ex dictis fratribus nobiscum inibi moraturis, reliquis vero remanentibus Tarascone. Decet itaque ut sic dictam comitivam tuam circumspectio moderetur, quod multitudine, quam loci arctitudo non patitur, providentia moderantes exclusa, incommoditates prædictæ, quas conjectura minatur, provisionis tuæ diligentia excludantur. Dat. Aurasiæ &c.*

(d) Ib. pag. 53.

(e) Surit. l. 3. annal. c. 93. Ptol. Luc. hist. eccl. l. 23. c. 5. & alii.

(f) Marian. hist. Hisp. l. 13. c. 22.

Ingressum Gallias octavo a paschate die Alfonsum, ac toto vere & parte æstivi temporis egisse Belliquadri cum Pontifice, refert Surita (e); de quo familiari congressu Mariana meminit (f) Regemque coram Gregorio in Cardinalium cœtu conquestum de Germanis, qui pendente suæ electionis controversia alium elegissent: si quod in ea dubium erat, erepto æmulo Richardo, sublatum esse: Hispaniam ob irruptiones barbarorum deserere antea non potuisse: nunc vero relicto in patria filio geminæ prolis jam patre, Imperium ipsius auspiciis capessiturum: tum obtestatum, ne in juventute parta in eo ætatis flexu sibi eripi pateretur. At Pontificem causas exposuisse (quod factum antea abunde vidimus) cur novum Augustum creare licuisset: Richardi obitu nullum jus illi accessisse: cessisse Imperio: priora in eum Germanorum studia refrixisse: nullas vires contra Germanorum consensum pares futuras; & Christianam rem in periculum adductum iri. Addit auctor Alfonsum, ita repulsam passum, alias spes tentasse, contendisseque Sueviæ principatum ad se materno jure pertinere; nova a Rodulpho affectum injuria, qui illum invasisset. Conquestum præterea Henricum fratrem teneri in vinculis a Carolo, ac Philippum Francorum Regem regni Navarræ procurationem invasisse: cum, repetitis antiquis juribus, illud ad Castellanam coronam revocaret.

Quæ egerit cum Pontifice.

Contrarium vetis Pontificem experitur

Exambiverant post Henrici Regis mortem Navarræum sceptrum finitimi Reges: ac Regem Aragonum initæ olim a Sanctio adoptionis, de qua a nobis suo loco est actum (g) specie affectasse, pluresque in suas pellexisse partes, Surita refert (h). Regina vero una cum filia Joanna impubere inter medios tumultus, cum alii Castellano, Aragonio alii, alii Gallo studerent, profugiente in Gallias, Philippus Rex Francorum conjungendi Gallico illius regni avidus, a Gregorio contendit, ut leges canonicas ad filii Ludovici & Joannæ, qui tertio consanguinitatis gradu erant conjuncti, gratiam solveret. Cæterum Pontifex, cum initio ab ea re ob aliorum Regum æmulationem abhorreret, demum tuendæ rei Gallicæ studio assensit, ut Joanna non Ludovico Gallici sceptri heredi, sed Philippo secundo natu, quem tamen postea brevi, mortuo fratre, utrumque sceptrum gestasse visuri sumus, nuberet: ac ne ab Alfonso Castellæ Rege, cum quo Belliquadrense colloquium erat inituru, importunis precibus de Joanna alicui e nepotibus thoro jungenda fatigaretur, mox Francorum Regi diploma tradidit: de quibus in MS. codice Vallicellano extant Gregorii literæ (i). Adeptus ita in Navarram jura Francorum Rex Philippus, fractis pulsisve adversariis, eam armis subegit, ut Ptolemæus Lucensis in MS. historia ecclesiastica subjectis verbis refert (k): *Rex Fran-*

(g) An. Chr. 1234. n. 52.

(h) Sur. ind. l. 2.

(i) Codex Vall. sig. lit. C. n. 49. pag. 47. & p. 114.

(k) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 23. c. 36.

*Franciæ exercitum parat ad intrandum Navarram pro filio suo Philippo, qui filiam Regis Navarræ accepit in uxorem, cui & successive debebatur regnum præfatum, ac comitatus Campaniæ. Videns igitur in Navarram exercitus ejus, Pampiloniam expugnant, & certam partem destruunt propter rebellionem. Insuper & quidam nobiles, rebellantes * dominium Franciæ, fugiunt in Aragoniam & Castellam, & sic Rex Franciæ usque in hanc horam dominus est Navarræ.* Agunt pluribus de Pompejopoli expugnata a Carolo comite Atrebatensi, & regno universo in Gallorum potestatem redacto Gallici & Hispanici scriptores (*a*): sed hæc nobis suffecerint. Nunc redeo ad Alfonsum Castellæ Regem, qui ob hæc a Gallo gravissime est abalienatus, nullaque re a Gregorio impetrata, præcipiti æstate a Pontificio colloquio iratus discessit (*b*).

* contra

(*a*) Nang. in gest. Phil. Surit. ind. l. 2. an. 1274. Marian. de rebus Hisp. l. 14. c. 3.

(*b*) Idem l. 13. c. 22.

XV. Regressus in Hispaniam, abjecta Imperii insignia resumpsit (*c*) sigilloque imperiali usus est, atque ad Germaniæ & Italiæ fœderatos principes scripsit, ut illius causam adversus Rodulphum tuerentur: sui non fuisse consilii juribus Imperii abscedere. Quibus acceptis Gregorius, cum Belliquadro Lausanam iter intenderet, ut cum Rodulpho Rege Romanorum, quem, ut ad Imperii limitem accederet, ad colloquium de rebus ad Imperium & rem Christianam spectantibus habendum solicitasse vidimus; Hispalensi episcopo provinciam dedit (*d*) ut incusso censurarum terrore Augusti nomine sigilloque abstinere moneret.

(*c*) Surit. l. 3. c. 93. Marian. l. 13. c. 22.

Resumit Imperii insignia. Pontifex illa deponere jubet.

(*d*) Lib. 4. ep. cur. 11.

*Archiepiscopo Hispalensi.*

Data Hispalensi archiep. imperia, ut cæptis adducat.

*Ob dandum super negotio Imperii pacificum orbi statum novit tua fraternitas, non grandia postposuisse negotia, multos sustinuisse labores, & gravia tædia non vitasse. Quod de Omnipotentis misericordia fuisse supponebamus obtentum, postquam charissimus in Christo filius noster Rex Castellæ ac Legionis illustris super eodem negotio nostris beneplacitis acquievit. Sed, sicut multorum fide dignorum assertione didicimus, dictus Rex in suis literis se Regem Romanorum intitulat sicut prius, & sigillo utitur literis & impressionis typario intitulationem hujusmodi exprimente: super quo nos etiam aliquæ suæ literæ instruxerunt intitulatæ taliter & impressæ. Habet etiam hujusmodi assertionis adjectio, quod idem Rex varias literas quampluribus magnatibus Alemaniæ, necnon & communitatibus Italiæ destinavit, affirmans in illis, se a dicto Imperii negotio nec destitisse, nec velle desistere; sed plenis conatibus illius prosecutioni vacare. In his autem utrum, sicut regalem decet excellentiam, debitum suæ promissionis observet, satis intelligunt qui rem sciunt. Ideoque fraternitatem tuam monemus, rogantes & hortantes attente, nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ tibi districte præcipiendo mandantes, quatenus aliquibus ad hoc, de quibus expedire videris (inter quos dilectum filium priorem de Lunello capellanum nostrum, si ejus facile possis habere copiam, præsentem esse volumus) convocatis, memoratum Regem diligenter monere, ac efficaciter inducere studeas, ut ab his & similibus omnino desistat, sigillo ac intitulatione præmissis de cætero non usurus: alioquin omittere non poterimus, sicut nec etiam deberemus, quin remediis, quæ facti qualitas exiget, talibus, quantum cum Deo fieri poterit, obviemus. Quidquid autem super his actum fuerit, & specialiter responsione ipsius Regis super præmissis, nobis per tuas patentes literas harum seriem, & eorum qui præsentes fuerint nomina continentes, fideliter intimare procures. Dat. Valentiæ id. septembris anno* IV.

Censuras ecclesiasticas obnitenti incutiat.

Impositum sibi munus obivit archiepiscopus, cui Alfonsus monenti, ne Regis Romanorum nomen, cujus, jure cesserat, contra fidem datam, magna rei Christianæ pernicie, affectaret; respondit se ea de re deliberaturum. Cujus responsi certior factus Gregorius, repetitis imperiis cœptis instare præcepit. Qua de re Viennæ IV. kal. octobris extant exaratæ literæ (*e*).

Archiep. jussa apostolica exequitur. Alfonsi responsum.

(*e*) Ib. ep. 12.

XVI. Perfecit (*f*) demum archiepiscopus Hispalensis ecclesiasticæ execrationis denuntiatione, ut Alfonsus nomine & insignibus imperialibus sibi temperaret: cui decimæ ecclesiarum in sumptus belli Maurici concessæ; de quibus Lausanæ pridie idib. octobris hujus anni in regesto pontificio extant literæ (*g*). Adegit quidem ad id Alfonsum mutatus repente in contrarium secundarum rerum status; gemina nimirum a Marrochitanis & Granatensibus accepta clades. Agit pluribus de ea Africanorum in Hispanias irruptione Mariana, ac refert (*h*) ut Nunnius Lara tutando Bæticæ limiti præfectus, cum se arcis munitione tueri posset, hosti obviam progressus barbarorum multitudine, quorum acies initio retuderat, obrutus sit magna suorum clade. Mense majo id prælium commissum: quo audito sacram, dato crucis symbolo, archiepisc. Toletanus militiam contraxit, ut lapsas res redintegraret, cui in Saracenos prosilire meditanti, Gregorius, Belliquadri cum esset, adjecit (*i*) animos: *Gaudemus in Domino, & lætamur in tuis laudibus gloriantes, quod sicut gratantes accepimus, & utique acceptamus, illo, qui ubi vult spirat, tibi timorem sui nominis & amorem salubriter inspirante, zelo fidei Christianæ succensus, immo Christi flagrans amore, ad Chri-*

(*f*) Sur. l. 3. annal. e. 93. Marian. l. 13. c. 22.

(*g*) Lib. 4. ep. cur. 10.

Juribus imperii demum cedit.

(*h*) Marian. l. 14. c. 1.

Africanorum in Hispaniam irruptio. Nunnius Lara deletus.

(*i*) Ead. ep. 10.

Toletanus archiep. symbolum crucis in eos accipit.



*stianorum succursum decertantium contra perfidos Saracenos (qui congregata de partibus Africæ multitudine contumaci, proditorie regnorum & terrarum charissimi in Christo filii nostri Regis Castellæ ac Legionis illustris fines ingressi, fideles illarum partium populos hostilibus impugnant ingressibus, & truculenta impetunt feritate) desideranter aspiras, ad assumpto vivificæ crucis signaculo te prompto spiritu devovens, te ad executionem voti magnifice præparas & accingis, &c. Datum Belliquadri* III. *non. sept. an* IV.

In acie ab impiis obtruncatus.

Ad incendendum alliciendumque militem, criminum, quæ sacra confessione expiata esset, veniam amplissimam atque alia privilegia ipsius signa secuturis impertivit. Erat is Sancius (*a*) Aragonum Regis filius, qui in acie a barbaris confossus est, mox illi amputatum caput, ac sinistra manus pontificio annulo insignis obtruncata. Cumulatæ eæ clades Ferdinandi sceptri heredis intempestiva morte, qui ut in præsenti ingentem luctum attulit, ita in futurum ingentium bellorum causas reliquit. Susceperat ex uxore Blanca S. Ludovici filia Alfonsum & Ferdinandum filios, quibus transmissam paterno jure regni hereditatem Sanctius patruus eripuit, contendens ad se, ut qui proximo gradu cognationis Alphonsum Regem superstitem contingeret, successionem devolutam. Sed desecuto inde bello inter Gallos & Hispanos agetur inferius: jam de Maurico institutum sermonem absolvimus.

(*a*) Marian. l. 14. c. 1.

Ferdinandus Cerda moritur.

Illius frater nepotibus hereditatem præripere meditatur.

XVII. Accessit in illius belli societatem Petrus Jacobi Regis Aragonum major natu filius. Antequam vero in hostem pergeret, celebratis regni conventibus, Jacobus nepotis ex Petro filio dignitati consuluit, ut si in bello Maurico ille occumberet, Jacobo Alfonsus nepos, exclusis patruis ipsius Jacobi filiis, sceptro succederet: in ea re Ferdinando Castellæ principe ad sopienda bella longe cautior. Legavit vero Petrus ad Pontificem, antequam Belliquadro discederet, Valentinum episcopum, ut suscepta tuendæ fidei bellique in Saracenos ex apostolico arbitrio gerendi consilia aperiret. Cui pium adeo ardorem est gratulatus Gregorius (*b*).

Valentini episcopi opera obsequium Pontifici devovet

(*b*) Cit. cod. Vall. pag. 53.

*Nobili viro Petro primogenito charissimi in Christo filii nostri Regis Aragonum illustris.*

Gratulatoriæ de egregio illius studio Greg. lit.

*Venerabilem fratrem nostrum Valentinum episcopum excellentiæ tuæ devotum, & dilectum filium fratrem Petrum de ordine Minorum, & nobilem virum Arnaldum Dei, tuæ magnitudinis nuncios, quos nuper ad nostram præsentiam destinasti, benigne recepimus; & lætantes audivimus, quæ nobis de tuo laudabili proposito retulerunt. Habet enim ipsorum assertio, quod tu non ingratus beneficiorum acceptor, datam tibi a Deo potentiam grata recognitione cognoscens, proponis illam in ejus servitiis exercere, id offerens pro nostris beneplacitis te facturum. Nos itaque oblationem tam acceptam multipliciter acceptantes, in ea tibi specialiter congaudemus. Speramus enim in illo, qui talem tibi spiritum inspiravit, quod ipso te in hujusmodi proposito conservante, qui potest & actus dirigente, qui novit animæ tuæ salutem; quam prosequeris, proculdubio assequeris. Cæterum volumus magnificentiam tuam non latere, quod charissimo in Christo filio nostro Regi Francorum illustri per eosdem nuntios in favorem tuum literas efficaces, prout decere vidimus, destinamus. Dat. Belliquadri, &c.*

XVIII. Optat Petrus Regis Franc. amicitiam.

(*c*) Ibid. pag. 53.

Intercessorem Pontificem adhibet.

Extant eæ ad Regem Francorum in Vallicellano codice (*c*) literæ, quibus rogat, ut Petri principis oratores perhumaniter accipiat, atque amicitiam cum ipso redintegret: cum arma augendæ divini numinis gloriæ consecrare meditetur: *De dilecto filio nobili viro Petro, primogenito charissimi in Christo filii nostri Regis Aragonum illustris, fidelium nobis testimonia referunt, quod ad Dei servitia sincerum gerat affectum, suasque in illis vires, firmato ad hoc proposito, pro nostro beneplacito cupiat exercere. Hinc ipsum, tibi affinitate conjunctum, benignitatis commercio desideramus uniri, ut ad utiliorem eorumdem negotiorum promotionem regali potentiæ utilius uniatur. Datum Belliquadri.*

XIX. Interceserat (*d*) Petrum principem inter ac Philippum gravis de regno Navarræ controversia, cum uterque Joannem sceptri heredem filio dare conjugem meditaretur: excesserat enim e vivis superiori anno die S. Magdalenæ sacro Henricus Navarræ Rex. Porro, ut paulo ante dixi, egerat cum Gregorio Philippus Rex, ut apostolica auctoritate legem de gradibus consanguinitatis ad Ludovici filii & Joannæ puellæ gratiam, ut matrimonio conjugarentur, solveret. Afferebat gravissimas, ut Gregorium ad vota flecteret, rationes; Campaniam & Briam nobiles regni Gallorum provincias ad Joannam successione spectare, quæ si alteri quam Gallo principi nuberet, regnum in discrimen ab externis adduceretur. Quibus permotus sanctissimus Pontifex, cum etiam Joannam in Regis potestate videret, ita Gallico regno consuluerat, ut tamen aliis Regibus nimia Gallorum potentia, conjunctis iis regnis, metuenda non esset: beneficium enim e Cardinalium consilio non in Ludovicum sceptri Gallici heredem, sed Philippum secundum natu contulerat (*e*). At eo beneficio non contentus Philippus, cum ea

(*d*) Nang. in gest. Phil. Franc. Reg. Surit. lib. 3. annal. c. 89. Marian. l. 13. c. 22. & l. 14. c. 1.

De exorta inter ipsum & Reg. Franc. de regno Navar. controversia.

(*e*) Cod. Vall. MS. sig. lit. C. n. 49. p. 114.

ea regna coire perpetuo nexu vellet, contendit iterum a Gregorio, ut collatum Philippo secundo natu beneficium in Ludovicum Gallicæ coronæ heredem transfunderet: cujus petita repulit Pontifex, ac Simonem Card. A. S. L. Regem ab eo consilio revocare jussit (*a*).

(a) Ibid. XX.

Regiis insigniis hoc anno exornatam Mariam Henrici Brabantiæ ducis filiam, quam Philippus Rex priore uxore defuncta, sibi junxerat, refert Nangius; (*b*) remque solemni pompa Parisiis a Rhemensi archiep. perfectam: ac Gillone archiep. Senonensi querente suis juribus detractum, cum Rhemensis non foret extra provinciam Reges Gallos Reginasve corona redimere; coram legato Card. Simone tit. S. Cæciliæ Regis nomine responsum fuisse, sacellum regium, in quo ritus celebratus erat, a Romanis Pontificibus immunitate donatum. Parisiensis porro episcopus ad id muneris a Rege non est adhibitus, cum ab illius gratia excidisset. Quem quidem ab eo oppressum ostendunt ad Philippum Gregorii literæ, (*c*) quibus arguit Parisiensis ecclesiæ jura violasse: *Si ad venerandam Parisiensem ecclesiam aciem mentis nostræ convertimus, occurrit quod ea, quæ cum ipso geruntur latere nequeunt; sed facile diffunduntur in orbem, cum de universis mundi partibus convenientes Parisios, eam quasi spectaculum in specula positum contemplentur; occurrit quod eadem ecclesia & pastores ipsius, eorumdem progenitorum & tuis quasi peculiariter inhærentes affectibus, dexteram vestram singulariter sensere propitiam: quodque memoratus episcopus, & eadem ecclesia sub alarum umbra tuarum sperant, quod ab eis aliorum iniquitas transeat, & regiæ protectionis auxilio quævis vexatio ejusdem excludatur. Nonne igitur digne molestum, si prætextu ejusdem quæstionis vel prædicti episcopus & ecclesia præsumantur mole regalis potentiæ opprimi, vel excellentia regia quoquo modo de ipsorum oppressione notetur?*

(b) Nang. in gest. Phil. Reg. Franc. Maria Regina Franc. insigniis regiis exornatur: Rhemens. arch. pompam perficit.

(c) Ext. ib. pag. 48.

Pontifex Regem monet, ut ecclesias tueatur.

XXI. Defendit pari constantia Gregorius oppressos in Lusitania ab Alfonso Rege præsules, hac edita constitutione (*d*).

(d) Greg. X. l. 4. ep. 44. ext. etiam in formul. Marin. Ebuli. p. 361. n. 3279.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*De regno Portugalliæ contra dudum, & nunc, propter peccata forsan populi, regnantes in ipso, ab olim ingens clamor ascendens, in gentes & regna illorum diffudit infamiam; & exclamans in eo sancta prosterni, ecclesias, personas ecclesiasticas, & libertatem ipsarum non conculcari tantummodo, sed quasi omnino subverti; regnum ipsum cum suis habitatoribus per regnantes eosdem non regi vel dirigi, sed velut datum in prædam ab ipsis & suis tamquam a prædonibus inhumane tractari, undique diripi, totaliter-que consumi: diversorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & nostras aures perculit, & ad prædictorum correctionem, ipsiusque regni directionem eo specialius illorum & nostrorum excitavit officium, affecit animos, provocavit affectus, quo idem regnum, quod est Romanæ ecclesiæ censuale, ipsi Ecclesiæ specialiori jure tenetur. Dudum siquidem cum ad felicis recordationis Honorii Papæ prædecessoris nostri audientiam validis multorum clamoribus pervenisset, quod quondam Alfonsus Portugalliæ Rex, timorem divini nominis & amorem damnabiliter a se procul abiiciens, & tamquam ad ejusdem regni & habitatorum suorum conculcationem, seu potius desolationem extremam, & subversionem omnimodam ecclesiasticæ libertatis in spiritu tyrannicæ persecutionis anhelans; inter cætera gravia & enormia, quibus contra se ultionum Dominum provocabat, sacrosanctam Ecclesiam sponsam ejus in regno ipso ancillare pro viribus satagebat, tam cathedralibus, quam aliis ecclesiis, nec non monasteriis, hospitalibus, domibus aliisque religiosis locis, & clericis dicti regni collectas & alia importabilia gravamina præsumptuosus imponens, alias eandem diversis & variis afflictionibus opprimendo; præfatus prædecessor eundem Alfonsum per suas literas rogandum, monendum duxit attentius, & hortandum, obsecrans per aspersionem sanguinis Jesu Christi, ut culpas suas humiliter recognoscens, converti ad Dominum festinaret; & ab ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum molestiis & graviminibus omnino desistens, bonæ memoriæ archiepiscopo Bracharensi, qui hujusmodi occasione gravaminum in eundem Regem ac nonnullos complices excommunicationis, & terram ipsius metropolitica sibi lege subjectam interdicti sententias duxerat promulgandas, de damnis & injuriis, archiepiscopo irrogatis, eidem satisfactionem plenariam exhibiret, certis super hoc executoribus deputatis, adjectisque comminationibus gravibus & diversis, quæ de regni etiam amissione formidinem ingerebant.*

A prædecessoribus Regibus labefactari erat cœpta.

Districtæ ob id in Alfons. censuræ ab Honorio.

XXII. *Cumque quondam Sanctius ipsius Alfonsi filius in regno successor eodem, tamquam in ipsum cum sanguine hujusmodi pravitate diffusa, fugienda sequens vestigia genitoris, excessus enormes in ecclesiasticas & religiosas personas non minus, immo magis perniciose committeret, prava quædam & iniqua inter cætera prosequendo statuta, quæ proavi sui profana præsumitur edidisse præsumptio; & per quæ personarum ipsarum injuriæ, ac infamationes graves, domorum quoque infractiones, bonorum spoliationes & direptiones frequentius contingebant; piæ memoriæ Gregorius PP. IX. prædecessor noster, cum ad ipsum præmissa per clamosæ insinuationis infamiam devenissent, intendens & ejusdem Sanctii saluti consulere, & ecclesiarum ac personarum ipsarum indemnitatibus providere; dicto Sanctio inter alia districtius inhibuit per suas literas speciales, ne per se, vel officiales, aut vassallos suos personas easdem infamare, vel earum domos infringere, seu bona ipsarum quovis modo diripere attentaret, ab earumdem gravaminibus & molestiis quibuscumque penitus abstinendo: & certis super iis executoribus deputatis, graves comminationes & duras idem Gregorius prædecessor adjecit.*

Sanctius nefaria patris exempla imitatus.

Greg. IX. ad eum coercendum zelus.

XXIII. *Recolendæ insuper recordationis Innocentius Papa IV. prædecessor noster querelis multimodis, & clamosis delationibus excitatus: & inter alia intellecto, quod idem Sanctius, ejusdem regni gubernatione suscepta, ecclesias & monasteria consistentia in eodem, in gravem divinæ majestatis offensam & conculcationem ecclesiasticæ libertatis, exactionibus & oppressionibus plurimis per se ac suos immaniter afflixerat, & affligere non cessabat, & ab aliis pro ipsorum libito libere permittebat affligi; cupiens regnum ipsum, tot tribulationum adversitate depressum, per alicujus prudentis industriam relevari; cum præfatus Sanctius, quem per suas literas idem Innocentius prædecessor rogandum duxerat attentius, & hortandum, specialibus super hoc monitoribus deputatis, ut præmissa celeri emendatione corrigeret, ac in consilia se reduceret meliora; in deterius semper converteret actus suos, & mala malis, tamquam in sensum datus reprobum, cumularet; barones, communitates, seu consilia tam civitatum quam castrorum aliorumque locorum, ac universos milites & populos per regnum constitutos prædictum, per certas sub certa forma confectas literas, de fratrum suorum consilio, monuit, rogavit, & hortatus extitit: dans nihilominus illi districtius in præceptis, ut charissimum in Christo filium nostrum Alfonsum Portugalliæ Regem illustrem, tunc comitem Bolonienſem, ejusdem Sanctii germanum, per quem sperabat ipsius regni miserabilem statum ope comite cœlestis auxilii relevandum; cum prædictum Alfonsum ad curam & administrationem generalem, & liberam dicti regni Apostolicæ sedis auctoritas assumpsisset; devote recipere sibique in omnibus & per omnia intendere procurarent, deputatis eidem certis executoribus in hac parte, prout hæc omnia eorumdem prædictæ literæ plenius attestantur.*

Ut Innocentius IV. in eumdem Sanctium legibus egerit.

Regni administratione depulerit.

Subrogarit Alfonsum.

XXIV. *Porro processu temporis sæpefatus Alfonsus Rex, ad ejusdem regni prælatorum instantiam, ad curam & custodiam dicti regni, ac defensionem prælatorum ipsorum, nec non religiosorum, & totius cleri, & monasteriorum, ecclesiarum, viduarum, orphanorum, cæterorumque in illo degentium per sedem eandem, prout præmittitur, evocatus; licet certos ex parte prælatorum ipsorum articulos sibi oblatos Parisius, ac præmissas provisiones apostolicas in prædictis eorumdem prædecessorum Honorii & Gregorii literis comprehensos, se cum ipsius regni dominium, quomodocumque adeptus foret titulo, astrinxerit juramento præstito servaturum, prout in literis inde confectis, & quondam magistrorum Joannis sedis Apostolicæ capellani Carnotensis, & Lucæ decani ac Petri cancellarii Parisiensis ecclesiarum, aliorumque clericorum tam religiosorum quam sæcularium, nec non & quorumdam nobilium sigillis munitis plenius continetur; tam grandis tamen honoris, ab ejusdem sibi sedis benignitate collati, quasi omnino immemor, tantique beneficii gratiam minime recognoscens; sed ad eam prorsus ingratus, juramenti religione contempta, quam cautius custodire debuerat, non solum provisiones & articulos supradictos servare contempsit, verum etiam quamplura contra prælatos & ecclesiasticos religiosos, clerum & populum sæpedictos, ac libertatem ecclesiasticam commisit enormia, sicut fama, immo verius infamia publica protestatur, &c.* Subdit Pontifex, ut fessi illius persecutione Martinus Bracharensis & plures alii episcopi perfugerint ad sedem Apostolicam, ut violatum jus ecclesiasticum assererent: quamvis Bracharensi & Compostellano archiepiscopis vita functis, data sint apostolica imperia Alfonso Regi, ut ab invadendis ecclesiasticis opibus sibi temperaret; ac monita inculcata jussu pontificio a religiosis viris, ut datæ fidei, ac regii muneris meminisset, isque variis verborum effugiis monentium diligentiam omnem ac solicitudinem eluserit. Quibus permotus Gregorius hæc decrevit, ne ruenti ecclesiasticæ rei deesset.

Ut ille præteritas Regum injurias in sacerdotes cumularit.

Intentatum illi a præsulibus Lusitanis judicium.

XXV. *Nos igitur, qui ex debito pastoralis officii de fidelium statu pacifico solicitis studiis cogitare tenemur, tot & tantas iniquitates tanto continuatas tempore; immo potius tot temporum, & successionum continuatione incorrigibiliter obfirmatas, nequeuntes ulterius, urgente conscientia, conniventibus oculis pertransire; sed prælatis, ecclesiis, monasteriis, clericis, aliisque personis ecclesiasticis, cæterisque habitatoribus dicti regni super tot importabilibus gravaminibus, afflictionibus, & pressuris benigno compatientes affectu; ac volentes etiam paci & tranquillitati eorumdem regni prælatorum,*

Decretum Greg. ad ea tollenda mala.

*rum, ecclesiarum, monasteriorum, clericorum & aliorum in illo degentium paterno solicitudinis studio providere, de apostolicæ plenitudine potestatis, & fratrum nostrorum consilio statuimus & ordinamus, quod idem Rex obliget se stipulatione solemni, præstito juramento, ad observandum quod in prædictis eorundem Honorii & Gregorii prædecessorum literis continetur, & quæ, ut præmittitur, Parisius juravit, & quod nullo unquam tempore veniet contra ea. Promittat etiam, quod sui successores in regno prædicto, in quibus hujusmodi jam quasi hereditariæ pravitatis in tot eorum sine interruptione radicatæ prædecessorum exempla non immerito metuuntur, infra annum postquam gubernacula ipsius regni susceperint, se modo simili obligabunt, & super hoc idem Rex suas patentes literas tam juramentum, quam totius promissionis hujusmodi seriem continentes sua plumbea bulla bullata confici faciet dilecto filio electo Bracharensi, & venerabilibus fratribus nostris Egitaniensi, Colimbriensi, Portugalensi, Ulixbonensi, Silvensi, & cæteris ipsius regni episcopis, eorumque successoribus & procuratoribus eorumdem; singulis videlicet singulas concedendas.*

Imperia pontificia Alfonso data.

XXVI. Magistratus jureiurando adigi juss. libertatem eccl. defensuros.

*Statuimus insuper, ordinamus, & providemus, quod quandocumque aliquos in barones, alferazes, seu signiferos, majordomos, cancellarios, superjudices, consiliarios, almozarifos, prætores, meyrinos & alios officiales publicos in regno assumet eodem, ipsos, antequam suorum officiorum executionem concedat eisdem, jurare faciat, quod ipsi non erunt in consilio, auxilio vel favore, quod dictus Rex vel aliquis de suis contra prædicta provisiones & contenta in forma præmissi juramenti Regis ejusdem, aut contra ecclesiasticam libertatem quidquam faciat, & ipsi ea inviolabiliter observabunt, & a suis subditis facient observari: quodque nobiles viros Dionysium & Alfonsum filios suos, alferaz, maiordomum, cancellarium, barones, superjudices, consiliarios almezarifos, meyrinos, prætores, judices, & alios officiales regni ejusdem qui jam instituti administrant, faciat præstare simile juramentum; & quod dicti successores sui hoc ipsum de suis baronibus, alferazibus, majordomibus, cancellariis, superjudicibus, consiliariis, almozarifis, prætoribus, meyrinis, judicibus regni sui officialibus & ordinariis observabunt. Providemus etiam, ordinamus, atque statuimus, quod nominatus Rex pro se & omnibus de regno & dominio suo bona fide & sine fraude præstet, & concedat perpetuam securitatem & pacem prædictis electo & episcopis, ac eorum familiis, & rebus, ac aliis, qui hactenus astiterunt eis in dicti prosecutione negotii, vel deinceps astiterint; aut præstiterint consilium, vel favorem, quod eis in personis vel rebus suis intrando, morando, vel exeundo regnum prædictum, quoties & quando suis viderint utilitatibus expedire, non offendet, nec offendi, quantum in eo fuerit, per aliquem patietur: quodque idem Rex remittat prælatis, eorum familiis, & aliis supradictis omnem rancorem & odium, si quod contra ipsos concepit, aut aliquem eorundem, vel saltem in abstinendo ab offensis eorum, & faciendo alios abstinere, provide se habebit ad ipsos ac si adversus eos nullum rancorem vel odium concepisset. De hujusmodi autem securitatis & pacis infractione ipsum ita per omnia teneri decernimus, sicut juxta consuetudinem regionis teneremur, si treugam forsitan infregisset; & quod super præmissis capitulis omnibus & singulis observandis præstet idem Rex corporale juramentum, & confici etiam faciat patentes literas sub prædicta bulla blumbea bullatas, & prædictorum filiorum suorum, alferacum, cancellariorum, majordomorum, suprajudicum curiæ suæ, ac decem majorum baronum de dicto Regno sigillis nihilominus roboratas, dando singulis dictis electo, & singulis episcopis, abbatibus, & prioribus monasteriorum, quæ per priorem tantummodo consueverunt gubernari; nec non & communitatibus civitatum Regni prædicti, &c.* Ad coercendam vero regiam licentiam harum pœnarum terrorem incussit.

Præsules profugi ecclesiis restituti.

XXVII. Objectæ imperia respuentibus censuræ.

*Volumus & ordinamus, quod nisi sæpedictus Rex infra tres menses, postquam ad ipsum ordinatio ista pervenerit, & successores sui infra annum, postquam regnare cœperint, omnia & singula compleverint supradicta, capitula cujuslibet ipsorum præmissa, prout contigerit, omitterent implere, & si per unum mensem in hujusmodi obstinatione perstiterint; loca etiam, in quibus ipsi omittentes fuerint, vel ad quæ ipsos contigerit pervenire, quamdiu ibi moram contraxerint; sint ecclesiastico supposita interdicto. Et si infra unum mensem præter prædictos tres, sive annum quantum ad successores, proximo sequentes huic ordinationi parere, ac præmissa omnia & singula implere neglexerint; idem Rex & prædicti successores ejus ipso facto sententiam excommunicationis incurrant; quam ex nunc in illum casum ferimus in eosdem. Quod si infra alium mensem, prædictum unum mensem immediate sequentem, in hujusmodi negligentia seu omissione perstiterint, tota terra sua, videlicet prædictum Portugalliæ & Algarbii regnum, eo ipso ecclesiastico subjaceant interdicto. Et si adhuc per tres alios menses in illorum adimpletione cessaverint, subditi & vassalli eorundem Regum ab observatione juramentorum fidelitatis & homagii, quibus sibi obligati existunt, sint penitus absoluti, sibique respondere in aliquo minime teneantur, quamdiu in hujusmodi pertinacia permanebunt: nec Rex idem & successores jure patronatus, si quod in ecclesiis dicti regni, quamdiu in hujusmodi contumacia & excommunicatione permanserit, uti possint. Si autem memoratus Rex aut successores sui post promissiones & obligationes prædictas, juramenti præstationem, literarum suarum pacis & securitatis concessiones hujusmodi contra prædicta venerint, vel aliquod præmissorum; & infra similes terminos, postquam denuntiatum fuerit eis per diœcesanum loci, in quo Rex præfatus vel successores sui veniendo contra præmissa excesserint; vel per ejus vicarium ipso absente, aut ejus ecclesia vacante cum consilio & assensu duorum coepiscoporum regni ejusdem, tunc in regno ipso præsentium, super iis satisfacere forte contempserint; pœnis expressis superius ipsos decernimus subjacere: a quibus absolvi non possint sine mandato sedis Apost. speciali. Assumendi autem in barones, consiliarios, & alios officiales publicos; seu etiam jam assumpti, si eorum quæ juraverint, fuerint transgressores, nisi exinde infra mensem satisfecerint competenter, laici eo ipso sententiam excommunicationis incurrant; clerici vero & eadem ligati sententia, & obtentis beneficiis sint privati, & inhabiles ad alia obtinenda. Nulli ergo, &c. Datum Belliquadri II. non. septemb. anno IV.*

XXVIII. (a) Anton. Brandan. l. 15. monach. Lusitan. c. 41. in Alfons. III. (b) Martin. IV. to. 1. l. 4. ep. 11. Corripit Pont. Regem Aragonum adulterum. (c) Ext. apost. lit. in cit. cod. Vallic. p. 54.

Meminit hujus constitutionis Antonius Brandanus in historia Lusitanica (*a*). At non his repressa est Alfonsi Regis licentia, nec ob consecutam Gregorii mortem ea constitutio mandata (*b*) operi. Extincto vero Alfonso, cum Dionysio successore agitatum a Martino IV. de ecclesiastica libertate tuenda in Lusitania, visuri sumus. Cum vero jam instituta sit de apostolico in Regibus ad officium revocandis zelo oratio, insigne sanctissimi Pontificis in Jacobo Rege Aragonum, qui voluptatum lenociniis corruptus alienam uxorem rapuerat, increpando exemplum afferemus. Proposuit (*c*) ei ob oculos tum quam hæc ab egregiis illis suscipiendæ pro Christi fide Asiaticæ expeditionis, cui in Lugdunensi concilio se devoverat, aliena essent; tum facinoris fœditatem, cujus exemplo inficerentur subditi, divinæ justitiæ severitatem, vitæ inconstantiam; denique censurarum ecclesiasticarum terrorem incussit.

*Regi Aragonum illustri.*

*Utinam, fili charissime, regalis circumspectio consultius attendisset, quantum Deo gratus, ut credimus, & hominibus acceptus, ut scimus, laudabilis tuus ad Lugdunense concilium adventus exstiterit; quantum titulis regiæ devotionis adfecerit, & claritatem tui nominis ampliarit; quam efficaciter tua pia & liberalis oblatio, in Terræ sanctæ subsidium de regali magnanimitate procedens, ad ipsius terræ negotium exemplari suggestione præsentes animaverit & absentes; quantum ista te, licet tuis meritis nobis & ecclesiæ Romanæ præcharum ab olim, nostris & ipsius Ecclesiæ impresserint intimis, & nos ac ipsam ad conservandæ tuæ salutis, & famæ solicitudinem obligarint. Profecto si hæc discussisses attentius, si attenta discussione librasses, advertisses apertius quanta erat diligentia præcavendum, ne in aliquid labereris, quod tanto tibi merito verisimiliter præparato detraheret, tam claros tuos actus inficeret, vel famam tuam longe lateque diffusam minueret, aut infamiæ nebulis obfuscaret. Nec minus tibi liquido patuisset, quod si hujusmodi lapsus incideret, charitas in nobis ad te radicata non sineret illum præteriri silentio, vel desidia taciturnitatis obduci. Nunquid enim, quod apud omnes communis jam fama non occulit, pater apud charum filium occultabit? Nunquid potest paternus affectus ad filii salutem non affici? de illius infamia non affligi?*

Obiicit a priori pio consilio desciscere.

XXIX. Ipsius salutem & gloriam periclitari.

*Ecce, fili, non solum periculum saluti tuæ ingeritur; immo nisi correctionis, & satisfactionis remedio tibi celeriter consulas, tota perit, adeo ut si non occurras in tempore, post tempus sero succurras. Ecce super famam tuam non tantum densitas caliginosæ nubis oppanditur; sed fama eadem totaliter denigratur. Si quidem tu Rex, ut teipsum & alios regas & dirigas, prob dolor! per indirecta laberis, & per invia præceps ruis. Tu Rex, ut subditos tuos ab aliorum injuriis sub alarum tuarum umbra tegas, & protegas, ac jura ipsorum regali virtute potentiæ tuearis; si te veritatis intuearis in speculo, ipsis subditis nimis nimirum apparebis injurius: non enim in quibusvis rebus, aut juribus eorum injuriaris eisdem, sed cuilibet in altera corporis sui parte, dum quod quisque tam manifeste injuriosum sentit, in proximo veretur, & horret probabiliter in seipso.*

Acerrima sceleris objurgatio.

*Nunquid non plenum injuria, & horrore, quod sicut publica & communis assertio, non tam murmurat, quam vulgari clamore publicat & divulgat, cujusdam nobilis tui vassalli conjugi violenter abductæ, quasi ductus in rationis exilium, damnato adhæres consortio, amplexibus ipsam nefariis & adulterinis amplectoris, & non sine notæ gravis infamia notorie detines concubinam? O scelus*

*lus! O nefas! O dedecus, regale decus præcipue dedecens! O res maturitati ætatis incongrua, & eminentia tantæ dignitatis indigna! Non attendis, quod ætas tua cuipidinis arcus nunc saltem abjecisse debuerat, ne turpius abjecta relinquatur ab illis? Nonne nosti, quod vassallus domino debito fidelitatis astringitur, & vassallo dominus in sui suorumque tutamen fidem servare tenetur? Nunquid illi fidem observas cui contra juris observantiam uxorem injuriosus abducis? Non horres adulterii facinus, horribile matrimonialis conjunctionis Actori, horrendum hominibus, quorum separat charitatem? Sunt ne ista præparatoria viæ tuæ peregrinationis, quam in terram illam tam laudabiliter, tam publice obtulisti? Num te latet quod maculas criminum oportet abstergere, ut Deo acceptabiliter serviatur? O quantis te discriminibus subiicis, dum per altitudinem status, velut speculum in specula positus, tot in alios perditionis exempla transmittis!*

XXX. Incussæ illi censuræ.

*Quia vero hæc licet interdum in aliis humilitas conditionis occultet, in te tanto patent latius, quanto amplius ea regalis excellentiæ manifestat; ideoque prædilecti salutem filii negligere, dilectionis singularitate cogente, non possumus; & officii debito exigente silere non sinimur; serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur in Domino, per aspersionem sui pretiosi sanguinis obtestantes, quatenus saltem vitæ tuæ vesperum dedicaturus Altissimo, ne te obdormire contingat in morte, a tanti facinoris vinculis te prorsus absolvas; abjures adulteram & eam restituas viro suo, ne Creatorem tuum per hæc non immerito provocatum, quem peccati tui usque adhuc dissimulatorem contempsisse dignosceris, tandem gravius experiaris ultorem. Sciturus, quod cum non sit deferendum homini contra Deum, quantumcumque te geramus in visceribus charitatis, omittere non possemus quin si opus fuerit, nostrum in iis officium exequamur. Cæterum petimus quod, cum hæc de paterni pectoris dulcedine prodeant, sic in filiali mente recepta dulcescant, ut quod salubriter suggerimus, humiliter adimpletum absque morosa dilatione rescribas. Datum Belliquadri* VIII. *kalen. aug. ann.* IV.

XXXI. Pontificia monita gravius accipit Jacobus. (a) *Lib.* 4. *ep. cur.* 16. & *cod. Vall. p.* 55.

Accepit animo iniquiori pontificia monita impudicus Rex, eorum instar, qui vulnera medicantis manu tractari exhorrescunt, crimen novo excusare crimine non erubuit. At repetitis literis Pontifex illum urgere non destitit, (a) ut e cœno emergeret: mortis periculum, devexa jam illius in senium ætate; divina judicia si in flagitio e vita discederet, intentare: denique anathema atque interdictum ecclesiasticum incutere.

*Regi Aragonum.*

*Scimus quod amara est potio bibentibus illam: sed non eo minus ægris indigentibus, quanquam renitentibus propinatur. Sic nec medicus animarum, pastor videlicet ad illarum custodiam deputatus, spiritualem illis etiam renuentibus curam subtrahit, aut subditos curare omittit invitos. Nunquid igitur, quia, sicut tua manifestavit epistola, tu de benigna, salubri, & justa monitione nostra injuste conquereris, erit in ore nostro verbum Domini alligatum? Num secundum Apostolum peccantem publice arguere non licebit, sed te quasi jam in peccato sopitum patiemur in illo decedere; sanguis autem tuus de nostris manibus a Domino requiretur? Num clamare cessabimus, si tu peccare non cessas; cum tamen ore prophetico jubeamur quasi tubam vocem in annunciandis populo Domini scelerbus exaltare? O fili, dolemus ex intimis; dolemus proculdubio vicem tuam; & tibi, si tamen tu doleas, condolemus, quod sic medentis consilium aspernaris, sic tuæ salutis respuis medicinam, ut videaris accedere ad cor durum: dum nec in patulo patentibus patienter patris, correctionem pateris, nec paternis monitionibus emolliris, nec commonitionibus justis cedis, ut significationibus tibi datis, a facie arcus fugias censuram præsentis justitiæ comminantis, & denuntiantis inevitabile, nisi respueris, judicii futuri periculum, quod saltem in die humani exitus, quantumcumque differendi, nihilominus tamen celeris & vicini, terribile imminebit.*

Iterum corripitur a Gregorio.

Curam ejus animæ sibi commissam significat.

Judicii divini & mortis terrorem obiicit.

XXXII.

*Nonne dolor? Nonne pudor tantum principem sic pellectum a pellice, ut ipsius amplexus nefarios te voce propria confiteri non pudeat? quod illos sic impudenter diutius publicasti, ut eos jam non sufficias diffiteri? quod ad excusandas excusationes in peccatis pulchritudinem illius allegas? & quod illam non violenter abduxeris, immo voluntariam voluntarius recepisti? non attendens quod si te illius cepit species & decepit, hoc peccatum non minuit; sed eo magis augmentat, quo majori ad eam duceris voluptate: nec ejus consensus excusat etiam violentiam, sed accusat. Nam quantumcumque abducta consentiat abducenti; jus tamen perinde punit violentiam & rapinam, sicut non interveniente consenju: ab insidiis etenim nequissimi hominis hoc ipsum velle mulieris præsumit inductum, adiiciens quod nisi eam solicitaret, nisi odiosis circumveniret artibus, nunquam faceret eam velle sese in te tantum dedecus exhibere. Dictæ præterea tenor epistolæ in tanti facinoris velamen adjecit, quod is qui eam, quam tibi damnato contubernio sociasti, quasi conjugem detinebat, ejus nec vir erat, nec poterat esse legitimus, utpote alii antea copula maritali conjunctus: unde contubernali eidem te in hoc fidem asteris debere servare, ut nequaquam ipsam illi restituas, qui pro eo, quod tibi adhæsit, verisimiliter animam suam quærit. Sane nisi permisisses tuum in hac parte superari sensualitate judicium, regalis circumspectio & attendisset apertius, quam sint hæc a rationis cujuslibet tramite aliena, & ab illis consultius destitisset. Nosti enim, quod & si haberet hujusmodi fictio veritatem; nulla tamen in talibus, quæ tantum ecclesiasticum forum respiciunt, sit est permissa cognitio: nec licuit certe, nec decuit inter illos, qui se maritali tractabant affectu, per Ecclesiam non celebrato divortio, quasi quadam executione definitivum calculum prævenire, illam, quæ pro uxore saltem habebatur, vel abducendo per violentiam, vel in nefarium consortium spontaneam admittendo; quam nec, etiam si constaret, ipsam a cujuslibet viri lege solutam, tu adhuc alii alligatus; non obstante divortii sententia, quam asseris pro te latam, cum & tu ipse fatearis eam appellationem suspensam; non posses sine metu, immo & reatu adulterii retinere. Nosti, vel nosse debes, quod nec servandæ fidei, quo uteris velamentum, nec periculum, quod superinductæ imminere prætendis, si viro reddatur, suffragium alicujus excusationis adducunt: cum, sicut scriptum est, in hujusmodi sic illicitis, sic damnatis plus placeat Deo etiam juramenti transgressio, quam observatio pactionis, & contra viri sævitiam, alia per jura remedia sint provisa.*

Iterum corripitur a Gregorio.

Curam ejus animæ sibi commissam significat.

Inanes excusationes refellit.

XXXIII.

*Quia vero iis non leve pondus adiicit eminentia status tui; cum crimen in sublimioribus eo ipso conspectius, tanto profecto damnabilius habeatur, quanto perniciosius solet esse subditis per exemplum, qui superiorum suorum in hoc etiam captando gratiam, illorum se satagunt moribus conformare; nos tuis & ipsorum obviare periculis, nec non & saluti consulere magnopere cupientes, & cum hucusque in profundo tui pectoris vulnera lenia paternæ monitionis fomenta non senseris, acerbioris executionis præcisione, nisi nunc saltem nostris monitis acquiescas, non immerito æstimantes utendum; regalem excellentiam monemus, rogamus, & hortamur attente, sub interminatione divini judicii obtestantes, quatenus omni occasione, contradictione, ac mora postpositis, ab adultera prædicta omnino abstineas, & eam a te prorsus abiiciens, ipsam infra octo dies a præsentatione præsentium secure per honestas personas deduci facias ad aliquem honestum locum & tutum, quem venerabiles fratres nostri archiepiscopus Terraconensis & episcopus Dertusensis, vel alter ipsorum ad hoc duxerint deputandum, inibi moraturam, donec sibi per eos, vel eorum alterum, de sufficienti securitate proviso, restitui valeat viro suo: alioquin personam tuam excommunicationis, terram vero, ad quam te aut ipsam adulteram pervenire contigerit, donec inibi fueris tu vel ipsa, interdicti sententiis, quas ex nunc ferimus, volumus subjacere: non obstante qualibet indulgentia tibi ab Apostolica sede, sub quacunque verborum forma, vel expressione, concessa, per quam tibi forsitan sit indultum, quod excommunicari nequeas, seu quod terra tua supponi non possit ecclesiastico interdicto. Volumus enim omnem immunitatem in hoc casu cessare; & quo ad impediendum, aut differendum præmissa mandatum, seu processum nostrum quamlibet indulgentiam prorsus viribus vacuamus, ac decernimus omnino carere. Datum Viennæ* X. *kalend. octob. anno* IV.

Octo dierum spatium, ut pellicem abiiciat, indicit.

Detrectanti anathema incutit.

XXXIV. Data archiep. Terraconensi ea de re imperia. (a) *Eod. cod. Vall. p.* 315.

Extant eo argumento ad archiepiscopum Terraconensem, atque episcopum Dertusensem literæ, (a) ut objecto anathematis atque interdicti terrore ad adulteram ab ejus consortio divellendam, ac viro restituendam studium collocarent: *Cum non sit deferendum homini contra Deum, & quia dictus Rex salubria patris monita respuens quibus devotus obtemperare debuerat, nobis ad sui excusationem quasdam literas, non tamen excusatorias destinavit; per eas hujusmodi facinus nequaquam inficians, sed inverecundæ suæ confessionis testimonio asseverans; nos tantum suæ salutis dispendium absque remedio præterire nolentes, sibi alias nostras literas sub certa forma dirigimus, vobis per latorem præsentium exhibendas, & vestro vel alterius vestrum ministerio Regi præsentandas eidem; inter cætera continentes, ut ab eadem adultera omnino abstinens, & eam a se prorsus abiiciens, ipsam infra octo dies a præsentationis literarum earumdem tempore numerandos secure per honestas personas deduci faciat ad aliquem locum honestum & tutum, quem vos vel alter vestrum ad hoc duxerit deputandum, inibi moraturam, donec sibi per vos vel vestrum alterum de sufficienti securitate provisa, restitui valeat viro suo. Alioquin ipsius Regis personam excommunicationis, terram vero, ad quam ipsum, vel illam pervenire contigerit; donec ipse vel illa ibidem fuerint, interdicti sententiis, quas ex tunc protulimus, volumus subjacere.*

XXXV. Valentinæ Ecclesiæ filium fuisse profitetur Greg.

Hæc Vienna scribebat Gregorius: in qua urbe, dum consistebat, Amedæum præfecit Valentinæ ecclesiæ, in qua olim Pontificem divino cultui manciparum fuisse ex ejus literis pridie kal. octobris exaratis colligitur: *Fore*, inquit, *non va-*

*valemus immemores; quinimmo frequenter ad memoriam revocamus, quod præfata nos olim ecclesia fovit ut filium, maternis pertractavit affectibus, suorumque nobis uberum pocula propinavit: ideoque cum jam recognoscat in patrem quem in filium cognoscebat, &c.* Pluribus verborum officiis benevolentiam singularem in Valentinam ecclesiam ostendit. Nec mora: promissa ornavit operibus, ac Diensem episcopatum illi conjunxit: (*a*) *Valentinam & Diensem ecclesias propter urgentem necessitatem & evidentem utilitatem ipsarum, de quibus nobis & eisdem fratribus constitit evidenter; de ipsorum fratrum consilio, præsertim cum ad hoc etiam vicinitas locorum invitet, & de apostolicæ plenitudine potestatis unimus; auctoritate præsentium statuentes, ut statu præsulum, qui nunc præsunt eisdem, sine immutatione aliqua remanente, integro tandem, quovis ipsorum cedente, seu etiam decedente, sic una sit earumdem ecclesiarum episcopalis dignitas, quod superstes sit episcopus utriusque, Valentinus & Diensis episcopus nominandus: ac deinceps ecclesiæ ipsæ uno & eodem antistite, simili quin potius eadem intitulatione usuro, perpetuis temporibus gubernentur. Cujus electionem in ipsis ecclesiis alternis vicibus, sed in Valentina primo, ab utriusque canonicis, vocem in eadem electione quasi corpus unum seu collegium pariter habituris, decernimus celebrandam. Quotiens autem novi pastoris creatio imminebit, illorum sit eorumdem canonicorum ecclesiæ utriusque vocatio, quibus in illa ecclesia, cui ea vice sortem electionis hujusmodi vicissitudo concesserit, jus vocationis ejusdem antea competebat. Et canonici alterutrius ecclesiæ, dum in illa, in qua tunc est electio facienda, propter hoc præsentes fuerint, distributiones in ea quotidianas percipiant, & in omnibus aliis pro ipsius canonicis admittantur. Sed alias, quoad canonicatus, præbendas, & obventiones quaslibet canonici earumdem ecclesiarum in discretione, sive divisione remaneant consueta. Cæterum ne consuetudinum in eorumdem canonicorum vocatione diversitas occasionem aliquam inter eos altercationis inducat, illos tantummodo canonicos ad electionem vocari statuimus, qui tunc temporis fuerint in eadem provincia Viennensi. Dat. Viennæ* VII. *kal. octob. ann.* IV.

(*a*) Lib. 4. ep. 58.

Diensem episcopat. illi conjungit.

De eo diploma Greg.

Electionem ab utriusque eccles. canon. celebrandam statuit.

XXXVI. Vienna Lausanam se confert Greg

Intendebat iter Lausanam Pontifex, ut cum Rodulpho Rege Romanorum, a quo jam ante ad id solicitatum vidimus, iniret colloquium. De cujus adventu hæc annalium Colmariensium auctor (*b*): *Pridie nonas octobris, Gregorius Papa venit Lausanam. Rex Rodulphus venit ad eum festo Lucæ cum Regina & pene cum liberis suis universis.*

(*b*) *Annal. Dom. Colmar. p.* 1. *hoc ann.* Ptol, Luc. *hist. eccl. l.*23. *c.*4.

Et infra: *Rex plusquam DCCCC. marchas expenderat in vestes pretiosas. Papa Regi consuluerat, ut Romam ad festum Pentecostes cum duobus millibus militum veniret, ut eum in Imperatorem Romanorum solemniter coronaret.* Verum ex literis pontificiis, suo loco afferendis, festum omnium sanctorum die præfixum constat. Eadem Bernardus (*c*) quæ annales Colmariensis, additque Rodulphum Æmiliam atque exarchatum Ravennæ Pontifici restituisse: *Pervenit*, inquit, nimirum Pontifex, *Vienna Lausanam: ubi dictus Rodulphus Rex cum Regina uxore sua filiisque & filiabus suis veniens, juramentum eidem Papæ fecit, & Romandiolam cum exarchatu Ravennæ ecclesiæ Romanæ restituit.* Consonant Bernardo Ptolemæi (*d*) Lucensis verba: *Tunc tradunt*, inquit, *historici, quod juramentum præstitit summo Pontifici fidelitatis Romanæ ecclesiæ de conservando ipsam, quod habetur dist.* LXIII. *cap. Tibi Domino: tunc etiam restituit Ecclesiæ comitatum Romaniolæ cum exarchatu Ravennæ.* De Romaniola recuperata a Nicolao III. dicetur inferius.

Rodulphus ipsum in ea urbe convenit. Statuitur dies quo insignia Imp. Romæ accepturus sit.

(*c*) *Bern. in chron. Rom. Pont.* Restituit ecclesiæ Romaniolam atque exarchatum.

(*d*) *Ptol. Luc. hist. eccl. l.*23. *c.*4.

XXXVII

Fuisse porro illud sacramentum fidei, quo Romanorum Reges Christi vicario magna sui gloria se devincire solent, ex Clementis V. constitutione (*e*) confirmatur; præstititque tum Gregorio Rodulphus, quæ ab ipso exegisse Pontificem vidimus; ut nimirum promissa ab Othone regii sigilli præfecto, aliisque oratoribus in concilio Lugdunensi confirmaret. In ecclesia enim Lausanensi cincto Cardinalium & principum corona Pontifici Rodulphus obsequium solemni ritu concepta hac verborum forma (*f*) devovit; Ravennæque exarchatum, & alias Ecclesiæ terras defensurum spopondit, nec unquam sedi Apost. si ob decretos sibi Cæsarum apices bello appeteretur, defuturum.

(*e*) *Ext. eccl. l.* 2. *c. Rom.* Promissa Lugduni ab oratoribus corroborata a Rodulpho.

(*f*) *Ext. tp.* 3. *privil. Rom. eccl. pag.*199. *& MS. cod. Vall. bibl. sign. lit. D. n.* 1. *p.*69. *& MS. sig. lit. E.* 12. *pag.*233.

De tuenda ditione ecclesiastica.

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Rodulphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus vobis domino meo sanctissimo, & patri charissimo Gregorio, divina providentia Papæ decimo, vestrisque successoribus; præsentibus subscriptis prælatis, principibus, & nobilibus Imperii; spondeo, polliceor, promitto, & juro, quod omnes possessiones, honores, & jura Romanæ ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam & servabo. Possessiones autem quas ecclesia Romana recuperavit, liberas, & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo. Quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum secundum posse meum ero sine fraude defensor: & quæcumque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has* per



Præcipuas illius terras enumerat.

*pertinet tota terra quæ est a Radicophano usque Ceperanum, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissæ Mathildis, comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris expressis in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici. His omnes pro posse meo restituam, & quiete dimittam cum omni jurisdictione, districtu, & honore suo. Veruntamen cum ad recipiendum coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica sede vocatus accessero de mandato summi Pontificis, accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum ecclesiæ Romanæ regnum Siciliæ. Vobis etiam domino meo Gregorio Papæ & successoribus vestris omnem obedientiam, & honorificentiam exhibebo, quam devoti & catholici Imperatores consueverunt sedi Apostolicæ exhibere. Et si propter negotium meum Romanam ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei, sicut necessitas postulaverit in expensis. Omnia vero prædicta tam juramento, quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. Præter reverendum autem cœtum dominorum Cardinalium; videlicet venerabiles patres Petrum Ostiensem episcopum, Ancherum S. Praxedis, G. tit. S. Marci presbyteros, Othobonum S. Adriani, Jacobum S. Mariæ in Cosmedin, Gotifredum S. Georgii ad velum aureum & Matthæum S. Mariæ in Porticu diaconos Cardinales, qui vobis tunc temporis assistebant; prælati, principes, & nobiles Imperii, coram quibus juravi, hi sunt. Ademarus Lugdunensis, Odo Mediolanensis, Bonifacius Ravennas, Jacobus Ebredunensis, Odo Bisuntinus archiepiscopi: Joannes Leodiensis, Stephanus Parisiensis, Rodulphus Constantiensis, Henricus Basiliensis, Guillelmus Lausanensis, Henricus Tridentinus, Amedeus Valentinus, Raymundus Massiliensis, Aymo Gebennensis, Alanus Sistaricensis episcopi: Gerardus electus Virdunensis, Ludovicus comes Palatinus Rheni dux Bavariæ, Fridericus dux Lotharingiæ, Conradus dux de Teche, Fridericus Bugravius de Nuremberch, Albertus & Buchardus comites de Oumberch, Emicho & Fridericus comites de Lininger, Eberhardus comes de Chazenellenpogen, Siguertus comes de Vverde, Thibaldus comes de Ferreto, Henricus comes de Uriburch, Ludovicus comes de Hohemberch, Hermannus de Sulz, Mangeldus comes de Nellemberch, & Eberhardus comes de Habisburch. Ut autem hæc omnia vobis memorato sanctissimo patri nostro domino Gregorio sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifici, vestrisque successoribus per nos & nostros successores Romanorum Reges & Imperatores observentur, firmaque semper & inconvulsa permaneant, præsenti scriptum nostro jussimus sigillo communiri: promittentes nihilominus aliud de verbo ad verbum, & per omnia simile duræ bulla typario nostræ majestatis impressa munitum, infra tempus coronationis nostræ vobis & sedi Apostolicæ sine difficultate qualibet exhibere. Actum in ecclesia Lausanensi anno Dom. MCCLXXV. indict. III. XIII. kal. novembris ann. III.*

Siciliam defensurum pollicetur.

XXXVIII.

Recurrente proxima die, Rodulphus regio edicto promulgavit, se omnia jura ab aliis Imperatoribus collata corroborasse: sanxisse, ut præsulum electiones summa cum libertate celebrarentur, utque provocari in causis ecclesiasticis ad Romanum Pontificem posset; proscripsisse consuetudinem, quæ in antistitum morientium invadendis fortunis irrepserat; operam denique suam ad hæreses excindendas pollicitum esse. Quæ quidem insignes literæ in molis Adrianæ archivo reconditæ sunt, atque a Platina inter illustria jussu Sixti IV. collecta monumenta descriptæ fuere (*a*).

(*a*) Tom. 1. *p.*102. *& lib. privil. Rom. eccl. to.* 1. *pag.* 129. *cod. MS. Vall. sign. lit. B. n.*12. *p.*241. *&c.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Rodulphus divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus. Ab eo solo, per quem Reges regnant, & potentes scribunt justitiam, recognoscentes inæstimabilem nostræ promotionis gratiam, qui regali jam in nobis culmine consummato, nos ad obtinendum imperialis gloriæ solium sua sola pietate disponens, ut non solum cum principibus sedeamus, sed ut illis præsideamus, erexit; sanctæque matris Ecclesiæ, ac vestra, pater reverendissime domine Gregori divina providentia Pape X. universa beneficia, quibus nos in benedictione dulcedinis prevenistis felicibus ejusdem promotionis nostræ auspiciis, multiplicibus concurrendo favoribus, & ipsam favorabilis prosecutionis auxiliis confovendo, attenta solicitudine recensentes, reddimur corde solliciti, cogimur cogitare profundius, quæ tantæ dignationis gratiam, digne saltem, prout humana insufficientia sufficit, gratitudine prosequamur. Illi ergo, a quo cuncta procedere novimur, & humiliter confitemur, quod ab eo recepimus, offerentes ei & Apostolicæ sedi, ac vestris obsequiis nos quicquid possumus, quicquid sumus, in perpetuum humili voto, & in incommutabili proposito devovemus: vobisque, beatissime pater & omnibus successoribus vestris catholicis, ac eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ speciali matri nostræ omnem obedientiam, honorificentiam, atque reverentiam semper humili corde, ac devoto spiritu impendemus, quam prædecessores nostri Reges, & Imperatores catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur; nihil exinde volentes diminui, sed magis augeri, ut nostra magis de-*

Imperialis constitutio de juribus ecclesiarum tutandis.

Se suaque omnia obsequiis sedis Ap. devovet Rodulphus.

*votio enitescat. Illum igitur abolere volentes abusum, quem interdum quidam prædecessorum nostrorum exercuisse noscuntur & dicuntur in electionibus prælatorum, concedimus & sancimus, ut electiones prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur ecclesiæ viduatæ, quem totum capitulum, vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum: dummodo nihil desit de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis & causis ecclesiasticis ad sedem Apostolicam libere fiant; earum prosecutionem, sive processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium prælatorum, aut etiam ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis, & aliis ecclesiarum prælatis relinquimus libere disponenda, ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore auxilium dabimus, & operam efficacem.*

Liberas præsulum electiones futuras sancit.

Hæresibus excindendis daturum operam promittit.

*Possessiones etiam, quas Romana ecclesia recuperavit ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas, & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores; & quæcumque ad manus nostras devenient, sine difficultate ac mora ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissæ Matildis, comitatus Brittenorii, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Massa Trabaria cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad Romanam ecclesiam pertinentibus, ut eas habeat Romana ecclesia in perpetuum cum omni jurisdictione, districtu, & honore suo. Veruntamen cum ad recipiendum coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica sede vocati venerimus de mandato summi Pontificis, recipiemus procurationes sive fodrum ab ipsis. Omnia igitur supradicta, & quæcumque alia pertinent ad Romanam ecclesiam, de voluntate & conscientia, consilio & consensu principum Imperii, libere illi dimittimus, renuntiamus, & restituimus: necnon ad omnem scrupulum removendum, prout melius valet & efficacius intelligi, concedimus, conferimus, & donamus, ut sublata omnis contentionis & dissensionis materia, firma pax & plena concordia inter Ecclesiam & Imperium perseverant. Adjutores erimus ad retinendum & defendendum ecclesiæ Romanæ regnum Siciliæ cum omnibus ad ipsum spectantibus, tam citra Farum, quam ultra: necnon Corsicam & Sardiniam, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tamquam devotus filius & catholicus princeps. Promittimus quoque B. Petro cœlestis regni clavigero, ac vobis patri sanctissimo, ipsius B. Petri, * cæterisque vestris successoribus, & eidem ecclesiæ Romanæ, quod per nos, vel per alium, seu alios non occupabimus, nec invademus in totum, vel in partem aliquas terras ipsius ecclesiæ Romanæ, aut vasallorum ejus, quas jure feudi, vel sub census seu alterius præstationis titulo, sive alio quocumque modo tenent ab ipsa Ecclesia; nec eas, vel earum aliquam procurabimus occupari per alium, seu alios, vel invadi. Quin etiam nec ipsas, nec tenentes easdem se vel terras ipsas nobis ultro volentes subiicere; nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcumque potestatem in terris eisdem, & specialiter in civitate Romana, recipiemus sub quocumque colore sine vestra, seu successorum vestrorum licentia speciali. Et si qui eas occupare, vel invadere tentarent, non solum denegabimus illis auxilium, consilium, & favorem publicum & occultum, verum etiam ad requisitionem vestram, vestrorumve successorum, adjutores erimus contra illos in defendendis & conservandis eisdem.*

Veterum Imp. donationes innovat.

Siciliam, Sardiniam, & Corsicam, juris esse pontificii agnoscit.

* successori

Flagitante Rom. Pont. eas contra hostem defensurum spondet.

*Nec offendemus per nos, vel per alium vasallos Ecclesiæ ipsius, & specialiter magnificum principem dominum Carolum regem Siciliæ illustrem, seu heredes ipsius: nec volentibus ipsum offendere præstabimus auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte. Nec regnum Siciliæ, quod idem Rex Carolus ab eadem Romana tenet ecclesia, vel aliquam ejus partem occupabimus, aut invademus per nos, vel per alium, aut occupari, vel invadi procurabimus: nec invadere, aut occupare tentantibus præstabimus publicum vel occultum auxilium, consilium, aut favorem. Alios etiam devotos ipsius Ecclesiæ, qui eidem Ecclesiæ astiterunt contra quondam Fredericum olim Romanorum Imperatorem, heredes, aut successores ipsius propterea non gravabimus; sed nihilominus favorabiliter prosequemur. Vasallos autem nostros, contra prædictorum aliquod facientes, compescemus pro viribus bona fide. Servabimus præterea, & faciemus omnia & singula, quæ in canonibus positis LXIII. distinctione: quorum quidem canonum alter: Ego Ludovicus; alter vero: Tibi domino Papæ; incipit, continentur. Postquam autem Romam ad recipiendam unctionem, coronationem, & imperiale diadema pervenerimus, ipsaque perceperimus, præmissa omnia & singula innovabimus, seu de novo faciemus: & sine aliqua difficultate juramenta præstabimus, quæ Imperatores Ro-*

XXXIX. Carolum bello non lacessiturum.





*Romanorum hactenus præstiterunt.*

XL. *Promittimus insuper, quod bona fide sine fraude, ac malo ingenio procurabimus, quod omnes principes Alemanniæ laici promittent & jurabunt, se bona fide curaturos & facturos, quod nos præmissa omnia & singula inviolabiliter observemus; & si, quod absit, eadem non servaremus, ipsi principes nobis in hoc aliquatenus non assistent. Ut autem hæc omnia vobis memorato sanctissimo patri nostro domino Gregorio sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifici, vestrisque successoribus per nos, & nostros successores Romanorum Reges, & Imperatores observentur, firmaque semper & inconvulsa permaneant; præsens privilegium conscriptum nostro jussimus sigillo cereo communiri: promittentes nihilominus aliud de verbo ad verbum, & per omnia, simile, aurea bulla, typario nostræ majestatis impressa, munitum infra tempus coronationis nostræ vobis, & sedi Apostolicæ sine difficultate qualibet exhibere. Testes hi sunt, Ademarus Lugdunensis, Bonifacius Ravennas, Odo Bisuntinus, & Jacobus Ebredunensis, archiepiscopi; Stephanus Parisiensis, Henricus Basiliensis, Joannes Leodiensis, & Amedeus Valentiniensis episcopi; Ludovicus comes palatinus Rheni, dux Bavariæ, Philippus dominus Carinthiæ, &c. Et infra: Acta sunt hæc anno Domini MCCLXXV. indict. IV. regnante domino Rodulpho Romanorum Rege glorioso regni ejus anno tertio. Signum domini Rodulphi Romanorum Regis invictissimi. Dat. Lausanæ per manum Henrici episcopi Tridentini regalis aulæ protonotarii XII. kal. novembris.*

XLI. Ad asserenda præterea Romanæ ecclesiæ in Siciliam jura Rodulphus vetus diploma principum Imperii, qui Honorio III. sedente in Francofurtensibus conventibus professi erant, Siciliam Imperio conjunctam non esse; & ea confirmaverant, quæ Fridericus II. Innocentio III. spoponderat, corroboravit (*a*): *Nos principes Imperii universis præsentem paginam inspecturis. Ut tollatur de medio omnis materia scandali, dissensionis, seu etiam rancoris occasio inter Ecclesiam & Imperium; & hi duo gladii, in domo Domini constituti, intimæ dilectionis fœdere copulati exurgant in reformationem universi populi Christiani; & merito mundo appareat in omnem exhibitionem justitiæ, & veritatis illa duo luminaria posita in medio firmamenti; & nos in opere, & voluntate filii inveniamur omni tempore devotionis & pacis, qui tam Ecclesiam, quam Imperium confovere tenemur, ac etiam unanimiter gubernare quicquid ipsi sanctæ Romanæ ecclesiæ matri nostræ factum est per dominum nostrum Fridericum, Dei gratia, Romanorum Regem semper Augustum & regem Siciliæ per privilegia, seu etiam scripta sua pro omni discordia sopienda & evitanda in posterum, & pro pace totaliter reformanda pariter, & observanda; ut sit in omnibus eisdem omni tempore idem velle & idem nolle, & nos bonorum operum sectatores feliciter gaudeamus nostri nomine principatus; sicut olim ad petitiones, & preces, necnon & mandatum prædicti domini nostri Regis Frederici tempore bonæ memoriæ domini Innocentii tertii Papæ pro bono pacis ad omnia scandala evitanda ipsi sanctæ Romanæ ecclesiæ, super privilegiis ipsius Regis sibi datis nostram tunc voluntatem præbuimus & consensum: sic nunc eandem voluntatem & consensum nostrum noviter innovamus, & per omnia approbamus. Et ut hæc nostra voluntas, & approbatio sive innovatio a nobis ipsi sanctæ Romanæ ecclesiæ in perpetuum observetur, ut liqueat in effectu in testimonium illi ad perpetuam memoriam nostri, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorum sigillorum munimine roboratum, super omnibus privilegiis ab ipso Rege usque nunc sibi datis, & etiam adhuc dandis, tam super facto Imperii quam super facto regni Siciliæ: ita quod Imperium nihil cum ipso regno habeat unionis, vel alicujus jurisdictionis in ipso. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo. Dat. apud Franchenfort in solemni curia IV. kal. martii * indictione octava. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri fecimus, & sigillo typario regiæ potestatis impresso muniri. Dat. Lausanæ XII. kal. novembris anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto indictione III. regni nostri anno III.* Corroborata hæc iterum a Rodulphi oratoribus, cum a Nicolao III. Imperialibus insignibus ornari deposceret visuri sumus.

(*a*) *Apud Nicol. III. l. 1. p. 23. n. 12.* Germanorum principum diploma.

Siciliam Imperio non esse conjunctam profitentur.

* *maii*

Suscepisse in memorato Lausanensi congressu Rodulphum e Pontificiis manibus crucis symbolum, referunt auctores, ex quibus Colmariensium annalium scriptor: *Rex*, inquit, (*b*) *accepit crucem, & Regina & comes Fhitretensis, & comitissa, & pene omnes nobiles, qui ad curiam Papæ pervenerant.* Adductum vero Gregorii precibus Rodulphum, tradit Andreas Dandalus his verbis: *Rodulphus comes Habspurgi Rex Romanorum approbatur a Gregorio Papa, & promisit ire in favorem Terræ sanctæ, ad quam plurimum anhelebat personaliter proficisci: unde ad ejus petitionem Rodulphus crucesignatus est. Huic ad preces Papæ Alfonsus Rex Castellæ cessit, renuntians omni juri quod haberet.* Arsisse eo quidem pio desiderio Gregorium, ut Imperatorem ac Reges Christianos secum in Asiam ad Saracenos

XLII. Orientali expeditioni se devovet Rodulph.

(*b*) *Annæ Domin. Colmar. p. 1. hoc an. Born. chr. Rom. Pont. Andr. Dand. l. 10. c. 8. in Laur. Teup.* Gregor. una cum Imp. & Regibus in Syriam proficisci constituit.

nos debellandos adduceret consentit Bernardus: *Tempore*, inquit, (*a*) *hujus Gregorii Papæ Rex Romanorum Rodulphus cum multis, & Rex Franciæ Philippus cum multis baronibus crucesignati sunt pro subsidio Terræ sanctæ, petente Papa, qui cum eisdem Terram sanctam intendebat visitare, & ibi vitam finire*. De Rodulpho, quem sequenti anno in eam rem insignibus imperialibus ornare decreverat, jam diximus. Philippus Francorum Rex magno ardore sacri belli apparatum instruebat, urgebatque Simon Cardinalis legatus. Jacobus Rex Aragonum in concilio Lugdunensi eidem bello senium devoverat. De Eduardo Anglorum Rege adducendæ inferius ostendunt literæ. Carolum Siciliæ Regem una cum filio majore natu eadem pia consilia suscepisse gratulatoriæ ad eum a Pontifice datæ testantur (*b*). Cypri vero & Armeniæ Reges, ad quos ea res magis spectabat, nil magis in votis gerebant, quam ut arma cum iis in hostes fidei, a quibus opprimebantur, conjungerent: sed de Syriacis rebus inferius.

(*a*) *Bern. in chr. Rom. Pontif.* Fuerint ii Rodulph. Romanor. Philippus Francor. Jacobus Arag. Eduardus Angliæ, Carolus Siciliæ Reges.

(*b*) *Lib. 4. ep. 57.*

XLIII. Interea Gregorius colligendis pro apparatu conficiendo sexennalibus decimis intentus, dum Lausana digrediens cœptum in Italiam iter persecutus Helvetios adhibat, aliquot diebus Seduni moratus, archiepiscopum Ebredunensem exigendis iis a Germanis præfecit, ac ne illi, quibus id muneribus conferret, in rem suam eas derivarent, hac sacramenti forma ipsos adigi jussit (*c*): *Juro ego, a vobis auctoritate apostolica deputatus collector ad exigendam, colligendam, & recipiendam decimam omnium redditum & proventuum ecclesiasticorum ab omnibus personis ecclesiasticis exemptis & non exemptis, in civitate & diœcesi constitutis, a sede Apostolica pro subsidio Terræ sanctæ concessam; quod fideliter exigam, colligam, recipiam, atque custodiam ipsam decimam, non deferendo in iis alicui personæ cujuscunque ordinis, status, conditionis, aut dignitatis existat, prece, timore, gratia, vel favore, vel alia quacumque de causa: & eam integre restituam & assignabo, prout a vobis recepero in mandatis. Et super præmissis omnibus & singulis plenam ac fidelem rationem reddam vobis: ac si contingat vos officium, quod in præmissis geritis, dimittere, hæc eadem faciam juxta mandatum illius, qui substituetur, in eodem officio. Sic me Deus adjuvet, & sancta evangelia. Datum*, &c. Præter decimarum colligendarum munus archiepiscopo Ebredunensi in Germania demandatum, novam illi provinciam Ludovicum & Henricum Bavariæ duces in concordiam adducendi tradidit (*d*). Exorta enim inter eos odia ac bella magnam rebus Terræ sanctæ instaurandis perniciem ac tarditatem inferebant.

(*c*) *Lib. 4. ep. cur. 13. & cit. cod. Vall. c. 49. pag. 115.* Sacram. a collectoribus exigi jubet.

Henr. & Lud. duces dissidentes conciliari.

(*d*) *Eod. cod. Vall. pag. 137.*

XLIV. Mediolanum pergit Greg. Eduardo Regi attributæ decimæ Angliæ, Walliæ & Hiberniæ.

Cum Seduno Mediolanum perrexisset Gregorius, XVIII. kalen. decembris ad Virdunensem electum, cui decimarum colligendarum in iis regionibus cura tradita erat, scripsit, (*e*) ut Eduardo coactas in Anglia, Hibernia, Wallia, atque etiam e Scotia (si Regis Scotorum voluntas accederet) pro instruendis ad bellum necessariis decimas erogaret. [1]

(*e*) *Ibid. p. 117.*

*Electo Virdunensi.*

*Cum, sicut intelleximus, charissimus in Christo filius noster Eduardus illustris Rex Angliæ proponat in Terræ sanctæ subsidium proficisci; nos hujusmodi ejus propositum multiplicibus in Domino laudibus commendantes, ut id commodius & efficacius exequi valeat; præfato Regi, si ejusdem terræ negotium, ad hoc signo vivificæ crucis assumpto, personaliter prosequatur, decimam omnium proventuum ecclesiasticorum, hujusmodi subsidio deputatam, in toto regno Angliæ, partibus Hiberniæ, & Vvalliæ, ac etiam in regno Scotiæ, si quoad decimam ipsius regni Scotiæ ad id charissimi in Christo Filii nostri Regis Scotiæ illustris assensus accedat; per sex annos, prout est ipsius Terræ sanctæ subsidio nuper in generali concilio Lugdunensi concessa, conferendi, assignandi, ac etiam faciendi eam deponi, juxta formam super hoc aliis traditam; tam tibi quam aliis, quibus est in eisdem partibus ejusdem decimæ colligendæ cura commissa, eidem Regi dictum negotium personaliter, ut præmittitur, prosequenti, circa tempus generalis passagii assignandam; nec non contradictores & rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendi; non obstante si personis aliquibus, cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, ordinis, religionis, aut status, sub quavis forma vel expressione verborum a sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint; auctoritate præsentium concedimus potestatem. Datum Mediolani XVIII. kal. decembris.*

Et Scotiæ si Rex Scot. assenserit.

NOTÆ [1] IN collectione Labbeana anno huic assignatur concilium a suffraganeis Arelatensis provinciæ celebratum, cui præfuit Bernardus a S. Martino. Sed in nota huic concilio subjecta recte vidit Cossartius concilii hujus annum certum plane ignorari; quin nec satis constaret, cuinam ex Arelatensibus præsulibus deberetur nisi in synodo Insulana anni 1288. cap. VIII. canon hujus concilii IX. recitaretur, idemque a Bernardo de S. Martino in synodo Arelatensi editus affirmaretur. Cum igitur Bernardus iste anno 1273. ut demonstravi in nota ad annum 1272. LXIX. in solemni cardinalium promotione a Gregorio X. ad insulas Sabinenses translatus fuerit; hinc certo arbitror constare synodum hanc biennio saltem anticipandam esse. MANSI



De Eduardo prætermittere non possumus, ipsum, ut refert Westmonasteriensis, (*a*) plures optimas leges ad temperandum moderandumque probe regnum tulisse: usuras exercere Judæis vetuisse, utque a Christianis distinguerentur, certa signa circumferre jussisse.

(*a*) *Vestm. Flor. hist. hoc an.*

XLV. Censuræ a Greg. adversus Gibell. pertinaces latæ.

Agebat Mediolani Gregorius, cum festum dedicationis basilicæ principis Apostolorum, quo Romanos Pontifices censuras in perduelles Ecclesiæ vibrare moris erat, agebatur. Ad quem servandum, tum ad edomandam eorum pervicaciam, qui progressu temporis incussas in ipsos pœnas ecclesiasticas obsolescere, atque evanescere posse arbitrabantur; latam a Clemente IV. sive in singulares homines, sive in populos, ac respublicas sententiam, in ecclesia Ambrosiana, ne vetustate delerentur, renovavit (*b*): *De fratrum*, inquit, *nostrorum consilio tenore præsentium declaramus, decernimus, statuimus, & etiam ordinamus, omnes & singuli processus contra quascumque universitates, vel singulares personas, cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, aut status; habiti a felicis recordationis Clemente Papa prædecessore nostro, & approbati postmodum, seu etiam innovati, aut facti a nobis, sententiæ prolatæ, comminationes, illationesque pœnarum; terminorum insuper assignationes, & cætera, quæ in eisdem processibus, qui solent in hac & aliis certis anni solemnitatibus fieri, continentur, ex eo quod ad præsens non procedimus ex eisdem, nec prædicta, ut exigit eadem consuetudo, prosequimur; nullam omnino immutationem recipiant, quo minus, etiam quantum ad futuri temporis lapsum, in omnibus & per omnia efficaciam sortiantur, & ex ipsis, prout nunc possemus, sic deinceps, quandocumque viderimus expedire, procedere valeamus. Actum in eadem ecclesia*, nimirum S. Ambrosii, *in festo dedicationis basilicæ principis Apostolorum anno quarto*.

(*b*) *Lib. 4. ep. cur. 15.*

XLVI. Insubres in mutuam concordiam adducere studet.

In pacanda etiam componendaque Insubria studium posuisse Gregorium, dum Mediolani versabatur, par est credere, cum ante ad id fidem Mediolanensium oratoribus obstrinxisset, cum Lugdunum ad synodum celebrandam peteret. Mediolano Placentinam adiit, ubi Ubertini de Andito toties damnati, defixique anathemate scelere crudelissimæ seditiones fuerant concitatæ. Sua enim magno consilio itinera dirigebat Pontifex sanctissimus, easque obibat urbes, in quibus magnum aliquod ad divinam augendam gloriam opus explicare spes erat. Dum patriam præsentia sua ornabat, Virdunensem electum Eduardo Angliæ Regi collectas in ipsius regnis decimas cum generalis transmarinæ profectionis tempus immineret, tribuere jussit; (*c*) comitique Richemundiæ ducis Britanniæ filio, qui symbolum crucis acceperat, ad sustinendos bellicos sumptus vim auri congruam ex ea decima suppeditare.

Placentiam adit.

(*c*) *Cod. Vall. sign. lit. C. p. 136.*

Placentia Florentiam petiisse XVIII. decembris, tradit Ricordanus Malespina, (*d*) idque e literis pontificiis conjicitur. Addit vero Joannes Villanus (*e*) una cum Ricordano, Gregorium ab ingredienda Florentia abhorruisse, cum interdicto ob non servatas pacis cum Gibellinis juratas leges supposita esset: arte tamen & industria adductum, cum ipsi Arnum adeo intumuisse significatum esset, ut vadum traiici non posset: eumque conciliata civitate, ita ingressum, ut per pontem transiret, civesque apostolica benedictione donasse: verum discedentem sacris iterum eos interdixisse, atque hæc Psalmistæ (*f*) verba irato vultu usurpasse: *In camo & fræno maxillas eorum constringes, qui non approximant ad te*. Substitisse vero in ea urbe videtur, cum Florentiæ datæ sint ab eo ad Carolum Siciliæ Regem literæ, (*g*) quibus Aretium se progressurum significat, rogatque Romam se conferat, ut ibi vel in alio congruo loco cum ipso colloqui possit.

XLVII. Ex ea urbe decimar. part. Joanni e Britan. crucesig. tribui jubet. Florentiam adit.

(*d*) *Ric. Malesp. c. 202.*

(*e*) *Jo. Villan. l. 7. c. 50.* Cur Florentinis infensus. Qua ratione cum Florentinis se gesserit.

(*f*) *Psal.* Ex ea urbe scribit Carolo Regi Sicil.

(*g*) *Ext. in cit. cod. Vall. C. 49. p. 52.*

*Regi Siciliæ illustri.*

*Ut filialis devotionis affectum, quem de paterni adventus expectatione solicitum ex consueta in talibus diversitate rumorum hactenus forsan incertitudo suspendit, indubie certificet relatio veritatis; celsitudini regiæ præsentibus innotescere volumus, quod illo gressus nostros dirigente, qui novit; & iter prosperum faciente, qui potest, XVIII. kal. januarii prospere ad locum, qui dicitur Sancta crux, diœcesis Florentinæ, pervenimus, ubi die una solito itineris intermisso labore, deinde versus Aretium procedentes, festum nativitatis dominicæ ibi proponimus celebrare: cujus & aliorum sequentium, quorum id celebritas exigit, inibi peractis solemniis, cœptum iter versus terras patrimonii, prout status noster permiserit, Deo præduce prosequemur. Cum autem desideremus, sicut & expedire credimus tui celeriter habere præsentiam, serenitatem regiam requirimus & rogamus, quatenus eisdem festivitatibus celebratis, cum ea celeritate, quam tua commoditas patietur, ad Urbem accedas, ut ibi, vel exinde alibi, ubi tunc erimus, in vicino commodius pos-*

Rogat ut sedem Apost. adeat.

*possis convenire nobiscum. Dat. Florentiæ, &c.*

Initæ Gregor. jussu inter Sic. Reg. & Imp. Græc. induciæ.

Fregit ejus consilia mors, apud Aretium enim, ut sequenti anno dicemus, sanctissime obiit. Cæterum prætermittendum non videtur sedandarum omnium inter Christianos discordiarum studio incitatum Pontificem superiori anno Cassinensem abbatem ad Palæologum Græcorum Imperatorem transmisisse, ut fœdus inter ipsum Romanæ jam ecclesiæ aggregatum ac Regem Carolum Siciliæ Philippumque generum Augustum Constantinopolitanum conciliaret: qui cum inducias a kal. maii hujus anni ad recurrentes alterius insequentis pepegisset, redeunti e Græcia esse gratulatum (*a*). Hic modo adjungemus, ipsum, Regi Siciliæ inferendi fisco pontificio octo millium unciarum auri, ad quæ sacro Apostolorum die pendenda obstrictus erat, ob pericula itinerum distulisse hisce legibus (*b*): *Dictum terminum prorogamus: ita tamen, quod per prorogationem hujusmodi ejusdem solutionis faciendæ in festo Apostolorum terminus in posterum nullatenus immutetur: sed fiat deinceps eadem solutio in prædicto festo Apostolorum annis singulis sub pœnis statutis & ordinatis, sicut in conditionibus & conventionibus inter eandem ecclesiam & te habitis plenius continetur. Et si defeceris in solutione census ejusdem in festo sancti Michaelis perinde pœnas incurras easdem, ac si non facta hujusmodi prorogationis gratia, censum eundem te non solvere contigisset: nec per prorogationem eandem dictæ conventiones & conditiones innovationis varietatem sentiant, sed in sua omnino, permaneant firmitate; tuque ac successores tui, quoad solutiones ipsius census, de cætero in dicto festo Apostolorum annis singulis faciendas ita per omnia teneamini, sicut tenebamini hactenus, priusquam prædicta prorogatio processisset; & sicut inter te ac dictam Ecclesiam ordinatum extitit & conventum. Dat. Belliquadri* XII. *kal. jul. an.* IV.

(*a*) *Eod. cod. Vall. p.*114. Ut ipsi pendendi census tempus distulerit.

(*b*) *Greg. l.*4 *ep.cur.* 8. *& cod. Vall. C.* 49. *p.* 54.

Quas leges adjecerit.

XLVIII. Absolvimus occidentales res magno prodigio, quo Poloni imminentes clades, placato Numine avertere, seque adversus Tartarorum irruptionem armis munire sint admoniti: *Prodigium*, inquit Longinus, (*c*) *eo anno nunciatum multos pavore nimio concussit. Apud Cracoviensem siquidem urbem puer vix semestris, in vocem articulatam prorumpens, Tartaros superventuros & Polonorum capita præcisuros prædixit. Quæsitus ab astantibus unde id nosset, divino oraculo se fretum ista nosse respondit. Interrogatus deinde an & ipse Tartarorum adventum pertimesceret, quam maxime se timere adjecit, cum etiam inter alios suam forent cervicem præcisuri.* Non vana cecidisse infantuli illius verba, rerum exitus edocuit: Gnesnensem enim provinciam a Tartaris evastatam præsules Nicolao III. significasse, (*d*) inferius visuri sumus. (*e*) Nunc orientalium rerum historiam aggrediamur.

(*c*) *Longin. hist. Pol. l.*7. *hoc an.* Infantulus in Poloniam Tartarorum irruptionem prædicit.

(*d*) *Nic. III. to.*1. *l.*2. *ep.* 182.

(*e*) *An.* 1279. *n.* 42.

XXXIX. Græcorum res.

Cœpta superiori anno Græcorum cum Romana ecclesia conjunctio confirmata est. Josephum enim, qui se Romano Pontifici anteferendum superbe contenderat, coacto episcoporum, qui sedis Apostolicæ obsequiis accesserant, concilio, depulsus est hoc anno Constantinopolitano patriarchatu, cum veteres errores damnare abnuisset, ut in concilio Lugdunensi a Græcorum patrum synodo oratorum opera promissum vidimus. Incujus locum subrogatus est ingentium virtutum Joannes Beccus catholicus, qui cum antea eloquentia sua fidem orthodoxam, (*f*) schismatis tenebris involutus, oppugnasset, demum veritatis luce collustratus, ad eam latius diffundendam, ac discutiendum schisma vires omnes contulit. Quem perlectis Blemmydæ scriptis in carcere, in quem ob perfidiam fuerat conjectus, conversum narrat Pachymerius, cui Nicephorus Gregoras his verbis consentit (*g*): *His, inquit, temporibus magnæ ecclesiæ carthophylax erat Beccus, excellenti vir ingenio, & doctrinæ studiis ab ineunte versatus ætate. Præterea tantis naturæ donis ornatus quantis quisquam alius illius ætatis; nam & proceritate corporis, & majestate vultus, & facundia, & ubertate atque acumine ingenii omnes ad res apti, aliisque dotibus præstabat: quibus id erat consecutus, ut & Imperatoribus & * principatus, & omnibus eruditis venerabilis, atque illustri apud eos fama esset. Qui cum imperatorio decreto acriter adversaretur, Imperator nihil non tentavit, tam per seipsum quam per alios eruditos, ut eruditis & legitimis rationibus eum adduceret ut decreto assentiretur. Verum ingenii acumine & copia orationis omnium animos commovebat, eorumque argumenta veluti Penelopes telam retexebat. Nam Græcarum literarum doctrina erant, qui illum superarent: sed acumine ingenii, & eloquentia, & ecclesiasticorum dogmatum usu omnes, cum illo collati, pueri videbantur.*

Josephus schism. patriarch. sede pulsus.

(*f*) *Pachym. hist. l* 5. Joan. Beccus catholicus subrogatus.

(*g*) *Nicep. Greg. hist. Rom. l.* 5. Ut is antea schismatis defensor acerrimus fuerit.

* principatibus.

*Ea spe frustratus Imperator aliam viam init, eumque & omne fere genus ejus in teterrimos carceres coniicit. Quibus peractis, tandem in mentem venit Imperatori, eandem rem a Latinis ante annos* XXV. *Joanne Duca rerum potiente, agitatam fuisse, ac tum doctum extitisse virum Nicephorum Blemmydam, divinarum literarum peritissimum: qui cum se in otium contulisset, multa e sacra Scriptura testimonia, quæ dogma Latinorum confirmare viderentur, colligere, ac conscribere cœpisset: clam illo quidem infamiæ metu,* nimirum apud impios schismaticos, *sed tamen scripsisse quædam, quæ tum Imperator Becco misit. Quibus ille perlectis, sanctorum libros, e quibus Blemmydes ea collegerat, prudenter admodum postulavit: iisque lubentissimo Imperatore acceptis, in eo occupabatur, ut diligenter illos legeret, expenderet, ad verbum conferret. Itaque brevi tempore eum testimoniorum acervum coegit, quæ integra volumina complere possent; & qui dudum acerrime Latinis adversabatur, mutata scientia, victoriam faceret ambiguam. Quamobrem, patriarchica sede conscensa Imperatori unus fuit omnia, & lingua, & manus, & acuti scriptoris calamus: & dicendo, & scribendo, & dogmata statuendo ejus * certamina adjutoribus Meliteniote & & Metochite Imperatorii clericarchi diaconis, & Georgio Cyprio.* Hactenus Nicephorus Gregoras; qui cum schismate infectus esset, non mirum est si interdum nonnulla ad extenuandam fidei orthodoxæ dignitatem verba iniiciat. Ea porro Blemmydæ scripta, quorum meminit, eadem fuisse videntur, quæ superioris tomi calci adjunximus, in quibus veterum Græcorum sanctorum patrum auctoritates ad illustrandam Spiritus sancti ex Patre Filioque processionem depromptæ sunt. Joannem vero hoc anno patriarchalibus insulis redimitum fuisse probant ejusdem literæ (*a*) in quibus patriarchatus annos ab hoc enumerat. At de his inferius: jam ad Syriæ fluctuantis turbas nos conferamus.

Lectis Blemmydæ scriptis ad fidem orthodoxam conversus fit.

(*a*) *Ext. apud Nicol. III. l.*1. *p.*69. *n.*11.

L. Boamundi principis Antiocheni mors.

Sublatum e vivis Boamundum Antiochiæ (sed quam a barbaris occupatam luximus) principem, eundemque comitem Tripolitanum; ac post illius obitum graves dissensiones ob filii imbellem ætatem, correptamque a Tortosæ præsule illius tutelam concitatas, narrat Sanutus his verbis [1] (*b*): *Moritur Boamundus princeps Antiochenus & comes Tripolitanus MCCLXXV. XI. madii; & successit ei filius Boamundus, qui de consilio matris & episcopi Tortosæ, qui eum adhuc minoris ætatis dirigebant, ivit in Armeniam ad Regem avunculum suum pro suscipiendo baltheo militari.* Nonnullisque interjectis: *Rex vero Cypri post mortem principis Antiocheni consanguinei sui cum multa comitiva Tripolim advenit ad consulendum & juvandum puerum, qui remanserat: sed episcopus Tortosæ, quia tractante matre prior venerat, & jam curam assumpserat pueri, Regis frustravit intentum: propter quod de Tripoli recedens venit Ptolemaidem. Tunc etiam in Tripoli non parva turbatio orta est, quia Romani, qui prius dominium terræ habuerant, in vita alterius principis multos læserant milites propterea nunc ab eis tres gladio interempti sunt.* Gravissime perstrictum a Nicolao III. Boamundum ob Romanos, quos pater veluti fidissimos sui corporis stipatores adhibuerat, atque ob eximia officia multis fiduciariis bonis auxisset, vel morte vel bonis mulctasse, visuri sumus. Subdit Sanutus (*c*) Tripolitanum episcopum, ob susceptas horum partes odia Boamundi contraxisse: *Et quia episcopus Tripolitanus Romanus Romanos defendebat; nam avunculus erat principis, episcopus vero Tortosæ principis tutor milites defendebat; inter episcopos orta dissensio radix fuit multorum malorum sequentium, ac inter principem & Templarios discordiæ seminarium. Dominus quoque de Gybeleth, quia procurantibus Templariis concordiam cum Tripolitano episcopo iniit, in odium venit principis procuratione episcopi tutoris sui. Creavit proinde turbatio, & multiplicata sunt mala in terra.* Auctas consecutis

(*b*) *Sanut. l.*3. *p.* 12. *c.* 14. Imbellis filius Boamundus succedit.

(*c*) *Sanut. ubi sup.* Susceptæ a Tripolitano episc. Romanorum partes.

Auctæ inde discordiæ.



Egregiam rei catholicæ navarit operam.

* *certaminum*

NOTÆ [1] BErnardus Thesaurarius, qui hoc anno claudit chronicon suum Gallicum, vulgatum a Martenio collection. vet. monum. to. V. sub titulo continuationis ad historiam Guillelmi Tyrii, quemque haud procul ab his temporibus vixisse ex eo deduco, quod istud ejus opus anno circiter 1320. Latine redditum sit, ut demonstrat Muratorius in præfatione ad opus istud Latinum vulgatum rer. Italic. to. VII. Igitur Bernardus iste, Sanuto, quantum conjectura assequi licet, vetustior, obitum Boamundi in annum præcedentem, diem vero in XX. maii refert. Præsenti vero illigat obitum Bendocharis soldani Babyloniæ, quem vita functum asserit die XXV. maii post decursam non sine cædibus, & vastatione Armeniam. Huc usque author, quo sæpe non sine fructu in corrigendis annalibus usus sum. Cæterum quod Gallicum opus sub titulo anonymi continuatoris ad Historiam Tyrii PP. Martene, & Durand in collectione sua to. V. vulgarunt, illud idem esse opus Bernardi Thesaurarii unde F. Pippinus vel quivis alius Latinus interpres historiam suam de acquisitione Terræ sanctæ accepit, in nota ad A. 1226. demonstravi.

Fateri tamen oportet, Sanuto, quoad annum emortualem Boamundi, consentire Joannem Iperium in chronico S. Bertini, quem scriptorem per hos annos floruisse satis constat. Hic pariter emortualem Bendocharis annum alium plane definit: res enim anni 1277. percensens scribit. *Eodem anno Bendochar soldanus Babyloniæ pro succurrendo castro suo Labire, quod supra fluvium Euphratem obsidebant Tartari, fluvium natando pertransiit; sed reperit sex millia Mongalos Tartaros, qui sibi multam intulere molestiam; sicque amissis copiis vulneratus Damascum rediit; & accidente sibi ventris profluvio extinctus est. Successit illi Melechhisai.* Eadem legas apud Sanutum ad eundem annum, & refertur in annalibus ad A. 1277. 18. MANSI

Perstrictus a Nicolao III. Boamundus.

tis annis eas dissensiones, atque episcopum Tripolitanum, a Principe contracto non suorum modo, sed etiam Saracenorum exercitu, Templariorum equitum ædibus depulsum; atque a Nicolao III. Boamundo principi, ni scelerum admissorum pœniteret, divinarum, humanarumque pœnarum terrorem objectum (*a*) dicemus inferius.

(*a*) Nic. III. to. 1. l. 2. ep. 112.

LI. Interea dum Christiani ferrum in suamet convertunt viscera, Saraceni Tripolitanos male postea perdituri, in Armeniam irrupere, a quibus inflictas clades Sanutus (*b*) his verbis describit: *Eodem anno*, hoc nimirum, *Bendocdar, qui vocabatur Malec Madavar, percurrit planum Armeniæ, & percussit in ore gladii ultra viginti millia hominum, captivos trahens secum pueros & puellas usque ad decem millia: equos vero, & animalia majora & minora usque ad trecenta millia.* Eadem eisdem verbis Jordanus, sed cæsorum numero discrepat, dum loco viginti millium ducenta millia trucidata asserit (*c*): *Rex autem cum equitibus ad montana perrexit: mercatores & cæteri, qui potuerunt, cum rebus suis cum navibus per mare periculum evadentes in piratarum ceciderunt manibus, deinde Ptolemaidam pervenerunt.* Furente ita in Christianos orientales Bendocdare, submissas ex occidente aliquas subsidiarias copias, refert idem auctor. Et quidem opportune, cum Oliverius e Termes, strenuissimus fidei propugnator, mortem oppetiisset: *Circa finem*, inquit, *octobris dominus Guillelmus de Rosseylon applicuit Ptolemaidem cum XL. militibus & aliis LX. equitibus & cum quadringentis ballistariis ad stipendia Ecclesiæ.*

(*b*) Sanut. cit. c. 14.

Armenia a Bendocdare evastata.

(*c*) Jord. M. S. Vat. sig. nu. 1960.

Submissæ in Syriam auxiliares turmæ.

LII. Permovit etiam Pontifex ad submittendas auxiliares copias in Syriam Carolum Regem Siciliæ, ursitque ut cum Philippo Rege Francorum ad confirmandas Palæstinæ res incumberet. Impendente etiam ex Christianorum dissidiis majorum periculorum terrore, ad ea antevertenda eundem Regem impulit: cum enim Brenensis comes Cyprum invadere, ac bellum Hugoni Lisiniano inferre cogitaret, egit cum Rege Carolo, qui plurima in ea re auctoritate pollebat, sanctissimus Pontifex (*d*) ut illud consilium extingueret, ne si in se mutuo Christiani arma vertere pergerent, tenues illæ Syriæ reliquiæ in hostis, victoriis præferocis, potestatem venirent.

(*d*) MS. Vallic. sig. lit. C. nu. 49. pag. 49.

Jubet Carolo Pontif. ut ea consilia discutiat.

*Regi Siciliæ illustri.*

*Patet liquido illud modicum Terræ sanctæ residuum, quod Christianitas obtinet, ex eo maxime immensis patere periculis, quod exinanitum opibus, bellatorum ope desertum, incolarum suorum viribus etiam per unitatem concordiæ collatis in unum, non solum in sui defensione deficit; sed & aliorum subsidium non sufficit expectare. Quid igitur si guerrarum dissidiis exponatur? Cum per eas opulenta decidant, numquid exinanita consurgent? Cum debilitentur fortia, numquid debilia convalescent? Profecto non tam verendum quam supponendum videtur omnimodis, quod sub intestinarum guerrarum mole non stabit; cum contra impetitiones extrinsecas Cypri, in intrinsecæ pacis tranquillitate vix duret.* [1]

LIII. *Non immerito itaque relatum nobis dilecti filii nobilis viri comitis Brenensis propositum, quo disponere dicitur, ut regnum Cypri cum armatis invadat, animum nostrum multa solicitudine inquietat, ne idem comes ante Christianitatis statum, prout in proximo de omnipotentia divina speratur, in illis partibus reformatum, per invasionem hujusmodi regnum prædictum nimiæ turbationis exponendo discrimini, non sine grandi ejusdem Christianitatis gravamine, manibus illud inimicorum exponat; & duobus contendentibus, utriusque tertius inimicus in mari turbato piscabitur; comes ipse ad recuperandum jus suum, quod in regno prædicto eidem, ut asserit, justitia repromittit intendens, recuperationis spem sibi omnino præcidat. Ideoque serenitatem regiam rogamus attentius, & hortamur, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus præmissum comitis memorati propositum prorsus impedias, nec in effectum deduci aliquatenus patiaris; ne per ipsius Christianitatis discordias vires inimicorum crucis in tantam confusionem Christiani nominis augeantur, & ad liberationem terræ prædictæ piis ordinationibus concilii via quasi totaliter præcludatur. Hujusmodi autem nostras preces & monita sic efficaciter sedulus exequaris, quod æternæ retributionis apud Dominum assequaris exinde præmium, & apud homines præconii memorabilis incrementum.*

Mala inde nascitura proponit.

NOTÆ [1] EX Henrici Spondani annalibus mentionem hic faciendam esse censeo de insigni conventu antistitum ac principum Suecicorum in urbe Strengenensi regni Sueciæ celebrato. Agitata in eo fuit controversia Waldemarum regem inter & fratres ejus, Magnum Sudermaniæ ducem, Ericumque, quos ambos Sophia Waldemari uxor summo contemptui habebat. Decreta fuit Waldemari exauctoratio, & Magni assumptio. Insuper & anathema pronunciatum in libertatis ecclesiasticæ ac clericorum violatores. In eodem pariter conventu factum credo, quod a nonnullis chronologis Danis, a Ludewig vulgatis, anno huic adscribitur, ut scilicet Dania solveretur ab interdicto, quo a Guidone card. & A. S. L. ob non compositas cum episcopis controversias innodata fuit. De hoc dissidio in nota ad A. 1266. XL. egi. MANSI



LIV. Paruisse Carolum Pontificiis imperiis videtur, cum Brenensem comitem Cyprum bello adortum non reperiamus. Insignes vero Caroli ad Gregorium literas (*a*) plenas officiorum & observantiæ notis ad hujus anni calcem afferemus, quibus ad pendendum annuum vectigal paratum se exhibet, ac locum quo illud numeraturus sit designari, deque Gregorii in Italiam reditu fieri certior efflagitat.

(*a*) Nicol. Card. Arag. MS. arch. Vat. sign. lit. C. n. 196. pag. 81.

Caroli I. tituli.

*Sanctissimo in Christo patri & domino suo Gregorio, divina providentia sacrosanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ summo Pontifici, Carolus Dei gratia Rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, almæ urbis senator Andegaviæ, Provinciæ & Folcalqueri comes, Romani imperii per sanctam Romanam ecclesiam in Tuscia vicarius generalis, devota pedum oscula beatorum.*

*Diu est, clementissime pater, quod perquisivi & indagavi solicite de tempore, quo vos, de ultramontanis partibus recedentes, iter arriperetis ad partes Italiæ feliciter redeundi, certificari desiderans, si apud aliquam civitatem in hujusmodi reditu moram aliquam disponeretis contrahere, ut certius atque securius clementiæ vestræ octo millia unciarum auri censum annuum, in quo ecclesiæ Romanæ ratione regni Siciliæ teneor, possem cum devotione & obedientia debitis destinare. Misi etiam jamdiu Jacobum de Gancelmo dilectum militem familiarem & fidelem ad vestram præsentiam, expresse injungens eidem, ut me super præmissis, nec non ut si per mare vel per terram essetis ad easdem partes Italiæ redituri, quam citius posset, certificare curaret. Et licet idem Jacobus, considerato tempore, quo a me recessit, potuerit (ut mihi videtur) me super his certum efficere; nondum per eumdem Jacobum vel per aliquem scire potui de præmissis veritatem. Quapropter statim vestri sanctitati humiliter supplico, quatenus benigne attendentes (si placet) meam super hujusmodi negotio puritatem mihi mandare dignemini apud quem locum vultis, quod vobis eumdem censum transmittam, habentes meam devotionem, obedientiam meam super eo, quod censum ipsum in statuto termino secundum pacta & conventiones inter eamdem ecclesiam & me habita non transmitto, ex consueta benignitate sedis Apostolicæ excusatam, mihique apostolicas literas ad hujusmodi excusationes meas necessarias concedentes; ita quod propter hæc pactorum & conventionum ipsorum transgressor non reputer, ac exinde pœnam aliquam non incurram: Ego enim censum ipsum quem vobis ante prædictum terminum transmisissem, si certus fuissem de loco, apud quem potuissem illum misisse, jam in certo loco feci deponi; vobis juxta vestræ voluntatis beneplacitum cum filialis devotionis promptitudine celeriter transmittendum. Dat. Neapoli anno Domini MCCLXXV. die XI. julii, III. indictionis, regni mei anno X.*

De constituta die non pensitatio venia postulata.

De censu præstando ab eo Pontifici.

I. Quatuor Pontifices hoc anno sedent.

CRebris Romanorum Pontificum funeribus luctuosissimus extitit annus a Christo nato millesimus ducentesimus septuagesimus sextus, indictione quarta: vidit enim quatuor Pontifices, Gregorium X. qui eo ineunte e mortalibus ereptus est: Innocentium V. ejus successorem: Adrianum V. quo paucis post mensibus extincto, Joannes XXI. Ecclesiæ in subitis adeo rerum conversionibus fluctuantis gubernacula suscepit: quæ tamen non est diu moderatus. Lugubrem ergo aggressuris historiam Gregorius primo occurrit, qui cum e Gallis reversus, Aretium peteret, morbo correptus, ingenti sui relicto desiderio, e vivis discessit, irreparabili Terræ sanctæ damno, ad quam e Saracenorum manibus eripiendam cum Imperatore sacrando, ac Francorum, Angliæ, Siciliæ, Aragonum Regibus, aliisque principibus innumeris erat profecturus. Quo sublato Reges priora abjecere consilia, Græci rediere ad schisma, mutuisque dissensionibus catholici discissi consecrata Christo arma in mutuas strages convertere. Sepultus est vir sanctus, quem merito affirmare possumus illam Pontificii symboli sententiam (*a*): *Perfice gressus meos in semitis tuis*, factis impleviſſe, Aretii effuso omnium luctu, ubi hactenus illius corpus magna veneratione a piis colitur, ut inferius dicemus. [1]

Gregorius in Aretina profectione morbo implicitus feliciter obit.

Non defuere, qui sanctissimum Pontificem

(*a*) Fer. Marin. Ebul. MS. Vat. pag. 56.

NOTÆ [1] DE die emortuali Gregorii papæ nihil adnotandum occurrit, cum in diem ab annalista expressum omnes conveniant. Quod vero hic additur ex Ptolemæo Lucensi, virum nempe fuisse magnæ dexteritatis, sed modicæ literaturæ, falsi arguere conatur Pagius in Breviario ad vitam Gregorii, retexens catalogum lucubrationum ejus, quæ tamen omnes in bibliothecis adhuc latent. Scripsit *dialogum inter Saulum, & Paulum* quem MS. bibliotheca Vormiensis servat, & *orationem pro concordia inter Guelphos, & Ghibellinos*, quam cum registro epistolarum ejus ad varios bibliotheca Vaticana tenet. Denique ejus *constitutiones ecclesiasticas* cum notis Garziæ J. C. habent in bibliotheca sua canonici Lateranenses Patavii.

Pro cultu publico illi decernendo postulationes suas exhibuerunt Placentini an. 1326. vel 322. (non enim hac de re inter Victorellum & Oldoinum in addition. ad Ciaconium convenit) sicut & Aretini anno 1345. regnantibus Joanne XXII. & Clemente VI. ejusdemque rei petitio sub Julio III. Gregorio XV. & Urbano VIII. innovata fuit. Licet vero nihil adhuc a sede apostolica decretum est; pia tamen fidelium religio privatis votis illum supplicat, quin & vetustæ plures ejus imagines diademate, quæ sanctitatis nota est, ornantur.

Die XXI. januarii; idest undecima post die concordibus cardinalium suffragiis electus fuit Petrus de Tarantasia, Innocentius V. in pontificatu appellatus, qui ex ordine fratrum Prædicatorum, Lugdunensis archiepiscopus electus fuerat, nec ita multo post a Gregorio X. ad episcopatum Ostiensem evectus: his gradibus ad pontificatum ascendit, quem hoc ipso anno mense & die ab annalista indicatis cum morte commutavit. Præter eas epistolas, quas annalista hic evulgavit, paucis ab hinc annis PP. Martene & Durand inter monumenta varia de reconciliatione Græcorum alias nonnullas ab eodem Innocentio scriptas dederunt, in quibus Michael Palæologus, ejusque filius Andronicus urgentur ut cœptum junctionis duarum ecclesiarum opus tandem perficiant: schisma palam ejurent, eaque de re publicas literas exhibeant. Tum & nuncios ad illos destinat eosdem, quos nondum missos ob Innocentii obitum, dein Joannes XI. legavit. His nunciis de scripto tradidit ea quæ ab ipsis præstanda fuerant. Ejus scripti summa ad id redigitur, ut imperator cum filio, & Græcorum præsulibus pontificis Romani primatum agnoscant, & subjectionis suæ publica documenta præstent. Hunc virum omnes, quotquot res ejus temporis gestas scriptis consignarunt, ab ingenii & scientiæ laude commendant, quem Parisiis legisse annis plane multis affirmat, qui tunc florebat, Jacobus de Varagine in chron. Genuensi rer. Ital. to. IX. col. 52. quin & scripsisse in sententias & S. Pauli epistolas scribit S. Antoninus part. 3. tit. 20. cap. 20.

Huic sufficitur Adrianus V. quem renunciatum fuisse pontificem non quidem die XII. julii ut Ricordanus, S. Antoninus, & Villanus scribunt, nec die ejusdem mensis X. ut supputat Pagius in breviario, sed die XI. ejusdem mensis certum teneo id affirmante exertis verbis authore chronici Parmensis qui cum anno 1309. opus suum claudit, cui & consonat diligentissimus author Memorialis potestatum Regiensium, qui ad annum 1290. chronicon suum perduxit; ac denique non abludunt, qui annales Genuenses Caffari publica authoritate usque ad A. 1280. continuarunt. Ab eo pontifice censuras, quibus Genuenses tandiu illigati fuerunt, solutas iidem continuatores testantur.

Diem obitus plerique constituunt XVIII. augusti; sed author memorialis diem XVII. statuit, cui magis congruunt ea quæ de tempore gesti pontificatus definiunt continuatores Caffari, qui die XXXV. post electionem vita functum scribunt, quod etiam confirmat author chronici Parmensis. Periodus ista quidem definit in diem XVI. augusti; sed hi facile scriptores diem ipsam electionis excludunt; atque ita supputationem suam in diem XVII. recte deducunt.

Post Adrianum, assumptum fuisse Vicedominum de Vicedominis card. Placentinum ex fide vetusti cujusdam chronici Placentini asseruit Petrus Maria Campi in histor. ecclesi. Placentina to. II. Hunc vero altera ab electione die vita functum ex eodem chronico scribit. Et quidem Conclavi pendente die VI. Septembris anni 1276. obiisse legitur in necrologio vetusto ecclesiæ Pla-



Aspersæ Gregorio calumniæ diluuntur.

ficem calumniis appetere sint ausi. Neque id mirum cuiquam videri debet, cum Pharisæi etiam in Christum dominum contumelias evomere non perhorruerint. Horum calumniatorum principem recentior Gregorianæ MS. apologiæ auctor adducit Stephanardum Vimercatum poetam Vicecomitum encomiastem, qui asseruerit instructas Placentiæ Othoni vicecomiti Mediolanensi archiepiscopo a Turrianis insidias, ac perstrinxerit ignaviæ Gregorium, qui in Neapolionem Turrianum anathematis sententiam non tulerit. Comparataene re vera fuerint insidiæ elusæque, vel potius Vicecomites adversariorum odio finxerint, exploratum esse negat: additque nec prudentiæ nec equitatis fuisse censuris agere in Turrianos, cum de corpore delicti, ut ait, non constaret. Num forte Neapolionem Gregorius reformidavit, qui, uti suis locis vidimus, Regibus, ut Alfonso Lusitaniæ ob jus ecclesiasticum violatum, Jacobo Aragonum ob adulteram inductam, Alfonso Castellæ & Legionis ob affectatum Imperium Othocharo Boemiæ ob Rodulphum lacessitum bello pœnas ecclesiasticas objecit; corripuitque acerrime Carolum Siciliæ ob Guelphorum factionem sustentatam, & animo plane excelso occidentem in Saracenos Asiaticos ad bellum rapere est meditatus? Refellit æque memoratæ apologiæ scriptor Galvanum Flammam, nec majorem illius dicteriis in Gregorium adhibendam fidem contendit, quam Vicecomitum encomiis dum ipsorum stirpem a Jove Venereque per Achillem deduxit. Confutandum dein aggreditur Paulum Jovium (*a*) adductis hisce illius verbis: *Refert Stephanardus Flamma, qui eam historiam carmine conscripsit, Pontificem ipsum, quod vix credibile est, nefarii consilii conscium fuisse: quod fortasse pro falso esset omittendum, nisi & tum & postea, quantum vita superfuit, Othoni animum plane hostilem, & quo lethalius noceret, insidiosis honestorum verborum coloribus convelatum ostendisset.* Hæc Jovius: in quo primum apologiæ scriptor arguit in afferendo dicto auctore peccasse, ut qui duos Stephanardum, & Flammam in unum confuderit, tum iisdem illa affingere quæ nusquam jactasse reperiantur: dein nullo argumento, nullis probationibus fulcire, Gregorium nocendi studio condita odia insidiosis officiorum involucris subornasse, unde falsitas manifeste pateat. Denique obicit Jovio correptum jure a multis fuisse plerumque mendacia magnifico verborum apparatu ornare non vera scribere: atque inter plures alios, quos affert, a Justo Lipsio judicio & fide vocatum ambiguum: perstrictumque a Miræo eo poetæ versu: *Venalis cui penna fuit*; infertque Jovii aut aliorum dicteria conceptæ de Gregorii sanctitate opinioni, institutæque de eo sanctis annumerando actioni, non posse magis officere, quam Dantis poetæ convitia Cælestino, ne sanctorum illi honores decernerentur, obfuerunt. At prætermissis inanibus hisce maledictis, quæ ipsum Numen patratis ad implorata Gregorii suffragia perspicuis miraculis abunde confutavit elogia afferamus.

(*a*) Jovil. in vita Ottonis archiep. Mediolan.

II. Hoc in primis Gregorium exornat S. Antoninus (*b*): *Erat vir zelator fidei & divini cultus, ac detestator partialitatum, & pacis amator.* Nec disparibus effert eum encomiis Leonardus Aretinus (*c*): *Fuit*, inquit, *vir optimus & proculdubio sanctissimus: ingentis quidem animi contra Christiani nominis inimicos, & qui sacræ recuperationem terræ semper meditaretur, ad eamque unam rem Christianos omnes, positis inter se contentionibus, intendere censebat.* Et infra: *Sepultus est Aretii summa cum veneratione. Multa circum illius corpus miracula postmodum subsecuta fidem ejus sanctitatis in dubiam præbuere.* Confirmat hæc Ptolemæus (*d*) Lucensis subjectis verbis: *Transivit in Lombardiam, & venit in Tusciam, ac applicuit apud Aretium; ubi infirmatus est & mortuus: per quem Deus suas virtutes ostendit. Quod fuit, ut historici tradunt, IV. idib. jan. anno videlicet Domini MCCLXXV.* De ejus vero singulari in rebus gerendis industria, misericordia in pauperes, inque religiosos viros benevolentia hæc tradit: (*e*) *Hic Papa fuit miræ experientiæ in sæcularibus, quamvis modicæ literaturæ, nec intendebat pecuniarum lucris, sed pau-*

(*b*) Anton. 3. p. tit. 20. c. 2. in princ.

(*c*) Leonar. Aretin. hist. Flor. l. 3.

Insignia illius encomia.

(*d*) Ptol. Luc. lib. 22. eccl. hist. c. 5.

(*e*) Eod. lib. c. 4.



NOTÆ Placentinæ apud Wadingum ad A. 1276. num. II. At reliquorum omnium scriptorum silentium dubiam efficit fidem Chronici hujus, de cujus vetustate, cum non producatur a Campo, judicium ferri nequaquam potest.

Joannes XXI. successor datus est, cujus electionis diem in XV. Septembris concurrere ex conjectura tantummodo Pagius in Breviario asseruit. Sed Author Memorialis Potestatum Regiensium electum definit die XVII. Septembris. Quæ tamen dies congruere non potest cum diebus XXVIII. interpontificii, quos Bernardus Guidonis aliique nonnulli inter Adrianum, & Joannem statuunt. Sed major penes me est fides Scriptoris hujus, quem in definiendis rerum epochis nunquam errasse deprehendi. Coronationem vero Pontificis hujus die XX. Septembris habitam Ciaconius ex Panvinio tradit. MANSI

Ut humanofastigio superior a patriarcha Græc. celebratur.

*perum eleemosynis. Religiosos viros multum dilexit & fovit.* His præclaris elogiis Græcorum patrum congregatorum in concilio Constantinopolitano insigne encomium adjungimus: ii enim in synodalibus literis (*a*) ad Joannem XX. datis de ecclesiarum conjunctione a Gregorio redintegrata locuti, addunt hæc verba: *Tempore felicis memoriæ beatissimi illius viri, si tamen virum & non Angelum vocari oportet, felicem illum sanctissimum Papam decimum dicimus Gregorium.* Consentiunt Bernardus (*b*) & Longinus (*c*) post mortem miraculis effulsisse, ac plures qui se ejus nomini atque apud Deum precibus commendarant, valetudini restitutos. Descripta est eorum miraculorum historia in veteri charta pergamena, ad illius sepulcrum in sacello principis ecclesiæ Aretinæ affixa, ex qua præcipua subiicio.

(*a*) Ext. apud Nic. III. to. 1. pag. 69. n. 31.

(*b*) Bern. in chron. Rom. Pont.

(*c*) Long. hist. Pol. an. 1275.

Plura ipsius ope patrata miracula.

III. *In nomine Dei æterni. Amen. Anno Domini MCCLXXVI. indictione quarta domino Innocentio Papa V. residente, infrascripta sunt miracula, quæ dominus noster Jesus Christus fecit meritis beati Gregorii Papæ decimi in personis infrascriptis, quæ se cum reverentia devoverunt B. Gregorio supradicto. Die lunæ XXVII. mensis apr. Adalerte mulier Theutonica filia Henrici de civitate Ruodolinghene districtus comitis de Ferighene, quæ veniebat a civitate Romana, & visitaverat limina beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & etiam S. Nicolai associata, juravit tacto libro per Deum vivum, & per Jesum Christum ejus Filium, & per B. Virginem Mariam ejus matrem, & per omnes Apostolos, & sanctos, & sanctas Dei, computato, eidem mulieri sacramento per Joannem Theutonicum, qui sciebat linguam Latinam, quod ipsa mulier non vidit aliquo modo neque cœlum, neque terram, neque solem, neque aliquam aliam rem existentem in mundo, jam sunt octo anni elapsi; & veniendo ab Urbe anocula cum societate ad civitatem Aretinam, venit ad monumentum beati Gregorii supradicti, cui se cum reverentia devovit, quod eidem redderet lumen oculorum suorum: & facto voto statim meritis B. Gregorii supradicti aperti sunt oculi sui, & vidit cœlum, & terram, & homines, & mulieres, & omnia quæ respiciebat. Et idem Joannes Theutonicus juravit ad sancta Dei evangelia, quod ipsa mulier sic juraverat, & juravit quod vidit eam cœcam, jam sunt* XIV. *dies in Urbe. Et hæc omnia testificati fuerunt Peugo Joannis de Francheforte de Alemannia, & multi alii qui venerant & duxerant eam ad Urbem & liberata est prædicta mulier præsentibus dominis Caccia plebano de S. Donato de Mantinellis canonico Aretino, Orlandino plebano plebis Pontenano, Coppo velli, & coram magno numero hominum, & mulierum: & juravit coram domino Bono præposito Aretino, Rainerio de Gressa, & Donato de Mantinellis canonicis Aretinis, & coram multis aliis.*

Restitutum cœcis lumen oculorum.

IV. Curvi corpore rectam figuram membrorum recipiunt.

*Die veneris, prima die mensis maii Benintende filius Benincasæ de Vogognano dixit suo juramento, quod jam sunt quinque anni & plus, quod propter gravem infirmitatem, quam habuit, aliquo modo non potuit ire, nec redire sine baculo sine scaccis: & quando ibat cum scaccis, semper ibat contortus, & gibbus & adeo incurvatus, quod quasi retinebat caput & faciem suam juxta terram, & aliter non poterat ire, nec se erigere. Et veniendo & stando cum magna reverentia ad monumentum B. Gregorii supradicti, cui se devovit; & invocando auxilium suum, meritis ipsius liberavit eum Deus a dicta infirmitate; ita quod libere sine baculo vel alio adjutorio prædictus vadit, & redit quocumque vult. Prædicta omnia testificatur Arengutius Albergatore nepos dicti Benintendis donna Gubilia uxor dicti Arengutii, Giana famula dicti Arengutii, & multi alii, qui viderunt eumdem sic infirmum & contortum, & modo sanum: & hæc testificati fuerunt coram Rainerio de Gressa, & Donato de Mantinellis canonicis ecclesiæ cathedralis Aretinæ, & multis aliis.*

V. Mulieri oculorum usus restitutus.

*Die veneris prima die maii donna Bona uxor quondam Donati notarii de civitate Aretii de populo S. Petri parvi, dixit, & affirmavit suo juramento, quod ipsa sine aliqua interpellatione stetit anocula & amisit lumen oculorum suorum, jam est unus annus & plus; ita quod aliquo modo non potuit videre: & veniendo & stando sub sepulcro B. Gregorii supradicti, cui se devovit cum magna reverentia, meritis ipsius beatissimi patris Deus liberavit eam, stando sub monumento ejusdem: ita quod bene videt & cognoscit omnes res quæ sibi monstrantur.*

VI. *Die XIII. mensis maii intrantis Baldutinus filius olim Orlandi civis Aretinus de populo S. Michaelis, & donna Jacobina ejus uxor, dicunt & affirmant in verbo veritatis & in fide Jesu Christi, quod Neira eorum filia fuit adeo contracta in omnibus membris suis, quod non potuit se erigere, nec ire aliquo modo sine adjutorio hominis vel mulieris: & faciendo dictam filiam apportare a quadam serva dicti Baldutini ad monumentum B. Gregorii supradicti, cui devoverunt dictam eorum filiam, stando sub ejus monumento, meritis ipsius liberavit eam Deus, ita quod per se sine adjutorio alicujus potest se erigere & libere ire. Et hæc testificantur fuisse vera dominus Beneludus, Orlandus quondam Jacobi, Rainerius olim domini Ubertini, & plures alii testes.*

Die



VII. Surdi auditum recuperant.

*Die nona mensis maii intrantis Robertus quondam Cambii de Florentia dixit & affirmavit in verbo veritatis, quod stetit surdus, & non audivit aliquem hominem loquentem, jam sunt XVI. anni, & plus: & veniendo ad sepulcrum B. Gregorii supradicti, cui se devovit, & tangendo ejus sepulcrum, & stando sub eo, audivit quendam sonitum locustæ & cicadæ, & ab ipsa hora in antea meritis beatissimi patris Gregorii dominus sanavit eum & reddidit ei auditum ita quod bene audit, & intelligit omnia, quæ sibi dicuntur ab hominibus. Et hæc testificatus est in præsentia dominorum Rainerii de Gressa, Donati de Mantinellis, & Uberti canonicorum, & pluribus aliis.*

VIII. *Die nona prædicti mensis Joannes olim Tucciardi de Rancho dixit & affirmavit in verbo fidei & veritatis, quod ipse stetit surdus, & non audivit aliquam vocem, jam sunt XXI. anni: & veniendo ad monumentum B. Gregorii supradicti, cui se devovit, & stando sub sepulcro beatissimi patris, & tangendo ipsum monumentum subito liberatus est: ita quod bene audit omnia meritis ipsius beatissimi patris. Et hæc dixit præsentibus domino Uberto canonico Aretino, magistro Bonfilo, & Ruberto quondam Cambii.*

IX. *Nona die prædicta Joannes Petri de Carpignalo, plebatus plebis S. Petri de Massa, dixit & affirmavit quod stetit anoculus, & non potuit videre, jam est annus, vel parum minus; ita quod non videbat lumen: & veniens ad monumentum beatissimi patris Gregorii supradicti, cui se devovit; & stando sub monumento prædicto, & tangendo ipsum monumentum, meritis ipsius subito liberatus est: ita quod bene vidit. Et hoc testificatus fuit Timideus & domina Berta uxor ipsius Timidei.*

X. Redditus mutis linguæ usus. * Trabaria.

*Die X. mensis maii Margarita uxor Joannis Saviæ de castro plebis de massa * Trebatia dixit & affirmavit, quod ipsa non potuit loqui aliquo tempore vitæ suæ aliquo modo, vel audire, veniens ad sepulcrum B. patris Gregorii supradicti devota fuit; & stando sub eodem sepulcro, & tangendo eum, meritis ipsius beatissimi patris Gregorii liberavit eam Deus: ita quod loquitur bene, & audit, & hoc testificata fuit Litiaria ejus soror coram dominis Bonsignore primicerio, Rainerio de Gressa, & domino Donato de Mantinellis canonicis Aretinis.*

XI. *Præterea notum sit omnibus videntibus, sed legentibus istam chartam, quod multa alia miracula per merita prædicti sanctissimi patris Gregorii X. fecit Deus, quæ longissimum esset narrare. Et quia non posset hæc brevis charta multa ejus miracula continere; ideo quicumque ejus miracula ad plenum noscere desiderat, ad sacristam hujus ecclesiæ accedat, qui sibi plenos codices miraculorum prædicti beatissimi Papæ ei libenter ostendet.*

XII. Decreti illi honores ab Aretinis.

(*a*) Jacob. Bural. de epis. Aret. in Guillel.

Permovere (*a*) ea miracula Aretinos, ut decreto municipali sancirent, magistratus post divina peracta cereos, recurrente quotannis decima januarii die, in Gregorii X. Pontificis sanctissimi honorem oblaturos: atque etiam aram principem e marmore B. Virgini, S. Donato, & Gregorio X. sacram eleganti cultu excitarent: in qua ejusdem Pontificis signum ad Virginis lævam pulchro opere assurgit. Recolitur ejus memoria in ejusdem ecclesiæ Kalendario IV. id. januarii.

XIII. Institutum de eo in sanctorum numerum referendo sacrum examen.

Agitatum vero fuit ad Ferdinandi II. magni Etruriæ ducis preces sedente Urbano VIII. de sanctorum honoribus illi decernendis, atque publica acta de ejus miraculis instructa sunt; cui examini religioso adhibiti Romanæ rotæ auditores, comperta ac illustrata miraculorum veritate, Pontifici responsum dedere: *Hæc habuimus beatissime pater, quæ de B. Gregorii decimi processibus, vita, virtutibus, ac miraculis dicenda proposuimus: ex quibus sæpe expensis canoniceque confectis referri posse beatum virum rite censuimus in sanctorum numerum; modo sanctitas vestra, cui traditæ sunt secretorum cœlestium claves, hac super re aperiat Christiano populo divinitatis oraculum, &c.*

XIV. De obitu Gregorii

(*b*) Vvest. Flor. hist.

(*c*) Nang. in gest. Phi. Franc. Regis.

De obitu Gregorii Westmonasteriensis (*b*) & Guillelmus Nangius (*c*) aliique agunt: quorum plerique in Salvatoris annum millesimum ducentesimum septuagesimum quintum coniiciunt, cum Christi annos ab incarnato Verbo numerare consueverint. Cum vero renuntiatus fuerit, ut supra vidimus, summus Pontifex kal. septembris anno millesimo ducentesimo septuagesimo primo, obieritque hoc anno die X. januarii, ipsum annos quatuor menses quatuor, dies decem pontificatum tenuisse dicendum est. Quibus conveniunt a Baronio tradita, dum ait (*d*): *Anno Christi MCCLXXVI. indictione* IV. *Gregorius X. obiit* IV. *id. januarii: vacavit sedes dies decem.*

(*d*) Baron. in sche. is. Pontificatus Greg. tempus.

XV.

(*e*) Ric. Malesp. ubi sup. Jo. Vill. ubi sup. Anton. 3. p. tit. 20. c. 3. in prin.

(*f*) Bern. in chron. Rom. Pont.

Petrus e Tarantasia illi succedit.

(*g*) Cod. bibl. Vall. sig. lit. C. n. 25. pag. 172.

## INNOCENTIUS V.

Sanctissimo patre vita functo, Cardinales ex vi constitutionis ab eo in concilio Lugdunensi de electione Pontificis editæ Aretii in conclavi inclusi, vigesimo (*e*) primo mensis januarii, festo S. Agnetis die, uti Bernardus Guido (*f*) & alii affirmant, ad summi potificatus apicem Petrum Tarantasiensem evexerunt; de quo inter alios hæc MS. Vallicellanum (*g*) in vitis Pontificum habet: *Innocentius V. natione Burgundus de Tarantasia sedit anno Dom. MCCLXXVI.* Et infra: *Hic a pueritia in ordine fratrum Prædicatorum doctor in sacra scriptu-*

*ptura eximius efficitur: demum in archiepiscopum Lugdunensem, & post in episcopum Ostiensem, tandem in summum Pontificem assumitur.* Corrigendi vero sunt ii, qui tradunt (*a*) Innocentium eodem anno eos dignitatum gradus conscendisse: abunde enim ex pontificiis literis, suo allatis loco, cum a Gregorio archiepiscopus Lugdunensis creatus est, refelluntur.

(a) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 23. c. 17. & alii.

XVI. Primæ ejus curæ.

Antequam in Urbem Aretio se conferret, ac pontificia corona solemni ritu cingeretur, egregiis Gregorii exemplis, qui tantum studium pro conciliandis invicem Christianis posuerat, provocatus, Genuenses ad mutuam concordiam Apostolicis literis (*b*) allicere est conatus.

(b) Ext. in cod. bibl. Vall. sig. lit. C. n. 49. p. 137.

*Innocentius electus episcopus servus servorum Dei potestati, capitaneis, antianis, consilio, & communi Januen. spiritum consilii sanioris.*

Genuenses ad concordiam solicitat.

*Regis pacifici & excelsi respicientis humilia, & alta de longe cognoscentis, qui pro infallibilis providentiæ suæ arbitrio hunc humiliat, hunc exaltat; nuper ad summi Apostolatus apicem, licet insufficientibus meritis, occulta nobis, sed sibi non incognita, dispositione vocati, cunctis fidei Christianæ cultoribus; & vobis præcipue, in quibus temporibus retroactis Romana mater ecclesia se reperisse commemorat sinceræ devotionis promptitudinem, & affectum reverentiæ filialis; cura vigili bonum pacis exquirimus, & quietis dulcedinem plenis desideriis affectamus. Novimus etenim commoda, quæ pax amabilis, pax desideranda producit: nec ignoramus, quæ solet guerrarum fugienda commotio irrogare pericula, quæve dispendia germinare. More igitur pii patris, quem non prætereunt commoda filiorum, non sine compassionis zelo, discrimina, quæ occasione dissensionis inter charissimum in Christo filium nostrum Siciliæ Regem illustrem, & germanos dilecti filii nostri Ottoboni S. Adriani diaconi Cardinalis, ac nonnullos alios nobiles civitatis Gianuensis ex parte una, & vos ex alia exortæ jamdudum, superseminante pacis hoste zizania, emersisse noscuntur, attentius meditantes, & cupientes illis celerem finem imponi; universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attentius, obsecrantes in Domino Jesu Christo, & nihilominus vobis per apostolica scripta mandantes, quatenus ejus obtentu, qui pacis est actor, animos vestros habilitantes ad pacem, aliquos viros pacificos de majoribus civitatis ejusdem ad hoc idoneos, & voluntarios, ac sufficienter instructos, ad componendum cum prædictis Rege ac nobilibus mandatum, ac plenam & liberam potestatem habentes, infra secundam dominicam instantis quadragesimæ ad nostram præsentiam destinare curetis; nostris in hoc exhortationibus, & mandatis taliter paruturi, quod & nos de vestræ obedientiæ promptitudine non immerito gaudeamus, & vos promptæ pacis consilia ineuntes, juxta sapientis promissum gaudia subsequantur. Et ecce ut circa præmissa, vobis plenius de nostro affectu pateat, dilectum filium fratrem Hugonem de Ubertinis, ordinis Prædicatorum, lectorem conventus Senensis ejusdem ordinis, virum utique scientia & religione conspicuum, ad vos propter hoc specialius destinamus, cujus monita in præmissis vos rogamus benigne suscipere, ac efficaciter exaudire. Nec miremini quod bulla nostra non exprimens nomen nostrum est appensa præsentibus, quæ ante benedictionis nostræ solemnia transmittuntur: quia hi, qui fuerunt hactenus in Rom. ecclesia electi Pontifices, consueverunt in bullandis literis ante suæ benedictionis munus modum hujusmodi observare Actum Aretii, &c.*

A quibus dissenserint.

Jubet oratores ad rem æquitate componendam tempore constituto mittere.

XVII. Viterbium iter intendit, Romam adit.

Nec diu hæsit Aretii, adornato enim in Urbem itinere inde abscessisse, Viterbiumque esse ingressum docet S. Antoninus, (*c*) ac Bernardus assentitur; (*d*) dein Romæ in basilica S. Petri, sacra tiara ornatum, atque inde Lateranum se recepisse indicat. Inito itaque pontificatu, proposita pro symbolo pontificio hac sententia: *Oculi mei semper ad Dominum*, fideles encyclicis literis (*e*) adeptæ dignitatis fecit certiores, ac præsules ad operam pro re Christiana tuenda conjungenda excitavit.

(c) Ant. 3. p. tit. 20. c. 3. in prin.

(d) Bern. in chr. Rom. Pont.

Innocentius, &c.

*Nuper sanctæ ac venerandæ memoriæ Gregorio Papa patre ac prædecessore nostro in continuatione laborum, quos ad Dei prosequenda servitia solers & devotus assumpserat, nobisque tunc Ostiensi episcopo, ac aliis nostris fratribus, quos tam in Urbe, quam circa ejus confinia jam diversa loca receperant, tribus tantum ex illis existentibus circa ipsum de ultramontana redeuntibus regione; ac eodem prædecessore apud Aretium civitatem Tusciæ in infirmitate diebus aliquibus deductis de hoc sæculo nequam, quod eo dignum forte non erat, erepto, & ipsius corpore cum exequiarum solemnitate debita tumulato; licet in pastoris substituendi processu eorundem fratrum absentia, satisque longa distantia, difficultatem non modicam communi hominum judicio juvaret; illo tamen, ut firmiter credimus, eorundem fratrum corda tangente, cui facile est disjuncta conjungere, ac etiam inter se distantia insimul adunare, nos & fratres iidem omnes, quibus id personarum suarum status indulsit, sponte ac celeriter convenimus in civitate prædicta; & in omni mansuetudine spontanea palatium, quo idem prædecessor habitarat, pridie ante festum beatæ Agnetis intrantes in ipso festo summo mane missarum solemniis in honorem S. Spiritus celebratis ex more, ipsiusque gratia votis invocata supplicibus, concorditer ad celebrandam electionem instantem scrutinii viam eligimus. Et assistente ipso benigno sapientiæ Spiritu, qui devote se invocantibus: ecce adsum, solet dicere invocatus, cujus gratia molimina tarditatis ignorat, primo celebrato & publicato scrutinio; quod tamen nequaquam aliud, sicut nec oportuit, est secutum; in humilitatem nostram, Dei providentia seu permissione mirabili, nobisque nimium terribili & stupenda, iidem fratres nullo discordante, unanimiter concordarunt: nobis ad summi apostolatus evocatis apicem, & ipsius onus giganteis etiam tremendum humeris, nostris debilibus imponentes.*

(e) Form. Mar. Ebul. MS. vat. pag. 56.



Quo die ad pontificatum evectus sit.

XVIII. *O mira Dei potentia! O admirabilis divinæ providentiæ in sui dispositione infallibilis magnitudo! Quis divitiarum sapientiæ ac scientiæ tuæ altitudinem admirari; quis comprehendere tua miranda judicia; quis investigare sufficit investigabiles vias tuas? Ecce id, non interjecto quasi horæ unius interstitio, perfecisti; ad quod alias persæpe diffusi temporis spacium vix perfecit. Ecce longe distantes ab invicem corporibus coadunasti celeriter, & in eo ipsorum animos quasi subito conjunxisti, in quo alias cohabitatione conjunctos longa dissensio separavit. Hæc profecto pie Jesu tui sunt muneris, tui doni, qui pacis & unitatis amator, utrumque unum faciens, e diverso venientes partes univisti. In iis itaque, itaque, licet nos gravis, nec immerito, stupor invaserit; ejus tamen quem ipsorum actorem fideliter supponimus, & humiliter confitemur, considerata clementia confortavit, ut quamvis injuncti oneris molem insufficientia nostra refugeret; desuper abundantia tamen plenitudinis suæ confisi ei nostræ imbecillitatis subjecerimus imperfectum, sperantes, quod operi manuum suarum dexteram porriget, nec nos impræmeditatum & inscium dispositione sua in tam profundi maris altitudine positum derelinquet. Ad quod promptius obtinendum, vestrorum suffragiorum opitulationem exquirimus: studiosam in hoc opem & operam affectamus, universitatem vestram affectuose monentes, rogantes, & quæ possumus instantia exhortantes, quatenus pensato consultius, quod in partem estis tantæ solicitudinis evocati, in gregibus curæ vestræ commissis pro viribus soliciti pastoris partes satagentes implere, Moysi manus debiles, cujus licet insufficientibus meritis, typum in Domini populo gerimus, vestris intercessionibus sustentetis apud illum, qui hujusmodi nobis onus imposuit; devotis precibus insistentes, ut non patiatur ipsius molem nos opprimi, ipsius pressura susterni: sed debilitatem nostram suo robore fulciat, suaque virtute confortet; ut sic in commissi executione regiminis ejus prosequamur beneplacitum, quod æternæ retributionis gloriam & sequamur attentius, & de suæ benignitatis gratia efficacius consequamur. Cæterum, fratres & filii, affectum vobis charitativæ benignitatis expandimus, & sinum charitatis solidæ aperimus, proponentes quantum cum Deo poterimus, honori vestro deferre, ac vestra & ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentiæ promovere.*

Fidelium preces apud Deum implorat.

XIX. Censuris Gibellinos pecellit.

Innocentium porro apostolico zelo ad rebellium Ecclesiæ frangendum pervicaciam, censuras in Papienses, Veronenses, atque alios a prædessoribus contumaciæ damnatos jecisse, testatur Joannes XXI. (*a*) in suis diplomatibus, adversus eos editis. Consuluisse præterea laboranti Hispaniæ indicant geminæ literæ, quas ab ipso tum Romæ datas putamus, quæ in Vallicellano codice ante alias Joannis vigesimi primi præfixæ sunt, quarum priores episcopo Overtensi missæ, quibus illum decimas a Gregorio Regi Alfonso concessas diligentissime cogere, instituere collectores, in illos qui eas persolvere detrectarent, vibrare censuras imperavit (*b*): *Saracenis de partibus Africanis egressis, regna & terras charissimi in Christo filii nostri Regis Castellæ ac Legionis illustris dudum hostiliter invadentibus, felicis recordationis Gregorius Papa prædecessor noster paterno sibi super hoc affectu compatiens; ac diligenter attendens, quod Saracenorum impugnatio ipsarum partium cedit in favorem non modicum & grande subsidium Terræ sanctæ, cum Saracenis eisdem magnum soleat Babylonicis persecutoribus, terræ ipsius infestis, suffugium exhiberi; præfato Regi decimam omnium ecclesiasticorum proventuum prædictorum regnorum & terrarum, prout ipsi Terræ sanctæ concessa fuerat, duxit per suas literas concedendam. Unde cum propter necessitatem omnino expediat, ut decimæ prædictæ collectio præfato Regi efficaciter suffragetur, & nostræ intentionis existat, quod idem Rex ex concessione hujusmodi fructum consequatur optatum, collectionem ipsius decimæ in regnis & terris eisdem tibi præsentium auctoritate committimus.*

(a) Joan. l. 1. ep. 153. &c.

Auxilia adversus Sarac. Hispan. decernit.

(b) Cod. Val. sig. lit. C. n. 49. p. 138.

Ovetensi episc. colligen. decimæ in Alfon. Regis subsidium facultas data.

Captasse absentiæ Alfonsi occasionem, dum in Gallias erat profectus, Abenjuzephum Marrocitanum Regem, ingentis animi barbarum & opibus præpollentem;

XX.

tem; excitumque a Mahomade Granatæ Rege, qui utilitati magis quam religioni datæ fidei serviebat, superius vidimus. Perhorruit tunc Hispania extremum discrimen adiisse: tantas enim hostis copias adduxerat, ut initio felici armorum eventu usus magnas Christianis clades intulerit: ac majores invehere parabat, nisi Sanctius præsidiis multis locis dispositis, certamine detrectato victoris ferociam repressisset. In rebus adeo trepidis Pontifex, sacrum cecinit classicum, ac populos ad arma capessenda pro Christiana causa apostolicis literis, zelo ardentissimis, incitavit (*a*).

Fideles ad militiam sacram excitati.

(*a*) Cit. cod. Vall. pag. 138.

*Archiepiscopo Hispalensi.*

*Exurgat Deus, & inimici dissipentur ipsius: ab ejus facie fugiant, qui gloriosum odiunt nomen ejus. Dispareat profanus populus, quem Africæ fœda latibula produxerunt. Habetur enim rumor horribilis, rumor implacidus, qui matris Ecclesiæ nuper insonuit auribus, ejus viscera saucians, præcordia dure pungens; quod inundante Saracenorum superbia, suis finibus non contenta, ipsorum multitudo permaxima, de partibus Africanis exiliens, collectis viribus, robore adunato, Hispanos limites invasit hostiliter, ipsos aggredi & ingredi non expavit, ac in redemptos Christi sanguine pretioso ingenita immanitate grassatur. Dolet itaque, nec immerito, mater ecclesia, tantis intrinsecus tacta doloribus: perfunditur lacrymis vultus ejus; fletus multiplicat sibi: undique lamenta consurgunt, dum quos regeneravit in filios, efferatus hostis elacerat: dum in fidei Christianæ ultores impiorum gladius dire sævit. Quis igitur orthodoxæ fidei zelo fervens ad tantum fidelium vindicandum ocyus non exciteturopprobrium? Quis illico non exurgat adversus nequitiam malignantium, aut non stabit adversus iniquitatem nefandis studiis operantes? Quis vocibus fidelis sanguinis de terra clamantibus ad tam graves protinus non accendatur injurias ulciscendas? Surgat ergo fidelium populus, & fidei clypeo præmunitus crucis signo se protegat, ut intrepidus in hostiles irruat acies, turmas infidelium opprimat, & exterminet agmina impiorum.*

De Africanor. in Hisp. irruptione.

XXI. *Assistit equidem Dominus sarcis suis: in se sperantes non deserit: sicque timentibus tribuit firmamentum, quoniam non est abbreviata illius dextera, virtutum operatione coruscans: sed ejus brachium bella conterens, comminuens cornua superborum, prælianteſ pro sui nominis gloria confortabit. Sub ipsius igitur spe intendentes, populi Christiani dissidiis, quæ tam perniciosus Saracenorum ipsorum minatur aggressus, remediis quibus possumus obviare; volentes etiam sinceritatis affectum, quem erga prædecessores charissimi in Christo filii nostri Regis Castellæ ac Legionis illustris, & ipsum ab olim Romana gessit ecclesia, evidentia operis plenius aperire; ac plenam de tuæ fidei puritate, virtutis constantia, & circumspectione in Christo fiduciam obtinentes; prædicationem crucis in regno Aragonum, in subsidium dicti Regis, regnorum, ac terrarum suarum contra Saracenos eosdem præsentium auctoritate committimus, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus in commisso tibi super hoc officio, juxta datam tibi a Domino prudentiam, efficaciter procedere studeas; illos, quibus prædicandum duxeris, exhortationibus opportunis inducens, ut ad refrænandos ipsorum Saracenorum malignos impetus, repellendos insultus, compescendam nequitiam, & superbiam conterendam, cum reverentia suscipiant crucem ipsam; & eam propriis affigentes humeris, votum suum fideliter exequantur.*

Hispalensi archiep. in Aragonia cruceatæ militiæ promulgandæ partes impositæ.

XXII. *Et ut ipsi fideles tanto libentius, atque ferventius promissa prosequi studeant, quanto ex suo labore se potiorem fructum noverint percepturos; nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, & illa, quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate; omnibus de partibus illis vere pœnitentibus & confessis, qui assumpto vivificæ crucis signaculo ad prælium Domini adversus Saracenos eosdem præliandum in personis propriis processerint & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, veniam indulgemus, & in retributionem justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem &c.* Proponit etiam sacra indulgentiarum præmia vel bellicos labores suscepturis alienis stipendiis, vel sumptu suo militem sustentaturis, ut eorum pietas & auxiliorum magnitudo tulerit, Crucesignatorum præterea fortunas patrocinio Apostolicæ sedis, atque episcopi cujusque provinciæ committit: usuras remittendas decernit; denique iisdem prærogativis eos, qui arma sacra corripuerint, ac qui Syriacam expeditionem aggrediuntur, potituros constituit; concionatoribus etiam concedit, ut populos ad conciones de cruce induenda habendas, proposita centum dierum indulgentia, pelliciant, & accepturos crucis symbolum censurarum religione exolvant, ni casus immanis nimium foret; si qui in ornando bellico apparatu e vivis tollentur indulgentiarum compotes futuros pollicetur; nonnullaque alia ad expeditionem sacram spectantia constituit.

Propositæ arma sacra correpturis indulgentiæ.

Elisæ (*a*) sunt postea paulatim barbarorum vires, illorumque impetus mo-

(*a*) Maria. l. 14. c. 2.





ra resedit, cum salutari consilio unius certaminis periculo regnum committere Alfonsus recusaret. Induciæ itaque cum Mauris ad biennium pactæ, quo fœdere constituto, Abenjuzeffus Algezira Marrochium copias transmisit.

Abenjuzeffus pactis induciis Marrochium redit.

XXIII. In illius belli ardore Jacobus (*a*) Rex Aragonum, cum ad comprimendos Mauros, qui in Valentino regno conjurationes passim fecerant, incumberet, fracto multis laboribus corpore, atque ex accepta a suis ad Luxenum ob præcipitem temeritatem, magna clade mœrore concepto, morbum contraxit, ac salute desperata, regnum Aragonum Petro majori natu filio, Jacobo vero Balearicum regnum, Russinonis ac Montispessulani principatum reliquit. [1] Planxit vero adeo acerbe præterita flagitia, ob quæ a Clemente & Gregorio correptum vidimus, ut regno in filium transfuso, Cisterciensium veste purpuram mutaret, atque ad Populetum cœnobium reliquam vitam exigeret, eodemque in monasterio humari decerneret. Susceptis itaque rite omnibus sacramentis, sexagesimo tertio regni anno pie obiit; de quo Mariana (*b*) præclarum hoc affert elogium: *Obiit Valentiæ julii die vigesimo septimo, fama ob magnitudinem rerum gestarum immortali. Vir vere magnus, præcipua religione, cujus studio ad duo millia templa extructa fuisse memorantur: dedicata arbitror ex ritu Christiano Maurica superstitione expiata. Militiæ laude cum quovis veterum ducum comparandus, trigesies cum Mauris signa contulit, secundo semper præliorum eventu; unde prælia-toris nomen tulit: tres & sexaginta annos regnum tenuit.* Paribus illum encomiis exornat Surita (*c*). Quibus addimus id maximum, Jacobi bellica virtute Balearicum & Valentinum regna Christum novisse. Exitio fuit ejus mors non Hispaniæ modo, sed etiam Terræ sanctæ, cujus ruinis reparandis se addixisse in Lugdunensi concilio vidimus, sed de eo satis. Jam ad Innocentium redeamus.

Jacobus Rex Aragonum morbum lethalem ex belli laboribus contrahit.

(*a*) Surit. l. 3. ann. c. 101. & ind. l. 2. hoc ann. Jo. Maria. l. 14. c. 2. Petro Aragon. Jacobo Balear. regna relinquit.

Cisterciensium veste induta crimina reliqua vita lugere statuit.

Pia illius mors.

Amplissimum ejusdem elogium.

(*b*) Mariana. ibid.

(*c*) Surit. ind. l. 2. hoc ann.

XXIV. Collapsas res Terræ sanctæ apostolico auxilio non destituit, ad quas instaurandas fideles adhortatum, ac Palæologum solicitasse, ut factam in concilio Lugdunensi Græcorum ecclesiæ conjunctionem atque alia in eo statuta confirmaret, ex literis suo insertis loco colligitur. Scisse quoque discordiis Italiæ curam gessit: Florentinos sacris restituit, quos Gregorius interdicto perculerat: Pisanos Lucensesque mutuo cruentatos sanguine, legatorum suorum & Caroli oratorum opera, ut affirmant Ptolemæus (*d*) & Leonardus Aretinus, (*e*) qui Lucenses retulisse de Pisanis victoriam ait, mutuo fœdere conciliavit: *Hic propter brevitatem temporis*, inquit, Ptolemæus, *in pontificatu pauca fecit, duo tamen referuntur de ipso; unum quod misit duos legatos in Tusciam cum ambasciatoribus Regis Caroli, & facta est pax inter Lucanos, & Pisanos per prædictos legatos, & ambasciatores Regis: tunc enim quasi tota Tuscia conjuraverat contra Pisanos: sed per adventum dictorum legatorum & ambasciatorum omnia sunt pacificata in Tuscia. Secundum quod fecit Innocentius prædictus fuit, quia præcidit quæstionem, quam habebat ecclesia major Viterbiensis cum fratribus Prædicatoribus super corpore Clementis IV. quia mandavit dictum corpus dictis fratribus restitui, cum inveniatur apud ipsos elegisse legitime sepulturam.* Non prætermittendum id etiam videtur, comparante in Italiam expeditionem Rodulpho Rege Romanorum, (*f*) ut dissipata diuturno interregno Romani Imperii jura recuperaret, atque insignibus imperialibus, sibi a Gregorio X. promissis, cingeretur; vetuisse Innocentium, misso ad ipsum Bernardo episcopo Albiensi designato, Italiam ingredi, antequam cum Carolo Siciliæ Rege controversias omnes firmissimo fœdere conciliasset, ne nova bellorum discrimina, ac Guelphorum & Gibellinorum factiones in mutuas cædes concitaret. Qua in re Adrianum, Joannem, ac Nicolaum successores illius vestigiis institisse visuri sumus.

XXIV. Palæologum solicitat Innoc. ut initam cum Rom. eccl. conjunctionem confirmet.

Italicos motus sedat.

(*d*) Ptol. Luc. in annal. & hist. eccl. MS. l. 23. c. 19.

(*e*) Leonar. Aret. hist. Flor. l. 3.

Conciliata pax Lucanos inter & Pisanos.

(*f*) MS. Vall. sig. lit. C. n. 49. pag. 63.

XXV. Ingentia alia moliebatur Innocentius consilia ad rem Christianam defendendam augendamque; cum ea, mors nimium universæ acerba Ecclesiæ, quæ magnam de illius pontificatu expectationem conceperat, confregit, quod deplorat his verbis Bernardus (*g*): *Hic licet multa facere proposuisset, morte præventus, non potuit adimplere: sed proh dolor, mox in suo ortu exaruit flos decorus: cito namque tulit eum Deus. Obiit autem Romæ, sepultus in ecclesia Lateranensi, anno Domini MCCLXXVI. vigesima secunda die mensis junii.* Sicque menses quinque, ac dies duos, vel unum ex auctoribus commemoratis sedisse affirmandum est. Ptolemæus Lucensis duos

Magnum sui desiderium moriens relinquit Innoc.

(*g*) Bern. in chron. Rom. Pont.

Quanto tempore sederit.

Illius elogium.



NOTÆ [1] JAcobus Aragoniæ rex hoc anno, die ab Annalista expressa, decessit. Ante obitum Cisterciensem cucullum induit, quod & Annalista hic non omisit. Addere tamen hic juvat abdicati a se regni, & monasticæ professionis susceptæ nuncium encyclicis undique ad præsules regni transmissis legasse. Ex data illarum literarum discimus hanc ejus abdicationem paucis ante obitum diebus contigisse, cum in illis scribat Rex *modo* se monasticæ devovisse. Signantur autem literæ, legendæ in Spicilegio Dacher. to. III. col. 682. nov. edit. die XI. Julii, & ejusdem mensis die XXVII. obiit. MANSI

dies supra quinque menses ejus sedi tribuit: *Sedit*, inquit, *menses* V. *dies* II. *& vacavit dies* XVII. *Recedens igitur cum curia de Aretio vadit Romam & in sancto Petro coronatur & consecratur. Inde se transfert ad ecclesiam Lateranensem, & ibidem infirmatur ac in* XXII. *die junii moritur in magna gratia collegii, ac præsente Rege Carolo, in eadem ecclesia honorifice sepelitur*. E quibus Ricordanus Malespina, (*a*) & Joannes Villanus, (*b*) qui illum non modo sequi, sed exscribere consuevit, emendandi, dum Viterbii mortuum traditumque sepulturæ scripserunt. Fuisse quidem literis ac divinis præcipue excultissimum, theologicæ ipsius lucubrationes demonstrant in libros sententiarum & epistolas S. Pauli in lucem editæ, de quo hæc S. Antoninus (*c*) mandat historiæ: *In ordine*, nempe Prædicatorum, *fuit magister in theologia & magnæ literaturæ, unde scripsit super sententias, & etiam super epistolas Pauli, quas legit; & in qualibet lectione facit distinctiones septimembres ad materiam prædicandi*. Consentanea S. Antonino alii, (*d*) qui de scriptoribus ecclesiasticis egere, tradunt. Non defuere tamen invidiæ veneno imbuti, qui centum ejus propositiones carperent; quas S. Thomas Joannis Vercellensis sacræ illius familiæ summi moderatoris imperiis aureo opusculo propugnavit.

(*a*) *Rich. Malesp. c. 202.*
(*b*) *Jo. Vill. l. 7. c. 50.*
(*c*) *S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 3. in princ.*
(*d*) *Thrit. de scrip. eccl. Sixt. Senen. in bibliot. sancta. Possevin. in apparatu sacro to. 2. & 3. Bellar. de scrip. eccl.*

## ADRIANUS V.

XXVI. De ejusd. doctis opusculis defensis a D. Thom. Ottobonus S. Adrian. diac. Cardin. subrogatus Innocentio.

Erepto ex humanis Innocentio, evectus est ad summum pontificatum IV. idus julii ut Ricordanus Malespina, Joannes Villanus, S. Antoninus (*e*) & alii affirmant, Ottobonus S. Adriani diaconus Cardinalis, qui ex sua Cardinalitia diaconia Adriani V. nomen suscepit. Nec diu augustissimam illam dignitatem gessit; infirma enim valetudine utebatur, qua brevi consumptus occubuit. Ferunt gratulantibus sibi affinibus ob adeptum pontificatum respondisse: *Utinam ad sanum Cardinalem, non moribundum Pontificem venissetis*. Fuisse patria Ligurem, tradit Bernardus Guido, qui paucis hisce verbis multa amplectitur: *Adrianus V. natione Genuensis fuit electus in Papam Romæ in palatio Lateranensi in mense julii an. Dom. MCCLXXVI. sedit que a die creationis suæ usque diem obitus mensem unum, dies* IX. *vacavit sedes diebus* XXVIII. Idem de ejus sedis tempore auctores paulo ante laudati, ac Martinus Polonus tradunt; Baronius (*f*) tamen & alii triginta septem tantum dies eum sedisse affirmant.

(*e*) *Anton. 3. p. tit. 20. c. 3. in princip.* Patria Genuensis. Adriani nomen accipit.
(*f*) *Baron. in Sched.*

Pergit Bernardus: *Iste Papa dictus fuit Othobonus nepos Innocentii Papæ IV.* ex fratre nimirum, cui Theodisio nomen erat, prænobili Fliscorum familia *a quo promotus fuerat, in diaconum Card. S. Adriani*. Eadem Martinus Polonus (*g*): additque a Clemente IV. in Angliam ad extinguenda exorta inter Regem ac principes viros bella missum, quod Jordanus etiam, ac (*h*) MS. Vallicellanum de vitis Pontificum testantur, nosque supra ex literis Pontificiis enarravimus: atque ob singularem in gerendis rebus, obeundisque legationibus peritiam ejusmodi munera illi sepius demandata. Cum porro eo tempore Rodulphus Romanorum Rex expeditionem in Italiam ad recuperanda Imperii jura, & insignia imperialia suscipienda compararet, publicæ Italiæ paci consulturus Adrianus episcopum Sabinensem & Joannem Gajetanum S. Nicolai in carcere Tulliano & Jacobum S. Mariæ in Cosmedin diaconos Cardinales misit Viterbium, ut cum Rege Carolo, quem ut eo se conferret permoverat, controversias inter ipsum ac Regem Romanorum subortas componerent, ut testatur memoratus Joannes Gajetanus Nicolai III. nomine in pontificatu insignitus (*i*); quamquam ob immaturam Adriani Papæ mortem res est extracta. Addit de eodem Pontifice Jordanus: *Hic statim post suam creationem constitutionem Gregorii de restrictione Cardinalium in electione Papæ suspendit, intendens eam aliter ordinare: sed morte præventus non potuit, nec sacerdos ordinatus est*.

Gestis legationibus clarus fuerat & Innoc. IV. nepos.
(*g*) *Mart. Polon. l. 4. in Adr.*
(*h*) *Jord. MS. Vat. sig. n. 1960. MS. Vall. sig. lit. C. n. 25. pag. 172.*
(*i*) *Ext. ejus lit. in MS. Vall. sign. lit. C. n. 49. p. 63.*

Eadem iisdem pene verbis Bernardus, Martinus Polonus, & alii: quæ etiam ex literis Joannis XXI. qui eam suo robore ad tempus carere jussit, ut inferius videbitur illustrantur. Pergit Bernardus: *Hic de Roma Viterbium veniens, quadraginta diebus a sua creatione nondum expletis, nondumque promotus in sacerdotem, nec coronatus, nec consecratus Viterbii moritur XVIII. die mensis augusti, & in ecclesia fratrum Minorum sepelitur anno Domini MCCLXXVI.* Ipsum porro Viterbii defunctum sepultumque non modo plerique auctores testantur, verum epistolæ quoque Joannis XXI. successoris Adriani patefaciunt (*k*). Exornat vero Adrianum eo elogio Sanutus (*l*) fuisse ad instaurandas res Syriacas egregie animatum. Verba auctoris subiicio: *Adrianus Papa magnum ostendit affectum ad succursum Terræ*, nimirum sanctæ, *per Gregorium inchoatum & misit patriarchæ* XII. *millia librarum Turonensium pro galeis construendis, vel aliis magis bonorum virorum judicio opportunis: suisque literis multum confortavit incolas Terræ sanctæ, & ad spem erexit magni auxilii. Sed in pontificatu vixit non amplius* XXXIX. *diebus*. His consentit

XXVII. Constitutionem Greg. de Card. conclavi includendis temperare meditabatur.

Viterbii moritur.

(*k*) *Joan. l. 1. ep. 1. & alii.*
(*l*) *Sanut. l. 3. p. 12. c. 15.*





(*a*) *Hocsem. in Joan. Enghiensi c. 11.*

XXVIII. Orta Viterbii seditio in Cardinales.

tit Hocsemius (*a*): *Rexit solo mense novemque diebus & vacavit cathedra viginti octo diebus*.

Interpontificii illius decursu tumultuatum est Viterbii, atque a pluribus curiæ Romanæ officialibus, vis purpuratis patribus illata. Cum enim ab Adriano Gregoriana constitutio de electione Pontificis emendanda visa esset, idque Cardinalium cœtus promulgandum censuisset, non modo fides illorum assertioni detracta, sed etiam archiepiscopus Corinthiensis, cui a Cardinalibus ejus rei palam in vulgus efferendæ demandata provincia erat, male habitus est, atque a Viterbiensibus sacrum Cardinalium collegium in duriorem atque arctiorem custodiam compactum fuit.

XXIX. Petrus Juliani Cardin. Tusc. Pontifex creatur.

## JOANNES XXI.

In ea rerum perturbatione Cardinales in Tusculanum episcopum egregie literis excultum idibus septembris suffragia contulerunt. Qui accepta hac pro pontificio symbolo sententia (*b*): *Dirige Domine Deus in conspectu tuo vias meas*; Joannis XXI. nomen sibi ascivit, dequo inter plures alios (*c*) hæc refert Ptolemæus Lucensis (*d*): *Anno Domini eodem, hoc est MCCLXXVI. & circa finem septembris dominus Petrus Hispanus, dictus Petrus Juliani Cardinalis Tusculanus, natione Portugalensis de Cardinalatu assumitur in Papam, & Joannes XXI. est vocatus. Hic generalis clericus fuit & præcipue in medicinis: unde & quædem experimenta scripsit ad curas hominum, ac librum composuit qui Thesaurus pauperum vocatur. Fecit & librum de problematibus juxta modum & formam libri Aristotelis. Et quamvis magnus fuerit in scientia, modicus tamen fuit in discretione: præceps enim fuit in verbo & minus cautus in moribus: & plus apparebat, quia facilis ad eum erat ingressus, & inde patebat omnibus suus defectus: quod est contra documentum philosophicum, quia facta principum personalia non debent patere conspectibus hominum, sed solum publica, in quibus princeps habet populo respondere, sicut maximus diffinit Val.* Verum id a Jordano (*e*) & aliis (*f*) ipsi laudi versum est: *Hoc*, inquit, *laudabile habuit, quod licet Papa, cum quocumque literato etiam pauper conversari non renuebat*. Pergit Ptolemæus: *Religiosos parum dilexit, & inde eidem, ut creditur, male cessit: unde tradunt historiæ quod eo tempore, quo camera recidit super caput ejus, quædam fulminaverat contra religiosos. Hic statim constitutionem per Gregorium X. de reclusione Cardinalium, suspensam per Adrianum, revocavit consilio, ut fertur, domini Joannis Gaitani, cujus nutu multa faciebat, eo quod principalis auctor fuerat suæ promotionis*. Paucis ab electione diebus evolutis XII. kal. octobris tiara pontificia redimitus decretam, quo Adrianus V. memoratum Gregorii constitutionem suspenderat, firmavit apostolico diplomate (*g*): quod postea a Nicolao IV. XII. kal. maii pontificatus sui anno secundo corroboratum est (*h*).

(*b*) *Formul. Marin. Ebul. MS. Vat. p. 56.*
(*c*) *MS. Vall. de vit. Pont. sign. lit. C. n. 25. pag. 72. Jord. MS. Vat. sig. n. 1960. Bern. in chr. Rom. Pont. Hocsem. in Joan. Enghien. Martin. Polon. l. 4. Marian. de reb. Hisp. l. 4. c. 2. & alii.*
(*d*) *Ptol. Lucen. eccles. hist. l. 23. c. 21.*

Joannis XXI. nomen accipit.

Nimium faciles aditus ad se præbet.

(*e*) *Jord. MS. vat. sig. n. 1960.*
(*f*) *MS. Vall. de vit. Pontificum sign. lit. C. n. 25. pag. 172.*

*Joannes, &c. Ad perpetuam rei memoriam*.

*Licet felicis recordationis Gregorius Papa prædecessor noster, pia meditatione considerans quantum sit onusta dispendiis, plenique periculis ecclesiæ Romanæ prolixa vacatio, & vigilanter intendens super hoc de opportuno remedio providere, quandam super electione Romani Pontificis constitutionem ediderit in concilio Lugdunensi; quia tamen experientia docuit constitutionem eamdem multa intolerabilia, nonnulla obscura, & propter hoc accelerationi provisionis ejusdem ecclesiæ valde damnosa; immo etiam provisionis ipsius impedimenta, & dilationem ingerentia continere; piæ memoriæ Adrianus Papa prædecessor noster, diligenter præmissa considerans, & residens in camera sua Lateranensi in consistorio, nobis & aliis fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, præsentibus; bonæ memoriæ V. Pænestrino episcopo, V. sancti Eustachii diacono, & dilectis filiis G. tit. S. Marci presbytero tunc infirmitate detentis, ac S. tit. S. Cæciliæ Apostolicæ sedis legato presbytero Cardinalibus dumtaxat exceptis; constitutionem eamdem quoad omnem ipsius effectum, quidquid posset contingere solemniter & absolute suspendit. Et quamvis post ejus obitum nos & dicti fratres, qui tunc supererant, & præsentes erant in Romana curia, suspensionem hujusmodi non solum verbis, sed literis etiam nostro & eorumdem sigillis munitis concorditer testaremur; nonnulli tamen, corda contumacia in damnatam superbiam erigentes, adhibere fidem nostro testimonio contempserunt, aliis etiam infrunitis animis suggerentes hujusmodi testimonio non esse credendum; quamquam insuper aliquorum habet assertio, eundem prædecessorem Adrianum in lecto ægritudinis decumbentem suspensionem revocasse prædictam: nos tamen & iidem fratres frequentes & diligentes super hoc inter nos collationes habuimus, & non solum ab iis, qui revocationis hujusmodi conscii dicebantur, sed ab aliis ejusdem prædecessoris Adriani familiaribus, & alias etiam studuimus veritatem frequentissime indagare: nec invenimus eumdem prædecessorem Adrianum ad revocationem prædictam aliquatenus verbo vel literis processisse*.

Constitutionem Greg. ut rigidiorem remittit.
(*g*) *Ext. in cod. MS. Vallic. sig. lit. C. n. 49. pag. 140.*
(*h*) *Nic. IV. to. 1. lib. 2. epist. 1.* Quæ ipsum permoverint ad id causæ.

Ut Adrianus illi constitutioni ad tempus vires dempserit.

XXX. *Nolentes itaque, nec valentes, urgente conscientia, quæ nos, maxime in tali ac tanto articulo, veritatem occultare non finit, præfatam suspensionem dictæ constitutionis ratam, ut expedit, non habere, vel ipsam de cætero quomodolibet in dubium revocari; suspensionem ipsam ab eodem prædecessore Adriano factam fuisse, ut præmittitur, præsentium tenore testamur: ac ipsam nihilominus ratificantes, & ratam haberi volentes, revocatione prædicta, cum nulla de ipsa fides haberi potuerit, non obstante, constitutionem eandem quoad omnem suum effectum, de fratrum ipsorum consilio decrevimus esse suspensam. Cæterum aperte prædicimus, quod nec nostræ nec fratrum ipsorum intentionis existit, ut solum in ejusdem constitutionis suspensione, seu abolitione sistamus: sed ad tollendas occasiones diffusæ vacationis ejusdem ecclesiæ, ac celeritatem provisionis ipsius, prout eadem intendebat constitutio competenter inducendam, sic intendimus præfatæ constitutionis & dicti prædecessoris Gregorii conditoris ejusdem intentioni concurrere, ac Deo auctore de fratrum ipsorum consilio salubriter in proximo providere, quod cum dispositione divina casus emerserit, eidem ecclesiæ sublatis impedimentis quibuslibet, celeriter desiderata provisio, prout mundi necessitas exigit, valeat provenire. Nulli ergo, &c. Datum Viterbii 2. kalen. octobr. pontif. nostri an. 1.*

Illius exemplo ad tempus abrogat.

XXXI. Concitarant maxime eam procellam tum aulæ pontificiæ gerendis muneribus, ut diximus, præfecti, tum nonnulli alii præsules, quos maxima videndi novi Pontificis cupiditas urebat, ob quam indigna plura ad urgendam illius electionem in Cardinales perpetrarant. Ad comprimendam igitur eorum temeritatem, ne iterum in simile facinus erumperet, diploma in eos edidit Joannes, ac sacrum tribunal instituit, cui facinoris commissi rei sisterent sese; & si id agere detrectarent, sacerdotiorum, quæ gerebant, proventibus privavit, atque in eos quæri, & censuras ecclesiasticas pervicacibus infligi jussit (*a*).

Instituta eorum causæ qui seditionem moverant cognitio.

(*a*) *Ibid. pag.* 140.

*Universis ad quos literæ istæ pervenerint.*

Pontificium de ea re rescriptum.

*Crescit facile in immensum impunita temeritas, cum frequenter indebita unius impunitas in aliis etiam ausum parere soleat ausus excessum. Quantæ autem audaciæ, quantæque temeritatis fuerit iis diebus nonnullorum, ut dicitur, prælatorum, ac aliorum inferioris conditionis & status novissimæ vacationis ecclesiæ Romanæ tempore in curia nostra præsentium; ac specialiter scriptorum nostrorum, & procuratorum, aliorumque curiam ipsam sequentium, effrænata præsumptio, ne dicatur effrænis insania; series infrascripta, ne subditorum culpas referre delectabiliter videamur, succincto sermone percurrat. Cum enim nos & fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, convenissemus in Viterbiensi palatio, pro electione de summo Pontifice celebranda; & studeremus solertius obicem impedimenti submovere cujuslibet, ut favente Domino celerius proveniret, quod exigebat mundi necessitas, & fervens nostrum ac ipsorum fratrum desiderium exquirebat; inchoataque per Viterbienses cives immanis arctatio, usque adeo tolerantiæ metas excederet, quod nobis, & ipsis fratribus salutis dispendium minaretur, ac electionis processui dispendiosam ingereret tarditatem; dicti prælati & alii non solum ad nostra & ipsorum fratrum pericula, quibus durius angebamur, compassionis non habuerunt effectum; sed a se potius omnis humanitatis & reverentiæ debito relegato, grassantes, in superiores suos crudeliter sævientes, satagendo irreverenter persequi, quos reverenter prosequi tenebantur, Viterbienses ipsos ad arctationem eamdem aggravandam acerbius, instantius accendebant; & apostolica doctrina contempta, plus sapere quam oportet sapere gestientes imprudentius, seque rei ad se non pertinenti temere immiscentes nec verentes, quod sicut scriptum est, bestia quæ montem tetigerit, lapidabitur; in tantam prorupere temeritatis audaciam, ut in dubium auctoritatem & jurisdictionem collegii ejusdem Ecclesiæ revocarent, & de illis in derogationem ipsarum disputantes ubilibet, enervare, immo & evacare pro viribus niterentur inanibus argumentis: falso insuper asserentes constitutionem felicis recordationis Gregorii Papæ X. prædecessoris nostri super electione hujusmodi editam, per piæ memoriæ Adrianum Papam prædecessorem nostrum, suspensam aliquatenus non fuisse; id non sunt veriti nefariis ausibus disseminare per terram, & auribus etiam officialium civitatis ejusdem dolosis labiis instillare, in electionis, nostrum, & fratrum nostrorum periculum & evidens detrimentum.*

Queritur a prælatis asperiam Cardinalibus mendacii calumniam.

XXXII. *Cumque ipsius collegii consulta circumspectio decrevisset, ut suspensionem hujusmodi, quantum, ut præmittitur, nonnullorum assertio in dubium diversimode revocabat, per venerabilem fratrem nostrum Corinthiensem archiepiscopum, & dilectos filios fratres I. magistrum & I. procuratorem ordinis Prædicatorum facerent publicari; dictique archiepiscopus, & alii vellent in loco ad hoc electo commissionem super hoc sibi factam exequi reverenter; procuratores & alii, eandem sequentes curiam, malitiose, ut exitus indicat, in loco convenientes eodem, assumpto*

Eorum literas audire respuisse.



*pto superbiæ spiritu, obturantes more aspidis aures suas; ejusdem collegii literas nostro, & singulorum eorumdem fratrum sigillis munitas testimonium de suspensionis ejusdem veritate reddentes, audire penitus contempserunt: quinimo exaltatis stolide vocibus in clamores, ac aliis diversis strepitibus tumultibusque commotis, furori data licentia, loriſque insaniæ relaxatis, ut iniquitatem parerent, qui dolum iniquum conceperant & dolorem; in eundem archiepiscopum, qui literas easdem in manibus legendas assumpserat, nequiter irruentes, nonnullis ex eisdem literis sigillis manibus præsumptuosis avulsis, in eundem archiepiscopum fustes inhumane jecerunt, exertis nihilominus gladiis, ut perderent innocentem. Sunt ne ista filialis devotionis indicia, quæ dictis fratribus nostris, columnis Ecclesiæ, non indigne debentur? Suntne ista obedientiæ signa, reverentiæ opera, tantis patribus nobiscum mundi supportantibus onera, exhibenda? Profecto aliud exigunt eorum labores & merita, aliud eorum dignitati & auctoritati debetur. Ne igitur tam detestandi & enormis excessus, absque debita castigatione pertranseat, cum ad eos compescendos ne periculose in alios exemplari alveo deriventur, exerendus sit potius ecclesiasticæ gladius ultionis, nos zelo justitiæ, quantum ex officii debito exequi tenemur ad omnes, nec volentes, nec valentes conniventibus oculis pertransire, omnes excessuum hujusmodi patratores, cujuscumque sint dignitatis, ordinis, conditionis, aut status præsentium auctoritate monemus, & eis in virtute obedientiæ districte præcipimus, ut infra octo dies a publicatione præsentium numerandos, excessus hujusmodi venerabili fratri nostro episcopo Sabinensi, & aliis, quos ad id idem episcopus deputabit, non in confessionis foro, sed tanquam ad hoc specialiter deputatos a nobis spontanei, fateantur. Alioquin scriptores & procuratores eosdem, aliosque præfatos, ut prædicitur, eandem sequentes curiam, quos præmissorum excessuum culpa commaculat, ex nunc a perceptione proventuum beneficiorum, si quæ obtinent, suspendentes, aperte prædicimus, tam prælatis quam omnibus aliis supradictis, quod cum cordi hujusmodi negotium habeamus, diligentem inquisitionem super præmissis fieri faciemus; processuri gravius, contra illos, quorum reatum non humilis & spontanea oris confessio, sed habendæ inquisitionis assertio revelabit.*

Sigilla Cardd. lacerasse.

Objurgatio in seditionis auctores.

Postulantur judicio.

XXXIII. *Et ne diutius tantæ præsumptionis audacia occultetur, aut sine vindicta remaneat, ad faciendam inquisitionem eandem, ex nunc dilectos filios magistros Petrum ipsius Romanæ ecclesiæ vicecancellarium G. literarum nostrarum contradictarum auditorem, & Joannem de Rocha capellanum nostrum, auctoritate apostolica deputamus; ipsis inquirendi de omnibus & singulis supradictis & referendi nobis, quæ invenerint; necnon contra rebelles, eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam compescendo, potestatem plenariam concedentes: non obstante si aliquibus cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, ordinis, conditionis, aut status existant, a sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; & qualibet alia præfatæ sedis indulgentia, cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, aut totaliter non insertam, effectus earum impediri valet, vel differri; & de qua in eis expressa mentio sit habenda. Dat. Viterbii 11. kal. octob. Pontificatus nostri an. 1.*

Incussæ obnitentibus censuræ.

XXXIV. Hæc Joannes adversus præteritæ seditionis incentores, cujus etiam in literis encyclicis ad ecclesiarum præsules datis meminit: adeo ut initio celebrandæ electioni non levem moram iniiceret, qua sopita, arcano divinæ providentiæ consilio ad moderandam Ecclesiam, quamvis tantæ se putaret imparem dignitati evectum fuisse certiores, facit (*a*).

Encyclicæ Joannis XXI. ad fideles de sua promotione lit.

(*a*) *Joan. l. 1. ep. 1. Form. Ebul. pag. 2. n. 135.*

*Joannes, &c.*

*Felicis recordationis Adriano Papæ prædecessore nostro post promotionem suam ad summi apostolatus apicem brevi dierum numero vitæ suæ tempora consummante, post exhibita eidem in solemnibus exequiis debita humanitatis obsequia; nos & fratres nostri in episcopali palatio Viterbiensi convenimus, electione substituendi Pontificis, juxta necessitatis instantiam, & fervens nostrum desiderium vacaturi. Et licet diebus aliquibus per importunitatem Viterbiensium civium tractatui electionis instantis nec dare possemus initium; postquam tamen illi vacare potuimus, astitit, ut credulitas devota supponit, benignus sapientiæ Spiritus ex more a nobis & fratribus ipsis suppliciter invocatus, & prima die de ipsorum fratrum concordi voto, parique concordia processit de nobis, tunc episcopo Tusculano, impræmeditatis & insciis ad Petri cathedram electio canonica communis & concors.*

Quomodo ad sedem evectus.

XXXV. *In iis itaque stupemus non immerito, pariter & terremur. Nonne stupor, nonne terror, quod nos, qui tutioris semper putavimus esse consilii secure in domo Domini abiici, quam periculose super alionum curam & regimen elevari, sic subito in maris altitudinem venimus? Et dum ad injuncti oneris sarcinam insufficientes virtutum sumptus dispungimus, & vires impa-*

*pares comparamus, ab illius, nec indigne timemus tempestate demergi; hoc efficaciter suggerebant, ut in vocatione, in qua nos vocaverat Dominus, maneremus, & debilitas onus refugeret, ac opus insufficientia nostra vitaret. Verum quia merces laboribus commensuratur, & redditur; propter quod doctor & prædicator egregius, non de profectu glorians, sed veraciter suos labores attestans: Non,* inquit, *plus omnibus profeci, vel profui, sed plus laboravi; licet deterreret onus, & labor, ad subeundum tamen jugum apostolicæ servitutis, & in ea pro viribus laborandum, merces retributionis æternæ uniuscujusque, nisi aliud misericordia retribuentis indulgeat, commensuranda laboribus, invitavit: & sub illius fiducia, qui lasso virtutem subiicit, cujus solius sufficientiæ plenitudo nostros sufficit supplere defectus, debiles humeros tanto subjecimus oneri; nec expavimus manus exponere immensitati laboris.*

XXXVI. Commendat se fidelium precibus.

*Cæterum quia supra vires nostras esse conspicimus susceptum officium, illudque soli portare nequimus, orationum vestrarum suffragia humiliter imploranda, & vos in partem solicitudinis evocatos, ut collaborando nobiscum diligentius exequamini commissa vobis officia, decrevimus exhortandos. Ideoque universitatem vestram monemus, & hortamur in Domino, vos nihilominus rogantes instanter, quatenus preces humiles, devotas, & sedulas frequenter fundatis ad Dominum, ut sua pietate nostram insufficientiam suppleat, debilitatem fulciat, nobisque quod est onerosum, leviget, quod obscurum, suæ claritatis luce revelet, & aspera convertat in plana: sicque vota nostra præveniendo clementer aspiret, & misericorditer adjuvando, benignius prosequatur, quod zelus noster semper in ipsius beneplacitis ferveat, nec unquam in illorum executione torpescat. Vos quoque, quos de gregibus diligentiæ vestræ commissis pastoralis officii cura solicitat, sic diligenter illud studeatis implere, quod cum discussio venerit, & exacti fueritis pro illis reddere rationem, non solum illam cum securitate reddatis, sed & exigentis mereamini gratiam; & interim in vestris ecclesiarumque vestrarum negotiis, super quibus protestis ad nos cum securitate recurrere, Apostolicæ sedis propitium sentire favorem. Dat. Viterbii nonis octobris anno 1.*

XXXVII. Eo argumento ad Reges, principesque alias literas dedit: quæ Regi Galliarum in regesto pontificio inscriptæ (*a*) quibus ipsum ad Ecclesiæ opem explicandam adhortatur; *Regalem*, inquit, *celsitudinem rogamus, & instanter obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus prudenter attendens quod datum est tibi divinitus in orbe pro non modica parte judicium, justitiam diligas & eam omnibus tuæ ditioni subjectis, non omissa tamen clementia, diligenter observes. Iis enim columnis firmissimis stabiliuntur imperia, regna firmantur, muniuntur principes, & communiti lætantur statu pacifico principatus. Eamdem insuper Ecclesiam matrem tuam, & præsidentes eidem, ac personas ecclesiasticas, immo tuæ salutis actorem, per quem regnas, & regeris, in illo ministros ipsius solerter honora. In iis, fili charissime, laudabilis memoriæ prædecessores tuos non solum imitari, sed excedere studeas: quin etiam te ipsum virtutum successivis augmentis, velut de virtute in virtutem progrediens, superare: illam de nobis spem certam, & fiduciam habiturus, quod tuam & regni tui prosperitatem paterno zelantes affectu, eam, quantum cum Deo poterimus, conservare studebimus, & facultate succedente favorabiliter promovere.*

(*a*) Ib. ep. 2. Egregium Pontificis ad principem consilium.

XXXVIII. Eodem octobris mense, septima illius die, Carolus Siciliæ Rex stipendiarii principis, ob Siciliam, Apuliam, & Capuanum principatum, jure fiduciario ab Ecclesia obtenta, officia novo Pontifici detulit. Qua de re confectæ subjectæ tabulæ (*b*) quæ in molis Adrianæ archivo asservantur, atque a Platina jussu Sixti IV. inter insignia monumenta, quæ ad Romanæ ecclesiæ dignitatem spectant, sunt collocatæ (*c*). Licet vero in pluribus cum iis conveniant, quæ a nobis allata superius fuere, cum jure fiduciario Siculum sceptrum Carolo a Cardinalibus legatis transmissum est; adducendæ tamen visæ fuerunt, cum nonnihil hæc forma obstrictæ Pontifici fidei discrepet, atque ad hanc pari casu simillimas editas tabulas annis sequentibus referamus.

(*b*) Lib. 2. ep. 34.

(*c*) MS. Vat. coll. Platin. to. 1. pag. 113.

*In nomine Domini Amen.*

Forma clientelaris officii a Carolo Siciliæ Rege Apostolicæ sedi delati.

*Ego Carolus Dei gratia Rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & beatæ ac gloriosæ Virginis Mariæ, beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli, & ecclesiæ Romanæ, ligium homagium facio tibi domino meo Joanni Papæ vigesimo primo, tuisque successoribus canonice intrantibus, & ipsi Ecclesiæ pro regno Siciliæ, & tota terra, quæ est citra Farum usque ad confinia terrarum ejusdem Ecclesiæ. Quæ utique regnum & terram, excepta civitata Beneventana cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis suis, mihi & heredibus meis prædicta ecclesia Romana concessit.*

XXXIX. *Ego Carolus, Dei gratia, Rex Siciliæ, plenum & ligium vassallagium faciens ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ, & tota terra quæ est citra Farum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ; excepta*





*pta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus districtibus & pertinentiis suis, secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, & districtus civitatis ejusdem per Romanum Pontificem distinctos, vel in posterum distinguendos; ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, & tibi domino meo Joanni Papæ vigesimo primo, tuisque successoribus canonice intrantibus, sanctæque Apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdatis, aut membrum, aut capiamini mala captione. Consilium quod mihi credituri estis per vos aut nuntios vestros, sive per literas, ad vestrum damnum, me sciente, nemini pandam. Et si sciivero fieri, vel procurari, sive tractari aliquid, quod sit in vestrum damnum, illud pro posse impediam: & si impedire non possem, illud vobis significare curabo. Papatum Romanum, & regalia S. Petri tam in regno Siciliæ & terra prædictis, quam alibi existentia adjutor ero vobis ad retinendum & defendendum; (a) ac recuperata manutenendum contra omnem hominem.*

(*d*) An. 1265. n. 17.

XL. *Item juro, me ad hoc specialiter obligans, quod ego, seu mei in regno & terra prædictis heredes nunquam per nos, vel alios, seu quocumque modo procurabimus ut eligamur, vel nominemur in Regem, vel Imperatorem Romanum, vel Regem Theutoniæ, seu dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, vel majoris partis earumdem Lombardiæ, vel Tusciæ: & si electionem, vel nominationem ad Imperium, vel Regnum Romanum, seu Regnum Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ, vel Tusciæ seu majoris partis earumdem de me, vel ipsis heredibus celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni vel nominationi assensum præstabimus, nec intromittemus nos ullo modo de regimine ipsius Imperii, vel Regni Romani, seu regni Theutoniæ, aut Lombardiæ, seu Tusciæ, vel majoris partis earum, ad quodcumque horum nominati fuerimus, vel electi.*

Conditiones quibus illis cedat.

*Quod si ego vel aliqui in regno heredum meorum, studentibus & procurantibus me aut eis, ad Imperium ipsum, sive ad dictum regnum Romanum, sive regnum Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ, seu Tusciæ, vel majoris earum partis electi seu nominati fuerimus; si hoc verum & manifestum fuerit, aut si post talem electionem, vel nominationem de Imperii, vel regni Romani, seu regni Theutoniæ, aut Lombardiæ, seu Tusciæ, vel majoris ipsarum partis regimine ego, vel ipsi nos manifeste intromiserimus; eo ipso a jure prædictorum regni Siciliæ & terræ cadamus ex toto, ipsaque prorsus amittamus; & eadem regnum & terra ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Si autem ego, vel aliqui ex dictis heredibus electioni, vel nominationi factæ, non procurantibus me vel eis, aut procurantibus consenserimus; & huic electioni, seu nominationi, vel juri, ego vel ipsi omnino renuntiabimus, & quod de Imperio seu aliquo alio præmissorum, ad quod electi, seu nominati, ego vel ipsi fuerimus, nos nullatenus intromittamus moniti infra quatuor mensium spatium post monitionem hujusmodi tali electioni, seu nominationi, vel juri non renuntiaverimus; vel de ipso Imperio, seu aliquo præmissorum ad quod electi, vel nominati fuerimus, nos intromiserimus quoquo modo; ex hoc simus ego & ipsi eisdem regno Siciliæ, ac terra, & omni prorsus eorum jure privati; & ut dictum est, eadem regnum & terra ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Si vero ad me, vel ipsos meos in eodem regno heredes non poterit commode talis monitio pervenire; super quo utique impedimento, videlicet quod moneri commode ego vel ipsi nequeamus, credetur & stabitur assertioni vestræ, seu successorum vestrorum, sive dicto, sufficiet pro ea super hoc vestra, seu successorum vestrorum ipsorum monitio publica & solemnis: ita quod si infra sex menses post illam non renuntiaverimus; aut de Imperio, seu aliquo alio prædictorum, ad quod ego vel dicti heredes electi, seu nominati, nos quomodolibet intromiserimus, cadamus ex hoc ab omni jure ipsorum regni, & terræ; & regnum & terra ipsa ad Romanam ecclesiam libere devolvantur.*

Constitutum semestre spatium ut altero regno vel Imperio se abdicet.

*Cæterum si contigerit aliquem de dictis meis heredibus, qui debent in prædictis regno Siciliæ & terra succedere in Regem, vel Imperatorem Romanum, seu Regem Theutoniæ, vel dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, seu majoris partis earum nominari, seu eligi, vel assumi; nullatenus possessionem eorumdem regni Siciliæ, & terræ nanciscatur, vel habeat; nec se de illorum cura, seu dominio & regimine per se, vel alios aliquatenus intromittat, nisi prius Imperio, vel regno Romano, seu regno Theutoniæ, aut dominio Lombardiæ, vel Tusciæ, seu majoris partis earum ad quodcumque eorum electus, nominatus fuerit, vel assumptus; & omni juri sibi competenti in illis omnino renuntiet, & illorum regimen nec de jure, nec de facto illud gerens, vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo unquam tempore resumpturus. Alioquin cadat ab omni successione & jure, quæ in regno Siciliæ, ac terra prædictis sibi competerent, ipso facto: ita quod eadem regnum Siciliæ & terra ad Romanam ecclesiam, ejusque dispositionem plene ac libere devolvantur.*

Devoluta ad feminam Sicilia ea Imperatori non nubat.

*Quod si, non extantibus masculis, femina in eisdem regno & terra successerit, illa Regi, vel Imperatori Romanorum, seu in Regem, vel Imperatorem Romanorum electo; vel Regi aut electo in Regem Theutoniæ, seu domino Lombardiæ, vel Tusciæ, aut majoris partis earum, seu electo ad earum dominium, numquam matrimonialiter copuletur: & si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Siciliæ regno, & terra prædictis, maneatque prorsus ipsorum jure privata, ipsis regno & terra ad eamdem Ecclesiam devolutis. Si autem ego vel aliquis dictorum in regno meorum heredum contra hæc venerimus, eo ipso excommunicati, prout secundum conditiones, sub quibus regnum & terra prædicta mihi & heredibus meis concessa sunt, per sedem Apostolicam extitit ordinatum, & insuper labe, & reatu perjurii respersi, & notati existamus. In hujusmodi quoque juramento addo, & per eosdem in dicto regno heredes addetur expresse, quod nullo unquam tempore regnum seu Imperium Romanum aut regnum Theutoniæ, vel dominium Lombardiæ, seu Tusciæ, aut majoris earum partis, aut easdem Lombardiam, vel Tusciam, vel majorem partem ipsarum, per nos, vel alios, seu alium occupabimus, capiemus, vel acquiremus, aut nobis alias quomodolibet vendicabimus: & si secus fecerimus, secundum præscriptam formam pœnas similes incurramus.*

Quæ major Longob. aut Etruriæ pars sit parta, standum Pontificis dicto.

*Quod autem dicitur de majori parte dominii Lombardiæ, vel Tusciæ, intelligitur scienter. Si vero ignoranter, eam ad mandatum Ecclesiæ dimittere teneamur: & si eam Ecclesia mandante dimittamus, non incidamus in pœnam in isto articulo, & consimilibus constitutam. Si vero moniti non dimittamus, remaneat pœna, prout est in hoc articulo. Quod si forte in posterum Regem Siciliæ contingat in Imperatorem eligi, postquam regni fuerit possessionem adeptus, non transeat ad Imperium: alioquin in pœnas incidat in hoc articulo, & aliis consimilibus comprehensas.*

XLI. *adepta.

Si rex Siculus Imperium corripiat, relicto regno filium ipsum manumittat.

*Quod si regni possessione prædicti nondum * agnita, seu obtenta in Imperatorem electus transire voluerit ad Imperium; in manu prius Romani Pontificis, vel illius, quem idem Pontifex duxerit destinandum, filium suum successorem in Regno, cujuscumque fuerit ætatis, emancipet, & regno renuntiet, nihil juris in eo retinens clam vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis; nec ipsum filium ad servitium, vel subsidium aliquod faciendum juramento vel voto, stipulatione vel pacto sibi vel successoribus suis astringat: sicque factus filius sui juris ab eodem Romano Pontifice, vel ab alio destinato ab ipso protinus investiatur de regno. Ad cujus regis successionem, si forte decederet sine liberis, nullo unquam tempore pater veniat, Imperator existens: sed si Imperio & omnibus, quæ ad Imperium pertinent, idem pater renuntiare voluerit, & regno tantum esse contentus, post renuntiationem hujusmodi ad illius successionem libere admittatur: & tunc ab ipso Romano Pontifice, vel ab alio destinato ab ipso investituram recipiat regni ejusdem.*

XLII. Dum filius impubes extiterit, regni procuratio penes sedem Ap. consistat.

*Quod si dictus filius sic ad regnum assumptus major annis decem & octo fuerit, libere administret: sed quamdiu minor extiterit, tam ipse quam regnum ipsius in custodia Romanæ ecclesiæ maneat, donec Rex ipse impleverit supradictam ætatem; fructibus & obventionibus regni, ex quibus sumptus necessarii faciendi pro ejusdem Regni custodia deducantur, Regi conservandis eidem; & lucro alterius ratione ipsius custodiæ non cessuris. Quæ vero de filio dicuntur, ut ei videlicet regnum possit sub observatione præmissa a patre ad Imperium transeunte dimitti, de filia etiam est concessum.*

XLIII.

*Et si Rex, non habens filios in Imperatorem electus ad Imperium transire voluerit; & de personis, quæ in conditionibus contentis in instrumento, seu literis bonæ memoriæ Anibaldi basilicæ duodecim Apostolorum presbyteri, Richardi sancti Angeli, & venerabilium patrum Joannis S. Nicolai in carcere Tulliano, & Jacobi S. Mariæ in Cosmedin diaconorum Cardinalium super concessione prædictorum regni & terræ mihi facta concessis; dicuntur liberis non extantibus in regno posse succedere, aliqui superstites fuerint, quæ de filio & filia prædicta sunt, conserventur in illis, excepto mancipationis articulo, qui in solis illis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existant ratione patriæ potestatis. Quod si Regi Siciliæ sine filio decedenti superstes sit filia, vel mulier alia, quæ juxta formam in prædictis conditionibus contentam debeat ad hujusmodi successionem admitti; quæ Imperatori, dum ipse Rex viveret, fuerat desponsata, vel nupta; non succedat in regno: & si regno sibi delato Imperatori nupserat, cadat protinus ab eadem: nisi vir ejus Imperio prorsus renuntians, regno solummodo sit contentus.*

XLIV. De regni successione & gradibus in ea servandis.

*In primo autem casu repulsis, filia & alia prædicta, ad personas illas servatis gradibus, regnum perveniat, quas in regno posse succedere in ipsis conditionibus continetur, si Regi præmortuo liberi non supersint. In secundo autem casu regnum ipsum ad Romanam ecclesiam devolvatur. Regnum quoque Siciliæ & terra prædicta Imperio nullo modo subdentur, nec sibi*





*sibi ullo unquam tempore in eadem persona quomodolibet unientur; & præcise super hoc articulo tam per pœnas spirituales, quam alias cautiones cavebo juxta Ecclesiæ voluntatem, quandocumque tu, vel dicti successores tui hoc duxeritis requirendum: cum prorsus intentionis sit Romanæ ecclesiæ, ut regnum & terra prædicta nullo unquam tempore Imperio uniantur; ut scilicet unus Romanus Imperator & Siciliæ Rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum regni & terræ cum Imperio dictum est, hoc ipsum circa unionem eorumdem regni & terræ cum regno Romano, aut regno Theutoniæ, seu cum Lombardia vel Tuscia, sive cum majori parte ipsarum Lombardiæ vel Tusciæ, volo & intelligo esse dictum. Universas & singulas conditiones contentas in prædictis instrumento, seu literis prædictorum bonæ memoriæ Anibaldi basilicæ duodecim Apostolorum presbyteri, Richardi S. Angeli, ac venerabilium patrum Jannis S. Nicolai in carcere Tulliano, & Jacobi S. Mariæ in Cosmedin diaconorum Cardinalium super ipsorum regni & terræ concessione, mihi ab eis facta confectis; & omnia singula, quæ continentur in eisdem instrumento seu literis, plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo: nec ullo unquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. In hujusmodi autem rei testimonium, perpetuamque memoriam, præsens scriptum exinde confici jussi, & aurea bulla regiæ majestatis impressa typario communiri. Actum Viterbii in palatio papali anno Domini MCCLXXVI. die VII. mensis octobris quintæ indictionis, regni mei anno duodecimo.*

Vetera conventa confirmata.

XLV. Veronenses & Papien. censuris defixi.

In eadem Viterbiensi urbe Joannes nonnullos veteres Caroli hostes pœnis ecclesiasticis defixos, ut Veronenses ac Papienses, qui adhuc in pertinacia obduruerant, ad frangendam eorum pervicaciam prædecessorum exemplo censuris, illis toties incussis, ob Manfredi, & Conradini partes susceptas devinxit. (a) Decrevisse præterea Joannem in orientem legationem, ad Palæologum ac Græcos in fide & obsequio Romanæ ecclesiæ continendos confirmandosque tradit Bernardus (b): *Hic misit legatos ad Pariologum*, sic ipse vocat Michaelem Græcorum Imperatorem, *si vellet obedire mandatis ecclesiæ Romanæ cum gente sua: fueruntque missi duo episcopi, & frater Salvus de Bargn cum eis, qui optime recepti sunt ab eodem, & obtulit se ad omnia, quæ nuncii sui in concilio Lugdunensi promiserant, observanda.* Eadem Jordanus (c) & alii quæ illustrantur ejusdem Pontificis literis (d) ad orientalis ecclesiæ præsules quibus ipsos ad cœptam cum Romana ecclesia conjunctionem perficiendam adhortatur.

(a) Lib. 1. ep. 153. Joannes legatos ad Græc. Imp. mittit.

(b) Bern. chron. Rom. Pont. Pollicetur Palæologus decreta concil. Lugd. servaturum.

(c) Jord. MS. Vat. sig. n. 2960.

(d) Ext. in rotul. pergam. ex Arch. Avin. in fin Vat. delatus sign. n. 5.

*Joannes episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus patriarchæ, archiepiscopis, & episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, cæterisque prælatis Græcorum salutem & apostolicam benedictionem.*

Joannis literæ ad clerum Græcorum.

*Grandis affectus, quem circa tractatæ jamdudum inter Latinos & Græcos unionis negotium Dei beneficio laudabiliter hucusque promotum in minori dudum constituti officio tanquam filius gerebamus in paternum crevisse dignoscitur, nobis dispositione divina (licet immeritis) ad apicem apostolicæ dignitatis assumptis: Crevit quoque cum onere præconcepta de præfati negotii felici promotione jucunditas, cum nos jam non tam contingat ut filium, non solum ut cooperatorem respiciat, sed specialis in nobis studium promotionis exquirat. Et ideo ad illius prosecutionem, utique insidentis admodum cordi nostro, intentum studium dirigentes; & attendentes etiam diligenter consummationem ipsius unionis in vobis gratam Deo, fidei orthodoxæ perutilem, mundo necessariam, & animabus etiam fructuosam; illud ab ipsis pene promotionis nostræ primordiis quasi præcipuum prælegimus prosequendum, diligentem curam & curiosam diligentiam adhibentes, ut ejus circumstantiis plenius indagatis, ad votivam consummationem eandem efficacius procedatur. Porro piæ solicitudinis & devotionis affectum, quem nos ad ipsius unionis promovendum negotium impendisse missæ hactenus felicis recordationis Gregorio Papæ prædecessori nostro vestræ literæ testabantur, sedulæ meditatione pensantes; ac firmiter sperantes in Domino, quod vestris mentibus veræ lucis radiis illustrans, affectus hujusmodi de bono in melius augeatur, & per evidentiam efficacioris operis clarius elucescat; plenis quoque desideriis affectantes, ut antiqui discrimen schismatis, quod malorum incentoris astutia nefanda suggestum sit, novæ unionis antidoto terminetur ad charissimum in Christo filium nostrum Michaelem Palæologum Imperatorem Græcorum illustrem & vos venerabiles fratres nostros Jacobum Ferentinatem, Gaufridum Taurinensem episcopos, & dilectos filios fratres Raimonum priorem conventus Viterbiensis ac Salvum lectorem Lucanum ordinis Prædicatorum, viros utique meritorum claritate conspicuos, probatæ fidei, virtutis eximiæ, ac nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptos, nostros nuntios latores præsentium destinamus, desiderantes inter cetera, ut ad communis utilitatis augmentum non solum quæ acta sunt per eundem plenius robur accipiant; sed & in vobis, & per ipsum ac vos*

De missis internuntiis apostolicis.

*vos in aliis quoad professionem fidei & recognitionem primatus ecclesiæ Romanæ ipsa unio desiderata perfectione lætetur.*

*Quocirca universitatem vestram rogamus & hortamur attente, ac obsecramus in domino Jesu Christo, quatenus recogitantes solicite, quod ad hoc Dominus prælatos in ecclesia sua præfici voluit, ut exerceant in ea quæ soliciti sunt pastoris; ad hoc in vineam suam illos operarios introduxit, ut suæ culturæ studio uberior illa instituatur in fructu; ad hoc illos in speculá statuit, ut aliis lumen veritatis ostendant, ea quæ vobis præfati nuntii, quos ad hoc providimus destinandos, super eisdem professione fidei & recognitione primatus ecclesiæ Romanæ, aliisque contingentibus præmissa fuaserint, & vos ipsi cum omni promptitudine adimplere, & opportune inserere ac fovere in aliis cum omni solicitudine studeatis, ut illis gloriosius dilatatis propagatisque diffusius, ab eo, qui bonorum est omnium retributor, affluentis retributionis præmium cum laudis humanæ præconiis & pleniori sedis apostolicæ gratia reportetis. Dat. Viterbii* XII. *kal. decembris pontificatus nostri anno* I. Sed de his anno sequenti. Nunc Terræ sanctæ res, atque ad eas instaurandas principum conatus, & consilia in luce historiæ collocemus. Ornabat Hierosolymitanam expeditionem, suscepto crucis signo, Philippus Francorum Rex, ac magnam bene gerendæ rei spem & expectationem explicuerat: ob quam gaudio delibutus Joannes Galliarum præsulibus censuras ecclesiasticas infligere iis jussit (*a*) qui crucem acceptam abiicerent, vel trajectionis ineundæ articulo se itineri accingere detrectarent.

Adhortatio ad Græcos, ut fidei orthodoxæ formulam nuncupent.

(*a*) *Lib.* 1. *ep.* 68.

*Archiepiscopis, episcopis, ac aliis ecclesiarum prælatis per regnum Franciæ constitutis.*

XLVI. Philippus Francorum Rex cruce indutus.

*Considerantes ferventis charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris devotionis affectum, quam ad Terram sanctam ipsum habere manifestis inditiis profitetur; quodque mundi hujus delitiosis otiis, quibus affluere posset excellentia regia, vilipensis, sponte se ipsum abnegans, vivificæ crucis assumpto signaculo, ipsius terræ negotium contra Christiani nominis æmulos magnaniviter assumpsit, personaliter in ejus subsidium, Deo prævio, profecturus, eo negotium ipsum subventionis opportunæ suffragiis libentius adjuvamus, quo ipsum in manu sua speramus felicius dirigendum. Ea propter, ut idem Rex tanto negotium ipsum animosius prosequatur, quanto illud curæ nobis, & Apostolicæ sedi fore cognoverit per effectum, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus crucesignatos laicos civitatum vestrarum, diœcesum, & locorum, qui tempore passagii generalis in subsidium Terræ sanctæ, votum Domino non reddentes, neglexerunt juxta emissum votum, vel tardaverint transfretare; nisi id de Apostolicæ sedis, vel legati ejus in Francia licentia sibi concessa distulerint, aut eos impedimento legitimo contigerit detineri, contra eorum dominos sæculares, ab eis pro tempore, a quo crucis signaculum assumpsisse dignoscitur, tallias debitas exigentes, nullatenus defendatis. Dat. Viterbii* v. *id. decembris anno* I.

Pontifex monet antistites, ut crucesignati ad expeditionem sese adornent.

Inflammatum egregie Francorum Regem ad arma sacra Saracenis Asiaticis inferenda, contracta ab ipso cum Alfonso Castellæ & Legionis Rege discordia, ob nepotes ex sorore potiundi sceptri spe deturbatos, retardavit. Cumque ii, pluribus tractatibus pacis tentatis frustra & elusis, rem ferro decernere constituissent; ex quo res Christiana, quæ ipsorum potentia assurgere atque efflorescere sperabatur, affligi admodum necesse erat, adhibuit partes suas Joannes, ut Francorum Regis iras mitigaret, proposuitque longe majora ipsum spectare; Syriam ejus auxilio e præsentibus calamitatibus erigendam; utque ad pacem blando aliquo colloquio conjungendam animum flecteret. Apostolicarum literarum exemplum (*b*) infra scriptum est.

XLVII. Philippus ob discordiam cum Rege Castellæ a cœptis revocatus.

Monetur a Pontif. ut facilem se conciliandæ cum Rege Castell. paci exhibeat.

(*b*) *Ext. in MS. Vallic. sig. lit. C. n.* 49. *p.* 52.

*Regi Franciæ illustri, &c.*

*Habet infausti rumoris assertio, quod humani generis inimicus, pacis hostis, amator litium, zizaniæ seminator, inter te & charissimum in Christo filium nostrum, Regem Castellæ ac Legionis illustrem materiam gravis dissensionis ingessit, usque adeo principes commovens dissidentes, ut inter se non juribus, sed viribus; non per justitiæ semitas, quæ inter discordes media esse debet, sed potentia experiri decreverint; nec viris pacificis, sed congressibus bellicis exortam dirimere quæstionem. Profecto in auditu rumoris hujusmodi vehementer indoluit Romana mater ecclesia, & ejus pia viscera turbationis válidæ turbo concussit: dum tam fideles filios, tam devotos, quos optat ardentius solidæ charitatis glutino copulari, sentit in utero collidentes: dum Reges tam inclytos, quos fidei Christianæ religio semper & promotores habuit, & suorum hostium repressores, in tam gravi discordia positos intuetur. Revera & nos in stuporem deducimur: & non possunt mentes fidelium non mirari, dum tam catholicorum Regum molimina, in blasphemos Christi dirigi consueta, in redemptos Christi sanguine præparantur: dum principes tanta consanguinitate conjuncti, qui deberent se potius mutuis fulcire præsidiis, favoribus confovere; ac illa, quæ pro temporum diversitate contingit emergere, quantumcumque gravia, quantumcumque difficilia tractatibus ordinare domesticis, & familiaribus collationibus expedire; nec in talibus susurronum uti consiliis, vel adhærere suggestionibus, quæ nequaquam de fonte charitatis emanant, sic noscuntur adinvicem adversari. Nimirum si diligenti meditatione discutitur, multum hæc Regis utriusque nomini detrahunt; multum famæ derogant & honori. Quid enim putas non tam loquitur, quam * crucis hostis. Quid orthodoxæ fidei æmulus nefario sermone disseminat? Quid submurmurat infidelis?*

Quanta ex ea dissentione mala in rem Christianam redundent, proponit.

* obloquitur?

XLVIII.

*Attendentes igitur tam dispendiosum mundi periculum, & specialiter Terræ sanctæ, cujus lacrymæ singulariter ad te clamant; cum tuarum potentia virium ab incumbentibus sibi malis speret, favente Domino, resurgendum; & cupientes in hac parte opportunum remedium adhibere, serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, ac obtestamur per aspersionem sanguinis Jesu Christi, quatenus attente recogitans, quod occasione turbationis hujusmodi negotiorum Dei, quæ te principaliter expectant & expetunt promotorem, executio impeditur; & convertens ad mansuetudinem, quod dispositum videtur ad iram; animum regium ad pacis bonum & unitatem concordiæ habilites & disponas: tanto proinde pacis actori & eidem matri Ecclesiæ futurus acceptior, quanto te devotius ipsorum beneplacitis conformabis. Ut autem quod in hoc desideramus avidius, facilius & celerius valeat provenire, dilectos filios fratres Joannem magistrum Prædicatorum & Hieronymum ministrum Minorum fratrum ordinum viros religione conspicuos, probitatis expertæ ac meritis & fama pollentes, & nobis ac fratribus nostris acceptos, latores præsentium ad præsentiam regiam destinamus; quorum salutaribus monitis & persuasionibus in hac parte magnitudinem regiam acquiescere, cupimus, & promptis consensibus adhærere, ut actore illo, qui potest, quibustibet dissidiorum vepribus radicitus amputatis, inter te ac memoratum Regem Castellæ optatæ pacis fœdera reformentur. Cæterum si quod forsitan inter te ac ipsum Regem supererit quæstionis, sedis Apostolicæ solicitudo non deerit, sed parata se offert suis non parcendo laboribus in iis & aliis inter te ac dictum Regem pro viribus omnem fomitem dissensionis extinguere, ac unitatem studiis procurare solicitis, & fovere. Dat. Viterbii id. octobris.*

Vertenda esse in fidei hostes arma.

Missi ea de causa Apostolici nuntii.

XLIX. Non his deliniri potuit Philippus Francorum Rex, quem sororis injuria urebat; sed ingentem exercitum, ut in Hispaniam duceret, comparavit. Non enim modo Gallos proceres, ut Westmonasteriensis ait, (*a*) in sui auxilium excitaverat; verum etiam Eduardum ob stipendiarias, quas Francorum Regum beneficio acceperat, provincias, venire cum exercitu ad invadendam Regis Castellæ ac Legionis ditionem jusserat. Quo illum nuntio admodum attonitum, atque ancipitem fuisse tradit auctor, cum nec Philippo officia fiduciarii principis negare vellet, nec Alfonsum lacessere, cujus sororem Alienoram uxorem duxerat; atque etiam nefas putaret in eum principem ferrum stringere, a quo cingulo militari donatus fuisset: cumque alterno cogitationum æstu fluctuaret, sumpsisse consilium significandi Philippo, gerere se in votis amicitiam inter utrumque redintegrare; ac si pacis leges Alfonsus respueret, arma in eum movere non detrectaturum.

(*a*) *Westm. in Flor. hist.* Eduardus a Francorum Rege adversus Castellanum in armorum societatem vocatus.

Comiter eo onere se exolvit.

Ut tristem hunc annum a luctu sumus auspicati, ita funestissima historia, quam affert Joannes Longinus, (*b*) concludemus; ex qua discant improbi ad patranda impune & effrænate scelera non ita sibi de divina misericordia temere abblandiri: *Miles*, inquit, *quidam Polonus, sævus & impius in proprios subditos & exteros, de vita futura nihil pensi gerens, cum assiduis prævaricationibus in Deum, confiteri & pœnitere pro ludibrio duceus, iras in se cœlestium coacervasset, in gravem incidit languorem. Sed nec tum quidem scelerum conscientia actus, quicquam sibi de impetranda propitiatione divina ratus, se supervicturum & suas transgressiones resumpturum prospexit. Invalescente tandem morbo fratres Prædicatores, per consortem illius pro sananda ægra mente acciti, militem ad pœnitendum multifarie per salutifera monita inducebant. Quibus miser homo commotus: Serius, inquit, ad pœnitendum me impellitis, serius confessionem judicato jam & damnato suadetis; cum pœnitentiæ & gratiæ tempore effluxo, confessionis & pœnitendi spatio mihi subrepto, justo Dei judicio in potestatem traditus sum spirituum tenebrarum. Urgentibus deinde majori instantia ægrum fratribus, ne qua desperatione commissorum facinorum a confitendo & pœnitendo abstraheretur, opem divinam, si confiteri & pœnitere vellet, pollicentibus extremam edidit vocem: Frustra, inquit, ingeritis de confitendo monita proprio exuto & spoliato arbitrio, etiam in dæmonum potestate consistenti, a quorum catervis supereminentibus torquendus & flagellandus jam appetor. Auditæ illico sunt percussiones horrendæ, ictus frequentes, & atrocissima ex sonitu & collisione atque reciprocatione flagella-*

(*b*) *Long. hist. Pol. l.* 7. *hoc ann.*

L. Divinæ justitiæ in scelerातum hominem insigne exemplum.

Ante mortem torquendus a dæmonibus permittitur.

*tionum verbera; & in ægri corpore livores, plagæ, vulneraque a fratribus & aliis circumstantibus visibiliter ab invisibilibus tortoribus illata conspecta, inter quæ ille infelix & execrandus homo, nec vocem, nec gemitum edens, miserabiliter expiravit. In quo beatissimi Augustini sermo pro divino oraculo cuilibet peregrinanti retinendus impletus est: Hæc est, inquit, justissima lex Dei, ut qui vivendo oblivisceatur Dei, moriendo obliviscatur sui.*





I. ANnus a nato Christo millesimus ducentesimus septuagesimus septimus, indictione quinta, inopino Rom. Pontificis casu Christianum orbem terrore perculit: de quo antequam dicere aggrediamur, quæ ipse antea gesserit, oratione sunt percurrenda. Exarserat bellum atrox inter Castellæ & Francorum Reges, cum ex nimia Alfonsi facilitate atque propensione in Sanctium secundum natu filium, qui Ferdinando fratre majori natu, relictis duobus ex Philippi Francorum Regis sorore liberis, extincto, regni successionem affectasset; ac movit ita quæstionem, ut indicto nobilium solemni conventu secundum illum pronuntiatum sit, atque Ferdinandi filii spe successionis dejecti.

II. Visa est ea res, ut scribunt Jordanus, (a) Nangius, (b) & alii, Philippo iniqua, cum patrum jura transfundantur in filios: tum alia suberat ratio, S. Ludovicum, dum filiam Ferdinando Alfonsi primogenito uxorem tradidit, ob jura, quæ in Castellam materno genere se habere contendebat, ita cum Alfonso convenisse, ut qui ex eo matrimonio suscepti essent liberi, sceptrum Castellæ forent adepturi. Incendisse quoque iracundia Philippum ajunt, sorori dotem redditam non fuisse, eamque, retentis liberis, magno cum salutis ipsorum discrimine, in Gallias dimissam, atque ob ea Francorum Regem bellum Alfonso denuntiasse. At Pontifex, cum eo bello consilia expeditionis Hierosolymitanæ in Lugdunensi synodo agitata dissipari, atque evanescere intueretur; dum arma, quæ vertenda in Saracenum erant, Christiano cruore imbuenda essent; aversatus facinus propter inducias ab eadem sacrosancta synodo universis principibus eo tempore indictas, Simoni Cardinali A. S. L. dedit imperia, (c) ut Philippum a gerendo in Alfonsum bello intentatis censuris deterreret.

(a) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960. Bellum inter Franc. & Castell. Reges. Quæ illius causæ. Sanctius ex fratre majori natu nepotibus regni hereditatem eripit.

(b) Nang. ubi sup. & alii. Dimissa in Gallias Regis Franc. soror sine dote ac liberis. Alfonso Regi bellum Phil. denuntiat.

(c) Joan. l. 2. ep. 35.

III. Pontifex deplorat Terræ S. subsidium disturbari.

*Simoni tit. S. Cæciliæ.*

*Molesta nimis & dispendiosa dissensio, quam zizaniæ sator, cunctorumque malorum incentor inter charissimos in Christo filios nostros Franciæ & Castellæ Reges illustres suscitasse dignoscitur, eo potius intima nostri cordis amaricat, & punctionis aculeo durioris affligit, quo amaras illius circumstantias nobis intentioris considerationis discussio repræsentat: attendimus etenim paternæ solicitudinis studio incommoda immensa, quæ ingerit; & commoda, piaque Dei negotia, quæ si procedat, impediet, utinam non extinguat, præcipue circa Terræ sanctæ subsidium, molestias longe acriores solito, prout mœstus rumor enuntiat modernis temporibus perferentis. Nam si, quod absit, inter Reges eosdem, aut gentes ipsorum (quas in bellis animorum vigor, & corporum efficit virtuosas) locum sibi congressiva collisio, seu collisiva congressio vendicaret, cujus putas æstimatio, quamtumlibet studiosa, conciperet quantum illa Christiani sanguinis exhauriret, quas hominum strages ingereret, quæ animarum periculo, quot damna rerum inferret? Revera non temporis, immo nec temporum, quæ status miserabilis dictæ terræ non sufficit expectare, cursus adiiceret, ut resumptis viribus facultatum, quas expensarum abyssi, & quasi profluvia sumptuum, quos bellicus exigit apparatus, absorbent, prosequi posset terræ præfatæ negotium Gallicorum laudanda devotio, quos vivificæ crucis signaculum insignivit; ad quorum post Deum, singulare suffragium terra ipsa expectationis anxiæ tædio fatigata suspirat.*

*Cum itaque, sicut quorumdam relatione didicimus, dictus Rex Franciæ instaurare conetur exercitum adversus memoratum Regem Castellæ, ac terras ipsius hostiliter processurus; nos pie volentes tantis obviare periculis, tantisque discriminibus congruum remedium adhibere; præsertim cum ad prælatos omnes & episcopos maxime spectare noscatur, in diœcesibus propriis exhortationibus prius, & tandem suæ jurisdictionis ac potestatis vigore ad concordiam revocare discordes; multoque magis ad nos, qui licet immeriti, potestatis plenitudine fungimur, nobis ex alto concessæ, singulariter pertineat in universali Ecclesia, cunctave congregatione fidelium pacem quærere, ac ipsam facere diligentius observari; & insuper in Lugdunensi concilio in favorem negotii terræ prædictæ provida fuerit deliberatione statutum, ut in toto orbe terrarum, inter principes præcipue, ac alios in Christianos pax generaliter observetur; ita quod per ecclesiarum prælatos discordantes reducantur ad pacem, vel firmam treguam certi temporis spatio inviolabiliter observandam, & acquiescere contemnentes per excommunicationem in personas, & in terras ipsorum interdicti sententias compellantur; tibi, quem non solum originis ratione, quam de regno Franciæ traxisse dignosceris, verum etiam multæ benevolentiæ, quam inclyta domus ipsius Regis Francorum a longis retro temporibus ad te gessit, prosperi status eorumdem Regis & regni sedulum novimus zelatorem; & ad conservationem honoris ipsorum, nec non & ad prætacta pericula propulsanda sinceris affectibus affici;*

IV. Pax vel induciæ imperatæ principibus in conc. Lugdun.

Legatos partes injunctæ, ut Francos bellum moventes censuris comprimat.

*fici, præsentium auctoritate committimus & mandamus, quatenus tam præfatum Regem Franciæ, quam omnes alios cujuscunque sint conditionis aut status, in præmissis regni adhærere præsumentes eidem, ut ab hujusmodi instauratione, ac hostili processu contra præfatum Regem Castellæ seu terras ipsius omnino desistant, si quando; & prout circumspectioni tuæ secundum Deum videbitur expedire, per excommunicationis in personas, & interdicti sententias in terras eorum, appellatione remota, compellas: non obstante si Regi Franciæ aut adhærentibus supradictis, seu cuivis eorum a sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, aut terræ ipsorum ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas sedis ejusdem, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; & qualibet alia dictæ sedis indulgentias generali, vel speciali cujuscumque tenoris, vel expressionis existat, per quam effectus præsentium impediri posset, vel quomodolibet retardari. Dat. Viterbii* v. *nonas martii anno* I.

V. Summi præfecti Præd. & Minor. ad ambos Reges missi.

Ad extinguendam ergo erumpentem flammam, dum primos belli impetus Simon Cardinalis frænabat, legationem ad utrosque Reges in concordiam adducendos decrevit, de qua hæc Jordanus (*a*): *Misit*, inquit, *Joannes Papa legatos ad Reges Franciæ & Castellæ fratrem Hieronymum generalem Minorum, qui postea fuit Nicolaus IV. & fratrem Joannem de Vercellis magistrum Prædicatorum, ut eos concordarent*. Data sunt hæc a Joanne ipsis imperia, (*b*) collataque auctoritas, ut coitiones rescinderent, ac pacis obstacula removerent.

(*a*) *Jord. MS. biblioth. sign. nu.* 1960. *Andreas Dandul. c.4. in Jacobo Contar. & alii.*

(*b*) *Cod. Vall. sig. lit. C. n.* 49. *pag.* 141.

*Joannes, &c.*

*Volumus quatenus, diligentius advertentes, quod negotium tam insigne statumque totius religionis Christianæ contingens, ac propter hoc potissime insidens cordi nostro, vobis committimus confidenter, quodque ad hoc vos specialiter duximus eligendos; prædictorum Regum præsentium adeuntes, ipsos ad pacem & concordiam, juxta datam vobis ex alto prudentiam, solicitis monitis & efficacibus persuasionibus inducatis, ut auxiliante Domino, qui est actor pacis & humanæ salutis amator, vestraque cooperante solertia, tam utili & necessaria fidei orthodoxæ concordia possit celeriter provenire. Ut autem in hoc impedimenti vel obstaculi seu turbationis cujuslibet tollatur occasio, dissolvendi, vacuandi, irritandi & revocandi omnes pactiones, obligationes, confœderationes, & colligationes juramento, vel quacumque alia firmitate vallatas; nec non & relaxandi hujusmodi & alia quælibet juramenta a quibuscum præstita, per quæ nutriri discordia, & pacis bonum posset quomodolibet impediri, vel etiam retardari, prout ea secundum Deum videritis dissolvenda, vacuanda, irritanda, seu insuper revocanda, vobis plenam & liberam præsentium auctoritate concedimus potestatem: Datum &c.*

Gravioribus conciliandi utriusque Regis curis æstuasse Joannem probant aliæ literæ ad eosdem datæ (*c*), quibus ipsos in eos Reges vel in alterum, tum in exercitus vibrandi censuras provinciam imposuit, si acies in prælium educerent: *Voti*, inquit, *nostri & sacrosanctæ matris Ecclesiæ ad id ferventis intentio vix potest aliquibus in hoc contenta esse remediis; vix potest aliqua sufficientia existimare. Ideoque nova solerter excogitat, excogitatis adiicit, & ea in optimum effectum deducere celeri executione festinat*. Et infra: *Si expedire videritis, Reges eosdem, vel eorum utrumlibet, ac ipsorum exercitus sive gentes, ne alter invadat alterum, vel quoquomodo inter se congrediantur hostiliter per censuram ecclesiasticam compescatis*.

(*c*) *Ext. in eod. cod. ead. pag.* Censuris comprimi Reges jubet Pont.

Auxit porro eos tumultus Violantis Reginæ uxoris Alfonsi Castellæ discessus, cui hoc anno data a Pontifice nonnulla privilegia, ut sepulturæ locum, in quo malit templo deligere (*d*) tum in suppositis ecclesiastico interdicto urbibus oppidisve sacris interesse possit (*e*). Illam vero ideo ex Alfonsi regno se subduxisse tradit Mariana (*f*), quod materno affectu in primogeniti filii liberos proclivis, haberi ludibrio eorum ætatem pati non posset cum quibus, ne quid gravius illis accideret, patrui enim potentia & regnandi cupiditas suspecta erat, ad Petrum fratrem Regem Aragonum perfugit. Cæterum tanta impotentia animi eam rem tulit Alfonsus, ut extremis suppliciis in discessus Reginæ, quos credidit, auctores sævierit: atque adeo illa sororis fuga Petrum exasperaret, ut parum ab inferendo Alfonso bello abesset, ut inquit auctor, nisi illum Saracenorum insoliti motus distraxissent: perenti sane uxorem Alfonso, respondit, Aragonem omnibus perfugium tutum esse, multo magis sorori.

VI.

(*d*) *Lib.* 1. *ep.* 125.

(*e*) *Ibid. ep.* 126.

(*f*) *Mar. l.* 14. *de reb. Hispa. c.* 3.

Irrupisse tunc ex Africa in Aragonum Regis terras Saracenos ex pontificiis literis ad Narbonensem atque Arelatensem archiepiscopos datis perspicuum est,

VII.

qui-



[1] quibus decimas in regno illius principis & comitatibus colligendas, ac Terræ sanctæ subsidio in Lugdunensi concilio devotas, in Regis auxilium ad propulsandos Saracenos derivari Joannes jubet (*a*).

(*a*) *Lib.* 1. *ep.* 143. Saraceni Africæ Aragoniam invadere minitantur.

*Joannes, &c.*

*Charissimus in Christo filius noster Rex Aragonum illustris nobis nuper literis & nuntiis intimavit, quod Agarenorum funesta præsumptio, quos nutrit profana regio Africana contra renatos fonte baptismatis armata diris aculeis regni sui Christicolas sævis perturbans procellis, adeo Agarenicæ potentiæ convocatis auxiliis in superbam audaciam est evecta, quod jugiter hostilibus tentat aggressibus regnum ipsum suo nefando, quod absit, subjugare imperio, & in eo demum extinguere lucernam nominis Christiani. Propter quod idem Rex contra impetum tam sævi fulminis, suis & suorum viribus excitatis, tandem æstimavit super hoc fore apostolicæ sedis auxilium implorandum: quare nobis humiliter supplicavit, ut regnorum & comitatuum suorum ecclesiasticorum proventuum decimam in Terræ sanctæ subsidium in Lugdunensi concilio deputatam dignaremur sibi concedere in tuitionem regnorum & comitatuum eorumdem. Nos autem dum dictæ Terræ sanctæ afflictionem in opprobrium præfati nominis continuatam hucusque in mentis nostræ secretario recensemus, inducimur quidem inviti ei deputatum subsidium in alterum derivare: verumtamen quia tam damnatæ præsumptioni, & vicinis perfidorum aggressibus occurrere salutaribus remediis quamplurimum necessarium comprobatur; ne forte invalescat in proximo, quod in remotis Christiana devotio proponit prosequi contra perfidiam Agarenicam, Deo propitio, sub vexillo victrici; considerato quoque, quod ex resistentia suffulta viribus, divina opitulante dextera, Agarenorum ipsorum alis præcisis potentiæ, Babylonica Christianorum persecutio horum consueta foveri præsiis, reddetur plurimum imbecillis: dicto Regi in hac parte, immo potius fidei Christianæ volentes favoribus assistere opportunis, ei super iis apostolicæ benignitatis favorabilem assistentiam nequivimus, sicut nec debuimus, considerata hujusmodi qualitate nogotii denegare, &c. Dat. Viterbii* 11. *id. aprilis pontificatus nostri anno* I.

Aragonum Rex decimas a Pontifice postulat.

VIII. Attributæ Petro in Mauros Aragoniæ decimæ.

Optasset quidem Pontifex, in Terræ sanctæ auxilium eas decimas afflictis illius rebus instaurandis consecratas convertere: sed atrox periculum laboranti Aragoniæ opitulari urgebat, de quo ad magistrum Benenatum Aragoniæ collectorem scriptæ literæ (*b*). Verum non exigua earum vis adornandæ illi expeditioni ex aliis provinciis regnisque supererat, de qua ad episcopum Cassanensem (*c*) in Calabria & Sicilia, Arditionem primicerium ecclesiæ Mediolanensis (*d*) in Anglia, Raynerium (*e*) in Colonienſi archiepiscopatu, Rogerium (*f*) in Trevirensi, Albertum (*g*) in Viennensi cogendis decimis præfectos datæ crebræ literæ. Attributæ erant eæ decimæ subsidiariæ principibus, qui copias crucesignatas comparabant, atque ita cum Guido Flandriæ comes idemque Namurcensis marchio arma Christi obsequio consecrasset, decimas in ejus ditione cogendas subjectis conditionibus impertivit (*b*): *Volumus quod tempore assignationis decimæ memoratæ idem comes se obliget, & sufficienter caveat ad ipsius Ecclesiæ voluntatem, quod si, quod absit, contingat eum ab ipsius prosecutione voti casu mortis, aut quovis alio legitimo impedimento subduci, heres vel successor suus prædictam votum cum hujusmodi*, nimirum honorifica, *comitiva equitum bellatorum in persona propria exequatur. Si vero prædictum heredem, vel successorem ab hujusmodi executione voti quocunque casu, vel modo retrahi, vel cessare contigerit, prædicta decima integre ad Rom. ecclesiam revertatur; dictusque comes, ac heredes, vel successor præfati id, quod de prædicta decima forsan ante ipsius comitis nomine perceptum fuisse contigerit, eidem Rom. ecclesiæ nomine dictæ terræ reddere teneantur ad Apostolicæ sedis arbitrium, in terræ prælibatæ subsidium convertendum, &c. Datum Viterbii* XIV. *kal. februarii anno* I.

(*b*) *Ibid. ep.* 144.

(*c*) *Ep.* 83.

(*d*) *Epist.* 103.

(*e*) *Ep.* 110.

(*f*) *Reg. post. cand. ep.*

(*g*) *Ibid.* Guido Flandriæ comes expeditioni Syriacæ se devovet.

(*b*) *Ib. ep.* 102. Pontifex pro instruendo bellico apparatu decimas Flandriæ illi attribuit.

Nec minus ad tuendam inter fideles pie-

IX.

NOTÆ [1] SAracenorum in Aragoniam invasio, sicut anno non suo hic in Annalibus reponitur; ita pariter & corrigenda sunt ea, quæ de loco ubi Saraceni isti irruperunt ab Annalista traduntur. Apud Baluzium Miscellan. to. IV. extant literæ capituli Valentini ad Archiepiscopos Narbonensem, & Arelatensem rogantes, ut quas Pontifex ipsorum arbitrio remiserat decimas, regi tandem Aragoniæ dimitterent ad coercendos Saracenos, *qui de regno Valentia oriundi ab anno, & quatuor mensibus circa quamplurima castra ejusdem regni occuparunt*. Additur in literis illis: *multitudo etiam Janetorum* (unde Giannizeri) *quos regio genuit Affricana, in Valentino regno convenit; quorum etiam aliqui profecto in quantitate non modica, noviter sunt venturi per inéolarum hujus regni Agarenorum promissiones*. Datæ sunt literæ istæ *anno MCCLXX. septimo, die XIV. Kal. Julii*, unde eruas anno 1276. ineunte Saracenos ditionem Christianorum invadere cepisse. MANSI.

Errores in Parisiensi academia disseminati.

pietatem, quam ad eam armis inter Saracenos amplificandam, navata ab Joanne opera est: in Galliis enim nonnulli philosophiæ fuco subornatos errores contra fidem Parisiis diffundere, magicisque artibus simplices inficere non perhorruerunt: quos Stephanus episcopus Parisiensis in publico theologorum ornatissimo cœtu damnavit, (a) vetuitque asseri nonnulla esse vera secundum philosophum, sed non secundum fidem catholicam, *Quasi*, inquit, *sint duæ veritates contrariæ, & quasi contra veritatem sacræ Scripturæ sit veritas in dictis gentilium damnatorum, de quibus scriptum est: Perdam sapientiam sapientum; quia vera sapientia perdet falsam sapientiam*. Extant vero Joannis literæ (b) ad eum datæ, quibus deplorat ejusmodi fæcem ex illa academia emersisse, e qua ante limpidissimi scientiæ rivi emanabant: ac provinciam in eos inquirendi, atque ad sedem Apostolicam deferendi imponit.

(a) Ext. ejus sententia in biblioth. patr. to. 4. col. 1319.

(b) Lib. 2. ep. 31.

X. Pontifex in auctores jubet inquiri.

*Relatio nimis implacida nostrum nuper turbavit auditum, amaricavit & animum, quod Parisiis, ubi fons vivus sapientiæ salutaris abundanter hucusque scaturiit, suos rivos limpidissimos, fidem patefacientes catholicam usque ad terminos orbis terræ diffundens, quidam errores in præjudicium ejusdem fidei de novo pullulasse dicuntur. Volumus itaque, tibique auctoritate præsentium districte præcipiendo mandamus, quatenus diligenter facias inspici, vel inquiri a quibus personis, & in quibus locis errores hujusmodi dicti sunt sive scripti; & quæ didiceris, sive inveneris conscripta fideliter nobis per tuum nuntium transmittere quamcitius non omittas. Dat. Viterbii* xv. *kal. februarii anno* I.

XI. Sermionensium zelus in comprehendendis hæreticis.

Adhibitum est etiam in Italia ad hæreseos venenatas radices, ne latius serperent, amputandas, studium. In quo oppidanorum Sermionensium zelus maxime commendandus visus est, qui cœlesti instinctu permoti hæreticos, perfidiæ addictissimos, ad centum septuaginta octo utriusque sexus correptos, constrictosque vinculis ad Philippum in marchia Tarvisina plectendis hæreticis præfectum adduxere: a quo consultus Pontifex præcepit, (c) ut oppidanos censuris, quas ob hæreticos receptos contraxerant, liberaret, modo populi procurator culpas omnes in eo commissas fateretur: eaque lex imponeretur acerrime in eos tam ob præterita quam futura flagitia, si novo scelere se contaminarent, animadversum iri: in singulos vero crimine hæreseos infectos ita se gereret, ut diem illis ad confitendas culpas diceret, ac si vere divino spiritu acti viderentur, pœnam congruam illis infligeret: cæterum contra alios, qui patrata crimina fateri respuerent, severitatem legum distringeret. Nunc quid in alios perduelles Ecclesiæ, ejus gratiam ambientes, decretum sit, inspiciamus.

(c) Ib. ep. 32.

Quid in eos statutum sit.

Imminente cœnæ dominicæ festo die, Guillelmus marchio Montisferrati, ac Papiensium, Astensium, & Veronensium magistratus a Romano Pontifice oratorum opera in gratiam Ecclesiæ restitui flagitarunt. Quorum causa magnus implicita difficultatibus, cum non ita cito dirimi posset, ex Cardinalium consilio visum est, (d) ferendam interea sententiam, quo die ejecti fidelium cœtu Ecclesiæ perduelles anathemate defigi solent, ut si ii apostolicis imperiis non parerent, latis omnibus a Clemente IV. & Gregorio X. pœnis obnoxii essent.

(d) Joan. l. 1. ep. 156. & 157.

XII. Lusitaniæ Rex ecclesiasticam libertatem lædit.

Nec immunis erat protritæ ecclesiasticæ libertatis crimine Lusitaniæ Rex, quem Joannes post exhibitas paterni studii ac benevolentiæ insignes notas monuit, (e) ne eligendorum præsulum jura pontificia invaderet: ad Apostolicæ sedis nimirum solicitudinem incumbere, viros gerendo muneri pares præficere; nec sibi ex eo ullam injuriæ notam inuri putaret.

(e) Cod. Vall. sign. lit. C. n. 49. p. 66. Joannis ad eum literæ.

*Regi Portugalliæ illustri.*

Illius animum patriæ commemoratione sibi conciliat.

*Jucunditatis & exultationis in Domino multa materia excellentiæ tuæ debuit non indigne succrescere, pridem promotionis nostræ rumoribus intellectis, qui nunciorum & literarum de more præveniunt missiones; tuis in canticum Domini, a cujus largitatis irriguo gratiarum quarumlibet charismata derivantur, non immerito labiis resolutis. Digna siquidem exultatio Regis erat, & imbre fœcundo consperſa tripudii mens illius: nam quem ipsius terra progenuit, titulos adeptus agnoscitur apostolicæ dignitatis; quique honoris regii semper se zelatorem exhibuit, summi pontificii culmina superna dispositione conscendit, jam tibi factus in patrem, quem hactenus reverebatur ut dominum; jam in tui superiorem erectus, cui dudum plenis affectibus adhærebat, adhærere non desinit, ejus ad id directo proposito, favoris non immemor Regum, non oblitus amoris, circa te filium prædilectum per effectum operis paternæ dilectionis pandat affectum. Porro ab ipsis præfatæ promotionis auspiciis mens nostra disposuit catholicos Reges & principes, sed te præcipue sedis Apostolicæ literis visitare: nam etsi cæteros paternæ benevolentiæ perspiciamus intuitu; ad te tamen nativi etiam soli materia zelum sinceræ charitatis accendit, & ad personam regiam summis favoribus confovendam virtus originis nos inducit. Sed succedentis temporis qualitas, quæ impedimenta quamplurima intulit, casus graves ingessit, impræmeditatos injecit eventus, prout tuam*

Singulare in illum studium exponit.





*am latere non credimus, fama revelante, notitiam, effectum dispositionis hujusmodi retardavit. Ignorare itaque nolumus excellentiam regiam, quod te puro & sincero corde diligimus, tuæ specialiter salutis profectum & honoris incrementa zelamur, tuique regni pacem desideranter appetimus, & quietem, juribus regiis non intendentes derogationis cujuslibet irrogare dispendium; sed ea potius conservare favorabiliter & tueri, tuasve petitiones, quæ nobis pro tempore porrigentur, favoribus prosequi gratiosis, ut Romanam ecclesiam matrem tuam semper tibi sentias adesse propitiam, quam teneris filialis devotionis affluentia revereri. Nec ex eo velle nos æstimes in aliquo lædere jura tua, quod nonnullos in tui regni ecclesiis, minus canonice institutos, canonice per apostolicas destitui literas, conscientia nos urgente, jubemus. Cum enim vineæ Domini sabaoth credita sit vigilantiæ nostræ custodia, possemus de negligentia non indigne redargui, si minus idoneos nostra scienter patientia sustineret in vinea memorata cultores; nisi operarios non acceptos, qui per ostium non habuerint ingressum, ab ejusdem cultura solicite pelleremus, ne legitimum dominum illegitimus operator, dum placere putaret, offenderet, ipsumqae, dum gratum præstare sibi autumaret obsequium, perturbaret. Grandi namque desiderio ducimur, ut in eodem regno dignus & sedulus impendatur Altissimo famulatus, ut in eo studio vacetur assiduo cultui divinorum, ut servetur maxime in clero justitiæ regula, nullum ambitio locum inveniat, alter in alterius calumniam non erumpat; ut unoquoque proprio jure contento, pax inibi vigeat, ferveat charitas, modestia fulgeat clericalis.*

Arguit molliori bus verbis nonnullos ecclesiis intrusisse.

XIII. Hortatur ad sectandas virtutes.

*Ideo desiderium, quod ad tuam, ut præmittitur, salutem in mente gestamus intensum remediis, quibus possumus prosequentes, serenitatem regiam rogamus & hortamur in domino Jesu Christo, quatenus dirigere ac acceptas facere studeas in conspectu Altissimi vias tuas, mores tuos & vitam semper reformans in melius & confirmans: ipsum Creatorem tuum honora in suis ecclesiis, & in suis ministris, solum ab injuriis abstinendo ipsorum, sed jura eorum ampliando liberalitate munifica, & regalis potentiæ brachia protegendo, nec omittendo in aliis regalis justitiæ semitas, ad cujus executionem, ut populos tibi subjectos juste regas & dirigas, regium nomen & titulum accepisti. Hæc enim, & iis similia te ad promerendam divinam gratiam fulcient, tuum firmabunt imperium, adiicient annos vitæ, famam, & gloriam dilatabunt. Ut autem animo tuo promissa efficacius imprimantur, dilectum filium... qui de prædicto regno*

Tuenda ecclesiarum jura.

Sua cuique secundum leges tribuenda jura.



*traxit originem ad tuam præsentiam destinamus, quem familiariter audire poteris, & ei quæ volueris, revelare. Dat. &c.*

XIV. Illius in Joannem tit. S. Nicol. diac. Cardin. in successorem Pont. liberalitas.

Ita Ecclesiæ juribus tuendis insudabat Joannes, qui in Joannem S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Card. optime de Ecclesia meritum, quique postea summum sub Nicolai III. nomine pontificatum est assecutus, benevolentiam apostolicam effudit. Extant enim pontificiæ (a) literæ ad eundem Cardinalem, S. Petri basilicæ archipresbyterum, & capitulum datæ, quibus ob auctum ab eo ministrorum numerum portionem oblationum aræ maximæ, & confessionis S. Petri ad viginti annos contulit: confirmavitque (b) apostolica auctoritate statuta egregie, quæ ad deformatos clericorum illius basilicæ mores sanctioris vitæ institutis expoliendos tum ad bona quæ partim avaritia, partim negligentia dissipabantur, retinenda augendaque edita fuerant. Cæterum præter hæc recensita a nobis Joannis gesta, multa alia præclara molitum esse, ex Nicolai III. literis constat. Ad conciliandos enim Alfonsum Castellæ & Legionis, ac Philippum Galliarum Reges legatos decreverat, Exciverat (c) Rodulphi Romanorum & Caroli Siciliæ Regum oratores, ut controversias firmissimo fœdere dirimerent, antequam Rodulphus Italiam cum exercitu ingrederetur, ne sopitas Guelforum Gibellinorumque faces accenderet. Abaghæ Tartarorum Regis oratores, de quibus paulo inferius agemus, susceperat; (d) ac viros pietate & doctrina insignes ad Evangelium disseminandum mittere, præterea Græcorum ecclesiam validiore nexu astringere & Palæologum inter & Carolum Philippumque nuncupatum Imperatorem Constantinopolitanum pacem jungere (e) meditabatur.

(a) Lib. 1. ep. 132. Studium in S. Petri canonicis ad vitam sanctiorem traducendis.

(b) Ib. ep. 155.

(c) Cod. Vall. sign. lit. C. n. 49. p. 63.

(d) Nicol. III. to. 1. l. 1. op. cur. 13. & 14. Viros religiosos ad Evangelium propagandum mittit.

(e) Ep. 144.

XV. Tartarorum Regis oratores Gallorum Regem de vertendis in Saracenos armis solicitant.

Accessisse igitur paulo ante ad sedem Apostolicam Tartarorum oratores, inde vero transmissos ad Francorum & Anglorum Reges, ut ipsos ad expeditionem Syriacam conficiendam promissis orientalium auxiliis accenderent, refert Nangius subjectis verbis (f): *Circa idem tempus*, nimirum expugnatæ a comite Attebatensi Pompejopolis, *in quadragesima venerunt nuntii Tartarorum in Franciam ad Regem Philippum, dicentes eidem ex parte domini sui Regis Tartarorum, quod si ipse Rex Franciæ, quia crucesignatus erat, proponeret contra Saracenos ad partes Syriæ in Accon transfretare, dominus ipsorum consilium gentis suæ & juvamen totaliter ac fideliter promittebat. Si autem veri nuntii, aut exploratores fuerint, Deus novit; non enim erant Tartari natione nec moribus, sed de secta Georgianorum Christiani: quæ na-*

(f) Nang. in gest. Philip.

*natio Tartaris totaliter est subjecta. Ipsi vero ex parte Regis ad abbatiam S. Dionysii in Francia ducti solemnitatem paschæ ibidem celebraverunt, morem Christianum per omnia ostendentes; & postea ut dicebatur, causa consimili ad Edoardum Regem Angliæ pervenerunt.* At crebra, proh dolor! Pontificum funera, ac præcipue Gregorii X. sanctissimi Pontificis, qui orientem atque occidentem ad Mahometicam superstitionem excindendam commoverat, intempestiva mors, quam superiori anno luximus; tum bellum inter Gallos & Castellanos occasione illius controversiæ, an viventi avo ex majoris natu filio relicti nepos, an secundus natu filius successurus esset, accensum, ac regni Navarræ turbæ præclara illa orientalis expeditionis consilia dissiparunt.

Et Eduardum Regem Angliæ.

Discordia inter Alfonsum & Philippum enata, rei Christianæ exitialis.

XVI. Confudere pariter tristi exitu adversi casus Caroli Siciliæ Regis consilia: is enim susceptis regni Hierosolymitani juribus spes ingentes sui concitabat ob præteritas illustres victorias facile illius armis lapsas res restitutum iri. Qua expectatione permota Ecclesia favit, ut Maria, ad quam jure hereditario Palestinæ sceptrum spectabat, in ipsum, ut laceras regni partes redintegraret, jura transfuderit. [1] Rem gestam his verbis describit Sanutus (*a*): *Prædicta domina*, nimirum Maria Elisabethæ Reginæ Hierosolymitanæ e Milesanda neptis, MCCLXXVII. *perfecit quod ante tractaverat, & coram pluribus Cardinalibus, & prælatis, & majori parte curiæ donavit tanquam heres legitimus regni Jerusalem, sicut pluries ostensum & declaratum fuerat per judices, dominos legum & magistros decretorum, advocatos, & sapientes, omnia quæcumque jura habebat, & habere poterat in regno & de regno prædicto Carolo Regi Siciliæ. Prædictus vero Rex donationem præfatam recepit: & facta sunt instrumenta dictæ donationis per plures publicos notarios, roborata nihilominus sigillis plurium Cardinalium, ac prælatorum, qui personaliter præfato interfuere negotio. Deinde prædictæ dominæ Rex possessiones & cætera dedit donaria, quibus illa merito contenta fuit: sicque regni Jerusalem jus ad Regem Carolum devolutum est.* Et infra (*b*):

(*a*) *Sanut. l. 3. part. 12. c. 15.*

Maria Antiochena sua in Syriam jura in Carolum Regem Siciliæ transfundit.

Carolus accepti beneficii gratiam illi reponit.

(*b*) *Ib. c. 16.*

XVII. *Mittitur itaque ex parte Regis Caroli Rogerius comes S. Severini bailivus regni Jerusalem, & applicuit Ptolemaidem cum sex galeis MCCLXXVII. VII. die junii. Statim autem in adventu ipsius Balianus de Ybely dominus Arsus, evacuato castro, illi cessit. Ille vero cum suis castrum intrat, sumitque terræ dominium cum auxilio Templariorum, suorumque complicum.* Subdit auctor, ut viri nobiles de fide Carolo obstringenda postulati, cum aliquandiu ob præstitum Hugoni sacramentum rem extraxissent, demum in Caroli Regis verba jurasse. Tum de præfecto Caroli subjungit: *Ipseque comes*, nimirum sancti Severini, *similiter juravit juxta regni scita, quod debuit: deinde fecit senescalcum, comestabulum, marescalcum, vicecomitem, & cæteros officiales secundum patriæ morem. Requisitus etiam princeps Antiochenus, ut fecerat homagium, missis idoneis procuratoribus debitum Regi Carolo fecit homagium.* De tradito Carolo a Maria regno Hierosolymitano, deque misso Rogerio meminere etiam Jordanus (*c*) Andreas Dandulus (*d*) in Jacobo Contareno, & alii (*e*). Tulit graviori animo Rex Cypri Hierosolymitanum regnum, cujus possessionem jam ante iniverat, sibi eripi: comparatoque ingenti exercitu Tyrum accessit, erectus in spem Ptolemaidis proditione potiundæ: sed hæc ejus expeditio conatu irrito est dissoluta. Ut vero postea, cum Sicilia a Carolo defecisset, Cyprii Reges Palestinæ regnum, ejectis Caroli præfectis, arripuerint, paucisque post annis eo fuerint a Saracenis spoliati, sui locis dicetur. Nunc reliquias Terræ sanctæ res prosequamur.

Rogerius Comes Caroli nomine Ptolemaidis possessionem init.

Magistratus creat.

(*c*) *Jord. MS. bibl. Vat. sig. n. 1960.*

(*d*) *And. Dan. c. 9. in Jacobo Contareno.*

(*e*) *Bosius l. 10. & alii.*

Rex Cypri insidiis Ptolemaidem recuperare molitur.

Extinctus est hoc anno immanissimus Christianorum hostis Bendocdar, a quo tot infandas clades dictæ Terræ sanctæ illatas luximus: *Eodem anno*, inquit Sanutus, (*f*) *Bendocdar Soldanus Babyloniæ, audiens quod Tartari quoddam ejus castrum obsederant, vocatum Labiere super Euphratem, natando flumen pertransiit, & reperit sex mille Mugulos, qui illi multam intulere molestiam: & amissis copiis vulneratus Damascum rediit, & accedente ventris profluvio* XV. *aprilis extinctus est: super quo Christiani ineffabiliter lætati sunt. Successit autem illi filius Melequelsayt.* Addit Aytonus (*g*) post acceptam a Tartaris cladem veneno potatum Bendocdarem ejusque filium non diu paternum sceptrum sustinuisse, sed paulo post a tyranno Ersy solio fuisse depulsum. De filio Bendocdaris regno dejecto ab Ersy meminit etiam Sanutus, (*h*) sed Elphy appellat. Exarsisse inde inter Saracenos tan-

XVIII. Versatum in ventos illius consilia.

(*f*) *Loc. cit. c. 17.* Bendocdar a Tartaris fusus. Mortem oppetit. Melequelsayt filius solio dejectus. Exorta inter Saracenos dissidia.

(*g*) *Ayton. hist. Orien. c. 35.*

(*h*) *Sanut. l. 3. p. 13. c. 8.*

NOTÆ [1] QUæ hic narrantur de cessione Regni Jerosolymitani in favorem Caroli regis ad superiorem annum pertinere ex fide diplomatis ejusdem Caroli, & Sabæ Malaspinæ probavi in nota ad annum 1272. XX. MANSI



tantam discordiam, ut cædibus passim se mutuo delerent, refert Nangius (*a*), ac Nicolaus Papa III. confirmat (*b*). Ex quo egregia Christianis porrecta erat occasio amissa ob præteritas discordias recuperandi: sed tum ii etiam ferrum in viscera convertere, ut Sanutus narrat (*c*): *Tunc inter principem Antiochenum & Templarios discordia nimia oritur: nam homines principis familiaribus Templi tædia ingerebant.* Et infra: *Accidit quoque ut magister Templi, per terram jens Tortosam, ab introitu Tripolitanæ urbis prohiberetur, faceretque confici instrumentum de offensa per principem sibi facta; reversusque est Ptolemaidem, ut bellum ei inferret, dimissis aliquibus de confratribus ad principem offendendum in Gibeleth. Ipse quoque dominus Gibeleth de Tripoli recesserat turbatus cum principe. Magister itaque Templi septem galeas armat, mittitque ad obsidendum Nephyn, militesque per terram: sed galeæ naufragium passæ sunt, qui ibant contra Domini voluntatem: & qui per terram ibant, Ptolemaidam rediere. Princeps vero & ipse multos equites peditesque congregat, & ad obsidendum Gibeleth properat: nihil autem lucratus plures amisit milites. Ipso vero tempore magister Templi mortuus est.* Hi tristes intestini belli a Templariorum præfecto per summam imprudentiam suscepti, exitus fuere. Conciliatam porro interpretibus concordiæ Templariis veterem controversiam, quæ diu Venetos, Tyriosque exercuerat, refert memoratus auctor: (*d*) *Tunc inter Venetos & Tyri dominum pax reformata est procuratione dictorum Templariorum sub baylivatu Ad-*

(*a*) *Nang. in gest. S. Lud.*

(*b*) *Nicol. Papa to. 1. l. 3. ep. cur. 5.*

(*c*) *San. ibid. c. 17.* Christiani inter se dissidentes rei gerendæ occasionem amittunt.

Conciliata pax Venetos inter ac Tyrios.

(*d*) *Sanut. ib. c. 16. chr. And. Dand. c. 9. in Jacobo Contar.*



*bertini Moresini, inchoata sub ejus præcessore domino Joanne Dandulo: & recuperaverunt tunc Veneti jus in tertia parte Tyri, quam, habebant ratione conquisitionis ipsius, & diu possederunt:* [1] *sed dominus Philippus de Monteforti jus suum illis abstulerat propter guerram, quam cum Januensibus habuerant.* At de Syriacis rebus hactenus: nunc de pontificia morte dicere aggrediamur.

Describit eam Ptolemæus Lucensis (*e*) subjectis verbis: *Digna est exemplo pro incaute gloriantibus de suo statu & dignitate: tradunt enim omnes historici, quod dum esset in camera solus, quam ipse ædificavit præter palatium pontificale Viterbii, cum semel intraret dictam cameram, quod tamen sæpius contingebat eidem, respiciebat se ipsum, ac totus solvebatur risu, quasi glorians in se ipso: & tunc subito camera cecidit super eum, & inter ligna & lapides collisus* VI. *die post casum expirat, sua intentione frustratus, quia credebat & sua sapientia confidebat, sicut ipse interdum dicebat, longo tempore ista posse dignitate gaudere.* Eadem Jordanus, (*f*) Martinus (*g*) Polonus, & Bernardus (*h*) tradunt: quorum postremos addit Joannem infra octavas Pentecostes mense maii e vita sublatum. Tum de dicti Martini elucubrationibus subiicit: *Hucusque chronica fratris Martini Poloni de Romanis Pontificibus protenditur & finitur.* Notatur censura a Card. Bellarmino, (*i*) atque ex eo a Possevino, (*k*) nimiæ nimirum in vetustorum temporum scribenda historia simplicitatis, ut qui fabellas nonnullas pro veris afferat. Cæterum illum in temporum suorum pangenda historia rerum gesta-

XIX.

(*e*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 23. c. 24.* Joannis XXI. inopina mors. Apparatus superbiæ interdum sunt calamitatum semina.

(*f*) *Jord. MS. Vat. sig. num. 1960.*

(*g*) *Mart. Pol. l. 4.*

(*h*) *Bern. in chr. Rom. Pont.* De Martino Polono historico.

(*i*) *Bellar. de script. eccl. an. 1250.*

(*k*) *Possev. in appar. sacro to. 2.*



NOTÆ [1] IN calce codicis Ambrosiani continentis Chronicon Venetum Danduli sub anno 1272. descriptæ leguntur publicæ tabulæ de cessione hac confectæ, signanturque *in campis in territorio Acconensi sub anno MCCLXXII.* (lege LXXVII. ut patet tum ex indictione tum quod Jacobus Contarenus Dux, qui in illis tabulis legitur, nonnisi anno 1275. cæpit ex Dandulo) *indictione V. Kal. Julii.* His pactionibus testes se se offerunt Thomas ex ordine Prædicatorum Patriarcha Jerosolymitanus, Bonacursus Tyriensis archiepiscopus, Goffridus episcopus Ebronensis, Guillelmus de Bellojoco magister domus templi, Nicolaus magister Hospitalis, (jam ergo Nicolaus cæperat, adeoque ejus electio, quam author codicis Diplomatici Melitensis cum anno 1278. conjungit ad annum 1277. anticipanda est) Conradus magister Theutonicorum. Ex his vero constat Thomam Patriarcham eo tempore adhuc in vivis egisse, quamvis hoc anno, vel saltem labente sequenti fatis cessisse certum est, ex iis quæ leguntur apud Annalistam ad A. 1278. 24. sermo est enim ibi de Joanne Vercellensi Hierosolymitano electo, quo nomine exprimitur Joannes Vercellensis ordinis Prædicatorum supremus magister, quem oblatam sibi a Nicolao dignitatem Patriarchæ Hierosolymitani respuisse affirmat Bernardus Guidonis in libello de Magist. ord. Prædic. inter Veter. monum. Martenii tom. VI. col. 409. Hanc cessionem admittere aliquandiu recusavit Nicolaus; sed tandem assensum resignanti præbuit, ut ex literis ejusdem pontificis anno sequenti datis, & a Bzovio productis constat; atque tum demum dignitas illa Eliæ cuidam, de quo altum est silentium, cum alibi nihil occurrat, necnisi purum putumque nomen in literis Nicolai IV. apud Papebrochium legitur. Corrigendus est tamen Papebrochius in Hist. Chronolog. Patriarch. Hierosolym. tom. III. maii præfixa dum exordium Eliæ anno 1278. & non potius anno 1279. affigit.

Post hæc scripta occurrerunt literæ Eliæ patriarchæ Hierosolymitani vulgatæ a Martenio Anecdot. tom. 1. col. 1230. Dedit illas Patriarcha in favorem Parthenionis de Sparnacho Diœcesis Caturcensis signaturque; *Romæ anno 1287. Pontificatus Domini Honorii IV. anno II.* Ex his eruendum suspicor Eliam hunc Gallum fuisse, atque ineunte anno 1287. Honorio nondum vita functo, in vivis egisse. MANSI

rum veritati consentire, experti sumus. Archiepiscopi Consentini titulo in libris ejus Antuerpiæ typis cusis insignitur: at alii Gnesnensem archiepiscopum fuisse produnt, idque ex Prædicatorum (institutam enim a S. Dominico religiosæ vitæ formulam fuerat professus) annalibus, tum ex inciso marmori sepulcrali epitaphio astruunt. Et quidem Martinum ordinis Prædicatorum archiepiscopatu Gnesnensi a Nicolao III. ornatum paulo post vita functum, demonstrant Nicolai (*a*), & Martini IV. literæ: (*b*) qui si idem atque historiarum scriptor extiterit, Siffridus Petrus Leocardiensis in suis ad chronicon Martinianum notis aberrant, dum ad Joannis XXII. tempora vitam propagasse asserunt; adjunctamque illam post Joannem XXI. appendicem alteri auctori tribuendam colligitur. Ut ut res fuerit, sine ulla veritatis injuria, ut nos voluminum titulis accommodemus, subjecta appendice Martini Poloni nomine in annalibus utemur.

Ad Joannem redeo, quem his coloribus depingit Ptolemæus (*c*): *Et quamvis in ..... deficeret, hoc tamen habuit laudabile, quia cum summus Pontifex, & sua dignitas esset suprema, cum inferioribus non dedignabatur conversari, qualiscumque esset status, dummodo esset literatus, sive pauper sive dives esset: & talibus fuit largus beneficiis, & pio amplectebatur affectu pariter & effectu: & hoc solum fuit virtutis in ipso. In aliis* (*d*) *autem pastoralis status multum deformabatur*. Quibus vero maculis describit (*e*) Jordanus: *Parum discretus fuit, præceps in verba, minus cautus in moribus*. Pergit Ptolemæus Lucensis (*f*): *Moritur autem Viterbii & in ecclesia S. Laurentii sepelitur: & tunc vacavit Ecclesia per sex menses, videlicet ab hebdomada pentecostes usque ad festum Catharinæ anno Domini MCCLXXVII.* De interpontificii tempore consentiunt Jordanus, (*g*) Martinus (*h*) Polonus, ac Baronius (*i*) ac mensibus octo totidemque diebus (*k*) sedisse. Anniversario illius mortis die ecclesia Olysipponensis divinam rem pro illius anima peragit, cujus kalendario hæc verba adscripta refert Antonius Brandanus in Lusitana historia (*l*): *Æra MCCCXV.* XVII. *kal. junii obiit Papa Joannes XXI. qui dedit capitulo domus suas ad anniversarium faciendum suum*. Exornat auctor eo elogio effusæ in pauperes qui darent operam literis, liberalitatis fuisse, ut ecclesiæ a viris doctis administrari possent.

Cæterum de mortis genere dictis consentiunt alii auctores, Nangius, (*m*) Ricordanus, (*n*) Joannes Villanus, (*o*) S. Antoninus, (*p*) Longinus, (*q*) & alii.

(*a*) *Nic. III. to. 2. l. 2. ep. 189. & MS. Vall. sig. lit. C. n. 49. pag. 74.*
(*b*) *Mart. IV. to. 1. l. 3. ep. 59.*
(*c*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 23. c. 24.* Virtutes & vitia Joannis XXI.
(*d*) *Ib. c. 25.*
(*e*) *Jord. MS. Vat. sig. num. 1970.*
(*f*) *Ptol. Luc. sup. c. 25.*
(*g*) *Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.*
(*h*) *Martin. Pol. l. 4.*
(*i*) *Baron. sched. MS. Vall. bibl.*
(*k*) *Id. ib.*
(*l*) *Anton. Brand. l. 15. Monarch. Lusit. c. 41.* Quo die obierit.
(*m*) *Nang. in Phil.*
(*n*) *Ric. Malesp. hist. Flor. c. 202.*
(*o*) *Jo. Villan. l. 7. c. 50.*
(*p*) *Anton. 3. p. tit. 20. c. 3. in prin.*
(*q*) *Long. l. 7. hoc ann. & alii plur.*

Tot itaque scriptorum testimonia, in dubium lugubre mortis genus revocari non sinunt; quæ a nobis confirmari possint literis, paulo post hunc tristem casum exaratis, ex pervetusto nostro codice Vallicellano, (*r*) in quibus auctor, cujus nomen omittitur, ita Landulphum Caruculum nepotem suum ob conjunctissimi alicujus obitum, mœrore oppressum erigit: *Cæterum æstimo te non solum de subtracta tibi quasi altera parte tui, sed & novi ut arbitraris casus incursatione commoveri. Verum si antiqua monumenta revolveres, & eventus varios in tua consideratione repeteres, o quot tibi occurrerent etiam principes repentinis subtracti fulgoribus, insidiosis occubuisse gladiis, extincti venenis, inopinatarum ruinarum oppressione subducti! Sed quid opus est recensere veterum gesta, vel casus antiquos? Nunquid non velut in conspectu est patrem patrum præcipitio sui ædificii recentis oppressum?*

(*r*) *Cod. Vall. sign. lit. C. n. 49. pag. 99.* Incerti hominum casus.

Augent rei stuporem, quæ Joannes Villanus de hoc casu historiæ prodidit (*s*): mercatorem quendam Florentinum Bertum nomine, cum in mari Acconem versus vela faceret, nocte somno obrutum, repentinoque perfusum horrore, collegisse se in pedes, atque in tristes voces prorupisse: quibus exciti socii ab eo adhuc dormiente, scisciti, quid novi esset, subdidisse videre se hominem gigantæa mole, & colore atro, columnam, cui fornix innixa erat, clava disicere molientem; ac paulo post hæc exclamasse: Ipsam evertit, atque infelix ille moritur. Mox rogatus quis extinctus esset; subjecisse, Pontificem: tum vectores, notato die ac tempore, rem in commentarios redegisse; cumque Acconem postea appulissent, lapso aliquo tempore, mortis Joannis Papæ rumorem increbuisse, cujus tempus cum altero penitus congruebat. Subdit porro auctor, id se ab iis mercatoribus, qui navi cum Berto vehebantur, eumque audierant, quique magna auctoritate ac fide pollebant, auribus suis hausisse, reique famam tota Florentia disseminatam. Nec dissimile quid de cujusdam Minoritæ Viterbiensis viso narrat Jordanus (*t*): *Quidam*, inquit, *frater Minorum Viterbii in strato suo quiescens, subito fortiter exclamavit, & accurrentibus fratribus ait: Niger vir grandi malleo palatium Papæ percutit: orate ne corruat. Tertio vero idem cernens exclamavit: Et palatium corruit. Et ipsa hora corruisse inventum est.* At harum rerum fides sit penes suos auctores. Novit Deus, cujus judicia sunt abyssus multa, cur vicarium suum in terris tristi adeo casu elidi permiserit.

(*s*) *Jo. Villan. l. 7. c. 50.*
Berti Florentini visum de Joannis casu.
Aliud Viterbiensis Minoritæ.
(*t*) *Jord. MS. Vat. bibl. sign. n. 1960.*

Ferendus vero non est Siffridus, qui intolerandam huic Pontifici calumniam im-

XX.



(*a*) *Siffr. in chr. l. 2. an. 1276.* Refelluntur calumniæ Joanni impositæ.

imposuit (*a*) dum ait librum hæresibus plenum scribentem, concusso subito ac everso ædificio, oppressum; satis enim Italorum auctorum silentio hæc refelluntur, cum nullus hoc crimen ipsi asperserit, quamvis ejus famam in aliis carpserint atque obscurarint. Cæterum si lapsum fuisse in ejusmodi scelus contigisset, non detrahendum propterea esset sedis Apostolicæ dignitati, sed divina providentia adornanda, quæ prius Romanum Pontificem ex humanis eripuisset, quam hæresim promulgare pateretur. Nec minus arguendum ineptiarum Colmariensium Dominicanorum chronicon (*b*), quod inter cætera opprobria, quæ in Joannem jecit, magum fuisse depingit. Quæ calumnia ex eo enasci potuit, quod cum scientiis omnibus, ac maxime mathematicis artibus instructissimus esset, quædam ederet, quæ ignaris & imperitis stuporem inijcerent. Subdit Colmariensis chronici scriptor, eum decreta concilii generalis contempsisse: quam illi notam ob constitutionem Gregorii X. de electione Rom. Pontificis suspensam aspersit. Illud sane negari non posse videtur, gravia inde Ecclesiam Dei damna perpessam, ob sex nimirum mensium interpontificium, eo maxime tempore, quo summorum negotiorum, orientalis scilicet ecclesiæ firmandæ conjunctionis, Syriæ recuperandæ, convertendorum Tartarorum, pacandi occidentis moles ac provincia Christi vicario incumbebat. Quod ad Græcos attinebat, refert Ptolemæus Lucensis (*c*) missos ab eo Constantinopolim legatos, qui redintegratam in concilio Lugdunensi conjunctionem ecclesiarum confirmarent: *Hic Joannes legatos mittit ad Palæologum ad ipsum requirendum, si paratus erat obedire Rom. ecclesiæ cum sua gente. Et fuerunt duo episcopi, & alii solemnes viri religiosi ordinis fratrum Prædicatorum: qui omnes fuerunt ab ipso multum gratiose recepti, offerens se ad omnia observanda, quæ nuncii sui in concilio Lugdunensi observanda judicaverint, &c.* His similia traduntur [1] a Jordano (*d*).

(*b*) *Chron. Colmarien.* Astrologiæ scientia illi magiæ crimini versa.
(*c*) *Ptol. Luc. hist. eccl. l. 23. c. 22.*
De missis a Joanne ad Græcos Apostolicis nuntiis.
(*d*) *Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.*

Pervenere, vacante sede, Michaelis Palæologi oratores, qui imperiales literas (*e*) attulere, quibus ille Jacobum Ferentinum, Gaufridum Taurinensem episcopos, & Raynerium ac Salvium e sacro Prædicatorum sodalitio apostolicos legatos a Joanne XXI. missos peramanter excepisse, atque ad cœptum ecclesiarum conjunctionis opus perficiendum corroborandumque operam navasse; confirmasse omnia Lugduni gesta, novas de iis literas cum filio Andronico confecisse, coactam fuisse patrum orientalium Constantinopoli synodum, eosque adjectis suis nominibus rem firmasse, testabatur.

XXI. Palæologi Imp. & Andr. oratores sede vacante ad Cardinales accedunt.
(*e*) *Exf. apud Nic. III. t. 1. l. 1. n. 1. & to. 1. privil. Rom. eccl. p. 156. & 389. & cod. Vallic. sig. lit. B. n. 12. p. 105.*

*Sanctissimo & beatissimo primo, & summo Pontifici Apostolicæ sedis veteris Romæ, universali Papæ, communi patri omnium Christianorum, & reverendissimo patri nostro Imperii domino* *.. *Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comninus, Palæologus, specialis filius magnæ sanctitatis vestræ, convenientem reverentiam cum sincera & pura affectione, ac orationum postulationem.*

* *Joanni*

*Summæ supereminentiæ apostolicæ sanctitatis, cui fidelis quilibet in Christo subesse non debet ambigere, spe certa & fide præclara me totum confidenter exponens illius imperio, cui servire perpetuo est regnare, non sustinui, Deum testor, dies & annos meos in vacuum consummare: sed tanto provide adjeci studia studiis, & vigilias continuis laboribus addidi, ut acceptabile opus orthodoxæ fidei germinatum in Domino, vivifice progrediens ad optata, beatum finem susciperet, glorioso divino lumine illustratum, quanto, ut luminare majus præesset hæsitantibus, & veluti accensa candelabra in*

Literæ Palæologi Imp. ad Pontif.

Primatum Rom. ecclesiæ profitetur.

NOTÆ [1] QUamquam nihil certi constat de anno, quo celebratum fuerit Concilium Trevirense publici juris factum a PP. Martene, & Durand in Collect. Monum. tom. VII. col. 107. præsenti tamen consignatur ab iisdem Collectoribus, ex eo ductis, quod in MS. Codice adnotatur Synodus illa a Metropolita Trevirensi cum suffraganeis habita anno MCCXXVII. cum autem, inquiunt, mentio ibi bis fiat concilii Lugdunensis II. anni 1274. cujus etiam constitutio duplex exhibetur; hinc suspicio oritur in notis illis numericis deesse aliquid, & forte ita legi oportere: *an. MCCLXXVII. Kal. Martii. &c.* Verum adnotationem illam scriptoris esse Concilio recentioris adeoque nihil valere ad fidem præstandam suspicor. Patet id non ex Chronologico tantum sphalmate quo vitiatur, sed erratum in eo credo, quod Concilium istud provinciale indicetur: nullæ enim occurrunt constitutiones provinciales sed omnes ad diœcesanos directæ. Sunt numero 144. in quibus disciplina præscribitur in Sacramentis ministrandis, in Ecclesiis curandis, in Clero sæculari & regulari ad recti normam formando. Præsertim vero in constitutione 117. edicitur ut Monachi omnes ordinis S. Benedicti & S. Augustini ad pristinam regulæ suæ sanctimoniam reformentur. In constitutione 66. cavetur ne *Begardi vel Conversi cujuscumque Ordinis sint etiam extra Ecclesiam conciones habere permittantur*. Id nominis Fratribus ad laicalia ministeria destinatis ex ordinibus præsertim Minorum & Prædicatorum tribui cæptum arbitror sæculo XIIII. ineunte, ut ex authore Annalium Colmariensium ad A. 1302. deduco. Quæ si valeat conjectura Concilii hujus numerales notas ita corrigerem: *Celebratum an. Domini MCCCXXVII. Kalendis Maji*. MANSI

*in toto universalis Ecclesiæ catholicæ corpore radiaret, ac in remissione peccatorum meorum, & laudum obsequio Deo glorioso hujusmodi dignum fieret, & acceptum. O felix ætas tanti boni desiderati operis commemoratione dignissima, & per totum alacritate nimia refectiva! in qua, destructo totaliter, & de medio Christianorum abjecto penitus dissensionis schismate, quod inter Ecclesiam orthodoxam & populum, quem sibi Dominus noster Jesus Christus adoptavit, ut suum, Græcum scilicet & Latinum, tot diffusis temporibus viguit suggestione humani generis inimici (qui de nostra immortalitate condolens, nostri primi parentis seductione dira, æque incauta, mortalitatis transgressione peremit, in evidentem Christianorum perniciem & jacturam) nunc disponente Altissimo, multa solertia & solicitudine ipsius veræ fidei totalis identitatis integritas ad matrem catholicam & apostolicam, sacrosanctam Romanam ecclesiam, omnium Christianorum dominam & magistram, & ad patrem verum ipsius Ecclesiæ summum Pontificem, universalem omnium Christianorum rectorem & doctorem catholicæ veritatis, Christi Dei nostri in terris vicarium, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum principum successorem; residet opulenta dignitate, benignitate nominis, virtutis gratia, & honoris gloria coronata.*

Gratulatur sibi de sublato schismate.

XXII. *Et licet, pie pater, prædecessoris vestræ tempore sanctitatis, illius videlicet bonæ memoriæ domini Papæ Gregorii, reverendissimi patris mei, quem propterea specialiter præ aliis bonis in Domino firmiter vivere credo, tantus eum zelus reuniendæ Dei Ecclesiæ, ac Christianorum pacis continue comedebat, hujuscemodi operis laudanda primordia fuissent indulta in generali concilio apud Lugdunum prospere hactenus celebrato; tamen gloriosa solemnitas totalis perfectionis ipsius vestræ sanctitatis pio patrocinio extitit divinitus conservata in posterum moderamine vestri gloriosi apostolatus, qui præ cæteris præexcellit indissolubili charitatis vinculo in perpetuum roborandæ. Cujus gratia singulare commodum, quod incomparabile proinde adjacet, ad omnium beneficia diffunditur, sine diffidentia qualibet, cum sint dulcissima, quæ per gratiam sancti Spiritus, cujus res agitur, benigniter largiuntur. Digne itaque ad me pridem Apostolicæ sanctitatis nuncii viri religiosissimi, virtute morum & gratiarum scientia decorati, videlicet dominus Jacobus Ferentinus & dominus Gaufridus Taurinensis episcopi, & de sacro ordine Prædicatorum frater Raynonus prior conventus Viterbii & frater Salvus lector Lucanus, magis quam potest exprimi, alacriter pervenerunt, vestris piis orationibus prosperati; eo potissime, quia mensam dominici convivii, & festivam mundis paratibus, refectivis ferculis satiatam, & amœnis odoribus reperientes ornatam, nihil omissis de contingentibus in iis, quæ fore utilia videbantur, prout creator omnium Deus benigne dispensaverat ab excelso; qui finem malis imponens, servos quos invenit in charitate manere, invitat & præparat eis cibum, non solum angelorum panem, sed seipsum, qui ait: Qui manducat me, ipse vivit propter me; affectatas satis quondam magnificæ, ac reverendissimæ summæ Apostolicæ sanctitatis prædecessoris vestri literas meis propriis manibus assignaverunt. Quibus filiali reverentia receptis, & devotissime osculatis, ac diligentissime intellectis quæ ordo narrationis ipsorum detexerat, ac iis, quæ ipsorum nuntiorum grata insinuatio continebat; in illo magno salutis gaudio meus animus fuit repletus: gratias dedi illi, qui pro nobis & salute nostra veram carnem humanitatis assumpsit genitus Deus homo de utero virginali: & inde multiplicium congaudiorum genere hilaratus, nomen Domini benedixi, qui meam indigentiam, multis circumventam afflictionibus & suspiriis (quia videbatur quoad sacrosanctam Romanam ecclesiam, proh dolor! ex subito defectu pastorum, unitatis ecclesiarum Dei opus refrigescere quoquomodo) divina gratia subito me sattavit, & refecit; suspiria & mœrores ad gaudia infinita convertit intellecto per ipsos veracius qualiter sanctitas prædecessoris vestri disponente Domino conscenderat ad pontificalis speculam dignitatis. Nec minus sinceros affectus, quos ad sæpedictum opus Dei de bono in melius promovendum ejusdem sanctitas corde & animo pure gerebat, quam de benignitate sanctitatis vestræ in Domino suscipere confidimus & speramus, dum effecti estis Dei vicarii & Apostolorum principum successores.*

Deplorat Imperator immatura Pontificum funera.

Qui a Joanne XXI. legati missi.

XXIII. *Ego autem tantis Christi donariis ubere ditatus, exhilaranter in opere spem firmavi, in quo jam multa inquisitione ac studio prophetarum, Apostolorum, & sanctorum patrum manifestissima documenta solerter apposueram fundamentum, quod nemo potest ponere aliud, nisi Dominus Jesus Christus, qui patriæ supernæ Jerusalem est via, veritas, & vita, ut inhabitantes in ea cohabitent in eodem, quorum efficitur causa mercedis, qui per hanc viam ingressi sunt in veritate, quibus vita vivere promittitur sine fine: nimirum ergo, si allectus tam dulcissimis repromissionibus ad ipsorum consortium revocem partem meam beatorum exemplo, qui pro æterna patria commutarunt terrena. Super quod quid aliud existimare opor-*



*portet nisi resurrectionem Christi a mortuis? ut vitalis intellectus, qui latebat, prodiret, & remotis odiis, fratrum contentionibus, & animarum pressuris, pax vigeret, amor crescceret, & quasi cujusdam floris species, Scripturæ monumento prodeuntes ovile Domini cum impleretur in vera fidei unitate, ac una columba scilicet catholica & apostolica Ecclesia: rota prima, quæ major apparuit super terram; & unus agnus, qui peccata mundi absolvit, ejus in terris vicarium, pastorem gregis universaliter venerentur; propter quod quam bonum est, & quam jucundum habitare fratres in unum, satis os propheticum repræsentat.*

XXIV. *Ut autem immutatio hujusmodi Excelsi dexteræ, sanctitatis vestræ piis intercessionibus super angularem lapidem, qui æternæ legis dominio cuncta regit in montibus fundata sanctissimis, claret in æternum; & sancta sanctorum novæ structuræ Hierusalem, quæ civitas æternæ patriæ superaugeatur, & crescat in atriis ejus stantes pedes mei reperiantur ab humanis insultibus & pressuris, me totaliter absoluto; ut quæque grata ipsius divini operis perficerent, & in iis fidei meæ synceritas in charitate vigeret; mens mea in rebus congruis intentior fuit, cura propensior, voluntas pronior, devotio clarior & exhibitio operum efficacior, ut studium perfectæ consolationis meæ in omnibus efficacius haberetur; cum eisdem venerabilibus nunciis supereminentis apostolicæ sanctitatis tractatum extitit, & Deo coadiuvante completum, quicquid negotii executio postulabat, & eisdem a sanctitate apostolica specialiter fuit injunctum; roborans, & confirmans diversis literis & scripturis omnia & singula, quæ de catholica fide sacrosancta Romana ecclesia tenet, docet, & prædicat: quæ simili modo etiam per primogenitum meum Imperatorem Græcorum, & aliarum gentium, quæ subditæ sunt Imperio meo, Constantinum devotum filium vestræ apostolicæ sanctitatis, qui una mecum ad hoc opus viriliter laboravit, instructus benedictione vestra secundum quantitatem sui temporis in divinis operibus & salutaribus animarum, & pacis per venerabilem quidem dominum patriarcham* (is erat Joannes Beccus, editis pro orthodoxa fide confirmanda scriptis clarissimus de quo frequens recurrit mentio: qui exauctorato patriarchæ schismatico fuerat subrogatus, ut testatur Pachymerius *a*) *& per cæteros prælatos orientalis ecclesiæ, qui una nobiscum in unitate spiritus convenerunt, sanctæ Romanæ ecclesiæ ac ejusdem Pontificis recognoscentes primatum, & sibi debitam deberi reverentiam & honorem, & cætera, quæ in ipsis apertius continentur, sunt vallata, & etiam roborata propriis subscriptionibus & sigillis, prout misericordia supremi Judicis, qui cuncta in æquitate disponit, salubriter dispensavit, & obturavit ora obloquentium falsa, inania, & mendacia, quæ odit Dominus & detestatur. Qui non verebantur se timore divino contra tantum bonum opponere, nec investigare iniqua, nec etiam in hujusmodi operis segete, quam Dominus coluit, discordiæ semina spargere in Christianorum contumeliam, & eorum animarum damnationem æternam.*

Joannes Beccus catholicus in schismatici patriarchæ Constantinop. locum suffectus.

(a) Pachym. hist. Græc. l. 5.

*Cætera vero tam ipsis venerabilibus nunciis, de ipsorum religiositate ac probitate confisus, ac meis nunciis, quos confidenter cum eisdem transmitto ad præsentiam vestræ apostolicæ sanctitatis, videlicet sacratissimo metropolitæ Kisicensy pertino, & exarcho totius Elispontis, Theodoro quartam sedem in concilio obtinenti, honorabilissimo scriniario sanctæ ecclesiæ Constantinopolitanæ, & archidiacono imperialis cleri Constantinopolitani; Melitiniotæ & honorabilissimo archidiacono cæteri imperialis cleri, & epitendesion ejusdem sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, Georgio Methocitæ, & de secretis familiaribus, & de secretis cameræ nostræ Angelo, Joanni, & Andronico Masgoda, fidelibus Imperii nostri, verbo suggenenda commisi, ac exponenda perspicaciter auribus vestræ magnificæ sanctitatis, instructis de omnibus plenarie, prout ipsi præsentialiter pertractarunt, & oculis inspexerunt universaliter singula, & singulariter universa. Quibus in his fidem plenariam dignetur Dei intuitu vestra pia sanctitas adhibere; ac inde, Deo auctore, illa perficere, & ad luculentam divini operis publicationem complere, per quæ non sub modo ejusdem luminis claritas; suggerentibus forsitan supradictis iniquitatis filiis, qui in unione tantæ prosperitatis, quam divina potentia salutari præsidio misericorditer introduxit, in contemptum aliquatenus reponatur; sed tanto majora luminaria vestræ sanctitatis studio ad universalem notitiam consurgant in mundo, quanto inde major crescit lætitia in corda fidelium, qui pura conscientia Deum vident, quæ attendenda sunt, pater sanctissime, a vestra pia benignitate omnino, cui oves Christi pascere ab ipso Domino sunt commissæ, vices beati Petri Apostoli, cujus vicem geritis, cui ter præcepit Dominus: Pasce oves meas.*

XXV. Missi a Palæologo Imp. ad sedem Apost. oratores.

Pontif. ad initam conjunctionem firmandam solicitat patriarcha.

XXVI. *Reddatur igitur in his Creatori omnium ab hymnidicis angelorum choris gloria in excelsis, & ab universis orthodoxis de terra actio gratiarum; quoniam qui retroactis temporibus multa mœroris vulnera pertulerunt, nunc universalis consolationis invenerunt fomenta. Unde necesse est omnipotentis Dei misericordiam exo-*

*rare*

*rare obnixius, ut cor vestræ sanctitatis & vestrorum fratrum sua semper dextera teneat, vestrasque cogitationes, & actus ad firmitatem divini operis supradicti cœlestis gratiæ ope dispenset, quatenus tranquillitas vestra tanto rectius valeat Deo servientes protegere, quanto dominatori omnium noverit verius deservire; ac in amore catholicæ fidei defensores suos faciat, quos fecit ex benigno opere imperare: zelum simul & mansuetudinem in mentibus eorum infundat, ut pio semper fervore valeatis quicquid in Deo exceditur, emendare. Omnipotentis Dei misericordiæ largior sanctitati vestræ concedat, ut quo longius vita vestræ sanctitatis extenditur, ipsa orthodoxia fidei, & meorum laborum consolatio validius in Domino roborentur. Cæterum me divina potentia Imperatorem, & eundem charissimum primogenitum meum Dei gratia Imperatorem, omnes nostros filios, & alios nobis propinquos speciali affinitate, necnon & omnem sortem nobis largitam a Deo vestris sanctis orationibus recommendo; supplicans humiliter, quatenus semper mei & ipsorum memores existentes in vestris ad Deum persuasionibus, & deprecationibus, me ac ipsos paternali gratia protegatis.*

XXVII. Alias etiam literas ad Joannem dedit, quæ nonnisi ipso e vivis sublato pervenere, in quibus primum eas inseruit, quas Gregorio X. miserat ubi orthodoxæ fidei formam a Pontifice descriptam se firmissime tenere professus est: quam cum nos suo loco attulerimus, (*a*) hic repetere supervacaneum videretur. Quæ vero adjecta, adducere ex MS. codice Vallicellano (*b*) operæ pretium erit: *Cum sic de verbo ad verbum continens juramentum juraverit dictus magnus Logotheta in præsentia dicti illius sanctissimi & beatissimi universalis Papæ domini Gregorii X. dicti, apud Lugdunense sacrosanctum concilium; & nunc sanctissimus & beatissimus universalis Papa & venerabilis * patris nostri Imperii dominus Joannes XXI. petiit per venerabiles nuncios suos, videlicet Jacobum Ferentinum episcopum & Gaufridum episcopum Taurinensem, & fratres, hoc est Ranonum priorem conventus Viterbiensis, & Salvum lectorem Lucanum fratres ordinis Prædicatorum, ut affirmet, ratificet per corporale sacramentum Imperium nostrum ea, quæ dictus magnus Logotheta juravit, ut sæpius dictum est; Imperium nostrum, perficiens petitionem sanctissimi universalis Papæ, & venerabilis patris Imperii nostri Domini Joannis XXI. consequenter suprascriptus jurat sic.*

(*a*) *An. Chr. 1267. n. 75.*
(*b*) *Cod. bibl. Vall. sig. lit. D. n. 1. pag. 156.*
Confirmatur sacramentum a Palæologi oratore nuncupatum in concilio Lugdunensi.
* *pater*

XXVIII. *Ego Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus Comninus, Palæologus omne schisma prorsus abjuro, & suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est, & fideliter exposita, veram sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cognosco. Eam accepto, & corde & ore profiteor: ipsamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, me inviolabiliter servaturum, nec ab ea ullo unquam tempore recesturum, vel quoquo modo deviaturum, vel discrepaturum, promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, & ipsius ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto, ac sponte suscipio & omnia præmissa, tam circa fidei veritatem, quam circa ejusdem Ecclesiæ primatum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptationem, observantiam, ac perseverantiam servaturum, præstito in anima mea corporaliter juramento: & promitto, & confirmo, prædictum juramentum: prædicti Logothetæ nostri approbo & ratifico. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. Hæc autem omnia suprascripta facit Imperium nostrum, ad sanctissimum & beatissimum summum Pontificem, & venerabilem patrem nostri Imperii universalem Papam dominum Joannem XXI. & per ipsum ad omnes successores suos, roborans ipsa per propriæ manus, Dei gratia, Imperialem subscriptionem suam, & per sigillum potentiæ suæ, mense aprilis quintæ indictionis sexto milleno, septimo centeno octuagesimo quinto anno.* Is est annus Christi MCCLXXVII. *Actum est hoc in urbe nostra Constantinopolitana in sacro nostro palatio Blachernarum.*

Abjuratis iterum schismatis forma.

XXIX. Celeberrimæ hujusce rei meminit Cardinalis Baronius (*c*) in notis manuscriptis ad annum MCCLXXVIII. his verbis: *Imperator Græcorum jurat per omnia servare fidem catholicam & symbolum Latinorum; & quod ipsa Romana ecclesia est mater, caput & magistra omnium ecclesiarum: confessionem fidei orthodoxæ in literis inseruit, quas subscripsit propria manu. Habetur libro privilegiorum Romanæ ecclesiæ.* Hactenus Baronius. Incubuisse etiam ad eandem ecclesiarum conjunctionem conglutinandam Andronicum, omniaque corroborasse Constantinopoli; quo feliciter gesto in Turcos bello advolaret, demissis ipse literis, ac pietatis notis illustribus asserit, (*d*) quas ad illius inconstantiam & perfidiam, dum in catholicos concitata persecutione, Græcos in vetus schisma & heresim præcipites conjecit, coarguendam in luce duximus collocandas.

(*c*) *Baron. in schedis MS.*

Andronicus initam conjunctionem ratam habet.
(*d*) *Apud. Nicol. III. to. 1. l. 1. p. 64. n. 2. & l. priv. Rom. eccl. to. 2. pag. 141. MS. Vall. sig. B. n. 12. pag. 89. & 105. & MS. sign. D. p. 154.*

*Sanctissimo & beatissimo primo & summo Pontifici Apostolicæ sedis veteris Romæ,*



* *Joanni* *mæ, communi patri omnium Christianorum, & reverendissimo patri domino *.. Andronicus in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comninus, Palæologus devotus filius vestræ sanctitatis, convenientem reverentiam cum sincera, & pura affectione, ac orationum postulationem.*

XXX. *Quæ fides, quæve devotionis integritas ob honorem & obedientiam sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris meæ, ac ejusdem Pontificis summæ apostolicæ sanctitatis, me solicitaverit hactenus excellentissimo genitori, & dominatori meo, Dei gratia, Imperatori Romæorum adesse continue ad exequendum opus divinum, unitatis scilicet ecclesiarum & Christianorum pacis reformationis ardentibus desideriis & studiis curiosis, jam divina misericordia operante, patent ex opere. Nec minus effectus ipsorum meam devotionem, & solicitudinem debitam repræsentat, non sub modio sed omnibus, qui habitant in domo Domini, manifeste. Delectabatur in his, novit Altissimus, qui est hujus operis stabilitatis perpetuæ fundamentum, sine quo nihil proficiunt operarii, & sine ipso factum est nihil; ultra quam potest exprimi, meæ juventutis affectus, prætermissis omnibus solicitationibus, ad quas multotiens ætatis meæ conversatio applausiva conabatur attrahere; sed zelus domus Domini me adeo comedebat, quod ad cor non descendebat alicujus voluptatis affectus, quam senilis dispositionis providentia, & præmeditatione matura suppeditans, ad ipsum opus totaliter aspirabam, & factus solicitudinis zelator continuus, studendo, inquirendo, vigilando, & audiendo sanctorum Patrum volumina, Dei præsidio, & necessitate virtutem assumpsi, nunc suadens supradictum dominatorem & genitorem meum, nunc ostendens secundum cognitionem, & gratiam mihi concessam a Deo, a quo cognovi operis complementum, quod bona, quæ de perfectione ipsa proveniebant, erant sibi principaliter, mihi, & cæteris genitis ejus inexpugnabilis exercitus, gloriosum præconium, vita perpetua, preciosa hereditas, & gloriosa memoria super terram requies; consanguineis & cæteris fidelibus Imperii sui pacem & ubertatis tempus, quæ sunt regnantis excellentia nominis & preciosa commoditas, dum propterea cives, & populos habet laudantes; præter illa mansura præmia, quæ a Creatore omnium æternaliter pollicentur.*

Sua studia in schismate abolendo expromit.

Quanto munimento foret ea conjunctio.

XXXI. *Et si quandoque, quod anxie dicimus, oportebat me necessario ab opere præsentialiter dividere, ipsum opus protectioni Altissimi, studiis exquisitioribus continuis mei excellentissimi dominatoris & genitoris prædicti, qui ad hæc Dei beneplacito suum immolaverat corpus & animum, nec ad alia ex aliquarum varietatum incursu temporalium, quantumcumque; sua præsentia indigeret, suum animum convertebat; tamen ferebar ad arma consurgere, turmas belli instruere, ac armata manu pro defensione Christiani generis, ad cujus servitium misericordia divina concessit me benigniter imperare, potenter insistere, pugnare pro patria, quæ, proh dolor! continuis insultibus ab ipsis lacessitur, & ad reprimendum Turcorum impetum, & multimodam præsumptionem, ipsorum Christianorum acies dirigere, ac ipsos Dei præsidio in propria expugnare, ac de eorum confinitis eiicere, quibus Christianorum Imperio vicinantur; & infra terras ipsorum victoriose glorificans nomen Christi, ubi prædicti scelerati fatua doctrina blasphemant, & vestris piis orationibus prosperatus, refecta nostra præsentia, gente utcumque perterrita, insultibus paganorum, curam gerebam provinciæ.*

De bello a se cum Turcis gesto.

XXXII. *Non sic, pater sanctissime, quod a diviniori opere me aliquatenus divisissem, sed in ipsum fundatus anima & corpore meum excellentissimum genitorem, & dominatorem sedulis literis, & nuntiorum frequentia de statu prospero provinciæ suum reficiebat affectum, quem ad opus propterea ferventius accendebam, a quo grata vicissitudine mea totaliter anima reficiebatur, delectabatur spiritus, & meæ viscera congaudebant. Super quibus, divina providentia dispensante, quæ procurat, non deserit, me ad urbem feliciter redeunte ad mei dominatoris & genitoris præsentiam, in qua post paucos dies sanctissimi prædecessoris vestri nunciis emeritissimis & discretis salubriter perventientibus & invenientibus Dei gratia omnia negotii merita præparata, prosperum assumentibus tractatum, invocato Christi nomine, finaliter ipsi perfecerunt negocium, prout eis redeuntibus ad arcam, unde ut columba exiverant, ferentes ramum viridantis olivæ, ramum unitatis & pacis poterit vestra sanctitas informari: & eis a sede Apostolica fuit injunctum, cujus successores vos, Dei gratia & misericordia, constituti ad speculam dignitatis, confido in Deo, quod illa restitutionis gratia vestra sanctitas assumere poterit, per quæ vestro patrocinio universalis consolatio benigniter oriatur, & amplificatio negotii perducatur ad perpetuam firmitatem: contra quod o in quantum laboraverit, & laborare non cessat ille humani generis inimicus, qui tot diffusis temporibus super divisione præterita gloriabatur inique; non dimittens seducere debiles & inermes, & illaqueare inscios & indoctos, & ostendens eis sophisticare charitatem operis & operari opus*

Execratur Andronicus schismaticos qui ecclesiarum conjunnem dirimere sunt conati.

*opus araneæ, cujus telam facilius aura dissolvit! Attamen opus tantæ unitatis, ex quo ad gremium suæ matris, Deo faciente, constituitur, sicut jam ipsius divisio multa mœroris vulnera pertulit, sic cura & vigilantia vestri dignissimi Apostolatus, cujus interest, non fraudabitur ejus operis identitas, sed conservabitur in integra in æterno, de quo erit nomen benignitatis in sæcula benedictum, & in cœlis ab Angelis æterne glorificatum.*

XXXIII. Pontificiis obsequiis se addicit.

*Ego autem, ex supradictis omnibus assumens materiam, de benedictione vestra confisus, quam pie cunctis fidelibus exhibetis, quodammodo tentavi scribere vestræ apostolicæ sanctitati; quod in præsumptione non imputetur mihi aliquatenus impertiri: sed acceptum ducatur, quod filiali devotione præsumpsi, & oblata ab offerente ac offerens ab oblationibus placeant; nam respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: & quamquam tantam gratiam consequi sim indignus, tamen non frustretur spe, qui in vestra devotione persistit, quoniam sanctitatis vestræ supereminens apostolatus, qui habet recompensare merita singulorum, & in cœlo & in terra absolvere, ac ligare, benedictionibus, orationibus, & persuasionibus potest, ut ad charitatis gloriam, & devotis filiis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ aggregare, perducere, ac in eis protegere, ac fovere. Quæ peto mihi benigniter impertiri a vestra piissima sanctitate, ac requiri ad omnia, quæ vestra sanctissima paternitas mihi suo devoto filio placuerit committere, ac mandare: quæ devote recipiam, & alacriter perimplebo. Me nunc & semper vestris sacris orationibus recommendo, ac nuncios, qui ad vestræ sanctitatis præsentiam transmittuntur in signum devotionis innatæ, quibus dignemini credere, quæ pro parte mea sanctitatis vestræ audientiæ oretenus reserabunt. Vivat sanctitas vestra salutari & perpetua vita in Domino. Amen.* Violasse Andronicum insigni scelere fidem visuri sumus, cum is sublato parente liberas Imperii habenas nactus Græcos ad vetus schisma, impiorum subornatus consiliis, revocavit; & jam senio gravis Turcos sceleris ultores sensit. At de his postea: nunc quid patriarcha gesserit, afferamus.

Insigne Andronici perjurium.

XXXII. Solemnes episcoporum orientalium conventus habiti Constantinopoli. In iis fides orthodoxa constabilita.

Non suo defuit officio Joannes Beccus patriarcha Constantinopolitanus: celebrata enim Constantinopoli synodo Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem & fidei orthodoxæ magistram, Romanumque Pontificem summum omnium Christianorum pastorem agnovit: professus est processionem Spiritus sancti ex Patre & Filio; sacramentum eucharistiæ in azymo posse confici: tum alia fidei orthodoxæ dogmata una cum orientalibus episcopis est amplexus, ac vetus schisma damnavit. Transmissum est ad sedem apostolicam volumen, in quo concilii acta descripta, tum synodales literæ adjectæ, (a) quæ hac verborum forma conceptæ sunt.

(a) Ext. apud Nic. III. to. 1. l. 1. p. 69.

*Literæ patriarchæ Constantinopolitani & concilii cum professione fidei & recognitione primatus.*

*Sanctissimo & beatissimo summo Pontifici, Apostolicæ sedis veteris Romæ & universali Papæ domino Joanni, Joannes miseratione divina patriarcha Constantinopolitanus Romæ novæ cum omni nostra sacrosancta synodo debitam reverentiam nostræ obedientiæ, ac inclinationem & orationum postulationem.*

Synodales ad Rom. Pontif. lit.

*Principii boni optimum esse finem omnibus absque dubio clare patet. Et quare non, cum omne donum perfectum desursum sit descendens a Patre luminum? Hoc enim concesso, consequens est credi omne principium cujuscumque rei optime inchoatæ a divino pendere consilio, & propter hoc necessario tale principium in finem desinere gloriosum. Quod enim a Deo bene inchoatum est, quomodo non optime terminabitur auxiliante Deo quale quid factum est, super iis, de quibus nunc propositum est nobis dicere, o divinum & sacrum caput. Nam ecclesiastica unione feliciter incœpta tempore felicis memoriæ beatissimi illius viri, si tamen virum & non angelum vocari oportet felicem illum sanctissimum Papam decimum dicimus Gregorium ad gloriosiorem finem, quam ad ipsam videlicet unionem summus Dominus consummavit in diebus, in quibus ad decorem Apostolicæ sedis, & illuminationem perspicuam firmamenti universalis Ecclesiæ vos, nomine gratiæ nominatum, Deus eligendo constituit. Quod quidem Apostolicæ sedis nuncii, reverendissimi scilicet fratres nostri & coepiscopi Jacobus Ferentinus & Gaufridus Taurinensis, & de Deo accepto ordine Prædicatorum religiosissimi nostri fratres Raynonus prior Viterbiensis & Salvus lector Lucanus, vestræ sanctitatis orationibus prosperati, pervenerunt ad sanctos & potentissimos nostros moderatores, & ad nostram humilitatem, & ad eam, quæ apud nos inventa est sacram & sanctam synodum relictam ab universitate magnæ synodi, quæ apud nos paulo ante fuerat celebrata: dictæ ecclesiasticæ unionis inchoatio, auctore Deo, absque defectu fine prospero consummata est.*

Gregorii X. elogium.

XXXV.

*Et quomodo quidem potens & sanctus moderator noster cum divinitus germinato ramo radicis, sacro, potenti, & sancto nostro moderatore confirmationem ecclesiasticæ unionis in fide perfecta & diligenti certitudine fecerunt, poterit noscere maxima sanctitas vestra; & ab ipsis, qui ad ipsam mittuntur, literis potentiæ suæ, & ab instrumento juramentorum factorum per ipsos, & ab iis, quæ Apostolicæ sedis nuncii oretenus divinis auribus vestræ insonuerunt sanctitatis. Quomodo quoque nos robur præstamus & finem apponimus glorioso principio hujusmodi operis unionis, poterit scire vestra a Deo magnifica sanctitas, & a volumine synodicali, quod sibi ostendetur, quod humilitas nostra cum toto sacro ipsius conventu firmavit & roboravit subscriptionibus manualibus, quæ apud nos vigorem obtinent juramenti. Habet insuper noscere, & ab iis quæ in præsenti scripto specialius nos dicemus omnimode, præbentes vestræ apostolicæ sanctitati certitudinem nostræ ad Apostolicam sedem puræ perfectæque obedientiæ. Dicimus enim, sub testibus Deo & angelis verba facientes, quod omne schisma inter ecclesias Dei, veteris Romæ scilicet & novæ nostræ, male introductum in læsionem Christianitatis aspernimus & abiicimus; & præcordiali affectu, & ex tota anima prius ipsum deponentes, per linguam, & labia, & prolativum nostrum sermonem etiam in præsenti scripto ipsum abnegamus: & ecclesiasticam pacem & unitatem, & primatum Apostolicæ sedis confitemur, recognoscimus, acceptamus, & sponte suscipimus: & ad ipsius obedientiam spontanei venientes, ratum habere, & conservare immutabile promittimus & asserimus, & eas prærogativas, quæ a principio ante schisma præstabantur Apostolicæ sedi ab illis, qui pro tempore pontificio in Constantinopoli fungebantur, integra & inviolabilia promittimus conservare. Schisma enim, quod in medio intercessit, intimo cordis affectu & tota animi voluntate aspernentes compaginamus & coaptamus nosmetipsos lineæ Pontificum illorum, qui ante schisma Apostolicæ sedi veteris Romæ suam obedientiam canonice & legitime conservabant: & nihil omnino imperfectum omittere pollicemur de iis, quæ ante schisma illi divi & sancti Imperatores Apostolicæ sedi præstando roborarunt; & affirmarunt insuper etiam & de iis quæ in sacris conciliis patres nostri ad ipsius obedientiam demonstrabant se conservare. Rursus ad Apostolicam sedem confirmamus inviolabiliter, & integre omnes prærogativas & privilegia, quæ ante schisma reverendi & beati Imperatores, & deiferi patres nostri doctores ad primatum Apostolicæ sedis in obedientiam ostendebant, videlicet, quia ipsa sacrosancta Romana ecclesia summum & perfectum primatum & principatum super universam catholicam Ecclesiam obtinet, quæ in seipsa ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe seu vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum plenitudine potestatis recepisse, vere ac humiliter recognoscimus: & quemadmodum præ aliis tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Ad hanc potest quilibet gravatus in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare, & in omnibus causis, ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest recurri judicium: & eidem omnes ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarumque prælati obedientiam & reverentiam sibi debent. Apud hanc autem plenitudo potestatis consistit, quod ea, quæ cæteræ ecclesiæ, & patriarchales specialiter, diversis temporibus privilegia obtinuerunt, sanctionibus beatorum sanctorum Imperatorum illorum, & canonicis sanctionibus & reformationibus sacrorum & divinorum conciliorum, eadem Romana ecclesia confirmavit & roboravit; & non aliter obtinuerunt confirmationem ecclesiarum hujusmodi prærogativæ, nisi eadem ecclesia Romana suum super iis judicium & sententiam protulisset, sua tamen prærogativa tam in generalibus conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva. Et de abnegatione quidem schismatis, & recognitione primatus Apostolicæ sedis tanta sint dicta.*

Scriptum in Synodo volumen transmissum ad Pont.

Patriarcha & præsules Pontifici obsequentes futuros profitentur.

Datum a Christo Pontifici primatum agnoscunt.

XXXVI.

*Quoniam autem multum schismatis tempus opinionem quibusdam vanam & falsam tribuit, quod sit aliqua differentia dogmatum inter utramque ecclesiam, Græcam videlicet & Latinam, propter in symbolo factam additionem per Romanam ecclesiam, oportet utique nos libellum fidei exponere, ex quo vestra adeo magnifica altitudo, & tota Romana ecclesia cognoscet, quod nulla differentia fidei est iis, qui symbolum primi Nicæni concilii legunt, & qui symbolum Constantinopolitani secundi concilii prædicant, & iis, qui hoc symbolum, quod a Romana ecclesia legitur & cum additione, venerantur.*

Vetus schisma damnant.

Suam de Deo trino & uno fidem exponunt.

*Credimus enim in unum Deum ingenitum Patrem omnipotentem, immortalem, invisibilem, impalpabilem, universum implentem, & super omnia existentem, conditorem totius creaturæ visibilis & invisibilis, corporalis & spiritualis. Et in unum Dominum Jesum Christum, verbum, unigenitum Filium, æternum ab æterno Patre, principium de principio, lumen de lumine, Deum de Deo, omnipotentem de omnipotente, æqualem incommutabiliter generanti Patri, prout ipse Dominus in Evangelio asserit, dicens: Qui videt me, videt & Patrem; qui ante omnia sæcula natus ineffabilem & intellectu incomprehensibilem habet nativitatem: Generationem ejus quis enarrabit? sacra fatentur eloquia, hoc est nullus. In consummatione sæculorum descendit inseparabiliter ex paterno sinu * intemeratam & sem-*

De verbo incarnato.

* in

De redemptionis nostræ mysteriis.

*per virginem Mariam, & nostram ex ipsa assumpsit naturam, carnem videlicet humanam cum anima rationali, non secundum fantasiam, sed secundum veritatem; neque supernam & intemporalem nativitatem adoptatus, neque secundum inferiorem temporalem: naturalis enim existens & verus Filius Dei, naturalis & verus & semper virginis Mariæ ipse idem filius existit, qui carnem accepit ex ipsa, visibilem invisibilis, mortalem immortalis, passibilem impassibilis, palpabilem impalpabilis: in qua carne & pro nobis sponte suscepit passionem vera carnis passione: mortuus & sepultus, & descendens ad inferos, & tertia die, secundum scripturam, resurgens a mortuis vera carnis resurrectione. Post quadraginta a resurrectione sua a mortuis ascendit ad cœlos, cum eadem, qua resurrexit, carne & anima: & sedet ad dexteram Dei Patris introitum in cœleste regnum nobis elargiens. Qui venturus est iterum judex vivorum & mortuorum, redditurus unicuique secundum opera sua.*

XXXVII De processione Spiritus Sancti a Patre & Filio.

*Credimus eodem modo & in Spiritum sanctum, omnia scrutantem, & profunda Dei, qui naturaliter inest Deo & Patri & essentialiter insitus est, ut ita dicamus, & indivisibiliter ex ipso procedens; naturaliter inest & Filio, & essentialiter illi insitus est, & indivisibiliter ex ipso procedit: profunditur quod enim idem procedit: quemadmodum a fonte Deo & Patre: profunditur autem & ab ipso Filio, quemadmodum a fonte, velut utique & ex ipso Deo & Patre: sed licet Pater fons Spiritus sit, & Filius fons Spiritus sit, non tamen duo fontes Spiritus sunt Pater & Filius: unum enim fontem Spiritus Patrem & Filium fidelis & pia intelligentia tenet: & propter hoc communem Patris, & Filii Spiritum S. Ecclesiæ luminaria & doctores theologizarunt: sicut enim de substantia Patris naturaliter Spiritus est; sic & ex substantia Filii naturaliter Spiritus est: & sicut secundum substantiam existit Dei & Patris, ita & secundum substantiam Filii existit: & ut proprius est essentiæ Patris, & non extra hanc procedens in esse, ita & essentiæ Filii proprius est, & non extra hanc procedens in esse: naturalium enim bonorum Dei & Patris essentialiter existens Filius communicator, habet Spiritum, sicut unusquisque nostrum proprium in seipso continens spiritum & ex intimis visceribus ad extra profundit ipsum: propter quod & corporaliter ipsum discipulis insufflavit, quia inspiratione Filii Spiritum novimus, & sensum Christi Spiritum esse ab Apostolo edocti sumus; unde unam esse catholicam & sanctam apostolicam Ecclesiam confitentes, in qua unum datur baptisma, & vere remissio omnium peccatorum, tribus personis, scilicet Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in quibus & ad quas personas baptizamur, gloriam referimus, sicut uni Deo; & ipsas tres esse cognoscentes personas, unum Deum omnipotentem ipsas cognoscimus, totamque in Trinitate deitatem coessentialem, coæternam, & coomnipotentem; unius dignitatis, unius potentiæ, unius voluntatis, unius operationis; singulam sanctæ Trinitatis personam Deum plenum & perfectum prædicantes, & confitentes. Et ita credentes gloriam offerimus Patri, gloriam offerimus Filio, gloriam offerimus Spiritui sancto. Credimus veram resurrectionem nostræ carnis, quam in præsenti vita gestamus, & futuram vitam æternam perpetuam expectamus. Credimus etiam ipsum & unum Deum actorem esse & dominum omnipotentem, veteris & novi testamenti, prophetarum & Apostolorum: in Trinitate unum cognitum Deum benedicentes nunc & in sæcula. Amen. Et hoc quidem usque in tantum.*

Non duo, sed unum Spiritus sancti esse principium.

XXXVIII De Pœnitentia.

*Ex quo autem sancta Romana ecclesia propter diversos errores a quibusdam ex ignorantia, ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum; & si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas in igne purgatorii post mortem purgari; & ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse iis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta; & illorum quidem animas, quæ post sacrum baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerint, illas etiam, quæ post baptismum maculam peccati contraxerunt, vel in suis manentes corporibus vel eisdem exutæ, sicut superius dictum est, sunt purgatæ, mox in cœleste regnum recipi; illorum autem animas, qui cum mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis disparibus puniendas; & quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem; quoniam quidem sancta ecclesia Romana sic dicit & prædicat, recipimus hæc & confitemur, quoniam sanctorum patrum divinæ scripturæ ipsa continent.*

De Purgatorio.

XXXIX. De septem Sacramentis.

*Cum autem iterum cum suprascriptis sancta apostolica ecclesia Romana dicit, & prædicat, quod septem sunt ecclesiastica sacramenta, baptismus, de quo dictum est supra; sacramentum confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt chrismando renatos; pœnitentia, eucharistia, sacramentum ordinis, matrimonium & extrema unctio, quæ secundum doctrinam B. Jacobi infirmantibus exhibetur; dicimus & de iis hæc baptismum hoc recipimus: & confitemur sicut secundum confirmationis sacramentum, licet apud ecclesiam Romanam per impositionem manuum soli episcopi conferant chrismando renatos, apud nos autem indifferenter prælati & presbyteri hoc faciunt; tamen nos eam, quæ hactenus apud nos obtenta fuit consuetudo, in ipsa ordinatione conservantes, quod a Romana ecclesia super ipsa fit, sanctificativum & perfectivum esse confitemur. Pœnitentiam & ipsam amplectanter confitemur & recipimus. Eucharistiam & ipsum sacramentum Eucharistiæ, per sanctam ecclesiam Romanam ex azymo pane confectum, secundum ipsius antiquam consuetudinem per ipsam hactenus veneratam; similiter illud, quod per nos conficitur Sacramentum dicimus esse indistanter, credentes & nos ipsum azymum panem in ipso sacro officio Eucharistiæ vere transubstantiari in corpus domini nostri Jesu Christi, & vinum in sanguinem ejus per suam sanctissimi Spiritus virtutem & operationem: a nobis iterum ex fermentato confectum pane, Sacramentum etiam illud cognoscimus, quod & conservantes sicut a principio nobis traditum. Credimus similiter ipsum panem vere transubstantiari in corpus, & vinum in sanguinem domini nostri Jesu Christi per sanctissimi Spiritus, ut dictum est, virtutem & operationem. Sacramentum ordinis & ipsum amplectanter confitemur & recipimus. Matrimonium, de quo tenet ipsa ecclesia Romana, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier simul habere permittitur plures viros; soluta vero lege matrimonii per mortem alterius conjugum, secundas, & tertias, & deinde nuptias legitime factas successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum, & causa alia non obsistat; recipimus eodem modo, & de ipso idem dicimus nos. Extremam unctionem etiam ipsam recipimus. Similiter cum aliis, quæ & a nobis celebrata eptapapadum nominatur. Unum summatim dicamus: cum hæc omnia sic veneretur, & prædicet dicta sancta ecclesia Romana, credimus & dicimus, quod vere fideliter, & orthodoxe docet & prædicat ipsa sancta ecclesia Romana; tamen & sic debemus nos permanere incommutabiliter in ritibus, qui a principio obtenti sunt in ecclesia nostra. Hæc omnia suprascripta ad confirmationem plenissimam, exponentes abnegationis schismatis & puræ ac veræ nostræ obedientiæ ad primatum ecclesiæ Romanæ, & repræsentationem & demonstrationem, quod concors sit plenissime & sine defectu nostra ecclesia secundum fidei orthodoxæ intellectum sanctæ apostolicæ matris omnium ecclesiarum ecclesiæ Romanæ, nostra bulla consueta roboravimus, mense aprilis, quintæ indictionis, sexti milleni septimi centeni octuagesimi quinti anni*, secundo anno pontificatus nostri.* Licet hæ synodi Constantinopolitanæ literæ sedi Apostolicæ gratissimæ acciderint, nonnulla tamen postea a Nicolao III. cui porrectæ fuerunt, desiderata visuri sumus: flagitavit (*a*) enim prædecessorum more, ut Græci præsules præscriptam primum a Clemente IV. ac deinde a Gregorio X. fidei formam suis conceptam verbis profiterentur, nec novam cuderent: tum non modo orthodoxæ fidei in scriptis expositæ subscriberent veteri instituto, sed etiam sacramento ad eam semper profitendam se devincirent: Spiritus sancti processionem e Patre Filioque inter divina mysteria in symbolo decantarent; censuris, quibus ob schisma fuerant irretiti, exolvi supplices ab sede Apostolica deposcerent; nonnullaque alia exegit, de quibus inferius agendum erit.

De Transubstantiatione in Euch. sive ex azymo vel fermentato.

* is incidit in annum Chr. 1277.

Quæ præterea in Græcis desiderata.

(*a*) *Lib. 1. ep. cur. 152.*

XL.

In superiori præterea Constantinopolitana synodo Joannes Beccus eorum, qui orientali ecclesiæ ad Romanæ obsequium revocandæ repugnabant, perfidiam constanter infregit: subortum enim tum inter Græcos novum schisma deplorat Pachymerius (*b*) auctor schismaticus, cum recurrente sacro Apostolorum principi die coram Imperatore & Latinis oratoribus, Nicolao Chalcedonensi sacris operante, Evangelium Latine & Græce perlectum esset; atque a diacono Papæ Gregorii summi apostolicæ, & œcumenicæ Ecclesiæ Pontificis mentio inter divina celebrata esset: tum enim plures se ab ecclesiæ Constantinopolitanæ conjunctione divulsisse, atque a sacra synaxi refugisse, præteritumque Arsenianum schisma auctum. Deinde in sacræ conjunctionis auctores invehitur, satiusque longe fuisse, Græcos a Latinis discissos, quam post initum cum iis fœdus mutuo inter se dissidere, temere asserit. At qui a sanctissimo opere abhoruere, non sapientes ac sacrarum periti literarum, sed pervicaces hypocritæ, vel novarum rerum cupidi extitere.

(*b*) *Georg. Pachym. Græc. hist. l. 5.*

Nonnulli Græci in veteri schismate obfirmati.

Cujus conditionis ii extiterint.

XLI.

Adversatos enim acerrime ecclesiarum conjunctioni, cui clarissimi quique viri atque antistites Asiæ, & Europæ, ut vidimus, assenserant, mendiculos impostores, qui ut theologiæ expertes erant, ita mulierculorum instar conceptæ veteri sententiæ addictissimi, ut refert Nicephorus Gregoras, qui ita eos describit: *Ma-*

(a) Nicepb. Greg. hist. Rom. l. 5. init.

Pseudomonachorum insignis improbitas.

Nicephorus despota & dux Patræ deficiunt a Palæologo.

(a) *Maxima pars veri judicii expers fæx plebis, & circumforanea turba asperis, velut in scena, palliis induti, ubique sparsim & passim vagati sunt, ubi Christianos esse audiverunt, in Peloponneso, inquam, & Achaja, & Thessalia, & Colchide, ubique denique gentium extra ditionem Imperatoris, neque universalem pacem conservare volentes, neque inter se se; sed alii aliis nominibus ascitis, partim Arsenii aut Josephi patriarchæ sectam profitendo, partim alia jactitando, tempus terebant, plerique decipientes & decepti: nec enim deerant qui oracula in vicis & urbibus quasi modo a Dei conspectu reversi cantarent lucri utique causa & ad implendos saccos.* Arripuere tum etiam novandarum rerum occasionem Nicephorus despota, & Joannes dux Patriæ, in quorum ditione centum sordidi pseudomonachi cum paucis episcopis conciliabulum contra rem catholicam coegerunt (b). Dum vero Palæologus adversus perduelles parabat arma, Joannes Beccus in Constantinopolitano concilio anathema, subjectis conceptum verbis, in eos jaculatus est (c).

(b) Apud Nicol. III. to. 1. l. 1. p. 102. n. 159.

(c) Ext. ejus lit. in lib. privil. Rom. eccl. to. 3. p. 279. & MS. Vat. Vall. bibl. sig. lit. B. n. 12. p. 297. MS. de rebus Tart. &c.

Habet sarcienda. Coacta adversus perduelles schism. Constantinopoli synodus. Latum in eos a Jo. Becco anathema.

*Joannes miseratione divina Constantinopolitanus patriarcha universis, ad quos præsentes literæ pervenerint, rei gestæ memoriam cum salute.*

*Charitati vestræ notum fieri volumus per præsentes, quod nobis existentibus in concilio Constantinopolitano, congregato pro discutienda scissura dudum facta inter ecclesiam Latinam & Græcam per illum, qui unitati invidet, & una cum ipso sacrosancto concilio deliberatione habita omnes schismaticos, ac unionis ecclesiasticæ turbatores, qui prope & longe sub pertinacia sua ubicumque existant; qui non recipiunt sanctam Romanam ecclesiam esse matrem, & caput omnium aliarum ecclesiarum, & fidelitatis orthodoxæ magistram, & ipsius summum Pontificem primum & pastorem omnium Christianorum, quocumque fungantur officio vel ordine, pontificali dignitate seu sacerdotali, diaconali; ac omnes alios universaliter schismaticos perturbatores, cujuscumque conditionis aut status existant, sive de imperiali, sive de senatus consilio, aut alicujus alterius conditionis, cum quibus & ipsum Nichiforum Ducam, qui nominatur despotas, & Joannem Ducam de Patra, qui nominatur syntocrator, sicut schismaticos & perturbatores hujusmodi ecclesiæ unionis, & susceptores schismaticorum; & persecutores ipsorum, qui convenerunt ad hujusmodi ecclesiasticam unionem; & sicut illos, qui dividuntur de populitate nostra, & de nostra societate fugiunt propter obedientiam, quam fecimus ad Apostolicam sedem; excommunicavimus, anathematizavimus, ipsosque damnatos pronuntiavimus, & penitus reprobatos. In cujus rei testimonium bullam nostram cum nostra subscriptione solita præsentibus duximus apponendam. Datum Constantinopoli apud sanctam Sophiam anno Domini MCCLXXVII. die veneris, sextodecimo intrante julio indictione quinta.* Incussæ (d) etiam iisdem fuere a nuntiis apostolicis qui versabantur Constantinopoli, ecclesiasticæ censuræ. At non his repressa est schismaticorum perfidia: auctam enim magis Nicephori & Ducæ e Patra ex Latinorum fœdere, questus est Palæologus apud sedem Apostolicam (e) ursitque, ut Latini atque eorum socii censuris percellerentur. Sed de his iterum inferius: nunc alia, quæ excurrente interpontificio acciderunt, conjungamus.

(d) Nic. III. to. 1. l. 1. ep. cur. 152. Et a nuntiis Apostolicis.

(e) Apud Nic. III. to. 1. l. 1. p. 102. n. 159.

XLIII. Ingentes a morte Joannis tumultus exorti. Veneti Anconam mari oppugnant.

Increbuere post mortem Joannis Papæ in Italia novi tumultus, ditionemque pontificiam laceravere. Nonnulli enim Romanæ ecclesiæ subditi mutuis inter se odiis conflixere: atque etiam Veneti Jacobo Contareno duce, comparata classe, Anconam, urbem sedis Apostolicæ dominio obnoxiam, oppugnarunt. Adducit hujus belli causas Andreas Dandulus Venetus auctor (f) his verbis: *Contra Anconam bellum inchoatur, quia Anconitani contra Venetorum edicta victualia per ostia fluminum riperiæ australis præsumpserunt deferre, nec admoniti resipiscere voluerunt. Igitur Joannes Teupulo cum tredecim galeis capitaneus & subsequenter Marcus Michael cum totidem contra eos missi sunt, decretumque est ut facta instantis belli per ducem, consiliarios, & viginti nobiles & sapientes viros debeant agitari, de quorum judicio sex naves, machinis & aliis instrumentis bellicis præparatæ ad exercitum transmittuntur; & Reugerius Mauroceno & Petrus Justiniano, ut Firmanos Venetis favorabiles exhiberent, delegati sunt.* Abducere Venetos cœptis enisi sunt Cardinales, & in memoriam revocatis egregiis majorum erga Romanam ecclesiam studiis monuere (g) si quid injuriarum ab Anconitanis accepissent, id æquitate, non ferro dirimendum, atque ab sede Apostolica jus flagitare debuisse, ne relictam sibi a majoribus gloriam tanto facinore labefactarent. Abscederent ab illius urbis expugnatione: ni facerent, sui esse officii Anconitanorum causam non deserere, atque in eorum auxilium studiosos Ecclesiæ concitare.

(f) Andr. Dand. l. 7. c. 9. in Jacob. Contareno.

(g) Ext. eor. lit. in cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. p. 97.

Cardinales literis nituntur a cœptis ipsos abducere.

*Miseratione divina, &c. Dilectis filiis nobilibus viris duci, consilio, & communi Venetorum salutem in Domino.*

*Insignis Venetiarum civitas, & nobilis universitas Venetorum, evidens ab olim ad Romanam ecclesiam protulerunt devotionis insigne, laudabilium operum evidentia insignitum: talibus eidem Ecclesiæ astiterunt in prosperis, nec ei defuerunt etiam in adversis. Hæc in vos a vestris sunt derivata parentibus: hæc a vobis laudabiliter hactenus observata, ut lætari eadem Ecclesia hucusque potuerit pro devotis patribus devotiores sibi natos. Quanto itaque in iis est fama vestra præclarior, tanto vobis accuratius fuerat, vitanda contrarii qualiscumque suspicio, ne indevotionis signa cujuslibet eo vobis notam graviorem ingererent, quo solent invicem sibi collata contraria clarius apparere. Ideoque non sine causa grandis admirationis audivimus, quod vos, quasi solita circumspectione seposita, hæc facientes a vestræ considerationis intuitu aliena, nec attendentes præsentem ipsius matris Ecclesiæ statum, viduitatis ejus compassi non estis incommodis; sed super vulnerum suorum dolorem addentes, ipsam in terra sua, in civitate videlicet Anconitana, sibi non indigne charissima, utpote quæ ipsi Ecclesiæ adversitatis suæ tempore constanter adhæsit; molestiis acerbis impetitis, semel & iterum contra eam navali exercitu destinato, qui adhuc ipsam, sicut intelleximus, persecutionibus continuatis impugnat.*



Exponunt initio egregium majorum in Ecclesiam studium.

Queruntur ab eo descisceré.

XLIV. Æquitate non armis controversiam, quæ ipsis cum Anconit. intercedit dirimendam.

*Nunquid, si vobis contra civitatem eandem querelæ aliquid competebat, sedes Apostolica deerat, ut ad illam haberi non possit recursus? Nunquid dubitandum forsitan vobis erat, quod tam charis filiis apud matrem satisfactionis ultroneæ, si pateret injuria, vel si foret in dubio, plenæ justitiæ promptitudo deesset? Quid igitur viros tantæ discretionis, tanti consilii sic a semitis rationis abduxit, ut in aggressura civitatis ejusdem vel sequeremini voluntatis impetum, vel si justitia suberat, jus vobis in causa dicendo propria eam in injustitiam verteretis? Porro quid tanto excessui deberetur, advertimus: sed quanta nobis offertur exinde turbationis occasio, ignoramus. Sed quia nescit a charis charitas, etiam læsa, recedere, nos devotionis & obsequiorum vestrorum nequaquam immemores; quamquam civitati prædictæ, quam speciali affectione prosequimur, & dignam novimus multo favore, in sui defensione deesse nec velimus, nec etiam debeamus; tamen excessum eundem, non acerbitate debita persequendum ad præsens fore censuimus, sed paternis apud vos ad ipsius revocationem monitionibus insistendum, universitatem vestram monentes, rogantes, & hortantes in Domino Jesu Christo, ac nihilominus præsentium vobis auctoritate mandantes, quatenus dictum exercitum, & omnes ac singulos, quos contra civitatem eandem destinasse dicimini, absque mora & difficultate qualibet ad propria revocantes, ab omni civitatis ipsius molestatione cessetis. Si quid autem adversus eam putatis forsan vos quæstionis habere, sedem eandem promptam & paratam habebitis ad illam, vel pacis compendio vel vigore judicii, si forte malueritis, celeriter dirimendam. Alioquin civitati eidem protectionem sedis ejusdem nec valentes subtrahere nec volentes, necesse habebimus validioribus uti remediis, quibus per nos & quoslibet ipsius devotos Ecclesiæ tantam injuriam compescamus &c.*

Mulcere eos verbis student.

Jubent ab oppugnatione absistere.

XLV. Incussæ Venetis censuræ.

(a) Extant ibid.

Hæc Venetis Cardinales: qui per alias literas (a) H. dicto Rubeo marchiæ Anconitanæ præfecto, in illius urbis auxilium consurgere, ac Venetis, qui eam conflata classe infestabant, ut a cœptis desisterent, censuras ecclesiasticas incutere jussere. Tum Picenatibus, intentatis gravissimis pœnis, vetant (b), ne Venetis ad oppugnandam urbem opem ullam porrigerent. Suscepit Ecclesiæ sponsæ suæ causam Deus: armasse enim in Venetos procellas ex Andrea Dandulo (c) colligitur: *Cæterum*, inquit, *capitaneus*, nempe Marcus Michael, *secus portum Anconæ anchoras figunt & urbem acriter impugnant. Tandem circa exitum mensis januarii tempestas valida turbavit, & exercitus in mare secessit. Tunc galea Clugiensis rumpitur, & aliæ quinque in plagis Senogalliæ impulsæ confractæ sunt: tres quoque in Firmo, & cæteræ in Dalmatia pericula evaserunt. Naves quoque, quæ ad exercitum navigabant, accedentes stolum invenere secus Anconam, suum iter prosequuntur. Tunc Anconitani, pluribus paratis galeis, cum insigniis Venetorum ad naves veniunt, & duas ex improviso capiunt, & reliquæ in Dalmatiam redierunt. Dum autem hæc Venetiis patefacta sunt, decretum est ut capitanei cum ignominia redire debeant, & sicut offensores reipublicæ in centum marchis argenti pro quolibet * contemnenti. Denuo tunc reparato stolo Pangratius Maripetro, successor creatus obsidionem urbis Anconæ innovat, & durius solito eam impugnat.* Irritos fuisse hos conatus, ex eodem auctore intelligitur, dum subdit: *Dux autem & Veneti turbati post reditum Pangratii Maripetro, qui Anconitanis multa damna intulerat, Bocasium Aurio cum octo galeis pro offensione hostium, & navigantium tutela, & Jacobum molino ad obsidendum Anconam cum exercitu mandaverunt.* Consenuit hoc bellum, iterumque Jacobus Contarenus dux quarto ducatus anno Marinum Daurum viginti quatuor triremibus invectum, ac dein quinto Marcum Cornarium ingenti subnixum classe immisit: sed omnes ii impetus Jacobi Contarreni, quam Joannis Danduli, qui

(b) Ead. ep.

(c) Ubi sup.

Veneta classis vi procellæ illisa.

* condemnati.

qui cedente ducatu Contareno, Venetæ reipublicæ habenas capessivit, ab Anconitanis excepti strenue, propulsatique fuere: quæ licet distincta temporibus hoc loco congerere visum est.

Æsculani Marchiam turbant.

Nec Veneti modo vacante sede Picenum adduxere in periculum, sed etiam Æsculani gravissime afflixere. Vacantis namque sedis occasionem aucupati sævissimos motus concitarunt: oppidum enim, cui Furcis nomen est, præsidiario milite ab Anconitanæ marchiæ profecto munitum impetu cepere: ac nullo sexus ætatisve discrimine majori civium parte ferro cæsis, alios in vincula abduxerunt. Tum hostiles impetus in ditionis pontificiæ alia oppida Castenianum & Scalelle convertere. De qua conjuratione certiores facti Cardinales, Æsculanis præcepere (*a*) ut captum oppidum restituerent, vinctos in libertatem vindicarent, ac furori frænum iniicerent; ni parerent, censurarum minas intorserunt. At sacri purpuratorum patrum collegii gravissimas voces audiamus: *Quæ*, inquiunt, *vos ducit, immo potius seducit intentio? Quis vos hac malitia imbuit? Quis vos tanta complevit astutia, ut vacationis Ecclesiæ tempora captaretis? Nunquid velut escam panis subditos ipsius vorabitis, contra quos sic astute, sic ardenter malitiam exercetis? An abbreviatam creditis manum ejus, ipsiusque debilitatum brachium, ut in suorum defensionem suæ virtutis dexteram non possit extendere, aut ad confringendum vestræ superbiæ cornua fortitudinis suæ brachium exaltare? Cæterum licet eadem mater Ecclesia nequaquam verberibus dominæ careat; quia tamen erga subditos libentius matris uberibus utitur, ideoque ipsorum conversionem appetit, & aversionem ac dispendium salutis abhorret; universitatem vestram monemus & hortamur attente, vobis districtius auctoritate præsentium injungentes, quatenus ab obsidione dicti castri Scalelle sine mora qualibet recedentes, omnino ab ipsius & aliorum castrorum, & terrarum eidem Ecclesiæ subjectarum, nec non & ab omnium subjectorum ejusdem infestatione quavis & molestia desistatis, &c.*

(a) Eod. cod. Vallic. pag. 98.

Objurgantur a Cardin. senatu.

XLVI. Parmenses jura Ecclesiæ invadunt.

Tumultuati etiam Parmenses, qui montem S. Angeli, quem sui juris contendere, invaserunt, ac firmissimo opere muniverunt: quibus cum Raymundus e Nogeriis patrimonio S. Petri in Etruria præfectus objecto censurarum metu denuntiasset, ut ab extruenda arce abstinerent: spectare ratione Mirandæ oppidi ad sedis Apostolicæ ditionem eum locum, in quem nullum jus obtinerent; ipsi, spretis illius imperiis, institere operi majorique celeritate perduxere. Quod ubi accepit sacer Cardinalium senatus, Parmenses audaciæ perstrinxit; si quod ipsi jus contenderent, eo facto jam violatis censuris corrupisse, quod vero extruxerant propugnaculum, evertere imperavit. (*b*) Gravissima porro Cardinalium monita dignissima quæ annalibus inserantur nobis visa sunt: *Est ne*, inquiunt, *hic honor, qui matri debetur? Est ne hic timor dominæ a subditis exhibendus? Num sic fidelitas ad dominos observatur, quorum tenentur vassalli corpora & jura tueri? Num vos excusat fictio illa, quam sine veritate confingitis, montem, de quo agitur*, nimirum S. Angeli, ob castrum Mirandæ ad Rom. ecclesiam spectantem (*c*), *vestrum esse? Cum etiamsi veritas hujusmodi fictioni subesset, prohibitione tamen & denunciatione præmissis factis non solum auctoritate prætoris, immo ab ipso prætore adeo pareri nihilominus debuisset, quod opus postmodum taliter acceptatum demolitioni subjacet sive jure, sive injuria opus fiat, &c.* Subdunt ut excitatam turrim deiiciant, ac loco cessant: si de suo jure confidant, illud coram Apostolica sede disceptent: brevi nonum Pontificem creatum iri, qui totam controversiam æquitate sit dirempturus.

Arcem in monte S. Angeli extruunt.

(b) Ead. pag. 98.

Correpti a Cardinalibus.

(c) Ead. ep.

Illam solo æquare jussi.

XLVII. Ad conciliandam inter Gall. & Castellæ Reges pacem incumbunt Cardd.

Extendere etiam extra Italiam curas Cardinales. Cum enim Joannes Prædicatorum & Hieronymus Minoritarum summi præfecti a Joanne XXI. ad sopiendas Castellæ & Galliarum Regum discordias legati fuissent; ipsique strenue suscepta ea provincia, magnos adiissent labores, confectaque in ea re instrumenta vacante sede transmisissent; Cardinalium collegium, collaudata ipsorum opera, rescripsit (*d*), ut ad cœptum opus, e quo rei Christianæ salus penderet, incumberent, donec alia ab Apostolica sede imperia accepissent. Hæc erant Cardinalium senatus studia, ut ecclesiasticæ ditioni ac rei Christianæ consulerent: qui ad avertendam imminentis Italiæ alterius belli procellam conatus suos adhibuerunt. Apparabat enim transilire in Italiam Rodulphus, ut Imperii jura, quæ diuturno interregno periisse vel consenuisse videbantur, revocaret. Non parum vero a Carolo, qui vicarium Imperii agebat in Etruria, animo erat abalienatus, ac res in apertum bellum eruptura timebatur. Et licet a Romanis Pontificibus Gregorio X. Innocentio V. Adriano X. Joanne XXI. pertractata res fuisset, ut iidem principes mutuo concordiæ fœdere controversias deciderent; ejusmodi tamen consilia ob immaturam tot Pontificum mortem perducta in opus non fuerant, quamvis Siciliæ Regis oratores sub Joanne ad prosequendum perficiendumque tractatum paratos se obtulissent. Tridentinus enim episcopus, qui eam provinciam Rodulphi

(d) Ead. pag. 98.

Et redintegrandum intet Rodulphum, & Carolum Reges fœdus.





phi nomine gerebat, re infecta abscessit, ac tum Cardinales, qui pontificiorum consiliorum participes extiterant, Rodulphum rogavere, ne exercitum in Italiam transmitteret; neve ipse descenderet, antequam cœptus ineundi fœderis tractatus perfectus esset, qui secus retardandus abrumpendusve timeretur. Præterea flagitarunt ut Pentapolim atque exarchatum Ravennæ Ecclesiæ restitueret. Ad quæ obtinenda Martinum Cusanum e sacra Dominicana familia Rodulphum in Germania adire jusserunt (*a*).

Parat in Italiam expeditionem Rodulphus.

(a) Ib. p. 67.

*Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, excellenti & magnifico principi domino Rodulpho Regi Romanorum illustri, charissimo ipsius Ecclesiæ filio, salutem in Domino.*

XLVIII. Cardinales illius votis contrarii.

*Quamquam de vacatione sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris nostræ multipliciter anxiemur; quamquam illius consideratio corda nostra incessanter affligat, & filialis noster affectus ad eam ad illius provisionem utilem, quam totis præcordiis a Domino instanter exposcimus, sic nos urgeat, sic universos conatus nostros vinculis solidæ charitatis astringat, ut nimirum a considerandis aliis quasi penitus abducamur; quia tamen totius orbis, & vester præcipue, ac aliorum Christianorum principum status pacificus nostris admodum insidet animis, continere non possumus quin ad illum nostræ convertamus considerationis intuitum, & ad procurandum & conservandum eundem studiosæ solicitudinis efficacem operam impendamus: præsertim cum ad id nostrorum patrum Romanorum Pontificum recentia exempla nos excitent, in quorum prosecutione cum de nostro consilio & deliberatione processerint, non solum eorumdem Pontificum factum prosequimur, sed & nostrum, sicut infrascriptorum series manifeste declarat.*

Significant priusquam in Italiam veniat firmandam cum Carolo concordiam Gregor. censuisse.

*Novit siquidem excellentia regia, quanta felicis recordationis Gregorii Papæ X. tempore fuerit solicitudine ac instantia laboratum, ut vestris gressibus in via pacifica positis, vestræ promotionis negotium quietius procederet, & securius duceretur; ad quod, sicut nostis, varios idem Pontifex perutiles tractatus assumpsit, quos finaliter consummari ejus, prout Domino placuit, de hoc mundo vocatio non permisit.*

Et Innocentium V.

*Quare venerandæ memoriæ Innocentius Papa V. ejusdem Gregorii in papali dignitate successor, consulte considerans, quod tranquillitati status publici, & vestris præcipue commodis, quibus in hoc providere paterno intendebat affectu, expediebat, ut tractatus hujusmodi ante vestræ serenitatis adventum in Italiam firmitate debita vallarentur, magnitudinem regiam duxit per apostolicas literas rogandam in Domino & hortandam, vobis nihilominus persuadens, ut quanto possetis celerius aliquos viros idoneos, pacem & concordiam gerentes in votis, & a vobis plenum habentes ad præmissa mandatum, ad eadem vestro firmanda nomine curaretis ad suam præsentiam destinare: cum expediret omnino, & suæ propterea voluntatis existeret, ut iter ad veniendum in Italiam non assumeretis; & si assumpseratis, nequaquam assumptum prosequeremini, antequam præmissa forent soliditate congrua roborata, venerabili fratre Bernardo episcopo, tunc electo Albiensi, ad vestram propter hoc præsentiam destinato, qui causas utiles & necessarias, * non immerito Pontificem ipsum Innocentium ad ista movebant, & voluntatem suam super illis, quanquam in prædictis literis patenter expressam, manifestius aperiret, quam ex affectu sincero consuluerit, & cum fratribus suis consulta deliberatione præhabita voluerit adimpleri. Tandem venerabili fratre Basiliensi episcopo, vestro tunc nuncio, ad sedem Apostolicam accedente; ac excellente principe domino Carolo illustri Rege Siciliæ, charissimo ipsius Ecclesiæ filio, apud sedem existente prædictam; præfatus Pontifex Innocentius laboravit solicite, ac diligenter interposuit partes suas, ut tractatus hujusmodi optatum exitum sortirentur.*

* quæ Missum ea de causa Albiensem episcopum.

Ob illius mortem abruptum pacis tractatum.

*Sed eodem Pontifice Innocentio, sicut de dispositione processit Altissimi, eum incurrente infirmitatis articulum, in quo temporalis cursum vitæ finivit, tractatus ipsi desideratæ consummationis effectum consequi minime potuerunt.*

XLIX. Adrianum V. illum redintegrare molitum.

*Insuper piæ recordationis Adrianus Papa V. eidem Pontifici Innocentio in apostolatus succedens officio, voluit ut idem Rex se conferret Viterbium pro memoratis tractatibus prosequendis, ubi venerabiles fratres . . . Sabinensem episcopum Joannem S. Nicolai in carcere Tulliano, & Jacobum S. Mariæ in Cosmedin diaconos Cardinales super prosecutione hujusmodi deputavit.* Horum duo postremi postea summi Pontifices renunciati, quorum prior, ut dictum est, Nicolai III. alter Honorii IV. nomen accepit. *Sed quia prædictus Pontifex Adrianus post promotionem suam brevissimo tempore supervixit, assumpta prosecutio ad id, quod prosequentium intendebat instantia, non pervenit.*

Rem perducere meditatum Joannem XXI.

*Demum felicis recordationis Joannes Papa vigesimus primus ad apicem apostolicæ dignitatis assumptus, licet libenter super hujusmodi tractatibus fuisset eorumdem prædecessorum suorum studia prosecutus; quia tamen nec præfatus Basiliensis episcopus, nec quivis alius ad hæc transmissus,*

*sus, vel a vobis habens ad præmissa mandatum, vestro firmanda nomine, in Romana curia præsens erat; ipse desiderans præmissum negotium scandalis & impedimentis quibuscumque submotis, ad pacificum & desideratum exitum devenire, ut processus vester quietior esse posset; & propter hoc laudabiles in iis eorumdem prædecessorum suorum semitas prosequens, magnificentiam vestram per suas literas attente rogavit, & hortatus est in Domino Jesu Christo, ut cum omni festinantia, qua possetis aliquos viros idoneos pacis & concordiæ zelatores, plenum a vestra celsitudine ad præmissa mandatum habentes, ad eadem vestro firmanda nomine ad ipsius præsentiam mitteretis: cum expediret admodum, & propterea suæ voluntatis existeret, ut iter ad veniendum in Italiam non assumeretis: & si assumpseratis, nequaquam assumptum prosequeremini, donec eorumdem tractatuum exitu cognito, vobis ab eo super adventu vestro ipsius & Apostolicæ sedis beneplacitum per literas speciales & nuncios certitudinaliter panderetur,*

Vetuisse ipsi ne Italiam re non pacata ingrederetur.

I. *Voluit quoque idem Pontifex Joannes, ut prænunciaretis eidem, quando viros eos venturos ad suam præsentiam verisimiliter crederetis, ut interim procuraret, quod & præfatus Rex de suis provideret propter hoc nuntiis destinandis, qui cum viris eisdem in curia Romana concurrerent, quo magis utrisque præsentibus in eorumdem prosecutione tractatuum processus efficax haberet; & nihilominus dilectum filium fratrem Bartholomæum de Amelia de ordine Minorum ad vestram celsitudinem destinavit, causas utiles & necessarias, quæ ipsum non immerito ad præmissa efficaciter inducebant, & voluntatem suam super illis apertius expressurum, quam ex affectu puro consuluit, & nobiscum consulta deliberatione præhabita voluit adimpleri.*

*Profecto intendebat hujusmodi præmissorum Pontificum Romanorum, & specialiter Innocentii & Joannis paterna provisio quieti status publici, & vestris, sicut in literis eorumdem exprimitur, singulariter volens providere profectibus, ut omni diligentia caveretur, ne per vestrum aut vestræ militiæ, sive gentis adventum in Italiam, ad seditiosorum susurra, quibus, plusquam expedit, refertus est orbis, vel eorumdem immissiones malevolas aliquid turbationis insurgeret, quod dictorum consummationi tractatuum impedimenti obicem ministraret. Verum licet & vos memorato Pontifice Joanne adhuc vivente, venerabilem fratrem nostrum Tridentinum episcopum propter hoc ad eandem sedem duxeritis destinandum, qui eodem Pontifice Joanne, prout ille, qui aufert spiritum principum, permisit, de hac luce subducto, a curia præfata recessit; & nuntii præfati Regis, propter hoc eandem sedem e vestigio adeuntes, se pro parte ipsius Regis paratos obtulerint ad eosdem tractatus prosequendos, & prout esset expediens, consummandos; tamen propter memorati obitum Pontificis Joannis, & ipsius episcopi Tridentini recessum, nullus in eisdem tractatibus potuit haberi processus, nec est de ipsis, prout desideramus, communibus utilitatibus satisfactum.*

Veniente ad rem perficiendam Trident. episcop. Joannem e vivis ereptum.

*O utinam princeps inclyte, toti orbi nobis & vobis fuisset ex alto concessum, ut aliquo prædictorum Pontificum longiori vita donato, tractatus ipsi consummationem votivam & mundo perutilem recepissent! O utinam vel nunc nostris desideriis & totius Christianitatis commodis annuat divina clementia & celeriter, ut optamus, idoneum Ecclesiæ suæ pastorem indulgeat, cujus circumspecta providentia, & provida circumspectio cunctis Christianitatis occurrat incommodis, & in iis & aliis opportunum antidotum suæ provisionis apponat! Sed ne interim quæ per eosdem Pontifices, præcipue Innocentium & Joannem de nostro consilio processerunt, non sine verisimili grandis conjectura discriminis, negligere videamur, eorumdem Pontificum provisionem laudabilem de nostro consilio inchoatam imitatione, commodis publici status accommoda, prosequentes; serenitatem regiam affectuose rogamus & hortamur in Domino Jesu Christo, celsitudini vestræ attentius suadentes, quatenus aliquem, vel aliquos viros idoneos, zelatores tranquillitatis & pacis, plenum a vestra magnificentia mandatum habentes, ad tractatus eosdem prosequendos nomine vestro, Deo auspice, consummandos ad sedem ipsam, quanto celerius poteritis, destinetis, vestræ magnificentiæ literas præmissuri, per quas eidem sedi de adventus nuntiorum ipsorum tempore innotescat, ut & memorati Regis nuncios eodem tempore cum ipsis in eadem curia concurrere procuremus.*

II. Cardinalium senatum Pontificum cœptis incumbere.

Contendunt ab eo, ut oratores mittat ad rem cum Carolo transigendam.

*Speramus enim in Domino & in omnipotentia virtutis ipsius, quod ipso, in cujus ditione cuncta sunt posita, cui est in facili cuncta perficere sine cujusquam molimine tarditatis, misericorditer faciente, interim erit eidem Ecclesiæ de pastore provisum, qui vestris & sæpefati Regis nuntiis, & præsentibus eisdem tractatibus solerter, prout expedire videbitur, intendet; & eos feliciter, auctore Domino, consummabit. Quæsumus autem & instanter exposcimus, ut quod de vestro adventu in Italiam, per eosdem præcipue Pontifices Innocentium & Joannem, de nostro, ut præmittitur, consilio sunt provisa, diligentius observantes nullam contra præmissam providentiam intentionem in Italiam militiam, sive gentem me-*

III. Omnem se ad id operam adhibituros pollicentur.



*medio tempore destinetis; facturi, quod hujusmodi militia sive gens iter non prosequatur assumptum, si forsan jam iter arripuisset in Italiam veniendi; consultius attendendo, quod ex hoc contra votum & beneplacitum ipsius sedis ac nostrum præmissis tractatibus non levis impedimenti parari posset occasio, & iidem tractatus quam periculosissime impediri.*

Ravennam & Pentapolim Innocentii & Jo. exemplo ab eo reposcunt.

*Cæterum quæ circa ejusdem Ecclesiæ terras, & specialiter exarchatum Ravennæ ac Pentapolim iidem Pontifices Innocentius, & Joannes a vestra magnificentia per prædictos suos nuncios & literas petierunt, nos cum precum instantia repetentes, affectuose deposcimus & rogamus, nunc saltem celeri executione compleri. Advertat itaque regalis circumspectionis industria præsentem ipsius matris Ecclesiæ statum, & beneficiorum ejus non immemor suæ viduitatis incommodis, quibus ad præsens premitur, ab illis auxiliante divina potentia celeriter liberanda, filiali compatiatur affectu. Et ecce, dilecte fili, religiosum virum fratrem Martinum de Tuscan. ordinis Prædicatorum, quem fide dignum perhibet religionis ipsa professio, ad vestram præsentiam destinamus, ut præsentes vobis nostras literas repræsentans, quæ continentur in eis oraculo vivæ vocis exponat. Datum Viterbii Apostolica sede vacante anno, &c.*

(a) MS. cod. Vall. sig. lit. C. n. 49. p. 66.

Paruit (*a*) Rodulphus & Conradum Minoritam misit, qui significaret se oratores ad conciliandam cum Rege Carolo controversiam ad futurum Pontificem missurum. Ut vero repetita hæc iterum a Nicolao III. imperia fuerint, paulo inferius dicetur. Quod ad Carolum attinet; extat in nostro Vallicellano codice Cardinalium senatus syngraphum, (*b*) quo receptum ab eo pro Siciliæ regno octo millium unciarum auri censum professi sunt. Utque similia conjungamus, tum etiam Eduardum Anglorum Regem debitum octennii retro evoluti censum persolvisse testatur (*c*) Martini IV. syngraphum, postea ipsi datum, cum de eo accepto regiis rationibus cautum non fuisset: *De annuo censu mille marcharum argenti, in quo ecclesiæ Romanæ teneri pro octennio jam transacto in festo B. Michaelis de mense septembris tunc currente, anno Domini MCCLXXVII. terminato ipsi Romanæ ecclesiæ fuit pro parte tua per diversas solutiones integre satisfactum, &c. Datum III. non. februar. anno I.*

(b) Eod. cod. Vall. p. 67. Carolus censum Cardinalibus solvit.

(c) Mart. IV. to. 2. p. 20.

LIII. Vacante sede imperatæ fidelibus habendæ apud Deum preces.

Suspensi interim erant expectatione novi Pontificis omnium animi, ac toto orbe ad Deum preces fundebant Christi fideles, ut citius fluctuanti Ecclesiæ suæ rectorem præficeret: singulari tamen jure obstristi erant Romani, quos sacer Cardinalium senatus, dum contrariis acti studiis sententiisque in eligendo Pontifice discreparent, urgendos censuit, ut divino numini ardentes porrigerent preces, ad tantum beneficium ab ipsius effusa clementia eliciendum; solemnique pompa religiosum sacerdotum certo die agmen instrui, ac supplicationes fieri præcepit (*d*). [1]

(d) Cod. Vall. sig. lit. C. n. 49. p. 99.

*Miseratione divina &c. Dilectis filiis rectoribus Romanæ fraternitatis salutem in Domino.*

*Successor Apostolorum Principis Christi vicarius, licet humano sit eligendus ministerio, a divina tamen est implorandus providentia, ut ille sibi vicarium eligat, ad cujus vices gerendas eligitur, ad cujus gregem regendum & dirigendum in salutis semita sibi deputatur. In tanto itaque ab ea munere perutilem ac necessariam provisionem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ obtinendo laboribus multis exactis, nec adhuc nostris desideriis optato impletis effectu, nostram circa hoc desideramus instantiam devotarum orationum opitulatione fulciri: sed præcipue cleri & populi Romani utriusque sexus, quorum est ad eandem ecclesiam nota devotio, quorum ad id singularis concurrit affectio, quos ad hæc, tanquam peculiarem ipsius ecclesiæ populum specialius interesse solicitat, & singularius tanquam ipsius filios speciales invitat. Ideoque discretioni vestræ præsentium tenore mandamus, quatenus per vos & alios, quos ad hoc idoneos esse videritis, homines religiosos, & eosdem clerum & populum Urbis (in qua ipsius Apostolorum Principis, cujus devote petimus successorem, & coapostoli ejus Pauli aliorumque Apostolorum sanctorum venerandæ reliquiæ promptiorem orantibus exauditionis gratiam repromittunt) ex parte nostra rogetis & solicitetis, monitionibus ac exhortationibus inducatis, ut ex totis præcordiis humiliato spiritu & corde contrito devotas ora-*

Solemnes supplicationes pro obtinendo probo Pont. celebrari jussæ.



NOTÆ [1] DUm electio futuri Pontificis agitaretur, cum inter Cardinales convenire non posset, Viterbienses ad urgendum cunctantes septem illos electores (nam totidem superserant) in ædibus publicis Viterbiensibus concluserunt, constitutionem de conclavi Pontificio a Joanne XXI. abrogatam facto ipso innovantes. Ignotum id historicis, qui ad hæc usque tempora de rebus pontificum Romanorum scripserunt, adnotavit, qui per hæc forte tempora scribebat, author Chronici Parmensis (Rer. Italic. tom. IX.) qui in annum 1309. opus illud perducit. MANSI.

*tiones & sedulas fundentes ad Dominum, processionem nihilominus ad id die congruo propter hoc facturi solemnem, suppliciter ab ipsius clementia flagitent, & instanter implorent, ut ipse cujus omnipotentiæ nihil resistit, cui cuncta sunt facilia, celeriter per nostræ humilitatis ministerium de pastore idoneo ecclesiæ præfatæ provideat: cujus opera & coram hominibus luceant, & in conspectu Altissimi placeant: cujus zelus sic in exequendis mandatis Domini ferveat, quod nunquam in illorum prosecutione torpescat. Datum Viterbii* VII. *kal. octobris anno Domini MCCLXXVII. Apostolica sede vacante.*

## NICOLAUS III.

Cardinales inter se de creando Pontifice dissentiunt. Extra conclave liberius exeunt. Includuntur a Viterbiensibus.

Elapsis postea integris duobus mensibus, post varias controversias inter Cardinales Gallicæ atque Italicæ nationis, cum suæ gentis Pontificem creare contenderent, ac discordiam augeret nimia patrum libertas ob solutam Gregorii X. constitutionem Viterbienses tantæ impatientes moræ, Cardinales, qui tum octo numero erant, prætorio civitatis inclusere; ac desolato orbi patrem dare coegerunt (*a*): *Nicolaus*, inquit Jordanus, (*b*) *natione Romanus de Ursinis*. Et infra: *electus est in festo B. Catharinæ Viterbii*. Et infra: *Proprium illi nomen fuit Joannes Cajetani. Fuit diaconus Cardinalis tit. S. Nicolai in carcere Tulliano, moribus valde compositus & discretus*. Prædixisse olim illi puero pontificiam dignitatem S. Franciscum refert idem auctor: *Cum esset, puer*, inquit, (*c*) *pater ejus, qui erat de tertio ordine, eum B. Francisco obtulit: & B. Franciscus ait, quod non esset frater habitu, sed futurus defensor ordinis sui, & tandem dominus mundi*. Commendasse enixe ipsi infantulo suam familiam, eundem sanctum divino collustratum lumine addunt Franciscani annales (*d*): nec viri expectationem exitus fefellit. Ætate adultior in Eboracensi, Suessionensi, & Laudensi ecclesiis sacerdotia gessit, (*e*) atque in Urbe SS. Laurentii & Damasi, & S. Chrysogoni ecclesias administravit (*f*); tum ab Innocentio IV. diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano creatus Minoritarum familiæ patrocinium & procurationem sustinuit (*g*). Ab Adriano una cum episcopo Sabinensi & Jacobo S. Mariæ in Cosmedin diacono Card. missus (*h*) Viterbium, ut cum Carolo Rege Siciliæ controversias gravissimas illum inter & Rodulphum Regem Romanorum conciliaret; deinde a Joanne XXI. archipresbyteratu in basilica principis Apostolorum donatus est. Emicabant in eo jam futuræ magnitudinis atque ingentium virtutum signa, ob quæ his elogiis idem Joannes illum in diplomate pontificio (*i*) exornavit: *Attendentes nobilem non incognitæ mundo tuæ magnitudinem bonitatis, quæ a teneris annis de virtutum crescentium meritis continua famæ incrementa suscepit; quodque dator bonorum omnium te illius circumspectionis eminentia insignivit, quod noveris recensere præterita, præsentia prudenter disponere, ac futura consultius providere; & propter hæc confidenter onus curæ ipsius basilicæ, quæ tuo noscitur indigere regimine, cum omnibus jurisdictionibus, juribus & pertinentiis suis, qui nuper in eadem basilica per obitum bonæ memoriæ S. Angeli diaconi Cardinalis vacavit, tibi conferimus & providemus, &c. Dat. Viterbii* XV. *kal. novem. pontificatus nostri anno* I. Eo munere affectus ad redintegrandum in ea basilica rei sacræ splendorem, ac perpoliendos sanctioribus institutis canonicorum mores nonnullas leges edidit (*k*), quas postea suscepto pontificatu auxit (*l*). Excitatus igitur ad apostolicum solium Nicolaus Carolum Siciliæ Regem de sua electione fecit certiorem, (*m*) atque ob morbum, quo tentari eum audierat, solatus est. E quibus amoris notis insignibus literis colligitur non eum mox, ut nonnulli propter Gallorum Cardinalium ambitum tradunt, abalienatum animo fuisse, sed ob aliam potius rationem, quam ex S. Antonino (*n*) & aliis anno sequenti referemus subinsensum extitisse.

(*a*) *Nicol. to.* 1. *l.* 1. *ep.* 1.
(*b*) *Jord. ibid. MS. Vat. sig. n.* 1960.
Joannes Cajetan. Ursin. eligitur Pontifex.
(*c*) *Jord. ib.*
(*d*) *Vuading. in Annal. to.* 1. *an.* 1222. *n.* 3. *& to.* 2. *an.* 1277. *n.* 2.
(*e*) *Nicol. to.* 1. *l.* 1. *ep.* 50. *& reg. post eand. ep.*
(*f*) *Cod. MS. Vallic. sig. lit. C. n.* 49. *p.* 95.
(*g*) *Jord. ubi sup. Vuad. in annal. hoc ann. n.* 2. *& alii.*
(*h*) *MS. Vallic. sig. lit. C. n.* 49. *p.* 63.
(*i*) *Ib. p.* 95.
(*k*) *Ext. apud Jo.* XXI. *l.* 1. *ep.* 152.
(*l*) *To.* 1. *l.* 2. *ep.* 110.
Suam promotionem Regi Carolo significat.
(*m*) *Cod. Vallic. sig. lit. C. n.* 49. *p.* 51.
(*n*) *S. Anton.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 3. § 4.
Ut Pontificatus initio illi addictissimus extiterit.

*Nicolaus electus Episcopus, &c. Regi Siciliæ illustri.*

*Incensus sinceræ charitatis affectus nec legi facile potest subici, nec consuetudinis cuiusquam regula coarctari. Quis autem sic incenditur, ut paternum excedat? Hic proculdubio, fili charissime, a nobis exegit, ut ecclesiæ Romanæ, quæ solet ex more servare, quod literæ, novam promotionem Romani Pontificis nunciantes, alios ipsius præsertim ad principes literatoriæ procedant visitationis affatus, observantia non servata, excellentiæ tuæ prius scriberemus ut pater, quam nos, prout est ex alto permissum, in tuum & universalem patrem nunciaremus assumptum. Ad nos siquidem perlato rumore de febrili dyscrasia, quæ te diebus aliquibus dicitur molestasse, simul & multæ solicitudinis se ingessit instantia, ut de votiva incolumitate tam chari filii patris votis indubia satisfaceret certitudo. Propter quod dilectum filium magistrum S. celsitudinis tuæ nuncium, ad tuam præsentiam cum celeritate, quam novitas hujusmodi nostræ assumptionis, nec occupationibus vacua, nec a concurrentium tumultibus aliena permisit, duximus remittendum &c. Dat. Viterbii.* Confirmant etiam superiora aliæ literæ (*a*), quibus monet, ne receptam valetudinem nimiis curis obruat. Cum vero Carolus Salerni princeps Nicolao literis significasset, incredibili se illius adeundi salutandique cupiditate teneri, rescripsit Pontifex (*b*), ne Sicilia discederet, dum ipsius pater adversa valetudine tentabatur: expectandam occasionem, qua votis obsequi posset.

(*a*) *Ibid. p.* 64.
(*b*) *Ibid. p.* 65.
Viterbio se Romam confert.
Ante consecrationem Italiæ paci consulit.

LIV. Cardinalium exemplo Rodulphum ab ingressu Italiæ revocat.

Non diu hæsit Viterbii Nicolaus, sed Romam se contulit, ut solemni ritu pontificalibus ornamentis cingeretur. Ubi antequam ea celebraretur pompa, literas pridie id. decembris ad Rodulphum Regem Romanorum misit, ut trepidanti Italiæ consuleret.

Imminebat enim tum temporis, ut paulo superius insinuatum est, gravis discriminis metus, ne Rodulphus nimirum ad repetenda revocandaque jura Imperii in Italiam veniret, bellumque Carolo ob Etruriæ gestam præfecturam moveret: cum maxime veterum partium odio plures imbuti grave aliquid molituri timerentur. Et quidem ad ea discutienda pericula Romani Pontifices Gregorius, Innocentius, Adrianus, & Joannes, ac vacante sede nuper Cardinalium senatus, pluribus legationibus missis, cum Romanorum Rege egerant, ut prius cum Carolo fœdus firmaret & controversias dirimeret, quam exercitum in Italiam transmitteret: & licet conficiendæ rei provincia ab utroque principe nonnullis oratoribus tradita esset, repentina tamen Pontificum morte cœpti tractatus consenuerant, quos Nicolaus redintegrare studuit, hisque literis Rodulphum hortatus est, ut viros pacis amantes mitteret: atque Innocentii, Joannis & Cardinalium collegii exemplo exarchatum Ravennæ ac Pentapolim Ecclesiæ restitui postulavit (*c*).

(*c*) *Ibid. p.* 63.
Datæ ad ad ipsum ea de re lit.

*Nicolaus &c. Regi Romanorum illustri.*

*Solet, nota principum unio, ut pauca saltem exprimamus e multis, obstruere ora iniqua loquentium, quærentium inter ipsos suis susurris disseminare discordias, dissensionum accendere incentiva. Solet guerris indicere terminum, pacem inducere subditis, quietem & securitatem publicam præparare. Hinc itaque inter te ac charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem primo felicis recordationis Gregorii PP. X. studiis initam, ac postmodum successorum ipsius Romanorum Pontificum nequaquam prosecutione solicita destitutam, tanto ferventiori desiderio cupimus perfecta consummatione donare, quanto illam utiliorem advertimus, quantove ad eam studio pervigili procurandam eorumdem Pontificum prædecessorum nostrorum imitandis invitamur exemplis. Hujus quippe nostri ferventis desiderii nos sic urget instantia, ut nec nobis nec fratribus nostris (quos provisioni Ecclesiæ cum solicitudine multa vacantes, clausura diutina non leviter molesta vexarat) quietem aliquam satis necessariam indulgere permiserit, nec observantias ecclesiæ Romanæ solitas observare. Hinc præter ipsius Ecclesiæ morem, secundum quem solent literæ apostolicæ, promotionem Romani Pontificis nunciantes, præsertim ad principes, quascumque alias ipsius Pontificis prævenire, nos celsitudini regiæ patrem prius paternis exhibemus affectibus, quam literatoriis ad hoc conceptis affatibus nunciemus. Vocati siquidem, licet impares meritis, ad apostolatus officium, in crastinum vocationis hujusmodi, fratribus nostris convenientibus una nobiscum, post consuetum charitatis alloquium ad eosdem, consideratione nostram confestim ad præmissa convertimus & deliberatione præhabita, communi voto prosecutioni cœptorum de hujusmodi unione inter te & memoratum Regem consummanda tractatuum deliberavimus instanter & celeriter insistendum.*

Prædecessorum curis pro jungenda inter ipsum & Carolum Regem pace successisse significat.

Non mittendum ante rem perfectam exercitum.

*Et licet eorum, quæ circa tractatus eosdem & adventum tuum, gentisve tuæ in Italiam per prædecessores ipsos, dictorum quoque fratrum nostrorum collegium, de quorum numero tunc eramus, regali magnificentiæ fuere suggesta, sit forsan repetitio audientibus onerosa; nos tamen ideo illa repetenda censuimus, ut ex ipsis eorumdem Pontificum, fratrum, nostrique manifestius te inducat assumenda votorum identitas, ad eadem liberaliter prosequenda instantius te inducat, cum tantorum tam concors, exacta deliberatione præmissa, tuæ celsitudini toties repetita suggestio evidentius arguat, quam ad eam Dei beneplacitum & zelus ad tranquillitatem publicam rectus ac debitus exhortantium & suggerentium animos coegerunt.* Pluribusque interjectis, quibus exponit quanto studio Romani Pontifices contenderint a Rodulpho, aut antequam in Italiam traduceret exercitum, firmissimo fœdere cum Carolo Rege Siciliæ inito controversias componeret; utque Gregorium huic rei navantem operam mors occuparit; miserit eam ob causam Innocentius V. Bernardum designatum episcopum Albiensem, legaverit Adrianus ipsemet Nicolaum tum diaconum Cardinalem una cum Sabinensi episcopo, & Jacobo S. Mariæ in Cosmedin Viterbium, ut cum Rege Carolo de conciliandis controversiis agerent; intermissum ob Adriani mortem tractatum Joannes XXI. misso ad Rodulphum Bartholomæo de Amelia Minorita redintegrarit, urseritque, ne ullæ in Italiam copiæ, quæ tumultus concitaturæ essent,

Rei seriem altius repetit.

sent, traducerentur; Tridentinus vero episcopus, extincto Joanne, abscesserit, nec Caroli oratores cœpta promovere potuerint; ac tum Cardinales institerint cœptis, missoque in Germaniam Marino ordinis Prædicatorum religioso viro exarchatum Ravennæ & Pentapolim repetierint; promissumque sit a Rodulpho oratores ad rem omnem componendam legatum iri; tum subjungit Nicolaus.

LV. Monetur a Nicolao Rodul. ut oratores transmittat.

*Cum igitur humilitatem nostram ad gerendum in eadem Ecclesia pastoris ministerium provisio, seu forsan potius permissio divina vocarit; nosque, ut tractatæ inter te ac memoratum Regem unionis, orbi tam utilis, & Christianitati, ad ipsius exaltationem, Deo auspice, promptiorem per necessaria fœdera consummentur, semper gesserimus hactenus, eoque nunc plenius geramus in votis, quo id singularius ad nostrum novimus, officium pertinere; serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente in Domino Jesu Christo, sincero tibi suadentes consilio & salubri, quatenus tot & tantorum in idem cum discussione ac deliberatione perpensa convenientium preces, monitiones, exhortationes, suasiones, & consilia prudenter attendens: & ea proinde utilia, & salubria non indigne supponens, illisque consultius acquiescens; aliquos solemnes nuncios, juxta præmissam dicti tui notarii assertionem, earundem literarum tuarum adminiculatione suffultam, quos ad hujusmodi consummationem tractatuum Dei timor, & publicæ utilitatis, ac tranquillitatis amor afficiat; cum pleno mandato ad tractatus eosdem tuo nomine prosequendos, consummandos pariter & firmandos ad sedem eandem, sublata qualibet, prout opportunitas curiose captanda permiserit, dilatione transmittas, tuis prænuntiaturus literis, quando eos ad ipsam sedem æstimes verisimiliter perventuros, ut procuretur qualiter uno eodemque tempore inibi concurrant sæpefati Regis nuntii cum eisdem; interim tamen contra præmissam provisionem & intentionem providentium, in Italiam non venturus, nec missurus aliquam militiam sive gentem.* Et infra: *Petitionem autem super ejusdem Ecclesiæ terris, ac specialiter exarchatu Ravennæ ac Pentapoli, regali excellentiæ toties inculcatam, absque ulteriori procrastinatione rogamus & petimus efficacis executionis promptitudinem adimpleri. Cæterum ad præmissa, licet præsentium serie satis expressa, verbo seriosius exprimenda, tuisque pressius imprimenda præcordiis; nec non & causas quæ nos, dictos prædecessores, & fratres nostros ad eadem non immerito induxerunt; prædictorum, Albinensis episcopi & fratris Bartholomæi jam tibi ministerio revelatas denuo repetendas, eundem fratrem, regali excellentiæ non ignotum consulto deliberavimus destinare, & repetita ejus missio nobis, & eisdem fratribus nostris ipsum acceptum perhibens & habita de ipso notitia, sibi apud te audientiam benigniorem obtineant, & certiorem fidem haberi ejus relatibus in præmissis, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* 11. *id. decembris &c.* Confectam iis legibus inter Carolum & Rodulphum pacem, ut Carolus Etruria cederet; ac pariter Rodulphum repetenti Pontifici exarchatum, ac plures alias urbes restituisse, sequenti anno videbimus: nunc de aliis pontificiis curis pro sopiendis inter Reges bellis dicere pergamus. Cum instructum a Philippo Gallorum Rege in Alfonsum Castellanum belli apparatum rumore nuntio accepisset, concepto ingenti dolore mala imminentia consilio infringere decrevit Nicolaus, Regemque Philippum (*a*) monuit, ne Gallorum arma expugnandis Saracenis consecrata in catholicum principem converteret: se se totius rei componendæ provinciam legatis imposuisse.

Jubetur Italicam expeditionem retardare.

Restituere exarchatum Ravennæ & Pentapolim.

Quis rei exitus extiterit, (a) Lib. 1. ep. cur. 3. & cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. p. 51.

Legatum pro pace conficienda Philippum inter & Reg. Castell. mittit.

*Nicolaus, &c. Regi Franciæ illustri.*

LVI.

*Quanto ex potestate, Apostolorum Principis ejusque successoribus a Domino tradita, humilitati nostræ ad promovenda commoda regia dispendiaque vitanda liberior concessa est ex cœlesti permissione facultas, tanto noster affectus ad claræ memoriæ patrem tuum Regem, regnumque Franciæ in nobis radicatus ab olim ad tuam regalem excellentiam & ejusdem regni statum provehendos ad prospera, & a quovis discrimine præservandos ferventior inardescit: adeo ut sui fervoris instantia nec nobis, nec fratribus nostris, quos provisioni Ecclesiæ cum solicitudine multa vacantes clausura diutina non leviter molesta vexarat, quietem aliquam, quamquam satis necessariam indulgere permisit, nec observantias ecclesiæ Romanæ solitas observare. Hinc præter ipsius Ecclesiæ morem, secundum quem solent literæ apostolicæ promotionem Romani Pontificis nunciantes, præsertim ad principes quoscumque, alios ipsius Pontificis prævenire, nos celsitudini regiæ patrem prius paternis exhibemus affectibus, quam literatoriis ad hoc conceptis affatibus nuntiemus. Vocati siquidem, licet impares meritis, ad apostolatus officium, in crastinum vocationis hujusmodi fratribus ipsis convenientibus una nobiscum, post consuetum charitatis alloquium ad eosdem amaram nobis & eis discordiam, quam inter te, ac charissimum in Christo filium nostrum Regem Castellæ ac Legionis illustrem pacis æmulus tuis & illius, immo potius Christianitatis per te potissime ac ipsum contra hostes fidei ampliandis profectibus invidens, excitavit; ante omnia obtutibus nostræ considerationis expandimus animarum pericula, strages corporum, damna rerum, impedimenta negotiorum Domini, tuam singulariter expectantium potentiam promotricem, quæ nisi eam virtus præcedat Altissimi, proculdubio eadem discordia comminatur, in multa mentis amaritudine recensentes: specialiter autem tuam ejusdemque tui regni ob præmissam, ut intelleximus, excitata discordiam considerata commotio eo gravius nos anxiat, & conturbat, quo eam periculosiorem advertimus, & si veritati non parcitur, multorum judicio a laudabilibus progenitorum tuorum semitis alienam.*



LVII.

*Nunquid enim Gallicanæ potentiæ gladius in catholicæ fidei professores vel limari consueverat, ut terreret; vel acui, ut feriret? aut Christianum sitire, vel effundere sanguinem, seu catholica regna subvertere, vel etiam conculcare in Christi blasphemos ad ipsius exaltationem fidei & dilatationem Christiani cultus limatus hucusque potius & acutus? Hæc, fili charissime quæsumus, tecum ipse considera, consultius tecum pensa, & salubribus nostris monitis & consiliis ex singularitate charitatis ad te filium prædilectum procedentibus acquiesce, &c. Dat. Viterbii* IV. *non. decembris anno* 1. Provocavit similimis literis (*a*) Alfonsum novus Pontifex, ut ad pacem cum Philippo contrahendam facilem se præberet: aliisque (*b*) ipsi inculcavit, ut belli causam removeret; eo enim expeditionem in Saracenos Africæ, qui Babyloniis armorum fœdere ad opprimendos Christianos Syros conjuncti erant, averti questus est; tum maxime cum Terra sancta magnam de illius bellica virtute auxilii spem concepisset. Eodem argumento ad Simonem tituli S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis in Galliis legatum, (*c*) atque Hieronymum & Joannem summos Prædicatorum & Minoritarum præfectos (*d*) literæ datæ sunt.

(a) To. 1. l. 1. ep. cur. 4. & cod. Vall. sig. lit. C. n. 49. p. 51.

(b) Eod. cod. p. 51.

(c) To. 1. l. 1. ep. cur. 5.

(d) Ib. ep. 6.

LVIII. Nicolaus tiara. Pontificia ritu solemni exornatus.

Gesta a Nicolao fuere superiora, antequam pontificales infulas solemni ritu acciperet: quæ pompa, exeunte anno die S. Stephano sacra, celebrata ut refert Bernardus (*e*): *Nicolaus III. natione Romanus de domo Ursinorum electus fuit in Papam in Viterbio in festo S. Catharinæ, fuitque Romæ in basilica S. Petri in festo S. Stephani in die dominica coronatus anno Dom. MCCLXXVII.* Consentit Bernardo Ptolomæus (*f*) Lucensis, qui plura de Cardinalibus a Nicolao creatis addit, cujus verba afferenda visa sunt: *Anno*, inquit, *Domini MCCLXXVII. in festo S. Catharinæ Nicolaus III. in cathedra Petri sedit. Hic de genere Ursinorum urbis Romæ dictus est primo dominus Joannes Gaytani, & diaconus Cardinalis tit. S. Nicolai in carcere Tulliani. Hic statim vadens Romam, ubique sacerdos factus, in basilica S. Petri, in festo B. Stephani, in die dominica, eodem anno coronatus est.* Et infra: *Hic fuit multum compositus in moribus; unde apud multos Et composito appellabatur de pulchrioribus clericis mundi. Commendabatur etiam de magna prudentia & matura responsione. Religiosos multum dilexit & fovit, & specialiter fratres Minores & Prædicatores, sed in promotione Cardinalatus æqualiter se habuit. Minores & Prædicatores: quia duos Cardinales fecit de ordine Prædicatorum, videlicet fratrem Latinum nepotem suum, filium sororis, qui fuit vir excellentis vitæ & egregius prædicator, & factus est episcopus Ostiensis. Alius fuit frater Rubertus de Bilibi magister in philosophia, & magister in theologia, & super utramque doctrinam fecit optima scripta, sed præcipue super totam logicam novam. Hic prior provincialis in ordine suo, deinde factus est archiepiscopus Cantuariensis, & postea factus est episcopus Portuensis. Fecit & duos fratres Minores, unus fuit frater Bentivenga de Tuderto, quem habebat familiarem in domo sua, & confessorem & inde factus est pœnitentiarius major, & episcopus Albanensis. Alius fuit Joannes * qui postea fuit Nicolaus IV. Cum istis autem fuerunt alii quinque, inter quos unus fuit dominus Jordanus germanus suus, vir magnæ excellentiæ & innocentiæ, & dominus Jacobus de Columna vir magnæ maturitatis & innocentiæ, & religionem amplexans. Hanc autem ordinationem celebravit primo anno pontificatus sui, qui in sequentem incidit, Christi nimirum MCCLXXVIII.*

(e) Bern. in chr. Rom. Pont.

(f) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 23. c. 26.

Die S. Stephano sacra.

Cardinales ab eo creati.

* Hieronymus

Inter hos fuit Hieronym. Min. dictus postea Nic. IV.

Susceptis porro Ecclesiæ gubernaculis Nicolaus pontificiæ bullæ hanc sententiam pro apostolico symbolo adscripsit: (*g*): *Miserere mei Deus, miserere mei;* ac prædecessorum more atque instituto, ineunte sequenti anno, encyclicas literas ad Christiani orbis præsules scripsit, quæ in hunc annum quo tiara apostolica est redimitus, conferendæ visæ sunt, ne eadem repetere cogamur: quæ quidem in MS. nostro (*h*) Vallicellano Turonensi archiepiscopo, in Vaticano (*i*) vero Senonensi & suffraganeis sunt inscriptæ.

Encycl. de inito pontif. lit.

(g) Formul. Mar. Ebul. MS. Vat. bibl. p. 56.

(h) MS. Vall. bibl. sig. lit. C. n. 49. p. 65.

(i) Nicol. to. 1. l. 1. ep. 1.

*Nicolaus &c.*

Ut defuncto Joanne XXI. Cardd. de electione tractarint.

*Nuper felicis recordationis Joanne Papa prædecessore nostro apud Viterbium, ubi tunc cum sua curia residebat, ab hac luce subtracto, & ipsius corpore in Viterbiensi ecclesia cum exequiarum solemnitate debita tumulato, tandem nos & fratres nostri, quibus nos tunc officii*

*ficii quo ad hoc annumerabat æqualitas, in palatio episcopali convenimus, propensiorem diligentiam consideratæ provisioni, Ecclesiæ impensuri. Et quamquam ille, qui cœlesti dat concentui harmoniam, nos sub clausura eadem habitantes in unum ad utilem provisionem ipsius Ecclesiæ obtinendam, prout singulorum habebat assertio, unanimes, fore sua pietate concesserit; ad consummationem tamen provisionis ejusdem alto suo, & secreto consilio, dare aliquandiu distulit spiritum unitatis: sed demum in die B. Catharinæ missarum solemniis cum invocatione sancti spiritus celebratis, iidem fratres in humilitatem nostram, utinam non exorbitante judicio per viam scrutinii concordantes, nos tunc S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem ad conscendendam apostolicæ dignitatis speculam unanimiter elegerunt; nobis vestem ponderis universum orbis ambitum continentem non offerentes tantummodo; sed etiam cum importuna instantia ingerentes. Verum ut rei gestæ seriem succinctus sermo pertranseat, ne dum defectus eosdem ad humiliationem nostram gestimus exprimere, sub humilitatis specie notam elationis, seu qualiscumque jactantiæ ingerat seriosa repetitio veritatis; nos gradus altitudinem, & oneris imminentis tantæ altitudinis, ascensori molem nobis in Cardinalatus officio experientiæ longæ participio non ignotam, attenta meditatione pensantes, eligentium, & offerentium instantiæ insufficientiæ nostræ imparitatem objecimus debilitatem nostram, dictante conscientia, oblatis imparem, cum repetita multoties relaxationis supplicatione humili allegantes.*

Dissenserint aliquandiu Cardinales.

Die sacro D. Cathar. suffragia in ipsum contulerint.

Tanto muneri se imparem profiterur Nicolaus.

LIX. *Cumque nec sic cessaret instans fratrum importunitas eorundem, sed vim inferens nostro proposito vehementius collegii jussus urgeret; nosque violentiam patientes clamaremus lacrymis, nec esset qui auditu exauditionis audiret; vociferaremur gemitu, nec foret, qui remissionem injuncti oneris benigno judicio indulgeret: ad illum oculos mentis ereximus, qui sicut præmittitur, Ecclesiam, quam per se fundavit, non negligit regere per se ipsum: sed quam pie condidit, pie regit. Et quamquam de insufficientia nostra timentes, de superabundantia tamen omnipotentiæ suæ confisi, humeros summo superhumerali subjecimus, & humiliter jugum subivimus apostolicæ servitutis; sperantes quod ipse, qui Petri pedibus marinos vortices inclinavit, ut iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium; nobis, quos, licet indignos, illi sua constituit dignatio successorem, in nostri executione ministerii humiliabit per suæ virtutis potentiam colla tumentia superborum, & lapsus in delicta labentium cohibendo, eos in bonorum stabilitate operum solidabit. Ad quod efficaciter obtinendun attente orationum vestrarum suffragia imploramus, universitatem vestram monentes, rogantes, & obsecrantes in Domino Jesu Christo quatenus diligentius attendentes, quod ad tanti ponderis sarcinam supportandam pervigiles cooperatores esse vos exigit, vobis in vestris gregibus solicitudo commissa in hujusmodi cooperationis ministerio exequendo super greges eosdem solicite vigilantes, debilitati nostræ devotarum orationum, & placationum uberum frequentibus oblationibus assistatis: ab eo, qui nobis sarcinam eandem imposuit, seu potius forsan imponi permisit, supplicationibus devotis, & sedulis implorantes, ut qui ex eisdem nostris defectibus sub illius onere premimur, ipsius munere sublevemur; nobisque ipse honorum largitor omnium sic illam ad sui nominis laudem & gloriam, nostram populique sui salutem portare sua pietate concedat, quod eadem pia mater Ecclesia filios suos numero & merito nostris multiplicari temporibus glorietur. Cæterum fratres & filii affectum vobis charitativæ benignitatis expandimus, & sinum charitatis solidæ aperimus proponentes in quibus cum Deo poterimus honori vestro deferre, ac vestra & ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentiæ promovere &c. Datum Romæ apud S. Petrum XVIII. kalend. februarii anno I.*

Spem in Deum coniicit.

Præsulum implorat apud Deum fundendas preces.

Hortatur ad partienda cum ipso onera.

LX. Transmissæ sunt, immutatis nonnullis sententiis, eædem literæ ad Reges ac principes (*a*), quibus iis humanissime officia pontificia detulit, hortatusque est, ut operam ad pietatem propagandam conjungerent. Inter cæteros vero Michaeli Palæologo Græcorum Imperatori porrectæ fuere sequenti anno: quibus ille acceptis, ut paribus cum Nicolao certaret officiis, has humanitatis & observantiæ singularis notis illustres novo Pontifici dedit (*b*); utque sibi apostolicam opem ad imperium egregie moderandum suppeditaret, est deprecatus.

*Sanctissimo & beatissimo primo & summo Pontifici Apostolicæ sedis sacrosanctæ Ecclesiæ veteris Romæ universali Papæ, in Christo Deo reverendissimo & specialissimo patri nostri Imperii domino Nicolao Michael in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comninus, Palæologus filialem obedientiam Apostolicæ benedictionis, & orationum postulationem.*

*Si mihi, o divinum & sacrum caput, dignum & æquale totius angelici chori honore per omnia, exprimere non est leve, quanta lætitia corporis, & exultatione animæ fui repletus ex insinuatione literarum vestræ apostolicæ sanctitatis, deprompentium ad Apostolicam sedem vestræ sanctitatis gloriosum ascensum, quem pridem fama volatilis satis jucunde consperserat ad universalem notitiam & audientiam devotorum, vestræ paternitatis benignitas non miretur. Non enim erat hujusmodi annuntiatio extranea spei meæ: immo certissima, dum hujusmodi omnes communiter faterentur & concorditer asserebant. Si vero secundum Deum est sententia, utique & secundum Deum hæc existit, & non oportet de hac opinione aliquid aliud cogitare, nisi Deum existere attributorem & causam. Hujusmodi igitur gratia confidenter habebam, & vos fore commode veraciter expectabam, quem superna providentia eligeret, & ut lumen splendidum egressum de vero lumine ostenderet orbi terræ, quibus mediantibus me ipsum beatificabam in Domino. Congaudentem habeo sane illum in operibus prævium, de quo ante nullatenus dubitabam, suscipiens fines infallibiles spei mei, quibus etiam ante finem, ut jam recepisse ultra modum delectabar, nec in aliquo contristabar. Sed agnoscens vos fore in divinis sapientes, & secundum Christum, Dei & hominum mediatorem, nihilominus in humanis & omne quod extra spem admiratur, & omne quod spe accidit, & ante factum diligitur, & in fine beatificatur, & amplius diligitur affectanter ad se attrahens experientiam, dans & recipiens ad invicem primæ affectionis effectum. Extendimus præterea, beatissime pater, animæ specialem affectum: nunc autem totum me ipsum sanctitati vestræ humiliter recommendo, & etiam repræsento, & inclino intellectualiter caput meum: & incumbens in sinu vestræ apostolicæ benedictionis, orationes postulo; & osculans manus sacras apostolicam vestram sacram benedictionem assumo. Latores siquidem vestræ sanctissimæ paternitatis prout decuit, expediti ad vestram affectatam præsentiam, utinam prospere revertuntur, quibus quædam de plurimis, quæ in meis intimis resident, de ipsorum probitate confisus, attenta conversatione, quam hactenus contraxerunt, commisi fideliter vestræ sanctitatis audientiæ referenda cum aliis, quæ viderunt oculis & auribus audierunt. Super quibus benigniter obsecro, ipsis a vestra piissima sanctitate benevolam audientiam impertiri. Et quia Dei nostri sunt opera, vos, qui vere in terris, quæ Dei sunt, Deo redditis, & in cœlo non prætermittatis hujusmodi, pie pater: sed cognita veritate mihi devoto filio vestræ apostolicæ sanctitatis, quæ*

(*a*) Ib. ep. 2. & post ead. Formul. Mar. Ebul. p. 22. n. 138. cod. Vall. c. 49. p. 66. Imperatores & Reges ad populos probe regendos solicitati.

(*b*) Ext. apud Nicol. to. 2. l. 1. p. 101. n. 157.



Imperatoris Græcorum responsio.

*sunt terreni Cæsaris ut excelso Cæsari persolvam cum fœnore, assistatis ope, benedictionibus, consilio, & favore, ut reprobantium opera nostro subsidio irritentur. Cœlestis omnipotens Deus sanctitatis vestræ processibus præbeat misericordiæ largitatem, ut per cuncta, quæ agitis, æternæ gloriæ serviatis.*

LXI. Insignes etiam sunt Joannis Becci patriarchæ Græcorum catholici literæ (*a*), quibus Nicolao sedis Apostolicæ fastigium conscendisse est gratulatus.

(*a*) Ext. ib. n. 158.

*Sanctissimo & beatissimo summo Pontifici Apostolicæ sedis veteris Romæ universali Papæ domino Nicolao, Joannes miseratione divina patriarcha Constantinopolitanus novæ Romæ, & quod sub nobis est concilium sanctum salutem in Domino, & debitam inclinationem, & orationum postulationem.*

Synodales Græc. ad Nicol. gratulatoriæ lit.

*Recepimus literas vestras, o divinissime domine pastorum pastor, omniumque præsulum supereminens prælatorum. Nec est dicendum, quanta lætitia repleti simus: cognovimus namque, quod Deus bonorum omnium elargitor non magnificentiæ vestræ sedem, sed sedi sanctitatem vestram potius condonavit, ut ipsa siquidem per eos decoraretur amplius, & ornaretur. Et quamquam prius sanctitas vestra omnibus esset nota, prævenit enim fama pennas extendens, & volans ubique quæ non cognoscentibus ea, quæ sunt vestræ maximæ sanctitatis, manifesta & cognita demonstravit; magis cognoscet tamen amodo ac diligentius quilibet usus materia ampliori, & melius quam ante vos benefacientem unicuique specialiter ac communiter omnibus ex operibus festinantem maximum, & primum Pontificem Dominum nostrum Jesum Christum propensius imitari. Confidit proculdubio nostra humilitas, quod hoc procedit ad perfectissimum complementum: nec minus putamus, quod in hoc concordant quicumque sapientes ex præcedentibus futura imaginantur. Si enim antequam abscendissetis ad superexcellentem altitudinem omnium dignitatum, in vobis tanta aderat præ omnibus excellentia bonitatis, ut vobis quis non posset fere in aliquo comparari, quanto magis decet vos nunc indutos magnitudine tali, utiliora operari & meliora? Qui vero, nondum ad gradum perfectionis perveniens, tanto bonorum operum lumine refulgebat, ut persuaderet in ipso videntes patrem gloriari cœlestem, hic idem ad superlativum ascendens quomodo non apparebit lucidus ac apertius relucebit omnes a longe attrahens ad se, quemadmodum candelabrum in alto positum iis, qui longe sunt, resplendet, & ipsos ad se convocat ex fulgore? Non enim idem candelabrum tantum ex infimis vel de terra*

*ra refulget, quantum si super modum vel in altissimis producatur. Unde & propheta super candelabrum aureum videns candelam, duo ostendit, ignem videlicet descendere gratiæ a Patre luminum, & quod est natura ignis suprastantis nobis ex supernis lucidius relucere. Quis ergo ea, quæ diximus, in mente habens, non replebitur lætitia spirituali, ut promptissime ad Deum tamquam hujusmodi largitorem gratiarum referat actiones, ac sibi postulet, ut qui tale bonum condonavit, conservet ipsum æternum, & sicut ipsam perfecit ita conservet illud ad communem utilitatem? Quis non super hujusmodi jubilet? Et quis poterit de istis non gaudere? Humilitas vero nostra numquam alias jucundius Deum magnificavit, sibi ascribens omnia, & glorificans procurationem suam maxime ac provisionem, per quem semper utile suis dispensans in hujusmodi nuper factis, opportunum nullatenus præterire dimisit, venientique ad totam Ecclesiæ constitutionem ad ea, quæ damni essent, aliquatenus extenderentur ipsi viri Dei. Quomodo enim viris tam egregiis in unum congregatis, inter quos Deum fuisse nullus dubitat, opportunum lateret? Non oportuit hoc fieri, & ideo non est factum.*

LXII. *Et licet vestra maxima sanctitas in sacris literis ad nos missis vos indignos voluerit nominare, nosque ad orationem provocaveritis, & supplicationem, ut Deus vos tanquam dignos efficiat; nos tamen diligenter cognoscimus, quod nil aliud sunt hujusmodi nisi verba mansuetudinis & humilitatis: imitamini namque omnium dominum ac Deum Jesum, a quo vobis tanta gratia est largita, & amplectivum; modestiam & mansuetudinem, & commune exemplum humilitatis vos proponitis: cum non sit alius dignus ad administrationem gubernationis Ecclesiæ, quam vestra sapiens a Deo sanctitas, quam digne estis ad hoc & vere dicere possimus, superdigni. Quomodo ergo unquam orationem talem fundemus pro vestra apostolica honorabilitate, cum magis vestris sacris orationibus indigentes affectemus quotidie ipsas habere tamquam bonum viaticum ad salutem? Deus itaque per suos speciales ministros eligit quem vult, & vincens cum quanta quis dicet virtute, quæ multorum sunt omissis consiliis, suam perficit voluntatem. Sicque constituit in Ecclesia illum, quem elegit: & fuit hoc donum perfectum & gratiam omnibus donans ac utilitatem. Unde nos vestras paternas literas intelligentes, de hoc intimantes, filialiter recepimus ipsas tamquam omne bonum annuntiantes; supplicantes propensius vestræ sanctissimæ paternitati, quatenus de nobis cum aliis, qui inter vestros filios reputantur, memoriam facere velitis in sacris ad Deum supplicationibus vestris, ut ipsis adjuvantibus ac foventibus bene gebernare possimus populum nobis a Deo creditum; immo ipsum conducere in operibus Deo placentibus & salutaribus, atque cætera in pace secundum Deum, & firmam patientiam ac quietudinem ipsi populo acquiramus, negotiantes ipsum ad manus pastoris omnium domini Dei salubriter pervenire: qui dignetur nos recipere mediantibus orationibus sublimissimæ vestræ supereminentiæ, vestram in multis temporibus conservans divinitatem.*

Absolvamus hunc annum rebus Gothicis. Retulit Waldemarus Rex Gothorum & Sueonum justam scelerum suorum vindictam: qui enim Jutham uxoris sororem stuprarat, implacabilesque cum Magno fratre inimicitias exercuerat, ab eo Danicis auxiliis, quæ ab Erico Rege elicuerat, suffulto in Wesgothia deletus est ob bellandi imperitiam *in villa Hova*, inquit Magnus (*a*) archiepiscopus Upsalensis, *anno Domini* MCCLXXVII. Cumque restituendi exercitus parum solicitus fugam arripuisset, in Vermelandia misso ab adversariis expeditissimo equitatu, est comprehensus. At cum a victore supplex vitam posceret, Magnus fraterni amoris memor in eum humanitatem explicuit, *Adductus*, inquit memoratus auctor, *Vvaldemarus primus supplex effectus misericorditer secum agi rogabat. Deinde regnum ad manus fratris reponens, asseruit se privatæ vitæ sorte contentum, dummodo sibi saltem medietas ex paterna hereditate permitteretur. Tum dux Magnus, suæ innatæ bonitatis rationem habens, respondit. Scio quia fratres sumus, & nimis inhumanum esse fraternam necessitudinem violare: quocirca, si me in meo jure libere permisisses, nec me tam gravi odio ad tuæ conjugis suggestionem persecutus fuisses, nequaquam hoc bellum in te suscepissem. Agam tamen tecum ea, ad quæ me deducit humanitas ut omnes agnoscant me maximis beneficiis maximas injurias compensasse. Statimque convocatis proceribus & regni consiliariis, assignavit ei totum regnum Gothorum, contentus in regno Svveonum, sopitis illius domesticæ discordiæ fomentis, regnare. Itaque restituta fratrum concordia, tota patria cumulatissimo gaudio affecta exultavit.* Regio itaque Magnus diademate a Folchone archiepiscopo Upsalensi die sacro Pentecostes est insignitus (*b*): nec diu pax tenuit, cum Waldemarus postea Erico Regi Daniæ in Magnum se conjunxerit. Cæterum in his Joanni Magno fides potius adhibenda

LXIII. Waldemarus Rex Sueciæ a Fratre victus.

(*a*) *Magn. hist. Goth. l. 19. c. 22.*

Magnus illi regnum Gothicum permittit sibi Suedicum reservat.

(*b*) *Id. l. 20. c. 1.*



dâ videtur quam Crantzio (*a*) qui tradit Magnum Regem dolo fratri Waldemaro regnum eripuisse, dum is pietatis studio sacram profectionem ad lustranda ecclesiarum limina peregre suscepisset. De Magno vero ut egregiis virtutibus exornato principe sermo nobis occurret inferius.

(*a*) *Albert. Crantz. Suec. l. 5. c. 24.*

I. Amplissimæ legationes obitæ apud sedem Apost.

EXoritur ab ortu Christi annus millesimus ducentesimus septuagesimus octavus indictione sexta, crebris Tartarorum, Græcorum, & Romanorum Imperatorum, aliorumque Regum legationibus apud sedem Apostolicam obitis illustris. Hinc enim Rodulphus solemni pompa ornamentis Imperii redimiri oratorum suorum opera exposcebat: hinc Græcorum Imperator omnia Christiani principis officia deferebat: hinc Tartari fœdera cum Christianis ad excindendos Saracenos coire flagitabant. Utque ab omnium ob rerum, quæ in ea tractatæ sunt, majestatem nobilissima exordiamur, excitus superiori legatione Palæologus quæ, ut vidimus, celebrata synodo œcumenica Lugdunensi, decreta ad ipsum fuerat, ut gesta in ea admitteret confirmaretque; pontificiis jussis morem gesserat, ac sacramento rata semper habiturum fidem constrinxerat: atque oratores & literas ad Joannem XXI. miserat, quo inopina ruina eliso, successori ipsius Nicolao III. redditæ fuerunt. In iis Græcus Imperator, ut ex pontificiis gratulatoriis datis (a) constat, Romani episcopi supremam in omnes ecclesias auctoritatem agnoscebat, procumbebat in ejus obsequium, ac schisma ex tradita sibi illius abjurandi forma proscripsisse asserebat, omnemque operam in revocandis a perfidia Græcis collocabat, cui ob tantos illustri adeo fide ac religione partos de schismate triumphos gratulabundum Nicolaum rescribentem audiamus.

Palæolog. Imp. conjunctionem eccles. orient. in concil. Lugdun. inita confirmat.

(a) Tom. 1. l. 1. ep. cur. 143. cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. p. 70.

II. Nicolai III. ea de re ad eum literæ.

*Charissimo in Christo filio Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum illustri salutem, & apostolicam benedictionem.*

*Sicut ex literarum tuæ magnitudinis, sedi Apostolicæ novissime directarum, grata lectione collegimus, illud ad laudem tui nominis magis claret, immo clarius syderis instar irradiat, quod ad catholicæ fidei veritatem, quam sedes eadem tenet, docet, & prædicat, zelo devotionis afficeris ipsam devotus amplecteris, ad ejus unitatem cunctos tibi subditos adducere satagis, & debitam ei reverentiam invariabili proposito conservare promittis. Quid enim puriore luce relucet in principe, quam fidei rectæ sinceritas, & vera religio, quæ cum in luminis & vitæ dirigantur actorem, tenebras respuunt, subjacere defectui nesciunt, nec verentur occasum. Probant autem laudabilem tuæ in iis sinceritatis affectum ejusdem veræ catholicæque fidei tua fidelis, clara, & aperta professio; primatus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ devota recognitio, spontaneaque susceptio debitæ sibi obedientiæ, prompta & humilis sponsio corporaliter a te præstito juramento firmata; schismatis abjuratio per te publice facta, ac in earumdem literarum serie, juxta formam per eandem sedem traditam, plenius seriatim expressæ: quas ipsi sedi per tuos apocrisarios præsentatas; non solum ad veritatis testimonium, sed & ad memorabile tuæ laudis præconium tam præsentibus, quam posteris memorandum, in archivis ejusdem Ecclesiæ facimus conservari.*

III.

*Sane, fili, dum ardorem desiderii, quo ad Latinos & Græcos antiquo schismate separatos, in charitatis mutuæ vinculo & unitate fidei uniendos per sanctos patres Romanos Pontifices prædecessores nostros est suspiratum ardentius; & labores immensos, quibus est hinc inde diutius laboratum, memoria recensemus; quod in præmissis actum ab excellentia tua comperimus, tanto votis nostris cedet acceptius, quanto solet haberi gratius, & reputari præcharius, quod anxie quæritur, & laboriosius obtinetur.*

*Et quidem cunctis, Christianæ religionis communionem habentibus, in iis de redintegratione religionis ejusdem communis præstantur excitativa lætitiæ; sed nobis eo majoris jucunditatis & gaudii specialior causa succrescit, quo magis, dum minori fungebamur officio, eorumdem fuimus laborum participes, & desiderii non expertes; quo singularius hæc a nobis ad apostolatus culmen assumptis, diligentiam promotionis exposcunt, quæ prius cooperationis tantummodo commune nobis & aliis ministerium exigebant. Sed & tu, princeps magnifice, te lætanter in iis considera præducem, & lætare per alios etiam tuum imitaturos exemplum, tibi retributionis præmium, aliis concurrentibus meritis, adaugendum. Considera quod fortes animo nec debiles viribus, qui prudenter sui operis afficiuntur ad exitum, quo plus fini propinquant, diligentius operantur. Sic & ii, qui in agone contendunt, quo minus restat decursus instantia, eo currere nituntur instantius; & quo de victoria magis sperant, ad bravium plus aspirant.*

IV. Solicitatur ad egregie cœpta corroboranda.

*Ejа igitur & tu, fili, qui tantum in te ac aliis, at præcipue in dilecto filio nobili viro Andronico nato tuo sic desideratis dedisti principium, tantum in sic accepto unionis perutilis opere processisti; cum præsto tibi fatearis potentiam virium, nec promptum diffitearis, aut diffiteri deceat animum; insta opportune, immo si opus fuerit, etiam importunius insiste: insta, ut quæ in te ipso cœpisti feliciter, in prælatis & aliis etiam ore & opere compleantur; suppleantur omnino, quæ desunt; nec ulterius prætermittantur, aut differantur omissa. Cum igitur, sicut non solum famæ, verum etiam missorum dudum ad te nunciorum ipsius Ecclesiæ relatio perhibet, & veritas, & tua nihilominus assertio habeat, quod totaliter a te hujusmodi negotium, ejusque dependet consummata perfectio; tuæ decet esse solicitudinis, tuæ curæ, ut idem negotium celerem desideratæ, sed proculdubio nimium prorogatæ * consequatur effectum.*



* consummationis.

*Ideoque nos, qui ad hoc summo desiderio suspiramus, tibi singulariter innitentes ad id apud tuam excellentiam; & cum ea, quin potius & per eam, apud cæteros scilicet prælatos & alios exacta diligentia procurandum, venerabilem fratrem nostrum Bartholomæum episcopum Grossetanum, & dilectos filios fratres Bartholomæum de Senis ministrum Syriæ, Philippum Perusinum, & Angelum Urbevetanum lectores ordinis Minorum, viros catholicæ fidei zelatores, scientia præditos, observatores voluntariæ paupertatis, & veræ humilitatis amicos, ad tuam præsentiam destinamus; celsitudinem tuam rogantes, & obsecrantes in Domino Jesu Christo, quatenus ipsos ob reverentiam Apostolicæ sedis & nostram ea, quæ tantum decet principem, benignitate recipiens, illa quæ ad pleniorem ejusdem negotii consummationem, soliditatem, roburque solidius tam per te ipsum, quam per alios facienda suaserint, clementer audias: & ut efficaciter impleantur, ad augendum retributionis tuæ præmium, & ampliandum laudis titulum operosus intendas.*

Qui nuntii in eam rem missi.

*Cæterum moram apocrisariorum tuorum apud sedem eandem, quam ipsius sedis vacatio tibi, ut credimus, non ignota, & nostræ promotionis novitas induxerunt, habeat tuæ mansuetudinis circumspectio excusatam. Ad petitiones autem per eos coram felicis recordationis Gregorio & Innocentio quinto Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, nomine tuo propositas, & novissime in nostro & fratrum nostrorum præsentia repetitas, scimus per speciales literas ejusdem prædecessoris Innocentii plene, prout suasit facti qualitas, fuisse responsum: quam quia nulla postmodum novitas immutavit, nec nos ad eas responsionem putavimus immutandum. Datum Viterbii non. octobris anno 1.*

V. Andronicum hortatur Pont. ad ecclesiarum conjunctionem stabiliendam.

(a) Eod. l. 1. ep. cur. 145.

Aliis etiam literis Nicolaus Adronico majori natu Palæologi filio operam in concilianda Romanæ Græcorum ecclesia navasse gratulatus solicitavit (a), ut studium ad ea, quæ deerant, supplenda converteret.

*Dilecto filio nobili viro Andronico, primogenito charissimi in Christo filii nostri Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum illustris salutem, &c.*

*Age, fili, prudenter & humiliter immensa beneficia tui Creatoris attende. Attende quanta tuæ juventutis auspicia suæ dilectionis benedictione prævenit, ipse quidem (ut suæ circa te largitatis abundantiam in temporalibus taceamus) in te oculos interioris hominis suo lumine illustravit: immisit in tuæ mentis habitaculum lucem suam: dedit intelligere catholicæ fidei veritatem, ut in montem sanctum suum, in communionem videlicet & unitatem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, per professionem ipsius fidei, recognitionem & susceptionem primatus ejusdem Ecclesiæ, sponsionem debitæ sibi obedientiæ, abjurationem schismatis (quæ omnia tuæ testantur literæ, quas noveris per sedem Apostolicam gratanter & benigne receptas) suo ducatu deductus tandem in dilecta ejus tabernacula, per continuationem bonorum operum feliciter adducaris. Ipse sic erga charissimum in Christo filium nostrum Michaelem Palæologum Imperatorem Græcorum illustrem genitorem tuum, & te ipsum pium direxit ejusdem matris Ecclesiæ studium, ut non solum per hæc ei & tibi spiritualiter consuluerit ad salutem; sed & salubribus multiplicatis persuasionibus, quæ in aliis eidem genitori tuo, tam a felicis recordationis Joanne Papa prædecessore nostro, quam a nobis directis literis exprimuntur, temporaliter ad securitatem status satagat providere. Decet igitur ut & tu, ne periculose de tantis gratiis comperiaris ingratus, eidem Creatori tuo pro omnibus, quæ tibi tribuit, aliquid gratitudinis pro tuæ possibilitatis viribus recompenses, &c.* Certiorem facis de missis oratoribus atque ad perseverantiæ palmam in redintegranda orientalis ecclesiæ conjunctione colligendam adhortatur. *Datum ut supra.*

Ut is præclare se in ea gerere visus sit.

VI. (b) Ib. ep. 146.

Tum patriarchæ Græco, cæterisque præsulibus significavit (b), Apostolicam sedem ipsorum literas ingenti gaudio accepisse, quibus primatum Romanæ ecclesiæ agnoscere ac suscipere, spondere illi humillima obsequia, atque in concilio œcumenico gesta admittere exponebant: verum ad stabiliendam cœptam conjunctionem habere se in votis quam Palæologus & Andronicus fidei professionem a Romana ecclesia propositam ediderant, ipsi coram legatis apostolicis nuncuparent.

Patriarcha Constantinop. solicitatus, ut coram nuntiis Apost. schisma abjuret.

*Venerabilibus fratribus patriarchæ, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, cæterisque prælatis Græcorum.*

*Fraternitatis tuæ literas, frater patriarcha, professionem veræ catholicæque fidei*

Nicolai ad præsules Græcilit.

*dei, quam Romana ecclesia docet & prædicat, aspernationem & abnegationem antiqui schismatis, ut earumdem literarum verbis utamur, recognitionem & susceptionem primatus ipsius Ecclesiæ, ac sponsionem obedientiæ spontaneam ad eandem per te nomine tuo & totius synodi, apud vos antea celebratæ, certo modo factas, inter alia continentes, sedes Apostolica benigne recepit; & eas diligenter inspiciens, vestrum ad negotium unionis inter Latinos & Græcos, divino beneplacito inchoatum, & charissimi in Christo filii nostri Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris illustris, dilecti filii nobilis viri Andronici nati ejus, & vestra solerti cooperatione promotum; quem eædem literæ prætendebant, notavit affectum, probat multipliciter & commendat. Super quo illi sacrificium laudis offerimus, & jubilationis hostiam immolamus, qui eorumdem Imperatoris, Nobilis, & vestros oculos mentis aperuit, intellectum tribuens, & vos ad agnitionem veritatis adducens.*

*Et quidem, fratres & filii, lætanter attendimus, & gratanter accepimus multa in eisdem literis contineri, professioni ejusdem veræ fidei consona, recognitioni dicti primatus accommoda, obedientiæ sponsioni congrua, & abjurationi præfati schismatis opportuna. Verum cum in prædictis perpenso consilio, & discussione solicita ejusdem Ecclesiæ certa, quam esse decet in omnibus uniformem, forma sit prodita, per memoratos Imperatorem & Nobilem acceptata, jamdudum per eorum nuncios in generali Lugdunensi publicata concilio, & ab ipsis nuper in personis propriis publice ac solemniter iterata, illam censuimus omnimodis observandam; præsertim cum expediat in iis uniformiter ab omnibus, per hujusmodi unionem uniendis, in fidei unitate procedi: & vos velut jam factos obedientiæ filios deceat ipsius ecclesiæ, vestræ omniumque matris fidelium & magistræ, fideli magisterio per observationis promptitudinem humiliter adhærere, ac juxta ejus beneplacitum & dispositionem circa hujusmodi negotium adimplere solicite omnia; & maxime illa, quæ ad ipsum consummandum plenius & solidius roborandum per nuntios novissime ad hoc missos, ex ejusdem Ecclesiæ parte requisita nec adimpleta fuerunt.* Subdit se ad ea perficienda Grosetanum episcopum, ac nonnullos Minoritas religione conspicuos misisse; atque has preces & imperia adjungit: *Universitatem vestram rogamus & hortamur, obsecrantes in domino Jesu Christo, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus juxta requisitionem ipsorum omnes & singuli singulariter præmissam veram fidem profiteamini, recognoscatis & suscipiatis primatum, abjuretis schisma, obedientiam promittatis, in his supradictam formam, vobis per eosdem nostros nuntios præsentandam, sic studiose per omnia observando, & in cæteris, ut prædicitur, non impletis ac aliis, quæ iidem nuntii ad perfectam consummationem ejusdem negotii duxerint requirenda, ipsis acquiescendo humiliter, & cooperando efficaciter, quod idem negotium celeriter absque ulterioris moræ dispendio, studio vestro perfectius consummatum: nos, qui anxio & immenso id desiderio affectamus; ac universalem ecclesiam sanctam Dei lætificet civitatem, &c. Datum Viterbii* VIII. *id. octob. ann.* I.

VII. Imperia pro firmanda ecclesiarum conjunctione nuntiis data.

Commendata inter cætera Apostolicæ sedis nuntiis ea res, ut a Græcis præsulibus sacramentum de abjurato schismate, ac Romani Pontificis primatu agnoscendo exigerent, ac publicis tabulis id mandari curarent: ut videre est inter monita pontificia, quibus ad rem gerendam instructi sunt (*a*). In iis vero observatione dignissimum Palæologo flagitanti, ut vox: *Filioque*, in Græcorum symbolo non adderetur, nec permutarentur ritus, ne ex ea novitate Græci tumultus concitarent non assensisse, sed præcepisse adiici, quo fideles inter se fide discrepare non viderentur. De ritibus vero jussit eos tantum, qui Ecclesiæ puritatem inquinarent, deleri.

(*a*) To. 1, l. 1, ep. 152.

*In commissi vobis executione negotii, venerabilis frater Bartholomæe episcope Grossetane & dilecti filii fratres Bartholomæe de Senis minister Syriæ, Philippe Perusine, & Angele Urbevetane lectores ordinis Minorum talis videtur processus habendus.* Et infra: *Petenda est ab Imperatore prædicto multiplicatio literarum super fidei professione, primatus recognitione ac susceptione, & obedientiæ sponsione missarum ab ipso per nuntios, qui novissime redierunt. Hoc tamen mutato, ut non scribatur felicis recordationis prædecessori nostro Gregorio, sed nobis. Ad hujusmodi autem mutationem non est importune instandum; sed ita si de plano possit haberi.* Et infra:

*Item suadetur diligenter eidem Imperatori, ut cum patriarcha & alii prælati nondum fecerint professionem fidei, recognitionem & susceptionem primatus ejusdem ecclesiæ Romanæ; abjurationem schismatis, & obedientiæ sponsionem, juxta formam ab eadem ecclesia traditam; cui debent ipsi obedientiæ filii, maxime in iis, quæ consummationem, robur, & firmitatem unionis tractatæ respiciunt, tamquam omnium ecclesiarum capiti suæ matri & magistræ devote parere; ipse Imperator, qui fatetur & asserit, a se totum dependere negotium, suamque fore in*



*in iis omnibus liberam potestatem, dat operam efficacem, ut & præmissa fiant a prælatis eisdem, & cætera omnia, quæ ad solidationem unionis ejusdem per vos, ut inferius exprimitur, sunt petenda plenarie, per omnia compleantur.*

VIII. Jussi Græci addere in Symbolo, Filioque.

*Item super eo, quod dictus Imperator in præfatis suis literis petiit, ut ecclesia Græcorum dicat sanctum symbolum, sicut dicebat hoc ante schisma, & ipsi Græci maneant in ritibus suis; respondendum est, quod unitas fidei non patitur diversitatem in professionibus suis, sive in professione, sive in decantatione, vel alia ipsius fidei publicatione; & maxime in decantatione symboli, quod quanto magis in Ecclesia frequentatur, tanto apparere debet amplius uniforme. Et ideo deliberavit eadem Romana ecclesia & vult ipsum cum adjectione illa, Filioque, tam a Latinis quam a Græcis uniformiter decantari: & quia de additione illa specialiter actum est & recognitio veræ fidei occultari non debet; sed revelari potius, & publice prædicari.*

Tolerati ritus, quibus fidei puritas non contaminatur.

*De cæteris autem Græcorum ritibus sic respondendum est: scilicet, quod eadem ecclesia Romana intendit Græcos, quantum cum Deo poterit, favorabiliter prosequi, & ipsos in illis eorum ritibus, de quibus sedi Apostolicæ visum fuerit, quod per eos catholicæ fidei non lædatur integritas, nec sacrorum statutis canonum derogetur, &c.* Subdit Pontifex, quid legati a patriarcha & præsulibus aliis exposcere debeant; ut nimirum conceptis verbis sacramento se obstringant, primatum Romanæ ecclesiæ agnituros, nec ulla excusatione vel consuetudine ad non illud nuncupandum se tueantur: quam jurisjurandi formam in illis nobilioribus locis, ad quæ se conferent, a præsulibus eliciant, ac plura illius exempla rite conficiant.

IX.

*Hæc autem sunt illa, quæ petenda sunt a patriarcha, cæterisque prælatis, & clero civitatis cujuslibet, castri, vici, seu loci: scilicet quod ipsi omnes & singuli singulariter fidei veritatem, & ejusdem ecclesiæ Romanæ primatum, juxta seriem in literis ejusdem prædecessoris Gregorii, quarum tenorem vobiscum defertis ad præsens, plene ac seriose lectam & expositam fideliter, explicite, ac aperte infrascripto modo, absque ulla conditione, vel adjectione occasione præteriti temporis apponenda, seu etiam facienda; sed simpliciter & pure, sicut petitur, recognoscant, acceptent, & profiteantur præstito juramento.*

Flagitatum a præsulibus, ut primatum agnoscant.

Præstandi sacramenti forma.

*Ego prælatus fidei veritatem, prout plene lecta est & fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse recognosco: eam accepto, & corde & ore profiteor; ipsamque, prout veraciter eam tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, me inviolabiliter servaturum, & in ea omni tempore perseveraturum; nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, quoquo modo deviaturum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Rom. ecclesiæ; prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens, fateor, recognosco, accepto, & sponte suscipio; & me omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa ejusdem ecclesiæ Rom. primatum; & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam, ac perseverantiam servaturum promitto. Manualem insuper obedientiam, & reverentiam vobis * sanctissimi patris domini Nicolai tertii divina * summi Pontificis, & ipsius ecclesiæ Romanæ, ex nunc exhibeo, & me ab illis nullo unquam tempore recessurum, corporaliter præstito juramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

* nuntiis
* providentia

X. Contrarias in ea re Græcorum consuetudines refellendas esse.

*In præmissis autem nullam decet patriarcham, prælatos, aut clerum consuetudinem, quod jurare non consueverint, allegare; cum numquam similis casus acciderit, cujus possit consuetudo prætendi: nec hujusmodi consuetudines per usurpationem adversus superiores, & jura ipsorum; & maxime adversus Rom. ecclesiam contra canones usurpatæ, sunt aliquatenus observandæ: nec dicendæ tam consuetudines, quam abusus.*

Servanda incorrupta fidei dogmata.

*Volumus præterea, ut in eorumdem prælatorum & clericorum promissione veniat, quod nec contra suam professionem aliquid publice prædicare, vel occulte suadere præsumant; quinimmo illi qui officium prædicationis exercent, publice prædicent, & exponant fideliter suis populis eamdem fidei veritatem, & cantent etiam Symbolum cum additione illa, sicut præmittitur videlicet, Filioque. Adiiciatis nihilominus vestræ solicitudinis studio in omnibus prædictis professionibus & recognitionibus, quas fieri contigerit, alias idoneas securitates & cautelas, quas vobis circumstantiæ suggerent exigendas.*

*Cæterum ad faciliorem & pleniorem consummationem prædictorum expedire putamus, ut ad singula loca insignia illarum partium, ad quæ accedere poteritis, & de quibus videbitis expedire, vos personaliter conferatis, conjunctim vel divisim promissiones similes in eisdem locis cum solemnitate, ac observatione simili recepturi. De hujusmodi autem professionibus & recognitionibus fiant publica instrumenta.*

XI.

Jussi etiam insinuare Græcis, mirari Romanam ecclesiam, cur ipsi, ob schisma sententiis pluribus censurisque involuti, nondum ab iis absolvi flagitarint, atque

Jussi nuntii præsules adducere, ut censuris absolvi postulent.

atque etiam post devotum illi suum obsequium, in adepta dignitate, confirmari non popoſcerint: inde occaſionem aucupari imperati, ut Palæologum ad petendum Cardinalem legatum ſumma auctoritate ad perficiendam illam conjunctionem cumulatiſſimum expoſcat, de cujus juribus excipiendique illius ratione inquirant: *Item memorandum, quod poſt expeditum tractatum præmiſſorum, vel dum præmiſſa tractantur, & executioni mandantur, prout opportunitas obtulerit, & videbitur expedire negotio tangendum eſt, quomodo eccleſia Romana miratur, quod prælati & alii non curaverunt adhuc ſtatui ſuo ex conſideratione præteriti temporis providere. Cum enim ratione ſchiſmatis, in quo erant, multotiens latæ ſint ſententiæ contra eos, mirandum occurrit, quod ipſi quoad relaxationem ſententiarum ipſarum, & tam prælati quam alii clerici, & perſonæ eccleſiaſticæ ſuper irregularitate, quam ex conſequentia incurrerunt, ſe immiſcendo divinis, nullum adhuc petierunt remedium adhiberi.*

Flagitent in ſuſcepto munere confirmari.

*Item miratur Eccleſia quod patriarcha, & alii prælati poſt profeſſionem fidei factam, recognitum & ſuſceptum primatum eccleſiæ Romanæ, ac obedientiam promiſſum eidem ſuper confirmatione ſtatus ſui nullam proviſionem petere curaverunt.*

XII. Monet legatos iis literis, quibus excipiendarum in Græcia confeſſionum, reconciliandi Eccleſiæ in nonnullis caſibus anathemate ob injectas clericis manus irretitos, irregularitatis amovendæ, Imperatoris ac præſulum oratoribus dandi diplomatis, quo ipſis de tuto itinere caveatur, atque etiam anathematis in illos pronuntiandi apoſtolica auctoritate, qui eam conjunctionem diſturbare molirentur, provincia demandata eſt: ita extrema intelligenda, ut in Græcos principes, qui ad Philippum & Carolum deſcivere, cenſuras, ut urgebat Palæologus, ob eam defectionem non ferant, ni certiſſime conſtiterit, eos initæ cum Romana eccleſia conjunctioni adverſari, ob quod tantum facinus cenſuris percellendi viderentur.

Sententiam non ferant legati in Caroli fœderatos niſi rei catholicæ adverſentur.

*Item attendendum quod in quibuſdam literis, quæ vobis nuntiis diriguntur & incipiunt, Deſiderantes, ut ea quæ ad unionis &c. datur vobis ſub certa forma poteſtas excommunicandi auctoritate apoſtolica eos de partibus illis, quos negotii unionis ejuſdem fore vobis conſtiterit turbatores cujuſcunque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus exiſtant, & in terras ipſorum interdicti ſententias proferendi, nec non & procedendi alias ſpiritualiter & temporaliter contra ipſos & terras eaſdem, prout utilitati negotii, conſideratis ejus circumſtantiis, videritis expedire: quodque cum ſimilis poteſtas data fuerit per ſedem eamdem duobus epiſcopis, videlicet Ferentinati & Taurinenſi, qui una cum aliis noviſſime per ſedem ipſam ad idem negotium deſtinati fuerunt; dictus Palæologus ipſos inſtantiſſime requiſivit, & apud eos multotiens, & multipliciter inſtitit, ut contra quoſdam magnates & nobiles Græcos partium illarum, qui prædictis Imperatori Conſtantinopolitano & Regi Siciliæ adhæſerunt, & ipſis ſe confœderaverunt, ipſumque Palæologum impugnare dicuntur, tamquam contra turbatores prædictæ unionis procederent, eos excommunicando, & excommunicatos nuntiando, ac ipſorum terras ſupponendo eccleſiaſtico interdicto.*

Expetit Palæolog. cenſuras proceribus qui ad Carolum defecere, incuti.

*Ipſi tamen epiſcopi, poſt inquiſitionem ſuper hoc factam non proceſſerunt in aliquo contra eos; conſultius attendentes, quod nec prædicti prædeceſſores Gregorius & Innocentius hujuſmodi Palæologi ejuſdem inſtantiæ ipſis generaliter contra omnes recedentes, & receſſuros a fidelitate ſua porrectæ annuere voluerunt, ſicut apparet in literis ejuſdem Innocentii, quæ miſſæ fuerunt eidem Palæologo, quæ incipiunt: Innocentius Epiſcopus &c. chariſſimo in Chriſto filio Michaeli Palæologo &c. Dudum a ſede Apoſtolica, &c. Quarum tenorem vobiſcum portatis. Et ad illos remittunt in fine ſuo prædictæ noſtræ literæ, quas modo portatis Palæologo, quæ incipiunt: Sicut ex literarum, &c. Unde & vos, ſi forſitan idem peteretur a vobis, multum habetis attendere tam ipſius prædeceſſoris Innocentii proceſſum, quam dictorum epiſcoporum in hac parte conſtantiam, & maturitatem; ut & vos non faciles, nec præcipites in hoc inveniamini; ſed diligentes, ſoliciti, & maturi: & ita demum contra illos procedatis, ſi manifeſte vobis conſtiterit eos eſſe turbatores unionis ejuſdem; non eo ipſo quod a fidelitate, ſeu ſubjectione dicti Palæologi ſe ſubtraxiſſe, præfatis Imperatori Conſtantinopolitano, & Regi Siciliæ adhæſiſſe, eiſque ſe confœderaſſe, ac eundem Palæologum impugnare dicuntur: ſed ſi directe veniunt contra ipſam unionem, & directe impediunt, ne Græci & Latini in charitate mutua, unitate fidei, eccleſiæ Romanæ primatu recognito & ſuſcepto ſub ipſius obedientia uniantur.*

Jubentur nuntii eas infligere, ſi ii eccleſiarum conjunctionem diſcutere molianturur.

XIII. Ad afferendam hiſtoriæ lucem nonnulla ex Ogerii interpretis Latinæ linguæ, protonotarii Imperatoris Palæologi literis, ad Marcum, & Marchetum nuntios datis (a) videntur decerpenda: quibus juſſi ſunt referre Pontifici, poſt agnitum a Palæologo atque Andronico Romanæ eccleſiæ primatum, a nonnullis tumultus graviores concitatos, ac Michalitii ducis Patræ filios, alterum legitimum nomine Nichiforum, alterum nothum, factioni duces ſe præbuiſſe, atque

(a) Ext. apud. Nicol. to. 1. p. 102. n. 159.

Excitatæ adverſus Palæol. ob ſchiſma abjuratum turbæ.



que in tantam efferatos ſuperbiam, ut proſilirent in arma, atque Imperatorem, patriarcham, & alios ad Romanæ eccleſiæ ſinum reverſos hæreſeos nota aſpergerent.

*Honorabilibus viris dom. Marco & Marcheto latoribus literarum ſanctiſſimi & beatiſſimi ſummi Pontificis Apoſtolicæ ſedis veteris Romæ & univerſalis Papæ, & in Chriſto Deo ſpecialiſſimi & reverendiſſimi Patris potentis & ſancti domini mei Imperatoris.*

*Poſtquam locutus eſt dominus meus ſanctus Imperator vobiſcum, & retulit quæ oportet vos tamquam fide dignos habere in memoria, & denunciare ipſa apoſtolicæ magnitudini ſummi Pontificis, fore neceſſarium exiſtimavi hujuſmodi præſentibus literis exarare, ne forte, prout conſuevit accidere hominibus tum propter ſpatium itineris, tum propter prolixitatem temporis aliqua occurrat oblivio aliquorum, de quibus vobis commiſſa fuerunt. Ergo illa, quæ locutus eſt vobiſcum dominus meus ſanctus Imperator, referenda ſanctiſſimo domino ſummo Pontifici, ſic ſe habent.*

Querelæ graves Palæologi apud Nicolaum.

*Decet omnes Chriſtianos ad patrem ſpiritualem dicere veritatem, tanquam verum filium ad verum patrem: & ſi filius eſt Imperator gratia Chriſti, & pater, ſed pater patrum, ſicut ſanctiſſimus Papa Chriſti vicarius, juſtum eſt equidem, ut cognoſcere debeat dominus ſummus Pontifex illud, quod eſt verum de ſuo filio Imperatore. Propter hoc ergo dominus meus Imperator revelat & enucleat, quæ revera ita ſunt, ſanctiſſimo domino Papæ. Sunt autem quæ vult cognita fore magnitudini ſummæ apoſtolicæ ſanctitati hæc.*

De conjuratis in ipſum ob damnatum ſchiſma concitatis.

*Verum eſt, & jam patet, quod non poteſt dominus meus ſanctus Imperator complere ad præſens negotia ſua, quemadmodum erat in antea conſuetus complere, cujus cauſa talis eſt. Nam cum vidiſſent illi, qui ſunt in terra ſua, ſcilicet parentes ſui & alii, quod juravit idem dominus meus ſanctus Imperator Andronicus ratam tenere, ac firmiter conſervare obedientiam, honorem, devotionem, & filialem affectum, quæ conſtituerunt habere ad ſanctiſſimam eccleſiam Romanam, & per tempora ad ſanctiſſimos Papas; & certificati, quodamodo eſt impoſſibile, ut fiat aliquid aliud in diminutione tantæ obedientiæ ipſius ſanctæ Eccleſiæ; aliqui, tanquam non habentes ſcientiam ſufficientem intelligendi magnitudinem operationis hujuſmodi unionis eccleſiarum, alii vero propter malitiam & infidelitatem reſilierunt, & conturbari cœperunt; unus quorum eſt filius naturalis domini Michalitii, qui a Latinis dux Patræ vocatur; ſimiliter & alius filius ejus legitimus dominus Nichiforus, qui ut ſubditi, ſervi & ſubmanuales Imperii ſacramentum domino meo ſancto Imperatori fidelitatis, & ligii homagii multoties præſtiterunt de parendo præceptis & mandatis ſuis, a quo dignitates & officia, quibus nominati ſunt hactenus, acceperunt.*

Dux Patræ, & Nichiforus ſeditioſorum ſigniferi.

*Videntes itaque iſti obedientiam domini mei ſancti Imperatoris ad ſacroſanctam apoſtolicam Eccleſiam taliter ratam perſiſtere inſurrexerunt ex adverſo inopinate, ac oſtenderunt manifeſte infidelitatem ipſorum, vocantes hæreticos, cum ipſi vere infideles & hæretici ſint, ſanctiſſimum dominum Papam, quod perniciosum eſt tantummodo cogitare; ac dominum meum Imperatorem, & dominum patriarcham Conſtantinopolitanum, & omnes alios, qui ſubditi ſunt ſanctiſſimo. Quare dominus meus Imperator miſit ad eos nuntios, & monuit & perſuaſit removeri a vana inſtitutione eorum, & ſimul ſapere cum eodem ſancto Imperatore domino meo, & exiſtere ad obedientiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ. Cumque obedire penitus recuſaſſent, & reſilirent omnimode, idem dominus meus Imperator miſit expoſitam excommunicationem a nuntiis ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis, ſimiliter & excommunicationem, quam expoſuit ſanctæ Conſtantinopolitana eccleſia contra illos, qui nolunt convenire ad obedientiam domini ſummi Pontificis. Et cum adhuc convenire penitus recuſaſſent, miſit dominus meus ſanctus Imperator exercitum contra ipſos cum capitaneis de magnatibus Imperii, magnum videlicet mareſcalcum orientis dominum Andronicum Palæologum conſobrinum domini mei ſancti Imperatoris, & pincernam conſanguineum ejuſdem, qui habet in uxorem filiam primi conſanguinei domini mei ſancti Imperatoris. Fuerunt ſimiliter & cum eis transmiſſi Comninus Catacuſinus, & Palæologus dominus Joannes, ambo nepotes domini mei ſancti Imperatoris: qui, euntes ad expugnationem dicti infidelis ducis Patræ, non ſolum non ſtuduerunt contra ipſum procedere, ſed intimarunt ei, & retulerunt infidelitatem eorum talibus verbis: Nos tales cognoſcentes, quod Imperator unitus eſt cum Papa, habemus & ipſum hæreticum: & ideo a nobis contrarietatem aliquam non habetis, ſed quid vultis facere contra terram Imperatoris nunc habetis tempus.*

Affines Palæologi cum iis ſentiunt.

*Ad quorum ſuggeſtionem exivit dictus baſtardus, & occupavit quædam caſtra de terra domini mei ſancti Imperatoris. Cum autem cognoviſſet dominus meus Imperator infidelitatem ipſorum capitaneorum deſtinavit incontinenti, & removit ipſos de capitania, & vinculatos deduxerunt ipſos ad Imperium ſuum: & præcepit & fuerunt carceri deputati. Contra illum quidem conſtituti fuerunt novi capitanei, & injunctum fuit illis, ut ſolummo-*

Proditio in eundem conflata.

modo custodirent locum & terram, & non irent ad contrarietatem ac expugnationem ipsius bastardi. Illi vero non conservantes se juxta præceptum domini mei sancti Imperatoris, sed assumentes vanam virilitatem, ut juvenes æmulati fuerunt, & contra dictum bastardum impetum fecerunt, & intrarunt quandam clausuram & locum vix accessibilem & arctum: & ipse apostata inveniens in sui adjutorium duritiam loci & difficultates, nocuit eis. Equidem supradicti marescalcus, pincerna, capitanei, & qui cum eis erant, tales apparuerunt, quales erant ad contrarietatem ipsius bastardi. Item ad alias terras & alias capitanias fuerunt commissi alii magni viri, & propinqui domini mei sancti Imperatoris, scilicet nepos suus filius sororis suæ Palæologus, dominus Joannes Trachaniotus, Calojoannes Lascari primus consobrinus domini mei Imperatoris, & dominus Isachius Raulus Comninus consobrinus domini mei Imperatoris. Unusquisque igitur istorum commovit, & conturbavit, ad quam erat capitaneus expositi omnes ipsi ad ipsam contrarietatem propter ipsum opus obedientiæ sanctæ Romanæ ecclesiæ: quare detenti fuerunt & ipsi similiter alligati: ac interrogati cum supradictis inverecunde dixerunt, & egerunt palam erga dominum meum Imperatorem, quod propter unionem Papæ fecimus quidquid egimus, & debemus adhuc manere ad ipsum nostrum consilium.

Defectores alii schismatici.

XIV. Est autem & ad partes orientis terra, quæ nominatur Trapesunda: quam terram in captione facta de Constantinopoli a Latinis tenuit quidam de capitaneis, qui vocabatur Comninus dominus Alexius: & intimarunt prædicti infideles ad illum qui nunc est princeps ipsius Terræ Trapesundæ, existentem abnepotem illius quondam Alexii, quod Imperator factus est hæreticus, & subjectus est Papæ, & univit ecclesias, scilicet Græcorum & Latinorum, & si vocaberis Imperator, adhærebimus vobis, & constituemus quidquid voluerimus. Ille quidem, ductus inani consilio vocari se fecit Imperatorem & coronatus est, & induit se vestimentis decentibus Imperio, & fecit officiales, & tamquam Imperatorem honorari præcepit. Apparuit autem, quod sicut dispensarunt & miserunt ipsi infideles ad eundem principem Trapesundæ homines cum ipsis intimationibus, erant & Latini simul cum eisdem transmissis cooperantes ipsam legationem ipsorum. Non solum autem ipsi conturbarunt opus ecclesiasticæ unionis, talem eorum malitiam ostendentes; verum etiam multæ mulieres baronissæ, & speciales propinquæ domini mei sancti Imperatoris in ipsam malitiam inciderunt, scilicet soror domini mei Imperatoris, & neptis sua filia ejusdem similiter, & alia sua neptis filia alterius suæ sororis, similiter & cognata sua uxor quondam despoti fratris domini Imperatoris, & mater ejusdem uxor Sevastocratoris quondam soceri despoti. Ideo detentæ sunt & ipsæ, ac positæ sunt in carceribus, & bona earum mulierum & prædictorum baronum ablata sunt, & intromissa ad Imperiale vestiarium: similiter & ablatæ sunt possessiones, quas habebant, & feuda. Hi vero omnes supradicti barones qualia magnalia & dignitates habebant ab Imperio, & ad quot capitanias & castra conversabantur; quot etiam possessiones & terras habebant, & quantam substantiam, & bona ipsi & supradictæ mulieres, & his nunc omnibus caruerunt in carceribus positi, ab aliis potest scire sanctissimus summus Pontifex.

Alexius Trapesi princeps ab iis solicitatus.

Imperialia insignia corripit.

Latini vocati in crimen coitionis cum schismaticis.

Isti vero supradicti, qui detenti fuerunt in carcere, quantam devastationem intulerunt, eo quod habent parentes multos & magnos viros, & fere omnes, qui sunt in palatio, quosdam fratres, quosdam consobrinos, quosdam generos, quosdam avunculos, & nepotes, & aliam affinitatem, hoc manifestum est omnibus. Ideo postquam inventi sunt ipsi tot & tanti viri ad infidelitatem & incredulitatem, si voluerit secundum consuetudinem suam dominus meus Imperator mittere exercitum ad debellandum, & contrariandum inimicos suos, suspicatur ne forte qui debent transmitti capitanei exercitus magni viri & nobiles habeant & ipsi consilia cum prædictis infidelibus tamquam propinqui eorum, & cogitur ut cum cautela & provisione diligenter perficiat sua negotia propter ipsam incredulitatem: quare revelat sanctissimo domino summo Pontifici consilium suum, & dicit quod non potest ad præsens facere sua negotia, quemadmodum extiterat primitus consuetum: ad quos autem habebat certitudinem a baronibus & fidelibus hominibus suis cogitur mittere ex ipsis capitaneos ad terras & castra, quæ habet. Manifestum autem est, quod sicut ejectus fuisset quidam a domino meo sancto Imperatore conturbator, ubicumque erat & contrarius voluntati hujusmodi operis ecclesiasticæ unionis, confugientes plurimi tales ad terram ipsius bastardi, diligenter recepit eosdem, & congregavit de ipsis contrariis fere monachos centum, cum quibusdam abbatibus, & episcopis octo, & fecit concilium: & sederunt & locuti fuerunt quot voluerunt blasphemias contra Romanam sanctam ecclesiam, & contra dominum sanctum Imperatorem, & sanctissimum patriarcham & ecclesiam Constantinopolitanam, & anathematizarunt sanctissimum summum Pontificem, dominum

Palæologus in magnam de suorum fide suspicionem adductus.

Conciliabulum coactum a perfidis.

Monachi signiferi impietatis.

Nefaria eorum acta.



num meum Imperatorem, & patriarcham Constantinopolitanum, & omnes subjectos simul sapientes, & eos tamquam hæreticos.

Tricalensis episc. fidei causa divexatus.

Quidam autem episcopus, Tricalensis vocatus, quia destitit & surrexit contra eos, & dixit quod male facitis, & non convenit; cum eisdem ad ipsam malignissimam operationem illorum detinuit ipsum, & posuit in carcere per menses decem & octo: postea vero vix evasit de carcere ipso, & invenit lignum navigans, & intravit in ipsum & transfretavit de gulpho Neoptanti, & se contulit in Moream ad quoddam castrum domini mei Imperatoris: & exinde receperunt eum homines domini mei Imperatoris, & portaverunt & conduxerunt ipsum in Constantinopolim.

Patrensis a tyranno inhumane habitus.

Item alium episcopum vocatum Patrensem tenuit, & ipsum cogebat ut simul saperet cum eodem; & quia non obediit, sed dixit quod ego habeo primum prælatum Thessalonicensem, & ab ipso sum ordinatus, & ad concilium ivi Constantinopolim cum meo prælato, & dedi meam subscriptionem, quod debeam manere cum aliis ad obedientiam sanctæ Romanæ ecclesiæ, & est impossibile quod hoc debeam prætermittere & revocare subscriptionem meam; & expoliavit eum & reliquit eum cum sola camisia, & statuit eum sub cœlo discooperto; & stabat die noctuque afflictus ab hyeme & glacie in mense decembri: & hoc sit manifestum & certum sanctissimo summo Pontifici, & poterit super hoc cognoscere sua sanctitas malitiam ipsius apostatæ bastardi, & quomodo a se ipso divisus est, & non timet Dei judicium & non verecundatur de hominibus.

Philipp. Imp. & Carolus Rex Sic. schismaticos tuentur.

Latini vero, qui sunt ad partes Thebarum, & Athenarum, & Nigripontis, & Morearum non cessarunt adjuvare, & sibi ministrare auxilia omnimodo contra partem domini mei Imperatoris, scilicet ipsis apostatis Nichiphoro & bastardo. Misit autem dominus meus particularia ligna & particularem gentem in ipsos, & iverunt ad partes Nigripontis, & invenerunt Latinos, & debellarunt eos, & protexit Deus & vicerunt ipsos. Dominus autem meus Imperator advocat super hoc Deum testem, quia hoc opus non videtur sibi quod factum fuisset de virtute illorum, quos misit Imperium suum sanctum: sed quantum videtur sibi illi Latini debellati fuerunt a divina virtute, eo quod auxiliabantur talibus excommunicatis, & inobedientibus, & blasphemantibus sanctam matrem Ecclesiam: nam & populi quantitas, quæ debellavit ipsos Latinos, fuit ad comparationem illorum quasi modica; & nullo modo erat digna versus quantitatem & potentiam

Parta de illorum copiis insignis victoria.

Latinorum. Hæc sunt quæ locutus est vobiscum dominus meus sanctus Imperator, quæ debetis, sicut tenemini summæ apostolicæ sanctitati significare. Et subsignavi hæc ego protonotarius interpretum Latinorum curiæ domini mei sanctissimi Imperatoris Romaniæ ad cautelam.

Ego Ogerius protonotarius quæ supra manu propria scripsi & meo signo signavi.

De parta a Palæologo de Caroli Siciliæ Regis, qui Philippum generum Constantinopolitano Imperio restituere moliebatur, insigni victoria meminit Nicephorus (a) Gregoras. Nullas vero apostolicæ solicitudinis partes prætermisit Nicolaus, ut Carolum Regem ejusque generum Philippum Imperatorem cum Palæologo conciliaret: gravissimus enim metus impendebat, ne illud bellum Græcos a Romana ecclesia abalienaret: cui rei etiam operam dederat Joannes XXI. ac Palæologo Philippi & Caroli jura exposuerat, utque ad ineundam ad discrimina imminentia depellenda concordiam animum converteret. Sed hæc Palæologus dissimularat silentio, quem Nicolaus datis literis, (b) ut ob fidei edita exempla pulcherrima erat gratulatus, ita ob spreta de tractanda pace monita perstrinxit, jussitque de ea re cum pontificiis legatis agere, vias omnes perficiendæ illius scrutari, atque oratores, excurrente quinque mensium spatio, ad sedem Apostolicam transmittere. XV.

Pontificum pro sopiendo eo bello diligentia.

(a) Gregoras hist. l. 5.

(b) Eod. to. 1. l. 1. ep. 144. & cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. p. 71.

Charissimo in Christo filio Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum illustri salutem & apostolicam benedictionem.

Nicolai Papæ lit. ad Palæolog. Imp.

Ex more quemvis opificem conservatio sui operis afficit, & ad vitanda solicite quæcumque contrarii etiam suspicionem inducerent, instinctus quasi naturalis inducit. Porro circa negotium unionis inter Latinos & Græcos, non sine multo & mutuo hinc inde labore promotum, eminet evidenter sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ nec solicitudo dissimilis, nec dispar affectus. Siquidem felicis recordationis Joannis Papæ prædecessoris nostri tempore, apostolicis directis magnificentiæ tuæ literis, ne unio eadem ex dissensione, quam inter te ex parte una, & charissimos in Christo filios nostros Imperatorem Constantinopolitanum & Carolum Siciliæ Regem illustres ex altera temporalium subministrat occasio, dispendium sentiret in aliquo; facti circumstantias non sub involucro verborum involvere nec sub aliquo velamine velari studuit; sed revelata veritate dictorum principum querelas aperuit, detexit instantiam, & propositum non celavit. Nec omisit, sed ad communem cautelam, suæque puritatem conscientiæ conservandam, pia denuntiavit

Joannis XXI. in ea re conciliand studium.

*vit intentione pericula, quæ dissensio eadem comminatur.*

*Ad quæ vitanda consultius prædictis principibus exhortatis ad pacem magnificentiam tuam monuit, & rogavit attentius, paterno affectu nihilominus persuadens, ut proinde dubiis guerrarum consideratis, & vitatis eventibus, quo solent innumera dispendia prævenire, animum tuum ad concordiam præparans & disponens ad pacem; ac vias & modos, per quos inter te ac principes memoratos pax & concordia possent provenire facilius, diligenter excogitans; illos, sedis Apostolicæ nuntiis tunc ad tuam præsentiam destinatis communicare ac ipsos super eis informare curares: sed & nihilominus apocrisarios tuos animum, & plenum ad prosequendum eosdem modos & vias, & etiam consummandum, mandatum habentes, infra certum terminum in literis ipsis expressum, ad sedem destinares eandem. Sed & ne medio tempore per molestias vel injurias aliquas inter te ac sæpefatos principes posset exasperari negotium, ut ab illis abstineretur omnino, treuguas aliquas, ad quas memoratos principes variis inductionibus inclinarat, prout prædicti nuntii sui suggererent, persuasit iniri. Super iis autem nullo a magnitudine tua recepto responso, ex eo nobis & fratribus nostris datur admirationis non injustæ materia, quod cum prædiceris vir esse consilii, vir magnæ prudentiæ, tantum ac tale spiritualis tui patris consilium ne contempsisse dicaris, taliter præteriisti, nec ipsum facto prosequens, nec ad illud scripto seu verbo respondens; præsertim cum habuerit hactenus tua instans & repetita petitio, quod ad Latinos & Græcos in charitate mutua solidanda tractatus erat temporalium præmittendus: licet ejusdem Ecclesiæ circumspecta provisio non indigne a spiritualibus elegerit initium assumendum.*

Suasit Palæologo, ut nuntios ad sedem Apost. mitteret.

Prætermissum a Palæologo illius consilium.

XVI. Urget Nicolaus Palæologum, ut rem cum nuntiis pertractet.

*Quia vero per hæc monitioni charorum insistitur, ad quorum utilitatem stimulis charitatis urgemur; quamquam ex parte tua non fuerit efficaciter præmissa, ut decuit, admissa monitio; nos tamen propterea nequaquam desistendum a cœpris, sed ad conservationem unionis ipsius, & vitandum pervigili studio quæcumque possent occasionem turbationis ejus inducere, præmissum affectum ejusdem Ecclesiæ prosequendum potius æstimantes; excellentiam tuam attente rogamus & affectuose monemus, exhortantes in Domino Jesu Christo, quatenus prudenter attendens, quanta ex hujusmodi sedatione discordiæ detur, non solum utrique parti, sed etiam toti quasi Christianitati tranquillitas; quanta vitentur ex ea pericula, quam sit eadem animarum saluti congrua & soliditati tui tuorumque status accomoda, juxta præmissas exhortationes & persuasiones ejusdem tuæ matris Ecclesiæ, sine cunctatione aliqua pacis semitas prosequaris, & in excogitandis prædictis viris & modis venerabili fratre nostro Bartholomæo episcopo Grossetano, & dilectis filiis fratribus Bartholomæo de Senis ministro Syriæ, Philippo Perusino, & Angelo Urbevetano lectoribus ordinis Minorum, nuntiis nostris, circa illos, prout utilius fore putaveris, informandis, nullum ulterius negligentiam habiturus; apocrisarios tuos, viros quidam idoneos, viros pacificos, ad pacem & concordiam, ut præmittitur animum & mandatum habentes, infra quinque menses post receptionem præsentium destinare ad ejusdem sedis præsentiam non omittas.*

Hortatur ad inducias cum Carolo ineundas.

*Sed & ad compescendum hinc inde molestias & injurias, quæ possent partium animos irritare, circa treuguas certi temporis, cum dictis principibus ineundas, eorumdem nuntiorum nostrorum persuasionibus acquiescas, pensans consultius, quod cum treuguarum conventio ex utriusque partis consensu dependeat, non expedit alterutram partium certam formam eligere, sed ad communem & æqualem decet eas animos inclinare; nec aliquid petere, quod vel absurditatem sapiat, vel a justitia & ratione discordet. Datum Viterbii non. octob. anno* 1. Dedit inter cætera nuntiis apostolicis de ea re imperia Pontifex (*a*), ut Palæologum ad ineundas cum Philippo Imperatore & Carolo Rege inducias; tum ad controversiam totam sedi Apostolicæ permittendam adducerent: pariterque hortatus est Philippum (*b*), & Carolum (*c*) Pontifex, ut inducias armorum coirent cum Palæologo, oratores ad sedem Apostolicam summa ad controversiam dirimendam instructos auctoritate, ut cum Palæologi oratoribus pacis agitarent consilia, mitterent; nec Græcis apocrisariis ullam inferrent injuriam, ac regio syngrapho per eorum terras libere commeare concederent (*d*). At de his hactenus: nunc quæ ad collustrandos Evangelii luce gentiles consilia agitarit, afferamus.

(*a*) Ib. ep. 152.

Ad permittendam sedi Apost. controversiam.

(*b*) Ib. ep. 28. & 35.

(*c*) Ep. 36. & 153. & cit. cod. Vallic. p. 34.

Carolus & Phil. ut mittant ad Pontif. oratores moniti.

(*d*) Ep. 153 cod. Vallic. p. 34.

XVII. Religio inter Tartaros propagata. Abaghæ Regis ad Rom. eccles. legatio.

Accesserant antea ad Joannem (quem vulgo XXI. appellare consuevimus, cum tamen XX. in Pontificum ejus nominis numero extiterit) Abaghæ orientalium Tartarorum Regis oratores, qui in Cardinalium cœtu exposuere, Abagham arma in Saracenos conversurum, si Christianus exercitus in Syriam transfretaret; atque illum commeatu & rebus necessariis instructurum: præterea magnum Caanum Quobley omnium Tartarorum Imperatorem, Christianis sacris jam initiatum, traducendorum ad Christum filiorum



rum desiderio teneri, atque in votis gerere, ut sedes Apostolica nonnullos viros rerum divinarum cognitione excultos mitteret, qui Tartaros docere ac baptismo abluere possent. Et quidem Joannes aliquibus eam provinciam injunxerat, cum mors ipsius ejusmodi consilia discussit: evectus vero ad Pontificatum Nicolaus, ex Minoritarum familia lectissimos viros inferendi Tartaris Evangelii muneri præfecit hoc anno, subjectasque literas ad Abagham magni Chami nepotem scripsit (*a*).

(*a*) Ib. ep. 13.

XVIII. Nicolaus ad Abagam scribit.

*Excellenti & magnifico principi Abaghæ Regi orientalium Tartarorum illustri viam agnoscere veritatis.*

*Exultavit & exultat in Domino Romana mater ecclesia in iis, quæ grata felicis recordationis Joanni Papæ prædecessori nostro & ejus fratribus accepta quamplurimum, Joannes Vassalli miles, & Jacobus Vassalli, magnificentiæ tuæ nuncii, eisdem prædecessori & fratribus ex parte tua quædam contenta literis, & quædam expressa vivæ vocis oraculo portaverunt. Sub tuo namque nomine præsentatæ per eosdem nuntios eidem prædecessori literæ, sicut asseritur, continebant, quod si Christianum exercitum in Terram sanctam transfretare contigerit; tu terram tuam & provisionem victualium ipsius exercitus Christiani; nec non & personam tuam, ac potentiam tui exercitus contra inimicos Christianæ fidei, videlicet Saracenos, devota promptitudine offerebas.*

Pollicetur conjuncturum arma adversus Saracenos.

*In fine vero continebatur earum, quod eisdem nuntiis in omnibus, quæ pro parte tua dicerent, crederetur: sub qua credulitate, rem Deo placitam, eisdem prædecessori & fratribus, inter quos nos tunc officium Cardinalatus habebat, amabilem retulerunt. Est quidem res ipsa digna lætitia, plena jubilo tota, divinæ laudis extollenda præconiis, quæ si factis dicta frequentibus confirmetur, salutem tantarum continet animarum, videlicet, quod charissimi in Christo filii nostri Quobley magni Caani Imperatoris & moderatoris omnium Tartarorum illustris avunculi tui (qui jam dudum fuisse asseritur baptizatus) & tuis inhæret affectibus; personas aliquas ad vos per Romanam ecclesiam destinari, per quas in Christiana fide, vos, filii, populique vestri instrui valeatis; & ab eisdem prædicti filii vestri, & alii de utriusque populo seu exercitu baptizari. Lætetur ergo mater Ecclesia, si sponso suo Jesu Christo, sua misericordi operante clementia, tot possit filios per baptismi lavacrum generare. Lætetur & pastor Ecclesiæ, si Christiana plebs suis temporibus tanti populi quasi infinito numero augeatur. Quid miri si cœtus exultet angelicus in tantarum perditarum ovium obtenta salute, cui secundum evangelicam veritatem, unius peccatoris pœnitentia super nonaginta novem justis prædicatur acceptior? O nostra beata tempora, si diebus nostris tale, ac tantum gaudium possemus illi cœlesti curiæ præsentare!*

Significavit avunculum Quobley Imper. Christianis sacris initiatum.

Pontificis de felici nuntio gratulatio.

XIX. Abagham ad Christi cultum allicere studet.

*Sane, quæ per easdem literas tua obtulit prompta devotio, gratanter eorundem prædecessoris, & fratrum non immerito sensibus adhæserunt. Grandia enim sunt, immo maxima reputamus, quæ sic devote porrigit, & sic prompte promittit tuæ celsitudinis magnitudo. Nec est verisimile, quin digitus Dei circa hoc operetur in te, quod tantus zelus ad negotium Christi cor tuum videtur accendere, ut te ipsum, populi tui robur, terram, ac victualia contra inimicos Christi deliberaveris exponenda.* Gessisse Abagham Cobilæ, sive Quobley Imperatoris nepotem bellum cum Sultano Ægyptio, refert Sanutus (*b*) ac Sultanum cum Tartaris Cumaniæ fœdus iniisse, ut se mutuo tuerentur; unde argumento est Abagham aliis fœderibus, nimirum Christianorum adversus Saracenos partes suas augere meditatum fuisse, vero insigni prudentia, parique in rebus gerendis felicitate.

(*b*) Sanut. l. 3. p. 23. c. 8.

*Super eo vero, quod de præfatis personis, per eandem Ecclesiam transmittendis, prædicti nuncii sub prædicta credentia retulerunt, dictus prædecessor grata sibi quamplurimum tua per eosdem nuncios facta requisitione commotus, certos nuncios propter hoc ad partes illas decreverat destinare; quos ad id diligenter accinctos superveniens obitus prædecessoris ejusdem ab imposito eis itinere non indigne retraxit. Unde nos post alicujus decursum temporis, ipsius Christi vicarius & beati Petri, disponente Domino, licet immeriti, successor effecti; super omnia, quæ nobis ex injuncto incumbunt apostolatus officio ad tuam omniumque salutem, nostræ intentionis dirigimus aciem; ad hanc præcipue mentis nostræ firmamus affectum, circa eam diligenti studio, & studiosa diligentia vigilantes, ut errantes ad viam veritatis reducere, omnesque Deo lucrifacere sua nobis cooperante gratia valeamus. Unde tibi de oblato succursu actiones referimus gratiarum, & quod super præmissis expediat, cum tempus adfuerit, prout rerum & temporum exegerit qualitas, salubriter, dante Domino, disponemus.*

De oblata adversus Saracenos armorum potentia gratias agit.

*Pro tua quoque prædicti Caani, filiorum, populique sui, tua, populique tui procuranda salute servitutis nostræ debitum exolventes, fratres Gerardum de Prato, Antonium de Parma, Joannem de S. Agatha, Andream de Florentia, & Matthæum de Aretio ordinis Minorum, latores præsentium, viros religione conspi-*

Significat Minoritas ad Tartaros mittere.

*spicuos, honestate vitæ pudicos, morum claritate decoros, & sacræ Scripturæ scientia præditus; ut tu, fili, populusque tuus, ipsum Dominum Jesum Christum Salvatorem nostrum salutaribus eorum eruditionibus agnoscendo, ac ab eis illi ex vobis, qui nullum baptismum hactenus, vel non in forma debita, receperunt, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; auctoritate nostra secundum ritum, quem in hoc eadem servat Ecclesia Christi, baptismate baptizati nomen suum gloriosum, quod est super omne nomen, Christianæ fidei observatione colatis; de fratrum nostrorum consilio duximus destinandos. Quibus etiam per nostras literas, & oraculo vivæ vocis injunximus, ut opportuno tempore juxta prudentiæ tuæ motum, ad præfatum Caam se personaliter conferant, ut & ibi circa salutem animarum procurent juxta datam ipsis divinitus gratiam, ac Deo miserante perficiant, quod eorundem asseruit relatio nuntiorum; & Christi operante clementia, devota mente cupimus, & speramus. Ideoque magnificentiam tuam monemus, &c. Preces addit, ut ipsis in iis, quæ de baptismi sacris ac religione Christiana retulerint, fidem adhibeat, liberum commeatum ad Imperatorem tribuat, regioque eos favore prosequatur; fauste demum illi precatur his verbis: Nos & fratres nostri divinam clementiam exoramus, ut sic tibi & filiis eisdem dies prosperitatis adaugeat, & actus vestros dirigat ad salutem, quod vobis, populo, exercituique prædictis cum catholicis in lucis ambulantibus claritate in felicibus vestris successibus æterni patris oculi delectentur. Dat. Romæ apud S. Petrum kal. aprilis anno 1.*

Impense illos eidem commendat.

Abagha ab idolorum cultu non revocatus.

XX. Aliæ ad Quobley Imp. Pont. lit.

Respuit Abagha suluberrima de suscipiendis baptismalibus sacris Pontificis monita, quem idolorum cultui mancipatum fuisse refert Sanutus (*a*). Longe felicior ipso Quobley, quem auctor Cobilam vocat, cui Nicolaus apostolicis literis ob susceptam fidem gratulatus, atque ad eam in subditos populos diffundendam est cohortatus (*b*).

(*a*) *Sanut. l. 3. p. 13. c. 8.*

(*b*) *Eod. l. 1. ep. cur. 14.*

*Charissimo in Christo filio Quobley magno Caano Imperatori & moderatori omnium Tartarorum salutem & apostolicam benedictionem.*

De Verbi divini incarnatione illum edocet.

*Plasmator hominis Deus, de parentis protoplasti fraude facta generi humano patienti compatiens, ut hominem redimeret peccati labe collapsum, quem ad imaginem suam, similitudinemque formaverat, quemadmodum legis ænigmata figurabant, & sanctis patribus promissum fuerat in prophetis; ex nimia charitate misit in mundum Filium suum unigenitum Dominum Jesum Christum, sibi coæternum & majestate potestatis æqualem, factum ex muliere, in cujus sacro utero, non ex virili semine, sed sancti Spiritus operatione conceptus; inde pariendi completo tempore, permanente gloria maternæ virginitatis, egressus, cunctis visibilem se ostendit: & tandem illos, pro quorum salute de excelso solio, ad solium infimum mundi descenderat, salutaribus institutis informans, & viam vitæ ipsis indice perfectæ doctrinæ demonstrans; post sanctæ conversationis exempla, post evangelicæ instructionis eloquia, postquam se verum hominem, verum Deum, ac Dei Filium sacris scripturis, signis & virtutibus comprobavit; licet esset impassibilis divinitate, vera tamen, quam assumpserat, humanitate passibilis, dignatus est sub diræ crucis supplicio mortem pati, ut pœnali præsentis vitæ fine pœnam mortis perpetuæ, quam protoplasti posteritas ipsius incurrerat transgressione, finiret, & de amaro calice suæ mortis temporalis hauriret homo vitæ dulcedinem sempiternæ.*

Perfecta ab eo humani generis redemptione.

*Pro humani ergo redemptione generis se hostiam exhibens, illud suæ salutis hoste prostrato, de opprobrio servitutis eripuit ad gloriam libertatis cœlestis, sibi patriæ ostium reserando: & deinde, licet passus mortuus, & sepultus ut homo: die tertia tamen a mortuis divina virtute resurgens, ac testibus præordinatis a Deo suam veram resurrectionem, per quam & nostram firmiter speramus & credimus, manifestans, ipsos ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, ac baptizandum omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti in universum mundum, tamquam salutis humani generis angelos, destinavit. Et demum eisdem videntibus, ut iidem ascensionis, qui & resurrectionis testes existerent, in cœlum elevatus ascendens, vicarium sibi beatum Petrum reliquit in terris, cui animarum curam, ut earum saluti prospiceret, amoris ejus constantia trinæ professionis argumento probata, commisit, tradens sibi claves regni cœlorum, per quas ipse suique post eum successores potestatem aperiendi omnibus, & claudendi ejusdem regni januam obtinerent; ac in eis in dispensatione cœlestis gratiæ summæ potestatis auctoritas resideret. Hæc ergo ipsis imminet ex apostolatus officio cura præcipua, salutem quærere singulorum. Hanc exemplo Salvatoris pendentis in cruce sitit Christi vicarius: hanc piscando perquirit piscatoris Petri successor. Hæc civitatem Dei obtenta lætificat: hæc etiam in umbræ mortis regione degentibus per vias gradientibus tenebrarum, aliquibus sperata præsagiis, mentem summi pastoris exhilarat, officium excitat cura promovere solicita, quatenus ambulantes in tenebris videant lucem magnam.*

Tradita B. Petro & successoribus auctoritate.

Traducendarum ad Christum gentium desiderium explicat Pontifex.

*Por-*



XXI.

*Porro ab olim in eo Romana mater exultavit ecclesia, & felicis recordationis Joannes Papa prædecessor noster lætitiæ incrementa suscepit, quod de te per Abagua Regem orientalium Tartarorum illustrem, nepotem tuum suis extitit auribus intimatum; videlicet quod dudum te gratia divina præveniens mentem tuam sua misericordi virtute commovit, ut semitas erroris abiiciens, vias incederes veritatis, recipiendo Christi baptismum; ut sic regeneratus in Christo, populo fidelium jungereris. Ex hoc tua fertur accensa devotio, ut sacrosanctam Romanam revererris ecclesiam, cultum diligas Christianum, & ipsos Christianos, sub ditionis tuæ degentes imperio, charitative foveas, favoribus munias, benigne pertractes, ac ipsos in libertate conserves; & in tantum, prout asseritur, gratia te divina prosequitur, quod natos tuos ad agnitionem Christi, & ejus quam prædicavit & docuit veram fidem, pervenire desiderans, eos de auctoritate Romanæ ecclesiæ appetas baptizari; ut ab ipso Christo dici valeant veraciter Christiani, & veteribus erroribus derelictis, per viam veritatis euntes, per bona opera suas animas possint reddere Creatori. Nec hoc tantum in filiis, quinimo in toto tuo exercitu affectas, sicut fertur, impleri.*

Gratulatur baptismalia sacra suscepisse.

Ad propagandam religionem excitat.

Commendat in conversione Tartarorum divinam providentiam.

*O si ita sit, laudanda paternitas, quæ suos filios, ne pereant, dirigit ad salutem! O ducatus fidi ducis errantis exercitus, dignis laudum præconiis attollendus, qui ductos in devium reducere conatur ad viam; exercet suis studiis, ut errans exercitus a noxiis retrahitur exercitiis; & ad salutaria dirigatur! O summi Dei laudanda clementia, quæ tantum populum, tantis erroribus, tanto tempore excœcatum, oculis suæ pietatis aspiciens, semitas aperit, ut perducatur ad lucem! Confirmet autem Deus, quod operatus est in te: tuque a Deo tibi factam gratiam devota mente conserva, ut & ipse quam cœpit, adaugeat, quousque hæc scintilla tenui sua, quæ prævenit, sequente gratia, in ardorem transeat salutiferæ charitatis.*

XXII.

*Cum autem idem Abagua dicto prædecessori suis literis & nunciis, sicut asseritur, intimarit, quod tuis, ut dictum est, inhæret affectibus, personas aliquas ad te per eandem Ecclesiam destinari, per quas in Christiana fide plenarie instrui, & ab eisdem dicti filii tui, & alii de tuo exercitu baptizari possitis; prædictus prædecessor, ejusdem Abagua grata requisitione commonitus, certos nuncios propter hoc ad partes illas decreverat destinandos, quos ad id diligenter accinctos, superveniens obitus prædecessoris ejusdem ab imposito eis itinere non indigne retraxit. Unde nos; qui tunc Cardinalatus officium gerebamus, post alicujus decursum temporis ipsius Christi vicarius, & Petri, licet immeriti, disponente Domino, successor effecti, super omnia, quæ nobis ex injuncto incumbunt apostolatus officio, ad tuam omniumque salutem nostræ intentionis dirigimus aciem: ad hanc præcipue mentis nostræ destinamus affectum: circa eam diligenti studio & studiosa diligentia vigilantes, ut errantes ad viam veritatis inducere, omnesque Deo lucrifacere sua nobis cooperante gratia valeamus.*

Significat ob Joannis Pont. obitum retardatum sacerdotum iter.

Missi ad excolendam Tartariam Minoritæ.

*Verum quia, humanæ conditionis renitente natura, uno eodemque tempore diversis locis præsentialiter adesse nequimus; ne ullatenus negligere videamur absentes, ad eos viros discretos & providos transmittimus vice nostra; ipsorum ministerio circa illos apostolicæ servitutis debitum exolventes. Hinc est, quod in ipsis nostræ promotionis auspiciis, quæ præmissa sunt cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus recensentes, pro tua, filiorum, populique prædictorum procuranda salute dilectos filios fratres Gerardum de Prato, Antonium de Parma, Joannem de S. Agatha, Andream de Florentia, & Matthæum de Aretio ordinis Minorum, latores præsentium, viros religione conspicuos, honestatis vita pudicos, morum claritate decoros, & sacræ scripturæ scientia præditos; ut tu, fili, populusque prædicti, ipsum Dominum Jesum Christum Salvatorem nostrum, salutaribus eorum eruditionibus agnoscendo, ac iidem filii & alii de populo tuo, qui nullum baptismum hactenus, vel non in forma debita receperunt, ab eis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti auctoritate nostra secundum ritum, quem in hoc eadem servat Ecclesia, Christi baptismate baptizati nomen suum gloriosum, quod est super omne nomen, Christianæ fidei observatione colatis; de ipsorum fratrum nostrorum consilio duximus destinandos.*

Qui extiterint ii.

*Ideoque celsitudinem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, quatenus eosdem fratres Minores, seu illos ex eis quos ad te pervenire contigerit, si forsan ipsorum aliquem mors vel casus aliquis a prosecutione injuncti eis per nos itineris impediret, immo potius nos in ipsis pro divina & nostra reverentia benigne recipiens, ac honeste pertractans, super iis, quæ tibi ex parte nostra de susceptione baptismi & instructione Christianæ fidei, ac ipsius observantia, & aliis, quæ salutem contineant animarum, dixerint, fidem indubitatam adhibere procures; & nihilominus cum nos propter viarum pericula, longitudinem itineris, & incertitudinem temporis, per quod eosdem in partibus illis oporteat immorari, nequi-*

*quivimus eisdem in determinata & certa necessariorum sufficientia providere, quamdiu ipsos in partibus eisdem morari contigerit, provideas diligenter ac sufficienter eisdem in eundo, morando, & redeundo ad nos de securo conductu & necessariis opportunis; ut ipsi ad præsentiam nostram, & prædictorum * nostrorum, cum optato fructu tanti populi speratæ salutis læti de suis laboriosis operibus tute valeant remeare. Tu vero Christianos omnes ad tuum confluentes Imperium, seu morantes in ipso favorabiliter prosequens, ipsos dextræ tuæ protectione munias & defendas, ut per hoc & alia quæ, ut speramus, exercebis opera charitatis, & gloriam in præsenti & æternæ retributionis præmium recipias in futuro. Datum Romæ apud S. Petrum* 11. *non. aprilis anno* 1.

* fratrum

Perfuncti igitur amplissima ea legatione insignes divinæ gloriæ propagandæ zelo, ac doctrina viri, e sacra B. Francisci familia Gerardus, Antonius, Joannes Andreas, Matthæus ingentibus privilegiis a Pontifice exornati sunt (*a*) ut impositam provinciam majori auctoritate gererent. Nonnulli vero alii ex eadem familia divini verbi semen inter Tartaros Scythas feliciter sparserant, ac plures gentilitiis erroribus involutos, ad Christi cultum traxerant: cumque nullus episcopus in iis regionibus ageret, & civitas, quæ in Tartarorum limite sita erat, jamdiu deleta esset; unde Minoritæ ad sacros ordines non poterant promoveri, qui iisdem Minoritis in iis regionibus præerat, exposuit Pontifici, episcopum in iis partibus magnas utilitates rei Christianæ allaturum. Quibus permotus Nicolaus Philippum episcopum Firmanum A. S. L. instituere episcopum jussit (*b*) ac si qui proventus ad sedem Apostolicam spectarent, eos ad sustinendam dignitatem episcopo attribuere. Cumque Cumani ad excipiendos divini verbi satus egregie comparati viderentur, præfecto Francisanorum in Ungaria præcepit (*c*) ut aliquos e suis ad fidem propagandam submitteret.

(*a*) *Ib. ep.* 15.

Inter Cumanos & Scythas religio diffusa a Minoritis.

(*b*) *To.* 1. *l.* 1. *ep.* 180.

In Tartariæ limite episcopatus jussu Pont. institutus.

(*c*) *Ib. ep.* 179.

XXIII. Philippus episc. Firmanus legatus in Ungaria, &c.

Quod ad res Ungariæ, e qua viri apostolici in Cumanos & Tartaros ad lucem Evangelii inferendam excurrebant, attinet; adversis populorum in Regem factionibus afflictæ admodum ac laceratæ erant: ad quas restituendas Nicolaus Philippum episcopum Firmanum, quem paulo ante memoravi, Apostolicæ sedis legatum creavit (*d*) contulitque ut in Pannonia ea dignitatis insignia gestaret, quibus legati apostolici in transmarinis partibus decorarentur. Ea vero ornamenta in Polonia, Rama, Dalmatia, Servia, Cumania, Galatia, Lodomeria ferre omnino vetuit, ad quas regiones illius legationem exporrexit. Decretam vero eam fuisse ad Ungariæ civiles motus, qui sub Rege Ladislao in effusam libidinem soluto exorti erant, indicat Pontifex in literis ad Philippum legatum datis.

(*d*) *Lib.* 1. *ep. cur.* 91.

*Nicolaus &c. Philippo episcopo Firmano Apostolicæ sedis legato.*

*Nobilis regni Ungariæ necessitates, Apostolicæ sedi frequenter expositas, præcordialiter intuemur, auditas recolimus, & non sine cordis amaritudine sæpius contemplamur. Condolemus enim tumultuosis motibus, & seditiosis tumultibus illius, qui vel per dissidia simultatum alterutrum dissident, vel congressus mutuos, & bella plusquam civilia immaniter colliduntur. Ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii, graviter solium regale deprimitur, ejusque depresso regimine, non solum in regno ipso vastantur bona fidelium; sed jura ecclesiarum & aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, & libertas ecclesiastica damnabiliter conculcatur: animarum quoque subsequuntur deplorandæ pericula, nefanda personarum excidia, & alia fere innumera detrimenta, &c.* Interjectis nonnullis, quibus Firmano episcopo gerendæ legationis provinciam demandat, hac illum prærogativa exornat.

Ungaria civili seditione ardet.

*Nos itaque tam ingenti & periculosa necessitate præmissorum attente pensata, te, de cujus claris meritis & probata industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad regnum ipsum, tibi legationis officio plene commisso, in eodem regno, ac Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Lodomeriæ, Galatiæ, & Cumaniæ partibus illi contermimis; ut in eis evellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices & plantes in nomine Domini, sicut videris expedire: de fratrum nostrorum consilio, velut pacis angelum destinamus: injuncto tibi nihilominus, ut in regno ipso inter eundem Regem & regni personas, necnon tam ibidem, quam in provinciis memoratis inter ecclesiasticos & mundanos viros, & universos alios cujuscumque conditionis, præeminentiæ, sive status agere studeas, & tractare, quæ ad cultum Dei, Apostolicæ sedis honorem, observantiam canonicæ sanctionis, redintegrationem ecclesiasticæ libertatis, robur status regii, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum salutem, & tranquillitatem corporum pertinebunt. Et ut circa legationis officium, quod in eodem regno Ungariæ tibi duximus committendum, eo possis prosperari facilius, quo solitis legatorum, qui missi de latere mare transeunt, adornatus insignis personam nostram quodammodo præsentabis, de speciali gratia apostolica tibi auctoritate concedimus, quod eisdem insignis, infra prædictum Ungariæ regnum dumtaxat, & terras dominio ejusdem Regis subjectas, uti libere valeas, prædictæ legationis officium prosequendo, &c. Dat. Viterbii* x. *kal. octobris anno* 1.

Legatorum transmarinorum insignia Firmano ep. attributa.



Nec leve damnum Ungariæ ecclesiasticorum dissensiones inferebant, quæ maxime in Strigoniensi clero in archiepiscopi electionis causa exarsere diutius: ad quas extinguendas Nicolaus præficiendi archiepiscopi munus sedi Apostolicæ reservavit, (*a*) tum Wadariensem episcopum ad sedem Strigoniensem traduxit: quo argumento datis ad Regem Ungariæ literis, (*b*) hortatus est, ut eum susciperet, atque ad episcopum, ut egregias virtutes, quas præ se tulerat, in tam præclaro munere expliceret.

Waradiensis episcop. ad Strigonien. sedem traductus.

(*a*) *Lib.* 1. *ep.* 68.

(*b*) *Ext. apost. lit. in cod. Vallic. sig. lit.* C. *n.* 49. *p.* 74.

XXIV. Bellum atrox Gallos inter & Hisp.

Exercuere præterea Nicolaum aliæ graves curæ in sedandis aliis Christianorum principum bellis civilibus. Excitati erant gentiles Tartari ad Saracenicam superstitionem excindendam, fidemque Christianam amplectendam, ut vidimus, egregie animati, cum Europæi Reges crucesignati, in funestas discordias abrepti, in mutua funera arma distrinxere. Ardebat atrox bellum inter Philippum Francorum, qui sororis viduæ & pupillorum causam susceperat, & Alfonsum in suos e Ferdinando filio majori natu nepotes iniquiorem, propensioremque in Sanctium; ad quod sopiendum jam ante transmiserat Joannes XXI. Hieronymum Minoritarum, & Joannem Prædicatorum summos præfectos ad Franciæ & Castellæ Reges conciliandos, cujus consilia Nicolaus successor prosequi instituit, cum nondum belli inter illos motus deremuissent. Eosdem ergo ob perspectam ipsorum prudentiam jam dignitatibus auctos, Joannes enim patriarcha Hierosolymitanus electus fuerat, Hieronymus numero Cardinalium a Nicolao ipsius pontificatus initio una cum aliis octo aggregatus, ut refert Ptolæmeus (*c*) Lucensis; ac postea sub Nicolai IV. nomine summum pontificatum adeptus est; ad susceptam legationem, ac præclare hactenus gestam jussit incumbere; (*d*) conjunxitque iis Gerardum basilicæ duodecim Apostolorum presbyterum Cardinalem, cui præcepit, ut Tolosam, quam urbem ut locum Regibus accommodum delegerat, se conferret, quo cum utriusque Regis oratoribus pacis tractatum agitaret. Tum Philippum (*e*) Francorum, Alfonsum Castellæ (*f*) Reges, ac Sanctium illius filium ejusmodi belli fontem, si pater graviori morbo implicitus foret, oratores auctoritate ad conciliandam controversiam munitos transmittere jussit.

Missi ad illud sopiendum legati.

(*c*) *Ptol. Luc. in annal. & Bern. in chron. Rom. Pont.*

(*d*) *To.* 1. *l.* 1. *ep. cur.* 20. 21. 22. Gerardus Card. iis adjunctus.

(*e*) *Ib. ep.* 42. & *eod. Vall. p.* 82.

(*f*) *Ib. ep.* 43. & *eod. Vall. eod. p.* 82.

Tolosam deligit Pontif. ad tractatum pacis conferendum.

Reges ut mittant oratores admonet.

Obsecutus est pontificiis votis Philippus Francorum Rex, atque oratores dignitate & prudentia spectabiles Tolosam misit; sed Alfonsus leves & inanes rationes causatus, oratores legare detrectavit, questus inter cætera, eam urbem Gallicæ ditionis esse, nec parum detrahi Castellæ dignitati, si in ea tractatus hujusmodi haberetur. Pupugit ea res admodum Nicolaum, ac de Alfonso in literis ad Philippum est conquestus: quem etiam, ne ob id in Alfonsum ipsum gravius commoveretur, mollibus verbis delinire est conatus: ac ne cœptus pacis tractatus ea de causa abrumperetur, institit ut in Vasconiæ, tunc Anglo obnoxiæ, urbe iniretur: eoque ut oratores suos mitteret, Philippum solicitavit (*g*).

XXV. Philippus oratores eo transmittit.

(*g*) *Eod. l.* 1. *ep. cur.* 162. & *cod. Vall. p.* 36.

*Nicolaus &c. Regi Francorum illustri.*

*Quam amare, quam moleste tulerimus negotii considerato dispendio, contumaciam & contemptum contra nos & Romanam ecclesiam a charissimo in Christo filio nostro Rege Castellæ ac Legionis illustri; non sine tua, quod gravius ferimus, & dilectorum filiorum nostrorum Gerardi basilicæ XII. Apostolorum, Hieronymi S. R. E. presbyterorum Cardinalium, ac Joannis Hierosolymitani electi, quantum in eo fuit illusione commissos, per nostras sibi directas literas; non sub verborum involucro, sed explicito sermone detegimus, & manifestis affatibus revelamus.* Et infra.

Alfonsus Apostolica respuit imperia.

*Cæterum, princeps inclyte, devotionem & humiliationem tuam meritis laudibus & debitis gratiarum actionibus prosequentes, illud te tanquam filium prædilectum, volumus ante oculos tuæ mentis habere, quod nullius apud te tanti debet esse malitia, ut perdas tuam innocentiam propter eam, vel maculam in gloria tua ponas. Quid autem gloriosius in potente, quam quæ suos professores exaltat humilitas: quam ille qui ait. Quanto magnus es, humilia te in omnibus: majorem esse persuadet in magnis. Non deseras itaque, fili charissime, vias tuas in te a tuis etiam progenitoribus derivatas. Devient qui voluerint, tu semper rectitudinis semitas prosequaris, pacem amplectere, & quantum in te fuerit, cum omnibus eam habe. Contemne aliorum arrogantiam & contemptum, cum in sublimi positus, non sit unde contemni ab aliquo verearis.*

XXVI. Mulcere Philippum studet, neciras in Alfonsum concipiat.

*Ideoque cum memorati Cardinales & electus tamquam viri virtutis, fortes animo, suam patienter ferentes injuriam, immo contemnentes omnino, Deique ac nostrum beneplacitum prosequi cupientes disposuerint in kalendis martii venturi proximo in Vasconia in loco congruo eidem tractando negotio convenire;*

Hortatur ut oratores ad locum designandum mittat.

*te ac sæpefatum Regem suis literis exhortantes, ut ad locum eundem solemnes nuntios plene in negotio ipso instructos, cum sufficienti mandato in eodem termino destinetis; serenitatem regiam rogamus, hortamur, & obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus ad utilitatem publicam & Dei negotia, quorum tibi promotio imminet, considerationis intuitum, debita pietate convertens, nullius malitia te abduci patiaris ab illis. Sed ut liberius exequi valeas, ob reverentiam Apostolicæ sedis, & nostram, eorumdem Cardinalium & electi, quin potius nostras exhortationes adimpleas, statutis & statuendis per eos loco & tempore, ad eorum præsentiam hujusmodi nuntios cum pleno mandato & instructione transmittas ut quanto constantius injuria non provocatus, altius in tuæ humilitatis prosecutione persteteris; tanto id majoris meriti majoris appareat & virtutis. Dat. Romæ apud S. Petrum III. kal. decembris.*

XXVII. Objurgatus Alfonsus ob spreta pontificia imperia. (a) Ib. ep. 162. & MS. Vall. fig. lit. C. n. 49. pag. 35.

Perstrinxit aliis literis Nicolaus (a) Alfonsum Castellæ Regem, mittendis oratoribus defuisse; cum tamen antea Benvenuto Minoritæ episcopatui Eugubino tunc præfecto futurum se in sedis Apostolicæ potestate spopondisset: confutavit ad eludenda pontificia jussa allata argumenta; demumque addidit stimulos, ut ad superbiæ & contumaciæ, quam susceperat notam, abolendam oratores in Vasconiam legaret.

*Nicolaus, &c. Regi Castellæ ac Legionis illustri.*

Qua maturitate consilii delegerit Tolosam, exponit Pont.

*Scire tuam excellentiam volumus, nos civitatem prædictam non negligenter, non inconsulte, sed præmisso cum fratribus nostris exacto deliberationis examine, tuis etiam nuntiis præsentibus in curia nostra non insciis, consultius elegisse. Consideravimus enim cum quibus, & de quibus erat ibi tractatus habendus. Consideravimus, quod non exigebatur principalium personarum ea vice præsentia, non de negotii consummatione spes erat, sed de præparatoriis agebatur, ut cum utriusque partis nunciis, negotio ad exitum optatum disposito & ad concordiam præparato, in loco cum ipsis nuntiis eligendo mutua conventio, sive justa ipsius Regis & tua, necessaria eidem ut dicitur consummando negotio, sequeretur; & quanto esset negotii expeditio promptior, tanto mora justæ brevior & partium gravamina pauciora; quodque cum etiam pro isto eodem negotio alias tam tui longe majores nuntii Regem eundem in terra sua, quam te in tua sui hactenus adiissent, ratio non suberat præsumendi, quod moleste ferre deberes, nuntiis tuis prædictam civitatem pro loco ad prædicta idoneo deputari.*

XXVIII. *Quæ igitur causa præmissis exhortationibus nostris & precibus non parendi; minus sufficientes, ut dicitur, mittendo nuntios, & eos prohibendo ire Tolosam? Quæ admirationis ratio de assignatione civitatis ipsius, prædicto Regi subjectæ, in quo per hoc curiæ Castellæ detrahi poterat? Numquid ipse Rex tibi assignavit eandem, vel ejus consilio, sive ad ipsius instantiam, aut eo etiam conscio, extitit assignata? Nunquid non erat tuis nunciis nostra diligentia plene de securitate provisum? Quæ iterum admirationis ratio ex civitatis prædicta distantia, pro eo quod te forsan consuli oporteret super aliquibus consummandis, cum non de consummatione, sed de præparatione ibi, ut præmittitur, esset agendum? Numquid propterea dicti Cardinales & electus, te abeunte in frontariam contra Mauros sequi debebant, aut fines excedendo mandati, juxta tuæ petitionis ineptitudinem, locum tibi viciniorem adire, ut nunciorum tuorum, & non ipsorum laboribus parceretur? Nonne ineptum extitit, & proculdubio incivile, te locum tibi vicinum petere: cum quanto tibi vicinior & ad eum tuis nunciis aditus aptior, tanto eisdem Cardinalibus & electo remotior & laboriosior peteretur; quasi non plus tantis personis, quam tuis esset nunciis deferendum? quasi non sufficeret, quod saltem præfati Cardinales Hieronymus & electus, usque Tolosam, non propter dictum Regem, cujus in Francia, ubi tunc erat, copiam poterant habere facilius & exquirere voluntatem; nec propter suos nuncios, sed propter tuos tantummodo laborarent?*

Non detrahi in ea re Castellæ dignitati.

Suis commodis adeo servire non debuisse.

XXIX. Ejus querelas repellit.

*Sed & de termini tarda notitia querela prudentius substitisset, cum eam confutet aperte, quod sicut dictus tuus nuncius Joannes post terminum tibi cognitum a te missus pervenit insufficienter ad eorumdem Cardinalium & electi præsentiam infra illum, sic etiam potuissent cum sufficienti mandato alii pervenire. Attende itaque si decuit propter hoc a tam instanter, tam affectuose per nos petita nuntiorum missione cessare, si operibus exhibes teneritatem, quam in præmissis admirationis tuæ rationibus verbis te habere prætendis, ne hujusmodi negotio dilatio ingeratur cui tu tantam pro nihilo ingessisti sine causa, easdem nostras contemnendo exhortationes & preces, nec tantis deferendo personis, sed ipsarum tam leviter evacuando labores. Estne ista oblatio, quam nobis per venerabilem fratrem nostrum Benevenutum, ordinis Minorum, nunc episcopum Eugubinum, a tua præsentia redeuntem, ex parte tua meminimus præsentatam, per quam devote ac liberaliter offerebas, te paratum in eodem negotio nostris acquiescere monitis, & parere mandatis?*





XXX. Hortatur ad servandam verborum fidem.

*Utinam, princeps magnifice, oblationem eandem, quam taliter hucusque servare probaris in minimis, melius in futurum observes in magnis. Utinam ut ab iis & iis similibus cautius in futurum caveas, consideret circumspectio regia, quod prædicti Regis humilitas tuam inobedientiam arguit, suæque obedientiæ promptitudo notabiliores tuos perhibet contumaciam & contemptum. Profecto si tuum solum verteretur periculum in prædictis, possent, nec immerito, nos ista movere, ad te ipsum tuo in iis relinquendum arbitrio, & hujusmodi negotium totaliter deserendum. Sed quia memorati Regis & tua dissensio multis est onusta periculis, magnis est plena dispendiis, multorum discrimina secum trahit, utilia Dei servitia impedit; animarum exitia, excidia corporum, vastitates rerum, & alia horrenda, quæ avertat Dominus, comminatur; cogit charitas, hortatur pietas, ut propterea non desistamus a cœptis, sed illis solertius insistamus.*

Ponendum tot malis, quæ bellum trahunt, modum.

*Cum itaque memorati Cardinales & electus, tanquam viri virtutis, fortes animo, nec tuo moti contemptu, nec contumacia provocati, sed Dei & nostrum beneplacitum prosequi cupientes, disposuerint in kalendis martii venturi proximo, in Vasconia, in loco congruo prosecutioni ejusdem negotii convenire; te ac sæpefatum Regem suis literis exhortantes, ut ad eundem locum solemnes nuncios plene in negotio ipso instructos, cum sufficienti mandato in eodem termino destinetis; serenitatem regiam eo instantius, quo frequentius rogamus, hortamur, & obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus prudenter attendens quod talia saluti tuæ non congruunt, sed & famæ detrahunt & honori; animumque tuum super concordia inter te ac memoratum Regem, Deo auspice, reformanda, votis nostris in omni puritate conformans; juxta præmissam exhortationem eorumdem Cardinalium & electi nuntios statutis & statuendis per eos loco & tempore ad ipsorum præsentiam sic solemnes, sic instructos, sic ad pacem benevolos destinare procures, quod contractam contemptus & contumaciæ notam aboleas, nec tibi amplius impedimentum tam utilis, tam fructuosæ, tam communiter desideratæ concordiæ, a Deo vel hominibus valeat imputari. Dat. Romæ apud S. Petrum III. kal. decembris anno I.*

XXXI. (a) To. I. l. I. ep. 5. Compostellana Ecclesia ab Alfonso oppressa.

Invectus est in (a) eundem Regem Nicolaus aliis literis ecclesiam Compostellanam oppressisse. Potiebatur ecclesia illa S. Jacobi reliquiis nobilitata, prærogativis maximis atque amplissima non divini modo, sed humani etiam dicundi juris auctoritate pollebat: qua re dignitatem suam infringi Alfonsus arbitratus, dominium illud civile adimere decrevit; repugnanteque archiepiscopo, filium cum exercitu adversus eos, qui ecclesiæ Compostellanæ jura tuebantur, immisit. Querelæ mox sedi Apostolicæ delatæ, ac Nicolaus gravissime Alfonsum monuit, turpissimum videri egregium religionis in Hispania defensorem arma in nobilissimam ecclesiam vertisse, quæ etiam exteris summæ venerationi esset; agnosceret veram principum gloriam in ecclesiarum augenda, non obterenda dignitate sitam, aliaque gravissima hoc argumento attulit, quæ a Nicolao ipso audiamus.

*Nicolaus, &c. Regi Castellæ ac Legionis illustri.*

XXXII. Nicolai de ea re literæ & querelæ.

*Sensibus tuis, fili charissime, verba patris adhæreant, mulceant intrinseca filii, modestiam regalem alliciant, aspera quæque leniant, & resultent in jubilum sumpta cum pondere, ne inutili volatu pertranseant, aut torporem forsan inducant graviter intellecta. Te quidem, veluti Christi pugilem inclytum, in pectore charitatis astringimus, & inter alios orbis terræ catholicos principes intra nostra præcordia retinemus, & cupimus tua gesta magnifica laudibus extolli felicibus, & in regiæ posteritatis claram memoriam adaugeri, non obnubilari caligine tuæ radios claritatis. Nil enim in quovis principe melius, nil decentius, nilque putamus honestius quam recognoscere Patrem altissimum, sanctos Apostolos revereri, & ecclesiarum honorare ministros: cum ex talibus actibus Reges & regna fructificent, dirigantur agmina principum, & populi præserventur. Nil quoque facilius in Omnipotentis consurgere posset injuriam, quam oppressio prælatorum: cum in illis venerari voluerit in terris, qui est in gentibus collaudandus.*

Inculcat veram principis gloriam in Dei & Ecclesiæ veneratione consistere.

*Digne itaque nos affecit anxietas, dum nuper venerabili fratre nostro archiepiscopo Compostellano significante, apud sedem Apostolicam rumor invaluit, quod ipsum, & ejus ecclesiam ad honorem reverendi corporis sancti Jacobi per universa mundi climata venerandam, non favore prosequeris, sed persequeris potius, lacessis injuriis, molestiis opprimis, & eorum jurisdictiones & jura præripere satagis, ac hostilibus incursibus conculcare. Nec indigne more patris perpungimur, dum te Regem eximium sic prosilisse percipimus, & obduci flamine labiorum. Quid dicitur, dum auditur, quod Hispaniarum athleta præcipuus, regni sui ecclesiam tam nobilem, ejusque præsulem persequatur? Quid excusatio potest adimere, si motus regius minus licite concitatus in iram, sic in actum exercuerit, quod, sicut asseritur, natus tuus, & exercitus validus contra dictos archiepiscopum & ecclesiarum*

Ingrati in S. Jacobum animi labem ipsum suscipere.

*ecclesiam processerunt? Sunt hæc munera, fili, quæ per te rependuntur ecclesiis? Sunt exempla danda minoribus, ut in illas desæviant, & in earum devotione tepescant? Certe non videmus competere, quod præter contumeliam Creatoris beatum Jacobum, decorem Hispaniæ, livore collidas injuriæ, ipsius offendendo ministrum: cum illum confovere præsidiis summopere tenearis.*

*Profecto eisdem archiepiscopo & ecclesiæ, dolentibus tibi compatimur, quod vos tali dissidio videmus allisos, quos nobis adjunxit in filios commissa nobis a Domino cura ministerii pastoralis. Nam iidem archiepiscopus & ecclesia, recurrentes ad sedem eamdem, securitatis tuas literas, quod dicti natus & exercitus revocentur; restitutionem quoque bonorum, libertatis etiam, & status quo ad jurisdictionem temporalem, quibus de mandato tuo spoliati fuisse dicuntur; instanter petere sunt coacti. Et ideo celsitudinem regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus ad Deum, & ad eamdem ecclesiam, quam beatus Jacobus propter merita sui venerandi corporis illustravit, & diversarum nationum concursibus voluit ad laudem divini nominis visitari, regiæ mansuetudinis animum divinæ gratiæ infusione convertens, ipsam matrem tibi placidam recognoscas: & eandem, ac dictum archiepiscopum, eorum exclusis oppressionibus; & molestiis, hinc inde quoque rancoribus, enervatis, tuis sinceris affectibus glutino charitatis adjungas, præmissa seu alia gravamina, si qua forsan archiepiscopum & ecclesiam presserunt, eosdem maturitate provida revocando; ita quod nos in hac parte lætifices, & a talium amaritudinum degustatione præserves, tibique ac regno tuo quietem pacis adiicias, ut semper lateris felicium prosperitate successuum, & extolli digne laudis præconio apud Deum, & homines merearis; &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum idibus februarii anno* I.

Compostell. ecclesiam S. Jacobi reliquiis nobilitatam.

XXXIII. Ut Compostellanum archiepiscopum Nicolaus adversus Alfonsi Regis potentiam defendit, ita Petrum episcopum Bajocensem, posthabita Philippi Galliarum regis gratia, tuendum suscepit. Erat is episcopus consanguineus uxoris Petri e Brocia, qui ex infima conditione ad florentissimum statum ab Rege excitatus infelici postmodum exitu, magno inconstantiæ rerum humanarum exemplo, periit: rem gestam narrat subjectis verbis Nangius (*a*): *Petrus de Brocia captus, primo Parisiis incarceratus, & post apud Janvillam in Belsia ductus, fuit ibidem in turri fortissima collocatus. Quo audito & intellecto, episcopus Bajocensis Petrus consanguineus uxoris dicti Petri de Brocia incarcerati, statim de regno Franciæ recedens, ad curiam Romanam se transtulit: ubi tanquam exulem sub protectione summi Pontificis & Ecclesiæ ipsum oportuit longo tempore permanere. Non de longe postea Petrus de Brocia Parisiis reductus, & in carcere positus, fuit ibidem, præsentibus ducibus Burgundiæ & Brabantiæ, ac Roberto Atrebatensi comite, communi latronum patibulo suspensus. Cujus mortis causa, apud vulgus incognita, magnam cunctis qui audierunt, admirationem, & murmurationis materiam ministravit.*

(*a*) *Nang. in Phil. Rege Franc.* Petri e Brocia tristis exitus.

Peperisse sane ipsi perniciem literas ejus sigillo consignatas, quæ a tabellario casu extincto relictæ, ut Regi deferrentur, enixe fuerant commendatæ, insinuat paulo ante laudatus auctor qui subiicit: *In hoc etiam facto possumus patenter advertere, quam stultissimus est homo pauper de humili plebe natus, Regis alicujus aut principis in servitio positus, cum ipsum ad altum statum fortuna provexerit, si par nobilibus, aut magnatibus voluerit effici, vel videri. Nec enim unquam tam alte fortuna provexit aliquem, ut non tantumdem sibi quantum permiserat, minaretur. Petrus autem de Brocia, sicut cedrus Libani in regno Franciæ fortunaliter exaltatus, & in altiori loco volubilis fortunæ positus, dum ibidem permanere credidit, revolutione unica rotæ fortunæ plus decidit, quam fuerat in duplo centies elevatus. Et non solum ipse cecidit, sed & omnes, qui ejus ope promoti fuerant, servitia perdiderunt.* Hactenus Nangius. Involuto igitur eadem procella Petro episcopo Bajocensi, utque episcopatu a Pontifice depelleretur, Philippo Francorum Rege contendente, Nicolaus, cum scelus manifestum non esset, nec regius orator illud probaret, vel adversarii partes suscipere respueret, ut res in judicio discuteretur; datis ad Regem ipsum literis (*b*), negavit leges pati posse, ut in eum animadverteretur.

Exitii illius occasio.

(*b*) *To. 1. l. 1. ep. cur. 164. & eod. Vall. sign. lit. C. n. 49. p. 28.*

*Quanto ex querimonia per literas a celsitudine tua directas, & relationem dilecti filii fratris Arnulphi de Ursamala ordinis militiæ templi nuntii tui ad hoc specialiter destinati, nobis nuper exposita, de infidelitate, ut eædem literæ continebant, venerabilis fratris nostri Petri episcopi Bajocensis, acerbius te dolere cognovimus, tanto doloris tui paterna compassione participes tibi amplius condolemus: cum enim te singulariter habeamus in visceribus charitatis, tua quævis nos non posset angustia, qua misericors Dominus a tuis avertat eventibus, præterire. Hinc, princeps inclyte, potes & debes non indigne supponere, quod cum doloris commotio commune inducere soleat desiderium ad vindictam, si nobis de infide-*

XXXIV. Bajocensis episc. apud Pontif. accusatur.



*fidelitate hujusmodi pœnam exigens innotuisset veritas, vel ut innotesceret, pariter via legitima, prosecutio justitiæ, immo & prompta executio non deesset.*

Negat Pont. nisi convictum de crimine damnari posse.

*Verum scire tuam excellentiam volumus, quod dictus frater in nostra, & fratrum nostrorum præsentia constitutus (ut omittamus, quid sibi circa hoc jura permitterent) de tuo beneplacito, ut asseruit, est protestatus apertius, quod nullo modo in iis onus partis assumere, vel se partem tuo aut suo nomine constituere intendebat; cum igitur contra memoratum episcopum non processerit, apud nos super præmissis infamia, nec clamosa insinuatio sit secuta, quæ ad inquisitionem movere potuerit contra eum, nec ad id facti circumstantiæ, conscientiam nostram inducant, nec aliquis appareat accusator legitimus, vel delator, seu etiam nunciator, qui suæ delationis seu nuntiationis instantiam prosequatur; & expresse jure sit cautum, quod nunciatores, etiam qui per notoria indicia produnt, jubentur assistere votis suis; nulla juris ratio pateretur facto plectibili, nec probationibus in judicio, nec evidentia facti de cætero nos vel alium quemcumque, maxime non suum judicem, eumdem episcopum plectere, vel propter ipsius delictum bona commissæ sibi ecclesiæ occupare, inordinate nimis executione præveniente sententiam, nec probationem vel cognitionem expectante vindicta. Idcirco mirantes audivimus, quod de privando, seu mulctando eodem episcopo temporalibus episcopatus Bajocensis earumdem literarum tenor habebat: præsertim cum non liceat ad res Ecclesiæ manus extendere ob personæ delictum, quod juxta scita canonum non est in damnum Ecclesiæ convertendum, etiam pro tempore delinquentis, licet aliud eædem tuæ literæ sapere viderentur. Cæterum, excellentiæ regiæ veritate juris exposita, exhortationes, & preces ex abundantia charitatis adiicimus, & consilium non æstimamus subtrahendum.*

*Vellemus itaque, sicut alias proxime tibi scripsisse meminimus, circumspectionem regiam prudenter advertere, quod talium non est commemoratio frequentanda; quia immunda quo amplius deducuntur, & latius & longius suæ immunditiæ diffundunt horrorem; quia non est datum omnibus ex personarum qualitate, aliisque circumstantiis recte dijudicare quæ audiunt: quia id habet mundi corruptio, ut homines ad mala, quæ sive sub assertionis, sive sub cujusquam repetitionis specie referuntur, facile inclinent auditum. Propter quod licet fuisset cautius a principio nec ad horum processisse indaginem, sed ut eorum citius extingueretur memoria, ea sub dissimulatione transisse; tamen ex quo ad id procedi placuit, sufficere debuit, & proculdubio sufficit, charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Reginæ Franciæ illustris consortis tuæ innocentiam, cujus contrarium de tanta domina, de tali producta genere, & ad tale vinculo matrimoniali deducta, nunquam a discreto aliquo etiam autumandum credimus fuisse manifestius; sicut præmissæ tuæ literæ continent revelatam, ut non amplius talia vel vindictæ libidine, vel quacumque occasione alia renoventur.*

Suadet Philippo, ut purgatione Reginæ contentus sit.

*Quocirca serenitatem regiam rogamus, & hortamur in Domino Jesu Christo, tibi affectu intimo, & sincero consilio suadentes, quatenus ut honori tuo & dictæ Reginæ in hoc plenius consulatur, a prædictorum prosecutione de cætero consulta meditatione omnino desistens, contra memoratum episcopum ad eorumdem temporalium occupationem, quæ potius in dispendium ejusdem ecclesiæ verteretur, cum tanta juris injuria & læsione justitiæ, divinæ majestatis obtentu, & ob reverentiam Apostolicæ sedis ac nostram nullo modo procedas: sciturus quod si nobis de præmisso ipsius episcopi, vel alio etiam contra te commisso excessu patuerit, sic ipsum debitæ ultionis acerbitate castigare proponimus, quod propter ipsius gravamen, ecclesiæ pœna suum tenebit actorem, cujus severitas aliis similia præsumendi audaciam interdicet. Datum Romæ apud S. Petrum* III. *non. decembris anno* I.

XXXV. Expetendæ itaque de Bajocensi episc. ultionis avidus Philippus, Bajocensis episcopatus vectigalia invaserat: at Pontifex, licet atrox episcopo læsæ Reginæ famæ crimen obiiceretur; cum tamen illius convinci non posset ipsius causam, ne innocentia opprimeretur, defendendam ratus Simoni Card. S. Cæciliæ Apostolicæ sedis legato provinciam dedit, ut Bajocensi ecclesiæ præsidio esset. Tum Regem aliis literis monuit (*a*) ne majestatem regiam, magna rerum mole occupandam, inanibus rumusculis implicaret, neve in divexanda Bajocensi ecclesia nominis gloriam obscuraret. *Attende itaque quod non decet magnificentiam regiam exercendam in arduis, implicandam in magnis, occupari minimis, vacare cujuslibet detractionis examini, persequi quemlibet detrahentem, nutrire detrahentium murmura per examinationes & persecutiones hujusmodi; per quas illis repetendis datur occasio, quæ per contemptum neglectui tradita facilius cecidissent. Sic namque latratum canis, qui latrantem dissimulando præterit, cohibet: qui vero persequitur, & comminando cohibere conatur, irritat.*

(*a*) *Eod. cod. Vallic. pag. 34.*

(*b*) *To. 1. l. 1. ep. cur. 165. & eod. cod. Vall. p. 38.*

Ne se inanibus rumusculis turbari patiatur.

*Attende insuper, quod quanto genus tuum inclytum plenius fovit & exaltavit ecclesias, personas ecclesiasticas manutenere,*

Deterret a Bajoc. ecclesia opprimenda.

*re, ac illibatam conservare studuit ecclesiasticam libertatem, tanto in te amplius notaretur, si tu ecclesias vel ecclesiasticas personas opprimeres, aut libertatem ecclesiasticam violares. Attende quomodo non solum in regno tuo, sed & in viciniis prælatorum corda turbares; quomodo universalem scandalizares Ecclesiam, quantus adversus te clamor ascenderet, si tu in ecclesiastica bona manus iniiceres, si bona quævis Bajocensis ecclesiæ occupares. Attende quod iis non leve pondus adiiceret eminentia tui status, cum excessus in sublimioribus, eo ipso conspectior, tanto damnabilior habetur, quanto facilius quantoque periculosius derivatur in alios per exemplum: & ideo minus esset ab Ecclesia tolerandus, minusque posset urgente conscentia tolerari. &c.*

XXXVI. Quæ calumnia Reginæ aspersa fuerit. (a) Nang. de gestis Philip. Franc. Regis ad an. 1276.

Quæ vero atrox illa calumnia Reginæ Mariæ imposita fuerit, scribit Nangius (*a*). Extincto (veneno ut a nonnullis credebatur) Ludovico Philippi majori natu filio, Petrum Brociam clam sceleris suspicione Reginam perfudisse, eamque privignos alios eadem arte sublaturam: cumque rei indagandæ cupidus Rex Bajocensem episcopum, & abbatem S. Dionysii ad consulendam beguinam Nivellensem, quæ prophetiæ dono prædita ferebatur, sive ementitæ sanctitatis specie ad se venientes deludebat, episcopus abbatem antevertens cum femina collocutus est quam cum postea adiisset abbas, nil aliud retulit, quam episcopo quid rei foret, patefactum. Reversus vero episcopus exposuit ingentia quidem arcana sibi dicta, sed quæ effari per religionem ob sacramenti sigillum non posset. Ex eo non parum exarsit Rex, qui anxius admodum sinistra de uxore suspicione concepta, alios ad mulierculam nuncios misit, qui eam sciscitarentur: quos illa Regi denuntiare jussit, Reginam omni criminis labe purissimam (*b*): ac si quis de ea detraxisset, nullam fidem adhibendam. Inde Regina in Bajocensem episcopum, ut proditionis auctorem graviores iras effudisset, nisi ille, ut dictum est, fuga sibi consuluisset; quem cum a Pontifice pœna affici instaret, ardentis ira animum delinire ita Nicolaus est conatus: *Non miramur, charissima in Christo filia, non miramur, si horrendam infamiam tibi falso impositi criminis (quam licet plenius missæ nobis literæ tuæ serenitatis expresserint: nos tamen velut omni verisimilitudine destitutam indignam repetitione censuimus) tuæ conscientiæ puritas horruit, & ad primum ipsius auditum riguit caro, mens hebuit, tantique sceleris impostura fragilitas feminei sexus expavit; si contra eos, quos æstimas ejusdem sceleris impostores, animus irritatus incanduit, & ipsum ad vindictam fervor subiti doloris accendit.*

(b) To. 1. l. 1. ep. cur. 166. & cod. Vall. p. 39.

Delinire illius iras studet Pont.

*Sed illud consideratione nostræ discessio non sine admiratione recenset, quod dato deliberandi spatio, de confidentia propriæ innocentiæ concepta securitas, resumpto fortitudinis spiritu, talia non contempsit. Nunquid enim tantis orta natalibus, tantis trabeata parentibus, talibus educata studiis, talibus ab annis teneris imbuta moribus, vel notam, vel suspicionem quamlibet in iis vereri debueras? Nunquid hoc admittebat tui claritas generis, aut illius, quod te in suum participium matrimoniali unione receptam, regio insigniens titulo, clariorem effecit, veluti etiam maritalibus radiis coruscantem? Nunquid non id tua fama laudabilis, & innocens conversatio confutabat? An non & quoad familiares tuas, quas honestas, & providas, vitæque probatæ ipsa earum ad tui custodiam manifestat electio, evidens ratio excludebat? Quid namque te, vel eas ad tam crudelem insontis mortem, cujus nec ætas adhuc odium parere poterat provocasset? Quis successionis ambitus, futuræ soboli procurandæ, ad tanti atrocitatem facinoris molles irritasset animos, aut manus armasset imbelles, quasi quotcumque Regis Franciæ filiis de divitiarum abundantia dubitandum, aut de defectu status eximii sit timendum? &c. Datum* IV. *non. decembris.* Fuisse porro Mariam Reginam pietati deditam, e quibusdam pontificiis privilegiis colligitur: flagitanti enim ipsi Nicolaus concessit (*c*), ut facilius divinis rebus transfunderet animum, bis nimirum in anno sacrarum Deo virginum ædes ingrederetur.

Privilegia Mariæ Reginæ concessa. (c) To. 1. l. 1. ep. 152.

XXXVII.

Nec absimile aliud, quo ipsi ac viro Regi concessum est (*d*), ut quo tempore jactum interdictum esset, cui vibrando occasionem non dedissent, divinis mysteriis interesse possent: quam porro tum temporis sub Philippo ecclesiastica auctoritas in Galliis vigeret ex insigni liquet pontificio diplomate, in quo Nicolaus permittit Regi (*e*) ut clericos gravissimorum criminum nota inustos in carcerem detrudere posset, non ut jus aliquod in eos exerceret, sed præsulibus traderet, ne in effrænatam licentiam, impunitatis spe prorumperent, ob quod factum anathematis sententiam non subiturum decrevit: cui subjungendæ aliæ, quæ Philippi pietatem redolent, concessæ prærogativæ, uti ne quis sine Apostolicæ sedis imperio Gallias interdicto affligere posset, (*f*) & quem optaret sacerdotem, ut sibi a sacris confessionibus esset, eligeret (*g*). Cujus etiam precibus adductus Nicolaus præmia indulgentiarum adeuntibus certis diebus sacellum ab S. Lu-

(d) Ib. ep. 247.

(e) Ib. ep. 149.

Data a Nicolao auctoritas Philippo ut clericos maleficos carceribus tradat.

(f) Ep. 139.

(g) Ib. ep. 142.

Alia sacra privilegia concessa.



Sacellum Parisien. regiæ adituris propositæ indulg. (a) Ep. 141.

dovico eleganti cultu intra regiæ septa ad sacram Coronam spineam, dominicæ Crucis partem, aliasque augustissimas reliquias religiose servandas excitatam, ab Innocentio quarto concessa confirmavit (*a*).

XXXVIII. S. Ludovici gloria miraculis illustrata.

Cum S. Ludovici felix mentio inciderit, omittere non possumus, efflorescente in dies miraculorum gloria, quæ Numen, implorata a Christifidelibus illius ope, patrabat; Philippum filium oratorum opera a Nicolao expetiisse, ut de ejusdem S. Ludovici miraculis apostolica auctoritate actionem sacram instrui juberet, quo in cœlitum numero collocaretur. At Nicolaus summa in tanta re prudentia progrediendum ratus, Simoni Cardinali A. S. L. provinciam imposuit (*b*), ut ea edita miracula caute indagaret, antequam ad publicum & religiosum examen revocarentur.

(b) To. 1. l. 1. ep. cur. 169.

*Simon tit. S. Cæciliæ presbytero Card. A. S. L.*

Data legato imperia dedigendis in acta publica illius gestis.

*Sicut nosti felicis recordationis Gregorius Papa prædecessor noster consulta deliberatione decrevit, de meritis claræ memoriæ Ludovici Regis Franciæ per te diligenti, secreta, & provida indagatione perquiri, antequam talis indagatio ad examen publicum deveniret. Cum itaque nuper ex parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris per venerabilem fratrem nostrum G. Ambianensem episcopum, & dilectum filium Guillelmum decanum Abrincensem, ac nobilem virum Rodulphum de Stratis marescalcum regium nuncios suos peteretur a nobis, ut procedi ad publicam inquisitionem meritorum hujusmodi faceremus; nos prædecessoris ejusdem in hac parte providis vestigiis inhærentes, & attendentes, quod licet tu generaliter & succincte nobis scripseris de prædictis; quia tamen per literas tuas, vel aliam instructionem nunciorum tuorum, quos super iis diligenter & caute interrogari fecimus, ad nos hujusmodi indaginis, prout tanti processus qualitas exigit, plena & idonea non pervenerat certitudo; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus quicquid de præmissis, & eorum circumstantiis, ac aliis quæ pro ipso Rege Deus miraculose fuisse dicitur operatus in plena veritate perceperis, clare ac distincte per omnia seriosius scribas nobis, ut tuis relationibus, ut præmittitur, clare, distincte, & seriose perceptis, lucidius appareat quid in iis providendum extiterit, & in posterum respondendum. Ea quidem intentione potissime, sicut eidem Regi Philippo per alias nostras literas intimamus, tuam hujusmodi sic discussæ provisam continuare providimus, in hoc ei, & dicto patri, ac domui regiæ specialiter deferentes, ut in iis eis honestius & salubrius, dante Domino, consulatur. Dat.* II. *kal. decembris.* Quo etiam argumento ad Philippum Regem scripsit (*c*). Præterea certiorem ipsum fecit, se ad componendam controversiam, quæ inter Carolum Siciliæ Regem ac Reginam Margaretam vertebatur, Apostolicam auctoritatem interpositurum. [1]

(c) Ib. ep. 168.

XXXIX. Controversia de Provinciæ comitatu.

Quam vero ab invadendis alienis Philippus abhorreret, eximium ipsius virtutis exemplum enituit, cum parentis sui S. Ludovici vestigia imitatus, ac nonnulla religione perfusus, ne majores ipsius aliqua ad eum bona, vel alios iniquius erepta transfudissent, a Nicolao petiit, ut eleemosynæ, quas in egenos profunderet, sarciendi illati damni loco essent: quod Nicolaus ut ex illius animo stimulum omnem eximeret, probavit maxime (*d*); ea tamen conditione, ut si compertum esset, ad quos res spectaret, ablata restitui operam daret. Eadem religione ductus cum Eduardo Anglorum Rege de Normannia, ab atavo Philippo Anglis bello erepta, transegisse sequen-

(d) To. 1. l. 1. ep. 158.

NOTÆ [1] AD res Gallicanas hujus anni pertinet concilium, quod a Turonensis provinciæ episcopis, præsidente Petro Archiepiscopo in pago Turonico Langeis celebratum fuit. Vulgavit illud ex MS. Codice Cossartius legiturque in to. XIV. editionis Venetæ. Sed cum, ipso fatente Cossartio, in omnibus iis quos consuluit MSS. codicibus de anno, quo habitum fuit nihil occurrat, hinc ex conjectura tantummodo anno huic assignat; cum in eodem MS. subiiciatur Concilio Bituricensi, quod a Simone cardinali A. S. L. anno 1276. in Gallia celebratum fuit. Nescio an melioribus fulti documentis Sammarthani hoc idem Concilium anno uno nempe 1277. anticipaverint. Porro iidem Sammarthani in Archiepiscopis Turonensibus agentes de Joanne Montsoreay tunc Archiepiscopo, synodum alteram provincialem circa præsentem annum ab eodem archiepiscopo coactam memorant; & post hanc posteriorem alteram ab eodem indictam Turonum anno 1282. Sed cum novissimam hanc anni 1282. præcesserit altera apud Castrum Gonterii anno 1281. condicta, hæc facile Synodus est, quam in loco incerto habitam, & anno non suo adscriptam iidem Sammarthani fratres commemorant. Hujus concilii ad castrum Gonterii, de quo nihil in Collectionibus, canonem cum anno, quo concilium habitum fuit, servavit nobis concilium Salmuriense anni 1315. can. IV. Vide Notam ad A. 1281.

Synodum alteram ignotam collectoribus dedit nobis hoc anno Dania, ut ex uno ex Chronologis a Ludewig publici juris factis discimus: *A. D. CIↃCCLXXVIII. celebratum est concilium in VVedel cum prælatis ecclesiarum sub archiepiscopo* (Lundensi) *Trugotho.* Ludewig Reliquiar. tom. IX. pag. 55. MANSI

quenti anno visus est. Sed de Philippo satis: jam ad Eduardum orationem traducamus.

XL. Eduardus censum pro clientela Angliæ & Hiber. Pontifici solvit.

Intulisse Eduardum fisco pontificio regnorum Angliæ & Hiberniæ sedis Apostolicæ clientelæ addictorum nomine intermissum ab ipso partim; partim ab Henrico Rege excurrentibus octo annis censum; nimirum octo millia marcharum singulis millibus in singulos annos pendendis docet Nicolai syngraphum, quo Eduardo cavit.

(a) Cod. Vallic. signn. lit. C. n. 49. p. 66.

Flagitavit a Nicolao Eduardus, (a) ut census, qui pro regno Angliæ, ut sedis Apostolicæ vectigali, solvebatur, in posterum a quibusdam abbatiis ac monasteriis penderetur, quæ amplissimis bonis redditibusque ipse augeret, ut ea ratione integre ac summa fide in Romanæ ecclesiæ ærarium inferretur. Rejecit petita Nicolaus (b), in eo detrahi Ecclesiæ dignitati arbitratus, nec aliquid novari passus est. His addenda quæ Westmonasteriensis (c) tradit, revocasse Eduardum (verum ea in re reprehensione dignum) privilegia pluribus abbatiis Angliæ a majoribus concessa, ad regiam auctoritatem, amplificandam; eumque uno die Judæos toto regno in carcerem compingi ob erasam monetam, atque supplicium de sontibus sumi jussisse.

(b) Eod. p. 1. ep. 110. & eod. Vallic. sign. lit. C. n. 49. p. 84.
(c) Vvest. Flor. hist. hoc anno.

XLI. Judæi in Anglia in vincula conjecti.

Commissum hoc anno atrox prælium in Austria (d), cum Othocharus Austriam, Styriam, & Carinthiam sibi ereptas dolens, violato inito fœdere, collectoque potentissimo exercitu in Austriam excurrit: illam enim provinciam donationis jure a Margarita Austriæ ducis filia debitam contendebat (e): contra Rodulphus negabat eam ut Imperii stipendiariam abalienari jure potuisse. Describit Dubravius tanti belli causas his verbis (f): *Rodulphus, quod cum animo suo cumque ipsis principibus statutum atque deliberatum habuit, in primis videlicet ut arrogantiam Othogari infringeret, dein ut Austriam illi adimeret, speciosissimis illum blandissimisque invitat verbis, ut si palam pudeat, saltem secreto intra tentorium paucis coram arbitris debito per fidem Cæsari præstandam fungeretur officio; aliter namque stabilem inter ipsos perpetuamque amicitiam coire non posse, nisi exhibito fideli prius obsequio. Abominantem rursus Othogarum dignitatem suam Rodulpho submittere, persuadent proceres, non minus Cæsarem ob veterem familiaritatem, quam Regem suum respicientes ut se fidei Cæsaris committat: quod cum ille fecit, atque, ut mos habet, quinque vexilla Cæsari de manu sua offert, restituit duo ille dumtaxat, ac sibi tria, Austriæ videlicet, Carinthiæque, & Styriæ nomine retinet, quasi tutelæ interim titulo possideret, dum matrimonium recens conciliatum ad effectum perduceretur: deinde illas quoque regiones Vvenceslao Othogari filio pro dote accessuras.* Addit auctor de tentorio machinoso ruente in partes, dum Othocharus flexo genu, fidem Rodulpho devinciret, indeque concepto furore, quem auxit uxoris impotentia, ultionem expetere de Rodulpho decrevisse, irrupisseque in Austriam.

(d) Eberard. apud Canis. antiq. lect. to. 1. p. 314. Dubrav. hist. Boem. l. 17.

Bellum Rodulphum inter & Othocharum Reges.

De Austria inter eos controversia accensa.

(e) Ptol. Luc. in annal. hoc ann.
(f) Dubrav. hist. Boem. l. 17.

Pacta affinitate sopita fuerat.

Cum eo Rodulphus Rex advolasset, stragem futuram horrens (g), nuncios ad Othocharum misit, qui monerent ut prælio abstineret, cum proditoribus undique septus esset. Ac revera plures in ipsius exercitu erant ejus criminis rei, quorum odia Boemus in se concitarat, ut ait Eberardus (h), cum in eos nullo dignitatis habito discrimine, vim legum exerceret, ac ne grassarentur in populos, uti consueverant, refrænaret. Ita vero præmonitus a Romanorum Rege præfectos castrorum, tribunos, aliosque proceres in suum tentorium excitos ita compellavit: egregiæ quidem ac probatæ ipsorum fidei certissimum semper extitisse; at si quis in eum conjurationem iniisset, vel nefaria suscepisset consilia, inermem ipsum jam occideret, id enim longe satius futurum, quam si una cum eo multa hominum millia funestæ stragi exponerentur: tum vero omnes uno ore fidissimos illi semper futuros, atque omnia discrimina penetraturos polliciti sunt.

XLII.
(g) Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann. Procerum conjuratio.
(h) Eberar. ubi sup.

Qua arte Othocharus eos sibi conciliare nisus sit.

Desertus a suis in acie capitur Othocar.

Concurrentibus die insequenti adversis exercitibus, Othocharus, suis illum deserentibus, dum strenue inter medios hostium globos dimicabat, oppressus numero, captus est, moxque exutus armis: cum miles, cujus fratrem Othocharus peremerat, furens irruit (i), atque ad fraternam necem ulciscendam gladio in fronte cædit, ex quo vulnere infelix Rex toties a Romanis Pontificibus admonitus, ut ab armis desisteret, occubuit, ac diutius illius corpus jacuit insepultum, quod fidelium consortio, e quo ejectus fuerat ante mortem, ut ait Siffridus (k), restitutus non fuisset: incurrerat enim, ob illatum Rodulpho bellum contra imperia apostolica, vibratas censuras, quibus suppositi fuerant, qui Romanorum Regem lacesserent.

In fronte cæditur gladio.
(i) Chron. Dom. Colon. part. alt.
(k) Siffrid. epit. l. 1. Tristis ob spreta apostolica imperia ejus exitus.

Nec leve vitæ discrimen in prælio Rodulphus adiit: tradit enim Eberardus, (l) Boemiæ Regem ante pugnam ingentia præmia strenuo militi pollicitum, si Rodulphum in prælio cæderet, aut equum suffoderet, eumque præmii spe accensum, quæsito in acie Rodulpho inventoque, toto impetu in eum invectum, diro ictu ex equo dejecisse, tumque hasta equum peremisse: mox vero concurrenti-

XLIII.
(l) Eberard. ubi sup. Rodulpus in ingens discrimen adductus.



rentibus in auxilium Cæsaris Germanis captum; ac Rodulphum, qui se clypeo ne equorum pedibus allideretur, texerat (a), in alium equum sublatum persequendæ victoriæ institisse, eaque magna Boemorum strage, adeo ut cæsorum numerus ad quatuordecim millia ascenderet, parta, egregium clementiæ exemplum explicuisse (b). Militem enim, qui in vitæ discrimen ipsum adduxerat, sibi oblatum, illæsum abire jussit, dictitans non exiguum damnum fore, si adeo generosus ac fortis miles perimeretur.

(a) Colmar. chr. ubi sup.
(b) Eberard. ubi sup. Militi, qui equum illius confederat, parcit.

Austria & Boemiæ pars illius imperium accipit.

(c) Ptol. Luc. in annal.

Præmium porro tantæ victoriæ non Austria modo fuit, quæ secundo natu filio a Rodulpho attributa (c), eoque extincto, in majorem natu Albertum transfusa; verum magna etiam Boemiæ pars, quam in suam potestatem redegit: quamque postea, petente Wenceslao Othochari filio suppliciter pacem reddidit; ad quam firmandam arcto necessitudinis vinculo filiam suam Gutham uxorem concessit (d). De quibus hæc Ptolemæus Lucensis (e): *Circa autem ista tempora Rex Rodulphus jam radicatus est in regno Alemanniæ ab omni parte, sed præcipue versus Regem Boemiæ: unde exercitum congregat contra ipsum pro jure Imperii, quia occupaverat Austriam, Styriam, & Carinthiam, quæ de jure debebantur eidem sive ratione regni Alemanniæ, sive ratione Imperii; pugnat cum ipso, & occidit eum in bello, facta magna strage de suis. Tunc subjugata Austria, ipsam tradidit filio suo Alberto, quia ducatus erat sine vassallo, & ideo ad Regem Alemanniæ pertinebat providere: partem Carinthiæ tradidit comiti de Tirolla. Tunc procedit contra filium Regis Boemiæ, comminans eidem de regno, quia venisset contra dominum suum: sed mediantibus amicis restitutus est in gratia, accepta filia Rodulphi in uxorem & ipsa dotata de bonis regni, si Rex ex ea sine filiis moreretur: qui casus non accidit, quia duæ filiæ natæ sunt ex eis, & unus filius.*

(d) Siffr. ubi sup. Pacem cum Wenceslao init.
(e) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 23. c. 25.

Austria a Rodulpho debellata.

XLIV. De relata victoria gratulatur Rodulpho Pont.

De parta ea victoria meminit Pontifex in literis inclinante hoc anno ad Rodulphum datis, (f) quibus rogavit, ut vetera ab Imperatoribus concessa Romanæ ecclesiæ privilegia, a principibus electoribus confirmanda curaret: *Ut*, inquit, *affectus tuæ devotionis, quem sic gratanter inhærere sensibus nostris inspicimus, in effectum perfectæ soliditatis appareat, & residere in omni puritate probetur, & ut prosperitas tuorum successuum, videlicet de hostium tuorum depressione victoria, quos diebus istis in manibus tuis divini judicii virga conclusit, in mansuetudinis gratia, quæ post triumphum regales actus adornat, te nobis gratum, & aliis repræsentet acceptum, ac de regia gratitudine post felicitatem majorem nobis & Ecclesiæ mansueta præsagia repromittat, & successive nos reddat de tua synceritate majori perfectione securos, &c.* Addit preces, ut quæ constabiliendis Romanæ ecclesiæ juribus deerant, compleat. *Dat. Romæ* XV. *kal. decembris anno* I.

(f) Lib. 1. ep. 48.

Ad explicandam in victos clementiam hortatur.

XLV. Confirmata a Rodulpho Rom. ecclesiæ jura.

Quod ad institutam de confirmatis a Rodulpho Rege Romanorum ad Nicolai III. Pontificis, id exigentis, gratiam juribus Romanæ ecclesiæ historiam spectat; ineunte anno idem Rodulphus, cum insignia imperialia a Nicolao deposceret, de principatus pontificii juribus corroborandis appellatus, publicis literis (g) professus est, se omnia Romanæ ecclesiæ privilegia concessa ab Imperatoribus, ne pietate & studio in sedem Apostolicam ab iis descisceret, corroborasse; atque assentiri, ut Ecclesia universæ illius ditionis, quæ ex hujusmodi diplomatibus ad eam spectare constaret, possessionem sibi vendicaret, mittereque ea de causa ad curiam apostolicam Conradum, qui in Cardinalium senatu regiam fidem ad hæc perficienda obstringeret.

(g) Servantur in arce S. Angeli & ext. in collect. Platinæ to. 1. p. 136. & to. 2. p. 478. & to. 3. privil. Rom. eccl. pag. 199. & MS. Vallic. sig. lit. D. n. 1. p. 70. & 88.

Regium ea de re diploma.

*Rodulphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus universis præsentes literas inspecturis gratiam suam, & omne bonum.*

*Notum esse volumus per præsentes literas universis, quod nos devotus ecclesiæ Romanæ filius, recognoscentes beneficia, quæ nobis sunt ab ipso Deo & ejusdem vicario Papa Romano concessa, ratificamus, approbamus, innovamus, concedimus, & nihilominus de novo donamus sanctissimo patri domino nostro domino Nicolao Papæ III. & ipsi Romanæ ecclesiæ matri nostræ distincte, libere, plenarie, & expresse confirmationes, concessiones, privilegia, & cætera omnia, quæ nos hactenus fecimus, & nostri prædecessores Reges Romanorum seu Imperatores confirmasse, concessisse, & fecisse noscuntur, seu invenientur. Et ad majorem prædictorum omnium firmitatem constituimus religiosum virum fratrem Conradum, ministrum fratrum Minorum superioris Alemanniæ, nostrum nuntium & specialem procuratorem, dantes ei expressum & speciale mandatum pro nobis, & nostro nomine recognoscendi, ratificandi, approbandi, innovandi, concedendi, & nihilominus de novo donandi omnia & singula distincte, libere, & expresse, quæ facta, acta, promissa, dicta, confirmata, donata, sive concessa, recognita, seu etiam jurata fuerunt hactenus per bonæ memoriæ Othonem propositum sancti Guidonis Spirensis regalis aulæ nostræ cancellarium, seu per quoscunque alios, & per nos*

Missus Orator ad corroboranda Gregorio X. promissa.

*nos ipsos postmodum felicis recordationis domino Gregorio Papæ X. sive ipsi domino Papæ, sive alii, seu aliis ejus nomine & Romanæ ecclesiæ recipienti vel recipientibus; & nos ipsi nihilominus ea omnia, & singula recognoscimus, ratificamus, approbamus, confirmamus, innovamus, concedimus, & de novo donamus; & etiam ad nostram conscientiam serenandam revocamus, cassamus, annullamus, irritamus, & omnibus viribus vacuamus quidquid contra prædicta, vel aliqua prædictorum per nos, seu per alios nostros nuncios, vel officiales mandato nostro, vel nomine, seu quemcumque alium, vel alios quocumque modo, quacumque via factum esset, vel promissum, sive juratum; volentes & consentientes expresse, quod per hoc nullum jus nobis accrescat, vel in aliquo ecclesiæ Romanæ depereat tam circa possessionem, quam circa proprietatem.*

XLVI. Permissum ut Pontifex, quæ ad ditionem ecclesiasticam spectant sibi vendicet.

*Concedimus insuper & consentimus, quod ecclesia Romana per se & per alios accipiat, nanciscatur, intret & apprehendat absque ulla nostra vel alterius requisitione, auctoritate, vel mandato obtentis sive petitis possessionem, & quasi omnium contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, concessionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, & juramentis; & omnium eorum, quæ pertinent ad prædicta: & promittimus, quod nos per nos, vel per alium, seu alios non impediemus ipsam Ecclesiam, vel nuncios ejus in prædictis & quolibet prædictorum; sed eam in omnibus præfatis tam adipiscendis, quam tenendis & habendis nostro posse perpetuo juvabimus. Damus etiam ipsi procuratori nostro specialem, generalem, & liberam potestatem plenarie stabiliendi, solidandi, firmandi, complendi, & perficiendi, ac jurandi omnia & singula prædicta in animam nostram; ita quod plenam omnimodæ perfectionis, & solidationis habeant firmitatem; & promittendi, quod nos per ipsos eadem faciemus, promittemus, stabiliemus, plene solidabimus, firmabimus, perficiemus, atque jurabimus quandocumque per ipsam Ecclesiam literis vel nunciis fuerimus requisiti; & faciendi omnia, quæ in præmissis, & circa præmissa fuerint ipsi ecclesiæ Romanæ utilia, necessaria, vel etiam opportuna, etiam si mandatum exigant, vel exigerent speciale; promittentes nos ratum habituros, & firmum quidquid per ipsum procuratorem in omnibus & singulis supradictis fuerit recognitum, ratificatum, approbatum, innovatum, concessum, donatum, firmatum, stabilitum, solidatum, completum, perfectum, atque juratum, actum sive factum. In cujus rei testimonium, & prædictorum omnium firmitatem præsentes literas fieri fecimus, & nostri sigilli munimine roborari. Datum Viennæ anno Domini MCCLXXIII. XIV. kal. febr. regni nostri anno V.*

XLVII. Quid gestum a Conrado oratore.

Instructus hac auctoritate Conradus Minorita Rodulphi Regis Romanorum orator, coram Nicolao in sacro Cardinalium senatu omnia Romanæ ecclesiæ jura, quæ Otho regii sigilli præfectus, dum Lugduni solemnes episcoporum conventus habebantur, Gregorio integra ac illibata fore spoponderat, omniaque alia ab ipso gesta confirmavit: ac regio nomine assensit, ut Nicolaus universæ illius ditionis, quæ imperialibus diplomatibus, tum ratis habitis, continebatur, possessionem iniret; vel armis, vel aliis mollioribus viis ad suum obsequium adduceret; Rodulphumque ea omnia corroboraturum est pollicitus. Publicis demum tabulis, quibus Othonis oratoris coram Gregorio X. acta erant comprehensa, perlectis, tum ea tum alias veterum Imperatorum donationes constabilivit: quæ omnia subjecta forma in publicas tabulas, quæ in molis Adrianæ archivo sunt reconditæ, atque a Platina jussu Sixti IV. inter monumenta illustria collectæ sunt; (a) tum extant in libro privilegiorum Rom. ecclesiæ, (b) & in MS. codicibus, (c) quæ Cardinalis Baronius pretiosissimi thesauri instar bibliothecæ nostræ Vallicellanæ reliquit, redacta fuerunt.

Editæ hac de re publicæ tabulæ.

*In nomine Domini Amen. Ego frater Conradus minister fratrum Minorum superioris Alemanniæ, gloriosissimi & illustrissimi principis domini mei Rodulphi Dei gratia Regis Romanorum semper Augusti procurator & nuncius, habens ab ipso potestatem, & mandatum in forma subscripta, constitutus in præsentia vestra, beatissime pater domine Nicolae Papa III. in consistorio vestro in papali palatio apud S. Petrum in urbe Romana, assistentibus vobis reverendo cœtu dominorum Cardinalium, videlicet venerabilibus patribus domino Ordono Tusculanensi, Bentevenga Albanensi, & Latino Ostiensi & Velletrensi episcopis; Anchero tit. S. Praxedis, Guillelmo tit. S. Marci, & Gerardo tit. Basilicæ duodecim Apostolorum presbyteris; Jacobo S. Mariæ in Cosmedin, Gotefrido S. Georgii ad velum aureum, Matthæo S. Mariæ in porticu, Jordano S. Eustachii, & Jacobo S. Mariæ in via lata diaconis Cardinalibus, recognosco & confiteor, quondam Othonem præpositum ecclesiæ S. Guidonis Spirensis regiæ aulæ cancellarium habuisse a prædicto serenissimo principe domino Rodulpho, Dei gratia, Rege Romanorum semper Augusto mandatum, sigilli sui munimine communitum, infrascripti tenoris: cujus auctoritate, nomine ejusdem domini Regis coram piæ memoriæ domino Gregorio*

Cardinales coram quibus gesta res.

(a) MS. archiv. Vatic. to. 1. p. 116. 136. & tom. 2. p. 478.

(b) Ib. privil. Rom. eccl. to. 3. p. 212.

(c) Cod. Vallic. signat. lit. B. n. 12. p. 254. & lit. D. n. 1. p. 83.



*gorio Papa X. astantibus sibi felicis recordationis domino Innocentio V. tunc Petro Ostiensi & Velletrensi episcopo, Adriano V. tunc Othobono S. Adriani diacono Cardinali, & domino Joanne XXI. tunc Petro episcopo Tusculano Romanis Pontificibus, & bonæ memoriæ Joanne Portuensi, vicedomino Prænestino, & fratre Bonaventura Albanensi episcopis, Simone tit. S. Martini presbytero, & Uberto S. Eustachii diacono Cardinalibus; ac reverendis patribus prædictis dominis Anchero tit. S. Praxedis, Guillelmo tit. S. Marci, Simone tit. S. Cæciliæ presbyteris, Jacobo S. Mariæ in Cosmedin, Gotifredo S. Georgii ad velum aureum, & Matthæo S. Mariæ in porticu diaconis Cardinalibus: & præsentibus inibi venerabilibus patribus Henrico Trevirensi, Guarnerio Maguntino, Enguelberto Coloniensi, Conrado Magdeburgensi, & Gilberto Bremensi archiepiscopis; Conrado Argentinensi, Leone Ratisponensi, Brunone Brixinensi, Othone Mindensi, Ferrico Merseburgensi, Vvidegone Misnensi, Joanne Kimensi, Ildebrando Eistetensi episcopis; & nobilibus viris, Ferrico Burclavio de Nurembergh, & Gotifrido comite Jeunensi; processit ad omnia infrascripta, quæ in literis inde confectis, & ejusdem cancellarii sigillo signatis, quarum tenor de verbo ad verbum infra subiicitur, seriosius continentur.*

*Quæ quidem omnia & singula dicta, promissa, recognita, innovata, concessa, acta sec gesta, ratificata, confirmata, sive jurata per eundem cancellarium, prout in eisdem literis & tenore plenius exprimitur, ejusdem domini Regis nomine, & pro ipso distincte, libere & expresso, recognosco, ratifico, approbo, innovo; & nihilominus ea omnia & singula de novo dono, atque concedo beato Petro cælestis regni clavigero, ac vobis, patri sanctissimo ejus successori, cæterisque vestris successoribus, & eccl. Romanæ: & ad domini mei Regis conscientiam serenandam, & ut prædicta omnia plenarie solidentur, stabiliantur, firmentur, compleantur, & perficiantur, revoco, casso, annullo, irrito, & omnibus viribus vacuo quidquid contra prædicta, vel aliqua prædictorum per ipsum dominum Regem, seu per alios ejus nuncios, vel officiales suo mandato vel nomine; seu quemcumque alium, vel alios quocumque modo, quacumque via factum esset, vel promissum, sive juratum: ac volo & expresse consentio, quod per hoc nullum jus ipsi domino meo Regi accrescat, vel in aliquo ecclesiæ Romanæ depereat, tam circa possessionem, quam circa proprietatem.*

Rescissa omnia quæ contra promissa tentata.

XLVIII. *Consentio insuper ac concedo, quod vos, sanctissime pater, & eadem Romana ecclesia per vos & per alios nunc & semper accipiatis, nanciscamini, intretis, & apprehendatis absque ulla ipsius domini Regis vel alterius requisitione, auctoritate, vel mandato obtentis sive petitis, possessionem & quasi omnium contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, concessionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, seu etiam juramentis; & omnium eorum, quæ pertinet ad prædicta. Et promitto, quod ipse dominus Rex per se, vel per alium, seu alios non impediet vos, vel nuncios vestros in prædictis, & quolibet prædictorum: sed potius in omnibus præfatis tam adipiscendis, quam tenendis, & habendis suo posse perpetuo adjuvabit. Et ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis & solidationis habeant firmitatem, tactis sacrosanctis Evangeliis, juro in animam prædicti domini mei Regis, habens ab eo super hoc speciale mandatum, eundem dominum Regem prædicta omnia & singula perpetuo inviolabiliter observaturum: & promitto, quod idem dominus Rex per seipsum omnia & singula faciet, promittet, & stabiliet, plene solidabit, firmabit, perficiet atque jurabit quandocumque per vos & prædictam Ecclesiam literis vel nuntiis extiterit requisitus. Prædicti autem literarum ejusdem cancellarii & mei procuratorii super his habiti tenores de verbo ad verbum per omnia tales sunt.*

XLIX. Renovata Othonis cancellarii acta.

*In nomine Domini Amen. Ego Otho S. Guidonis Spirensis præpositus, regiæ aulæ cancellarius, gloriosissimi principis domini mei Rodulphi, Dei gratia, Regis Romanorum semper Augusti procurator & nuncius, habens ab ipso mandatum in forma subscripta, præsenti scripto confiteor me privilegia, nec non & juramenta claræ memoriæ Othonis IV. & quondam Frederici II. Imperatorum, tunc Regum Romanorum, non cancellata, non abolita, nec in aliqua sui parte vitiata, sed in prima sui facie aureis bullis Regum ipsorum regia majestate impressis typario consignata, diligenter inspexisse, de verbo ad verbum legisse, ac in Theutonico idiomate propter infrascriptos nobiles exposuisse in consistorio vestro, sanctissime pater & domine, domine Gregori Papa X. astantibus vobis reverendis patribus Ioanne Portuensi, Petro Tusculano, Vicedomino Prænestino, fr. B. * Albanensi, Petro Ostiensi episcopis; Simone tit. Martini in montibus, Anchero tit. S. Praxedis, Guillelmo tit. S. Marci: Simone tit. S. Cæciliæ presbyteris; Othobono S. Adriani, Jocobo S. Mariæ in Cosmedin, Gottifrido S. Georgii ad velum aureum, Uberto S. Eustachii, & Matthæo S. Mariæ in porticu diaconis Cardinalibus: & præsentibus inibi venerabilibus patribus Henrico Trevirensi, Guar-*

Quæ ab illo sint Gregorio X. promissa.

* Bonaventura

Coram quibus Cardinalibus.

*Guarnero Maguntino, Engueberto Coloniensi, Conrado Magdeburgensi, Giselberto, Bremensi archiepiscopis; Conrado Argentinensi, Leone Ratisponensi, Brunone Brixinensi, Othone Mindensi, Ferrico Merseburgensi, Vvidone Misnensi, Joanne Kimensi, Ildebrando* * *Sistecensi episcopis; & nobilibus viris Burclavio de Nuremberch ac Gotifrido comite Sennensi. Tenores autem prædictorum privilegiorum, & juramentorum de verbo ad verbum tales sunt.* Subjecta est sacramenti forma (*a*) ex qua Otho IV. Innocentio III. fidem obstrinxit, quæ ab his verbis ducit exordium.

(*a*) Ext. to. 13. annal. an. Christ. 1201. n. 15.

*Ego Otho Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Tibi domino meo Innocentio PP. tuisque successoribus &c.* & desinit in hæc verba, *fuero coronam adeptus*. His adjectæ sunt ejusdem Regis literæ anno incarnationis MCCIX. XI. kal. aprilis consignatæ (*b*), quibus Romanæ ecclesiæ jura confirmata, atque ab his verbis incipiunt: *Recognoscentes ab eo*. His annexæ sunt quatuor Frederici II. literæ, quarum primæ (*c*) ab hisce verbis inchoatæ: *Regnum nostrum tunc stabiliri confidimus*. Et infra: *Acta sunt hæc anno Domini nostri Jesu Christi MCCXIII. indictione I. regnante domino Frederico II. Romanorum Rege glorioso, & Rege Siciliæ, anno regni ejus Romanorum primo, regni vero ejus Siciliæ* XVI. *datum apud Ægram per manus Bertoldi de Tuf regalis aulæ protonotarii* IV. *id. julii*. Secundæ iisdem pene verbis conceptæ sunt, quibus Fredericus promissa Innocentio III. iterum Honorio III. spopondit. Varia porro sunt testium nomina, ac dies his verbis adiicitur: *Acta sunt hæc anno incarnationis Domini MCCXIX. mense septembris indict.* VIII. *regnante domino Frederico II. Romanorum Rege glorioso & Rege Siciliæ, anno Romani regni ipsius in Germania* VII. *& in Sicilia* XXII. *feliciter Amen. Dat. apud Agnove &c.* Tertiæ literæ incipiunt: *Tibi domino meo sanctissimo, & patri charissimo Innocentio Papæ III.* iisdem pene verbis, quibus primæ Othonianæ conceptæ. Fidei obstrictæ Pontifici tempus ac locum his verbis designant: *Actum in capella in castro Ægræ anno Dominicæ incarnationis MCCXIII. IV. id. julii indict.* I. Quartæ (*d*) literæ eadem continet, sed Honorio inscriptæ sunt; adjecta vero testium nomina & tempus discrepant: *Actum apud Agnove anno Dominicæ incarnationis MCCXIX. mense septembris indict. VIII.* His adductis subjungit memoratus Otho Rodulphi Augusti orator.

(*b*) Ext. ib. ann. 1209. n. 10. Othonis IV. privilegia corroborata.

(*c*) Ext. 1213. n. 23. Et Frederici II.

(*d*) Ext. hoc to. 14. an. 1274. n. 7.

*De prædictorum itaque archiepiscoporum, episcoporum & nobilium consilio & expresso consensu ego memoratus cancellarius omnia & singula in eisdem contenta privilegiis ejusdem Regis Rodulphi nomine ratifico, rata & firma habeo, & ab aliis haberi volo, & eadem innovo atque de novo concedo, promittens eodem nomine B. Petro cœlestis regni clavigero, ac vobis patri sanctissimo ejus successori, cæterisque vestris successoribus, & ecclesiæ Romanæ, ac jurans in animam ipsius Regis Rodulphi, quod ipse per se vel per alium seu alios non occupabit, nec invadet in totum vel in partem aliquam terras ipsius Romanæ ecclesiæ, aut terras vassallorum ejus, quas jure feudi vel sub census, aut alterius præstationis titulo, sive alio quocumque modo tenent ab ipsa Ecclesia, &c.* quæ sequuntur, iisdem verbis sunt concepta, atque ea, quæ præsulum Germanorum nomine attulimus (*e*) cum ipsi promissa a Rodulphi oratore in publicas tabulas redegere, usque ad hæc verba. *Acta sunt hæc Lugduni in prædicto consistorio anno Dom. MCCLXXIV. mense junii die martis, VI. mensis ejusdem, pontificatus vestri anno III. Porro ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum de præmissis omnibus præsentes literas fieri feci, & mei sigilli munimine roborari.* His adjunctæ sunt superiores Rodulphi literæ, quibus Conrado auctoritas demandata est, ut quæ Gregorio X. ab Othone regis sigilli præfecto sacramento erant promissa, dum in concilio Lugdunensi regiæ Romanorum dignitatis a principibus electoribus sibi delatæ confirmationem deposcebat, Nicolao III. sponderet. Quia instructus auctoritate Conradus ecclesiasticæ ditionis terras suis nominibus designatas, ab Imperatoribus sedi Apostolicæ grati animi, vel pietatis ergo attributas, ecclesiastico imperio iterum solemni ritu subjecit hisce verbis.

(*e*) Anno 1274. n. 8. &c.

L.

*Volo insuper & expresse consentio, quod iidem tenores inserti præsentibus eusdem per omnia vires habeant, & obtineant, quas habent & obtinent ipsæ literæ principales; ita quod si forsan ipsas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dicti tenores perinde vim & robur obtineant, ut in omnibus, & per omnia in judicio, & extra judicium fidem faciant, sicut ipsæ principales literæ facerent in sua prima figura & integritate manentes, lege seu constitutione aliqua non obstante: & promitto, quod prædictus Rex idem per omnia sua regali auctoritate statuet & decernet. Porro ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum hæc omnia conscribi, & in publicum instrumentum redigi per magistrum Paulum de Reate apostolica auctoritate, tabellionem subscriptum feci, atque*



*que rogavi, & sigillo commissæ mihi administrationis, quo utor, ad præsens munivi. Volo tamen & consentio, quod si dictum sigillum quovis modo vel casu deperdi, frangi vel deformari contigerit, nihilominus instrumentum ipsum in suo vigore permaneat, ac si de ipso sigillo facta mentio non fuisset. Actum Romæ apud S. Petrum in prædicto papali consistorio, præsentibus patribus dominis Bonifacio Ravennate, & Joanne Barensi archiepiscopis; Henrico Lunensi, Orlando Narniensi, Paparono Fulginate, Orlando Massano, ac Raymundo Massiliensi episcopis; & honorabilibus viris domino Angelo de Verosis domini Papæ camerario, domino Petro S. R. E. Vicecancellario, magistris Berardo de Neapoli, & Benedicto de Anagnia ejusdem domini Papæ notariis, magistro Paulo de Interamna clerico, & procuratore in audientia curiæ Romanæ prædicti domini Rudolphi Regis; ac nobilibus viris dominis Urso curiæ domini Papæ marescalco, Adinolpho Comitis, & Petro Comitis, ac Nicolao Comitis militibus de Urbe, & quampluribus aliis clericis, & laicis in multitudine numerosa, anno Domini MCCLXXVIII. quarto die mensis maii, indictione* VI. *pontificatus vero domini Nicolai Papæ III. ann.* I.

LI. Violata a regiis administris superiora promissa.

Interea promissa hæc a Conrado, labefactata sunt: Rodulphus enim imperialis scrinii præfectus ad recuperanda Imperii in Italia jura missus clientes nonnullos Ecclesiæ, ut ex imperialibus diplomatibus constabat, Bononienses nimirum, Imolenses, Faventinos, Forolivienses, Foropopulienses, Cæsenates, Ravennates, Ariminenses, Urbinates, plureque alios pontificiæ ditionis in Regis Romanorum verba sacramento adegerat. At postulatus a Pontifice Rodulphus Aug. regiis iterum literis (*a*) jura ejusdem Romanæ ecclesiæ, quæ a Ludovici Imperatoris tempore Imperatorum regumque privilegiis expressa erant, confirmavit: ac præcipuas pontificiæ ditionis terras percensuit, ne qua de iis controversia moveretur. Tum alium oratorem, nimirum Gotifredum, misit, qui non modo Conradi Minoritæ promissa corroboraret, verum etiam a Rodulpho imperialis scrinii præfecto gesta rescinderet, illaque temere, inconsulta regia majestate, tentata datis Nicolao literis est professus.

(*a*) Ext. in arce S. Angeli & in collect. Plat. MS. Vatic. to. 1. p. 178. & lib. priv. Rom. eccl. to. 1. p. 92. ed. Vallic. sig. lit. B. n. 12. p. 16. Rescissa ea a Rodulpho Rege, ut inscio ipso gesta.

*Sanctissimo in Christo patri ac domino, domino Nicolao, divina providentia, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifici, Rodulphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus cum filialis obeditionis reverentia devotissima pedum oscula beatorum.*

*Ad munificentiam munerum & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quæ imperatores Romani, & prædecessores nostri Reges Romanorum de Romanæ matris ecclesiæ uberibus susceperunt, ipsi velut devoti filii faciem gratitudinis convertentes; nec minus attendentes, quod eadem ecclesia ipsos in dulcedinis benedictione præveniens, transferendo de Græcis Imperium in Germanos, eisdem dederat id quod erant, ut grati prædicarentur filii laudabilis recognitionis effectu, inter cætera, quæ ipsi Ecclesiæ confirmarunt, dimiserunt, seu etiam concesserunt totam terram, quæ est a Radicophano usque Ceperanum, marchiam Anconitanam, ducatum Spoletanum, terram comitissæ Mathildis, comitatum Bertenorii, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Massam Trahariam, cum adjacentibus terris, & omnia alia bona, terras, possessiones, & jura ad dictam Ecclesiam pertinentia in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici expressa sive contenta, ipsi beato Petro cœlestis regni clavigero, ejusque successoribus, & eidem Ecclesiæ dimiserunt, renunciaverunt, restituerunt, & confirmarunt, & ad omnem scrupulum removendum, prout melius valeret, & efficacius posset intelligi, contulerunt, concesserunt, & etiam donaverunt, sicut in eorum privilegiis seu literis continetur, nosque postmodum, prout Domino placuit, ad regalis excellentiæ culmen assumpti prædicta omnia in præsentia recolendæ memoriæ domini Gregorii Papæ X. recognovimus, ac ea omnia & singula ipsi pro prædicta Ecclesia, se suisque successoribus recipienti confirmavimus, innovavimus, & de novo concessimus, atque donavimus, ipsa nihilominus præstito corporaliter juramento firmantes.*

Præcipue ditionis ecclesiasticæ terræ.

LII. A quibus populis exactum contra jus sacramentum.

*Verum quia postmodum absque nostro consensu, conscientia, vel mandato Rodulphus cancellarius noster a civibus Bononiensibus, Imolensibus, Faventinis, Foropopuliensibus, Cæsenatibus, Ravennatibus, Ariminensibus, Urbinatibus, nec non & aliis aliarum civitatum atque locorum illarum partium juramentum fidelitatis nostro nomine dicitur recepisse; nos dilectum familiarem clericum nostrum magistrum Gotifredum præpositum Soliensem, regalis aulæ protonotarium, transmittimus ad vestræ præsentiam sanctitatis, cui damus præsentibus nostris patentibus literis in mandatis, ut quidquid per eundem cancellarium, seu quemcumque in prædictis civitatibus, locis, & terris, sed per homines ipsarum civitatum, terrarum, atque locorum actum, gestum, recognitum extitit, & prædicta juramenta specialiter revocet, casset, annullet, irritet; cassa, nulla, & irrita nuntiet, ac*

*ac omnibus viribus vacuet; volentes, & consentientes expresse, quod per hoc nullum jus nobis accrescat, vel ecclesiæ Romanæ depereat tam circa possessionem, quam circa proprietatem in civitatibus, terris, & locis præfatis, ac hominibus, juribus, & jurisdictionibus eorumdem, & universis, & singulis civitatibus, communitatibus, locis, & hominibus supradictis ex parte nostra omnia & singula prædicta denuntiet, denuntiando solicitet & inducat eosdem, quod vestrum, & Ecclesiæ prædictæ dominium recognoscentes, vobis & Ecclesiæ memoratæ tamquam eorum vero domino in omnibus & per omnia, sicut debent, obediant, pareant, & intendant, promittentes nos ratum habituros & firmum quidquid idem magister Gotifredus ordinandum seu faciendum duxerit in præmissis. Datum Viennæ* IV. *kalen. junii ind.* VI. *anno Domini MCCLXXVIII. regni vero nostri an.* V.

Acceptis hisce a Rodulpho imperiis, Gotifredus in Cardinalium consistorio coram Nicolao professus est, Rodulphum ab invadendis Romanæ ecclesiæ juribus abesse animo, ac regio nomine extorta ab imperialis sigilli præfecto sacramenta convulsit; sanxitque Bononienses, Ravennates, aliosque memoratos populos ad sedis Apostolicæ ditionem revocandos: de qua re editæ subjectæ tabulæ, quæ in arce S. Angeli reconditæ sunt.

LIII. Restituta a Gotifredo pristina Romanæ ecclesiæ jura.

*In nomine Domini amen. Nos Gotifredus præpositus ecclesiæ Soliensis Salzburgensis diœcesis magnifici principis domini Rodulphi Romanorum Regis illustris familiaris clericus, & protonotarius ad futuram rei memoriam notum esse volumus universis, quod excellentissimus princeps dominus Rodulphus Rex Romanorum illustris, sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem & dominam recognoscens ac intendens ejus jura non percipere, sed ea potius illæsa servare, nos ad sanctissimum patrem, & universalem dominum, dominum Nicolaum divina providentia summum Pontificem cum specialibus literis destinavit, quarum tenor talis est.* Subjectæ sunt superiores Rodulphi Regis Romanorum literæ, quibus adiicit: *Nos itaque traditi nobis ab eodem domino Rege auctoritate mandati, juramenta fidelitatis, seu alia, quæ Rodulphus cancellarius ejusdem domini Regis a civibus Bononiensibus, Imolensibus, Faventinis, Foropoliensibus, Casenatibus, Ravennatibus, Ariminensibus, & Urbinatibus, Cerviensibus, Forliviensibus, ac hominibus castrorum Montisfeltri, & Bertenorii, ac aliis communitatibus, universitatibus, & incolis civitatum & locorum partium earumdem, seu eorum aliquibus pro ipso domino Rege dicitur recepisse; ac quidquid per eandem cancellarium seu quemcumque alium in eisdem civitatibus terris, & locis sive per cives aut alios supradictos actum, gestum, & recognitum extitit, remittentes, revocantes, cassantes, annullantes, irritantes, cassa, nulla & irrita nunciantes, ac omnibus viribus vacuantes; eisdem civibus, incolis, & aliis universis, & singulis ex parte ipsius domini Regis omnia & singula prædicta in eisdem contenta literis denunciamus, & denunciando eosdem sive homines, communitates universitates, & incolas solicitamus & inducimus, quod eorumdem domini Papæ, & Ecclesiæ recognoscentes dominium, dictis domino Papæ, & Ecclesiæ tamquam vero domino in omnibus & per omnia, sicut debent, obediant, pareant & intendant.*

*Porro ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum hæc omnia conscribi, & in publicum instrumentum redigi per magistrum Paulum de Reate apostolica auctoritate tabellionem subscriptum fecimus atque rogavimus, & proprio sigillo munivimus. Volumus tamen & consentimus, quod si dictum sigillum quovis modo vel casu deperdi, frangi, vel deformari contigerit, nihilominus instrumentum ipsum in suo vigore permaneat ac si de ipso sigillo facta mentio non fuisset. Actum Viterbii in episcopali palatio, in magno consistorio in præsentia sanctissimi patris summi Pontificis prædicti domini Nicolai Papæ III. & venerabilium patrum cœtus dominorum Cardinalium coram his testibus, scilicet domino B. archiepiscopo Ravennate, domino G. archiepiscopo Corinthiensi, domini H. episcopo Lunensi, domino P. episcopo Firmano, domino .... episcopo Viterbiensi, domino R. episcopo Massiliensi, domino .... episcopo Burgensi, domino .... episcopo Gallicensi domino .... episcopo Taurinensi, domino ... episcopo Famagustano, & domino .... episcopo Aurasicensi, ac multis aliis clericis, & laicis in multitudine numerosa, anno Domini MCCLXXVIII. II. kal. julii indictione VI. pontificat. domini Nicolai Papæ III. anno* I.

His Gotifredus gestis, datis ad eos populos Romanæ ecclesiæ obnoxios (*a*), quos imperialis cancellarius in verba Rodulphi jurare coegerat, literis præstiti sacramenti religione solvit, jussitque in Romanæ ecclesiæ fide, ac potestate perstare: quibus literis præfixus est hic titulus: *Providis viris potestatibus, capituneis, consiliis, & communibus Bononiensibus, Faventinis, Foropoliensibus, Cæsenatibus, Ravennatibus, Ariminensibus, Urbinatibus, Cerviensibus, & Forliviensibus; Montisfeltri, & Bertenorii, ac aliis communitatibus, universitatibus, & incolis aliorum, civitatum, castrorum, terrarum, & locorum par-*

LIV. (*a*) Ext. in MS. Vatic. lib. privil. Rom. eccl. to. 1. p. 92. & MS. Vall. sign. lit. B. n. 12. p. 16.



*tium earundem; Gotifredus præpositus ecclesiæ Soliensis Salzburgensis diœcesis, magnifici principis domini Rudolphi Regis Romanorum illustris familiaris clericus, & protonotarius salutem in Domino. Excellentissimus princeps &c.* Significat data sibi a Rodulpho Rege Romanorum imperia de iis ad sedis Apostolicæ obsequium revocandis, atque regias literas inserit, de quibus etiam in Vallicellano (*a*) nostro MS. insigne instrumentum extat, quod cum superioribus consentit. Meminit de Rodulphi literis, ac Flaminia a Nicolao ditioni pontificiæ adjuncta Jordanus his verbis (*b*): *Ab hoc Rodulpho Nicolaus Papa III. requisivit ut Romandiolam resignaret, & exarchatum Ravennæ, qui a comitatu distinguebatur, & antiquitus Ravennæ, erat renator, sicut Romæ, & dictas communitates gubernabat, inter quas erat Bononia, ut per Ludovicum I. scribitur Paschali Papæ I. hanc regionem per Carolum datam, & recuperatam per Gregorium X. nunc isto repetente, mandat Rodulphus omnibus nobilibus terræ, & populis dictæ regionis, ut eccl. Romanæ obediant & dictum dominium ad Romanam ecclesiam asserit pertinere: & sic Papa possessionem obtinuit.* Consentit Ptolemæus Lucensis (*c*) in historia ecclesiastica MS. tradit enim recuperandis pontificiis juribus intentum Nicolaum, misso Joanne Viterbiensi ordinis Prædicatorum religioso viro, tum literis, superiores populos urbesque ad sedis Apostolicæ obsequium allicere studuisse (*d*): *Secundo sui pontificatus anno Nicolaus III. Rodulphum Regem Alemanniæ requirit super resignatione & exarchatu Ravennæ, qui erat principatus super sex civitates Romandiolæ, quæ a comitatu distinguebatur.* Et infra: *Mandat dictas Rex omnibus nobilibus terræ ac populis dictæ regionis, ut ecclesiæ Romanæ obediant, atque dictum dominium ad ecclesiam Romanam asserit pertinere. Et sic dictus Papa possessionem obtinet.*

(*a*) Sign. lit. B. n. 12. p. 16.

(*b*) To. 1. l. 1. ep. cur. 38. & reg. post eand. ep.

(*c*) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 23. c. 32.

(*d*) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.

LV. Bononienses.

Egregium quidem Bononiensium studium extitit in admittendo pontificio dominatu: publico enim consensu oratores ad Nicolaum misere, qui Bononiam ac loca eo spectantia ditioni Apostolicæ subderent: iisque in sua verba sacramento adactis, Pontifex Giffrido Anagnino, & quem supra diximus, Joanni Viterbiensi provinciam tradidit (*e*), ut coactis præconis voce magistratibus, & civibus, ipsos ea omnia, quæ gessissent oratores, rata habere operam darent. Quos paruisse, literæ (*f*) pontificiæ docent. Omnes alias urbes adiisse, & quæ a procuratoribus acta fuerant, rata haberi a senatu & populo harum civitatum, sacramentoque a civibus qui a XIX. ad LXX. ætatis annum provecti erant fidem summo Pontifici Romanæque ecclesiæ obstringi curasse, refert Hieronymus Rubeus (*g*): tum alios procuratores ex adversis factionibus excivisse, qui compromisso in Romanum Pontificem facto, conjungendæ concordiæ rationem illius judicio permitterent; quæ a Nicolao datis ad Giffridum memoratum literis (*h*) confirmata sunt, quem animos ad concordiam comparare atque allicere jussit (*i*).

(*e*) To. 1. l. 1. ep. cur. 46.

(*f*) Ib. ep. 47. & 49.

Ad ineundam vero Æmiliæ possessionem Latinum Ostiensem & Velletrensem episcopum Apostolicæ sedis legatum (*k*) quem Joannes Villanus (*l*) Latinum Cardinalem vocat, atque Brancaleonum familia satum Nicolai ex sorore nepotem ait; alterumque ex fratre nepotem Bertoldum misit (*m*): ac ne discordia aliqua inter ipsos sereretur, Bertoldum Latino subesse jussit, adeo ut nil contra ejus imperia auderet, & quæ male gesta rescindi ab illo possent. Communicavit (*n*) cum Rege Siciliæ consilia sua Pontifex, præcepitque ut ad augendas pontificias vires copiæ, quas in Bononiensi agro & Æmilia habebat, operam legato Cardinali explicarent; cumque necessitas postularet, ex accepti apostolica beneficentia Siculi regni legibus militarem, manum egregie instructam rogatus submitteret. Impacata quippe erat provincia, (*o*) in quam Guido e Monteferetro exercuerat tyrannidem, ac Geremienses, & Lambertatii contrariarum partium signiferi gravioribus inter se odiis imbuti erant. Ad quos mulcendos regendosque non levi prudentia opus erat: quamobrem legatum Pontifex arcanis literis multis præceptis informavit, (*p*) monuitque in neutram partem propenderet. Quæ monita cum a Bertholdo, Guidonis e Monteferetro Lambertatiorum fœderati studioso, servata non essent, universa Æmilia in gravissimos, uti dicemus, tumultus conjecta est.

Flaminii.

(*g*) Rub. hist. Raven. l. 6.

Contrariis factionibus concilandis data opera.

(*h*) Eod. l. 1. ep. cur. 50.

(*i*) Ib. ep. 51.

Latinus Card. & Bertoldus Ursinus ad provinciam recuperandam missi.

(*k*) Ep. 120.

(*l*) Jo. Villan. l. 7. c. 54.

(*m*) To. 2. l. 1. ep. 34.

(*n*) Ib. ep. 30.

Expetitæ a Carolo subsidiariæ copiæ.

(*o*) Ib. ep. 45. 46. & to. 1. l. 1. ep. cur. 120.

(*p*) To. 2. l. 1. ep. 47.

LVI.

Traditam porro Nicolao Bononiam a Rodulpho Rege Romanorum, scribit Ricordanus Malespina, (*q*) ut sacramenti religione, qua ad suscipiendam Asiaticam expeditionem accepto crucis symbolo obstrictus erat, dum ea spe ac lege a Gregorio instaurandæ rei Syriacæ cupidissimo Imperium obtinuit, solveretur: sed longe a Nicolao ea abest calumnia, ut Syriam Saracenis relinquere non curaret, modo Bononia potiretur. Nec minus a rei veritate abhorrent convitia, quæ ob recuperatam ab Ecclesia Bononiam totamque Flaminiam evomunt Novatores (*r*). Cæterum historiæ veritas ea est, Rodulphum pruden-

(*q*) Ricord. Malesp. hist. Flor. c. 204. Jo. Villan. l. 7. c. 54. & alii.

Invidorum in Rom. eccles. ob recuperatam Bonon. dicteria refutata.

(*r*) Centur. 13. c. 7. col. 726.

Rodulphus restituta Bononia, Etruriam recuperat. Spectabat antiquo jure ad Ecclesiam Bononia.

denter se gessisse, ac restituisse Nicolao jura Ecclesiæ, ut Imperii jura, quæ in Etruria Carolus legati Imperii nomine obtinebat, sine bello recuperaret (qua de re agendum fusius duximus) ac Nicolaum, Innocentii V. ac Joannis XXI. exemplo Bononiam aliasque urbes a Rodulpho justissime repetiisse, quas Ludovici, Othonis, Henrici, ac Friderici Imperatorum, atque electorum principum testimonio ad sedem Apostolicam antiquo jure spectasse constabat, quæ Nicolaus ad Rodulphum transmisit, (a) ut eorum exemplo eas urbe iterum eidem sedi ad controversias omnes tollendas, firmaret, ac singularum urbium nomina exprimeret. Quæ res ne insolens videretur Imperatorum Ludovici, Othonis, Henrici privilegia, ex tabulario Romanæ ecclesiæ decerpta, atque a Conrado Rodulphi oratore etiam exscripta misit.

(a) To. 2. l. 1. ep. 5. Poscit a Rodulpho Nicolaus, ut jura ab antiquis Impp. tradita confirmet.

*Nicolaus episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Rodulpho Regi Romanorum illustri salutem, & apostolicam benedictionem.*

LVII. Præcipua locor. ad eccles. spectantium nomina.

*Ad tuæ devotionis augmentum, & jurium Romanæ ecclesiæ claritatem, quod civitas Ravennæ, & Æmilia, Bobium, Cæsena, Forumpopuli, Forlivium, Faventia, Imola, Bononia, Ferrara, Comaclum, Adria, atque Gabellum, Arminum, Urbinum, Montisferetrum, territorium Balnense, cum omnibus juribus, territoriis atque insulis in terra marique ad civitates & loca prædicta quoquo modo pertinentibus, ad nos, & Romanam ecclesiam pleno jure pertineant; per alias nostras literas a te, fili charissime, cum expressione nominum prædictorum, civitatum, castrorum, villarum, atque locorum sub certa forma petimus declarari; & nihilominus, ut erga eandem Romanam ecclesiam matrem tuam sinceritatis tuæ devotio amplius elucescat, omnia & singula de novo donari.*

*Ne autem per hæc nos aliquod novum petere, vel a tuis prædecessoribus Imperatoribus Romanis insolitum existimes postulare, ad tuam conscientiam plenius serenandam, qualiter illa certi prædecessores tui Romani Imperatores expresserunt, qualiter illa ad Romanam ecclesiam pertinere sub expressis terrarum distinctionibus declararunt, tibi de verbo ad verbum tenores privilegiorum ipsorum Imperatorum, sicut in archivis Romanæ ecclesiæ reperimus, sub bulla nostra transmittimus: quorum etiam privilegiorum aliqua originalia, in quibus prædictorum, quæ petimus, habetur plena distinctio, dilecto filio fratri Conrado nuncio tuo inspicienda commisimus, & quoad hunc articulum exemplanda concessimus, quatenus super his notæ sibi veritatis fidelis assertor declarationis per eum visæ relator, omni nube de mente tua caliginosæ dubitationis exclusa, te possit clarius informare. Tenores autem præfati eorundem Imperatorum quoad prædicta tales sunt.*

LVIII. Contineri in Ludovici Imp. donatione ostendit Pont.

*In nomine Domini Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego Ludovicus Imperator Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro principi Apostolorum, & per te vicario tuo domino Paschali summo Pontifici & universali Papæ & successoribus ejus in perpetuum, sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis, civitatem Romanam, &c.* Et infra: *Nec non & exarchatum Ravennatem, sub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis, & castellis, quæ piæ recordationis dominus Pipinus Rex, ac bonæ memoriæ genitor noster Carolus Imperator B. Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris jamdudum per donationis paginam restituerunt: hoc est civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forumpopuli, Forumlivii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, & Adriam, quæ & Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis in terra marique ad supradictas civitates pertinentibus; simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forumsempronii, Montemferetri, Urbinum, & territorium Balnense, Callem Luciolis, Eugubium cum omnibus finibus, ac terris ad easdem civitates pertinentibus.* Item tenor privilegii Othonis Imperatoris talis est.

LIX. Et in Octoniano privilegio.

*In nomine Domini Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego Otho Dei gratia Imperator Augustus una cum Othone glorioso Rege filio nostro, divina ordinante providentia, spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostræ tibi B. Petro principi Apostolorum, & clavigero regni cœlorum; & per te vicario tuo domino Joanni summo Pontifici, & universali Papæ duodecimo, sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate, atque ditione tenuistis, & disposuistis civitatem Romanam, &c.* Et infra: *Nec non exarchatum Ravennatem, sub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis, & castellis, quæ piæ memoriæ dominus Pipinus, & dominus Carolus excellentissimi Imperatores * videlicet nostri B. Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris jamdudum per donationis paginam contulerunt; hoc est civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forumpopuli, Forumlivii, Faventiam,*

* prædecessores



*Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, & Adriam, atque Gabellum cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis terra marique ad suprascriptas civitates pertinentibus; simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forumsempronii, Montemferetri, Urbinum, & territorium Balnense, Callem Luciolis, & Eugubium cum omnibus finibus & territoriis ad easdem civitates pertinentibus.* Item tenor privilegii Henrici Imperatoris talis est.

LX. Et in Henrici Imp. diplomate.

*In nomine domini Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego Henricus Dei gratia Imperator Augustus spondeo, atque promitto per hoc pactum confirmationis nostræ tibi B. Petro principi Apostolorum, & clavigero regni cœlorum; & per te vicario tuo domino Benedicto summo Pontifici, & universali Papæ sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in potestate vestra ac ditione tenuistis, & disposuistis civitatem Romanam, &c.* Et infra: *Necnon & exarchatum Ravennatem sub integritate cum urbibus, civitatibus, oppibus & castellis, quæ piæ recordationis dominus Pipinus, & domnus Carolus, & domnus Ludovicus, & Otho, & itidem Otho filius ejus, predecessores videlicet nostri B. Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris jam dudum per donationis paginam contulerunt: hoc est civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forumpopuli, Forumlivii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, atque Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis terra marique ad suprascriptas civitates pertinentibus; simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forumsempronii, Montemferetri, Urbinum, & territorium Balnense, Callis, Luciolis, & Eugubium cum omnibus finibus, & territoriis ad easdem civitates pertinentibus.*

*Datum Romæ apud S. Petrum non. junii Pontificatus nostri anno* I.

LXI. (a) Ibid. ep. 6. Postulat ab electoribus Imp. Pontifex, ut Siciliam, Sard. & Cors. ad sedem Apost. spectare agnoscant. (b) Ib. ep. 49.

Postulatum (a) insuper a Rodulpho, ut intra octo dies, post suscepta e Pontificis manibus Imperii ornamenta, omnia illa privilegia roboraturum polliceretur; operamque daturum, ut Imperii proceres suam adderent auctoritatem. Præterea ab electoribus principibus Joanne marchione Brandeburgensi, altero Joanne Saxoniæ duce, Ludovico comite Palatino Rheni duce Bavariæ, Alberto duce Saxoniæ, atque archiepiscopis Trevirensi, Coloniensi, Maguntinensi, expetiit (b) ut publico diplomate confirmarent, non dictas modo urbes ac loca ditionis apostolicæ esse, verum Siciliam quoque, Sardiniam & Corsicam supremo, atque integro jure ad eam spectare: Et conceptas eadem pene verborum forma literas ad Germanos præsules, ut ecclesiæ Romanæ in ea re dignitati studerent, dedit (c). Non defuisse principes Germanos justis pontificiis votis, ac literis publicis superiora promulgasse, videbimus.

(c) Ib. ep. 50.

LXII. (d) Ib. ep. 15.

Præscripsit vero Rodulpho (d) formam, qua jura Romanæ ecclesiæ confirmaturus esset: quæ cum fere iisdem omnino concepta sit verbis atque ea, qua Lausanæ Rodulphus coram Gregorio X. fidem astrinxit, atque a nobis suo loco jam ante allata (e) fuit, illa tantum decerpemus, quæ adjecta sunt a Nicolao in exprimendis ditionis ecclesiasticæ locis, ut Rodulphus ea ad pontificium dominatum spectare profiteretur: *Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissæ Mathildis, civitas Ravennæ, & Æmilia, Bobium, Cæsena, Forumpopuli, Forumlivii, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclum, Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Monsfeltri, territorium Balnense, Pentapolis, Massa Trabaria cum adjacentibus terris & omnibus aliis ad Romanam ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis in terra marique ad provincias, civitates, territoria & loca prædicta quoquo modo pertinentibus, ut suprascriptas provincias, civitates, loca, & territoria; nec non & omnia supradicta habeat Romana ecclesia in perpetuum cum omni jurisdictione, districtu, & honore suo. Verumtamen, cum ad recipiendum coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica sede vocati venerimus de mandato summi Pontificis, recipiemus procurationes sive fodrum ab ipsis. Omnia igitur supradicta tam propriis seu specialibus provinciarum, terrarum, civitatum, atque locorum expressa vocabulis; quam etiam non expressa, & quæcumque alia pertinent ad Romanam ecclesiam, de voluntate & conscientia, consilio & consensu principum Imperii libere illi dimittimus, renuntiamus, & restituimus: nec non ad omnem scrupulum removendum, prout melius valet & efficacius intelligi, de novo concedimus, conferimus, & donamus, ut sublata omnis contentionis & dissensionis materia, firma pax & plena concordia inter Ecclesiam & Imperium perseverent.* Ad calcem vero literarum hæc adjecta.

(e) An. 1275. n. 37. &c.

Exigit a Rodulpho ut ditionis eccl. loca exprimat.

LXIII.

*Ut autem hæc omnia vobis memorato sanctissimo patri nostro domino Nicolao, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifici, vestrisque successoribus per nos & no-*

*nostros successores Romanos Reges & Imperatores observentur, firmaque semper & incorvulsa permaneant, præsens privilegium conscriptum jussimus aurea bulla typario nostræ majestatis impressa muniri, ac ipsum ad perpetuam soliditatem & certitudinem vobis & ipsi Romanæ ecclesiæ exhiberi. Promittimus insuper quod postquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem, & imperiale diadema pervenerimus, ipsaque perceperimus, infra octo dies præmissa omnia & singula innovabimus, & de novo integre & plenarie faciemus.*

Conciliare Rodulphum & Carolum meditatur Nicol.

Consultum etiam est a Nicolao Caroli juribus, dum Rodulphum solemni sacramento adegit, Carolum Regem bello non lacessiturum, nec Siciliam invasurum. Ad jungendum vero inter eos Reges fœdus, Conradum Rodulphi oratorem, ut rem toties agitatam perficeret, penes se retinuit. Nec dissensit Romanorum Rex: memoratum enim Conradum & Godefridum scrinii regii præfectum auctoritate ad ineundas cum Carolo fœderis pactiones munivit, ac Nicolaum, ut illius interpres & arbiter foret, his literis (*a*) rogavit.

Obsequitur ei Rodulphus.

(*a*) *Ext. to. 1. privil. Rom. eccl. MS. Vatic. p. 91.*

*Sanctissimo in Christo patri ac domino, domino Nicolao, divina providentia, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifici, Rodulphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, cum filialis obeditionis reverentia, devotissima pedum oscula beatorum.*

LXIV. Regiæ ea de re literæ.

*Gerentes tanquam devotissimus vester & ecclesiæ Romanæ filius, de inobliquabilis sanctitatis vestræ rectitudine, qua cuilibet quod suum est, sine personarum delectu, tribuitis æqua lance; & ex fervore charitatis intrinsecæ, qua inter quoslibet Christianæ religionis, & potissime inter illustres & superillustres, ut Reges & principes, ex quorum dissidentia tanto gravius suboriri posset periculum, quanto majori præeminent dignitate; concordiam, unionem, & amicitiam tanquam pater piissimus toto corde diligitis indubitatæ fiduciæ plenitudine. Ecce quod super familiaritate, confœderatione, & indissolubilis amicitiæ unione inter nos & inclytum Carolum Regem Siciliæ, nomine nostro tractanda, facienda, firmanda seu solidanda per matrimonia, & quascunque obligationes & modos alios, vestra sanctitas viderit expedire, vestræ beatitudini nos ducimus committendum, super hoc concedentes, quantum in nobis est plenam & liberam, ac omnimodam potestatem: constituentes nihilominus honorabiles viros fratrem Conradum de ordine Minorum ministrum superioris Alemanniæ, & magistrum Godefridum præpositum ecclesiæ Soliensis vestrum capellanum, nostrumque protonotarium, procuratores, nostros ad informandum nostro nomine vestram paternitatem de facti & negotii circumstantiis, cum necesse fuerit, & a vestra sanctitate fuerint requisiti: ratum habentes & gratum quicquid paternitatis vestræ providentia super bono concordiæ, familiaritatis, & amicitiæ & ipsius solidatione, sub forma præmissa egerit, fecerit, sive nostro nomine duxerit ordinandum. In cujus testimonium, & evidentiam pleniorem præsentes literas sanctitati vestræ transmittimus, majestatis nostræ sigilli robore communitas. Dat. in castris apud Dyax non. septembris indictione sexta, anno Domini MCCLXXVIII. regni vero nostri anno V.*

Conradus & Godefridus ad agitandas pactiones instructi auctoritate.

Tradita Conrado & Godefrido paciscendi cum Carolo fœderis a Rudolpho auctoritate, Nicolaus, admissa pacis arbitri provincia, Carolum Siciliæ Regem ad regni limitem excivit, ut res melius perduci, nuntiique hinc inde facilius commeare possent: *Celsitudinem*, inquit, (*b*) *regiam requirimus & hortamur attente, quatenus in aliquibus regni tui locis Urbi vicinis te nobis celeriter appropinques, ut in iis per literas & nuntios frequentius, & commodius, sicut expediet, requiraris; ut per hoc salubrius ac celerius ipsis tractatibus consulatur, nobis speratæ prosperitatis dulcedinem, & eidem Regi*, nimirum Rodulpho, *& tibi fructus uberes producturis.* Cœpta concordia est cedente primum Etruria Carolo, ac juribus Imperii Regi Romanorum restitutis, de quo iterum sermo recurret inferius.

LXV. Carolus Rex a Nicol. rogatus, ut ad regni limitem pro tractanda pace accedat.

(*b*) *To. 2. l. 1. ep. 44.*

Cedente Etruria Carolo cœpta pax.

Professum porro hoc anno solemni ritu Carolum Regem, Siciliam clientelæ nomine sedi Apostolicæ addictam; fidemque Nicolao, ut justo, ac supremo domino Romæ coram sede Apostolica adstrinxisse, ostendunt Caroli ipsius literæ (*c*) quibus inter cætera spondet, nunquam se Imperium cum Sicilia conjuncturum. Cum vero iisdem omnino verbis conceptæ sint, atque eæ, quibus Joanni XXI. addixisse obsequium vidimus, (*d*) prætereundæ visæ sunt. Id modo observandum, ipsum cæteris titulis Regis Jerusalem nomen adjecisse ipso literarum exordio, atque diem hac forma ascripsisse: *Actum Romæ apud S. Petrum in papali palatio anno MCCLXXVIII. mense maii XXIV. ejusdem VI. indictionis, regnorum meorum Jerusalem anno* II. *Siciliæ vero XIII.* Ad rem gesta secuturis ætatibus transfundendam Nicolaus diploma VIII. kal. junii edidit (*e*) in quo literas Caroli inseruit, atque assentiente sacro Cardinalium senatu clientis officia a Carolo accepisse promulgavit.

LXVI. Siciliam clientelæ nomine Pontifici addictam profiteretur Carolus.

(*c*) *Ext. apud Nicol. to. 1. l. 1. p. 85. n. 82.*

(*d*) *An. Ch. 1276. n. 38. &c.*

Jubetur Etruriam Rodulpho restituere.

(*e*) *Nicol. ubi sup.*

Devinctum porro illius sacramenti religione Carolum (in quo spoponderat in-

LXVII.



inter cætera, nunquam Etruriam, Insubriamve cum Sicilia conjuncturum) Etruria, cui publice pacis servatoris nomine imperitabat, cedere jussit. Molitum id vindictæ cupiditate Nicolaum accusant Ricordanus (*a*), Joannes Villanus (*b*), S. Antoninus (*c*), Franciscus Sansovinus (*d*) qui Ursinæ familiæ historiam conscripsit, plurèsque alii ob repulsam, adjectis nonnullis verborum aculeis, quam erat passus, cum a Siculo, ut neptem Ursino nepoti uxorem traderet, flagitasset. Ferunt enim dixisse Carolum, Pontificis genus ob rubros calceos, quibus insigniebatur, dignum non videri, ut cum regio genere misceretur, atque ejus principatum hereditarium non esse: atque inde Nicolaum concepto dolore Roma atque Etruria Carolum detraxisse, adduntque (*e*) aliam in Nicolao irarum causam, Carolum post mortem Innocentii V. Gallicos patres contra Italicos in Pontificis electione fovisse. Quorum fides sit penes auctores. Petiit ergo a Carolo Nicolaus, ut Etruria cederet; causatus, ut ajunt (*f*) cum Rodulpho secus de fœdere agi non posse.

(*a*) *Ric. Malesp. c. 204.*

(*b*) *Jo. Villan. l. 7. c. 54.*

(*c*) *Anton. 3. par. tit. 20. c. 4. §. 1.*

(*d*) *Francisc. Sansovin. l. 2. de famil. Ursin.*

Privatæ in Carolum irarum causæ.

(*e*) *Anton. 3. par. tit. 20. c. 3. §. 4. Sanson l. 2. & alii.*

(*f*) *Idem qui sup. & Vitæ Nic. MS. Vallic. biblioth. sign. lit. C. n. 25.*

LXVIII.

At quamvis ea res graviorem Siculo Regi dolorem afferret, ut eam tamen a Romano Pontifice acceperat dignitatem, ita illi restituit, literisque regiis, quem Etruriæ præfecerat, Raymundum e Poncellis provincia abire, reddere obsides, atque arcibus præsidiarium militem detrahere jussit. Quo accepto lætus Nicolaus Latino Cardinali scripsit (*g*), ut loca munita, atque arces reciperet. Eodemque argumento missis dicto Raymundo Poncellano regio in Etruria vicario literis, Ostiensem episcopum in arces inducere jussit. (*h*)

(*g*) *To. 1. l. 1. ep. cur. 83.*

(*h*) *Ib. ep. 84.*

*Charissimus in Christo filius noster Carolus*, Latinum Cardinalem alloquitur, (*i*) *Siciliæ Rex illustris, debitum claræ suæ devotionis & factæ nobis olim ab ipso promissionis observans, a vigesimo quarto die præsentis mensis septembris proximo futuro vicariam Tusciæ absolute, ac libere dimittendo dilecto filio nobili viro Raymundo de Poncellis suo in Tuscia ipsa vicario, sicut per literas regias nuper accepimus, per alias literas suas injungit, ut eodem die omnia castra, quæ pro parte ipsius Regis facit idem nobilis ubique per dictam Tusciam custodiri in illius manibus libere ac absolute dimittens etiam & assignans, quem illuc propter hoc duxerimus destinandum, dictus nobilis se de vicaria ipsa per se, vel per alium nullatenus intromittat: mandans nihilominus prædictus Rex universis, & singulis castellanis, quibus quorumcumque castrorum per ipsam Tusciam tam per Regem, quam nobilem eosdem, seu quemcumque alium pro dicto Rege custodia est commissa, ut ad requisitionem prædicti nobilis omnia ipsa castra nuncio, per nos illuc destinando, libere ac absolute dimittant. Nos igitur necessariam utilitatem illarum partium & incolarum earundem, quos interna mente conspicimus, attendentes, &c.* Significat Latino episcopo Cardinali data imperia apostolica Raymundo Poncellano Caroli præfecto, ut Etruriæ arces milite præsidiario firmatas teneret, donec Ecclesiæ nomine repetitæ essent, ne magno Regis Romanorum damno a nonnullis invaderentur: atque ideo præcipit, ut cedente Poncellano ad ipsius imperia earum custodiam suscipiat. *Dat. Viterbii* XVI. *kal. octobris anno* I.

(*i*) *Ep. 83.*

Carolus infenso Pontifici dimissa Etruria, paret.

LXIX.

Nec Etruria modo, verum etiam Urbis imperio, quod senatorio nomine obtinebat, jussus Carolus discedere, illico paruit; suique admirationem ob singularem in tanta potentia erga Pontificem, adversantem suis commodis, modestiam concitasse, refert Jordanus: (*k*) *Rex*, inquit, *Carolus privatur officio senatoris, & eodem anno vicaria Tusciæ, per eundem*, nimirum Nicolaum, *Papa misit unum Cardinalem, qui patientiam legis tentaret super prædictis sibi ablatis: & audito, quod Cardinalem honorifice recepisset, & modeste respondisset, ait: Felicitatem Carolus habet a domo Franciæ, ingenii perspicacitatem a regno Hispaniæ*, Blanca enim matre Hispania erat natus, *discretionem verborum a frequentatione Romanæ curiæ.* Acceperat illum, ut vidimus, a Clemente IV. in Urbe magistratum Carolus, cum Henricus Alfonsi Regis Castellæ frater, a Romanis senator creatus, ipsos ad rebellionem, inita cum Ecclesiæ hoste infensissimo Conradino coitione violatisque & expilatis ecclesiarum sacrariis, concitavit; atque a Pontifice anathemate devinctus est. Et licet Carolus, suscepto Siciliæ regno se adstrinxisset Urbis magistratum non correpturum, ad decennium tamen illi contulerat Clemens, ut Henrici Hispani, quem hostem judicarat, si in pertinacia perstaret, potentiam frangeret, Urbem ad Pontificis obsequium revocaret, suaque auctoritate rebelles in officio contineret.

(*k*) *Jord. MS. Vat. sig. num. 1960.*

Urbis magistratum jussus deponere non repugnat.

Insigne de eo Nicolai dictum.

Magistratum a Clemente IV. ad decennium acceperat.

Cum itaque jam Nicolaus urgeret Carolum, ut magistratu abiret, is exposuit se a Clemente IV. donatum ea dignitate ad decennium, cujus deponendæ tempus in mensem septembrem incideret; ac Nicolaus æquitati standum ratus, Clementis beneficium infringere noluit; sed Carolo Regi proxima ab eo adacto in sua verba die, diploma concessit, ut ex Clementis privilegio ad decimamsextam diem septembris magistra-

Carolus spondet Nicolao, perfecto tempore Urbis se administrationem restituturum.

stratum Urbis gerere pergeret, ea lege, ut constituto tempore publicæ rei gubernacula restitueret Ecclesiæ. Accepit conditionem Carolus, eaque ipsa die, quæ proxima a nuncupato Pontifici sacramento effluxit, subjectis literis (*a*) Nicolao cavit, se Urbis imperium Ecclesiæ redditurum.

(*a*) Ext. apud Nicol. to. 2. pag. 38. n. 32.

*Sanctissimo in Christo patri, & domino speciali, domino Nicolao divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Carolus Dei gratia Rex Jerusalem, Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, A degavæ, Provinciæ Folchalq. & Tornodori comes, cum omni reverentia, & honore devota pedum oscula vestrorum.*

LXX. *Sanctæ recordationis dominus Clemens Papa IV. prædecessor vester mihi, ut si nobilis vir domnus Henricus magnifici principis illustris Regis Castellæ germanus tunc Urbis senator, ab ipso domino Papa ex justis causis excommunicationis vinculo innodatus, infra tunc proximum festum ascensionis Domini ad sua, & ecclesiæ Romanæ mandata non rediret, ex tunc ejusdem Urbis regimen de consensu populi Romani a juramento, quod eidem Domno Henrico præstiterat, absoluti infra tunc proximum festum omnium Sanctorum ad continuum decennium recipere possem, sub certa forma concessit. Et cum sextadecima die mensis septembris proximo futuri dictum decennium finiatur, præsenti scripto sponte fateor a sanctitate vestra mihi nuper esse concessum, ut retinendo regimen hujusmodi usque ad prædictum diem, juxta formam concessionis prædecessoris ejusdem, pœnas in conventionibus tempore traditi mihi regni Siciliæ, inter sanctam Romanam ecclesiam & me statutas, non incurram, nec juramentum super eisdem conventionibus plenarie adimplendis, & inviolabiliter observandis a me præstitum, vel quod imminet nunc præstandum, censeri debeat per retentionem hujusmodi violatum; ita quod adveniente dicto die regimen ipsum, & quodcunque aliud in ipsa Urbe dominium liberum & expeditum omnino dimittam; nisi aliud interim super hoc mihi concedi contingeret per vestras literas concessionem hujusmodi specialiter exprimentes.*

Permiste Nicolaus Carolo, ut decennium impleret.

*Quod si secus per me, vel de mandato meo factum, vel attentatum extiterit, omnes, & singulas pœnas contentas in conventionibus, & collatione prædictis huic annexas articulo, quibus ex tunc me subjacere per easdem literas decrevistis, eo ipso me noscerem incurrisse: ac prædictum juramentum a me præstitum, vel quod imminet nunc præstandum, nihilominus violasse, sicut in apostolicis literis per vos mihi concessis plenius continetur, quarum tenor talis est.*

*Nicolaus episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri ad perpetuam rei memoriam, &c.* Repetitis prolixa oratione superioribus de collata a Clemente IV. ad decennium Carolo Urbis senatoria dignitate ob Henrici Castellæ Regis fratris perduellionem, ac literis ipsius Clementis ea de re exaratis, Nicolaus Carolo permittit, ut decennium compleat in eo magistratu, additque hæc imperia.

*Celsitudini regiæ præsentium auctoritate concedimus, ut retinendo regimen hujusmodi usque ad prædictum diem, juxta formam concessionis hujusmodi, pœnas in eisdem conventionibus expressas huic articulo annexas, vel earum aliquam non incurras, nec juramentum super eisdem conventionibus plenarie adimplendis & inviolabiliter observandis a te præstitum, vel quod imminet nunc præstandum censeri debeat per retentionem hujusmodi violatum; ita tamen, quod adveniente dicto die regimen prædictum & quodcunque aliud in ipsa Urbe dominium liberum, & expeditum omnino dimittas: nisi aliud interim super hoc tibi concedi contigerit per nostras literas, concessionem hujusmodi specialiter exprimentes. Quod si secus per te vel alios de mandato tuo quomodolibet factum, vel attentatum extiterit, omnes & singulas pœnas contentas in conventionibus prædictis huic annexas articulo, quibus ex tunc te subjacere decernimus, eo ipso te noveris incurrisse, ac prædictum juramentum a te præstitum, vel quod imminet nunc præstandum, nihilominus violasse. Datum Romæ apud S. Petrum VIII. kal. junii pontificatus nostri anno I.* Admissa sunt obsequenti animo hæc imperia a Carolo Siciliæ Rege, ut is subjecta literarum parte profitetur.

LXXI.

Objectæ Carolo pœnæ si fidem violarit.

*Ego autem eamdem Ecclesiam, & vos mihi propitios recognoscens, vobis, & per vos successoribus vestris, & eidem Ecclesiæ, solemniter bona fide promitto, quod adveniente dicto die de ipso regimine me ulterius nullatenus intromittam: sed illud dimittam penitus absolutum; nisi aliud interim super hoc mihi concedi contigerit per vestras literas concessionem hujusmodi specialiter exprimentes. Quod si, quod absit, contrarium facerem, pœnis omnibus huic annexis articulo in conventionibus supradictis totaliter me astringo, & expresse volo & consentio, quod per hoc, vel horum aliquod conventionibus eisdem in nullo penitus derogetur; sed illæ perpetuo nihilominus in suo perpetuo robore perseverent. Ad quarum observationem ita per omnia me teneri fateor, sicut ante prædictam concessionem tenebar; & perinde promitto in omnibus observare. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri feci, & aurea bulla typa-*

LXXII. Carolus Nicolai jussis obsequentem fore spondet.



*typario regiæ majestatis impressa muniri. Datum Romæ apud S. Petrum per magistrum Guillelmum de Farumvilla præpositum ecclesiæ sancti Amati Duacensis, regnorum Jerusalem & Siciliæ vicecancellarium, capellanum vestrum, anno Domini MCCLXXVIII. die* XXIV. *mensis maii* VI. *indictione, regnorum meorum Jerusalem anno* II. *Siciliæ vero* XIII.

LXXIII. Urbis administratio revocata ad Pontificem.

Cum senatoris dignitate abiturus esset Carolus, Nicolaus ad pontificiam potentiam in Urbe asserendam constitutione edita cavit, (*a*) ne in posterum id munus Regi ulli extero Regibusve oriundo, principi, aut marchioni deferretur. Qua de re hæc Jordanus (*b*) historiæ commendavit: *Constitutionem fecit de electione & domino Urbis, quocumque nomine censeatur, quod non possit eligi ad majus tempus unius anni absque auctoritate Apostolicæ sedis, quia tota civitas juris est Romanæ ecclesiæ, ut patet per capitulum Constantinus* XCVI. *dist. & di.* LXIII. *c. Ludovicus, quæ constitutio habetur in sexto de elect.* His consentanea a Ptolemæo Lucensi in M. S. historia ecclesiastica traduntur (*c*). Quæ porro causæ Nicolaum ad eam ferendam constitutionem impulerint, ipse his verbis exponit (*d*).

(*a*) Lib. 2. ep. 76.
(*b*) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.
(*c*) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 23. c. 29.
(*d*) To. 1. l. 1. ep. cur. 76. ext. cap. fundamenta de electo & electi potestate in 6.

*Nicolaus &c. ad perpetuam rei memoriam.*

LXXIV. Maxima incommoda ab externis magistratibus invecta.

*Fundamenta militantis Ecclesiæ in montibus sanctis propheta rememoraus, per montes Apostolos & prædicatores patenter insinuat:* Et infra. *Nunquid obduxit oblivio, quæ Urbi, quæ incolis nota dispendia intulerunt hactenus peregrina regimina? Nunquid non hæc destructio mœnium, deformatio proveniens ex ruinis, luce clarius manifestant? Nunquid non hæc fidelium contrectata deposita? Nunquid non hæc ipsa veneranda Dei templa præsidentis manu sacrilega diebus nostris nefarie violata proclamant? Quid plura? Nonne ipsius Urbis retroactis temporibus incorrupta constantia sub regentis & tempore nefando subversa regimine, ipsam Urbem, speculum fidei, tanta respersit infamia, ut a matre sua Romana ecclesia filia prædilecta deviare compulsa, quondam Conradinum; qui de venenosa radice Frederici quondam Romanorum Imperatoris colubri tortuosi justo ipsius Ecclesiæ judicio reprobati prodisse videbatur in regulum, quique ad exterminium Romanæ matris ecclesiæ manifestis indiciis una cum suis fautoribus aspirabat; in contemptum Dei, suæ matris, ac ipsius Urbis opprobrium patenter exciperet, recepto faveret, constituens se per hoc tam patentis hostis suæ matris Ecclesiæ filiam adjutricem. Hæc ipsi Romæ præstiterunt senatores incogniti. Hæc præsides improvise, ut gloriosa civitas redderetur ingloria, sua stabilitas vocaretur instabilis, suæque constantiæ antiquata soliditas linguis hominum notaretur infirma.* Nonnullisque interjectis hæc sancit.

LXXV. Decernitur nullum Regem vel principem præpotentem senatorem Urbis futurum.

*De fratrum nostrorum consilio hac irrefragabili, & in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut quandocumque & quotiescumque senatoris electio, vel alterius quocumque nomine censeatur, qui quo cumque modo quocumque titulo ipsius Urbis debeat præesse regimini, inposterum imminebit, nullus Imperator seu Rex Romanorum, aut alius Imperator, vel Rex, princeps, marchio, dux, comes, aut baro, vel qui alterius notabilis præeminentiæ, potentiæ, seu potestatis, excellentiæ, vel dignitatis existat; frater, filius, vel nepos eorum ad tempus, vel in perpetuum; seu quivis alius ultra annale spatium quovis modo, colore, vel causa, per se, vel per aliam personam quomodolibet submittendam in senatorem, capitaneum, patricium, aut rectorem; vel ad ejusdem Urbis regimen, seu officium nominetur, eligatur, seu alias etiam assumatur absque licentia sedis Apostolicæ speciali, per ipsius sedis literas concessionem licentiæ hujusmodi specialiter exprimentes.*

Magistratus tempus annum constituit.

*Quod si secus factum fuerit, nominationem, electionem, & assumptionem hujusmodi decernimus esse nullas, ac carere omni robore firmitatis, & non solum nominatores, electores, & assumptores; verum etiam ipsi nominati, electi, aut assumpti, si hujusmodi nominationi, electioni, seu assumptioni consenserint, aut se de ipsis quomodolibet intromiserint, intendentes & obedientes eisdem, & omnes dantes in hoc ipsis nominatoribus, electoribus, assumptoribus, aut nominatis, electis, vel assumptis auxilium, consilium, vel favorem, publice vel occulte; cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, aut status extiterint; eo ipso sententiam excommunicationis incurrant: ac nihilominus ipsos nominatos, electos, seu assumptos, si contra præsentem constitutionem prædictis nominationi, electioni, vel assumptioni consenserint, aut se quoquomodo illis ingesserint, & eorum posteros in perpetuum omnibus feudis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis & honoribus, quæ a prædicta, seu aliis tenent ecclesiis, censemus esse privatos, &c.* Aggerit alias pœnas in eos, qui hæc sancita infregerint, decernitque cives Romanos, vel in agro Romano oriundos, publicæ rei gerendæ admotum iri. *Dat. Viterbii* XV. *kal. augusti anno* I.

Objectæ iis, qui decretum violarint, pœnæ.

LXXVI.

(*e*) Anton. p. 3. tit. 20. c. 3. §. 1. 2. 3.
(*f*) C. 13. c. 7. col. 726.

Adducit eandem constitutionem S. Antoninus, (*e*) atque etiam meminere Novatores (*f*). Quod vero queranur in-

injuria Carolo senatum ereptum, nulla querelarum occasio subest, si Romanus Pontifex, quod suum erat, repetierit, Romanæque rei curam suscipere voluerit: quam quidem sibi multis nominibus commendatam eleganter in literis ad Latinum Ostiensem episcopum edisserit (*a*): *Almæ*, inquit, *Urbis gesta magnifica resonant, & acta testantur, quod ipsa Urbs dignitatum immensitate præcellens est, & dicitur caput orbis. Ibi quidem Deus omnipotens Ecclesiam suam fundari voluit, & Romano titulo nominari, ut inter se nullam quasi sentiret vocabuli sectionem, & ibi Apostolorum Principis Christi vicarii sedem constituit, ut vere Apostolica censeretur. Ad ipsam itaque Urbem, quæ naturalem nobis originem præbuit, & Romanum populum prædilectum compage nobis tantæ specialitatis adjunctos oculos nostros extendimus, mentem dirigimus, & animum elevamus; ipsosque affectione speciali conspicimus, & intra nostra præcordia retinemus: cum ad hæc specialiter ob præmissa nos astringat charitatis integritas, & officium apostolicæ servitutis. Quid enim dignius, quam oculis intentis inspicere fundamenta divinitus instituta, & eis cum sic adjuncto titulo refoveri? Quid honestius quam nobis illos adstringere, quos provisio cœlestis univit? Quid decentius, quam diligere quos amavit Altissimus, & tantorum honorum prærogativa vallavit? Et quid magis debitum quam servare quod disposuit summi providentia Conditoris, &c.* Commendat multis verbis, ut Caroli administros, nequa illis injuria inferatur exeunte magistratu, tueantur, rationemque affert: *Quia charissimus in Christo filius noster Carolus Siciliæ Rex illustris, quem inter alios orbis terræ principes charum inter brachia sedis Apostolicæ retinemus, suis claris exigentibus meritis, est amplis honoribus attollendus, &c. Dat. Viterbii* VI. *kal. aug. anno* I.

(*a*) To. 2. ep. 24.

LXXVII Gibellini in Ecclesiæ gratiam admissi.

Redeuntibus tum ad Romanæ ecclesiæ obsequium nonnullis principibus ac populis, quos ob secutas Conradini partes censuris toties a Pontificibus exagitatos, vidimus, Nicolaus Latino Ostiensi episcopo A. S. L. ut Guidonem e Monteferetro & alios, quos superioris ab Ecclesia defectionis pœniteret, sacris restitueret, munus demandavit, (*b*) Albanensi episcopo (*c*) Astenses cives, Vercellensi (*d*) Guillelmum marchionem Montisferrati, Ambrosio Mediolanensi Papienses, (*e*) tum Novarienses (*f*) & Vercellenses (*g*) in fidelium consortium revocare jussit. Veronenses etiam salutis immemores ad gremium Ecclesiæ allicere studuit (*h*). At contumaces acerrimis censuris defixit, (*i*) & Laurentium e Prædicatorum familia religiosum virum Forolivienses a bello Ravennatibus inferendo abducere imperavit (*k*). Cœptam vero toties, ac toties discussam inter Florentinos Guelphos ac Gibellinos concordiam perficere aggressus, Latini Cardinalis opera, cui extorres urbis cum civibus conciliandi, cum jam mutuo in Pontificem compromisso obstricti fuissent, provinciam imposuit (*l*). Exceptus magnis honoribus Latinus primum Guelphos inter se conjunxit, cujus factionis capita erant Donati, Tosinghi, & Pacii contra Adimaros, qui potentia & opibus florebant, fœderati: qua re perfecta Gibellinos Guelphis conciliare aggressus, post multas conciones habitas, ita omnium pectora tot annis in pervicacia obfirmata emollivit, ut ipsos in mutuos amplexus coram populo, ex incredibili lætitia in festas voces effuso, alliceret. Parem navavit operam Nicolaus, (*m*) ut Genuenses contineret, ne pacem ipsos inter ab Innocentio V. & comites Lavaniæ initam infringerent: cumque conculcato illi pontificio imperio, eam violassent, Forolivienſi episcopo munus injunxit, (*n*) ut magistratus reipublicæ Genuenses anathemate ob id scelus defixos promulgaret. [1] Simile allatum studium, (*o*) ut Senenses ac Pistoriensis revocatis exulibus veterem amicitiam redintegrarent.

(*b*) To. 1. l. 1. ep. cur. 121.
(*c*) Lib. 1. ep. 135.
(*d*) Ib. ep. 134.
(*e*) Ib. ep. 135.
(*f*) Ep. 136.
(*g*) Ep. 137.
(*h*) Ep. 132.
(*i*) Lib. 1. ep. cur. 31. & 32.
(*k*) Ib. ep. 33.
(*l*) Lib. 1. ep. cur. 124.
Florentinor. dissensiones a Latino Card. sopitæ.
Genuenses detrectantes concordiam censuris defixi.
(*m*) Lib. 1. ep. 110.
(*n*) Ibid. ep. 111.
(*o*) Ibid. ep. 114.

LXXVIII

Dum pax, jam diu ex iis urbibus præteritis bellis depulsa, feliciter revocaretur, in excindenda hæresi egregie hoc & sequenti anno desudatum est: instituti enim fidei censores, qui in eos legum

NOTÆ [1] Historiam anathematis seu interdicti hujus Genuensis, de quo Annalista, describit continuator Caffari ad A. 1281. narrans anno 1278. ab exulibus quibusdam Genuensibus diem dictam fuisse magistratui Genuensi pro neglectibus conditionibus pacis ab Innocentio V. sancitæ. Pontifex judicem hujus rei Episcopum Forolivienſem constituit, qui Genuensibus ad urbem Placentiam condixit. Illi prætendentes privilegia Innocentii IV. recusarunt extra ditionem suam ad causam dicendam accedere. Spreta eorum causatione episcopus sententiam interdicti dixit: hoc interdictum Genuenses religiose servarunt biennio. Postmodum invento casu privilegio Innocentii IV. quo de Pontificis indulgentia provisum erat, ne Genuenses ab aliquo legato seu delegato, nisi *de expressa licentia domini Papæ, interdicto subjacere fas esset*, convocata e toto Clero, & e Regularium ordinibus viris doctissimis Synodo rem discutiendum proposuerunt. Illi re tota perpensa male pronunciatum ab episcopo Forolivienſi anathema judicarunt. Atque ita sacris se se urbs tota restituit. MANSI



gum severitatem exercerent, ac Sinibaldus Minorita Viterbium ea labe purgare jussus (*a*): *Prout crebra insinuatione audivimus, & interdum experimento didicimus veritatis infra civitatem Viterbiensem nondum totaliter exterminati supersunt, licet ad reprimendum errores hujusmodi, dum minori fungebamur officio, & curam generalis inquisitoris pravitatis hæreticæ, per sedem Apostolicam gerebamus, studia nostra, solicitudine converterimus, & labores, &c.* Explicabant quoque egregie, quo ardebant, animarum zelum e sacro S. Dominici sodalitio fidei censores inter quos vitæ sanctitate illustris Conradus Paganus in Insubria gloriosissimo martyrio anno superiori, ut collocat Bozius noster (*b*) occubuit. Intulit eximio Christi servo cruentam necem scelestus Conradus de Venosta, vir impurus atque hæreseos infamia perfusus, qui ad tantum patrandum scelus nefarios alios sicarios conduxerat, in quem ac socios Nicolaus leges distrinxit (*c*): imploravit etiam Pontifex Rodulphi Regis Romanorum opem, tantumque studium in sicariis hisce insectandis adhibuit, ut anno insequenti conjecti in vincula Bergomi fuerint, quo sumendæ de iis pœnæ alios crimine deterrerent. (*d*) Nec ad hæreticos modo ad Ecclesiam revocandos, plectendosque facinorosos incubuit, verum ad Judæos in veteri pertinacia obfirmatos toto orbe sparsos, si fieri posset, ad Christum adducendos curas adjecit (*e*): atque inter cæteros Petro, (*f*) qui in Insubria Dominicanæ familiæ alumnis præerat, Hebræis Evangelium annuntiandi provinciam imposuit, injunxitque; ut præsulibus Judæos conversos, humanissime pertractandos pontificio nomine commendaret: ut vero adversus pertinaces se gereret hæc præscripsit: *De istis, si tales inveneris, qui sint, in quibus locis, & sub quorum dominio commorentur, nobis rescribere non ommittas, ut circa pertinaces hujusmodi de salutari eorum remedio, sicut expedire videbimus, cogitemus. Ut autem de præmissis avidis nostris conceptibus juxta nostra desideria * frequenter nobis intimare studeas, qualiter commissum tibi negotium prosperatur.*

(*a*) To. 1. l. 1. ep. 83.

Conradus Paganus odio fidei cæsus ab hæreticis.

(*b*) Th. Bozius de sign. Eccl. l. 7. c. 3. sig. 27. & Ferrar. novo Catal. 26. dec.

(*c*) Nic. l. 1. ep. 74. 75. & post eand. ep.

(*d*) Ep. 76. Pontifex de impiis ultionem expetit.

(*e*) Lib. 2. ep. 176. 178.

(*f*) Bull. in Nicol. III. p. 123.

In convertendis ad Christum Judæis operam collocat Pontifex.

* satisfiat

LXXXI. Basilica S. Petri a Nicolao vectigalibus & sacerdotibus aucta.

Augendi præterea divini cultus studio in Urbe basilicam principis Apostolorum vectigalibus suis curis dum archipresbyteratum gerebat auctiorem redditam, amplioribus instruxit; legesque ad ritus sacros, qua par est pompa & pietatis sensu observandos, tulit: (*g*) e quibus præcipuas decerpemus. De aucto in primis canonicorum numero, qui antea ad decem tantum redactus erat, hæc præfatur; *Quia sine augmentatione facultatum ministrorum numerus servientium in dicta basilica non poterat convenienter augeri, nos tunc archipresbyter præfatæ basilicæ, clementi apud eundem prædecessorem*, nempe Joannem, *studio devotæ supplicationis institimus, ut ad eamdem basilicam suæ magnificentiæ dexteram aperiret: sicque provide, quod læti referimus, compertum est, quod tum ex his, quæ idem prædecessor, nostris precibus annuens, præfatæ basilicæ clementi liberalitate donavit, præter centum libras provenientes annis singulis de proventibus altaris præfatæ basilicæ Romano Pontifici debitas, quas dictus prædecessor, ex tunc usque ad viginti annos eidem basilicæ donavit liberaliter & concessit; tum & ex iis, quæ nos antehoc post promotionem nostram de bonis, quæ Cardinalatus nostri tempore habebamus, pro possessionum & redditurum emptione contulimus; nec non ex eis, quæ aliunde per nostram solicitudinem ipsi basilicæ obvenerunt, quatuordecim millibus, & centum octuaginta libris provenientes & ultra, in emptione hujusmodi collocatis est eidem de bonorum temporalium augmento provisum, & redditus ac proventus ipsius non modicum sunt adauctæ.* Subdit ut inito pontificatu eam basilicam, *veluti decus*, ut ait, *in orbe*, ornare majoribus studiis contenderit, ac vectigalibus locupletare, additque.

(*g*) Nic. l. 2. ep. 110. ext. etiam in archiv. basil. S. Petr.

*Præter alia supradicta & mille libras provenientium, quæ sunt in camera dictæ basilicæ inpræsentiarum pro anima nostra, consanguineorum, benefactorum, & aliorum fidelium defunctorum quinque millia librarum provenientium de bonis Cardinalatus nostri, ac aliis ex nostra provisione ac solicitudine acquisitis, ipsi venerandæ basilicæ offerimus, concedimus, & donamus; ac quingentas marchas sterlingorum, de quibus obtinendis haberi creditur sufficiens certitudo, deputamus ad possessiones emendas, de quarum proventibus eidem basilicæ sint excrescendæ facultates. Hæc quidem non ad humanam excellentiam rememoramus inaniter, sed ut præsentibus patere possit & posteris, quibus initiis & qualibus incrementis præsens ordinatio radicetur.* Pluribusque interjectis de vectigalibus inter canonicos & alios sacerdotes partiendis, addit.

Distributionum inter canonicos ratio.

*Quotidianarum distributionum exhibitio vel distributio ipsi canonicis ita fiet: singulis diebus tam ferialibus, quam festivis in matutinis percipiat tres denarios provenientes unusquisque, in prima unum, in missa tres, in tertia unum, in sexta unum, in vesperis tres, in completorio unum, quod deinceps in choro immediate post vesperas dicetur, præterquam in quadragesima in qua hora consueta cantetur, & in ipsa quadragesima unus denarius adimatur*

*tur a vesperis & completorio adjungatur*. Multa alia ea de re inserit, deque cultu canonicorum hæc sancit.

Eorum ornatus in choro.

*Statuimus, quod omnes basilicæ supradictæ canonici in ecclesia & in choro, quando divina officia celebrantur, ac etiam aliis horis præsertim in publico, cum est ibi advenientium multitudo, habitum habeant uniformem: a vigilia scilicet omnium sanctorum usque ad sabbatum sanctum superpelliceas lineas deferant, cappas nigras de segia simplices, vel si voluerint foderatas a cingulo vel circa ex parte anteriori fixas inferius & apertas: deinde vero usque ad festum omnium sanctorum lineis togis superpelliceis, sive coctis absque cappis utantur; quod hactenus, ut accepimus, fieri consuevit. Sive autem pauci essent, sive multi, numquam appareant in eadem, quin saltem succas habeant; & super eas chlamydes ante pectus vel post collum annexas: licet gratius nobis esset, quod semper in ecclesia in eo, quem gestant in choro habitu apparerent. Beneficiati autem nullo tempore appareant in ecclesia præterquam in habitu chori, quem omnes similem cum canonicis omni tempore habeant, succis & capparum apertura exceptis: ipsi namque super clausa vestimenta clausas cappas habeant non apertas, modica dumtaxat in fine cappæ, & ante pectus apertura dimissa, per quam brachium possit extrahi juxta morem.* De divinis vero magno pietatis sensu peragendis hæc constituta.

De sacris ritibus servandis.

*Missæ & omnia divina officia tam pro vivis quam pro defunctis, in ipsa decantanda ecclesia vel legenda, non dicantur per syncopam, vel transcursum; sed a canonicis & beneficiatis, quantum eis Dominus dederit, studiose celebrentur pariter & devote. Missæ omnes conventuales, festivæ, feriales, & etiam pro defunctis, omnesque horæ canonicæ anniversariæ cum cantu peragantur, & nota: in parasceven tamen fiat quod consuevit fieri. In omnibus missis conventualibus diaconus & subdiaconus sacris induti vestibus, prout utriusque ordo requirit, ministrent presbytero celebranti. Omnia quoque fiant solemniter plus vel minus, juxta quod exigunt festi celebritas, diei ac temporis qualitas, solemnis anniversarii conditio ex beneficii perceptione majoris. Silentium a canonicis & beneficiatis sic in choro observetur, cum divina officia celebrantur, quod nec strepitus sive vociferatio ibi fiat, nec per verba inutilia mens a devotione officii retrahatur. Si quis tamen de iis, quæ ad officium vel ministerium pertinent, seu aliis utilibus socio loqui vellet, breviter & silenter hoc faciat, ut impediri seu turbari propterea divinum officium non contingat. Ad incensandum altare, cum ex more hoc fuerit faciendum, non in cappa linea, sed serica, quæ pluviale dicitur, sacerdos accedat.* Et infra de excitato a se sacello.

Sacellum ad S. Nicol. honorem extructum a Pont.

Sacra supellectili ab eodem instructum.

*Præterea cum ad honorem B. Nicolai quoddam altare in eadem basilica construi & erigi fecerimus, quod divina nobis assistente clementia disponimus propriis manibus consecrandum, ad ejusdem altaris ac ministrorum ejus duas rubei, duas paonacii, violati, duas albi colorum planetas & alios pannos sericos, ac quinque camisos, duos calices, crucem, duo candelabra, thuribulum, naviculam, cochleare, duas phialas, & duo bacilia argentea, libros, & nonnulla alia ad prædictum altare duxerimus assignanda, & ornatum ipsum velimus in decenti statu servari; statuimus & ordinamus, quod si prædicta, vel eorum aliquid vetustate annihilari vel consumi, aut alias deficere, vel perire contigerit, de ipsius basilicæ camera taliter suppleantur & etiam restaurentur, quod ornatus ipse in decenti vigore decenter conservetur, &c.* Denique ad propaganda in secuturas ætates pia instituta, anathema iis incutit, qui ipsa resciderint: ac successores rogat, ut hanc sanctionem dissolvi non patiantur, cui demum Cardinalium nomina adscribenda curavit.

*Ego Nicolaus catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.*

*Ego Ordonius Tusculanus episc. subsc.*

*Ego frater Bentevenga Albanensis episcopus subscripsi.*

*Ego frater Robertus Portuensis episc. subscripsi.*

*Ego Guillelmus tit. S. Marci presbyter Cardinalis subscripsi.*

*Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmedin diac. Cardinalis subscripsi.*

*Ego Gottifredus S. Georgii ad velum aureum diac. Card. subscripsi.*

*Ego Matthæus S. Mariæ in Portica diac. Cardinalis subsc.*

*Ego Jordanus S. Eustachii diac. Card. subscripsi.*

*Ego Jacobus S. Mariæ in via lata diac. Card. subscripsi.*

*Dat. Romæ apud S. Petrum per manum magistri Petri de Mediolano S. R. E Vicecancellarii* III. *non. februarii indict.* VII. *incarnat. Domin. an. MCCLXXVIII. pontif. vero D. Nicolai Papæ III. an.* II. Quamvis vero is in sequentem a Virginis partu incidat, superiora hoc potissimum anno perfecta referre placuit; de quibus ad hunc annum Card. Baronius in schedis notat (*a*): *Hic*, nimirum Nicolaus, *inter alia sua gesta in basilica Apostoli S. Petri* XXX. *beneficiatos instituit, in eademque sub nomine S. Nicolai altare, quod & dicavit, & donis cumulavit, ipsamque basilicam redditibus auxit*

(*a*) Baron. in notis MS. Aucta ejusdem basil. sacerdotia, ac ditata.





*xit. Habetur in appendice ad martyrologium ejusdem basilicæ sub die* XXII. *augusti.*

LXXX. Joannes ord. Prædic. magister ad patriarchatum Hierosol. vocatus.

Vocabatur ad Hierosolymitanam sedem Joannes Dominicanæ familiæ supremus magister, spectatæ virtutis vir, ut scribit Bernardus (*a*): *Eodem etiam anno*, nimirum Pontificatus sui primo, *fecit*, Nicolaus scilicet, *patriarcham Hierosolymitanum fratrem Joannem de Vercellis, magistrum fratrum ordinis Prædicatorum.* At cum is oneri humeros supponere recusaret, ut in otio rebus vacaret divinis, Pontifex ipsius animum ad constantiam, ferendosque pro Christo intrepide labores hisce literis excitavit (*b*).

(*a*) Bernard. in chron. Rom. Pontif.

(*b*) Tom. 1. l. 1. ep. cur. 89. & MS. Vallic. signat. lit. C. n. 49. p. 73.

*Dilecto filio Joanni electo Hierosolymitano, quondam ordinis fratrum Prædicatorum magistro.*

*Literarum tuarum series, quas super provisionis forma de te in Hierosolymitana ecclesia destinasti, responsi tui super ea dilata moram excusans, & deinde renuntiationem juris, si quod tibi ex eadem provisione competeret, seu competere posset, præmissis quibusdam excusationibus, in sui calce subinferens, materiam multæ admirationis ingessit. Miramur siquidem te, in obedientia & disciplina nutritum & harum in aliis nutritorem, obedire vocationi divinæ, licet per hominem, Dei tamen vicarium præcedenti tanto tempore distulisse.*

Recusantem munus capessere jubet Pontifex. Oblato honori se subducere nititur.

Correptus a Nicolao.

*Quomodo obedientiæ bonum a tuis potes exigere subditis, contra quod tibi præsidentis reniteris voluntati? Miramur etenim, te qui sub jugo Domini labores voluntarios subiisti, sub eo locum, quo altioris gradus, eo, quamquam majoris laboris, uberioris tamen meriti declinare. Miramur & tertio, te virum consilii, expertæque prudentiæ non ignarum, tam ecclesiæ supradictæ quam Terræ sanctæ statum a pastoris ejusdem ecclesiæ providentia & diligentia maxime in spiritualibus dependere, dictas ecclesiam & terram, tempus non modicum in responsionibus deducendo, tamdiu exposuisse discrimini; permittendo illas, spiritualis rectoris solicitudine destitutas, sub quadam, quantum in te fuit, incertitudine fluctuare. Miramur denique, ut alia, quæ admirationem eamdem exaggerant, taceamus, si non in hoc teneritas conscientiæ tuæ remurmurat, immo reclamat: præsertim cum & ordinis tui proinde gubernatio fluctuat, sub nullo, vel saltem dubio & incerto magistro.*

*O quam parum affectui, quem ad terram eandem habere crederis, ista convenire videntur! O quam parum in tantæ religionis & devotionis viro decere putatur, ut locis illis te recuses exhibere præsentem, quæ Redemptor humani generis sua præsentia decoravit: illorum recuses curam gerere, in quibus ipse languores nostros curando mirabiliter, misericorditer abstulit; & dolores ineffabili pietate portando, proprium sanguinem in pretium nostræ redemptionis effudit! Attende si hæc famæ tuæ congruunt, si saluti. Attende quod forte non desunt, qui de te mussitent; qui etiam dicant apertius: Ubi est zelus ejus?*

*Licet igitur laudabile reputemus, te districto judicio tuum ex humanitate insitum recognoscere imperfectum; quia tamen per hoc illius majori magisque meritorio vacabis obsequio, qui dat lapso virtutem, renuntiationem tuam prædictis expressam literis de fratrum nostrorum consilio non duximus admittendam. Sed scire te volumus, quod omnino de nostra voluntate procedit ut, sicut alias tibi mandasse meminimus, impositum tibi onus regiminis ecclesiæ sæpefatæ devote recipiens, & pro electo Hierosolymitano te gerens, ipsum regimen & administrationem ejusdem ecclesiæ prosequaris diligentius ad ipsius & terræ prædictæ utilitatem, etiam dum te ab illis abesse contigerit, solicitas quantum patietur absentia, operas impensurus. Dat. Viterbii kal. octobris.* LXXXI.

Boamundi Tripolitani principis impietas.

Ingentium virtutum patriarcha in Syria opus erat ad reprimenda illius regionis vitia, quæ ipsam demum funditus evertere. Detestandum quidem facinus Tripoli patratum, ubi lex impura Machometi e fastigio ecclesiæ militiæ templi gravissimo Christianorum scandalo a Saracenis, qui eam Boamundi Tripolitani principis jussu invaserant, promulgata est, (*c*) ejusque urbis episcopus ab Anteradensi episcopo crudeliter adeo exagitatus est, ut ob insidias vitæ suæ comparatas fugere compulsus fuerit. Quare Nicolaus Sydonis & Beriti episcopis, ut Anteradensem ad Romanam curiam proficisci juberent edixit, injunxitque Templariis, (*d*) ut egregium copiarum numerum ad hostium propulsandos impetus instruerent. Nulla vero comparata expeditio, sed undique cogebantur decimæ ad conficiendum apparatum; de quo ad Maguntinum (*e*) atque ad collectores Venturam archipresbyterum Clusinum, (*f*) Gerardum e Mutina, (*g*) B. episcopum Eugubinum (*h*), cui etiam declarationes quasdam pro iis cogendis, misit, (*i*) tum ad archiepiscopum Coloniensem, (*k*) ut Trajectensem electum incusso anathematis metu ad erepta decimas restituendas cogeret, scripsit. Quæ porro in Syria hoc anno gesta sint, perstringit Sanutus, (*l*) Hospitalarios castra ad Margath promovisse, ac Saracenorum præfecto capto, vastitatem agris intulisse: additque Sangulascar Damascum tentasse, at non fine clade pro-

(*c*) Lib. 1. ep. 102.

(*d*) Ib. ep. 164.

(*e*) Ib. ep. 3.

(*f*) Ep. 14.

(*g*) Ep. 41.

(*h*) Ep. 189.

(*i*) Ep. 190.

(*k*) Ep. 123.

(*l*) Sanut. l. 3. p. 12. c. 18.

Levia aliquot prælia gesta. Damascus frustra oppugnata.

propulsatum ad Aquas frigidas fuga se recepisse.

LXXXII Eduardus militiam sacram professurus, decimas a Nicolao postulat. (a) Eod. cod. Vall. p. 84.

Devoverat Eduardus armorum suorum potentiam reparandis Terræ sanctæ rebus, missisque ad Nicolaum oratoribus, symbolum crucis accepturum spopondit, si sacerdotiorum decimas ad sumptus belliços tolerandos ascriberet. Cui Pontifex, ne sacræ opes frustra absumerentur, respondit (a), ea lege ipsi decimas attributum iri, ut ad ipsas refundendas, si expeditionem non conficeret, se obstringeret.

*Nicolaus &c. Regi Angliæ illustri.*

*Dilectus filius frater Joannes de Derlincon ordinis fratrum Prædicatorum, & magistri Henricus & Guillelmus tuæ serenitatis nuncii (quos contemplatione mittentis, & suæ probitatis obtentu benigne recepimus) laudabilibus ad Terram sanctam regiæ devotionis affectu, & proposito ad subventionem terræ ipsius diligenter ac prudenter expositis, ex parte tuæ celsitudinis petierunt decimam ecclesiasticorum redditum regni Angliæ ac aliarum terrarum tuarum, prout extitit in Lugdunensi concilio ipsius terræ subsidio deputata, ut hujusmodi affectum evidentius per operis effectum exhibeas, & propositum efficacius prosequi valeas, Apostolica tibi auctoritate concedi. Petierunt insuper collectam jam, & colligendam ex decima ipsa pecuniam; cum paratus sis vivificæ crucis signum assumere, ac per prælatos regni tui, qui ad hoc de nostra licentia se ac suas ecclesias obligabunt, & etiam per sufficientes mercatores cavere idonee, quod si te non transfretare contingat, sine diminutione aliqua pecuniam receptam de decima prædicta restitues; tibi ex nunc, præmissis tamen crucesignatione ac cautione præsentibus, assignari. Ad suffragium quoque præmissarum petitionum iidem nuntii addiderunt, quod ex iis decima & terra dictæ non solum per renovationem pecuniæ, quam in dicto regno renovare proponis; pro eo quod per modos varios est non modicum solito ejus valori detractum; sed etiam ex collectionis diligentia & favore, quem collectio ipsa de tuo nomine sortietur, auctore Domino, sentient magnæ utilitatis augumentum.*

LXXXIII *Sane, fili charissime, hujusmodi tuum propositum, & affectum in illo exultanti animo commendantes, in cujus manu Regum corda consistunt, qui ea pro arbitrio suæ voluntatis inclinat, ad præmissam puram petitionem nomine tuo factam, tuæ salutis & negotii utilitate pensata, de fratrum nostrorum consilio respondemus, quod si regali magnificentiæ placeat ad subventionem terræ prædictæ absolute absque intendimento aliquo publice ac solemniter, prout tantum decet principem, salutiferæ crucis charactere insigniri, nostri propositi est, & parati sumus excellentiæ tuæ, postquam taliter crucesignatus fueris, decimam concedere postulatam colligendam, & in tuto servandam usque ad tempus generale passagii, & tunc, seu ante forsitan, prout facti qualitas suadebit, tibi de mandato nostro libere assignandam.* Quid ipsi responsum a Pont.

*Circa secundæ vero petitionis articulum; magnificentiam regiam volumus non latere, quod reddimur admodum, conscientia urgente, soliciti, ut decima ipsa in ejusdem terræ utilitatem efficaciter convertatur, & subsidio, tantis Ecclesiæ universalis laboribus ac oneribus exquisito, terra eadem non fraudetur: propter quod non facile nobis occurrit, qualiter possumus ad hoc animum inclinare, quod concessio pecuniæ, decima ipsa collectæ, multum prædicti passagii tempus anticipet, aut pecunia eadem præmature vel totaliter, vel etiam pro parte alicui assignetur. Verum quia singularia sperantur de tua præsentia, faventeDomino, ipsi terræ commoda proventura, singulariter inducimur ad specialem tibi super hoc gratiam faciendam. Ideoque, ut ad idem passagium te possis præparare commodius, circa petitionem eandem in eo gratiose tuis votis annuimus quod post hujusmodi tuam crucesignationem tibi viginti quinque millia marcharum de præfata collecta jam ex decima ipsa pecunia intendimus facere assignari; dum tamen prius ad quantitatem ipsam sine diminutione ac contradictione aliqua restituendam, sive ad mandatum ipsius sedis tibi quovis tempore faciendum, si ex quacumque causa non transfretaveris; sive alias sedes ipsa, quandocumque ante tuum passagium dictam repetierit quantitatem, te ac successores tuos obliges præstito juramento, & tuis super hoc patentibus literis exhibendis, &c. Dat. Viterbii kal. augusti an. 1.* LXXXIV. Pecuniæ vis ad instruendum apparatum promissa.





I. RElaturus Deo acceptæ dignitatis gratiam Rodulphus Romanorum Rex, votisque Nicolai Papæ obsecutus, sedis Apostolicæ jura, & ea omnia, quæ a Conrado Minorita imperiali oratore in sacro Cardinalium senatu promissa vidimus, confirmavit anno hujus sæculi septuagesimo nono, indictione septima. Nec modo veterum Imperatorum donationes ratas habuit, verum iterum contulit, gesta contraria rescidit, nec unquam repetiturum sacramento spopondit; tum etiam obstrinxit fidem superiora omnia se corroboraturum, postquam insignibus imperialibus pontificia manu redimitus esset. Qua de re subjectum diploma promulgatum est (a).

(a) Asservatur in arce S. Ang. & extat. apud Nic. III. l. 1. ep. 13. & in l. privil. Rom. eccl. to. 3. pag. 199. & collectan. Plat. MS. Vatic. To. 2. p. 138. & to. 2. p. 32. & in MS. Vallic. sig. lit. B. n. 12. p. 236. & in alio sign. lit. D. n. 1. p. 69. Imperiale monumentum, quo jura Romanæ eccles. asseruntur.

*In nomine Domini Amen. Nos Rodulphus Dei gratia Rex Romanorum semper Augustus. Ad æternam rei gestæ memoriam recognoscimus, & fatemur religiosum virum fratrem Conradum ministrum ordinis fratrum Minorum superioris Alemanniæ habuisse a nobis mandatum, sigilli nostri munimine communitum, infrascripti tenoris. Cujus mandati auctoritate nostro nomine processit coram vobis sanctissimo patre domino Nicolao Papa III. & reverendo cœtu dominorum Cardinalium, ac prælatorum, & aliorum clericorum, & laicorum multitudine copiosa, ad omnia infrascripta, quæ in literis inde confectis, quarum tenor infra subiicitur, seriosius continentur. Quæ quidem omnia, & singula per eundem fratrem Conradum recognita, ratificata, approbata, innovata, de novo donata, atque concessa; dicta, promissa, acta seu gesta, confirmata sive jurata, prout in eisdem literis, & tenore plenius exprimitur, recognoscimus, & fatemur nomine nostro, & de voluntate nostra recognita, ratificata, approbata, innovata, de novo donata, atque concessa; dicta, promissa, acta seu gesta, confirmata atque jurata; eaque omnia, & singula nihilominus acceptamus, ratificamus, rata & firma volumus, & decernimus permanere: ac insuper ea omnia & singula confirmamus, innovamus, & nihilominus ipsa de novo concedimus atque donamus: & ad nostram conscientiam serenandam, & ut prædicta omnia plenarie solidentur, stabiliantur, firmentur, compleantur, & perficiantur, revocamus, cassamus, annullamus, irritamus, & omnibus viribus vacuamus, quicquid contra prædicta, vel aliqua prædictorum per nos seu per alios nostros nuntios, vel officiales nostro nomine vel mandato, seu quemcumque alium, vel alios quocumque modo, quacumque via factum esset vel promissum sive juratum: volentes, & consentientes expresse, quod per hoc quod contra hæc factum esset, nullum jus nobis seu successoribus nostris Regibus, aut Imperatoribus Romanis accrescat, vel in aliquo ecclesiæ Romanæ depereat, tam circa possessionem, quam circa proprietatem.* Præteritorum Regum donationes confirmatæ.

*Consentimus insuper atque concedimus, quod vos, sanctissime pater domine Nicolae Papa III. & eadem Romana ecclesia per vos, & per alios nunc & semper accipiatis, nanciscamini, intretis, & apprehendatis absque ulla nostra, successorum nostrorum, vel alterius requisitione, auctoritate, vel mandato obtentis sive petitis, possessionem, & quasi omnium contentorum in nostris & prædecessorum nostrorum privilegiis, confirmationibus, concessionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, seu juramentis, & omnium eorum, quæ quoquo modo pertinent ad prædicta: & promittimus, quod nos per nos, vel per alium, vel alios non impediemus vos, vel nuntios vestros in prædictis, & quolibet prædictorum; sed potius in omnibus præfatis tam adipiscendis, quam tenendis, & habendis nostro posse perpetuo adjuvabimus. Et ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis & solidationis habeant firmitatem, tactis sacrosanctis Evangeliis juramus in animam nostram prædicta omnia & singula nos perpetuo inviolabiliter servaturos.* Res sacramento corroborata.

*Statuimus præterea regali auctoritate, atque decernimus, ut idem tenor insertus præsentibus easdem per omnia vires habeat & obtineat, quas habent, & obtinent ipsæ literæ principales: ita quod si forsan ipsas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dictus tenor perinde vim & robur obtineat in judicio & extra judicium, & in omnibus & per omnia fidem faciat, sicut ipsæ principales literæ facerent in sua prima figura & integritate manentes lege seu constitutione aliqua non obstante. Promittimus insuper, quod postquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem, & imperiale diadema pervenerimus, ipsaque perceperimus, infra octo dies præmissa omnia & singula innovabimus, & de novo integre ac plenarie faciemus.* Accepto insigni imperiali superiora rata habiturum pollicetur Rodulph.

II. Tenor autem prædictus de verbo ad verbum per omnia talis est. *In nomine Domini Amen. Ego frater Conradus &c. usque in finem.* Inserta sunt Conradi acta superiori anno, quæ cum suo loco attulerimus, hic repetenda non sunt visa. Iis vero recensitis subiicit Rodulphus: *Porro ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum; & ut hæc omnia vobis memorato sanctissimo patri nostro*

*stro Nicolao sacrosanctæ Rom. eccl. summo Pontifici, vestrisque successoribus per nos, & nostros successores Romanorum Reges & Imperatores perpetuo observentur, firmaque semper & inconvulsa permaneant, præsens scriptum aurea bulla typario nostræ majestatis impressa munitum fieri fecimus, & vobis ad perpetui roboris memoriam exhiberi. Datum Viennæ per manum magistri Gottifridi protonotarii nostri prædicti. Acta sunt hæc* XVI. *kal. martii indict.* VII. *an. D.* MCCLXXIX. *regni vero nostri anno* VI.

*Ego Fredericus Salzburgensis ecclesiæ archiepiscopus interfui & per manum Joannis Chimensis episcopi subscripsi.*

*Ego Joannes Chimensis episcopus interfui & subscripsi.*

*Ego abbas Henricus interfui & subsc.*

*Ego Ivernhardus Sororiensis episcopus interfui recognovi & subscripsi.*

*Ego Rodulphus imperialis aulæ cancellarius interfui, recognovi, & subsc.*

*Ego Nicolaus archidiac. Tudertinus interfui & subscripsi.*

*Ego Albertus domini Regis Romanor. primogenitus interfui, & subsc.*

*Ego Hartmannus domini Regis Romanorum filius interfui, & subscripsi.*

*Ego Fredericus Burgravius de Geremberg interfui, & per manum domini R. notarii mei subsc.*

*Ego Henricus marchio de Hanberg interfui, & per manum Alberti notarii comitis Henrici de Furstemberch subsc.*

*Ego B. comes de Hohimberch interfui, & per manum notarii mei subsc.*

*Ego Henricus comes de Furstemberch interfui, & per manum Alberti notarii mei subscripsi.*

*Ego Conradus de Hervvilingen notarius Regis Romanorum interfui, & subsc.*

*Ego Angelus canonicus ecclesiæ S. Valent. de Ferent. interfui, & subsc.*

*Ego H. de Lovembercb interfui, & per manum domini Can. Bettuensis subsc.*

*Ego Joannes de Edingen interfui, & subscripsi.*

III. Confirmata pariter a Rodulpho fuere, quæ ab alio oratore Gotifredo post Conradum fuerant promissa. Cum enim regii sigilli præfectus Æmilios, ut dictum est, in Regis Romanorum verba sacramento adegisset, ac juribus Romanæ ecclesiæ ea re detractum esset: Rodulphi jussu Gotifredus Æmiliæ urbes ad ditionem ecclesiasticam spectare professus est, populosque allicere ad Ecclesiæ obsequium studuit: ac monitus Rodulphus, ut ad dissidiorum omnes occasiones tollendas iterum Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forumpopuli, Forumlivii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemferetrum, agrum Balnensem suis expressa nominibus sedi Apostolicæ concederet, id amplissimo hoc diplomate (*a*) perfecit.

(*a*) Ext. apud Nicol. to. 2. l. 1. p. 25. n. 14.

*Sanctissimo in Christo patri, & domino, domino Nicolao Papæ tertio, Rodulphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Ad perpetuam rei memoriam.*

Insignes Rodulphi Regis lit.

*Summa reipublicæ tuitio, de stirpe duarum rerum Sacerdotii & Imperii divina institutione proveniens, vimque suam exinde muniens, humanum genus salubriter gubernavit in posterum, & reget, Deo propitio, in æternum. Hæc sunt duo dona Dei, maxima quidem in omnibus a superna collata clementia; videlicet auctoritas sacra Pontificum, & regalis excellentia potestatis. Hæc duo Salvator noster, mediator Dei & hominum Jesus Christus sic per seipsum actibus propriis, & dignitatibus distinctis exercuit, ut utraque ab ipso tanquam ex uno eodemque principio manifeste procedere omnibus indicaret.*

Veterum Imp. gratum in Ecclesiam animum commendat.

*Ab eo igitur solo, vivo, & vero Deo, recognoscentes omnia, a quo Reges & regna sumpsere principia, & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ beneficia erga nos innumera recolentes, plenis excitamur affectibus, ea quæ possumus, illi retribuendo, rependere, a qua nobis, & nostris prædecessoribus Regibus Romanis tam grandia, tam excellentia dona conspicimus esse tributa.*

*Præfati itaque prædecessores ad magnificentiam munerum, & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quæ de ipsius matris Ecclesiæ uberibus susceperunt, faciem gratitudinis convertentes; nec minus attendentes, quod eadem mater Ecclesia ipsos in dulcedinis benedictione præveniens, transferendo de Græcis Imperium in Germanos, eisdem dederat id, quod erant; ut grati prædicarentur filii laudabili recognitionis affectu, inter cætera, quæ ipsi Romanæ ecclesiæ confirmarunt, dimiserunt, seu etiam concesserunt totam terram, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, marchiam Anconitanam, ducatum Spoletanum, terram comitissæ Mathildis, comitatum Brittenorii, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Massam Trabariam cum adjacentibus terris; & omnia alia bona, terras, possessiones, & jura ad Romanam ecclesiam pertinentia, in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici expressa, sive contenta; ipsi B. Petro cælestis regni clavigero, ejusque successoribus, & Rom. eccl. dimiserunt, renunciaverunt, restituerunt & confirmarunt: & ad omnem scrupulum removendum, prout melius valeret, & efficacius posset intelligi, contulerunt, concesserunt, & etiam donaverunt, sicut in eorum privilegiis seu literis continetur:*

Attributam illi ditionem ratam habet.

*nos-*



*nosque postmodum, prout Domino placuit ad regalis excellentiæ culmen assumpti, ut de susceptis donis innumeris, quæ de manibus dictæ matris accepimus, non minoris recognitionis debitum solveremus, prædicta omnia in præsentia recolendæ memoriæ domini Gregorii Papæ decimi recognovimus, ac ea omnia & singula ipsi pro Rom. ecclesia, se, suisque successoribus recipienti, confirmavimus, innovavimus, & de novo concessimus, atque donavimus, ipsa nihilominus proprio præstito corporaliter juramento firmantes.*

IV. Invasa ab administris jura restituit.

*Verum quia postmodum, absque nostro consensu, scientia, vel mandato, Rodulphus cancellarius noster a civibus Ravennatibus, Bobiensibus, Cæsenatibus, Foropopuliensibus, Forolivienſibus, Faventinis, Imolensibus, Bononiensibus, Urbinatibus, ac hominibus montis Feretri, Brittenorii, necnon & aliis aliarum civitatum, atque illarum partium, & locorum, quæ ipsius ecclesiæ Rom. juris existunt, juramentum fidelitatis nomine nostro dicitur recepisse; nos, conspicientes id in præjudicium juris dictæ matris Ecclesiæ subsecutum, quidquid per eundem cancellarium, seu quemcumque in prædictis civitatibus, locis, & terris; seu per homines ipsarum civitatum, terrarum, atque locorum, actum, gestum, recognitum extitit sive juratum, & specialiter prædicta juramenta, remittimus, relaxamus, & eis expresse renuntiamus: ac prædicta omnia revocamus, cassamus, annullamus, irritamus; cassa, & irrita nuntiamus, ac omnibus viribus vacuamus, volentes, statuentes, & consentientes expresse, quod per id nullum jus nobis & Imperio accrescat, vel ipsi ecclesiæ Rom. depereat tam circa possessionem, quam circa proprietatem in civitatibus, terris, & locis præfatis, ac hominibus, juribus, & jurisdictionibus eorumdem.*

V. Controversorum antea locorum nomina exprimit, quæ pontificii juris esse pronuntiat.

*Et quia decet regales actus in omni claritate procedere, ut omnem obscuritatem, quam frequenter generalitas consuevit inducere, nostra tollat regalis expressio; ac jura ipsius matris Ecclesiæ per nostram declarationem, quam decernimus esse perpetuam, plenarie solidentur; recognoscimus, fatemur, & oraculo præsentis edicti ad æternam memoriam declaramus, civitatem Ravennatem, & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forumpopuli, Forlivium, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemferetrum, territorium Balnense: suprascriptas provincias, civitates, loca, & territoria; necnon, & omnia supradicta cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis in terra, mariique ad provincias, civitates, territoria, & loca prædicta quoquo modo pertinentibus; ad beatum Petrum cœlestis regni clavigerum, & ad vos patrem beatissimum dominum Nicolaum Papam tertium, & ad successores vestros Romanos Pontifices, & ad ipsam ecclesiam Romanam pleno jure, ac integre, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, in solidum pertinere; ac vestri & ipsius Rom. ecclesiæ pleni juris ditionis, ac principatus existere.*

Omni jure si quod in ea obtineat, discedit.

*Et ad omnem dubitationis scrupulum in posterum abolendum, & ut nostra devotio erga ipsam matrem Ecclesiam clarius enitescat; prædicta omnia & singula tam propriis, seu specialibus provinciarum, terrarum, civitatum, atque locorum expressa vocabulis, quam etiam non expressa, prout melius & efficacius valet intelligi; ipsi beatissimo Petro & vobis, sanctissime pater domine Nicolae Papa tertie, & per vos successoribus vestris Romanis Pontificibus, & ipsi Romanæ ecclesiæ de novo libere, plenarie concedimus, conferimus, & donamus, ut sublata omnis contentionis & dissensionis materia, firma pax, & plena concordia inter Ecclesiam & Imperium perseverent.*

Iterum ad sopiendam omnem discordiam donat.

*Ut autem hæc omnia vobis memorato sanctissimo patri nostro domino Nicolao, sacrosanctæ Rom. ecclesiæ summo Pontifici, vestrisque successoribus, & ipsi Rom. ecclesiæ per nos & nostros successores Romanorum reges, & Imperatores in perpetuum observentur, firmaque semper, & inconvulsa permaneant; præsens nostræ recognitionis, declarationis, concessionis, & donationis privilegium de conscientia nostra & expresso mandato conscriptum, jussimus aurea bulla typario nostræ majestatis impressa muniri; ac ipsum ad perpetuum soliditatem, & certitudinem vobis, & ipsi Romanæ ecclesiæ exhiberi. Promittimus insuper, quod postquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem, & imperiale diadema pervenerimus, ipsaque perceperimus, infra octo dies præmissa omnia & singula innovabimus, & de novo integre ac plenarie faciemus.* Extat etiam imperiale hoc diploma in libro privilegiorum Rom. ecclesiæ (*a*), in quo testes appositi, & literæ sigillo regio anno ac die consignatæ sunt: *Testes autem hi sunt, venerabilis frater archiep. Salzburgensis, Joannes Kymensis, & Bernardus Secoviensis ecclesiarum episcopi.* Et pluribus etiam aliis adjectis: *Signum domini Rodulphi Romanorum Regis invictissimi. Ego Rodulphus imperialis aulæ cancellarius vice domini Vvernheri archiepiscopi Maguntini per Germaniam sacri Imperii archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Domini* MCCLXXIX. *ind.* VII. *regnante domino Rodulpho Romanorum Rege glorio-*

(*a*) Lib. privil. Rom. eccl. to. 1. p. 98.

*rioso, anno regni ejus sexto. Dat. Viennæ per manus magistri Gotifridi præpositi Soliensis protonotarii nostri* XVI. *kal. martii.*

VI. Principes electores eadem confirmant.

Nec sufficere Nicolao visum erat, ut Rodulphus hæc regia auctoritate stabiliret; verum exegerat, ut principes Imperii suo consensu firmarent: quibus cum anno superiori Pontifex formam nuncupandi sacramenti præscripsisset; hoc anno conceptis iisdem verbis subjecto modo præstiterunt (*a*).

(*a*) *Asservantur ea lit. in arce S. Angeli, & ext. in lib. priv. Rom. eccl. to.1. p.7. & in collect. Plat. to.1. pag.* 137.

Egregium ea de re monumentum.

*Nos principes Imperii universis præsentem paginam inspecturis. Complectens ab olim sibi Romana mater Ecclesia quadam quasi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen temporaliter tantum præsidentium super terram; plantans in ea principes tanquam arbores præelectas, & rigans illas gratia singulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, ut ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, velut germen electum per ipsorum electionem, illum, qui fræna Romani teneret Imperii, germinaret. Hic est illud luminare minus in firmamento militantis Ecclesiæ per luminare majus Christi vicarium illustratum. Hic est qui materialem gladium ad ipsius nutum exerit, & convertit, ut ejus præsidio pastorum pastor adjutus oves sibi creditas spirituali gladio protegendo communiat, temporali refrænet & corrigat, ad viudictam malefactorum, laudem vero credentium & bonorum.*

Sacerdotii & Imperii elogium.

VII. *Ut igitur omnis materia dissensionis & scandali, seu etiam rancoris occasio inter ipsam Ecclesiam, & Imperium auferantur; & ii duo gladii in domo Domini constituti, debito fœdere copulati, seipsos exerceant in utilem reformationem regiminis universi; & nos in actu voluntatis & operis inveniamur filii devotionis, & pacis, qui tam Ecclesiam quam Imperium confovere tenemur: quicquid per dominum nostrum Rodulphum Dei gratia Romanorum Regem semper Augustum sanctissimo patri & domino nostro domino Nicolao Papæ III. ejusque successoribus, & ipsi Romanæ ecclesiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, de novo donatum, declaratum, sive concessum, juratum, & actum, seu factum est per privilegia, vel quæcunque alia scripta quorumcunque tenorum super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, concessionibus, & factis seu gestis tam aliorum Imperatorum & Regum Romanorum prædecessorum Regis ejusdem, quam ipsius Regis; & specialiter super fidelitate, obedientia, honorificentia, & reverentia per Romanos Imperatores, & Reges Romanis Pontificibus, ipsi Ecclesiæ impendendis; ac possessionibus, honoribus, & juribus ejusdem Ecclesiæ; & nominatim super tota terra, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, marchia Anconitana, ducatu Spoletano, terra comitissæ Mathildis, civitate Ravenna, & Æmilia; Bubio, Cæsena, Foropopuli, Forlivio, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adria, atque Gabello; Arimino, Urbino, Monte Feretri, territorio Balnensi, comitatu Brectenorii, exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Massa Trabaria cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad prædictam Ecclesiam pertinentibus; cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis, in terra, mariique ad provincias, civitates, territoria & loca prædicta quoquo modo spectantibus; nec non super civitate Romana & regno Siciliæ, cum omnibus ad ipsam spectantibus, tam citra Farum quam ultra; Corsica quoque atque Sardinia, & cæteris terris ac juribus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus; nos nostri nomine principatus in omnibus & per omnia approbamus, & ratificamus; ac eisdem omnibus, & singulis & quibuscunque aliis super eisdem per eundem Regem quoquo modo factis, & in posterum faciendis, voluntatem nostram, assensum, atque consensum unanimiter, & concorditer exhibemus: & promittimus, quod contra præmissa, vel aliquod præmissorum, nullo unquam tempore veniemus, sed ea omnia & singula pro posse nostro procurabimus inviolabiliter observari. Et ut hæc nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus atque promissio a nobis eisdem Romanis Pontificibus, & Ecclesiæ in perpetuum observentur, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorum sigillorum munimine roboratum. Actum & Datum anno Dom. MCCLXXIX. indictione VII. regnante domino nostro prædicto domino R. Romanorum Rege glorioso, regni ejus anno sexto.* Editas præterea a singulis principibus electoribus iisdem conceptas verbis colligitur: extant enim Ludovici (*b*) comitis Palatini Bavariæ ducis, tum aliæ (*c*) Othonis marchionis Brandeburgensis literæ hisce verbis inscriptæ: *Otho Dei gratia marchio Brandeburgensis omnibus præsentem paginam inspecturis. Complectens ab olim, &c.* ut in superiori. *Dat. & actum anno Domini MCCLXXIX.* II. *id. septemb. regnante prædicto domino Rodulpho Romanorum Rege glorioso regni ejus anno* VI.

Insignia Pontificiæ ditionis loca expressa.

(*b*) *Lib. privil. Rom. eccl. to.1. p. 89.*

(*c*) *Asservantur in arce S. Ang. & ext. in lib. priv. Rom. eccl. to.2. pag.88. collect. Plat. to.1. p.135. & cod. bibliotb. Vallic. sign. lit. B. n.22. p.59.*

VIII. Asserentibus ita Romanæ ecclesiæ jura principibus electoribus, & una cum Rodulpho Rege Romanorum professis, Bononiam, aliasque Æmiliæ urbes sedis Apostolicæ obnoxias esse, navata a Nicolao feliciter ost opera ad restituendum in iis pristinum Ecclesiæ imperium.

Ad



Ad sopiendas enim Bononiensium dissensiones Latinum Cardinalem ex sorore nepotem legatum misit (*a*), atque hanc sanciendi inter extorres, & cives fœderis rationem præscripsit (*b*); ut nimirum e qualibet Geremensium Lambertatiorumque factione delecti quinquaginta viri initas rationes confirmarent, bona singulis restituerentur, omniaque in pristinum statum, in quo ante ejectos Lambertatios erant, revocentur: exules tamen ad aliquod tempus in patriam redire vetiti: castra denique Bononiensis agri, Francum scilicet & S. Petri communibus Bononiensium sumptibus custodienda, præsidioque pontificio firmanda sanxit. Quo vero cives in mutua concordia continerentur, neque in diversas, ut antea, factiones abirent, Bertoldum nepotem Nicolaus præfecit (*c*) Quibus Ptolomæus Lucensis (*d*), ac Hieronymus Rubeus (*e*) consentanea adducunt: atque ita Bononia nonnullæque aliæ urbes & pontificia diligentia & Rodulphi Romanorum Regis, ac principum Imperii electorum studiis ad pristinum Romanæ ecclesiæ obsequium revocatæ fuerunt: deque his hactenus. [1]

(*a*) *Nicol. to.2. l. 2. ep.* 18.

(*b*) *Ib. ep.* 19.

Geremienses & Labertatii Bononiam turbant.

De his concilianda data legato imperia.

(*c*) *Ib. ep.* 20.

(*d*) *Ptol. Luc. hist. eccl. l.23. c.33.*

(*e*) *Rub. hist. Raven. l.6.*

IX. Promovet Nicolaus pacem Rodulphum Aug. inter & Carolum Sicil. Regem.

Spoponderat inter cætera capita, quæ a Rodulpho Nicolaus exegerat, non lacessiturum bello Carolum Regem Siciliæ. Graviores enim inter utrumque intercedebant controversiæ, tum ob Etruriæ principatum Pontificum studiis acceptum, tum ob Provinciæ & Folkarquerii comitatus, quos Rodulphus veluti Imperii fiduciarios, extincto sine prole mascula Raymundo Berengario, Caroli socero, ad Imperium devolutos contendebat. Cumque ex bellico utriusque principis congressu Italiæ & orbi Christiano pernicies immineret, dedit operam Nicolaus componendis fœderis legibus: utque firmiore vinculo Regum amicitiam adstringeret, Rodulphum solicitavit, (*f*) ut consilia converteret ad concordiam, eamque affinitatum nexu vinciret.

(*f*) *Ib. ep.* 32.

X. *Indefessis*, inquit, *studiis intendentes, quod inter te & charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem; quos sibi eadem Ecclesia in filios specialiter adoptavit, & divina provisio multorum principes statuit populorum; sinceritatis amœnitas & intimæ charitatis integritas nutriantur, ut sub potentatus utriusque dominio cessent sæculi tempestates, & fluctuationes abeant procellarum; nec indigne infra præcordia nostra gaudio multo reficimur, & exultamus in Domino, dum illum nobis, & tibi, ac eidem Regi sentimus esse propitium, qui gloriosus trinus & unus ubique servari præcipit gratiam unitatis.* Nonnullisque interjectis de perducto a se cœpto prædecessorum tractatu, subdit: *Et quia indissolubile matrimonii vinculum, divinitus institutum, ex institutione sui virtutum in se obtinet connexium, inter alia non sine multa discussione providimus, quod inter te ac regem eundem charitatis unitas affinitatis linea conjungatur, &c. Datum Romæ apud S. Petrum* III. *non. junii pontificatus nostri an.* II. Perfectum idem matrimonium, Clementiamque Rodulphi filiam Carolo Martello Regis Siciliæ ex filio nepoti nuptui traditam, scribit Ptolemæus Lucensis (*g*).

Ad eam firmandam utrumque jungere affinitate studet.

(*g*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.23.c.34.*

XI. Imposita vero est episcopo Tripolitano provincia (*h*) ut ad Rodulphum pro coeundo fœdere cum Carolo se conferret, atque a Pontifice hæ fœderis leges (*i*) conditæ, ut Rodulphus Carolo ac posteris Provinciæ & Forkalquerii comitatus jure fiduciario traderet; profiteretur tamen sui esse consilii Margaritæ Francorum Reginæ juribus non detrahere, nec ad nuncupandum, nisi oratoris opera, fidei sacramentum obstringeret, vocaretve in judicium: illatas præteritis Regibus Romanorum ob negata obsequia injurias remitteret: nec ob defensam contra Imperium Siciliam judicium intenderet: pronuntiaret ardente inter Imperium & Ecclesiam bello, Ecclesiæ partes a Carolo jure suscipi posse, exortave inter Siciliæ Regem & Imperium controversia, eam non ferro, sed pontificia sententia dirimendam. Dicta vero Regi Siciliæ lex est, ne Imperii terras invaderet: ac denuntiatum Siculos tum ab illius fide jure discessuros.

(*h*) *Nic. to.2. l.2. ep.* 41.

(*i*) *Ext. ib. n.42.*

Contendit a Rodulpho, ut Provinciam jure fiduciario tradat.

XII. Cæterum Provinciam hoc anno pretiosissimo thesauro, qui diutius latuerat, in lucem adducto nobilitatam, referunt auctores (*k*); Caroli nimirum principis Salernitani Regis Siciliæ filii, qui in Provinciam venerat, pia diligentia sacrum B. Mariæ Magdalenæ corpus in sacello, in quo S. Maximinus,

(*k*) *Bern. in Chron. Rom. Pont. Ptol. Luc. hist. eccl. l.23. c.35. 36. Baron. in MS. schedis & alii.*

NOTÆ [1] CUm Annalista scribit hoc tandem anno Bononiam ad obsequium S. R. E. rediisse, pace inter duas factiones dissidentes composita, fallitur egregie. Licet enim anno isto, die 3. septembris inter duas factiones concordatum sit; brevi tamen arma resumpta, concursoque in Lambertatios ab adversariis facto Urbe expulsi sunt die XXI. decembris. Exponunt id fusius historici veteres Itali a Muratorio vulgati Rer. Italicar. tom. IX. & to. XI. ut vetus author Annalium Mutinensium, & anonymus alter Annalium Parmensium scriptor. Hanc pacis fractionem annalista in annum sequentem coniicit. MANSI

Carolus Rex Sicil. D. Magdalenæ corpus scrutatur.

nus, unus ex septuaginta Christi domini discipulis Aquensis episcopus tumulo condiderat, refossis omnibus sepulcris, quæ ibi posita erant, nono mensis decembris repertum, atque reserato loculo suavissimum odorem efflasse; [1] ait enim Bernardus Guido (*a*): *In villa, quæ ab ipso denominata pontifice sanctus dicitur Maximinus, apertisque omnibus tumulis, qui erant in utroque latere, hinc & inde; nec non effossa humo, quæ erat in medio solo in oratorio memorato, inventum est corpus sanctum sanctissimæ Magdalenæ; non quidem in tumulo de alabastro, in quo primo conditum fuerat, qui adhuc ibi cernitur, cum historiis & sculpturis; sed in alio tumulo marmoreo, ibidem regione ad dexteram introeuntibus collocato, cum ingenti odoris fragrantia, tamquam si aperta fuisset suavium aromatum apotheca; consequentibus signis, & multis miraculis gloriosis; & ex ejus lingua sacratissima, adhuc tunc suo capiti & gutturi inhærente, radix quædam cum ramusculo fœniculi exibat, & exterius prominebat in longum: quam qui præsentes aderant admirantes, suis oculis clarius conspexerunt, & ab ipsorum aliquibus relatione fideli, & devota ego ipse, qui hæc scribo, sæpius hoc audivi. Quæ radix cum ramusculo divisa postmodum in particulas adhuc in diversis locis pro reliquiis conservatur.*

(*a*) Bern. in chr. Rom. Pont.

Repertum suavissimum odorem spirans.

Patrata plura miracula.

XIII. *In eodem quoque tumulo juxta sacrum corpus, ad asseverationem & in testimonium perspicuæ veritatis, cartellus quidam vetustissimus, conclusus in ligno quodam disposito pro conservatione a putrefactione, repertus fuit, continens hanc scripturam: Anno nativitatis dominicæ septingentesimo* XVI. *die mensis decembris in nocte secretissime, regnante Odoyco piissimo Rege Francorum, tempore infestationis gentis perfidæ Saracenorum, translatum fuit corpus hoc charissimæ & venerandæ B. Mariæ Magdalenæ de sepulcro suo alabastri in hoc marmoreo timore dictæ gentis perfidæ, & quia secretius est hic.*

Ob excursiones Saracenorum in Provinciam sacrum pignus reconditum fuerat.

XIV. Subdit auctor, se eam chartam perlegisse, ac sequenti anno Carolum conflato ex auro purissimo loculo eleganter elaborato, gemmisque adornato, ingenti pompa coram Narbonensi, Arelatensi, & Aquensi archiepiscopis, magnaque præsulum multitudine, sacrum pignus e marmoreo sepulcro extulisse, atque in ea pretiosissima urna collocasse: Deumque postea ingentia miracula ad illustranda S. Magdalenæ merita edidisse. Consentit Bernardo Jordanus (*b*) his verbis: *Carolus adhuc princeps Salerni, postea Rex Siciliæ, transtulisse dicitur corpus B. Mariæ Magdalenæ repertum in tumulo marmoreo ex illo oratorio, in quo sanctus Maximinus eam tradidit sepulturæ. Collocatur igitur corpus in capsa pretiosa, caput vero seorsum in quadam pulcherrima theca ex argento & auro, ac gemmis fabricata.* Traduntur (*c*) eadem historiæ a Ptolomæo Lucensi, qui de instructa solemnis supplicationis, qua translatæ sacræ eæ reliquiæ, pompa addit (*d*): *Interfuerunt autem huic translationi archiepiscopus Narbonensis, Arelatensis & Aquensis; & multi episcopi sui comitatus, abbates plurimi & religiosi; nec non & multi barones & alii nobiles: in quo loco conventum fratrum Prædicatorum fabricavit, & eis pretiosas reliquias commendavit.* At de præclaro pii principis facinore hæc suffecerint: ad Carolum patrem, a quo digressa est oratio, revertamur.

Transfertur a Carolo in pretiosissimum loculum.

(*b*) Jord. MS. Vatic. sign. n. 1969.

(*c*) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 23. c. 35.

(*d*) Eod. lib. 3. c. 36.

XV. Ad avertenda pericula, quæ ex Caroli Siciliæ & Hugonis Cypri Regum controversiis (*e*), si bello dirimerentur, timebantur nascitura, Nicolaus a Cyprio, querente sibi a Carolo regnum Hierosolymitanum ereptum, provocatus: conciliandæ controversiæ studio, ne extremum Syriæ exitium intestinum bellum afferret, Carolum interpellavit, (*f*) ut oratores ad componendam dissensionem instructos auctoritate mitteret. Extracta vero aliquot annis ea controversia est donec Caroli potentia Siculorum rebellione elisa est: mox enim Henricum Cypri Regem occupata occasione Caroli Regis præfectos Ptolemai de aliisque Syriæ urbibus ejecisse, inferius visuri sumus.

(*e*) San. l. 3. p. 12. c. 16. & 17. Cypri & Siciliæ Reges de regno Hierosolym. certant.

(*f*) Nic. to. 2. l. 2. ep. 5.

XVI. Interea Galli, cum Hierosolymitanum regnum ad sui generis principes devolutum intuerentur, ad amissa præteritis bellis, dum Syria a Germanis Conradini pueri Regis nomine administratetur, recuperanda summo conatu se comparabant. In quo bellico ardore plura hastiludia, vulgo torneamenta nuncupata, in concilio Lateranensi vetita, inierunt: & quidem tanta pompa atque apparatu, ut duo millia invicem conflixerint. Putabant nonnulli rem laudi & gloriæ, non crimini ducendam: cum

Hastiludia jussu Regis Franciæ celebrata.

NOTÆ [1] Inventionem hanc corporis S. Mariæ Magdalenæ quam valide defendit Natalis Alexander Hist. Eccles. tom. III. non levibus argumentis impugnant Vezeliacenses, qui jam diu apud se quievisse corpus sanctissimæ illius feminæ adductis veterum historicorum testimoniis contendunt. Horum causam defendendam suscepit Launojus sacræ facultatis Parisiensis Theologus non incelebris. Utrius causa sit potior definire nostrum non est. MANSI



cum in iis nobiles, velut in quodam belli simulacro ad propugnandam fidem, regnumque defendendum aptiores fierent: unde & ter in anno has pugnas confici Rex sanciverat. Quæ lex etsi speciosa, graviora mala invehebat, cum in iis pugnis non parum sanguinis fundi, ac lætitia publica in luctum verti soleret; tum magni sumptus profundi, qui in subsidium Hierosolymitanæ rei derivari debuissent: quocirca ea res adeo severe a summis Pontificibus vetita erat, ut qui in hujusmodi certamine mortem oppeterent, sepultura ecclesiastica ex Lateranensis concilii sancitis arcerentur. Agente itaque Simone Card. A. S. L. a Philippo Rege de hastiludiis lex rescissa; proximo tamen tempore insigni inconstantia ludicræ pugnæ habitæ, dissimulante Simone tit. S. Cæciliæ presbytero Cardinale A. S. L. qui severe a Nicolao inertiæ increpitus est (*a*) jussusque in eos omnes, qui in congressionem descenderant, solemni ritu anathematis sententiam promulgare. Nec frustra concitabatur zelo Nicolaus, cum in ludrica hujusmodi pugna tristem casum enarret Nangius (*b*), Robertum nimirum comitem Clarimontis malleorum ictibus ab adversariis, incalescentibus, ut fit, sensim ex ira animis, contusum adeo capite, ac debilitatum fuisse, ut in perpetuam amentiam, magno ob tanti principis jacturam damno inciderit. Ex quo tristi hastiludiorum exitu pontificii zeli æquitas illustrari potest quo in censurarum apostolicarum contemptores subjectis literis invectus est (*c*).

(*a*) To. 2. l. 2. ep. 13.

(*b*) Nang. in Phil. Franc. Reg.

Tristis illorum exitus in Roberto comite Clarimontis.

(*c*) Tom. 2. ead. ep. 13.

*Dilecto filio S. tit. S. Cæciliæ presbytero Card. A. S. L.*

XVII. Apostolicæ adverf. ea ad Card. legatum lit. Philippi Regis post revocatam de iis legem inconstantia. Spretæ sacræ ea in re censuræ.

*Literarum tuarum series, charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem edictum suum de torneamentorum exercitio usque ad passagium generale vitando, cum baronum & aliorum magnatum regni Franciæ consilio editum, nuper ad eorum instantiam revocasse; ac postmodum torneamenta in tua proclamata præsentia, & demum contra sedis Apostolicæ prohibitionem excommunicatione subnixam, non sine gravi contemptu clavium præsumpta, describens; præsumptorum novam & in illis partibus, sicut fertur, hactenus inauditam temeritatem arguit contumaciam & indevotionem accusat illorum, quibus consulentibus idem edictum processerat, quibusque instantibus est ejus revocatio subsecuta varietatem & inconstantiam notabilem detegit; tuumque in his damnosum notat silentium, & non sine nota desidiæ reprehendit; nobis proinde ac fratribus nostris non levis propinans amaritudinis calicem, & admirationis, ac turbationis materiam subministrans. Nunquid enim amaritudine vacat audire dictum Regem, tanti patris filium, tanti genitoris heredem inclytum, in eo ab illius laudabilibus semitis declinasse, ut censuram ecclesiasticam contemni taliter a suis subditis pateretur?*

Perstringitur Philip. a S. Lud. patris pietate desciviſse.

*O quam invitus claræ memoriæ suus genitor ille piissimus prædictæ revocationis instantiam admisisset! O quanti hoc redemisset libentius, quam in suæ ditioni subjectis talia tolerasset! Nunquid iterum non amarum patri considerare filios tam devotos; comites videlicet, barones, magnates, & alios milites regni ejusdem ab olim titulo præcipue singularis devotionis insignes, se illius indevotionis macula insignisse, ut qui consueverunt cum proprii effusione sanguinis clavium persequi contemptores, comperiantur in tanta multitudine sic leviter contempsisse? Nonne admiratione, ac turbatione non vacuum, quod cum, sicut scriptum est, ad dissentiendum natura sit hominum facilis, in tam temerariæ novitatis audaciam cum propriæ salutis dispendio sic facile tam grandis, duorum scilicet, millium, ut eædem literæ continent, militum multitudo consensit? Nonne novum & nullum unquam de illorum prædecessoribus habens exemplum, ut crucis pendente negotio, crucesignati maxime se torneamentis, & præcipue contra talem prohibitionem Ecclesiæ immiscerent?*

Ut ille mandatorum apostolicor. observantissimus extiterit.

Damnat. Pontif. facinus contrarium majorum exemplis. Queritur Gallos proceres edicto injusto assensisse.

*Num itaque in his tuum, ut præmittitur, damnosum silentium indigne notatur? Num injuste tuam in hoc desidiam non absque turbatione miramur? Quis enim credere potuisset, quod sic tepesceret zelus tuus, ut te præsente factæ præmissæ revocatio & proclamatio manifestum te obicem non haberent; immo & cum pertinacia in facie resistentem? Nonne debueras in tanto animarum discrimine incalescere, spiritu comminari, ac etiam proferre sententias; adiicere pœnas, & adjectis, prout res exigeret, alias inculcare? An sufficere forte putabas ordinationi factæ de torneamentis ter in anno ineundis, ut scribis, non præstitisse consensum, quasi voluntarium præsertim silentium dissensum innueret; & non potius conniventiam dissimulatio præsentaret?*

XVIII. Arguitur inertiæ legatus.

*Sane non proficit, sed officit ad prædictam sententiam revocandam, quod iidem sui prosecutores arbitrii, seu multi ex eis propter eam, quin torneamenta ineant, non dimittent, dicentes (ut in literis ipsis exprimitur) torneamentorum exercitium armorum fore doctrinam: in quo non peccare se reputant, sed mereri pro eo, quod eos aptiores efficit ad fidem catholicam & præfatum regnum ab hostibus defendenda: cum non sit hæc ratio revocandi excommunicationis sententiam, quia*

Hastiludia laudantium inanis ratio.

Refellitur a Nicolao.

quia excommunicatus pertinaciter contumax invenitur; sed potius aggravandi, ne revocationis facilitas contumacibus fiat, & aliis contumaciæ incentivum: non enim contemnentibus ultro est ingerenda remissio, sed humiliter postulantibus indulgenda. Utrum vero in torneamentorum exercitio mereantur, Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ea prohibentibus, & specialiter Lateranensi concilio, ingerant quæstionem, quod illa sic interdicit aperte, ut decedentibus in eisdem ecclesiasticam deneget sepulturam.

XIX. Negata a concilio Lateran. in hastiludiis cæsis ecclesiastica sepultura.

Porro qua fronte sibi meriti, vel demeriti judicium arrogent; & adeo non solum decernentis, sed etiam decretum proprium exequentis partes usurpent, ut quod in subitatione voluntatis mutatæ concipiunt, subito præter superioris conscientiam, immo in hoc casu, ejus contempta sententia, pro libito exequantur, proculdubio non videmus. Credebamus enim & credimus, immo scimus, quod ad pastorum, & præcipue Romani Pontificis, non ad subditorum spectat officium lumen veritatis ostendere, dare salutis scientiam plebi suæ. Nec ad hujusmodi revocationem inducit illorum instantia, sed ab ea magis abducit, qui ad eandem sententiam proferendam in regno prædicto, & novissime his quasi diebus ad ipsum in vicinas partes auctoritate nostra tuo ministerio prorogandam, evidentibus allegatis rationibus institerunt: cum non deceat, ut ecclesiæ Romanæ maturitas inconstantiam sic variantium subsequatur, ipsiusque judicium adeo de illorum pendere videatur arbitrio, quod ad ipsorum nutum sententias proferat, revocetque prolatas.

Pontificia placita ad principum libidinem non mutanda.

XX. Nicolai in hastiludiorum causa decretum.

Cæterum quia personam tuam novimus, nec ejus merita ignoramus, processum tuum in præmissis habitum benigno dijudicamus affectu: & supponentes eum secundum conscientiam processisse, circa illa modo subscripto deliberavimus procedendum. Volumus igitur, & discretioni tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus universos, & singulos comites, barones, milites, ac alios, qui se torneamentis immiscuere prædictis, quos non est dubium præfatam sententiam incurrisse, singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis & candelis accensis, excommunicatos usque ad satisfactionem condignam in locis, de quibus expedire putaveris, publice nunties, ac ab aliis facias nuntiari. Et nihilominus ipsos moneas & inducas, ut absolutionis ab eadem sententia beneficium humiliter postulent: tuque ipsis illud taliter postulantibus benigne, juxta formam Ecclesiæ, largiaris: impositaque cum misericordia pœnitentia salutari, districte sub juramenti præstiti debito injungas eisdem, quod de cætero contra præfatam sententiam nullo modo aliquid attentare præsumant. Quidquid autem in his actum fuerit, nobis, data opportunitate, rescribe. Datum apud S. Petrum x. kalend. maii pontificatus nostri anno II.

XXI. Exortum inter Alfonsum Castellæ & Phil. Franc. Reges bellum nondum sopitum.

Non segnius navata opera est a Nicolao, ne Galli susceptum in Saracenos bellicum ardorem in Hispanos converterent: alebatur enim atrox discordia inter Alfonsum Castellæ & Philippum Galliarum Reges ob exclusos, ut suo loco vidimus, in publicis comitiis Ferdinandi primogeniti defuncti a regni successione filios. Et sane cum legati apostolici post susceptos magnos labores, ut Burdegalæ utriusque Regis oratores convenirent, operam dedissent, infecta re, utriusque exasperatis animis, discessere. Ex quo Pontifex magno dolore ob imminentia eorum Regum inter se bella affectus, Cardinales legatos ad se revocandos censuit, ut ex iis præsentibus rem certius cognosceret, maloque consentanea remedia adhiberet: egitque crebris apud Philippum literis; (a) tum apud Castellæ Regem, ut in concordiam eos adduceret, quorum posteriori gravia Terræ sanctæ pericula ex eo bello enascentia, aliaque mala ingentia, quæ acerbissimis aculeis pontificium pectus conficiebant, proposuit (b).

(a) To. 2. l. 2. ep. 29. 30.

(b) Ib. ep. 25.

*Nicolaus &c. charissimo in Christo filio Regi Castellæ, ac Legionis illustri salutem.*

Romanor. Pont. in iis conciliandis solicitudo.

*Digne quidem ab olim in horrendorum tuæ, ac charissimi in Christo filii nostri Regis Francorum illustris discordiæ perceptione rumorum Ecclesia concitata, felicis recordationis Joannes Papa XXI. prædecessor noster tot animarum, corporumque periculis, rerumve dispendiis occurrere cupiens, dilectum filium nostrum Hieronymum tit. S. Potentianæ presbyterum Card. tunc fratrum Minorum generalem ministrum, & fratrem Joannem magistrum fratrum Prædicatorum ordinum ad hoc elegit idoneos; injuncto eis, ut tuam & ipsius regis præsentiam adeuntes, te ac ipsum ad pacem & concordiam, juxta datam eis ex alto prudentiam, solicitis monitis, & efficacibus exhortationibus inducere procurarent.*

De missis a Joanne XXI. legatis.

*Et postmodum nobis, licet insufficientibus meritis, ad apostolatus apicem evocatis, illico periculosa illa dissensio se nostris obtutibus præsentavit, in qua gravibus piorum negotiorum undique concurrentium, & præcipue Terræ sanctæ periculis recensitis, quæ mentaneis videramus oculis etiam in minori officio constituti, officii debitum nostra præcordia pupugit, & nostrorum primordia cogitatuum ad occurrendum per opportuna remedia tanto & universali discrimini diris aculeis sti-*





*stimulavit, nec indulsit menti nostræ quietem; ita quod sensibus nostris circa hoc cogitatibus profundis obtusis ingerebat se nobis adjectio cogitatus, quod pensata diligenter negotii qualitate, ac personis sublimibus, inter quas discordia ipsa vertitur, & aliis horum altis circumstantiis ex impulsu quotidianarum solicitudinum circumspectis, propter hoc aliquis ex nostris fratribus mitteretur, cujus præsentiam altitudo tanti negotii merito requirere videbatur. Sed quia eorumdem fratrum nostrorum tunc paucitas, & aliquorum ex ipsis debilitas, urgensque molestia deliberationi hujusmodi nostri scrutinii restiterunt; ne circa idem negotium, quod sic nobis erat, & est cordi solicitudo nostra quovis modo torperet, venerabilem fratrem nostrum Benvenutum ipsius Minorum ordinis professorem, nunc episcopum Engubinum ad te, ac ad Regem præfatum dilectum filium fratrem Joannem de Viterbio procuratorem ipsius Prædicatorum ordinis, in effectum suasiones, nostraque monita, & consulta in præmissis per ipsum Benvenutum tibi, & per eumdem procuratorem dicto Regi plenius exprimenda; & præparanda inter te, ac memoratum Regem pacis, & solidæ concordiæ fœdera, per Cardinalem & magistrum eosdem tunc ad hoc Apostolicæ sedis nuncios reformanda pariter & firmanda; duximus destinandos: eidem fratri Joanni de Viterbio inter alia in quadam specialitate commisso, ne quicquam omittere videremur, ut apud eundem Regem pro suspensione, seu dilatione saltem cujuslibet processus hostilis contra te ad tempus insisteret, quo interim facultas adesset plenius eidem negotio providendi, & in hac parte de opportuna solicitudine nil omisso, dilecto filio nostro Simoni tit. S. Cæciliæ presbytero Card. A. S. L. speciales literas nostras sub certa forma direximus, ut iis, quæ tam Hieronymo Card. & magistro, quam procuratori prædictis eidem legato referenda commisimus, diligenter inspectis, eos in commissione prosecutionis hujusmodi juxta datam sibi a Deo prudentiam dirigeret, & studiosius informaret.*

De aliis a Nicolao.

Retardati Pont. auctoritate Galli ne exercitum Castellæ inferrent.

XXII.

*Porro dum inter nos, & prædictum Hieronymum Card. ac magistrum se variæ consultationes & responsiones ingererent, compulit non evitanda necessitas, qua incessanter circa negotium ipsum impellimur, nobis ipsis non parcere, vel aliorum laboribus indulgere: sicque provido eorumdem fratrum nostrorum communicato consilio, dilectum filium nostrum Gerardum basilicæ* XII. *Apostolorum presbyterum Card. ad partes illas transmisimus, ut per eundem, & dictum Hieronymum tunc in Cardinalem, ac magistrum eumdem tunc in Hierosolymitanum electum assumptos tuis & memorati Regis nunciis convenientibus invicem apud civitatem Tolosanam (quam locum satis congruum partibus & acceptum eidem negotio existimavimus) certo ad hoc per nos statuto termino, hujusmodi negotium tractaretur; eisdem Cardinali & electo, tibi quoque ac Regi præfato propter hoc, sicut te latere non credimus, speciales literas destinando: & ex præsentia talium personarum, eidem per nos, prout decebat, deputatarum tractatui, finem Deo placitum sperabamus: utinam id Altissimus nostris desideriis ministrasset. Nam, sicut accepimus, tuis nunciis, seu ipsorum aliquibus occasione loci prædicti certis intermissionibus subornatis, negotium ipsum, quod invite referimus, refugium solaminis non accinxit: sed diffugium tractus longioris indixit, quo per eorumdem G. & Hieronymi Cardinalium, ac magistri literas, amare, nec indigne percepto, ut omnibus vias præcluderemus eventibus, eorum consultationi respondimus, quod tibi & sæpedicto Regi pro alio termino assignando in Vasconia nostras literas, prout ipsi nobis scripserant, miseramus; mandantes eisdem, quod iidem arduitatem ipsius negotii attendentes, cum quanta possent diligentia ejusdem negotii prosecutioni vacarent. Verum eodem Card. Hieronymo sui corporis infirmitate detento, & pro arduis negotiis, ac evidenti utilitate, immo necessitate potius exinde de nostra licentia recedente, dicti Gerardus Cardinalis, & magister, ac tui & dicti Regis nuncii post diversas discussiones super hoc habitas in Burdegalensi civitate finaliter, ut singulariter omittamus enarrare singula, convenerunt: & cum ad tractatum pacis reformandæ, vel ad treguas ineundas inter alia processissent, prout antea etiam super iis tractatus extiterat inchoatus, nec pacem, nec treguam hinc & inde, proh dolor! iidem nuntii acceptarunt: quinimmo, quod acerbius gustare compellimur, tractatibus ipsis omnino succisis, discordes exinde discesserunt.*

Gerardus Card. urgendæ concordiæ adhibitus.

Corripit Alfonsum Pont. pacis tractatum eum extraxisse.

Burdegalensis conventus re infecta dissolutus.

XXIII.

*Profecto nobis ipsis talibus transfixis aculeis, eisdem Gerardo Card. & magistro ruboris post tot labores affectis incendio, & tibi ac Regi præfato ad majorem forsan rancorum amaritudinem deductis, & prædictis tractatibus sic succisis, nec minus eidem Terræ sanctæ, cui per hoc multipliciter deperire dignoscitur, animo perplexi compatimur; & cogitatus plurimi nostris sensibus inculcantur. Multa enim mentis turbatione perpungimur, cum tot solicitudines, & labores, & vigilias inspicimus sic inaniter pertraxisse, quod unde favum sperabamus degustare dulcedinis, calix nobis amaritudinis propinatur. Multa, nec mi-*

Quantum ex eo dolorem hauserit, exponit Nicolaus.

*rum, anxiamur angustia, dum in absentia talium personarum incommoda pertulisse sensimus, & ipsos insperato rubore videmus affectos, qui sperabant post labores ad divinam gloriam exultationis bravium reportare. Et multa nos angit anxietas, dum sic electos principes dissidere conspicimus, quorum dissidio multi principes & populi concitantur, & de gravioribus futuris periculis potest, & merito, dubitari. Multa insuper cordis afflictio præcordiales nostros actus obnubilat, dum per hoc prædictæ Terræ sanctæ negotio sic deperit, quod ipsa terra de suæ respirationis remedio gravius hæsitat; compellitur Agarenorum injuriis lacessite in divinæ majestatis offensam, & opprobrium populi Christiani.*

Ex ea discordia Syriam destitutam a Sarracenis fari.

*Ad hæc confidentes in illo, qui sperantes in se nullatenus derelinquit, in novi casus acerbitate sub spe summi consilii nova consilia, perquirere procuramus. Et quia ubi multa consilia ibi salus, cum fratribus nostris deliberatione præhabita, mature providimus legatum, & Gerardum Cardinales prædictos ad nostram præsentiam revocare, ut eorum, qui de prædictorum tractatuum circumstantiis notitiam obtinent pleniorem, informatione directi, & eorumdem Cardinalium aliorumque fratrum nostrorum consiliis auxiliisque suffulti, vias utiliores ad præmissa, dante Domino, perquiramus; per quas nostræ, & tuæ, dictique Regis, & vestrorum regnorum quieti, prædicto quoque Terræ sanctæ negotio de salutari & opportuno remedio consultaturi: cum nostri sit omnino propositi, sic nos hujusmodi conferre negotiis, sic solertes circa illa curas impendere, ac omni qua poterimus diligentia providere, quod extincto discordiæ incentivo, pacis & concordiæ, nostris admodum votis accomodæ, mundoque perutilis, & eidem opportunæ negotio redintegratio solida & Terræ sanctæ remedium prosperum celeriter, Deo auspice, subsequantur, &c.* Et infra: *Serenitatem regiam hortamur, & obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus animi tui decentiam mansuetudine regia muniens, sic ad pacis & unitatis gaudia te conformes, odiorum fomitibus a te prorsus exclusis, quod Deo & nobis gratificeris, ut gratus tibi & regno tuo de quiete provideas; & tandem retributionis æternæ præmium merearis. Dat. Romæ apud S. Petrum v. id. junii pontificatus nostri anno* II.

Significat Cardinales ad aulam Ap. revocari.

Ad redintegrandum tractatum se incubiturum.

XXIV. Ecclesiasticum jus ab Alfonso violatum.

Nec huic modo bello præbuerat facem Alfonsus, ac se paci difficilem exhibuerat; verum ecclesiasticorum cervicibus jugum gravius imposuerat, eorumque fregerat dignitatem. Quæ injuriæ iis illatæ septem capitibus distinctæ in regesto pontificio describuntur (*a*) his verbis.

(*a*) *Tom.* 2. *l.* 2. *p.* 56. *n.* 10.

*Articuli principales, super quibus mittitur venerabilis pater episcopus Reatinus, sunt septem.*

*Primus est de tertiis ecclesiarum, quas Rex occupavit pluribus jam annis elapsis, & detinet occupatas.* De iis decimarum tertiis addictis templorum sartis tectis reficiendis hæc in episcopi Reatini instructione adduntur. *Et si aliquando receperit pater suus ex concessione Apostolica, & ipse idem Rex; concessionis tamen tempora sunt finita jam multis annis elapsis; unde ipsas irrationabiliter percipit. Nec revocatur in dubium, quod injuste percipit, in quorum perceptione nec concessionem, nec consuetudinem, nec præscriptionem allegare potest. Peccat ergo graviter in percipiendo, peccat etiam in modo percipiendi, quia assignantur laicis, & Judæis etiam in solutionem stipendiorum, vel debitorum, & sic percipiuntur per eos; sed nec de eis congrue quæ sunt opportuna ecclesiis ministrantur.*

Decimarum tertia ab eo invasa.

*Secundus est de custodiis ecclesiarum cathedralium vacantium, & monasteriorum, seu de occupatis in eis quando vacant.* Declarat amplioribus verbis illius rei injustitiam Pontifex inter cætera quæ eidem nuntio apostolico demandavit: *Secundus*, inquit, *articulus similiter inexcusabilis est, quia novus, nec attentatus a prædecessoribus suis, sed ab ipso injuriose præsumptus. Sive ergo recognoscat se facere custodiri bona, ut conserventur futuro episcopo; sive sibi illa appropriet, sive dicat per modum regalium se intromittere de iisdem, totum novum est, totum usurpatum, totum injuriosum: quia nec a fundatione ecclesiarum, nec ex privilegio, nec ex longa consuetudine, vel præscriptione hoc habet.*

Occupata vacantium ecclesiarum vectigalia.

*Tertius est de gravaminibus illatis archiepiscopo, & ecclesiæ Compostellanæ, terris, & vassallis eorum, sub quo sunt gravamina infrascripta. In primis petitur homagium ab archiepiscopo Compostellano, quod nec ipsi, nec prædecessores sui numquam fecerunt. Item vult habere perticam contra justitiam. Item gravatur super dominio civitatis Compostellanæ, & ejus exercitio, & super damnis illatis ipsi archiepiscopo occasione discordiæ, quæ fuit inter ipsum archiepiscopum, & cives Compostellanos. Item gravat archiepiscopum, & ecclesiam Compostellanam in portibus, & vassallis multipliciter, & multa damna, & violentias fecit inferri ecclesiis, & personis ecclesiasticis sibi subjectis.*

Oppressa eccl. Compostell.

*Quartus articulus est de gravaminibus, & injuriis illatis per ipsum dominum Regem episcopo, & ecclesiæ Legionensi.*

XXV. Et ecclesia Legionen. Illata electionibus præsulum vis.

*Quintus articulus est de gravaminibus prælatorum, sub quo rami notabiliores sunt hi: In primis preces minaces & impressiones, quæ fiunt in electionibus & postu-*



*postulationibus ecclesiarum, & magistrorum religionum per Regem & suos, & mala quæ inde contingunt. A prælatis & personis ecclesiasticis per varios modos subsidia extorquentur, & sæpe exactiones fiunt eis, onera gravia imponuntur ipsis, & vassallis eorum. Privilegia & libertates a jure concessa, & nonnulla a prædecessoribus suis indulta & concessa, prælatis, ecclesiis, & personis ecclesiasticis non servantur: nec etiam illa, quæ ipse Rex concessit, observat. Super rebus immobilibus & violentiis trahuntur clerici ad judicium sæculare, capiuntur, & etiam judicantur super maleficiis; & in multis libertas ecclesiastica conculcatur. Contra clericos & laicos super crimine usurarum sibi cognitionem usurpans, hujusmodi occasione multos gravat. De spiritualibus processibus & sententiis prælatorum se indebite intromittit, prohibendo eos fieri, inhibendo servari, vel mandando revocari, & pignorando interdicta servantes: & jurisdictionem de testamentariis causis, & etiam temporalem competentem ecclesiis in nonnullis terris & locis ecclesiarum usurpat. Excommunicationis sententiam fieri prohibet, nisi in certis casibus, scilicet violationis ecclesiarum, injectionis manuum in clericos, vel decimarum non solutarum: nec exceptio excommunicationis in curia sua admittitur: a paucis annis citra facti sunt in pluribus locis ecclesiarum thesauri.*

Privilegia vetera labefactata.

Clerici ad tribunal sæculare rapti.

Præsulum auctoritas depressa.

XXVI. *Liberum non est prælatis, & clericis exeuntibus regnum ex causa studii vel peregrinationis, aut alia justa causa, extrahere pecuniam pro suis necessitatibus extra regnum. Item si ecclesia, vel religiosi acquirunt per donationem, possessionem, vel alio justo titulo vassallos, aut possessiones exemptas ab omni fisco, & regalibus, postquam transeunt ad dominium ecclesiæ, vel religiosorum, Rex facit possessiones & vasallos ipsos sibi censuales, & tributarios. Item licet ecclesia sit munita legitima præscriptione super aliquibus possessionibus vel vassallis nisi ad requisitionem Regis ostendant sufficientia munimenta, per quæ ipsos obtinuit, Rex spoliat ecclesias possessionibus, & vassallis hujusmodi, non obstante præscriptione prædicta. Item facit prælatos sigillare cedulas vacuas, & perhibere per suas literas testimonium de his, quæ non viderunt, nec sciunt. Item facit fieri latentes inquisitiones contra clericos, & personas ecclesiasticas, etiam non citatos: & mandat eos capi, interfici, vel puniri per tales inquisitiones; etiam non convictos, nec confessatos. Item occasione novæ religionis, institutæ ab eo ecclesiæ multipliciter aggravantur. Item privilegiis sibi ad Apostolica sede concessis ad tempus abutitur, immo magis abutitur transacto tempore; nec eorum etiam originalia ostendit. Item prælatis, vel capitulis terræ suæ non est liberum simul convenire, & tractare de gravaminibus & injuriis quæ inferuntur eisdem, aut ipsa apostolicæ sedi referre. Item Judæos Christianis præponit multipliciter: unde multa mala proveniunt. Item apostolicas, vel ordinariorum indulgentias publicari per regna sua non patitur, ut ex indulgentiis sibi concessis majus commodum consequatur. Sunt & alia multa gravamina, quæ per suam industriam episcopus colligere poterit ex scripturis, quas secum portat & in quibus seriosius gravamina exprimuntur, & quæ prædictis ramis quinti articuli poterunt applicari, & ad eos reduci.*

Injusta ecclesiis imposita vectigalia.

Legitimæ præscriptionis jus in ecclesiarum bonis obtritum.

Præsules ad ferendum de iis, quæ ignorant, testimon. adacti.

Necati injuste ecclesiastici nonnulli.

Erepta querendi libertas.

Judæi pluris quam Christiani habiti.

*Sextus articulus est de facto Portugalliæ; nam cum dicatur Rex Portugalliæ decessisse*, de eo e vivis sublato hoc anno dicetur inferius, *& credatur regnum ipsum Portugalliæ ad Dionysium nepotem Regis Castellæ filium quondam Regis Portugalliæ devenisse, vel devenire debere; laboret idem Rex Castellæ studio efficaci, quod ecclesiæ libertas & personæ ecclesiasticæ, quæ in ipso Regno inveniuntur notabiliter conculcatæ restaurentur.*

*Septimus articulus est ultimo & secreto tangendus, videlicet de oppressionibus & gravaminibus multis illicitis, & injustitia subditorum.*

XXVII. Restituendæ pristinæ ecclesiarum Castellæ libertatis zelo Nicolaus, & crebris præsulum querelis incitatus gravissimis sententiis Alfonsum est adhortatus (*a*) ut ministros divini Numinis, cujus gloria in iis obscurabatur, pristinæ restitueret libertati.

(*a*) *Ib. ep.* 6.

*Nicolaus, &c. charissimo in Christo filio Regi Castellæ, ac Legionis illustri.*

*Præpara, quæsumus, in spiritu timoris Domini, & recti consilii mentem tuam, & verba salutaria, quibus te Christi vicarius plenitudine paternæ dilectionis alloquitur, jucundo suscipias, & in præcordiorum tuorum medullis pro conservanda regia salute dulcescant.*

Nicolai lit. ad Castel. Regem. Blandis illum verbis adducere ad officium studet Pont.

*Leva igitur in circuitu oculos tuos, fili charissime, & diligenter aspice. Considera & prudenter, quod ille qui ventis & mari pro libito imperat, te oleo misericordiæ suæ inungens, non sine speciali benedictionis privilegio, tibi dexteram suæ propitiationis aperuit in magnifica munerum largitate. Nam excelsus ipse super omnes gentes, qui dat affluenter & non improperat; quique absque argento & ulla commutatione sitientes ad aquas evocat refectionis æternæ, in te sensus illuminans lumine suæ virtutis; inter dona multiplicia tibi tradita in diversis regnis tuo imperio gubernationis com-*

Evectum ad ingentem potentiam, ut ecclesiasticos tueatur, insinuat.

*commisit habenas, ut cunctis & maxime colonis in agro Domini constitutis, in operibus justitiæ fulgeas, & appareas splendore sinceræ devotionis & solidæ pietatis amictus.*

*Verum sicut Rom. ecclesiæ ac nobis, non sine admiratione, non sine tui compassione insinuationibus multis antiquis & modernis innotuit, hæc in scrinio tuæ memoriæ otiantur, hæc in tuis manibus non pollent præconiis, quæ potius tuorum actuum nubilo videris gloria vacuare; dum quidem infra regnorum tuorum terminos ancillantur ecclesiæ, & personæ ac libertas ecclesiasticæ conculcantur, ipsæque ecclesiæ, prælati, ac personæ præfati exactionibus illicitis, oneribus gravibus, & alias multipliciter aggravantur; tuque ad bene ecclesiarum ipsarum, & personarum per modos varios & illicitos tuas manus extendens, ac te de personis ecclesiasticis & earum processibus intromittens, in casibus qui jurisdictionem regiam aliquatenus non contingunt, ipsas premis.* Non-nullisque interjectis, quibus graviora ecclesiis imposita onera queritur, subdit: *Hæc siquidem, pensatis, quæ nunc te, ac regna tua fluctuationibus dissidiosis exagitant* (propendebant nimirum in Sanctium populorum voluntates, Alfonsusque, ut ex Mariana (*a*) colligitur, ludibrio haberi cœperat) *ad tempus sub silentio transissemus, si conscientia permisisset: sed impendente nos illa ad tui salutem, hæc movere compellimur, sperantes, quod te ipsum in præmissis ad divina beneplacita efficaciter dirigendo, tibi & regnis eisdem celerius tranquillitas optata proveniet, & quæ tibi incumbunt, salubrius dirigentur.*

Quæ ecclesiasticis ab Alfonso illatæ injuriæ.

(*a*) *Mariana. de reb. Hisp. l. 24. c. 4.*

XXVIII. Iis emendatis, fluctuanti regno pacem facilius redditum iri.

*Præmissa itaque fili, petimus, infra regalis conscientiæ solium digeras, & tandem cum peritis in lege Domini discutias diligenter, an hæc tuæ saluti sint obvia, & te coaptent gratiæ Regis Regum: an etiam populis tibi subjectis sint congrua, & quietem regnorum contineant prædictorum: dumque repereris utique super his tuum notabiliter errasse consilium, virgam protinus per teipsum correctionis assumas; & progenitores tuos memorans, ex quorum gestis solemnibus, ut audivimus, colligitur evidenter, quod bi zelatores justitiæ, ecclesiastici ordinis amatores, & filii devotionis sinceri multifaria beneficia contulerunt ecclesiis & libertates laudabiles concesserunt; regnis quoque & gentibus sibi subjectis, quantum in eis extitit, pacis & prosperitatis commoda procurarunt; præscripta potius forsan negligentia & doloso suasu, quam tuæ conscientiæ consensu secuta, sic corrigas studio efficaci, quod divinam, & Apostolicæ sedis gratiam exinde uberius merearis, & eorundem progenitorum in bonis actibus imitator laudabilis prædiceris &c. Datum Romæ apud S. Petrum x. kalend. aprilis, pontificatus nostri anno II.*

In eam quoque sententiam Sancio Alfonsi filio scripsit, (*b*) apud patrem, apud quem plurimum auctoritate poterat; insisteret, ut quæ perperam acta fuerant, emendaret; jussus (*c*) etiam Hispalensis archiepiscopus Alfonsum ad æquitatem adducere, labemque inustam regio nomini abolere. Qua vero ratione Petrus episcopus Reatinus in commisso sibi munere gerere se deberet, illum Nicolaus apostolicis pluribus monitis informavit (*d*): præcepitque inter cætera, ut caveret strenue, ne Rex inanibus ipsum verbis ac promissis traduceret, sed ut præterita facinora rite expiaret: eliceret ab eo regium diploma, quo nullum jus in tertiis decimarum obtinere agnosceret, nec ecclesiasticos fatigaturum in posterum polliceretur: idemque de vacantium ecclesiarum vectigalibus & aliis juribus præstaret: ac solemni sacramento ipsius fidem astringere niteretur.

(*b*) *Tom. 2. l. 2. ep. 7.*

(*c*) *Ib. ep. 8.*

(*d*) *Ib. ep. 10.*

Petrus episc. Reatinus in Castellam missus. Monita ei tradita.

XXIX. Alfonsi III. Reg. Lusit. obitus.

Quod ad Alfonsum Regem Lusitaniæ superius memoratum spectat, a quo præsules Lusitanos gravioribus affectos injuriis vidimus, constitutasque a Gregorio X. ad reprimendam illius licentiam acerbiores leges; subitum e vivis ineunte martio hujus anni refert Antonius Brandanus, (*e*) atque in anceps mortis discrimen adductum pœnituisse violati olim juris ecclesiastici, plura injuste a se occupata restitui jussisse, filiumque Dionysium Lusitani sceptri heredem ad sarciendas injurias illatas ecclesiis obstrinxisse. Qua de re testes publicas literas ex Olysipponensis ecclesiæ archivo producit, subjectis verbis (*f*) conceptas: *Noverint universi, quod feria tertia, videlicet decimo sexto kal. februarii, in præsentia nostra Durandi episcopi Elborensis, Petri Martini Thesaurarii, &c.* & infra, *illustris donnus Alfonsus Rex Portugalliæ & Algarbii in mortis articulo constitutus dixit, quod jamdudum intentionis suæ fuerat jurare & stare mandatis ecclesiæ Romanæ, sub conditione videlicet salvo jure regni sui & filiorum & vassallorum suorum; modo vero volebat jurare simpliciter, & sine aliqua conditione. Et tunc prædictus Rex in manibus meis prædicti Petri Martini juravit ad sancta Dei Evangelia, & promisit simpliciter & sine aliqua conditione stare & parere mandatis ecclesiæ Romanæ, & restituere omnia, quæ mandavit occupari, & prælatis omnia bona sua, & de maleficiis satisfacere: & nominavit expresse quædam, quæ ipse occupaverat, quæ statim mandavit restitui, ut*

(*e*) *Brandan. monarch. Lusit. l. 15. c. 47. & in append.*

(*f*) *Id. ib.*

In ancipiti mortis discrimine illatas ecclesiis injurias plangit.



*ut Valenzam, Gayam Linhares, Laurianam, Arrayolos, Vimearium, & Alcaænas, & fratribus Templariis, & aliis religiosis bona sua, facta computatione cum iisdem, præsente domno Dionysio primogenito filio ejusdem domini Regis & consentiente: & mandavit prædicto domino Dionysio, quod restitueret omnia alia occupata, quæ sibi in illa hora subvenire non poterant, & maleficia per eundem commissa corrigeret; & quod suum voluit facere testamentum, quod prædictus dominus Dionysius sibi concessit. Acta sunt hæc apud Ulixbonam in domibus dicti domini Regis die supradicta mense januarii in æra MCCCXVII.* Est annus Christi, in quo oratio nostra versatur, MCCLXXIX. *Qui præsentes fuerunt vocati a dicto Domino Rege, Donnus Stephanus quondam abbas Alcobatiæ, qui dictum Regem absolvit in dicto mortis articulo constitutum, &c.* Consumptus est eodem morbo paucis post diebus, ut auctor ex obituum S. Crucis libro colligit, e quo hæc verba affert: XIV. *kal. martii obiit donnus Alfonsus inclytus III. Rex Portugalliæ.*

Erepta iis prædia restitui jubet.

Pium testamentum condit.

Adducit memoratus auctor ejusdem Regis testamentum, in quo multa pietatis signa explicuit: ad sarciendas enim, quas suorum subornatus consiliis intulerat injurias plurimas, iis opes legavit. Pontifici vero Romano, quem suæ animæ, & corporis dominum vocat, centum marchas argenti contulit, flagitavitque ab eo, ut apostolica auctoritate extremæ voluntatis tabulas confirmaret.

XXX. Cumani in Ungaria rem Christianam affligunt.

In Ungaria cum Ladislai Regis ignavia res Christiana in maximum periculum a Cumanis gentilibus adducta esset, opesque ecclesiasticæ passim diriperentur, excitatus tandem Rex a Philippo Apostolicæ sedis legato, promulgatis regiis literis se astrinxit, Cumanos, quorum aliqui Christiana sacra susceperant, sed improba vita corruperant, ad baptismum adacturum: e montuosis locis ac solitudinibus, in quibus Scythico more tentoriis fixis vivebant præda & cædibus, in oppida traducturum; si repugnarent, ducturum in eos exercitum: ablata ecclesiis bona restitutum iri: deleturum hæreticos, libertatemque ecclesiasticam contra illius depressores defensurum. Qua de re Card. Baronius hæc notavit (*a*). *Hoc anno Ladislaus Rex Ungariæ coram Philippo Firmano legato apostolico juravit fidelitatem Romanæ ecclesiæ: libertatem ecclesiasticam defensurum: quod expelleret quos reperiret hæreticos e regno suo, cogeretque gentem Cumanam ad servandam fidem catholicam, & ad restituendum bona ablata Christianis. Hæc Budæ sub anno Christi MCCLXXIX.* Hactenus Baronius. Sed flagitat tantæ rei dignitas, ut ipsas Ladislai literas (*b*) in historiam producamus.

(*a*) *Bar. in sched.*

Ladislaus Rex se ad eos ad fidem revocandos astringit.

*Ladislaus Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ Rex omnibus Christifidelibus, præsentes inspecturis, salutem in auctore salutis.*

*Divinæ visitationis exordium, quo nos Dominus verus oriens visitavit ex alto, quo sanctæ matris Ecclesiæ visceribus adunamur, lumine catholicæ fidei illustrati, in progenitore nostro sancto Rege Stephano, a sacrosancta Romana ecclesia recognoscimus, ut debemus. In ipso enim orthodoxæ fidei, divina afflante clementia, sacrum redoluit unguentum: in ipso alluvione cœlestis gratiæ pullulante una cum reliquis serenissimis Regibus Ungariæ, claro germine descendentibus, ab eadem regni gubernaculum suscipimus, & coronam. Et ut principatum fidei in sacrosancta Romana ecclesia consistere, eandem Christi thalamum, & Trinitatis hospitium luculentius demonstraret, non a se vel ab alio; sed ab eadem Romana ecclesia matre omnium & magistra, regni diadema revelatione divina meruit obtinere; ut ab ea, quasi quodam capite principali dona sua in omne corpus diffunderet lux divina, & exortem ministerii se intelligeret esse divini, qui a Petri soliditate recederet deviando. Et quia nil quod lumine clariore præfulgeat, quam in principe recta fides; cupientes toto mentis annisu tentoria fidei dominicæ ampliare, ejusdem sanctissimi Regis Stephani progenitoris nostri vestigiis pro modulo inhærentes; ut in arcam Domini sub unitate fidei inter cæteros Comanorum multitudinem, pro parte charactere dominico insignitam, susceptio baptismatis sacramento, quamvis adhuc in via morum errantem, reliquam etiam partem a ritu paganismi ad agnitionem Christianæ fidei, mediante venerabili & sanctissimo patre domino Philippo Dei gratia episcopo Firmano Apost. sedis legato ejusque sancto ministerio, Domini cooperante clementia, perducamus, quatenus cœleste regnum proficiat per terrenum; solemniter promisimus & juravimus, quod fidem catholicam, & ecclesiasticam libertatem servaremus ac teneremus, ac teneri faceremus & servari in regno nostro & terris nobis subjectis: quodque constitutiones & decreta sanctorum Regum progenitorum nostrorum, & bonas consuetudines eorumdem, nec non omnia alia & singula, quæ nostri progenitores in sua consueverunt coronatione jurare, inviolabiliter servaremus; venerabilique patri domino Philippo A. S. L. & aliis, quibus ex officio competeret, assisteremus debito cum effectu jurisdictionis & potesta-*

(*b*) *Asservantur in arce S. Angeli & exstant lib. privil. Rom. eccl. to. 1. pag. 160. & Collect. cod. Vallic. Platin. to. 2. pag. 173. & Cod. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 472.*

XXXI. S. Steph. Rex Ungar. regnum a Rom. ecclesia accepisse professus.

Idem confirmat Ladislaus.

Pollicetur abolendis hæresibus & erroribus datarum operam.

*statis nostræ brachio, ad comprimendos, & expellendos hæreticos de regno & terris nobis subjectis.*

XXXII. *Secundo juravimus in præsentia prædictorum, quod novem alios articulos, qui fidem catholicam & ecclesiasticam libertatem; necnon Christianorum & Comanorum statum tangunt, effectualiter impleremus, & modo simili servaremus, ac servari a nostris subditis faceremus. Demum promisimus & juravimus venerabili patri domino legato præfato, attendere & servari facere articulos infrascriptos; quos pro cultu justitiæ & unitate fidei observanda Uxuc & Tolon principales Comanorum pro se, & universitate Comanorum, quorum vicem & consensum se habere dicebant; in præsentia ejusdem domini legati & nostra solemniter, & publice se facturos, servaturos, sine refragatione qualibet assumpserunt: & modis omnibus curabimus, & in nostrum suscipimus officium & ministerium regiæ majestatis, sub obligatione regni nostri & nostra, eosdem principales Comanorum & universos Comanos articulos infrascriptos fideliter servaturos, omnem ad hoc, quantum ad nostrum spectat officium, curam & operam impendendo. Qui quidem articuli hoc ordine declarantur; ut scilicet universi Comani & singuli, cujuscumque ætatis & sexus, qui nondum sunt baptizati, volunt & desiderant recipere baptismatis sacramentum, & suscipere & tenere omnia ecclesiastica sacramenta & quæcumque alia servanda docet, tenet, & prædicat Romana ecclesia sacrosancta: & idolorum cultura, ac omnibus, & singulis paganorum ritibus dimissis & prorsus relictis, servare catholicæ fidei unionem: & quod descendent, & recedent a tabernaculis suis & domibus filtrinis, & habitare & morari in villis Christiano more in ædificiis & domibus solo fixis, expressius assumpserunt, & conformare se in omnibus moribus & ritibus Christianis promiserunt expresse.*

Compulsurum Cumanos ad colendos mores Christianos.

Propositæ iis barbaris leges.

XXXIII. *Præterea in regno & terris nostro dominio subjectis ab omnibus insolentiis & homicidiis faciendis; ac interfectione Christianorum, & eorundem sanguine effundendo retrahent penitus manus suas: & in antea nullo umquam tempore facient, nec patientur fieri hujusmodi aliquatenus per suos famulos & subjectos. Præter hæc idem procuratores Comanorum eidem domino legato humiliter supplicaverunt, quod ipse dominus legatus procuret ordinare inquisitores aliquos fide dignos, qui per singulas generationes eorum & generationum gradus sibi invicem quacumque linea attinentes, & per omnes alios subjectos eorum inquirant, & sciant super præmissis omnibus, & singulis veritatem, quam domino legato & nobis referre & exponere teneantur; ut is, qui in aliquo præmissorum transgressor inventus pœnam ecclesiasticam, quam meretur, ab eodem venerabili patre & Ecclesia ipsam recipiat, & per nos temporalis vindictæ debitam sentiat ultionem. Cæterum sæpedicti procuratores Comanorum procuratorio nomine pro se & pro eisdem Comanis renuntiaverunt, & abdicaverunt omnia monasteria, ecclesias, & possessiones monasteriorum, ecclesiarum, & omnium nobilium, ac cæterorum Christianorum, quæ & quas hactenus injuste & minus debite occuparunt, & etiam tenuerunt; asserentes eosdem Comanos & se esse paratos ad remittenda & restituenda, juxta mandatum ejusdem domini legati, omnia & singula supradicta.*

Restituendis ecclesiis & monasteriis occupatis a Cumanis.

*Promittimus etiam sub sponsione fidei & præstiti juramenti ac obligationibus supradictis, quod, ut præmissa omnia & quæcumque alia pro ampliatione fidei Christianæ, & ecclesiasticæ libertatis, ac sublimatione regalis solii & statu pacifico regni nostri idem pater venerandus A. S.L. in convocatione publica & regni nostri, facienda xx. die post festum B. Joannis Baptistæ, duxerit ordinanda, acceptabimus, servabimus; attendi, ac servari ab omnibus nostræ ditioni subditis firmiter faciemus. Quæ omnia, videlicet tam articulos prænotatos, quam alia, quæ in præfata convocatione per ipsum dominum legatum fuerint ordinata, & solemniter publicata ad æternam rei memoriam in nostris scriptis publicis sub bulla aurea seriatim redigi faciemus, ac sic redacta & bullata legato trademus & tradi faciemus præfato. Quod si præfatos Comanos ad prædicta & singula observanda & implenda exhortationibus, persuasionibus, rationibus, & precibus forsitan inducere non possemus; recepimus, promisimus, & juravimus, quod in congregatione prædicta contra dictos Comanos indicemus, & faciemus exercitum generalem de regno & terris nobis subjectis; ad quem nostros & regni nostri invitabimus & invitari faciemus amicos; ad compellendum eos per dictum exercitum, & alios quoslibet utiles modos brachio regiæ potestatis ad recipienda facienda, ac etiam observanda omnia, & singula supradicta. Promittimus sub obligationibus supradictis, quod eos faciemus dare necessarios obsides, custodiendos & tenendos juxta regnum, & terram nostram ad mandatum & præceptum præfati domini legati in loco seu locis, per illum seu illos, de quo vel quibus eidem domino legato videbitur expedire. In quorum omnium testimonium, memoriam, & notitiam plenioremnec non perpetui roboris firmitatem, præsentes concessimus literas duplici sigilli nostri appensione, & munimine roboratas.*

Servandis legati decretis.

Si Cumani obsistant, armis frangendi.

*Dat.*



*Dat. Budæ per manus magistri Nicolai aulæ nostræ vicecancellarii, dilecti & fidelis nostri, anno Dom. MCCLXXIX. IX. kal. julii, regni autem nostri an. VII.*

XXXIV. Synodus Budæ celebrata.

Celebrati sunt mense septembri ab eodem Apostolicæ sedis legato Budæ solemnes episcoporum conventus ad fidem propagandam, ac pristinum sanctitatis florem in clero populoque revocandum; in quo editæ sunt plures constitutiones (*a*) de corona & tonsura gestandis, ac reliquo præsulum & ecclesiasticorum cultu ad modestiam redigendo; non exercendis indecoris artibus, non circumferendis armis, mulieribus a suo commercio ablegandis, fundendis horariis precibus, gerendis sacerdotiis, non ineundis coitionibus, celebrandis synodis; sacris initiandis iis, quibus animarum cura demandata est, tuenda in præsulum electionibus ecclesiastica libertate, non adeundo sæculari tribunali; de sacrarum reliquiarum cultu, non alienandis ecclesiarum ornamentis, reddenda bonorum ecclesiasticorum administrationis ratione, non profanandis templis, abigendis meretricibus & concubinis, adulteris & incestuosis plectendis; tum multa alia ad mores expoliendos spectantia sancita sunt. Cujus concilii acta nobis ad calcem sequentis tomi reiicienda visa sunt; quæ quidem ideo videntur imperfecta, cum Ladislaus Ungariæ Rex ab impiis subornatus, sacram synodum disturbasset, ac Budensibus dedisset imperia, ut patres urbe pellerent, nec ad vitam sustentandam commeatus suppeditarent. Cujus facinoris pœnitentem sequenti anno visuri sumus.

(*a*) Ext. in cod. cod. Vallic. p. 520.

Quæ sunt in ea decreta.

Ladislaus violato sacramento Cumanorum mores induit.

Is vero adeo in priori suscepto consilio tuendæ amplificandæque Christianæ fidei inconstans extitit, ut mox violato jurejurando ad Cumanos gentiles maximo omnium scandalo defecerit. Ad quem e perfidia abducendum, Nicolaus (*b*) ad Regem Siciliæ atque ad Rodulphum Romanorum Regem, ut oratorum suorum opera ad resipiscendum adducerent, scripsit. (*c*) Reginam etiam Ungariæ solicitavit (*d*) ut in tanta re navaret operam, præterea (*e*) episcopos Ungaros ac duces procerescque cæteros, justissimo zelo pro religionis causa defendenda consurgerent. Legatum vero suum Philippum Firmanum episcopum non demittere animos, sed constantius ad religionem propugnandam incumbere jussit (*f*) certioremque fecit eo argumento ad Ungariæ Regem datas literas (*g*); quas ad majorem historiæ afferendam lucem subiicio.

(*b*) To. 1. l. 2. ep. cur. 10.

(*c*) Reg. post. eand. ep.

Pontificia pro eo ad officium revocando opera.

(*d*) Ib. ep. 11.

(*e*) Ep. 8.

(*f*) Ep. 9.

(*g*) Ep. 7.

*Regi Ungariæ illustri spiritum consilii sanioris.*

XXXV. *Militantis Ecclesiæ Pater æternus proprium Filium Jesum Christum, præter quod nemo aliud ponere potest, posuit fundamentum. Ad cujus Ecclesiæ regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem vice sui deputari ministrum, ut ejus fidem, instructionem, atque doctrinam, eloquio veritatis evangelicæ traditas, cuncti renati fonte baptismatis teneant, & observent. Qui enim sub hac fide laudabiliter cursus vitæ peregerint, Salvatoris gratiam merebuntur; & qui ab ipsa declinaverint, sunt damnationis æternæ sententia feriendi. Hoc itaque ministerium apostolicæ servitutis exposcit, hoc solicitudo nostra requirit, & ad hoc continuis vigiliis anxiamur potissime, ut fides ipsa ubilibet servetur & vigeat, submotis quibuslibet nubibus, clare reluceat, & effundat in singulos illam profitentibus libere suos radios claritatis; nec minus pro ecclesiastica libertate servanda, curis quotidianis insistimus, & quietem quærimus fidelium populorum, in iis pastoralis officii debitum exolventes. Unde non indigne de tua regnique tui salute more patris soliciti cogitantes, ab olim intellectis tumultuosis motibus dicti regni & seditiosis tumultibus incolarum illius, qui per dissidia simultatum alterutrum dissidebant, & mutuis congressibus collidebantur immaniter; quæ quidem, dono pacis postposito regale solium graviter deprimebant, ejusque depresso regimine, non solum in regno ipso vastabantur bona fidelium, sed jura ecclesiarum & aliorum piorum locorum diripiebantur enormiter, & libertatem ecclesiasticam insolentia damnabiliter conculcabant; animarum quoque subsequebantur deplorandа pericula, nefanda personarum excidia, & alia fere innumera detrimenta; nos verisimiliter hæsitantes, ne ex iis fidem ipsum vacillare, libertatem eamdem & justitiam conculcari, ac errores schismaticos pullulare contingeret; licet consideraremus interdum, si concurrisset cum possibilitate decentia, nostram ibidem exhibere præsentiam, ut circa hæc præsentialiter studia nostra versando, apud Deum & Patrem retributorem omnium in sic gratis & acceptis obsequiis mereremur, tua culmina præservaremus a fluctibus, & tam te quam dicti regni populum præsentialibus reficeremus affatibus, & exhibitionibus spiritualium gratiarum; quia tamen id non patiebatur nostra conditio, nec emergentium undique negotiorum immensitas permittebat, venerabilem fratrem nostrum Philippum episcopum Firmanum Apostolicæ sedis legatum, de cujus industria, circumspectione provida, & fidei puritate confidimus; ad partes illas, tamquam pacis angelum, de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, ut personam nostram prælatis, tibi, ac aliis illarum partium catholicis, & a-*

Nicolai ad Ladisl. eo argumento literæ.

De bellis civilibus in Ungaria exortis.

Philippus Firmanus episc. ad ea sopienda missus.

*& aliis præsentaret; & quæ Deo placitura, dictoque regno ad salutem profutura, & ad Christianæ fidei ac tui status fulcimenta pertinere cognosceret, auctoritate nostra munitus impleret. Utinam in hac parte nostris desideriis satisfiat!*

*Profecto te affectibus paternis alloquimur, & tibi nostræ mentis aperimus intrinseca, ut de patris pectore colligas, quod tuæ prosperitatis commoda quærimus, & in tuis successibus prosperis delectamur: devota quoque horum attentione percipias, quod tuæ salutis zelatores existimus, nec omittimus actus tuos dirigere precibus, interdum linire commonitis, & ad te, cum expedit, correctionis paternæ virgam extendere; ac illa ferente a te indecentia quæque prorsus excutere, ut illis expiatis munde reniteas Deo Patri, & nobis filius præsenteris electus, ut exultent corda fidelium in lumine vultus tui, tuque prospere procedens & regnans, tandem participationem æternæ gloriæ merearis: & si qua forsan ex nostris eloquiis amara colligeres, tenere te volumus, quod ex amoris dulcedine talis amaritudo procedit, & finaliter a te grate percepta dulcescet.*

XXXVI. Ladislaus initio adversatus legato.

*Licet itaque in primo ipsius legati progressu, displicuerit nobis, & merito, quod, sicut audivimus, tu ejus reformidans adventum, & ingressum forsitan dubitans, illum dicebaris (quod invite referimus) impedire; cum non deceret de patre filium dubitare, nec opinari, seu debere præsumere, quod Romana mater Ecclesia (quæ munifica singulis non solum filios benedictionis gratæ complectitur, & dulcedinis lactat uberibus; verum etiam oberrantibus, ut neminem suæ relinquat benignitatis expertem, potius mansuetudinis sinum pandit ad gratiam, quam in illos judicium exerceat ultionis) in te sæviens quicquam tibi nocivum transmitteret, vel celsitudini regiæ ac regno prædicto quod in memoria nostra tenemus acceptum, quod Christi ministros producit electos, & viros religione fœcundos, inclytos catholicæ fidei professores; & in quo degit catholicus populus mandatorum Domini sectator eximius, peregrinationibus, pœnitentiis, & aliis piis vacans operibus, prout in pluribus experimur, fomenta negaret propinare salutis; tamen resumpsimus in mente lætitiam, gratanter audito, quod tu postmodum, ingressu dicti legati percepto, te ipsius inductionibus & salutaribus monitis regali mansuetudine conformasti, & animum tuum ad omnipotentem Dominum, ut videbatur, devote concurrens, dicta tibi per eundem legatum tam super observatione fidei ac decretorum & consuetudinum progenitorum tuorum, & conservatione libertatis ecclesiasticæ; quam hæreticorum expulsione de regno prædicto servare, ac in terris tuis servari facere, super altare, tactis Evangeliis, promisisti: quodque ipsius legati monita super liberatione Christianorum, quos Cumani & alii pagani sub servitute tenebant, benigne recolligens, quod Christianos a Cumanorum obsequiis retraheres, quod compelleres Cumanos ad habitandum in domibus solo fixis, & ex eis baptizatos potissime ad destructionem cogeres idolorum; nullum etiam infidelem, vel quem scires excommunicatione ligatum in officialem regium, vel familiarem admitteres, quod tam in te, quam in illis de regno tuo, dimisso paganorum abusu resumeres Christianorum habitum tam in vestibus quam capillis; Cumanos insuper restituere monasteria & ecclesias, occupata per ipsos; ac apostatas dicti regni ad ordines redire compelleres, cum ab eorum prælatis existeres requisitus, & quædam alia directionem regni, & salutem continentia status tui coram ligno crucis solemniter in altari, primo & iterum regia fide data Ungarico more jurasti. Et dum expectaretur, quod in hujusmodi proposito salutari concresceres, prædicta sic promissa pluries & jurata per te non fuerunt, proh dolor! ut sperabatur, impleta: quamquam Cumanorum nuntii certos recepissent & approbassent articulos; uno excepto, videlicet de barbis radendis, & crinibus breviandis ad quod te, prælatis & baronibus regni prædicti, eundem legatum inducentibus, tu eidem legato, quod cætera alia servari faceres, promisisti, coronam & regnum tuum propter hoc specialiter obligando. Et postmodum pro eo quod præmissa, quæ promiseras, & juraveras, ut prædicitur adimplere distuleras, te graviter deliquisse humili spiritu recognoscens iterum cum obligatione simili, per manum dexteram regia fide data, Ungarico more similiter & denuo te excommunicatum & regnum tuum propter hoc juste interdicto fuisse suppositum recognoscens, tactis sacrosanctis Evangeliis jurasti; & renuntiando appellationibus, exceptionibus, & impugnationibus quibuslibet, promisisti etiam implere per omnia supradicta.*

Pollicitus liber. eccl. tueri. Hæreticos pellere. Cumanos reprimere. Eos ad fixas sedes & baptismum cogere. Anathemate notatos honoribus non afficere. Apostatas ad ordines relig. revocare.

Illius postea consiliis obsecutus.

*Sed nec iis non sine nota tui nominis, prout decuit, observatis, miramur, & mirando tibi compatimur, & compatiendo dolemus, quod te famam regalis nominis reprehensivæ inconstantiæ, in principe maxime, lacerari remorsibus negligentiæ ac in vetita toties, non sine Dei offensa & inconstantia notabili, relabente, prædicta sic per te jurata toties, & promissa, & obligationibus roborata, ne dicamus contempta, reperiuntur amissa: & demum audito, quod te improvide appellationis refugio, immo potius diffugio commiseras, & prætextu appellationis hujusmodi, quasi baculo arundineo incautus inhærens, non solum legato non parebas eidem secundum te ipsum, necnon & alios ab ejus prælatorum sibi adhærentium obedientia, non absque notæ macula, interdum comminationibus, inductionibus interdum pœnarum inflictionibus retrahebas; in eo potissime tanto graviori dolore perpungimur, & anxiamur angustia, quanto incautius super his te ipsum, animam & regnum tua diceris involvisse: unde progredi videris in devium, & nisi resilias, in ruinam.*

XXXVII. Iterumque fidem infregit.

Resiliit a promissis Ladisl.

Censuris ob id defixus, iterum ad officium rediit.



Legati sententiam nititur eludere.

XXXVIII. Nicolai pro eo ad officium adducendo studium.

*Nos itaque more pastoris de commisso nobis grege dominico & salute tua, juxta officii nostri debitum, ne videamur in te, ac regno prædicto negligere, quod in catholicis Christianis amamus, sedulo cogitantes; ac licet nondum ad nos ex parte tua super prosecutione appellationis hujusmodi nuncii, seu procuratores tui venerint, præmissis absque intermissione temporis occurrentes, te, ne sub talibus nubibus cespitando præcipites, pastoris ministerio non adjutus; ad tuam, & regni tui salutem, sub spe summi Patris promptis adhibitis studiis, prævenimus.*

XXXIX. Ruere in exitium demonstrat.

*Attende igitur, Rex inclyte, cogita & revolve, quo duceris, & a quibus: quid postposueris; & cui, vel quibus inhæseris. Attende te ipsum, & vide quod dicitur, dum auditur, quod regalis domus Ungarica, quæ consuevit athletas Christi contra infideles producere, ac insurgere ad reprimendam astutiam barbarorum; & quæ viros enutrivit electos catholicæ fidei professores, Deum & matrem Ecclesiam reverentes, cultores justitiæ, religionis Christianæ servatores præcipuos, & piorum operum sedulos sectatores; tali & tanto, quod ex præmissis colligitur, nefando contagio maculetur. Attende quod in præsenti negotio agitur causa Christi, a quo non est appellationibus divertendum: nam ipse scrutator cordium judicat illos Deus. Quibus allegationibus te munies dum, ut dicitur, juramentorum & tot promissionum violator, maxime contra fidem, libertatem ecclesiasticam, in notoriis insuper, in eo etiam, quod est tempore perituram, contra renuntiationem tuam, ac salutem propriam, sub pallio talis appellationis inobediens coram Christi vicario præsentaris? Respuunt interdum in talibus appellationes, nedum divina, sed humana judicia. Quibus te poteris apud justum Judicem excusare suffragiis, dum salutem tuam & regalis nominis famam postposuisse sic diceris; & pateris, quod sub tuo prætextu in regno sic catholico; unde conscripta sanctorum merita colit Ecclesia, fluctuet fides Christi? Quibus defensionibus poteris coram illo subsistere, qui patiens, & humilis miseretur, & commodat: & tandem provocatus ad iram mucrone duræ sententiæ ferit, & deprimit obsistentes?*

Divinas ei iras obiicit.

*Absit, quod tu talibus contracteris insultibus. Absit, quod tantum principem, & sic electum regnum, sicque copiosum fidelium multitudinem periclitari nostro tempore videamus. O quanta producimus, & quam amara suspiria, dum te ac dictum regnum, sic nobis chara, tantis videmus subjacere periculis! O quam profunde distrahimur dum astutias infidelium subtilius judicamus; & quanto languore diffundimur, dum timemus nequitiam sitientium Christiani populi colludere veritatem! Nam ipsi schismatici, tecum barbarico more luctantes, tibi se ipsos seditiosa calliditate subiiciunt, ut tandem sibi subiiciant tui nominis claritatem. Ad quæ divinam clementiam orationum suffragiis humiliter imploramus, ut dignetur ab oculis tuis omnem nubem excutere, per quam posset in te superioris luminis beneficium impediri: ut exclusa tenebrarum caligine, quid sis, & ubi; quid agas, quidque tuis merearis actibus tam exteriori, quam interiori lumine contempleris. Et nihilominus illius vices gerentes in terris, qui pro ove deperdita ad flagella duci, clavis affigi, & tandem mortem subire voluit, ut mortem nostram moriendo rediminet, & quas protoplasti delicto meruimus, miserias tolleret infernales; nos & fratres iidem, non solum in his adhibere, quæ videbuntur opportuna, remedia; sed nos ipsos etiam, prout tenemur, pro conservatione catholicæ fidei, si expedierit, exhibere proponimus, ut tuam & regni præfati salutem, & si oportuerit non solum spiritualibus, sed temporalibus correctionibus, procuremus.*

Religionem adductam in periculum proponit.

Sedem Apost. officio non defuturam.

XL.

*Et licet speremus in bonorum omnium directore, quod ipse te reducet ad gratiam, & diriget per suorum semitam mandatorum: si tamen, quod absit, in præsenti varietate callesceres, firma fide tenemus, quod nobis aderit ipse propitius, & sua potentia prævalebit. Digne quoque confidimus sic prælatos, barones & populum regni præfati ad Deum & matrem Ecclesiam sincera devotione fervere, & in divinis beneplacitis radicatos, quod non solum te in talibus non confoverent flagitiis, sed zelo fidei, & fervore Christianæ religionis accensi potius in tuos actus reprobandos insurgerent pro conservanda gloria Redemptoris.*

Præsules & proceres pro servanda incorrupta fide operam adversus ipsum conjunturos.

XLI. Egregia ad Ladisl. exhortatio.

*Exurge igitur per te ipsum, & imbutus spiritu salutari, mente consurge; animum tuum regali constantia, & ad Creatorem tuum serena magnanimitate reforma; & illi pure ac simpliciter in-*

*refragabili soliditate studiosius te conforma, & ejus nutibus dirige actus tuos, a quo dependent omnium mors & vita. Exurge, nec tepeas illius te beneplacitis humili spiritu devovere, cujus est proprium misereri semper & parcere. Consurge fortis, & prudenter audi verba, quibus te Christi vicarius alloquitur. Illa sume, sumptaque diligenter attende: nam, te dant causam, deducunt ad vera, ut te ipsum correctione paterna reformes, nec avertas mansuetudinem matris Ecclesiæ filium trahentis ad ubera, ut ipsam materna dulcedine liniat, & reficiat gratia salutari. Et exurgens humiliter de tua vel cujusvis alterius contra Deum potentia non confidas: sicque faciens sicut catholicus Christianus, regalibus circumfultus virtutibus, de quadam Deo placida necessitate virtutem; & in dicto legato personam nostram devote contemplans, sicut nobis in prædictis & aliis legato parere, prætextu cujusquam appellationis indebitæ, vel incauti consilii, non dimittas eidem: sed ei potius sic prompte ac humiliter acquiescas, promptitudine regali corrigas per te in hac parte commissa, & pœnitudine plena, & intentione perfecta places Altissimum, quod nos & dicti fratres per ipsius legati, tuas, prælatorum, & baronum regni præfati literas, & alias etiam optata & Deo accepta gaudia cum efficaci & devota regali promptitudine de tuis actibus, dante Domino, velociter colligamus: ipse quoque pius pater tibi placatus arrideat, solium & regnum prædicta solidet, dirigat, & reformet; ac te dictumque regnum ubertate fœcundet: tuque progenitorum tuorum sequens clara vestigia, quolibet nubilo fugato, reluceas; & plene percipiens nominis divini fragrantiam, & efficaciùs ad amorem ejus allectus, ad dona cœlestis gratiæ valeas tanquam benedictionis filius pervenire: nec cogamur quod faceremus invite, circa hæc alia remedia cogitare. Datum Romæ apud S. Petrum v. id. decembr. anno 11.*

Mixtæ mollibus verbis minæ.

Jubetur legato obtemperare.

XLII. Clades a Lituanis illatæ.

Infelix etiam rerum Polonicarum status extitit: barbaros enim Poloniæ magno terrore se infudisse, atque in Christianos debacchatos refert Joannes Longinus (*a*): additque hoc anno duos cruciferos equites a Lithuanis gentibus, qui in Poloniam irruperant, captos flammisque expositos divina virtute, barbaris miraculi magnitudine stupore percussis, ereptos. *In particulari* inquit, *quodam certamine & congressu cruciferi de Prussia de domo Theutonica a Lituanis gentilibus devicti, cum inter alios captivos duos quoque offendissent cruciferos, utrumque exquisitis cruciatibus destinarunt necandum. Propositum itaque executuri, primum in editiori arbore proprio equo alligatum vivum cum equo una cremandum, altero coram in spectaculum adducto, distendunt: & igne ingenti extructo, equus quidem illico torrente igne videbatur voratus & consumptus: super crucifero vero aperto cœlo splendor cœlestis demissus, ignis ardorem in varias partes restringens, corpus cruciferi reddidit inustum. Cœlum tandem splendor ille, ex quo prodierat, repetiit, cum quo simul, & corpus cruciferi in similitudine virginis pulcherrimæ mirantibus & stupentibus cunctis barbaris adeo, quod nec ullum corporis illius relinqueretur vestigium, conscendit.*

(*a*) Longin. hist. Pol. l. 7. hac ann.

Duo religiosi equites injecti ignibus divinitus erepti.

*Verum dum perfidia Lituanica non virtute divina id actum, sed carminibus & incantatione id procuratum censeret, alter superstes crucifer in arboris rima mper secures & cuneos violenter introductam includitur: elisisque excussisque cuneis, arbore in suam naturam redeunte, durissima pressione ab arbore tortus, pyra extructa, vivus urebatur. Hunc quoque avis quædam niveo candida colore, nunquam alias conspecta, de flammæ medio ereptum deferre, attonitis supra modum barbaris & Christianorum Deum magnum, suisque cultoribus benigna & propitia dona largientem profitentibus, visa est in cœlum.* Hæc auctor. Confirmant vero, quæ de barbarorum irruptione diximus, pontificiæ literæ ad Philippum episcopum Firmanum in Ungaria, Polonia, regnisque finitimis A. S. L. Is enim, ubi pluribus Gnesnensis provinciæ vastitatem illatam a barbaris luxisset, significaverat Pontifici, Martino archiepisc. vita functo, Gnesnensem ecclesiam ancipiti contentionum æstu fluctuare: cui Pontifex hæc rescripsit (*b*).

(*b*) To. 1. l. 2. ep. 199. & cod. Vall. sig. lit. C. n. 40. p. 74.

*Venerabili fratri Philippo episcopo Firmano Apostolicæ sedis legato.*

XLIII. Deplorat illius clades Pont.

*Quæ de statu, immo casu miserabili Gneznensis ecclesiæ ac populi Christiani partium illarum tuæ, nec non dilectorum filiorum præpositi, decani, & capituli ejusdem ecclesiæ, ac quorumdam prælatorum partium earumdem, literæ missæ nuper lamentabiliter referebant; nobis & fratribus nostris amaritudinis præsentavere materiam, & accelerandam gratiosæ provisionis misericordiam implorabant. Habet enim literarum ipsarum assertio, quod eadem Gneznensis ecclesia, quæ diu antea pastore vacarat, & nunc per mortem bonæ memoriæ Martini de ordine Prædicatorum, quem in archiepiscopum eidem præfeceramus ecclesiæ vacare dignoscitur, tam per tyrannidem paganorum fidem persequentium Christianam, quam per temeritates & insolentias plurium aliorum non solum in suis bonis & juribus, gravibus est attentato molestiis & deducta in pau-*

Gnesnensis provinciæ post Martini archiep. mortem infelix status.



*paupertatis opprobrium; sed & in personis populi, pastoris ejusdem ecclesiæ curæ commissi, enormibus est convulsa dispendiis non sine fidei ejusdem injuria, & gravi, proh dolor! periculo animarum, cum sicut eædem literæ continebant, diebus istis præter numerosam stragem hominum, quos paganorum ipsorum crudelitas inhumana peremit, multitudinem copiosam juvenum dicti populi eorumdem paganorum violentia fidem eandem abnegare coegerit, & pertraxerit ad gentilitatis errorem.*

*Habebat insuper earumdem literarum adjectio, quod dicti præpositus, decanus, & capitulum post obitum præfati archiepiscopi pro futuri substitutione pastoris, sicut moris est, convenientes in unum; Spiritus sancti gratia invocata dilectum filium Vvolstiberium canonicum Gneznensem, virum utique providum & discretum, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectum, in Gneznensem archiepiscopum canonice ac concorditer elegerunt, nuntiis ad tuam præsentiam destinatis, primo ad excusandam dicti electi absentiam, & commissionem hujusmodi negotii a te in illis partibus impetrandam, & demum ad petendam confirmationem electionis ipsius. Sed tu, cum nondum partes illas intrasses, variis & arduis in regno Ungariæ occupatus, nec commode, præsertim absque periculo incumbentium solicitudini tuæ in regno prædicto ipsius negotii vacare posses examini, eligens Apostolicæ sedi deferre, ad illam dictum negotium præmisisti, humiliter supplicans illud celeriter expediri, ad id eorundem prælatorum, præpositi, decani, & capituli devota supplicationis instantia, memoratis inserta literis, concurrente, &c.* Provinciam imponit legato, ut si Wolstiberium rite electum compererit, ipsum apostolica confirmet auctoritate, ac finitimis vocatis episcopis sacris pontificalibus initiandum curet. *Dat. Romæ apud S. Petrum. x. kalend. januarii anno* 11. Infensum Wolstiberio fuisse Lestconem Nigrum Cracoviensem & Siradiensem ducem, Poloniæ principem, refert Longinus (*a*): atque ideo Wolstiberium, quamvis jure fretum, adversus potentiam & opes contendendum non duxisse, cum lis extraheretur; cœptisque destitisse; abiisse dignitate delata sibi concordibus suffragiis, coram Philippo episcopo Firmano Apostolicæ sedis legato, restatur Martinus IV. (*b*) ac de in a se Henricum de Bren Minoritam, generis claritate & virtutum ornamentis conspicuum, ad Gnesnensem sedem vocatum: eo vero archiepiscopalis dignitatis apices attrectare respuente, Jacobum a Gnesnensium canonicorum collegio archiepiscopum designatum, sedisque Apostolicæ auctoritate confirmatum.

Wolstiberius designatus archiep.

(*a*) Longin. hist. Pol. l. 7. Cedit jure Wolstiberius.

(*b*) Martin. IV. to. 1. l. 3. p. 133. ep. 50.

XLIV. Ne diutius ecclesiæ pastoribus orbatæ sint, pont. constitutio.

Cum funesta experientia compertum satis esset, quanta ecclesiis damna diuturna vacatio inveheret, quantæ ex eo animarum strages, ecclesiasticorum bonorum jacturæ sequerentur; ad abscindendam malorum causam Nicolaus constitutionem edidit, qua in hujusmodi casibus ad sedem Apostolicam accedendum, quemadmodum etiam ante Gregorius, ut huic malo mederetur, decreverat, sancitum est (*c*).

(*c*) To. 1. l. 2. ep. cur. 12. ext. etiam in 6. c. Cupientes de elect. & electi potest.

*Nicolaus &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Cupientes ecclesiarum vacationibus periculosis occurrere.* Et infra: *Hac generali, & in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut omnes electi cathedralium, vel regularium ecclesiarum, quorum electionum confirmationes vel infirmationes ad ipsius sedis examen deducit immediata subjectio, vel appellatio interjecta devolvit, infra unum mensem post consensum, vel post obtentam de ipsorum electione notitiam, si eam debito tempore non contingeret præsentari, ad sedem ipsam iter arripiant. Et ex tunc sive infra præscriptum mensem iter arripuerint, sive non, absque fraude quamcito commode poterunt locorum considerata distantia, petituri suarum electionum confirmationes, vel prosecuturi electiones suas, quibus potuerint modis licitis comparere cum omnibus actis, juribus, & munimentis suis, & processus suos contingentibus, coram nobis personaliter teneantur.*

Justi electi præsules excurrente constituto tempore, confirmationem a Rom. Pont. poscere.

XLV.

*Quod si per viginti dies post lapsum ex qualitate locorum moderandi temporis expectati, sive eligentes seu opponentes venerint, sive non personaliter comparere, & suarum electionum confirmationem, vel prosecutionem, seu executionem petere nulla justa causa interveniente contempserint; de qua infra prædictos viginti dies proposita infra quindecim dies post tempus hujusmodi, coram nobis, vel alio, seu aliis, deputando, vel deputandis a nobis, si admittenda videbitur, teneantur apud sedem ipsam facere plenam fidem: nisi vel infra eosdem viginti dies, seu prædictos quindecim eo casu tantum, cum ad prædictam causam propositam, ut prædicitur, & admissam probandam concessi fuerint, talia & tam verisimilia proponi contingeret, quæ judicio præsidentis electos ipsos ab infrascripta pœna merito excusarent, & propter quod forsitan videretur eidem ad prædictam comparitionem tempus prolixius indulgendum. Insuper etiam eo casu, quo ad personalem electorum comparitionem excusandam aliquam justam causam proponi contigerit, vel admitti: nisi tunc infra idem tempus*

Inflictæ iis, qui jussa violarint, pœnæ.

*pus, justo impedimento cessante, per procuratorem ad præmissa omnia sufficienter instructum, & nihilominus ipsa causa cessante, ut præmittitur, se personaliter præsentarint; electiones de ipsis factas eo ipso viribus vacuantes, ipsos omni jure, si quod eis per electionem hujusmodi quæsitum esset, decernimus esse privatos. Electos vero qui se sine actis, juribus, & munimentis suis & processus suos contingentibus personaliter, vel per procuratorem, ut præmittitur, præsentarint, eos volumus ex contemptu constitutionis hujusmodi eo casu pœna percelli, ut pro exhibendis illis alibi quam apud sedem ipsam, nisi ex justa causa, non possint dilationem aliam obtinere, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum idibus decembris pontificatus nostri anno* II.

XLVI. Cum nonnulla postea in iis dubia emergere possent, ad ea illustranda sequenti anno ineunte alteram Nicolaus adjecit (*a*).

(*a*) Eod. l. 2. ep. cur. 13. Superioris constitutionis declaratio.

*Nicolaus &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Quia leges & constitutiones in sui promulgatione sic regulant futura negotia, quod præterita vel pendentia dispendiis non commendant, nisi nominatim in eis de præteritis & adhuc pendentibus caveatur, constitutionem, quæ incipit Cupientes, quam de eligentibus & electis, postulantibus & postulatis, ac se opponentibus, & prædictorum omnium comparationibus, prosecutionibus, expensis, & pœnis nuper edidimus, vacantium ecclesiarum utilitate pensata, etiam in præteritis, seu in judicium jam deductis, electionum seu postulationum negotiis præsenti constitutione eo moderamine decernimus observari, ut virtus ejus, prout ipsorum negotiorum status & qualitas patientur, sic in veniendo, comparendo, prosequendo, expensas ministrando, eligentes, electos postulantes & postulatos, ac se opponentes in eisdem præteritis, & judicio pendentibus negotiis ab eo tempore, quo verisimiliter possit ad eos præsentis constitutionis editio pervenire, omnes astringat; quemadmodum ex sui forma, suis determinationibus, modis, pœnis & terminis in futuris negotiis coarctabat. Nulli ergo &c. Dat. Romæ apud S. Petrum non. februarii pontificatus nostri anno* III.

De editis hisce constitutionibus meminit Ptolemæus Lucensis (*b*) in historia ecclesiastica his verbis: *Hic etiam quandam formam circa electos tradidit, sive in concordia sive in discordia sint electi, quantum ad tempus suæ præsentationis, quam habes c. Cupientes. Multas enim constitutiones fecit fructuosas pro bono statu clericorum, prout in suis titulis continetur.*

(*b*) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 21. c. 29.

Adjungendum his visum est, Joannem electum patriarcham Hierosolymitanum precibus a Pontifice elicuisse, (*c*) ut gerendi muneris liber renuntiaretur, atque in illius locum Eliam suffectum (*d*) & pallio exornatum: (*e*) præterea Nicolaum adversus Regis Francorum, & principum Brabantiæ, ac Lotharingiæ, Burgundiæ & Atrebati gratiam, Petrum episcopum Bajocensem insectantium, illius patrocinium arripuisse. Postulabatur is læsæ majestatis ac improbæ gestæ legationis, cum ad fatidicam anum Brabantinam pro explorando auctore veneficii, quo Ludovicus major natu Regis filius extinctus putabatur, missus esset, gravioribusque criminibus appetebatur. Quæ cum non probarentur, negavit Pontifex constantissime, nisi de objectis convictum damnari posse: atque principum, Reginæ Mariæ iras ulcisci cupientium, animos his literis (*f*) delinire est conatus.

XLVII.

(*c*) Lib. 2. ep. 24. (*d*) Ibid. ep. 158. (*e*) Ibid. ep. 159.

Petri Bajocen. episcopi contra proceres Gallos causa suscepta.

(*f*) Ext. in cod. Vallic. sig. lit. C. n. 49. p. 40.

*Nicolaus, &c. Dilectis filiis nobilibus viris Joanni Brabantiæ & Lotharingiæ, Roberto Burgundiæ ducibus, & Roberto comiti Atrebatensi salutem &c.*

*Quæ querelæ causa, si successori Petri & vicario Jesu Christi quamquam immerito, conscientia reclamante non libuit, quia nec licuit, ita cujusquam deferre potentiæ, ut per eum contra justitiam alius opprimatur; aut de immutatione status ipsius episcopi gratiam facere, quam cum de sufficienti ad hoc nobis causa non constet, casus instantis qualitas, ut taceamus absurditates alias, quæ perinde sequerentur, absque gravi ejus, & canonicarum traditionum præjudicio non admittit; cum tamen etiam sæcularis vox illa sit principis: In alterius injuriam beneficia concedere nequaquam nostri moris existit. Advertite itaque qualis vobis subsit admirandi ratio; quæ materia querelandi, si decenter, si rationabiliter fuerit in earumdem literarum vestrarum calce subjunctum, quod corda vestra in quiete, vel pace non erunt, donec in statu, in quo est ad præsens, idem negotium permanebit. Non enim credere possumus, quod corda vestra molestet, si Apostolica sedes, quæ libram justitiæ gestare dicitur in manibus observantiæ juris obsequitur, & stateram judicii non subvertit. Id enim opinari de vobis consideratio gentis ac generis cujusque vestrum fama laudabilis non permittit. Quorsum itaque dictorum verborum tendit intentio? Nunquid personalem offensam memorati episcopi verba eadem comminantur? Nempe si quantum illa divinam majestatem offenderet in tanti sui offensione ministri, quantum vestram magnificentiam dedeceret, & foret a generositate vestra, & prædecessorum vestrorum actibus*

XLVIII. Beneficia in alterius injuriam non concedenda.

Davidis Sauli parcentis exemplo duces, ut ignoscant episcopo hortatur.



*bus aliena, quam grave in universali Ecclesia scandalum generaret? Quomodo non posset aliquatenus ab ea sub dissimulatione transiri, vel cum patientia tolerari consulta, ut expedit, attentione, pensetis, motus tales, quos immittere solet malorum incentor, ipsiusque ministri, eximii prophetarum reprimentes exemplo; qui cum sibi suggereretur a suis, ut in Saul ipsum infestæ persecutionis instantia persequentem suo arbitrio in spelunca per opportunitatem casus expositum hujusmodi persecutionis molestias vindicaret; silenter chlamydis illius ora præcise, ut illam evidens rei gestæ haberet insigne, cor suum pro hoc ipso percutiens: Propitius, inquit, sit mihi Dominus, ne hanc rem faciam, ut in eum, cum sit Christus Domini, manum mittam; nihilque sibi læsionis intulit, nihil injuriæ irrogavit: sed & viros suos ejusmodi sermone confregit, & in illum consurgere non permisit. Datum Romæ* V. *idus julii pontificatus nostri anno* II.

XLIX. Tripolitanus episc. a Boamundo principe exagitatus.

Suscepit pari constantia, & integritate Nicolaus Papa episcopi Tripolitani causam, quem Boamundus comes Tripolitanus, iniquis impulsus consiliis, una cum Italis ac Templariis affectum gravissimis injuriis Tripoli pepulerat: profugumque ad sedem Apostolicam Germanicæ legationis munere exornatum, missumque ad Rodulphum, ut illum inter & Carolum Regem Siciliæ fœdus conciliaret, vidimus. Cum vero infelix princeps juventutem deforqueret ad scelera, ac religionem Christianam in discrimen coniiceret, ne a Saracenis prosterneretur, illum Pontifex hisce literis acerrime perstrinxit (*a*).

(*a*) To. 1. l. 2. ep. 112.

*Nicolaus, &c. Nobili viro Boamundo principi Antiocheno comiti Tripolitano.*

*Ad audientiam apostolatus nostri pervenit, quod tu non attendens, ut convenit, quod venerabilem fratrem nostrum P. episcopum Tripolitanum te decet tam ratione officii pontificalis, quo præeminet, quam etiam consanguinitatis, qua sibi nosceris conjunctus, intimæ dilectionis affectu prosequi ac multipliciter venerari; eumque ac Tripolitanam ecclesiam tamquam devotionis filium non solum aliquibus injuriis non afficere vel molestiis perturbare, verum etiam ipsos a quibuscumque tuæ ditioni subjectis, eos indebite molestantibus, potestate tibi tradita defensare; sed ad injurias & gravamina ejusdem episcopi ad suggestionem forsitan aliquorum, qui tuum non zelantur commodum, vel honorem aspirans dictum episcopum præter atroces injurias, & gravamina, per te ac tuos sibi suæque familiæ irrogata Dei timore ac reverentia, quam ad ipsum episcopum tanquam patrem spiritualem habere teneris, postpositis, ab episcopali sede Tripolitana ausu sacrilego ejecisti.* Et interjectis nonnullis de bonis occupatis & clientibus divexatis, subjungit.

Templarii ob suscepta illius partes expugnati.

*Nec iis contentus, dum dictus episcopus in domo militiæ templi Tripolitani maneret, in qua se propter metum, qui cadere poterat in constantem, cum sua familia receptarat, contra episcopum ipsum tam Christianorum quam Saracenorum exercitu congregato, eum in domo ipsa hostiliter obsedisti, erectisque pluribus machinis contra ipsum ac demum eodem episcopo de dicta domo turpiter, & violenter ejecto, eandem domum nequiter invasisti, bonisque omnibus inventis ibidem ablatis, deputasti ad ejus custodiam Saracenos, Dei nomen in illa jugiter blasphemantes, ut quæ domus Deo & orationis esse consueverat, fieret infidelium synagoga. Nec expavisti ad sanctorum reliquias & alia divino cultui dedicata sacrilegas manus extendere, illa irreverenter de dictæ domus sacrario asportando. Propter quæ, ac alios manifestos excessus, per te contra eosdem episcopum & ecclesiam Tripolitanam commissos, tam tu, quam alii eorumdem excessuum patratores auctoritate ipsius fuistis excommunicationis sententia innodati; & demum tuis & tuorum culpis exigentibus, Tripolitana civitas eadem auctoritate fuit supposita ecclesiastico interdicto, & in illos qui interdictum hujusmodi non servarent, similis excommunicationis sententia promulgata.* Pergit Pontifex exprobrare ecclesiasticos ab ipso vinculis mancipatos, ac sacra profanare jussos, religiosos viros, & moniales atrocibus affectos injuriis: tum hæc addit.

Sarracenorum in iis turbis insolentia.

Districtæ in Tripolitanos censuræ ab episcopo.

*Græcos quidem, quos ab obedientia Romanæ ecclesiæ vetus error abduxit, non permittis ad unitatem & catholicæ sedis obsequium, juxta quod majores eorum Romanæ ecclesiæ promiserunt in concilio Lugdunensi novissime celebrato, & tam eos quam alias personas ecclesiasticas diversos ritus habentes, quæ Romanæ ecclesiæ obedientes existunt, cujuscumque sint ordinis & dignitatis ecclesiastica libertate uti non sinens, eos capi & incarcerari facis, & cogis redimi sicut servos. In quosdam insuper Italicos præsertim Romanos, qui zelo fidei ac devotionis accensi ad partes se contulerant transmarinas, intendentes illic personaliter se Crucifixi obsequio deputare; quosque quondam Boamundus princeps Antiochenus pater tuus, de ipsorum strenuitate, consilio, ac probitate confisus, eos ad propriæ personæ custodiam suæque terræ munimen suscepit, illos tanquam sibi & eisdem terræ perutiles decentibus feudis & stipendiis honorando, qui ei dum viveret,*

L. Nefarium Boamundi facinus.

*ret, grata servitia fideliter impenderunt; immaniter sæviens, oblitus servitiorum hujusmodi, dictique patris erga ipsos vestigia non secutus, eorum aliquos crudeliter perimi, quosdam in tua domo & alibi acerrimis cædi verberibus, aliquos diversis contumeliis affici impune permittens, reliquos per te bonis suis omnibus destitutos cogis miserabiliter mendicare.* Objurgat etiam illatas a patre Tripolitanæ ecclesiæ injurias, quas ille morte oppressus, ut a Gregorio X. erat jussus, sarcire non potuerat, non refecisse, subiicitque.

LI. Objurgatio pontificia ad Boamundum.

*Attende fili diligenter, & respice. Sunt præmissa quæ de te dicuntur opera Christiani? Sunt hæc laudabilia tuæ primordia juventutis, in qua zelo fidei & divinæ fervore dilectionis accensus, pro defensione matris Ecclesiæ totum te debes exponere, totum dare? Quo animo nos, & nostræ jurisdictioni subditos ad succursum Terræ sanctæ disponimus, quo exemplo ad id Reges, & principes de totius mundi finibus invitamus, cum te, ipsorum suffragiis non modicum indigentem, tam dirum ipsius ecclesiæ Tripolitanæ jurium, & libertatum ipsius persecutorem conspicimus, & in fideles Christi sævire tam crudeliter intuemur reprehensibiliter? Quippe contra infideles ipsos nostra dirigeretur intentio, postquam te, a via veritatis errantem, videamur ad devotionem matris Ecclesiæ revocasse. Ecce qualis de te fama circumvolat, qualem te futurum esse demonstras, quales etiam de te fructus expectantur in posterum, qui malitiis tempestive deditus jam in flore marcescis. Nec attendis quantum indiges divinæ veritatis auxilio, quantumque tibi posito in medio nationis perversæ Apostolicæ sedis expediat provisio repentina, qui clausis oculis sanæ mentis erigendo male verticem contra Deum, Tripolitanam ecclesiam, immo fidem diversis afflictionis jaculis impugnasti, ad cujus devotionis obsequia etsi te præmiorum merita repromissa fidelibus non invitant, deberet saltem Dei timor, & Apostolicæ sedis ira terrere, quæ quantumcumque in molestatores suos, cujuscumque excellentiæ & dignitatis, vindictam differat ultionis; finaliter tamen verbo virtutis & opere destruit cornua superborum. Quod in diebus tuis, si bene respicis, multis Regibus & principibus, erigentibus calcaneum contra eam, invenies accidisse.*

Intentatæ ei minæ.

*Nec credas, quod abbreviata sit dextera Domini, & Apostolicæ sedis potentia imminuta, ut te, quamvis in remotis positum, apprehendere nequeat manus nostra: sed quia te affectu paterno diligimus, emendationem tuam ex nostris monitis expectamus. Recordare quanta prædecessores tui exhibuerunt ecclesiæ Romanæ servitia, quantaque illis provenerunt, ex ipsius Ecclesiæ studiis incrementa: & dum a prædecessorum ipsorum nobilitate per præmissos actus degenerasse conspexeris, & Apostolicis te fecisse beneficiis alienum, exuto vetere homine cum actibus suis; amotis etiam a te consiliariis, qui tam pravis moribus tuam instruunt juventutem; novum hominem, qui secundum Deum creatus est, per quem Creatori tuo & nobis placere valeas, induas: ne forte, quod absit, in ipsis operibus pertinaciter perseverans, acriorem in te vindictam excipias, quam quidam prædecessorum tuorum, ab ipsius Ecclesiæ devotione recedens in amissione civitatis Antiochenæ justo Dei judicio noscitur excepisse: cujus pœna transivit in posteros, & in te, fili, patenter agnoscis quandiu Antiochena civitas infidelibus subjacet, tuus scilicet titulus dominii principalis, &c.* Addit mixta precibus imperia, ut excurrente octimestri oratores ad sarcienda ecclesiæ Tripolitanæ damna mittat: ac si in pertinacia obduruerit, minas intentat, divinas humanasque pœnas se districturum, ac Templarios, Hospitalarios, & Theutonicos equites in ipsum concitaturum. *Dat. Romæ apud S. Petrum kal. junii anno* II.

Provocat, ut exemplo majorum, qui Antiochiam amisere, instruatur.

Retulit justa tantorum scelerum, ad quæ juventutem detorserat, præmia Boamundus, ut enim antea a Saracenis Antiocheno principatu majores ob cumulata Antiochenorum flagitia exutos luximus; ita Tripolis aliquot post annis a barbaris expugnata deploranda erit.

LII. Addimus ad hujus anni calcem confirmatas a Nicolao literas (*a*) Gregorii IX. a nobis suo loco allatas, in quibus Pontifex impressa Christi stigmata S. Francisco fuisse testatur, atque ex iis illum potissimum motum, ut sanctum virum in aliorum sanctorum albo collocaret; quas literas, concepris expressas verbis, suis inseruit; ad quæ novatores veteri in religiosos viros ad rem traducendam odio imbuti alludunt, dum ajunt (*b*): *Nicolaus III. sub annum salutis* 1280. *literas de stigmatibus S. Francisci passim in orbem Christianum emisit.* Addidit etiam suam S. Francisci institutis auctoritatem, (*c*) quæ a Gregorio decimo in Lugdunensi concilio confirmata meminit: aliisque literis Honorii III. diploma corroboravit, (*d*) quo ille S. Francisci disciplinam ab Innocentio III. approbatam confirmabat.

(*a*) *Eod. l.* 2. *ep.* 155. *extat etiam apud Vvading. in regesto ad to.* 2. Greg. lit. de Stigm. S. Francisci a Nicolao confirmatæ.
(*b*) *Cent.* 13. *c.* 7. *col.* 720.
(*c*) *Eod. l.* 2. *ep.* 156.
(*d*) *Ib. ep.* 157. Franciscanæ vitæ formula ab eod. corroborata.

An-



I. Ad pacem inter principes concilian. incumbit Pontif.

ANno tertiidecimi sæculi octuagesimo, indictione octava, Nicolaus Papa ad conciliandam, uti cœperat, inter principes Christianos ac populos concordiam, omne studium suum extremo hoc pontificatus sui tempore explicuit: ac decreta in primis ad Rodulphum Romanorum Regem legatione, quam Tripolitanus episcopus obibat in Germania, solicitavit, (*a*) ut cum Siculo Rege firmam pacem contraheret, ac legati, quem strenue ad munus incumbere (*b*) jussit, monitis obtemperaret: *Serenitatem*, inquit, (*c*) *regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus ejusdem episcopi*, nimirum Tripolitani, *circa præmissa suasionibus & consiliis regali mansuetudine acquiescens; & mentem nostram, ac ejusdem Regis affectum, nec minus effectum ex tanti, & talis negotii consummatione, Deo propitio, inspiciens; sic præmissa, quæ ut accepimus quieti tuæ utilia dignoscuntur, præcordiis tuæ serenitatis ascribas; sic omnia, & singula observes, & quiete ac prompte perficias, quod eis felici consummatione completis, de solicitudinibus & laboribus nostris in prædictis adhibitis oblata gaudia, sine debito solicitudinibus ipsis imposito, colligamus: & tu, ac dictus Rex, & dilectus filius nobilis vir Carolus princeps Salernitanus primogenitus ejus, regnaque ac terræ vestra serenis successibus ad laudem divini nominis, juxta nostra desideria, concurratis. Datum Romæ apud S. Petrum* x. *kal. februarii.*

(*a*) *To.* 2. *l.* 3. *ep.* 7.
(*b*) *Ib. ep.* 8.
(*c*) *Ead. ep. sup.* 7. Hortatur Rodulphum ut pacis tractatum confirmet.

II. Assentitur Rodulphus Pontifici.

Assensit mox pontificiis monitis Rodulphus Romanorum Rex, utque antea a Nicolao diutius agitatum fuerat, Provinciæ comitatum Imperii fiduciarium Carolo attribuit. Ne vero Margaritæ Francorum Reginæ juribus detraheret, professus est sui non esse consilii ea ullatenus labefactare; ac si in imperiali aula judicio experiri vellet, secundum leges sententiam latum iri. Provinciali etiam clero sua omnia jura assertum iri est pollicitus, edito subjecto diplomate eadem penitus verborum forma, qua a Benedicto Anagnino (qui postea, ut videtur, multos honorum gradus ob singularem peritiam emensus, adeptusque pontificatum Bonifacii VIII. nomen accepit) & Matthæo Card. quibus describendarum concordiæ legum provinciam Nicolaus demandarat, (*d*) conceptum est.

Descriptæ a Matthæo Card. & Benedicto Anagn. pactiones.
(*d*) *Ib. ep.* 10.

*Rodulphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus venerabilibus archiepiscopis, episcopis, cæterisque comitatus & marchionatus Provinciæ, ac comitatus Folkalker ecclesiarum prælatis devotis suis prædilectis gratiam suam, & omne bonum.*

Rodulphi diploma de attributa Carolo Provincia.

*In quibuslibet nostris actibus ecclesiis, & personis ecclesiasticis gratificari solicitis studiis affectantes, earum dispendia, quantum nobis ex alto permittitur, evitamus. Licet igitur comitatum, & marchionatum Provinciæ (intendentes hæc duo nomina, scilicet comitatum & marchionatum esse synonyma, & unum, non diversa supponere) ac comitatum Folkalker cum omnibus jurisdictionibus, juribus, & pertinentiis eorumdem; ac omnia, quæ infra comitatus ipsos consistentia, Romanorum Imperatores per eorum privilegia quondam domino Raymundo Berengario comiti & marchioni Provinciæ, ac comiti Folkalker, ipsiusque prædecessoribus donaverunt per speciale privilegium, confirmemus, concedamus, & de novo tam domino Carolo Regi Siciliæ illustri ad vitam suam, si tantum voluerit, quam heredibus Regis ejusdem, qui processerunt ex eodem Rege & claræ memoriæ Beatrice Regina Siciliæ consorte sua; & omnibus heredibus, & successoribus eorumdem in feudum sub consuetis censu & servitiis præstandis in posterum ab eisdem Rege, heredibus, & successoribus in perpetuum possidenda, donemus; & promittentes quod per nos, vel alium, seu alios nullam donationem, confirmationem, investituram, concessionem, vel contractum, aut aliquid cum domina Margarita Regina Francorum illustri vel ejus procuratoribus aut nuntiis seu aliis quibuscumque personis ecclesiasticis vel sæcularibus fecimus, per quæ hujusmodi confirmatio, de novo donatio, sive concessio, aut aliquid, quod in eodem concesso dicto Regi super iis privilegio continetur, habere non possit, vel debeat firmitatem, vel per quæ confirmationi, donationi, & concessioni prædictis, ac iis, quæ in dicto privilegio continentur, aliquod afferri possit vel debeat nocumentum, seu prædictorum confirmationis, donationis, concessionis, & aliorum contentorum in privilegio supradicto effectus aliquatenus impediri circa ea, quæ forsan extra comitatus eosdem prædicta donatio Imperatorum comprehenderet eorumdem; nihil ad præsens penitus innovato, declaraverimus, ordinaverimus, decreverimus, statuerimus, ac expresse facturos, & curaturos nos specialiter obligaverimus, quod per ea, quæ facta sunt a nobis, prædictæ Reginæ Franciæ nullum omnino præjudicium fiat, Regi, & heredibus, ac successoribus supradictis, vel in jure præterito, quod eis in prædictis comitatibus competebat, seu competit,*

Consultum ambiguis juribus Margaritæ Reginæ.

Et Provincialis cleri.

*tit, vel iis quæ in confirmatione ac concessione prædictis continentur; nihilominus tamen declaramus, ordinamus, decernimus, atque statuimus, quod per confirmationes, donationes, & concessiones comitatuum eorundem ecclesiis & personis ecclesiasticis illarum partium nullum omnino præjudicium generetur: cum intentionis nostræ sit earum jura non imminuere, sed augere.*

Dubiorum interpretatio reservata Pontifici.

*In omnibus autem & singulis supradictis, plenariam interpretationem & declarationem Romano Pontifici ad præsens, & in posterum reservantes, ejus interpretationem seu declarationem faciendam etiam simplici verbo nos servaturos specialiter auctoritate præsentium obligamus; promittentes nihilominus prædicta omnia & singula, postquam imperiale diadema, dante Domino, susceperimus renovare ad majorem & perpetuam firmitatem. Actum & datum Viennæ v. kal. aprilis indict. VIII. anno Domini MCCLXXX. regni vero nostri anno VII.*

III. Profitetur Carolus Rex Siciliæ pacem cum Imperio servaturum.

Donatus Carolus a Rodulpho Romanorum Rege Provinciæ & Folkalkerii comitatibus, Imperii fiduciariis, ut diu ante, interprete fœderis Nicolao, conventum erat, publicis tabulis spopondit (*a*), Imperii terras non occupaturum, nec cum Rodulphi hostibus coitiones ullas unquam initurum; ac si fidem infringeret, suis clientibus defectionem permisit.

(*a*) Ext. apud Nic. III. to. 2. l. 3. p. 105. n. 25. & Mart. IV. to. 2. p. 5. inserta ep. 11.

*Carolus Dei gratia, Rex Jerusalem, Siciliæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, princeps Achajæ, Andegaviæ, Provinciæ Folkalker & Tornodori comes universis præsentes literas inspecturis. Ad perpetuam rei memoriam.*

Regiæ ea de re literæ.

*Munificentiæ gratiam, & affabilitatis affectum, quibus magnificus princeps dominus Rodulphus Romanorum Rex nos & domum nostram prosequitur cognoscentes; ac intendentes Regem ipsum & Romanum Imperium debitæ gratitudinis studio revereri, promittimus pro nobis & heredibus nostris, quod nos vel ipsi heredes per nos vel per alios non offendemus Regem eumdem in aliquo, nec volentibus ipsum offendere præstabimus consilium, auxilium, vel favorem, publice vel occulte. Imperium etiam, vel aliquam ejus partem non occupabimus, vel invademus per nos vel per alios, nec occupari vel invadi procurabimus; nec invadere vel occupare tentantibus præstabimus consilium, auxilium, vel favorem, publicum, vel occultum: in iis auctoritate & mandato Romani Pontificis vel sedis Apostolicæ semper salvis. Vassallos quoque nostros, contra prædictorum aliquod facientes, pro posse bona fide compescemus, & puniemus, salvis auctoritate, & mandato prædictis. Et si nos contra prædicta, vel aliquod prædictorum, quæ superius de Imperio loquimur, faceremus, liceat omnibus & singulis ecclesiasticis & sæcularibus principibus, baronibus, vassallis, & collegiis ac communitatibus regni Siciliæ, ac totius terræ, quæ est citra Farum usque ad confinia terrarum Romanæ ecclesiæ, quæ ab ipsa tenemus ecclesia, & omnium aliarum terrarum nostrarum, quæ sunt in eodem imperio, ad mandatum eorundem Rom. Pontificis, vel Apostolicæ sedis, juvare prædictum Regem, & Imperatorem Romanorum contra nos & heredes eosdem ad defensionem Imperii, & pro eo quod juvabunt Imperatorem, vel Regem prædictum ad defendendum Imperium contra nos, & heredes eosdem, non reputentur aliquid egisse, vel agere contra homagium, vel fidelitatem ab ipsis præstita, vel præstanda nobis & heredibus supradictis; & quod propter auxilium, vel juvamen, quod in hoc casu ad mandatum Romani Pontificis, vel sedis Apostolicæ prædictorum præstabunt Imperatori vel Regi Romanorum, nullum damnum, detrimentum, vel jacturam ipsi, vel eorum heredes in feudis & terris, quæ in regno Siciliæ, ac tota terra prædictis tenent, incurrent vel accipient; & quod homines, seu vassalli regni Siciliæ non teneantur obedire nobis, volentibus per nos, vel alium Imperium, vel aliquam ejus partem, ut dictum est, occupare, invadere, seu offendere in aliquo, salvis auctoritate & mandato Romani Pontificis, vel sedis Apostolicæ prædictorum. Præterea inimicos Regis ejusdem non juvabimus contra ipsum, salvis auctoritate & mandato prædictis, & excepto quod si nos haberemus guerram contra eandem Rom. ecclesiam, vel ipsa Ecclesia contra nos, posset idem Rex dictam Ecclesiam libere adjuvare: & si prædictus Rex haberet guerram contra Ecclesiam prædictam, vel eadem Ecclesia contra ipsum, libere nos memoratam Ecclesiam adjuvare possimus.*

Si promissa infregerit, solutos fidei sacramento Siculos renuntiat.

IV. Qua ratione fœderatos juvare possit.

*Possit etiam Rex prædictus Regem Ungariæ juvare in defendendo, sed nec de hominibus Imperii possimus nos alicui servire contra Regem Romanorum, vel Imperatorem, nec de hominibus Regis Franciæ servire teneamur alicui contra ipsum. Possimus quoque & nos Regem Ungariæ in defendendo juvare, salvis in his auctoritate ac mandato Romani Pontificis, vel sedis Apostolicæ prædictorum. Possimus etiam juvare Regem Franciæ, ut tenemur. Quod si forte, quod absit, inter eundem Regem Romanorum, & nos aliqua discordia oriretur, unus non movebit propter hoc guerram alii, nec terram, vel vassallos alterius molestabit per se, vel per alios; salvis mandato & auctoritate Ro-*



*Romani Pontificis, vel sedis Apostolicæ supradictis: sed recurremus ad Romanum Pontificem, & super hujusmodi discordiis præfatus Rex Romanorum, & nos stabimus dicto memorati Romani Pontificis, si forsan inter nos nequiverimus concordare. Super his autem omnibus, & singulis plenarie observandis absolute ac libere Romano Pontifici spiritualiter, ac temporaliter nos tenore præsentium duximus submittendos. In omnibus autem & singulis supradictis consensimus expresse, ut in eisdem omnibus & singulis plenariam interpretationem & declarationem eidem Romano Pontifici ad præsens & in posterum reservantes, ejus interpretationem, seu declarationem faciendam, etiam simplici verbo, nos servaturos specialiter auctoritate præsentium obligamus: promittentes nihilominus prædicta omnia & singula, postquam præfatus Rex imperiale diadema susceperit, renovare ad majorem & perpetuam firmitatem. Præmissa vero omnia, & singula juramento corporaliter præstito promittimus inviolabiliter observare, &c. Actum Neapoli anno Domini MCCLXXX. die x. maii VIII. indict. regnorum nostrorum Jerusal. an. IV. Siciliæ vero XV.* Tandem ea pax anno sequenti coaluit: ipsiusque sancitæ leges a Martino IV. apostolica auctoritate confirmatæ sunt (*a*). Ingratæ hæ admodum Margaritæ Reginæ Francorum & Philippo filio fuere, cum Provinciæ obtinendæ spe deturbari conspicerent: quos Nicolaus mulcere literis studuit, (*b*) ne ea dissensio in bellum erumperet.

(*a*) Mart. l. 1. ep. 11.

(*b*) Nicol. to. 2. l. 3. ep. 35. 37.

V. Carolus judicium archiepiscopo Capuano de Vulturni ditione intendit.

Adjungendum hic rebus Siculis videtur, Carolum cum archiepiscopo Capuano de castro Vulturno judicium intendisse, ut doceret quo jure ea ditione potiretur, provocante archiepiscopo ad sedem Apostolicam, a Nicolao monitum, controversiam in pontificio foro dirimendam.

*Nicolaus, &c. charissimo in Christo filio Carolo illustri Regi Siciliæ.*

Admonitus controversiam apud subsellia Ap. disceptare.

*Habet humilis & modesta relatio venerabilis fratris nostri archiepiscopi Capuani, quod cum quoddam castellum ad mare de Vvulturno vulgariter nuncupato, possideat ut nine ecclesiæ Capuanæ, magnificentia regia per suas literas mandavit, ut eidem in regali curia, certo ad hoc præfixo sibi termino, compareret super dicto castello, & suis pertinentiis, quod asseris esse feudale, tibi vel procuratori tuo in eadem curia responsurus. Verum dum procurator ipsius archiepiscopi illio in ipso termino compareret, forum declinando, proposuit, quod dictum castrum non erat feudale, sed liberum; quodque idem archiepiscopus & ecclesia Capuana illud tanquam liberum, & ad ecclesiam ipsam in solidum ac plene pertinens possedit hactenus, & adhuc etiam possidebat, & ideo non tenebatur in regia curia respondere; sed sui potius judicis, videlicet ecclesiastici competentis, coram quo, prout ordo juris postulat, se paratum offerebat cuilibet conquerenti super illo justitiam exhibere; nihilominus tamen tu terminum alium sibi per tuas literas præfixisti, ut super nominato castello ostenderet jura ecclesiæ supradictæ. Propter quod memoratus archiepiscopus ad nostram duxit providentiam recurrendum, allegans, quod si rem a quoquam possessam alius ad se ut feudalem asserat pertinere, vel a se ut feudalem postulat recognosci; sed a possidente libera, & a se libere possessa dicitur, & feudalis esse negatur; cognitio hujus causæ, cujus commodum & incommodum respicit petitorem, sicut alteruter judici eventus ostenderet, non ad ipsum pertinet petitorem, ne contra juris regulam in sua causa judicet, vel jus sibi dicat, & ne idem sit actor & judex; sed regulari jure sequi debet potius forum rei.*

*Nos igitur, attendentes quid deceat celsitudinem regiam, serenitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, quatenus pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia præfatum archiepiscopum super præmisso castello, ejusque pertinentiis non molestes ulterius, neque per tuos officiales, aut nuntios facias molestari. Et si ob hoc contra dictum archiepiscopum per te, seu per prædictos officiales, aut nuntios in aliquo est processum, illud studeas revocare. Quod si forte adversus archiepiscopum ipsum super prædictis jus aliquod tibi competere credas, illud prosequi poteris si volueris, coram nobis, &c. Dat. Rom. apud S. Petrum kal. aprilis anno III.* Questus etiam apud eundem est (*c*), Aprutii præsidem, quædam pontificiæ ditionis loca occupasse, præcepitque ut a cœptis eum revocaret, & abbati montis Majoris marchiæ Anconitanæ præfecto onus imposuit (*d*), ut oppida ipsa recuperare studeret.

(*c*) Ep. 48.

(*d*) Ep. 49.

VI. Seditiones Bononiæ concitatæ.

Premebat etiam gravissima cura Nicolaum ut Bononienses inter se dissentientes conciliaret: cumque pro adducenda concordia suscepti multi labores fuissent, inflammatis rursum ira animis, atque exorta seditione, non leviter priora pacis consilia disturbata fuerunt. Ad quæ Pontifex redintegranda, Bertoldum Ursinum strenuam navare operam jussit (*e*).

(*e*) To. 2. l. 3. ep. 1.

*Nicolaus episcopus &c. Dilecto filio nobili viro Bertoldo de filiis Ursi civi Romano, totius provinciæ Romaniolæ, civitatis Bononiensis, comitatus Bertinorii, & pertinentiarum eorumdem rectori, ac ipsius civitatis potestati, consilio, & communi, & universis de par-*

*parte Geremiensium Bononiensibus, salutem, & apostolicam benedictionem.*

Nicolai de iis literæ.

*Esset enarrare longissimum, quibus ab olim turbationes vestræ civitatis nos affecerunt angustiis, & quot hæsitationum, & interdum compassionum incendia nostris sensibus inculcarunt; & quibus laboribus, solicitudinibus, ac studiis nos concordiæ tunc procurandæ contulimus, nobis ipsis non indulgendo quietem. Nec possemus exprimere literis gaudia, quibus exultabamus in Domino, dum vos tandem ad hujusmodi concordiæ ac pacis gratiam, ut credebamus Domino inspirante reductos, in unitate videbamus procedere, ac in illa concrescere gratis affectibus sperabamus.*

*Sed dum sic post tot studia, solicitudines, & labores, nostra præcordia quodammodo quiescebant, subito, proh dolor! rumor innotuit, quod novella Deo placida, & nobis accepta plantata concordia, ventorum concertationibus fluctuabat: unde in se nondum cicatricibus solidatis, ipsa concordia patitur, & nos in illa sic adhuc tenera digne sensimus in mente scissuram, & compatimur filiis, quos amamus. O quanta nos turbaret anxietas, nisi celerioris remedii adhibendi fiducia turbationem hujusmodi aliquatenus mitigaret! Si videremus, quod absit, sic in vacuum ista tempora percurrisse! Quam acutus aculeus viscera nostra perfoderet, si talis turbatio nos iteratis ictibus sauciaret. Quanta nos amaricaret acerbitas, si talis concordia dulcedinis, quod avertat Altissimus, facta virus calicem nobis amaritudinis propinaret: & quanta turbatio, nec minus admiratio in pectore nostro concresceret, & extraneis etiam subsannandi daretur occasio, si talis civitas, quæ debet aliis esse doctrina constantiæ, concitatione tam aspera fluctuaret; & in illa levis inundatio prorumperet in procellas, quibus se ipsam & partes circumpositas perturbaret.*

VII. Geremienses & Lambertatii sibi mutuo infensi illarum auctores.

*Absit quod talibus ulterius concitemur insultibus, vel dicta civitas tali nota, immo potius dispendiis laceretur. Siquidem conflixisse vos partem Geremiensium, & partem Lambertatiorum, ac nonnullos alios, quos nunc nominare, seu alias distinguere non oportet, prima fama, demum multiplicatis literis, & tandem veridica relatione percepimus, hinc inde patratos nefarios excessus audivimus. Quæ autem partium, seu qui dederint prædictis initium, & culpabiles, vel magis culpabiles sint censendi; adhuc certitudinaliter non sensimus. Propter quod mansuetæ discussionis examine providentes, non fore sic incerte ad imponendas culpas, vel culparum pœnas, quousque super iis plenius appareret veritas, procedendum, provida deliberatione decernimus, vos consilium, & commune, ac Geremienses, & illos super faciendis & adimplendis, tam nostris quam venerabilis fratris nostri Latini Ostiensis & Velletrensis episcopi Apostolicæ sedis legati, & tuis, fili potestas, communiter vel divisim præcise mandatis primo requirere, diligentius experiri de negotii circumstantiis, & omnes communiter veluti pastor solicitus in obedientia Romanæ matris Ecclesiæ retinere: ut tandem, apparente veritate, reformando, ordinando, sententiando, & puniendo ac alias etiam quod negotii qualitas indicabit, juxta formam ordinationis per nos jam initæ inter partes vel per vias alias, quas nobis, ut speramus, ministrabit Altissimus, liberius, & decentius faciamus. Dat. Romæ apud S. Petrum* XV. *kal. februarii pontificatus nostri anno* III.

Latinus Card. omisso Florent. tractatu, Bononiam se conferre jussus.

Adhibendam Latini Cardinalis Ostiensis episcopi, qui ad conciliandos mutuo Florentinos summa cum laude, ac felici successu incumbebat, operam putavit: illum enim ob id cœptum Florentiæ concordiæ opus interrumpere, ac Bononiam proficisci, ut confusis ac pessundatis civium rebus succurreret, repetitis literis imperavit: (*a*) vix enim a cœptis egregie divelli poterat. Cui postea de obsidibus Florentinis consulenti respondit, (*b*) rem totam, ut sibi melius visum esset, temperaret; atque ad rem præclare gerendam sacramento adigere jussit (*c*) Bononienses, Pontificis imperiis parituros; differre in reos legibus agere, arces milite præsidiario munire, admonuitque ne alteri factioni studeret. Ingravescebat adeo malum, ut frangenda armis Bononiensium pertinacia videretur: quare Nicolaus a Carolo subsidiarias copias expetiit, (*d*) militemque in provinciis pontificiis conscripsit (*e*). Ut vero adversus perduelles Martino IV. desudandum fuerit, dicetur inferius: nunc res Ungaricas aggrediamur.

(*a*) Ib. ep. 4. 6. 44.
(*b*) Ib. ep. 49.
(*c*) Ep. 53. Data ei monita. Ad revocandos ad officium Bononien. Regis Sicil. opera implorata.
(*d*) To. 2. l. 3. ep. 30.
(*e*) Ib. ep. 31. 32.

VIII. Ladislaus patratum in pellendo legato facinus damnat.

In Ungaria Christiana religio, quæ anno superiori in magnum discrimen adducta fuerat, pulso magna ignominia legato apostolico Philippo a Budensibus Ladislai imperio, hoc anno refloruit: Rex enim a Pontifice tum a Rodulpho & Carolo Siculo perstrictus commissum scelus agnovit: ad quod abolendum legato centum marchas annuas, quas egentium Ungarorum nomine reciperet, constituit, (*f*) ut xenodochium excitaret, de quo Card. Baronius (*g*) in MS. ad hunc annum notis: *Hoc anno Ladislaus Rex Ungariæ pro crimine commisso in impediendo ecclesiasticam libertatem, recognoscens se reum, confessus est palam se prohibuisse prælatos regni sui, ne intrarent Budam tempore, quo Philippus legatus Apostolicus habuit sy-*

(*f*) Ext. in cod. Vallic. sig. lit. B. n. 12. p. 30.
(*g*) Baron. in schedis. Injuncta illi extruendi xenodochii pœna.



*synodum in Ungaria: qui in pœnitentiam ædificavit monasterium, cui donavit per manum dicti legati centum marchas argenti annuatim. Habetur libro privilegiorum Romanæ ecclesiæ.* Producendæ ex eodem Vaticano codice (*a*) visæ sunt Ladislai literæ subjectis verbis conceptæ.

(*a*) Lib. privil. Rom. eccl. to. 2. pag. 80. collect. Plat. to. 2. p. 319. cod. Vallic. sig. lit. B. n. 12. p. 31. ext. etiam reconditæ in arce S. Angeli.

Ladislai literæ.

*Ladislaus Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Crovatiæ, Ramæ, sive Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex omnibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in actore salutis.*

*Cum ad catholicos & Deo devotos principes, & quoslibet alios Christianæ fidei professores principaliter quasi expectare noscatur, culpas suas agnoscere, & ecclesias, ac alia pia loca ad usum pauperum, & egenorum, ac infirmorum Christi ædificare; notum fieri volumus universis, quod cum tempore sacri concilii per venerabilem patrem dominum Philippum Dei gratia Firmanum episcopum, Apostolicæ sedis legatum, in castro Budensi devote & solemniter celebrati, nos fervore juventutis contra nostram salutem accensi, & quorundam pravorum consiliis depravati atque seducti, in nostram hoc inferri injuriam æstimantes quod erat ad propagationem virtutum, exclusionem etiam vitiorum; judici & civibus dicti castri Budensis sub gravibus pœnis dedimus in mandatis, ut prælatos regni nostri, ad mandatum domini legati præfati ibi occasione dicti concilii congregatos, de castro ipso excluderent, nec aliquos in dictum castrum permitterent introire; quodque eis & familiæ eorundem victualia, & venalia prohiberent. Tandem paterna mansuetudine ab ipso domino legato pie & leniter informati, ad eruditionem, & frequentem inductionem ipsius excessum nostrum in hujusmodi cupientes misericordiæ operibus expiari; cum crimina eleemosynis redimantur, in perpetuam eleemosynam ad mandatum ipsius domini legati donamus, concedimus, atque offerimus eidem reverendo patri domino legato, recipienti nomine & vice egenorum, ac pauperum, & infirmorum Christi, centum marchas argenti annis singuli, perpetuis temporibus ipsorum pauperum & egenorum, ac infirmorum nomine percipiendas; ad opus construendi unum hospitale pro sustentatione dictorum pauperum, egenorum, ac etiam infirmorum, & in solatium eorundem in regno nostro ubi, quando, & sicut præfato domino legato videbitur expedire, & per se vel per alium duxerit ordinandum: irrefragabiliter statuentes, quod dictæ centum marchæ per nos, & successores nostros annis singulis perpetuis temporibus persolvantur de argentifodina nostra, Quiyluchbana vocata circa Scepes: qui per ipsum vel alium, qui de mandato ipsius aut per venerabilem patrem Lodo. Dei gratia Strigoniensem archiepiscopum ad curam, ministrationem, & gubernationem dicti hospitalis fuerint deputati; nos & cameram nostram, nostrosque successores ad prædicta omnia & singula per præsens privilegium obligantes. Quod si casu aliquo dictam argentifodinam deficere, diminui, vel deperire contingeret, quod dictæ centum marchæ de ipsius argentifodinæ proventibus solvi non possent; assumimus, promittimus, ordinamus, atque statuimus, nos & cameram, & ærarium nostra, ut supra obnixi obligantes, quod dictæ centum marchæ de camera vel ærario nostris annis singulis persolvantur; tam pro satisfactione præfatæ injuriæ, & offensæ per nos Deo & Ecclesiæ irrogatæ, quam pro nostro & progenitorum nostrorum remedio peccatorum. In cujus rei memoriam sempiternam & perpetuam firmitatem præsentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Dat. per manus discreti viri magistri Bartholomæi aulæ nostræ vicecancellarii dilecti & fidelis nostri anno Dom. MCCLXXX.* XV. *kal. septembris, regni nostri anno* VIII.

Profitetur, se deliquisse in Synodo Budensi disturbanda.

Expiaturum crimen.

Xenodochium excitatum iri pollicetur.

Vectigalia ad alendos egenos attribuit.

IX. Pontificias in hæreticos leges valituras in Ungaria decernit.

Ad asserendam pariter suo splendori religionem, quæ ob nefarios errores, qui in dies pullulabant in Ungaria, labefactabatur; Ladislaus melioribus instructus consiliis regio edicto sanxit, leges omnes ab Apostolica sede ad excindendam hæreticam perfidiam latas (fuere autem hoc anno gravissimæ a Nicolao promulgatæ, quæ in bullario extant) suum robur habituras. Qua de re hæc Baronius (*b*): *Mandavit in regno suo servari per officiales suos omnes constitutiones, & statuta ecclesiastica contra hæreticos facta, in quibus obligavit se ac successores suos.* Insignis adeo sanctio, secuturis transmittenda ætatibus, ne fidei decus absolesceret, edita, e memorato Vaticano codice (*c*) a nobis decerpta est.

(*b*) Baron. in Sched. MS.

*Ladislaus Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Crovatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex, omnibus Christi fidelibus, præsentes literas inspecturis, salutem in omnium Salvatore.*

(*c*) To. lib. privil. Rom. eccl. to. 2. p. 81. & collectan. Plat. to. 1. p. 35. & 173. asservantur etiam in arce S. Ang. Regium ea de re edictum.

*Ad universorum tam præsentium quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos ad imitationem sanctorum progenitorum nostrorum, cupientes sanctam fidem catholicam in regno nostro miserante Deo per ipsorum progenitorum nostrorum ministerium propagatam atque firmatam, evulsis atque destructis inde erroribus, & eliminatis atque exterminatis hæreticis, cujuscumque erroris, vel sectæ, qui Ecclesiam & fidem catho-*

catholicam demoliri damnabiliter moliuntur; & specialiter de ducatu nostro ac diœcesi Bosnensi, & quibusdam adiacentibus terris sub nostra jurisdictione, ac dominio constitutis, in quibus diversæ hæreticæ pravitatis sectæ, peccatis exigentibus, in contumeliam Creatoris, & fidei Christianæ opprobrium, nostrum & regni nostri scandalum & infamiam manifestam jam dudum miserabiliter pullulasse, & damnabiliter excrevisse noscuntur, per regalis nostræ auctoritatis, & potestatis officium, ac ministerium dilatari; omnia statuta, constitutiones, leges & jura, atque decreta contra hæreticos & hæreticam pravitatem quibuscumque nominibus censeantur, per sanctam sedem Apostolicam edita, accepta, & quomodolibet approbata, ad requisitionem & commonitionem reverendi patris domini Philippi, Dei gratia Firmani episcopi Apostolicæ sedis legati, devote recipimus, acceptamus, ac etiam approbamus: præsenti pagina statuentes, quod hujusmodi statuta, constitutiones, leges, & jura, atque decreta in regno & omnibus terris nobis subjectis, tam per nos nostrosque successores, quam per duces, comites, barones, nobiles, judices, officiales, ac populos universos regni nostri, & terræ, nostræ jurisdictioni subjectæ, perpetuis temporibus inviolabiliter observentur; decernentes statutorum, constitutionum, legum, & jurium, ac decretorum hujusmodi transgressores, seu violatores, pœnis canonicis atque legitimis in eisdem statutis, constitutionibus, legibus, juribus, ac decretis contentis subesse & subjacere debere: ipsasque pœnas, & alia, quæ in eisdem statutis & legibus continentur; necnon & sententias, quas auctoritate eorum ferri contigerit, per nos nostrosque successores, ac regni nostri judices & officiales, & alios quoscumque in regno nostro jurisdictionem habentes, executioni debitæ irrefragabiliter mandari debere. Si qui autem hujus statuti nostri transgressores extiterint, indignationem nostram merito se noverint incurrisse, & regiam sentient ultionem. Datum per manus discreti viri magistri Bartholomæi aulæ nostræ vicecancellarii an. Dom. MCCLXXX. indict. VIII. regni autem nostri an. VIII.

Data magistratibus imperia, ut severitatem distringant in impios.

Alia Elisabethæ Reginæ constitutio.

(a) Ext. in ead. & eod. to. privil. p. 82. collectan. Plat. p. 35. & 174.

Huic non absimilis Elisabethæ Reginæ Ladislai matris Machou & Bosnæ ducissæ sanctio ad luem hæreseos e suis ducatibus excindendam promulgata, qua fidem ad servanda omnia Romanæ ecclesiæ pro tuendo in iis oris religionis splendore imperia & jura in impios obstrinxit, quæ licet cum superiori consonet, ob rei tamen gravitatem non prætermittenda visa est (a).

*Elisabeth, Dei gratia, major Regina Ungariæ, ducissa de Machou, & de Bosna omnibus Christifidelibus, præsens scriptum inspecturis, salutem in omnium Salvatore.*

*Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod cupientes sanctam fidem catholicam in ducatibus de Machou & de Bosna, & in comitatibus de Pasaga & de Valcon, cæterisque comitatibus nostræ jurisdictioni subjectis, ac alii, quos juvante Deo, nos habere contigerit in futurum; destructis erroribus, ac eliminatis, atque destructis inde hæreticis, qui Ecclesiam sanctam, & fidem ipsius demoliri, atque destruere damnabiliter moliuntur, per nostræ regalis mansuetudinis, ac potestatis, necnon jurisdictionis officium & ministerium dilatari; ad requisitionem, & commonitionem reverendi patris nostri Philippi, Dei gratia Firmani episcopi Apostolicæ sedis legati, promittimus & assumimus per præsentes, quod omnia statuta, jura, atque decreta contra hæreticos, & hæreticam pravitatem, quibuscumque nominibus censeantur, per sanctam sedem Apostolicam edita, aut approbata, seu etiam accepta observabimus & ad mandatum ecclesiæ sanctæ Romanæ, & per nos etiam ea faciemus a nostris subditis in ducatibus cæterisque comitatibus nostræ reginali potestati subjectis inviolabiliter observari; decernentes ex nunc statutorum, & decretorum hujusmodi transgressores, atque violatores per pœnas canonicas, atque legitimas compelli, eisque pœnis subjacere & subjacere debere. Si quis autem contra hujusmodi salubria statuta, & sanctam ordinationem fidei catholicæ contraire præsumpserit, iram omnipotentis Dei, & nostram indignationem se noverit incursurum. Ut igitur hujusmodi sponsionis, seu promissionis series robur obtineat perpetuæ firmitatis, nec possit ullo unquam tempore in irritum revocari, præsentes concessimus literas sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Dat. per manus magistri Lucæ Strigoniensis ecclesiæ præpositi, aulæ nostræ cancellarii fidelis nostri anno Dom. MCCLXXX. XIIII. kal. septemb. ind. octava.*

Apostolica in impios jura in Bosna servanda.

X.
Ladislaus ad vomitum relapsus.
(b) Longin. hist. Pol. l. 7. an. 1282.
Leo Rhutenorum dux in Polon. irrumpit.

At brevi Ladislaum, quem effrænes libidines ad impietatem detorquebant, improborum astus stimulis in Philippum episcopum inique se gessit. Meminit quidem Longinus (b) ejecti Ungaria Philippi, quem a Polonis honorificentissime exceptum ait: sed ille rem anno MCCLXXXII. collocat. Tradit vero idem auctor hoc anno Leonem Ruthenorum ducem, occupandæ Poloniæ studio incensum, conducto e Tartaris magno exercitu irrupisse; ac Lestconem Nigrum, collectis raptim copiis, etsi inferiorem numero, hostem aggressum, di-



vina potius quam humana virtute præclaram victoriam, octo millibus hostium cæsis, peperisse.

A Leskone nigro magna clade deletus.

XI.
(a) Apud Sur. to. 6. die 17. novemb.
S. Hugonis Lincolniensis episc. translatio.

Hoc anno in Anglia translatas solemni pompa sacras S. Hugonis Lincolniensis episc. reliquias (a) tradit vitæ ejus auctor: inventum illius corpus pene integrum, adeo corruptionis immune, ut suavissimo odore omnes perfunderet; repertumque in loculo non parvam cœlestis olei vim, quod ex ejus corpore exudarat.

XII.
Syriaca res admodum depressa.
(b) Nic. l. 3. ep. 7.
Francorum Rex decimarum partem in subsidia comparanda conferre jussus.
Syrorum orator ad Regem Castellæ missus.
(c) To. 1. l. 3. ep. cur. 3.
(d) Ib. ep. 4. & cod. Vall. sign. lit. C. n. 49. p. 76.

Inter hæc Nicolaus ad sustentandas Syriæ ruinas Philippum (b) Regem Francorum solicitavit, ut decimarum partem ad propulsandos Saracenorum impetus derivaret, ac Pontium Broetum quem Templarii miserant ad sedem Apostolicam, ut Syriæ lugubrem conditionem exponeret, ad Alfonsum Castellæ Regem ire jussit, ut ipsum ad pacem, vel diuturnas inducias admittendas flecteret, ne eo bello Christianæ res penitus collaberentur, quo argumento tum ad Templarios ipsos, (c) tum ad Regem Castellæ scripsit (d).

*Regi Castellæ ac Legionis illustri.*

*Quanto Terræ sanctæ negotium ex subventione, pro ea ordinata in novissimo concilio Lugdunensi, videbatur prosperitati vicinius, tanto terra ipsa subventionis ejusdem fert impedimenta molestius, & suspirat ardentius ad eandem; cum desiderium propinquantis ad bravium accendere soleat ipsa propinquitas, & inflammare desiderantis affectum. Hinc terra eadem per impedientes subventionem ipsam gravatur infestius, contra eos clamat acerbius; sed, dum beneficia sibi per ipsos contra hostes fidei collata rememorat, recurrit confidentius ad eosdem.*

Pontificiæ ad Castellanum querelæ, ob ejus discordiam rem Christianam abiici.

*Ecce, fili charissime, te ac charissimum in Christo filium nostrum Regem Francorum illustrem sermo iste complectitur: terræ siquidem zelatores illius vos querelis gravibus impetunt, vos impedimentorum hujusmodi ex eo actores accusant, quod tua & ipsius discordia faciente, non tam prædicta subventio, quam terræ ipsius liberatio in subtractatione soldani Babyloniæ, suorumque multiplicata scissura, variisque modis aliis humiliata superbia, & viribus enervatis, divinitus præparata differtur; & quod vehementioris doloris habeat aculeos dum liberationis ejusdem oblata commoditas præteritur, timetur verisimiliter, ne (quod Deus avertat) omnino perdatur. Verum terra præfata, dum tuorum & Regis ipsius prædecessorum contra ejusdem fidei persecutores magnifica gesta recenset, tuaque ac illius adversus persecutores eosdem impensa præsidia in considerationis suæ scrutinio non omittit, in quadam confidentiæ roboratione consurgens, tibi & ei statum suum confidenter insinuat; & implorans humiliter, quibuslibet submotis obstaculis, ac præcipue ipsa tua & eisdem Regis discordia, quæ maxime desideriis suis obstat, pace sedata, vel treugua prolixiori suspensa, suum accelerari succursum; evidentes utilitates accelerationis exponit, nec postponit immensa dispendia tarditatis. Ob accelerationem hujusmodi, princeps inclyte, obtinendam nuper terra eadem ad nos literas & nuntios destinavit, eis prudenter injuncto, ut juxta dispositionis nostræ mandatum in sibi commissis procederent, & principes Christianos adirent.*

*Cum itaque dilectus filius frater Pontius de Bruet magister provinciæ ordinis militiæ Templi, unus ex prædictis nuntiis, vir fidelitate ac discretione laudabilis, de mandato nostro, ad præsentiam regalem accedat; terræ præfatæ necessitates & statum, tanquam illorum ex inspectione recenti conscius, celsitudini tuæ plenius expressurus; serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attentius, in remissionem tibi peccaminum suadentes quatenus ipsum benigne audias, & ut efficaciter per sedationem dictæ discordiæ, vel suspensionem remedio treguæ diffusioris exaudias; sic animum præpares, sic omnino disponas, quod inter te & Regem eumdem pax, vel saltem adeo sit prolixi temporis tregua, quod ad generalis passagii processum, & reditum verisimiliter ejusdem temporis intercapedo sufficiat, concedente pacis actore, absque moratoria cunctatione procedat. Dat. Romæ apud S. Petrum* x. *kalen. martii anno* III.

Suscipiendæ expeditioni sacræ ipsum, obstare.

XIII.
Indictæ publicæ preces pro Franc. & Cast. Regibus ad pacem flectendis.

[1] Cum vero omnia eximia, tum maxime pacis munera a divina manu excipienda sint, censuit Nicolaus, toto orbe Christiano publicas indicendas preces, atque orantibus sacras ex ecclesiastico ritu indulgentias proponendas, ut cœleste Numen utriusque Regis animos ad concordiam inclinaret; eoque pacto con-

NOTÆ [1] PRæter concilia plura Gallicana, de quibus in collectione Labbeana, unum aliud ex Galliis suppetit, Senonense scilicet, quod e pluteis Monasterii Pontis Levi eruit Martene vulgavitque in to. VII. Colect. vet. monum. col. 276. Præfuit illi Gilo cui Parisiensis, Autisiodorensis, Meldensis, Trecensis, & Nivernensis Episcopi assederunt. Cognita est in eo causa Joannis Domini de Ambazia & de Calvo monte, qui per vim & nefas plurima in monachos intulerat, cujus rei causa a Vicario Carnotensi diris devotus fuerat. Habita fuit Synodus ista die Mercurii post festum S. Michaelis Archangeli. MANSI

contra Soldanum Babyloniæ, qui impulsas in ruinam Christianorum orientalium res prosternere minabatur, expeditio comparari posset: cujus conficiendæ quanto arderet desiderio Pontifex, archiepiscopo Turonensi significavit (a).

Pontificis ea de re lit.

(a) lb. ep. 5.

*Archiepiscopo Turonensi & universis episcopis per Turonensem provinciam constitutis.*

Confugiendum ad Deum, rebus in discrimen adductis præfatur.

*Salutaria, & solicite imitanda discipulorum Christi exempla nos instruunt, ut ab occurrentium periculorum facie fugientes, ad divinum confugium recurramus. Illi siquidem adeo grandi commotione maris facta, ut fluctus naviculam, quam Jesum sequentes intraverant, operirent; ipsum, qui & per hoc veritatem suæ humanitatis ostendens in eadem navicula dormiebat, semper tamen in eo divina vigilante virtute; civerunt vocibus, supplicationibus excitarunt; adversus ingruentis tempestatis impetum salutis ab eo præsidium postulantes, & nos exemplariter instruentes, ut procelloso pelago mundi hujusmodi discordiarum concitato flatibus, & axaltatis commoto fluctibus, ad illum, in cœlis ad Patris dexteram residentem, levemus cum manibus corda nostra, devotis pulsemus precibus, sedulis orationibus insistamus, cessationem flatuum, sedationem fluctuum omnipotentiæ suæ inducendam imperio, & tranquillitatis gratiam ejusdem beneficio concedendam instanter, & humiliter implorantes; nunc maxime, dum id tanta petit instantia contra exortarum dissensionum incommoda quietis & pacis acceleranda commoditas; tam anxie postulat negotii Terræ sanctæ provisa, sed per dissensiones easdem jam diutius impedita promotio, ipsiusque terræ non ignota necessitas; tam ardenter animarum pericula, quæ dissensionum ipsarum consideratio verisimiliter comminatur, vitanda summopere persuadent.*

Infelicem rei Christianæ statum exponit.

*Nostis enim quantis redundat guerrarum dissidiis orbis terræ: nostis quod de subventione pro liberatione terræ ipsius in concilio Lugdunensi, ad hoc specialiter inter cætera per felicis recordationis Gregorium Papam prædecessorem nostrum indicto, nonnullis principibus, & magnatibus personaliter, & quampluribus aliis per nuntios convenientibus in eodem, non sine multis laboribus & sumptibus ordinata; spem salutis terra illa non indigne conceperat, & redemptionis suæ jubilum quasi promptum & proximum cum fiducia expectabat: concurrente præsertim aperto superni favoris indicio in exterminatione Soldani Babyloniæ, terræ ipsius persecutoris infesti, & in suorum præterea humiliatione multimoda bellis variis contra eos, & inter ipsos scissuris intestinis obortis, quæ recuperationem ejusdem terræ quasi paratam Christicolis offerebant, & adhuc offerre videntur. Sed prosperis ejus invidit auspiciis perfida zizaniorum satoris astutia, quæ suis diffidentiæ filiis taliter consternatis, ex consternationis hujusmodi consideratione diffidens; & quasi victus in eis, ut de fidei domesticis resistentiæ munimenta conquireret; & infideles saltem per fidelium impedimenta protegeret, facilisque foret eorum protectio nemine impetente, inter præcipuos fidei propugnatores ejusdem, charissimos videlicet in Christo filios nostros Franciæ, & Castellæ ac Legionis Reges illustres discordiis, non absque gravi animarum, corporum, & rerum discrimine seminatis; tam salubris provisionis desideratum & periculose dilatum hucusque processum multipliciter impedivit. Cum non solum dictos Reges, ac eorum regna per hoc ab ejusdem terræ subventione distraxerit; sed & alios in eorum dissensione perturbans, ipsos proinde a prosecutione sui, circa id propositi avocarit: & ita vires Christianæ potentiæ dividendo minuerit, ut ad speratum prædictæ liberationis exitum reddantur inhabiles, quæ in unitate concordiæ adunatæ fuissent, & erunt in omni sufficientia sub spe cœlestis auxilii efficaces.*

Francor. & Castel. Regum discordias afferre exitium.

XIV. *Verum in iis sedis Apostolicæ solicitudo non defuit; sed ad eam tempore felicis recordationis Joannis Papæ prædecessoris nostri super discordia Regum ipsorum certo rumore perlato, festina, ut discriminibus tam damnosæ dissensionis occurreret; & quo celerius fomitem ipsius extingueret, & in suo quasi ortu insurgentis procellæ spiritum præfocaret, eo acceleraret amplius provisum ejusdem terræ succursum; dilectum filium nostrum Hieronymum tit. S. Potentianæ presbyterum Cardinalem, tunc generalem ministrum Minorum, & dilectum filium fratrem Joannem magistrum Prædicatorum fratrum ordinum, diversis excogitatis remediis, & data ipsis ad eadem exequenda potestate plena & libera, destinavit: nosque post defunctionem prædecessoris ipsius vocati, prout Domino placuit, ad apostolatus officium circa hæc non torpuimus otio; sed quasi ponentes viarum nostrarum initium opus pacis, cum fratribus nostris, quamprimum convenere nobiscum, super sedanda peramara nobis & ipsis eorumdem Regum discordia, deliberatione præhabita, de ipsorum consilio remedia remediis quæsitis adjecimus, ad executionem illorum nuncios multiplicantes & literas, monita monitis, preces precibus, & exhortationibus exhortationes addentes. Et demum licet non ignoremus hujusmodi negotio de Cardinalis & magistri prædictorum industria plene provisum; quia tamen ad eorumdem Regum concordiam*

Qui legati ad eos conciliandos missi.





*sic noster suspirabat, & suspirat affectus, ut solicitudini circa eam adhibitæ majorem semper existimaret, & existimet adhibendam, dilectum filium nostrum G. basilicæ duodecim Apostolorum presbyterum Card. ut eidem negotio, una cum dictis Cardinali & magistro vacaret, duximus destinandum. Et nihilominus ut ex multiplicatione consilii habendi tractatus utilitas multiplicaretur & salus, dilectum filium nostrum Simonem tit. S. Cæciliæ presbyterum Card. tunc in regno Franciæ Apostolicæ sedis legatum per nostras sub certa forma literas solicitare curavimus, eique mandare, ut in ipso reformandæ pacis negotio præcipue apud dictum Regem Franciæ juxta datam sibi a Deo prudentiam Cardinalibus, & magistro cooperaretur eisdem. Ipsis autem omnibus commissa sibi prosequentibus, & exequentibus juxta posse dicti Reges (quod non sine amaritudine multa referimus) nec sine stupore miramur, occulto forsan Dei judicio, nec in pacis, nec in treguæ convenere tractatum, tam solertibus nostris, & ipsius Ecclesiæ studiis, tam gravibus, & diutinis ipsorum Cardinalium ac magistri, proh dolor! laboribus vacuatis.*

Gerardus Card. iis adjunctus.

Elusa occulto Dei judicio eorum studia.

XV. *Quis igitur animo non amaricato recenseat tam catholicos principes, fidei hostes prosequi solitos, in seipsos & Christianitatem bella convertere, in persecutionem ipsorum hostium convertenda? Quis non stupeat, & miretur per eorum dissidentiam, quos progenitorum suorum laudanda memoria in propugnatione catholicæ fidei, quasi hereditarios successores instituit, impugnationem ipsam impugnantium impediri? O si Reges iidem ut oporteret, attenderent, quantum in iis Deus offenditur, quantum claritati regii nominis derogatur! profecto ne propterea in se iram Domini provocarent, promptius per acceptationem mutuæ pacis exurgerent, & ne ipsorum famæ decresceret, non segnius, sed ocyus providerent. Num non Deus offenditur, dum terra illa in impiorum manibus, eorumdem Regum discordia faciente, deteritur, quam ei Scriptura sacra testatur omnium chariorem? Num parum eorum famæ decrescit, dum tot Christianitatis dispendia ipsis communis opinio imputat, & eorum animositatibus assertio vulgaris ascribit? Nec sibi Regum ipsorum alteruter, quem forte conscientia fortius arguit, blandiatur de nostrorum æqualitate verborum, in quibus eis culpam videmur æqualiter imputare. Nam etsi ad præsens ideo sic duxerimus transeundum, ut neutrum magis fore culpabilem exprimentes, proficiamus efficacius apud eos; si tamen processu temporis eorum alterutrum, vel utrumque patuerit Christianitati perutilem inter eos concordiam impedire, nec ipsis contra Deum, & commoda publica deferre proponimus, nec causam tanti discriminis occultare; sed & illam, prout expediens fore videbimus, publicare nemini deferendo curabimus, & ad alia opportuna procedere, quæ rei qualitas suggeret, & Dominus ministrabit. Malumus etenim, quod processus debitus cujuscumque ipsorum culpæ respondeat, quam quod sub dissimulatione tantum religionis Christianæ periculum transeatur.*

Quam gravi scelere in tanta animorum pertinacia ii Reges se devinxerint.

Deliberat Nicol. in illius dissensionis reum insurgere.

*Quamquam autem ex præmissis idem concordiæ reconciliandæ negotium desperationi videretur expositum, & adhuc humano judicio videatur; nos tamen oculos mentis levantes ad montem, unde suppliciter petimus, & fiducialiter expectamus opportunum auxilium proventurum, dictos tres Cardinales, & magistrum ad nostram duximus præsentiam revocandos, ut per ipsos plenius circumstantiarum ejus conscios, instructione pleniori recepta, in illo processus consultior haberetur. Et licet cum eisdem & aliis Cardinalibus memoratis perpenso consilio, & cum eodem magistro in curia Romana præsente, collatione habitis ad sæpefatos Reges in charitatis, & pacis vinculo uniendos, & terræ præfatæ negotium promovendum varia sint adinventa remedia, quæ instanter prosequi cœpimus & continuata instantia, Deo auspice, prosequemur; quia tamen non tam de solicita quantumcunque adinventione confidimus, quam de humili fidelium supplicatione speramus; instar illorum, quorum exempla præmisimus; pro tantæ tempestatis turbine sopiendo, ad illum, qui mari & ventis imperat, & fit de turbatione tranquillitas, deliberavimus recurrendum.*

Quid revocatis ad sedem Ap. legatis Cardd. gestum.

XVI. *Ea igitur quæ ad pacem sunt, ipsum pacis flagitantes actorem; & in corde contrito, ac humiliato spiritu supplicantes, ut inter eosdem Reges in ipsius virtute pax fiat, abundet in suis turribus, in sublimibus videlicet eisdem, & aliis principibus orthodoxis, quo promptius ipse, qui potest ea, quæ postulamus humiliter, multiplicatis intercessoribus largiatur; universis Christi fidelibus salubriter suademus, in remissionem peccaminum injungentes, ut diebus singulis ex totis præcordiis in excelsa preces humiles porrigant, devotas fundant orationes ad Dominum, ut ipse, cujus est ita pacis perfecta concessio, quod ipso eam concedente non sit, qui condemnet judicio, potestate deterreat, vel terrore perturbet; in memoratos Reges suæ pacis, & concordiæ fluenta diffundat, se ipsum veram pacem, quæ omnem sensum exuperat, eorum animis influat, ipsosque faciat suæ pietate concordes: vel saltem ad hoc humiliet & inclines, ut omnem motum suæ di-*

Implorandum a divina misericordia optimum consilium.

*discordiæ adeo prolixi temporis treguæ suspendant, quod in ejusdem intercapedine temporis provida ipsius terræ subventio procedere valeat, & efficaciter ipso favente procedat; cunctis præterea Christianis principibus, & ejusdem fidei Christianæ cultoribus statum pacificum sua omnipotenti virtute concedat.*

Quæ preces in missæ sacrificio ob eam causam fundendæ.

*Inter alia vero devotorum suffragia, quibus propter hoc in laudis sacrificio Dominum honorabunt, in singulis missarum celebrationibus, post dictum a celebrante, Pax Domini; responsionemque secutam, antequam ipse celebrans vel respondentes incipiant: Agnus Dei, cum devotione debita in patena duabus Eucharistiæ partibus collocatis, tertia quoque cum oratione solita in calice mixta cum sanguine, ipsoque calice cooperto, illud eximii citharœdi canticum: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; a vobis religiosis, clericis, & aliis literatis dici volumus cum oratione, ac versiculis infrascriptis: ipso celebrante, aliisque præsentibus genua flectentibus, dum præmissa dicuntur. Et ut iidem fideles ad prædicta per salutaris retributionis exinde obtinendæ præmium fortius animentur; nos de omnipotentis Dei misericordia, beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis ipse Dei Filius ligandi atque solvendi tribuit, potestate; omnibus vere pœnitentibus & confessis, singulis diebus, quibus usque ad annum, postquam eis innotuerit computandum, devote pro præmissis oraverint, misericorditer decem dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus.*

Propositæ illas Numini porrecturis indulgentiæ.

XVII. *Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus præsentes nostras literas per vestras diœceses solemniter publicantes, & ab aliis facientes in locis, de quibus expedire videritis, publicari; earum tenorem, ut plenius intelligantur ab omnibus in vulgari per vos, & alios ad hoc idoneos exponatis: adicientes nihilominus in omnibus vestris sermonibus, ut pro eorumdem Regum pace, sicut prædicitur, vel treuga prolixa, & aliorum principum, totiusque Christianitatis statu pacifico supplicitet oretur ad Dominum, exhortationes accommodas, juxta gratiam vobis ex alto concessam. Versiculi autem, & oratio dicenda post præmissum canticum dictum cum Gloria Patri. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson; & Pater noster. Et ne nos. ℟. Sed libera nos.*

Institutæ pro pace deposcenda precum formulæ.

*Hi sunt versiculi: Domine salvos fac Reges. ℟. Et exaudi nos in die qua invocaverimus te. ℣. Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ: ℟. Rege eos, & extolle usque in æternum. ℣. Fiat pax in virtute tua: ℟. Et abundantia in turribus tuis. ℣. Domine exaudi orationem meam: ℟. Et clamor meus ad te perveniat. ℣. Dominus vobiscum: ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Largire quæsumus Domine fidelibus tuis indulgentiam placatus, & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deserviant. Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen.* Post hæc dicantur: *Agnus Dei*, & cætera quæ subsunt. *Dat. Romæ apud Sanctum Petrum x. kal. martii anno III.*

XVIII. Franc. & Castellæ Reges in Vasconiam accedunt pro tractanda concordia.

Apostolicorum legatorum opera, consiliisque adducti Castellæ & Galliarum Reges, extra regni confinia in Vasconiam, Anglo tunc obnoxiam, se contulerant, ut propius de componenda controversia agerent. Et quidem Alfonsus Bajonæ, Philippus apud montem Marsanum consedere: quibus Nicolaum legatorum opera indixisse tradit Nangius, (*a*) ut in mutuam concordiam, salva utriusque æquitate, coalescerent: cumque hinc inde internuntii commearent, recrudescentibus odiis discissam rem fuisse, indeque Philippum Tolosam profectum. Quo Petrus Aragonum Rex se contulit, ac summis honoribus omnique amoris significatione exceptus a Philippo & muneribus ingentibus cumulatus est: sed in Aragoniam regressus, ut tradit auctor, subornatus ab uxore Manfredi filia atque Panormitanorum, & Messanensium pollicitationibus illectus, conjurationem in Carolum Siciliæ Regem conflavit, quæ maximum orienti exitium attulit. Sed de his postea, nunc ad Græcorum res digredimur.

(*a*) Nang. *in Phil. Franc. Rege.*

Tentata irrito conatu res. Petrus Rex Arag. Tolosæ cum Philippo Rege colloquium init.

XIX. Andronicus Orthodoxæ fidei formam iterum profitetur.

Professus est iterum Andronicus hoc anno publicis literis (*b*) Romanæ ecclesiæ semper se adhæsurum, fidemque orthodoxam pie culturum.

(*b*) Ext. *in lib. privil. Rom. eccl. to. 2. pag. 252. & cod. MS. bibl. Vall. sig. lit. B. n. 12. p. 216.*

*Sanctissimo & beatissimo primo & summo Pontifici Apostolicæ sedis & universali Papæ, communi patri omnium Christianorum, reverendissimo patri Imperii mei domino Nicolao Papæ III. Andronicus in Christo Dei fidelis Imperator Constantinopolitanus semper Augustus, & moderator Romæorum, & omnium subjectarum gentium Imperio Romaniæ, Ducas, Angelus, Comninus, Palæologus specialis filius magnæ sanctitatis vestræ, convenientem honorem & reverentiam cum sincera & pura effectione, & orationum postulationem.*

Paternas literas confirmat.

*Cum sanctus dominus meus Imperator, & pater Imperii mei transmiserit ad magnificentiam vestræ apostolicæ sanctitatis infrascriptas Imperii sui literas de verbo ad verbum sic continentes.*

*Sanctissimo & beatissimo primo & summo Pontifici Apostolicæ sedis & universali Papæ, & communi patri omnium Christianorum, reverendissimo patri Imperii mei domino Nicolao III. Michael in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comninus, Palæologus, specialis filius vestræ magnæ sanctitatis, convenientem honorem & reverentiam cum sincera & pura affectione, & orationum postulationem.*



Literarum Palæologi forma.

*Quoniam missi sunt a magnitudine vestra ad Imperium nostrum nuntii Deo placentis ordinis Minorum, videlicet venerabiles & religiosi viri frater Bartholomæus Grossetanus episcopus, frater Bartholomæus de Senis minister Syriæ, frater Philippus lector Perusinus, & frater Angelus lector Urbevetanus; qui ab Imperio nostro petierunt ex parte magnæ sanctitatis vestræ multiplicationem, & renovationem literarum super primatus recognitione, ac susceptione & obedientiæ sponsione Romanæ ecclesiæ, directarum olim a nobis per nuncios, qui ad præsentiam sedis Apostolicæ novissime redierunt, scilicet venerabiles, & religiosos viros fratrem Jacobum Ferentinatem, Gaufridum Taurinensem episcopos, fratres Raymonum priorem Viterbiensem, & Salvum lectorem Lucanum sacri ordinis Prædicatorum; videlicet, ut in nomine etiam magnæ sanctitatis vestræ ipsas literas exponamus, dignum hoc perficere reputantes; ecce exponimus ipsam multiplicationem dictarum literarum in nomine etiam vestræ magnæ sanctitatis, illa recapitulantes & approbantes, quæ ad beatæ memoriæ sanctissimum Papam dominum Gregorium decimum exposuimus & attribuimus per nostros nuntios, qui ad ipsius pervenerant sanctitatem: super quibus acceptati fuimus per ipsius beatitudinem, & per inventos ibidem reverendissimos Cardinales, & per sacrum & divinum concilium, penes eum tunc apud Lugdunum congregatum. Habet autem professio fidei, & consequenter tenor literarum in dictionibus taliter: Credimus sanctam Trinitatem, &c.* concepta est iisdem verbis fidei formula atque ea, quam jam ante suo loco retulimus: proinde prætermittenda visa est.

Qui missi ad Græcos nuntii.

XX. Sacramentum, quo in Lugdunensi concilio se devinxit imperialis orator.

*Quoniam vero cognatus Imperii nostri magnus Logotheta dominus Georgius Acropolita ad affirmationem suprascriptorum ex mandato Imperii nostri juravit in præsentia beatæ memoriæ sanctissimi illius universalis Papæ domini Gregorii decimi, & tunc congregati apud Lugdunum sacrosancti concilii, quæ de verbo ad verbum sic se habent: Ego Georgius Acropolita & magnus Logotheta nuntius domini mei Imperatoris Græcorum Michaelis, Ducas, Angeli, Comnini, Palæologi, habens ab eodem sufficiens ad infrascripta mandatum, omne schisma prorsus abjuro, & suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est & fideliter exposita, nomine dicti domini nostri veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cognosco: eam accepto & corde & ore profiteor; ipsamque prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana ecclesia inviolabiliter me servaturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, vel quoquo modo deviaturum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam nomine ipsius & modo spontaneus veniens, pro ipso & pro me fateor, recognosco, accepto, ac sponte suscipio, & ipsa omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa ejusdem ecclesiæ Romanæ primatum, & ipsarum recognitionem, acceptionem, susceptionem observantiam, ac perseverantiam servaturum præstito in animam ipsius & nostram corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic ipsum & me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. Cum sic de verbo ad verbum continens juramentum, quod juravit dictus magnus Logotheta in præsentia dicti illius sanctissimi & beatissimi universalis Papæ domini Gregorii X. & dicti apud Lugdunum sacrosancti concilii, & nunc sanctissimus & beatissimus universalis Papa, venerabilis pater Imperii mei dominus Nicolaus III. universalis Ecclesiæ summus Pontifex petiit per venerabiles nuncios suos, videlicet religiosos viros fratrem Bartholomæum Grossetanum episcopum, & fratrem Bartholomæum de Senis ministrum Syriæ, fratrem Philippum lectorem Perusinum, & fratrem Angelum Urbevetanum sacri ordinis fratrum Minorum, ut renovet, multiplicet, affirmet, & ratificet per corporale juramentum ea, quæ dictus magnus Logotheta juravit, ut superius dictum est, & nos ipsi alias eadem fecimus corporali præstito juramento; Imperium nostrum perficiens petitionem sanctissimi & universalis Papæ venerabilis patris Imperii mei domini Nicolai III. consequenter suprascriptæ sic jurat.*

XXI. Confirmatum a Michaele.

*Ego Michael in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comninus Palæologus omne schisma prorsus abjuro; & suprascriptam fidei veritatem, prout plene est scripta, & fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cognosco: eam accepto, & corde & ore profiteor; ipsamque, prout veraciter tenet, fideliter docet, ac prædicat sacrosancta Romana ecclesia, me inviolabiliter servaturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, vel quoquo modo deviaturum vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie con-*

*tinetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto, ac sponte suscipio; & omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa ejusdem Ecclesiæ primatum, & ipsorum recognitionem, ac acceptionem, susceptionem, observantiam, ac perseverantiam servaturum, in animam meam præstito corporaliter juramento promitto: & confirmo prædictum juramentum prædicti magni Logothetæ mei, & meum, quod alias super his feci; & sicut feci, approbo, & ratifico. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Hactenus Palæologi literæ suis insertæ ab Andronico, qui pergit.

XXII. *Cum hæc de verbo ad verbum sanctus dominus meus Imperator Imperii mei transmiserit ad vestram magnam sanctitatem, nostrum Imperium totaliter sequens sanctum dominum meum Imperatorem & patrem Imperii mei, affirmans & acceptans omnia supradicta consequenter sic jurat. Ego Andronicus in Christo Deo fidelis Imperator Constantinopolitanus semper Augustus, moderator Romæorum & omnium subjectarum gentium Imperii Romaniæ, Ducas, Angelus, Comninus, Palæologus omne schisma prorsus abjuro & suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est, & fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cognosco: eam accepto, & ore & corde profiteor; ipsamque prout veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, me inviolabiliter servaturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, vel quoquo modo deviaturum vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto, & sponte suscipio: & omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa ejusdem Ecclesiæ primatum, & ipsorum recognitionem, acceptionem, susceptionem, ac perseverantiam servaturum, præstito in anima mea corporaliter juramento, promitto & confirmo, & dictum juramentum prædicti magni Logothetæ, prout in litera sancti domini mei Imperatoris & patris Imperii mei continetur, & meum, quod super his alias feci, & prout feci, approbo & ratifico. Sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

Superiora omnia admittit Andronicus.

*Hæc autem omnia suprascripta facit Imperium meum ad vestram magnificam sanctitatem, & per ipsum ad omnes successores vestros, roborans ipsa per propriæ manus Dei gratia imperialem subscriptionem meam, & per sigillum potentiæ meæ ad certitudinem perpetuo duratura. Præsens autem sacramentum actum est in nostra urbe felici Constantinopolitana in nostro sacro Imperiali palatio Blachernarum mense septembri indict. VIII. anno sexto milleno septimo centeno octuagesimo octavo, hoc ipso nimirum Christianæ salutis MCCLXXX. feliciter. Amen.* Hactenus Andronicus, quem brevi infanda perfidia hæc omnia violasse visuri sumus. Hæ porro literæ aliquot post Nicolai obitum diebus exaratæ sunt, cum nondum Constantinopolim Pontificiæ mortis rumor affluxisset. In quibus id observandum, nec Andronicum, nec Palæologum mentionem ullam fecisse de Nicolai postulatis, ut vox, *Filioque*, a Græcis in symbolo adiiceretur, ac Græci præsules conceptam iisdem verbis, quibus ab Romana ecclesia erat proposita, non autem aliis, ut vidimus, fidei formulam profiterentur, seque ad eam servandam solemni jurejurando obtringerent. Ceterum pervenere hæ literæ ad Martinum IV. quem sequenti anno ob studia impensa schismaticis Palæologum defixisse anathemate visuri sumus. [1] Nunc ad Nicolaum cujus obitus meminimus, redeamus.

Paulo post insigni perfidia Græci promissa violant.

XXIII. Tradit hæc de ipso Ptolemæus Lucensis (*a*): *Moritur apud Suricanum juxta Viterbium: & tunc corpus ejus transfertur Romam, & in basilica B. Petri in capella B. Nicolai, quam ipse ædificaverat, honorifice sepelitur anno Domini MCCLXXX. in octava Assumptionis.* His consentit Bernardus (*b*): *Nicolaus*, inquit, *Papa III. in castro Suriano existens*; eo ad declinandos ardores æstivos se receperat, *subito factus apoplecticus sine loquela moritur in octava assumptionis B. Mariæ Virginis*, eaque ratione Westmonasteriensis (*c*), ipsum XI. kal. septembris decessisse testatur: *cum tamen secundum benedictionem*, ut ait, *complexionis bonæ, & temperatum modum in vivendo, quem habebat, diutius vivere merito videretur. Fuit autem sepultus in capella S. Nicolai in basilica S. Petri die dominica tunc sequenti.* His accedunt, quæ Ricordanus (*d*) Nicolaum

(*a*) Ptol. Luc. l. 23. hist. eccl. c. 35.
(*b*) Bern. in chron. Rom. Pont. hoc ann.
Nicolaus apoplexia repente sublatus.
(*c*) Vvestm. Flor. hist. hoc ann.
(*d*) Ricord. hist. Flor. c. 207.

NOTÆ [1] CUm morem antiqua acceptum ætate Græci tenerent, indictiones nempe suas ab ipso septembris exordio ducendi, vide ne forte ex hac conjectura scriptæ a Palæologo ad Nicolaum pontificem literæ anno superiori obsignatæ fuerint. Præsentis quidem anni indictio VIII. agebatur, sed Græci illam a septembri superioris anni usque ad septembrim hujus anni supputabant. Hæc si valuerit conjectura scriptæ septembri mense indictione VIII. literæ annum 1279. præseferunt. MANSI.



Pontificatus Nicolai tempus.

laum augusto mense vita functum tradit. De eo quoque hæc Longinus (*a*): *Nicolaus Papa cum annis duobus, mensibus novem, diebus tribus sedisset.* At cum auctor idem ipsum XXIII. augusti e vivis excessisse confirmet, ac Nicolaus, ut ex ejus literis ostensum est, festo S. Catharinæ die, qui in VII. kal. decembris incidit, Pontifex renuntiatus fuerit, aliquot dies ex eo tempore detrahendos constat, atque adeo annis duobus, mensibus novem minus duobus diebus sedisse dicendum est; quod etiam Baronius confirmat (*b*). Ex quibus Martinus Polonus etiam emendandus, dum ait (*c*): *Sedit annis duobus, mensibus octo, diebus viginti duobus.*

(*a*) Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann.
(*b*) Baron. in sched.
(*c*) Mart. in Pol. in appendice.

XXIV. Novatorum errores in historia convicti.

Explodendus vero magis inter cæteros Novatorum (*d*) error, qui Nicolai obitum in annum sequentem coniciunt. Ipsum præterea Sutrii vita functum perperam scribunt: cum tamen non Sutrii, sed in oppido Suriano e vivis ereptus sit. Purissimis moribus, atque ab omni libidinis labe immunem fuisse scribit Ricordanus, (*e*) cui Joannes Villanus, (*f*) & S. Antoninus (*g*) aliique assentiunt; quamvis in suos nimio propensum amorem & congerendis in eos opibus studuisse dicant: neque aliam maculam, si ea infectus fuisset, dissimulassent. Unde mendacissimos Novatores, quos paulo ante memoravi, refellas, qui luxuriæ maculam ipsi aspergere nituntur (*h*). Inter cætera porro egregia opera, quæ ille suscepit, laudat Ptolemæus Lucensis (*i*) pontificium palatium ab eo juxta S. Petri basilicam excitatum, ac pomarium elegantissimum mœnibus lateritiis cinctum.

(*d*) Cent. 13. c. 10. col. 1007.
(*e*) Ricord. hist. Flor. c. 204.
(*f*) Jo. Villan. l. 7. c. 54.
(*g*) Anton. 3. p. tit. 20. c. 3. §. 3.
Dissolutæ eorum calumniæ.
(*h*) Cent. 13. c. 10. col. 1008.
(*i*) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 23. c. 28. & in Annalib. hoc ann.
Palatium S. Petri a Nicol. extructum.

XXV. *Hic, inquit, (k) Nicolaus III. multas novitates fecit primo, quia apud S. Petrum ædificavit palatium multum solemne pontificale, ubi mandavit fieri domos pro omnibus officialibus suis, sed præcipue pro omnibus pœnitentiariis, qui claudebantur sub uno cancello: ubi fecit fieri unum viridarium de diversis consitum arboribus, & magnæ amplitudinis, quam & muro cinxit amplissimo, fortissimo, & alto, ac turribus munito, quasi civitas esset.* Quibus consentanea in appendice (*l*) Martini Poloni traduntur, addit Ptolemæus (*m*): *Hic ecclesiam B. Petri quasi totam renovavit, & numerum summorum Pontificum fecit describi secundum imagines in ecclesia B. Petri in loco eminenti, & B. Pauli, ac S. Joannis de Laterano. Auget multum divinum cultum ecclesiæ B. Petri quantum ad numerum canonicorum, & augmentat præbendas.* At de eo jam ante abunde actum est. De aliis ab ea excitatis ædificiis, auctoque ecclesiarum cultu addit superioribus Ptolemæus Lucensis in historia Ecclesiastica.

(*k*) In hist. eccl. l. c.
(*l*) Martin. Pol. l. 4.
(*m*) Ptol. Luc. sup. cap.
Adornata picturis ab eo basilica S. Petri.

XXVI. Decorata etiam Lateran. basilica.

*Hic etiam palatium Lateranense, quod de novo Adrianus quintus inceperat, fecit perfici, nec non & sacram basilicam ad sancta Sanctorum evidentius ruinosam a solo terræ opere perpetuo inter ipsam per latera vestita marmore, ac in superiori parte testudinis picturis pulcherrimis ornata fundari jussit, capitibus Apostolorum cum carne circumcisionis domini nostri Jesu Christi, capillis quoque beatæ Virginis, & capite beatæ Agnetis, seorsum positis; quarum reliquiarum quælibet in propria capsa erant: & exinde manu ejus propria in palatium ipsum novum de nocte translatis, & custoditis ibidem per religiosas personas & fide etiam dignas, donec basilica fuit completa, commisit. Demum autem Romano populo utriusque sexus generaliter, ac multis prælatis, & aliis innumeris gentibus concurrentibus personaliter, argenteas capsas ipsas eas reduxit in altare ejusdem basilicæ, quam pridie nonas junii consecravit. Multa virtuosa eidem attribuunt historici, quod magnus eleemosynarius, quod devotissime celebrabat, & semper in missa flebat. De magna prudentia commendabatur, ac in omnibus actibus suis multum maturus vacantes ecclesias super omnes prædecessores suos velocius expedivit. Notarios etiam ut Gregorius X. & Joannes XXI. a se repulit, nullam eis audientiam dando.*

Reliquiæ sacræ in pretiosissimis locularis repositæ.

De ejus eleemosynis.

Ex pietatis sensu inter sacra fundebat lacrymas.

XXVII. In conferendis porro sacerdotiis, viros pios doctioribus prætulisse (*n*) refert Sansovinus, ac facti rationem addere solitum, nimirum doctrinam vitæ probitate destitutam venenum immedicabile esse. Et quidem testatur Ptolemæus Lucensis (*o*), plures religiosos viros ab eo ad episcopales sedes provectos: *Hic multos*, inquit, *episcopos religiosos fecit de ordine fratrum Minorum.* Extulisse non modo ad honorum eos gradus religiosos viros, ut virtutum exempla in populos transfunderent, sed etiam Cardinalium collegio aggregasse, ut Latinum Robertumque Prædicatores, Bentevengam, & Hieronymum Minoritas vidimus. Cumque mentio Cardinalium inciderit, addemus ab eo præter alios ex Jordano suo loco (*p*) memoratos, Ordonium Tusculanum episcopum, & Gerardum basilicæ XII. Apostolorum presbyterum sacra purpura ornatos, de quibus in regestis pontificiis frequens mentio incidit. Cur vero maxime Minoritas Nicolaus ecclesiasticis afficeret dignitatibus, exponit Ptolemæus: *Quia*, inquit, *ipsos specialiter dilexit & ipsorum protector semper fuit usque ad papatum.* Observat porro Jordanus (*q*), ipsum inito pontificatu, cum Minoritarum clientelam Matthæo Rubeo Cardinali commendaret, singulare illud studium

(*n*) Sansov. de famil. Ursin. l. 2.
(*o*) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 23. c. 30.
(*p*) An. 1287. n. 58. Martin. Pol. l. 4. in Nicol. III.
(*q*) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.

Insigne benevolentiæ erga Minoritas argumentum.

dium in S. Francisci sodalitium egregie explicuisse: *Constituit*, inquit, *loco sui procuratorem ordinis Minorum Matthæum Rubeum S. Mariæ in porticu diaconum Cardinalem subjectis verbis: Si beneficia per nos tibi impensa magna inveniantur & multa; in nullo tamen sic e vicino dedimus tibi arrham æternæ vitæ, sicut in eo, quod tibi modo committimus. Damus enim tibi, quod te in paradisum inducat, merita scilicet sanctorum fratrum ordinis hujus: damus tibi melius quod habemus: damus tibi desiderium cordis nostri & pupillam oculorum nostrorum. Et hoc dicens non modo lacrymas fudit, sed etiam singultus vir tantæ maturitatis continere non valuit. Et extenta manu proprium annulum tradidit illi dicens: Tibi committimus ordinem fratrum Minorum; & illa verba regulæ recitavit: Qui sit gubernator, protector, & correctio, &c. Gubernatione, inquiens, & correctione tua non egent: sed pauperes, & imbecilles, & habentes impugnatores tua indigent protectione defendi.*

Fluxisse ex ea propensissima in Franciscanos Nicolai benevolentia, ut præscriptam a S. Francisco religiosæ vitæ formam in nonnullis ambiguis declararit, refert Ptolemæus Lucensis memoratus: *Propter quam causam*, inquit, (*a*) *ipsorum regulam declaravit per quandam decretalem, quam fecit, quæ habetur in 6. l. de verb. signif. c. Exiit qui seminat. Quod non fuit incongruum, cum etiam declarari possent per ipsum & regula Evangelica, & Apostolica dicta, secundum sacrorum doctorum sententias: unde quia dubia quædam in dicta regula videbantur, hæc certiorari voluit in decretali præfata*. In ea vero constitutione advertendum, Nicolaum rerum futurarum inscium, ex ingenti in Minoritas studio, rerum omnium, quæ religiosæ illi familiæ concederentur, permisso Minoritis usu, sedi Apostolicæ dominium reservasse: ex quo ingentia postea scandala, quæ Ecclesiam, concusserunt, emersere: in superbiam enim elati nonnulli Minoritæ spernere postea alios religiosos ordines, suamque venditare paupertatem dominio rerum omnium exutam cœperunt; (*b*) illiusque specie pontificio nomine pro cogendis opibus injustas lites movere: cumque his malis Joannes XXII. occurreret, editaque constitutione dominium illud, ut fictitium & nullius utilitatis abdicasset, ac definivisset controversia capita de Christi & Apostolorum paupertate, non defuere in eo ordine, qui hæreses schisma conflarunt; de quibus suo loco: nunc ad Ptolemæum Lucensem redimus.

(a) Ptol. Luc. l. 23. hist. eccl. MS. c. 28.

(b) Extrav. Jo. XXII. de verb. signif. Ad conditorem canon.

XXVIII. Post allata hæc elogia ipse nonnullos illi nævos aspergit, quos Bernardinus (*c*) Tonus in MS. Nicolai vita refellit, in primisque suorum amantiorem (quod ab aliis objectum dixi) extitisse, (*d*) suspicionemque injecisse duos nepotes Insubriæ, & Etruriæ creare Reges meditatum. [1] De quibus condendis regnis hæc Jordanus (*e*): *Tractabat quoque idem Pontifex cum dicto Rege*, nimirum Rodulpho, *super novitatibus faciendis in Imperio, ut videlicet totum Imperium in quatuor divideretur partes, in regnum Alemanniæ quod dabatur posteris Rodulphi perpetuum, in regnum Viennense, quod dabatur in dotem uxori Caroli Martelli filiæ dicti Rodulphi: de Italia vero præter regnum Siciliæ duo regna fiebant, unum in Lombardia, aliud in Tuscia: sed interim Papa mortuus est*. Ubi mortis Nicolai fama Romæ increbuit, ingentes seditiones exarsisse scribit Nangius (*f*): Annibaldenses enim amicorum opibus ac potentia freti sese Ursinis ita æquarunt, ut ex utraque familia unus eligeretur, ac senatoris munus ambo exercerent, quibus rempublicam gerentibus, passim cædes editæ, atque ingentes tumultus magna sceleris impunitate concitati.

An-

(c) Bern. Tonus MS. vit. Nicol. III.

(d) Ptol. Luc. MS. l. 23. hist. eccl. c. 31.

(e) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960 Sansovin. de Ursin. famil. l. 2.

(f) Nangius MS. Vall. bibl. sign. lit. C. n. 25. Nang. in reb. gest. Phil. Martin. Polon. l. 4.

Graves seditiones in Urbe exortæ.

NOTÆ [1] QUæ Nicolaus meditabatur de quatuor regnis condendis, seu potius veteribus regibus novis aliis adiiciendis, quorum unus in Insubria, alter in Etruria, tertius in reliqua Italia regnaret, non ita absona fuerunt, ut propterea in Nicolai nomen invidia apud posteros creanda sit. Superius enim in Nota ad 1273. 6. animadverti hoc ipsum consilium suggessisse Humbertum de Romanis, Ord. Præd. generalem magistrum, dignamque rem judicasse quæ in Generali Lugdunensi Concilio serio discuteretur. MANSI



I. Interpontificii tempore magni tumultus coorti.

ANno Christianæ salutis primo supra millesimum ducentesimum octuagesimum, indictione nona, in Romana curia, quæ tum Viterbii consistebat, post ingentes, quæ Ecclesiam Nicolai III. morte rectore destitutam, tempestates exceperunt, jubente eo, cui venti & mare obediunt, tranquillitas suavissima novi Pontificis electione arrisit. Quæ vero procella fuerit concitata, prodit historiæ Jordanus (*a*): *In electione Martini IV. accidit turbatio, quod dominus Matthæus Rubeus Cardinalis fuit singulariter reclusus in quadam camera per officiales Viterbienses, consentiente domino Richardo nobili viro Romano de Annibaldensibus, dicto de Larota, qui tunc erat dominus in Viterbio. Cardinales autem tunc non includebantur secundum formam constitutionis, quæ revocata fuerat per Joannem Papam: reclusio tamen erat spontanea, ut de electoribus aliorum prælatorum fieri solet. Ex hac igitur violentia omnes auctores sententiam excommunicationis incurrunt, & civitas supposita interdicto; & ex tunc curia ibidem residentiam facere noluit. Prædictus autem Richardus cum multa humilitate venit de domo propria Romæ nudis pedibus & cum corrigia ad collum usque ad domum domini Matthæi, humiliter veniam petens: & idem Cardinalis ejus absolutionem impetravit*. De Card. Ursino carceri tradito consentit Ptolemæus Lucensis (*b*).

(a) Jord. MS. Vat. bibl. sign. n. 1960.

Suscepta ab eo, qui Card. Ursin. læserat, pœnitentia.

(b) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 1. & in annal. hoc ann.

II. Jordanus & Matthæus Cardinales traditi custodiæ.

Verum duos ex Ursinorum familia Cardinales mancipatos custodiæ, nimirum Matthæum, & Jordanum, Ricordanus (*c*) Malespina atque ex eo Joannes Villanus (*d*) & S. Antoninus (*e*) tradunt. De quo facinore hæc Honorii IV. literæ (*f*): *Cum Romana curia dudum Viterbii residente, præfata Ecclesia per felicis recordationis Nicolai Papæ prædecessoris nostri obitum pastore vacaret; ac nos & fratres nostri, de quorum numero tunc eramus, ipsius Ecclesiæ Cardinales convenissemus solicite in palatio episcopatus Viterbiensis pro electione de summo Pontifice celebranda; & studeremus omnimode impedimenti cujuslibet obicem submovere, ut superna favente clementia celeriter provenire contingeret, quod tunc mundi necessitas ac nostrum & ipsorum fratrum fervens desiderium exquirebat; memorati Viterbienses, ut præconceptum virus evomerent, & quam gerebant iniquitatem interius, exterius revelarent, pulsata campana, sumptis armis & scelestis actibus data licentia, in furoris spiritu, ad prædictum palatium concurrentes, ac humanitatis & reverentiæ debito a se penitus relegato, in palatium ipsum clamoribus terribilibus editis irruentes, grassantes in patres, in pastores atrocissime sævientes, dilectos filios nostros Matthæum S. Mariæ in porticu, & Jordanum S. Eustachii diaconos Cardinales, columnas quidem Ecclesiæ, omnique reverentia pertractandos; quamquam Viterbienses prædicti firmiter promisissent, se tunc ad inclusionem, vel arctationem prædictorum fratrum nullatenus processuros, injectis in nonnullos ex eisdem fratribus manibus violentis, & non levibus dictis Matthæo & Jordano Cardinalibus irrogatis injuriis, in una ex cameris ejusdem palatii, obstructis ostiis & fenestris illius, ausu sacrilego incluserunt, nonnullis ex aliis fratribus supradictis, dum præsumptioni tam temere, tam detestandis aggressibus refragari solicite niterentur, indecenter & irreverenter impulsis, ac eisdem Matthæo & Jordano Cardinalibus sub dura & suspecta nimis carcerali custodia positis, tandem prædicto Jordano ab hujusmodi custodia, quamvis sub certis pactis, & conditionibus relaxato, præfato Matthæo Cardinali, diebus plurimis sic ab illis injuriose detento, per dies aliquot cibaria inhumaniter subtraxerunt eidem, pane & aqua dumtaxat juxta ipsorum dispositionem nefariam reservatis, non permittendo quod proprius confessor accederet ad eumdem; in temeritates alias diversas & varias nihilominus prorumpendo, in grandem divinæ majestatis offensam, Apostolicæ sedis, & Romanæ ac universalis Ecclesiæ, nec non & nostram atque dictorum fratrum vehementem injuriam & contemptum, magnumque scandalum populi Christiani, &c.* At de pœnis Viterbiensibus ob violatam horum Cardinalium dignitatem inflictis agetur inferius. Addit S. Antoninus abductum cum iis fuisse Latinum Cardinalem Ostiensem (de quo plura nos supra) & conclavi postmodum, duobus Ursinis in privato carcere detentis, redditum. Hæc vero assentiente Carolo Siciliæ Rege gesta, quem audita Nicolai morte Viterbium se contulisse auctor est Ricordanus, quod memorati Jo. Villanus & S. Antoninus indicare videntur.

(c) Ricord. hist. Flor. c. 207.

(d) Jo. Vill. l. 7. c. 58.

(e) Anton. 3. p. tit. 20. c. 4. in princ.

(f) Hon. IV. l. 1. ep. cur. 18.

Indigne a furente populo habiti.

III. Simon tit. S. Cæcil. Pontifex renuntiatus. Martini IV. nomen accipit.

Post eos motus Cardinales Simonem Cardinalem tit. S. Cæciliæ, virum ornatissimum virtutibus ad pontificatum evexere concordibus suffragiis, tantoque ardore animorum, ut respuenti pontificios apices, evulsa veste Cardinalitia, vim illi intulerint (*g*). Cessit itaque omnium votis Simon, ac Martini nomen accepit, proposita (*h*) sibi pro symbolo ea sententia, qua transfusos omnes

ad

(g) Mart. to. 1. l. 1. ep. 1. Masson. l. 5. in Mart. II. vulgo IV.

(h) Formul. Mar. Ebul. MS. Vat. pag. 63.

ad cœlestia affectus exprimebat: *Portio mea Domine in terra viventium*. Et quidem avulsum a terrenarum rerum amore testatur S. Antoninus, dum ait (*a*): *Post vacationem sedis quimestrem electus fuit in Papam is, qui dictus est Martinus IV. natione Gallicus, patria Turonensis*, Bria nimirum oriundus in agro Turonensi, *etsi non nobilis genere secundum carnem, tamen moribus generosus & magnanimus, & a cupiditate pro se, vel suis alienus, ecclesiasticique juris zelator*. Subdit sanctus auctor insigne exemplum, quo irretitum nimio in suos studio non teneri demonstravit: *Cum germanus ejus ad ipsum accessisset gratia visitationis & congratulationis, sperans aliquid forte ab eo magnum obtinere, quam citissime eum remisit ad propria cum modicis muneribus, & moderatis expensis, dicens quod quæ habebat ut Papa, bona essent Ecclesiæ non sua, unde nec dissipare vellet indiscrete donando.*

(*a*) S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 4. in prine. Suos Ecclesiæ opibus ditare refugit. Egregia illius vox.

IV. Conscendisse sedem Apostolicam ipso sacro S. Petri cathedræ die referunt vitæ illius auctor (*b*) Martinus Polonus (*c*) nonnullaque ante pontificatum gesta adjungunt his verbis: *Martinus IV. natione Gallicus eligitur anno Domini MCCLXXXI. in die cathedræ S. Petri. Hic vocabatur Simon tit. S. Cæciliæ presbyter Cardinalis, fuitque per Urbanum Papam IV. promotus ad Cardinalatum, & per eundem Urbanum primo, & secundo per Gregorium Papam decimum in Franciam missus legatus, & per plures annos ibi legatus extitit*. His addit Jordanus (*d*): *Et multas bonas ordinationes ibi dimisit fi matas in provincialibus synodis per eum congregatis: in sumptibus autem fuit multum magnificus, religiones dilexit, Minorum maxime & Prædicatorum*. Eadem cum Jordano Ptolemæus Lucensis (*e*) scribit, ac multa a nobis jam ante suis locis e Pontificum literis recensita fuerunt. Antequam vero Cardinalitia purpura ornatus esset, sacerdotium gessisse in ecclesia Rhotomagensi, ipsemet in epistola sesequenti anno ad canonicorum collegium data docet (*f*) his verbis: *Non enim sumus immemores, quinimo frequenter ad memoriam revocamus, quod ipsa ecclesia nos, dum in minoribus ageremus, maternis nutrivit affectibus, prævenit gratiis, beneficiis honoravit*. In Turonensi etiam ecclesia sacri ærarii præfectus & canonicus extitit, ut testantur ejus literæ e chartario Turonensi ecclesiæ a Massonio (*g*) adductæ: unde gratæ mentis ergo in S. Martinum Turonensem, ejus nomen sibi indidisse ferunt. Cæterum cum unus tantummodo ejus nominis sanctus Pontifex eum præcesserit, me latet, cur non secundus, sed quartus ab antiquis auctoribus appelletur.

(*b*) MS. bibl. Vallic. sig. C. n. 25. & n. 79. (*c*) Mart. Polon. l. 4. in Mart. IV. Gesta ab eo ante pontificatum munera. (*d*) Jord. MS. Vat. sig. n. 1970. & alii. Ejusdem dotes. (*e*) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 1. (*f*) To. 1. l. 2. ep. 42. In Rothomag. eccl. sacerdotium gesserat. Et in Turonensi. (*g*) Masson. l. 5. in Mart. II. vulg. IV. Ex pietate in S. Martinum ep. illius nomen sibi imposuit.

V. Secundus ejus nominis non quartus dicendus esset.

Gerebat quidem in votis Martinus in Urbe solemni ritu pontificiæ ornamenta dignitatis sibi conferri, intestinosque Urbis motus sedare: utque iter optatis sterneret, Latinum episcopum Ostiensem & Gottifridum S. Georgii ad velum aureum Cardinales misit, ut in literis (*h*) ad Carolum Regem Siciliæ testatur his verbis: *Exigebat Urbis intestina turbatio, animarum pericula ingerens, & rerum vastitatem inducens; ad idem urgebat instantius nostra devotio interpellans multipliciter, & instigans, ut in illius, videlicet Apostolorum Principis, veneranda basilica successor ipsius munus consecrationis reverenter acciperet, cujus divina dispositione onus successionis accepit; in ea civitate sumeret idem successor apostolici honoris insignia, ex qua titulum suæ denominationis assumit Romanus Pontifex, seu Papa vocatus. Hinc ut saluti tam specialium filiorum provisio paterna succurreret, damnis occurreret, & tantæ ipsius nostræ devotionis instantiæ desiderata satisfactio proveniret, nostræ consecrationis & coronationis solemnia, non sine multorum persuasione contraria, non absque negotiorum nobis imminentium & ad retardatæ ipsorum expeditionis accelerationem instantium impedimento distulimus, ad Urbem eandem venerabili fratri Latino Ostiensi episcopo, & dilecto filio nostris Gottifrido S. Georgii ad velum aureum diacono Cardinali velut pacis Angelis destinatis, ut inibi statum reformando pacificum sopirent odia, concordarent corda discordia, & in unitate charitatis unirent, nobisque adeundi Urbem eandem, ad prosequenda præsertim eadem solemnia, opportunitatem curiæ nostræ, ipsamque sequentibus necessariam præpararent.*

(*h*) Ext. in l. priv. Rom. eccl. MS. Vatic. to. 3. pag. 279. & MS. Vallic. sig. lit. B. n. 12. p. 297. Missi ob id ad sedandos urbis motus duo Cardinales.

VI. Adversæ factiones conciliari non possunt.

Efferati nimirum mutuis odiis procerum animi (eos vero Annibaldenses & Ursinos fuisse, ac demum Ursinos, qui ob nimiam sedente Nicolao collectam potentiam invidiam sibi pepererant, succubuisse ferunt *i*) flecti tam cito ad concordiam non potuere: atque adeo Martinus solemnem consecrationis pontificalis pompam Urbevetere peregit; de qua Jordanus (*k*): *Hic post ejus promotionem a Viterbio discedens noluit ibidem consecrari; sed se transtulit ad Urbemveterem, & ibi consecratus fuit x. kal. aprilis*. Præcipitis hujus e Viterbio discessus causam designat Ptolemæus Lucensis (*l*) nimirum ob Ursinos Cardinales a Viterbiensibus mandatos custodiæ: *Ex hac*, inquit, *violentia omnes auctores sententiam excommunicationis incurrunt, & civitas Viterbiensis ecclesiastico supponitur interdicto; & ab illo tempore curia ibidem usque modo residentiam non fecit; duravitque istud interdictum non modicum.* Eadem de Martino tiara pontificia Urbevetere redimito Bernardus (*a*), Nangius (*b*) & alii: idque etiam indicant encyclicæ literæ ex ea urbe ad orbis Christiani præsules, quibus de susceptis a se Ecclesiæ catholicæ gubernaculis certiores eos factos monuit (*c*) ut operam cum ipso in re Christiana augenda conjungerent, ac Numen precarentur, ut cœlesti ope tanto muneri imparem fulciret.

(*i*) Vit. Mar. auct. MS. Vallic. sig. C. n. 25. Martin. Pol. l. 4. in Mart. IV. & alii. (*k*) Jord. MS. Vat. sig. num. 1960. Consecratur Urbevetere. (*l*) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 2. Viterbienses sacrorum usu mulctati.



(*a*) Bern. in chron. Rom. Pont. (*b*) Nang. in Phil. Reg. Franc. Mart. Polon. l. 4. in Mart. IV. & alii. (*c*) To. 1. l. 1. ext. etiam in for. Marin. Ebul. MS. Vatic. pag. 145.

VII. De sua promotione ad præsules scribit. Divinæ providentiæ commendatio.

*Martinus &c.*

*Incomprehensibilia Dei judicia, & investigabiles viæ ejus, grandem nimirum stuporem considerantibus ingerunt, & causam profecto non levis admirationis inducunt. Quis enim in illorum consideratione non stupeat? Quis non stupendo miretur, & timeat illa judiciorum secreta cœlestium, quorum ordinem non datur nosse mortalibus, aut in terra ponere rationem: quorum mysteria mens humana, nec investigando comprehendere sufficit, nec considerando discutere, vel manifestare loquendo? Quis, inquam, absque stupore ac terrore latentes quotidianorum eventuum prævisiones attendat? Quis intelligere valeat discretam lanceam æquitatis occulta, qua illa, in quo sibi misericordia & veritas obviarunt; qui Ecclesiæ, quam non solum misericorditer, sed mirabiliter suo sanguine pretioso fundavit, & in adeo solida firmitate petræ inviolabilis stabilivit, ut portis inferi & mortis legibus prævaleret; suam in sanctis Apostolis promisit omnipotentiam usque ad consummationem sæculi assistricem; ipsam humano judicio quodammodo derelinquens, eam tam frequentium vacationum, & aliquando etiam diffusarum vexari permittit incommodis, & in substituendi Pontificis expectatione languere? Qua ipse idem sapientissimus ponderator, qui sua ineffabili sapientia in statera rectissima merita singulorum appendit, & unicuique secundum opera sua reddit, illius regimen, etsi justa, nobis tamen ignota & miranda librationе dispensans, illud sic libra inscrutabilis dispensationis alternat, ut is subtrahatur interdum, cui suppetebat in abundantia fortitudo virtutum, cujus vita subditis profutura sperari poterat eo ipso longævior ad dandam salutis scientiam plebi suæ: substituatur vero qui se potest non indigne fateri, & virtutum inopia debilem, & alias imparem ad summi pontificii sarcinam supportandam?*

VIII. Imparem se prædecessoris virtutibus prædicat.

*Hujusmodi subtractionem in obitu felicis recordationis Nicolai Papæ prædecessoris nostri, cujus longe luteque fama claruit, emicuit vita, experientia & prudentia eminebat, eadem perpessa mater Ecclesia viduitatis angustias aliquandiu peramare deflevit: substitutionem autem prætactæ non absimilem in nostra vocatione ad apostolatus officium; cujus seriem subscripta describunt, nos, ex nostrorum consideratione defectuum in humilitatis spiritu profitemur. Memorato siquidem prædecessore nostro, prout Domino placuit, ab hac luce subtracto, ejusque corpore delato ad Urbem, ibique in Apostolorum Principis basilica, ubi sepeliri delegerat, cum exequiarium solemnitate debita tumulato; nos & fratres nostri anxii de vacatione ipsius Ecclesiæ, Viterbii, ubi tunc Romana residebat curia, in episcopali palatio concordi voto convenimus, provisioni ejusdem Ecclesiæ propensiorem daturi operam, prout necessitas exigebat. Circa hoc autem pluribus tractatibus habitis, post aliquanti temporis moram, quam casus varii, & diversæ circumstantiæ induxerunt; demum in festo cathedræ ipsius Apostolorum principis, iidem fratres nostri per viam scrutinii ad electionem celebrandam electam, concorditer in nos, tunc tituli S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem unanimiter concordantes, ad summi apostolatus apicem, & ipsius cathedræ nos elegere conscensum.*

Alludit ab seditiones interpontificii tempore excitatas.

IX. *Quam nos, ut est, speculum existimantes eo non immerito altitudinis grandioris, quo eidem insidens constitutus super omnia speculator locatus altius, prospectare longius, cuncta speculari tenetur attentius, & totius orbis ambitum curæ suæ commissi non tam præsentia quam providentia circuire; extirpare vitia, virtutes inserere, pro viribus ecclesiarum obviare periculis, providere commodis, & saluti specialiter intendere animarum; status eminentiam, & immensitatem imminentis oneris pensabamus: tanto ex hujusmodi vocatione redditi proinde magis attoniti, quanto ab altioris gradus appetitu fueramus ab olim fixo proposito alieni, arbitrati semper tutioris fore consilii nobis altiora non quærere, in domo Domini humiliter habitando, de propria salute curare, quam periculose super universalem omnium curam erigi, & ad tanti fastigii solicitudinem elevari. Hinc insufficientiæ nostræ consideratio contrahebat animum, & a tanti assumptione laboris dexteram retrahebat, suadebat instantius potius tantæ molis pondus effugere, quam eorumdem fratrum instantiæ consentire. Verum in contrarium conscientia suadente, non esse vocationi Domini, quam tanto verisimilius eorumdem fratrum adeo unanimis concordia prætendebat, quanto diutius ipsorum fuerant vota discordia, contumaciter resistendum; ne ipsa Dei Ecclesia eo prolixius viduitatis dispendiis gravaretur, quo alias spes erat incertior de ipsius provisione vicina; tandem variis allegatis excusationibus, nec ad-*

Demisse de se fentit.

Ut promotioni suæ fuerit obluctatus.

Discerpta etiam vestis Cardinalitia fuerit ab electoribus.

*admissis; sed ab eisdem fratribus in eo fervore voluntatis anxiæ, importunitatisque multimodæ obauditis, ut manus ad exuendum nos chlamydem, qua tegebamur, extenderint, nec ipsius rupturæ pepercerint; sub spe unigeniti Dei Filii domini Jesu Christi humilitatis nostræ colla subjecimus jugo apostolicæ servitutis, de sua pietate sperantes, quod ipse, qui juxta evangelicam veritatem quinque panum, duorumque piscium paucitatem satietati discumbentis ad jussum ipsius immensæ multitudinis cum mira fragmentorum superabuntia coæquavit, nostræ imbecillitatis insufficientiam sua immensa virtute quali quali saltem sufficientiæ tanti oneris, & laboris æquabit.*

X. *Ad quod de sua misericordia obtinendum vestrarum orationum suffragia ferventi desiderio imploramus; universitatem vestram monentes & hortantes in Domino, vosque nihilominus rogantes instanter, quatenus preces humiles, devotas, & sedulas frequenter fundatis ad Dominum, ut ipse in ubertate suæ clementiæ prætactam nostram inopiam suppleat, debilitatem fulciat, nobisque quod est onerosum leviget, quod laboriosum alleviet, quod obscurum suæ claritatis luce revelet, & aspera convertat in plana; sicque vota nostra præveniendo clementer aspiret, & misericorditer adjuvando benignius prosequatur, quod zelus noster semper in ipsius beneplacitis ferveat; nec unquam in illorum executione torpescat. Vos quoque, quos de gregibus diligentiæ vestræ commissis pastoralis officii cura solicitat, ita diligenter illud studeatis implere, quod cum discussio venerit, & exacti fueritis pro illis reddere rationem, non solum illam cum securitate reddatis, sed exigentis gratiam; & interim in vestris ecclesiarumque vestrarum negotiis, super quibus potestis ad nos cum securitate recurrere, Apostolicæ sedis propitium mereamini sentire favorem, &c. Dat. apud Urbemveterem.*

Præsulum preces implorat.

XI. Adscivit paucis post diebus laborum in administranda re Christiana socios viros insignes, quos numero Cardinalium aggregavit, interque alios Benedictum Gajetanum Anagnia oriundum, qui Bonifacii VIII. nomen postea in pontificatu gessit, atque Hieronymum tit. S. Potentianæ presbyterum Cardinalem, qui Nicolai IV. indito nomine Ecclesiæ præfuit, ad Prænestinum episcopatum, Gerardum vero, qui postea in Sicula legatione inclaruit, ad Sabinensem sedem provexit. De qua Cardinalium creatione hæc in Martini Poloni appendice (a) tradita sunt historiæ: *Ordinationem in vigilia resurrectionis dominicæ proxime sequenti faciens, prædictum dominum Gerardum tit. sanctorum Apostol. in Sabinensem, ac præfatum dominum Hieronymum tit. S. Potentianæ Prænestinum presbyteros Cardinales episcopos; dominum Hugonem Anglicum tit. S. Laurentii in Lucina, dominum Gervasium tit. S. Martini in monte, dominum Gaufridum Burgundum tit. S. Susannæ, & dominum Joannem Coletum tit. S. Cæciliæ, Comitem Mediolanensem tit. SS. Marcellini & Petri in presbyteros; dominum vero Benedictum tit. S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem promovit.* De aucto a Martino illustribus hisce viris Cardinalium collegio Jordanus, (b) Ptolemæus Lucensis, (c) Bernardus, (d) vitæ Martini MS. auctor & alii meminere.

(a) Mart. Pol. l. 4. in Mart. IV.

(b) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.
(c) Ptol. Luc. MS. hist. eccl. l. 24. c. 3.
(d) MS. Vall. sig. lit. C. n. 25. & 79.

XII. Amplificato Cardinalium senatu, ad tuendam ditionem ecclesiasticam, ac vindicandam e tyrannide Guidonis e Monteferetro Æmiliam consilia convertit: Lambertatiorum enim Bononiensium factione inflatus vir nefarius provinciam, nondum in sedis Apostolicæ obsequio confirmatam, sibi subiicere meditatus est, rerumque novarum cupidos in suas partes pellicere; ad cujus reprimendos conatus Pontifex auxiliares copias ab Rege Carolo excivit; tum ex Etruria terrisque Ecclesiæ obnoxiis exercitum confecit, in quo Joanni de Epa supremum imperium dedit, (e) ut subjectæ ad eum datæ literæ demonstrant: quem Romaniolæ creasse comitem Ricordanus, (f) Joannes Villanus, (g) & S. Antoninus (h) tradunt, ac Jordanus (i) etiam octingentis Gallis succinctum in Flaminiam adversus Guidonem missum meminit.

(e) Tom. 2. pag. 5.
f) Ricord. Malesp. hist. Flor. c. 207.
(g) Jo. Vil. l. 7. c. 58.
(h) S. Ant. 3. p tit. 20. cap. 4.
(i) Jord. MS Vat. sign. n. 1960. & vit. Mart. IV. MS. Vall. bibl. sign. lit. C. n. 25.

*Martinus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Joanni de Epa totius provinciæ Romaniolæ, civitatis Bononiensis, comitatus Brictenorii, ac pertinentiarum earumdem rectori salutem, & apostolicam benedictionem.*

*Enormes injurias, graves offensas, durasque molestias, quas sub continuatione temporis longioris Guido de Montefeltro, iniquitatis filius, pravitatis alumnus, cum suis sequacibus, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cunctorum matri fidelium, damnatis ausibus irrogavit, terram Romaniolæ, quæ ipsius Ecclesiæ specialis existit, diversis & variis afflictionibus opprimendo, ac civitates & alia loca varia inibi nihilominus præsumptione temeraria occupando, jam fere terrarum fines orbisque anguli volucris famæ relatibus agnoverunt. Nos autem ab ipsius pene promotionis nostræ primordiis ad prædictam terram considerationis aciem convertentes, dirisque pressuris compatientes ipsius, stabiliter duximus disponendum, ut cum Guidonis, & sequacium prædictorum elata superbia, qui utpote in malitia obfirmati nec Deum timent,*

Jussus Guidonem bello domare. Guidonis effrænata insolentia.





*ment, nec hominem reverentur, non flecti monitis, non minis conteri, nec metus incussionibus valeant emolliri; brachii sæcularis invocaremus auxilium contra eos, & quos Dei timor a malo non revocat, necessitas eorum nequitiam refrænatura compescat. Propter quod tantam illius abominationis insaniam, tantamque æquanimiter sustinere stultitiam, cogente nos conscientia; nequeuntes mandavimus, prout tuam novimus non latere notitiam, tam de gente charissimi in Christo filii nostri Regis Siciliæ illustris, quam terris ipsius Ecclesiæ, nec non & de aliis diversis partibus victricem, auctore Domino, exercitum congregari, adversus prædictos G. tantæ insolentiæ virum, tantæque ministrum nequitiæ, ac ejus complices feliciter, Deo auspice, processurum. Desiderantes igitur ipsum regi, & dirigi providi gubernatione rectoris, cujus eum strenuitas animet, & circumspectio moderetur; te virum, sicut assertione fide dignorum accepimus, in armis strenuum, & in aliorum exercitio experientia diutina eruditum, ad hujusmodi ministerium duximus eligendum, te constituentes magistrum ipsius totalis exercitus, rectorem, & capitaneum generalem, tibique in illo magistri, rectoris, & capitanei generalis officium cum omni sui juris plenitudine committentes, &c. Datum apud Urbemveterem* VII. *kal. junii pontificatus nostri anno* I.

Excitæ in eundem Regis Caroli auxiliares copiæ.

XIII. Duxit paulo post Joannes de Epa in hostes aciem, ac superior quidem extitit, sed cladem etiam levem accepit [1]. Cui Pontifex gratulatorias ob partam victoriam literas dedit (a) utque strenue eos lacesseret, debellaretque, incitavit: *Devotionis tuæ literas solita benignitate recepimus, & quæ continebant, super hostili congressu inter gentem nostram & inimicos Ecclesiæ pridem habito notavimus diligenter, tuam industriam in Domino commendantes, quod dextera Domini faciente, te duce, fidelium nostrorum cuneus de inimicis nostris & Ecclesiæ reportavit triumphum: quamquam tibi strenue decertanti fuisset jactura modica irrogata, de quo tibi sicut devoto filio condolemus. Unde cum in talibus sit maxima cautela & discretio adhibenda, volumus & præsentium tibi tenore mandamus, quatenus sic mature, sic provide processus & aggressus tuos præordinans, singula quæ expediunt feliciter exequaris, quod per alicujus curiositatis desidiam locus fraudibus inimicorum non pateat: sed ipsis potius conculcatis, famæ tuæ celebre ascribatur præconium, & nobis exinde gaudendi in Domino materia ministretur, &c. Dat.* IV. *kal. novembris.*

Profligati Ecclesiæ hostes.
(a) Tom. 2. pag. 26.

Victori gratulatur Martinus.

Ut rem non prudentia minus quam fortitudine gerat hortatur.

XIV. Nec modo Gallorum armis usum Martinum ad Flaminiam ad officium revocandam, verum ad Picenum etiam, Campaniam, ducatum Spoletanum, & patrimonium B. Petri in obsequio continenda; atque etiam ipsius Romanæ rei administrationem Carolo Regi Siciliæ tradidisse, refert Jordanus (b); postquam nimirum a Romano populo Pontifex senator renuntiatus fuit: *Electus*, inquit, *senator Urbis loco sui Regem Siciliæ instituit, eligens de familia ejusdem Regis in Viterbio existentis milites ad regendum tam patrimonium, quam Campaniam, marchiam, & ducatum.* Similia tradunt Nangius (c) & vitæ Martini MS. auctor (d) qui addunt excitatam Urbevetere seditionem cives inter & Caroli milites, cujus conjurationis conscius creditus est Urbevetanarum copiarum dux: cum enim furente populo excitus sæpius fuisset, ut seditionem extingueret, ille adversa valetudine implicitum se teneri respondit. Quare miles cum rem agi pro capite vidisset, collectis animis in Urbevetanos magna impressione invectus, ingentem eorum stragem edidit, ac seditionem virtute compressit. Quod ad memoratum Regem Siciliæ Urbis amplissimo magistratu exornatum spectat; rei gestæ seriem exponit Pontifex in literis ad eundem datis (e) ut nimirum ad pontificiæ apicem dignitatis evectus, Latinum Ostiensem episcopum, & Gotfridum S. Georgii ad velum aureum diaconum Cardinales misisset, qui conciliatis Romanorum dissensionibus, aditus faciles ad peragendam pontificalis consecrationis celebritatem compararent: obfirmatis vero adversæ factionis odiis, meliorem ad pacem turbatæ Ur-

(b) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.
Exorta Urbevetere seditio.
(c) Nang. in gest. Phil.
(d) Vit. Martin. MS. Vall. bibl. sign. lit. C. n. 25. & 79.
Caroli militum virtute discussa.
(e) Ext. in lib. privil. Rom. eccl. MS. Vat. t. 3. p 279. & MS. Vall. bibl. sig. lit. B. n. 12. p. 297.



NOTÆ [1] Historici fere omnes pugnam, de qua hic Annalista, copiarum Ecclesiæ Joanne de Epa duce cum Guidone de Montefletro confundunt cum altera quam ambo hi Duces inter se iterum commiserunt. Igitur anno isto pugnatum fuisse a Gallis stipendariis Ecclesiæ certum est tum ex literis Martini hujus anni registro insertis, tum ex historicorum coævorum testimonio. Sed cum literæ illæ Pontificis datæ sint octobri exeunte, & in iis scribat Pontifex victoriam hanc relatam fuisse a Gallo imperatore pridie ejus diei, qua de illa certiorem fecit Pontificem; hinc constat pugnam ultra septembrim mensem retrahendam non esse. Igitur plane diversam esse oportet a prælio, quod anno 1282. ineunte majo commissum fuisse Ricobaldus Ferrariensis testis, ut F. Pippinus in chronico oculatus asserit. Duobus igitur præliis, hoc scilicet & sequenti anno, decertatum fuit, dispari tamen exitu; nam in pugna hujus anni victoria Gallis, sequenti vero Guidoni favit; ut Ricobaldus testis locuplex asserit. MANSI

Nicolai constitutio de senatore Urbis revocata a Martino. (a) *Asservantur in arce S. Angeli & ext. in l. priv. Rom. eccl. to. 3. p. 279. Collect. Plat. to. 1. p. 169. & MS. Vall. fig. lit. B. n. 12. pag. 197.*

di restituendam iniri rationem non potuisse, quam ut Romanæ rei gerendæ summa Pontifici deferretur. At cum Nicolai constitutione cautum esset, neminem dignitatis celsioris fastigio conspicuum publicæ rei admovendum, rescissam apostolica auctoritate prædecessoris constitutionem fuisse, ac tum Petrum e Comite & Gentilem Ursum senatores designatos a Romano populo electores senatorium munus Pontifici, non ob pontificatus apices, sed ut privato viro obtulisse. Extant de his confectæ tum publicæ tabulæ (*a*), quæ in annalibus viſæ sunt inserendæ.

XV. De senatoria dignitate Martino oblata editæ tabulæ.

*In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, tempore domini Martini IV. Papæ die lunæ decimo martii nonæ indictionis. In præsentia mei Stephani scribæ senatus, & horum testium ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, congregato magnifico populo Romano ante palatium Capitolii publice ad sonum campanæ & voces præconum, ut moris est, de mandato nobilium virorum dominorum Petri de Comite & Gentilis de filiis Ursi almæ Urbis, & illustrium senatorum, iidem nobiles viri domini Gentilis de filiis Ursi & Petrus de Comite senatores, electores ordinati a magnifico populo Romano ex auctoritate & potestate eis super hoc a præfato populo Romano concessa; attendentes sanctitatem, prudentiam, & bonitatem sanctissimi patris nostri domini Martini Papæ IV. & dilectionem, quam idem dominus Papa habet ad Romanam urbem & Roman. populum; & sperantes, quod per ipsius sapientiam, & probitatem expertam bono statui Urbis & populi Romani salubriter poterit, divina favente gratia, provideri, invocata Spiritus sancti gratia, præfato domino Martino Papæ IV. non ratione papatus, vel pontificalis, dignitatis: sed ratione suæ personæ, quæ de nobili prosapia traxit originem, unanimiter & concorditer transtulerunt, & plenarie commiserunt regimen senatus Urbis, ejusque territorii & districtus toto tempore vitæ suæ: & dederunt sibi plenam & liberam potestatem regendi toto tempore Urbem, ejusque territorium & districtum per se, vel per alium, seu alios; & eligendi, instituendi, seu ponendi senatorem vel senatores, unum vel plures ad tempus seu tempora, & ad salarium secundum formam & modum, prout sibi placebit: nec non dederunt, transtulerunt, & plenarie commiserunt dicto domino Papæ Martino plenam & liberam potestatem disponendi & ordinandi per se vel per alium, seu alios de regimine prædictorum Urbis, & territorii, & districtus; & insuper disponendi, seu ordinandi de proventibus, fructibus, & obventionibus pertinentibus, seu spectantibus ad Urbem eamdem seu ad commune populi Romani, prout de ipsius domini Papæ processerit voluntate: mutandi etiam senatores in Urbe, & alios substituendi, seu subrogandi, quandocumque voluerit, & limitandi modum regiminis ipsorum: ac insuper convertendi præfatos proventus, fructus, seu obventiones in utilitatem & meliorationem ipsius Urbis; & tam senatori, vel senatoribus, qui erunt pro tempore, quam aliis Urbis officialibus, seu ministris de prædictis fructibus ac proventibus, prout sibi placuerit, providendi: faciendi quoque in præmissis omnibus & singulis, & circa præmissa & pertinentia ad prædicta quidquid de ipsius domini Papæ Martini processerit voluntate toto tempore vitæ suæ: & contradictores & rebelles, seu non parentes, pœnis, modis, mulctis, & viis per se vel per alium quibus sibi placuerit puniendi.*

*Voluerunt quoque prædicti electores, quod per prædicta, vel aliquot prædictorum in nullo diminuatur, vel crescat jus populi Romani seu ecclesiæ Romanæ in electione senatus Urbis, transacto tempore vitæ ipsius domini Papæ Martini: sed jus suum permaneat ex tunc integrum cuilibet & illæsum. Quibus concorditer & unanimiter celebratis per electores jam dictos, ipsi electores prædicta omnia & ipsam electionem, & omnia & singula supradicta recitaverunt ipsi populo, & solemniter publicarunt; & idem populus omnia & singula supradicta acceptavit, & confirmavit expresse. Actum & publicatum in dicto populo præsentibus domino Angelo Malabranca;* interjectisque plurium nominibus, *in anno, indictione, mense & die prædictis.* Admisit concordiæ studio Martinus oblatam dignitatem, quamvis exploratum esset spectare ad sedem Apostolicam supremum in Urbem imperium, ac præficiendi, deturbandive senatoris auctoritatem, quod inferius sæpius ostendetur. Ut vero accommodaret se impacato temporis, senatoris officium in Carolum Regem Siciliæ, tum ad rebelles illius potentia comprimendos, tum etiam ad vires pro ingentibus illius consiliis perducendis augendas transfudit (*b*).

XVI. Pronuntiatum ex his juri pontificio non detractum iri.

(*b*) *Lib. privil. Rom. eccl. to. 3. p. 279.*

Cæterum quamvis Carolo senatoriam dignitatem Martinus contulerit, non tamen illi vicariatum Imperii in Etruria restituit, sed sua Rodulpho jura asseruit: commendavit, enim literis apostolicis Gurcensem episcopum, & Rodulphum Regis Romanorum sigilli præfectum in ea provincia vicarios a Germano Cæsare constitutos, atque Etruriæ tum nobiles viros magistratus urbium oppidorumve, ac populos iis fidissime obsequi imperavit (*c*).

XVII. Etruscos Rodulpho parere jubet Martinus.

(*c*) *To. 1. l. 1. ep. 9.*

Di-



*Dilectis filiis universis marchionibus, comitibus, & aliis magnatibus; necnon potestatibus, capitaneis, cunctisque rectoribus, consiliariis, ac universitatibus civitatum, castrorum, & aliorum locorum, cæterisque per partes Tusciæ Romano subjectis Imperio.*

Datæ eo argumento lit.

*Etsi Romanum Imperium, cujus gubernacula (grandia illo faciente, qui regit, & dirigit universa) rectoris idonei charissimi in Christo filii nostri Rodulphi Romanorum Regis illustris manus docta potensque dirigenda suscepit, claris suæ altitudinis titulis fulgeat, & plenæ suæ viribus potentiæ muniatur; Romana tamen ecclesia sibi solicitudinis studium attentioris indicit, ut idem Imperium & suorum integritate jurium gaudeat, & prosperis successibus amplietur. Cum itaque præfatus Rex, ad ipsius Imperii, & specialiter provinciæ Tusciæ tranquillum & prosperum statum intendens, venerabilem fratrem nostrum Gurcensem episcopum, & dilectum filium Rodulphum imperialis aulæ cancellarium, unumquemque videlicet eorum in solidum; ita quod non sit conditio melior occupantis, suos in partibus eisdem vicarios generales duxerit ordinandos, prout in ejusdem Regis literis plenius dicitur contineri; universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attentius, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pro Apostolicæ sedis reverentia vota vestra ejus beneplacitis coaptantes prædictos vicarios, seu ipsorum alterum studeatis devote recipere, ac eis, vel eorum alteri honorificentiam vicariis tanti principis congruentem liberaliter exhibere; ipsorum, vel alterius ex ipsis monitis & mandatis intendentes, & obedientes humiliter, ut debetis, illo vos in hac parte consilio dirigendo, ut exinde promptitudo vestræ devotionis eluceat, dictique vicarii commissum sibi officium liberius & efficacius exequantur. Dat. apud Urbemveterem XII. kal. junii anno I.*

Suscepit quoque Pontifex clientelam Ferrariensis episcopi, qui vi sede sua ejectus fuerat: atque archidiacono Ferrariensi munus imposuit, (*a*) ut pseudoepiscopo, qui armis & potentia sæculari intrusus fuerat, depulso, alterum apostolica auctoritate ad ecclesiam revocaret. De Italicis rebus satis: ad Gallicas res nos convertamus.

(*a*) *To. 1. ib. ep. 16.*

Gliscebat tum in Galliis immunitatis ecclesiasticæ prætextu abusus, ut nefarii homines, qui vel a fide desciverant, vel hæreseos nota erant infecti, cum ad sacrum censorum fidei tribunal perduci metuerent, confugerent ad ecclesias, ut justo supplicio se subducerent. Cum vero id in perniciem religionis redundaret, ac sceleri dare asylum videretur, decrevit sanctissimus Pontifex (*b*) hujusmodi privilegium illis non attribuendum.

XVIII. Hæretici & Judæi ab ecclesiarum asylo repellendi.

(*b*) *Ib. ep. 77.*

*Venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis per regnum Franciæ constitutis.*

Martini ea de re constitutio.

*Ex parte dilectorum filiorum inquisitorum hæreticæ pravitatis, per regnum Franciæ constitutorum fuit nuper propositum coram nobis, quod nonnulli de hæretica pravitate culpabiles, vel suspecti, aut accusati, seu conversi de Judaica cæcitate ad fidem catholicam, postmodum apostatantes ab ipsa, ad ecclesias confugiunt, non ad salutis remedium, sed ut eorum manus effugiant, & suorum scelerum vitent judicium ultionis: super quo Apostolicæ sedis providentiam humiliter imploravit. Nos igitur ad extirpandos orthodoxæ fidei inimicos, & herbam tam noxiam, tamque pestiferam de horto dominico radicitus evellendam solicitis studiis intendentes, eisdem inquisitoribus nostris damus literis in mandatis, ut illos, quos de hujusmodi hæretica pravitate culpabiles, vel de illa notabiliter suspectos esse ipsis constiterit, accusatos etiam delabe prædicta; conversos quoque Judæos, & postmodum patenter, vel verisimilibus indiciis apostatantes a fide, juxta qualitatem delicti libere officii sui debitum exequantur, ac si ad ecclesias vel loca prædicta minime confugissent. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eosdem in inquisitores non impediatis, quo minus hujusmodi mandatum nostrum implere valeant; sed potius ad requisitionem ipsorum in iis assistatis eisdem, sicut extiterit opportunum. Dat. apud Urbemveterem XII. kal. novemb. anno I.* His subiiciuntur in pontificio regesto (*c*) literæ, quas Martinus ad censores fidei se scripsisse testatur. [1]

(*c*) *Ib. ep. 78.*

XIX. Cum vero clarissimis miraculis D. Ludovici sanctitatis gloria in dies efflorescebat

NOTÆ [1] Hoc anno ab Episcopis Turonensis provinciæ celebratur concilium in pago ejusdem provinciæ qui castrum Gonterii, appellabatur. Canonem, qui in eo editus ferebatur, commemorant, siquidem ibi revera conditus fuerit (*quod non credimus* inquiunt Patres Salmuriensis concilii) & revocant Patres ejusdem provinciæ, qui anno 1315. Salmurii convenerant. Cautum in eo fuerat ne locus aliquis interdicto subiiceretur antequam *in personam Domini, vel Ballivi animadversum fuisset*. Id enim disciplinæ eorum temporum repugnabat: simul enim ac delictum aliquod commissum fuerat, locus ille interdicto suberat, tum in Dominum loci inquirebatur. Aliqua id moderatione servandum esse, cum scilicet delictum illud supremus aliquis princeps commisisset, Saltzburgense Concilium can. XXII. edicit. MANSI.

6. Ludovici sanctitas miraculis inclarescit.

sceret, Gallicani patres missis Carnotensi & Ambianensi episcopis flagitarunt a Martino, ut ritu ecclesiastico tantum Regem cœlitum catalogo aggregaret. Gratissima res Pontifici fuit: qui de miraculis sanctissimi principis quærendi, ac publica conficiendi instrumenta Rothomagensi archiepiscopo, atque Antissiodorensi & Spoletano episcopis provinciam imposuit (*a*).

(*a*) Lib. 1. ep. 84. & 85.

*Venerabilibus fratribus archiepiscopo Rothomagensi, & Antissiodorensi, & Spoletano episcopis.*

Ut Gregorius de iis inquiri jusserit.

*Intellecto dudum, felicis recordationis Gregorius Papa prædecessor noster, quod omnipotens Dominus, qui facit mirabilia magna solus, grandia, & aperta miracula pro claræ memoriæ Ludovico Rege Franciæ faciebat, voluit, præsupponens vitæ ipsius Ludovici notam sibi existere sanctitatem, ut de hujusmodi miraculis per cujusdam secretæ indagationis modum nos, tum in minori officio constituti, & legationis fungentes officio in partibus Gallicanis, nostrum informaremus animum, sibi postmodum informationem hujusmodi transmissuri. Quare nos de prædictis miraculis indagantes, ac de ipsis plenius informati præfato prædecessori nostram super hoc informationem duximus destinandam: quæ ad ipsum, cum fuisset morte præventus, non potuit pervenire. Succedente autem piæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro Gregorio prælibato, nos eidem Innocentio prædictam informationem curavimus intimare: quo, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, hujusmodi processus negotii extitit retardatus. Piæ quoque memoriæ Joanni Papæ prædecessori nostro informationem direximus supradictam, qui priusquam super hoc aliquid ordinaret, diem clausit extremum.*

Transmissæ sint ad Joan. XXI. de iisdem publ. tabulæ.

XX. Nicolaus III. illis accuratius explorandis operam dederit.

*Cumque postmodum felicis recordationis Nicolao Papæ prædecessori nostro informationem misissemus eandem, & charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris ab ipso Nicolao prædecessore, solemnibus propter hoc ad eum nuntiis destinatis, cum instantia postulasset, ut faceret ad miraculorum & meritorum ipsius Ludovici Regis publicam inquisitionem procedi, præfatus Nicolaus prædecessor, scire volens super hoc plenius veritatem, nobis adhuc in partibus existentibus supradictis, per suas sub certa forma dedit literas in mandatis, ut quidquid de præmissis & circumstantiis eorumdem, ac aliis, quæ jam pro dicto Ludovico Rege virtutum Dominus miraculose fuerat operatus, nos in plena contingeret percipere veritate, clare & distincte per omnia ei seriosius scribere curaremus, ut relationibus nostris evidenter ac seriose perceptis, lucidius appareret quid in iis providendum existeret, ac in posterum respondendum. Unde nos, hujusmodi receptis literis, diligenter processimus super iis, & quæ invenimus, eidem Nicolao prædecessori plenius & apertius duximus intimanda. Qui hujusmodi processu nostro recepto, illum venerabili fratri Gerardo episcopo Sabinensi, tunc XII. Apostolorum presbytero, & dilecto filio nostro Jordano S. Eustachii diacono Cardinalibus discutiendum commisit: sed eodem Nicolao prædecessore naturæ debitum persolvente, ulterius processum non extitit in negotio supradicto.*

Eam provinciam nonnullis Cardinalibus contulerit.

XXI. Porrectæ a Gallicis præsulibus Martino preces.

*Porro venerabiles fratres nostri S. Carnotensis, & G. Ambianensis episcopi, nuper ad nostram præsentiam accedentes, ex venerabilium fratrum nostrorum Rhemensis, Senonensis, & Turonensis archiepiscoporum, ac quamplurium suffraganeorum suorum, & etiam aliorum quorumdam regni Franciæ prælatorum parte nobis humiliter supplicarunt, ut præfatum Ludovicum Regem; quem prout eorumdem archiepiscoporum, suffraganeorum, ac prælatorum missæ nobis literæ continebant, jam inter cœlestis aulæ principes collocatum pro ipso facta miracula profitentur, sanctorum ascribi catalogo mandaremus. Nos autem, etsi geramus specialiter cordi negotium, ac ejus votivum & celebrem exitum propensius cupiamus; attendentes tamen, quod quanto solemnius quantoque maturius & solicitius in hac parte proceditur, tanto id proculdubio ad ipsius Ludovici Regis accedet laudis cumulum potioris; ac de vestra multiplici probitate, in multis & arduis probata multoties, specialem in Domino fiduciam obtinentes; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad monasterium S. Dionysii in Francia Parisiensis diœcesis, ubi ossa ejusdem Ludovici Regis requiescere dignoscuntur, & ubi Dominus pro ipso miracula specialius fuisse proponitur operatus, aut alium, seu alia loca, de quibus expedire putabitis, vos personaliter conferentes, de jam dictis, & aliis quibuscumque etiam novis miraculis, ac vita & conversatione ipsius Ludovici Regis secundum articulos, quos vobis sub bulla nostra transmittimus intercluso, cum omni diligentia & solicitudine inquiratis, quæ super iis invenire contigerit, in scriptis redacta fideliter ad sedem Apostolicam sub sigillis vestris inclusa quantocyus transmissuri. Si vero testes aliqui recipiendi super præmissis occurrerint, qui propter loci distantiam, & infirmitatis impedimentum vos commode adire nequiverint; vel vos accedere absque incommodo non poteritis ad eosdem, committendi discretis aliquibus in casu hujusmodi vices nostras præsentium vobis auctoritate concedimus potestatem. Per commissionem autem inquisitionis hujusmodi vobis factam nequaquam intendimus iis, quæ auctoritate prædictarum literarum ipsius Nicolai prædecessoris per nos super hujusmodi negotio acta sunt, in aliquo derogare: quinimo illa rata esse volumus atque firma. Quod si non omnes his exequendis potueritis, vel volueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Dat. apud Urbemveterem x. kal. januarii anno 1.*

Adhibitum a Pontifice novum examen.



XXII. Plura concessa Phil. Regi Franc. a Pontif. privilegia.

Ut discussis postea diligenti examine S. Ludovici miraculis, sanctorum honores decreti illi fuerint, dicetur inferius: nunc sacra beneficia, quæ Pontifex ipsius filio Philippo, erga divina egregie affecto, ad pietatem ejus augendam contulit adjungemus. Concessa in primis illi fuere diplomata (*a*) de lucrandis unius anni, & dierum quadraginta indulgentiis, in audiendis sacris concionibus, adeundis ecclesiis sacellisve, quo die consecrationis celebritas fieret; tum etiam quo divina suffragia ipsi conciliaret, viginti dierum indulgentiam iis proposuit (*b*) qui pro ipso pias ad Deum preces funderent.

(*a*) Ib. ab ep. 36. &c.

(*b*) Ib. ep. 38.

*Philippo Regi Franciæ illustri.*

Indulgentiæ Deum pro Rege Franciæ rogantibus propositæ.

*Regales providentiæ magnitudo, laudum sonoris efferenda præconiis, recto consilio ducitur, salubrique dirigitur actione, dum tu breve vitæ præsentis spatium, statum stabilem non habentis, solicita consideratione discutiens, novissima tua prævenire satagis studiis piæ vitæ, tam bonorum operum, quam devotarum orationum tibi suffragia præparando, ut cum de hujus valle miseriæ ad patriæ cœlestis gloriam fueris revocatus, apud judicis æterni clementiam misericordiam consequaris. Nos itaque pia desideria mentis tuæ favorabili effectu prosequi cupientes, ac de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui devotis orationibus divinam pro te misericordiam implorabunt, singulis diebus, quibus apud Dominum hujusmodi orationes effuderint, viginti dies de injuncta eis pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum apud Urbemveterem non. octobris anno 1.*

XXIII. Explicuit etiam Martinus sacram beneficientiam in alios Reges pietatis alendæ studio, inter quos ad Magni Regis Swecorum gratiam sacerdotem, quem sacris confessionibus esset adhibiturus, auctoritate ad omnes noxas venia delendas, & commutanda vota, Hierosolymitanæ profectionis & continentiæ exceptis, instruxit (*c*).

(*c*) To. 1. l. 1. ep. 89.

*Martinus, &c. Charissimo in Christo filio Magno Regi Swecorum illustri.*

*Regiis supplicationibus inclinati auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut aliquem idoneum presbyterum religiosum vel sæcularem quotiescumque opportunum fuerit, tibi eligere valeas confessorem, qui audita confessione tua tibi auctoritate nostra pro peccatis tuis, quæ sibi confiteberis, pœnitentiam salutarem injungens, super iis beneficium debitæ absolutionis impendat: nisi talia fuerint, propter quæ sedes Apostolica sit merito consulenda. Idem quoque vota per te emissa, Hierosolymitano ac continentiæ voto excepto, hac vice eadem auctoritate commutare valeat in alia opera pietatis, prout animæ tuæ saluti viderit expedire, &c. Datum apud Urbemveterem x. kal. decembris anno 1.*

Sacra beneficia Regi Suecо concessa.

XXIV. Cum de profectionis Hierosolymitanæ nuncupato voto facta sit mentio, prætermittendum non est id adjectum, cum eo sæculo fideles arma ac vitam consecrare Christo solerent pro tuenda Palæstina contra Saracenorum impetus, qui eam fœdare Mahometica superstitione nitebantur; defendendæque illius cupidum Pontificem hoc anno Gallis præsulibus (pariterque aliorum regnorum antistibus conjectura est) dedisse (*d*) imperia, ut fideles ad legandas testamento nonnullas opes in bellicos instaurandæ rei Syriacæ sumptus convertendas hortarentur: *Universitatem*, inquit, *vestram monemus, rogamus, & hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus diligentius advertentes, quod in hac parte illius negotium agitur, qui pro nobis voluit crucifigi; pensantes quoque, quod non indigne vos condecet ad graves terræ memoratæ miserias affectum intimæ compassionis habere; Christi fideles, cum vos illis contigerit verbum Dei proponere, solerter inducere, sibique suadere solicite studeatis, ut in testamentis eorum aliqua de bonis propriis subventioni terræ prælibatæ relinquant: & nihilominus vestris subditis per speciales literas injungatis, ut cum testamentis interfuerint aliquorum, ad ipsum testatoribus, juxta datam sibi a Domino gratiam, suadere procurent, ut tandem terra ipsa magnificis circumfulta suffragiis, de tribulationum fluctibus, quibus periculosius operitur, ad tranquillæ stationis commoda, juvante Domino, reducatur. Illius ergo solicitudinis studium super hoc adhibere curetis, ut proinde vobis præmium divinæ retributionis accedat, vestraque prompta devotio dignis occurrat laudibus attollenda. Datum apud Urbemveterem non. octobris anno 1.*

(*d*) Ib. ep. 79.

Solicitati fideles, ut testamento instaurandæ rei Syriacæ legata relinquant.

XXV. Turbavit hoc anno Christianam rem in oriente Palæologi Græcorum Imperatoris defectio: qui enim antea magnam spem injecerat, arma in Saracenos cum occidentalibus Regibus conversurum; ac non

Palæologus ab ecclesia Rom. deficit.

non modo in Lugdunensi concilio oratorum opera schisma abjecerat, verum etiam id literis exeunte superiori anno damnaverat, eoque religionis specioso ardore Ecclesiam ad retardandos Caroli Regis impetus permoverat, demum a sedis Apostolicæ obsequio descivit. Ad cujus plectendam defectionem Martinus illum devinxit anathemate (*a*), religioseque principibus omnibus imperavit, ut ab illius fœdere se divellerent.

(a) Bullar. in Mart. IV.

*Martinus, &c. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.*

Lata in eum sententia.

*Michaelem Palæologum, qui Græcorum Imperator nominatur, tamquam eorumdem Græcorum antiquorum schismaticorum, & in antiquo schismate constitutorum, & per hoc hæreticorum; nec non & hæresis ipsorum ac schismatis antiqui fautorem de fratrum nostrorum consilio denunciamus, præsente fidelium multitudine copiosa, excommunicationis sententiam latam a canone incurrisse ac ipsius fore sententiæ vinculo innodatum. Cæterum universis & singulis Regibus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, & cæteris omnibus, cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis aut status; nec non universitatibus civitatum, castrorum, & aliorum locorum, districtius inhibemus, ne cum eodem Michaele Palæologo, in hujusmodi excommunicatione manente, societatem, vel confœderationem aliquam contrahere sub quovis ingenio vel machinatione præsumant: vel etiam ei alias in his pro quibus excommunicatus est denuntiatus a nobis, præstare consilium, auxilium, vel favorem, publicum vel occultum. Et si secus præsumptum fuerit, omnes singulares personas contrarium facientes; non obstante qualibet indulgentia sub quacumque forma verborum, vel expressione ipsis ab Apostol. sede concessa, vel in posterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, volumus incurrere ipso facto: terras autem ipsorum, nec non universitates prædictas, quæ secus attentare præsumpserint, prout expedire viderimus, ecclesiastico subiicere curabimus interdicto, ad privationem omnium bonorum, quæ a quibustibet tenentur ecclesiis, & ad pœnas alias spirituales & temporales, prout utile putabimus, processuri: & nihilominus societates confœderationum ipsas, etiamsi pœnarum & juramenti adjectione, vel quacumque fuerint alia firmitate vallata, decernimus irritas & inanes, &c. Actum apud Urbemveterem in platea dictæ majoris ecclesiæ, in festo dedicationis basilicæ Principis Apostolorum, pontificatus nostri anno I.*

XXVI. Impulsum ad ferendam eam sententiam in Palæologum fuisse Pontificem a Carolo Rege Siciliæ, ut facilius censuris defixum Romanæ ecclesiæ subsidiis, in sacras expeditiones conferri solitis, instructus deturbaret Constantinopoli, generumque restitueret solio, refert Jordanus (*b*): *Ad instantiam Regis Caroli Papa Palialogum excommunicatum denuntiari jubet, quia juxta promissum & sequentem requisitionem cum sua gente ad obedientiam Romanæ curiæ non venerat: ex quo non parva incommoda secuta sunt.* Consentit Jordano Ptolemæus Lucensis, (*c*) additque: *Quod quidem factum fuit, dicto Regi Carolo causa scandali & ruinæ, ut jam patebit; necnon & ipsi Ecclesiæ fuit plurimum damnosum.* Quæ vero sint illa promissa in Lugdunensi concilio, ob quæ violata jactum fit anathema, auctores non exprimunt: & edictum, quo Palæologus, antequam censuris percelleretur, officii admonitus est, non reperimus. Id vero constat Palæologum sæpius deprecatum sedem Apostolicam, ne Græcis addendæ vocis, Filioque (ubi de processione Spiritus sancti agitur) in symbolo inter sacra decantando necessitas imponeretur; verumtamen data a Nicolao imperia illius adiiciendæ, ut universi Christiani fide consentire ostenderentur. Cæterum Palæologum manifeste se ab Ecclesiæ obsequio subduxisse testatur Martinus (*d*): atque inde præclaram Carolo Regi Siciliæ recuperandi Imperii Constantinopolitani occasionem porrectam fuisse, nisi illum Siculi perduellione sua distraxissent. Ex quo elicitur non ob latas temere ad Caroli gratiam censuras initam Latinos inter & Græcos concordiam dissolutam fuisse, sed ob violatum a Græcis initum jam ante fœdus ac Palæologi ab Ecclesiæ obsequio defectionem Martinum fulmen ecclesiasticum torsisse: certe si ob incussum temere Palæologo ad Caroli gratiam anathema Græcus Imperator defecisset ab ecclesia Romana, & conjurationem Carolo conflasset, id Græci non prætermissent silentio; ex quibus Gregoras rei (*e*) gestæ seriem his verbis exponit: *Ostendimus Carolum Italiæ Regem fuisse virum magnis rebus gerendis intentum, & singulari ingenii vi tam in excogitandis & deliberandis, quam administrandis negotiis uti solitum. Verum, ut paucis absolvam, Imperatoris majus acumen, & celeritas illi obstabat, & velut e superiore loco illi repugnabat. Ita fiebat, ut neque huic sui contra Romanos conatus, nec illi, quæ contra Latinos moliebatur, succederent; longoque tempore æquo marte inter illos certaretur. Proinde viri prudentes haud inscite dicebant, nisi respublica Romana talem Imperatorem haberet, fa-*

(b) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.

(c) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 3.

(d) Tom. I. 3. ep. cur. 11. & l. 4. ep. cur. 14.

(e) Niceph. Greg. l. 5.



*facile eam a Rege Carolo subigi potuisse: & contra, nisi tum talis Rex Italia potiretur, eam ab Imperatore capi potuisse.* Et infra: *Carolus Imperatori perpetuas struebat insidias, easque perducendi ad exitum occasionem captabat. Cum autem hinc Joannem Sebastocratorem Thessaliæ principem, inde Illyrios bellum inferre illi cerneret; sibi quoque terra marique Romanos invadendi opportunitatem, & destinata exequendi dari, ratus est: itaque magna classe instructa, terrestres copias majores parat, iisque virum fortem nomine Rossulem præponit: qui, Jonio mari trajecto, nihil spectabat magis, quam ut, castello Bellogrado & opportunioribus Macedoniæ locis expugnatis, impune Byzantium usque progrederetur: neque enim fore quemquam, qui cum tantis exercitibus & armis tam firmis congressus sine malo discederet. Quod cum ad Imperatorem perlatum esset, non cunctandum ratus, & armis, & pecuniis, & consiliis resistendum illi censuit. Unde apparet quanto prudentia sit armis potentior, & ingenii solertia milite numeroso. Primum enim omnis generis opibus missis Siciliæ Regem * Fridericum ad bellum Carolo facientum concitavit, ut eum vel classem, si aliud non posset, domi retineret; & de vicino, quam externo bello magis solicitum esse cogeret: id quod maximum & efficacissimum opus visum est, ac navales copias Regis hoc astu Imperatoris dexteritas fecit irritas.*

* Petrum

XXVII. Joannes Procida Siculæ rebellionis auctor.

Conjurarat igitur antea in Carolum Palæologus, ut imminens sibi ab eo periculum propulsaret; cum in eam conspirationem a Joanne Procida adductus esset. Is enim ob secutas Manfredi partes insulæ ejus nominis adjacentis Siciliæ dominio depulsus vindicta furens in Carolum, & pristinarum opum recuperandarum cupidus, Constantinopolim petiit: ac Palæologum nactus, proposuit Carolum potentissimam in eum classem adornare, nec sustinendis ejus viribus parem esse posse; conjurare cum ipso Venetos, aliosque potentissimos Italiæ populos: depellendæ tantæ pesti remedium unum superesse, si intestinum Carolo bellum conflaretur: rem non videri difficilem: plures nobiles Siculos patria extorres, affines ad rebellionem allecturos: secuturam plebem, quæ jugo intolerabili attrita gemebat: Regem Aragonum, ad quem uxoris Constantiæ filiæ Manfredi titulo regnum pertinebat, pulcherrimæ occasioni non defuturum, atque insulam occupaturum: Palæologi esse, opes in belli sumptus effundere, ac Regem Aragonum ad facinus solicitare literis, suamque operam deferre. Assensit Joannis consilio Palæologus, eumque ut rem promoveret, dimisit qui facile ambitiosum Petri Regis Aragonum animum ad bellum in Gallos, a quibus avus & socer trucidati fuerant, accendit, ut refert Jordanus (*a*) his verbis.

Palæologum in Carolum incitat.

Subornat Petrum Regem Aragonum.

(a) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.

XXVIII. Datum ab eo causas Pontifici exploranti responsum.

*Tractatur compositio inter Palialogum, & Petrum Regem Aragonum, qui filiam Manfredi habebat uxorem, vocatam Constantiam. Mediatores autem compositionis fuerunt Benedictus de Zacharia Januensis, & dominus Joannes de Procida, qui fuit unus de principalioribus in auferendo regnum Regi Carolo. Dum vero paratur exercitus, Papa scribit ad suggestionem Regis Caroli Regi Aragonum, quærens cur paret exercitum; respondet ille, linguam sibi amputaturum, si secretum manifestare putaret.* Similia traduntur a Ptolemæo Lucensi (*b*) & a Ricordano, qui hoc Petri responso finem historiæ imponit, quam Jachettus Malespina nepos est prosecutus. Ut vero conjuratio eruperit, sequenti anno dicetur.

(b) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 4. Ricord. hist. Flor. c. 228.

XXIX. Hoc anno, secundo translatæ sunt S. Thomæ Aquinatis sacræ reliquiæ, ac non fine ingenti miraculo ipsius corpus omnis corruptionis expers in signum servatæ perpetuæ castitatis inventum est. Rem gestam refert subjectis verbis Surius (*c*): *Cum jam anni septem evoluti essent a prima translatione*, celebrata nimirum salutis anno MCCLXXIV. *Petrus abbas monasterii Fossæ novæ sancti viri corpus denuo exhumatum jussit in sepulcro marmoreo supra terram reponi: & tunc itidem odor suavissimus inde manavit, corpusque & vestes illæsa fuere; nisi quod parum deerat extremi pollicis dexteræ manus, atque hujus sane rei idem abbas testis juratus fuit.*

(c) Apud Sur. to. 2. die 7. mar.

Eodem anno consignata est mors Annæ Reginæ Rodulphi Romanorum Regis uxoris, quam piissime animam efflasse tradunt annales Colmariensis (*d*): *Accersivit*, ajunt, *consiliarium confessoremque sibi, inquiens: Mortis periculum sentio mihi breviter imminere. Rogo igitur vos, quomodo corpus & animam ad cœlum & ad paradisum Domini dirigatis. Qui dixit: Omnes amicos vestros, omnes divitias hujus sæculi, omnemque gloriam mundi corde vestro, quantum potestis, a vestra memoria repellatis; ac Deo & hominibus satisfacere promittatis. Quæ dixit, libentissime faciam.* Subdunt, Basiliensem ecclesiam bonis illam auxisse, ut damna, quæ Rodulphus antea intulerat, resarciret.

(d) Chron. Colm. p. 2.

Annæ Reginæ pia mors.

Basiliensis eccl. ab ea vectigalibus aucta.

XXX. Ladislaus Rex Ung. effusus in libidines.

Inter hæc Rex Ladislaus in Ungaria, laxato cupiditatibus fræno, Cumanarum muliercularum insanis amoribus irretitus, cum jura matrimonii, contempta uxore Caroli Siculi filia, violaret, ac rem Christianam in periculum adduceret; a Philippo legato apostolico frustra ad-

monitus, ut Cumanorum mores habitumque exuerat, anathemate percussus est, ut scribit Longinus (*a*); ac duo episcopi, qui fœda illius opera pravis assentationibus mulcebant, dignitate deturbati. Quo efferatus vesanus Rex, missis satellitibus legatum, objecto mortis metu si rediret, ejecit. At regni proceres, justo concitati zelo, ad comprimendam Regis sui temerariam insolentiam illum comprehendere; depulsisque cum ignominia omnibus illius concubinis, in arce una cum uxore, ut servandis matrimonii legibus assuesceret, atque Ungariæ justus heres daretur, inclusserunt.

(*a*) *Long. hist. Pol. l.7.*

A proceribus arce cum uxore includitur, ut heredem Ungariæ relinquat.

Turba-



I. Tartari in Saracenos bellum movent.

TUrbata est res Christiana anno Domini millesimo ducentesimo supra octuagesimum secundum, indictione decima, gemino improviso casu; altero in Asia, cum Tartari & Armeni excindendis Saracenis stricto ferro victores imminerent; altero in Europa, dum Carolus Siciliæ Rex ad restituendum Constantinopolitano Imperium Philippum Augustum, ac relapsos schismaticos ad pietatem armis cogendos expeditionem ornabat. Utque ab Asiaticis ducamus exordium. Abagha Tartarorum in Perside regnisque finitimis Rex, quem Romanis Pontificibus pollicitum diximus armorum molem ad perdendos fidei Christianæ hostes Saracenos conversurum; ac Reges occidentis, missis oratoribus, allicere in orientem ad Terræ sanctæ res instaurandas, conatum vidimus; Mangodanior fratrem amplissimo succinctum exercitu, cui Livo Armeniæ Rex Christiano flore stipatus se conjunxit, in Saracenos immisit, tanto initio rerum secundarum successu, ut ingressi Syriam amplissimas terras victoriis peragrarint, ut Jordanus narrat (*a*): *Tartari discurrunt usque Calamelam & Alapiam, cædentes omnes Saracenos, obviam sibi factos. Soldanus autem Babyloniæ cum centum millibus equitum & totidem peditum occurrit eis, & convenerunt in partibus Calamelæ.* Addit auctor de felici prælio cum Mahometanis inito: *Et in partem unam irruit Rex Armeniæ, & per tres leucas eam fugavit usque ad Calamelam: & Tartari partem aliam debellaverunt & per tres diætas cædendo insecuti sunt usque civitatem Tairi.* Eadem cum Jordano Sanutus refert, (*b*) a quibus Joannes Villanus, (*c*) Nangius, (*d*) & S. Antoninus (*e*) non dissentiunt; omnium vero accuratissime Aytonus princeps Curchi in rerum orientalium historia, quam Clementi V. obtulit, eam Saracenorum cladem recenset; utque parti triumphi fructus Mangodanior intempestiva e castris fuga corruperit, & Armeni in ea expeditione, dum recedebant, gravissimis affecti sint incommodis; ac demum, cum Abagha ad Syriam subiiciendam novos delectus instrueret, una cum fratre Saracenorum dolo veneno extinctus sit. Quæ ab ipso (*f*) excipere operæ pretium ducimus.

(*a*) *Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.*

Sultani copiarum numerus.

Victi acie Saraceni.

(*b*) *San. l.3. p. 12. c.18. & p.13. c.8.*

(*c*) *Jo. Villan. l. 7. c.72.*

(*d*) *Nang. in gest. Phil.*

(*e*) *S. Anton. 3. p. tit. 20. c.4. §.6.*

(*f*) *Ayton. hist. orient. c. 36. Sanut. l.3. p.13. c.8.*

II. Mangodanior dux Tartaror.

*Termino veniente, in quo Abagha debuit, & potuit guerram movere contra Soldanum Ægypti, ordinavit, quod Mangodanior frater suus ad regnum Syriæ cum triginta millibus Tartarorum se transferret; & si forte Soldanus veniret belliger contra eum ipsum violenter debellaret: & si Soldanus vitaret prælium, occuparet terras & castra, & custodienda traderet Christianis. Quando Mangodanior itaque per diætas suas processisset, quousque Armeniæ appropinquavit, & tunc misit pro Rege Armeniæ, qui continuo venit cum pulchra equitum comitiva, & ingressi fuerunt regnum Syriæ, & iverunt totam provinciam devastando usque ad civitatem Hames, quæ Camella hodie appellatur a pluribus, & est sita in medio regni Syriæ, ut refertur: in facie vero illius civitatis est quædam planities valde pulchra, ibique Soldanus Ægypti congregabat posse suum, intendens cum Tartaris prælliari. Saraceni itaque ex una parte, & Christiani cum Tartaris ex adverso ingens prælium iniverunt. Rex itaque Armeniæ cum Christianis ducebat & regebat exercitus dextrum cornu; unde invasit ipse sinistrum cornu exercitus Soldani, & fugavit inimicos usque ad civitatem Hames per tres diætas longas, & ultra viriliter. Almach etiam quidam Tartarorum aliam partem exercitus Soldani viriliter debellavit, & per tres diætas Saracenos fugavit, quousque pervenit ad quandam civitatem, quæ vocatur Tara.*

III. Ejus ignavia & fuga.

*Cumque crederent Soldani potentiam fuisse contritam, & ecce Mangodanior, qui numquam viderat discrimina prælliorum, de quibusdam Saracenis, Bedinnis lingua Arabica nominatis, absque rationabili causa timens retrocessit, campum victoriæ derelinquens, dimisit Regem Armeniæ, & alium ducem suum, qui inimicos fuerant persecuti. Quando vero Soldanus, qui omnia crediderat amisisse, vidit campum belli vacuum, & totaliter derelictum, ascendit quemdam monticulum cum quatuor armatis, firmiter ibi stando. Rex vero Armeniæ rediens de conflictu, cum non invenisset in campo Mangodanior, fuit plurimum stupefactus, cogitans viam quam gradiebatur, post ipsum tenuit gressus suos. Almach vero prædictus, qui persecutus fuerat Saracenos, quos fugaverat, per biduum expectavit, sperans dominum suum Mangodanior post ipsum, sicut debuit, equitasse, ut inimicos & provinciam subjugaret, de quibus fuerant victoriam consecuti. Cognita vero veritate de recessu Mangodanior, post ipsum ire festinavit, victoriam derelinquens, & invenerunt Mangodanior super litore fluminis Euphrates expectantem. Post hæc Tartari ad eorum provinciam sunt reversi. Rex vero.*

*vero Armeniæ cum gente sua in illo itinere passus fuit multa incommoda, & labores: nam propter viarum longitudinem & penuriam pabulorum equi Christianorum regni Armeniæ fuerunt totaliter fatigati, quod incedere non valebant: & sic separatim Christiani per devia incedentes, a Saracenis, qui degebant in illis partibus, sæpius inveniebantur, & absque misericordia cædebantur; unde major pars totius exercitus regni Armeniæ amissa fuerat, & proceres quasi omnes: & hoc infortunium Mangodanior accidit anno Domini MCCLXXXII.* His consentiunt, quæ apud Sanutum (*a*), & in vita Martini IV. leguntur (*b*): *Tunc Soldanus Babyloniæ a Tartaris fugatus per octo diætas: occisi dicuntur pagani ultra quinquaginta millia. Sed viribus ac animo resumptis Soldanus, dictos Tartaros orientales fugans, circa triginta millia Tartarorum in hujusmodi fuga dicitur occidisse.* Eadem alii. Addit superioribus Aytonus (*c*), ut Abagha, dum in Saracenos exercitum cogebat, veneno extinctus sit.

Tristis victoriæ exitus.

(*a*) *San. l. 3. p. 13. c. 8.*
(*b*) *Vit. Mart. MS. Vall. sign. lit. C. n. 25. & 79.*
Recreatæ Saracenorum vires.
(*c*) *Eod. cap.*

IV. Abagha Rex Tart. veneno sublatus.

*Postquam vero Abagha Can hæc omnia intellexit, congregavit undique gentem suam, & cum jam esset paratus contra Saracenos procedere toto posse, & ecce quidam filius diaboli Saracenus venit ad Regem Persarum & quibusdam, qui Abagha familiariter serviebant, contulit multa dona, & cum eis taliter ordinavit, quod una die Abagha & fratri suo Mangodanior venenum mortiferum propinatur: ex quo ambo, proh dolor! excesserunt e vita in octo dierum spatio: per illos eosdem, qui scelus istud perpetraverant, fuit primo comperta veritas hujus rei: & sic obiit Abagha Can anno Domini MCCLXXXII.* Successit Abaghæ frater Tangodomor Christianis sacris in pueritia initiatus: sed qui in crudelem Ecclesiæ persecutorem descivit. MCCLXXXII. inquit Sanutus, *Abaghæ succedit frater Tangodomor in pueritia baptizatus: sed Saracenus effectus Mahumeth Chaam voluit appellari.* At de scelestissimo tyranno, ac divina in eum vindicta agetur inferius.

Tangodemor Persidis Imperium corripit. Fœdissima ejus apostasia.

Post tristes superiores exitus reliqua Christianorum spes in Carolo Rege Hierusalem & Siciliæ supererat: is enim una cum principe Salernitano, majore natu filio, crucem induerat, quem regni Hierosolymitani jura coemisse scribit Nangius (*d*) atque ad eripiendum Saracenis sacrum illud regnum magna consilia agitabat. Extant enim Martini Pontificis literæ (*e*) paucis ante conjurationem Siculam diebus exaratæ, quibus ipsi decimas Sardiniæ atque regni Ungariæ ad sex annos, si tamen Ladislaus assenserit, ad instruenda bello necessaria concedit.

V. Carolus Rex Sicil. accepto crucis symbolo, Syriæ rebus instaurandis se accingit.

(*d*) *Nang. in gest. Phil. Reg. Franc.*
(*e*) *To. 1. l. 1. ep. 216.*

*Charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri, & dilecto filio nobili viro Carolo primogenito ejus principi Salernitano.*

*Cum sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos zelo fidei, & devotionis accensi, vivificæ crucis assumpto signaculo proponatis in Terræ sanctæ subsidium proficisci; nos hujusmodi vestrum salubre propositum, & in oculis divinæ majestatis acceptum multipliciter in Domino commendantes; ut id commodius, & efficacius exequi valeatis, tibi fili Rex decimam omnium ecclesiasticorum proventuum hujusmodi subsidio deputatam in tota insula Sardiniæ, totoque regno Ungariæ, si quoad decimam ipsius regni ad id charissimi in Christo filii nostri *, Regis Ungariæ illustris assensus accedat, per sex annos, prout est ipsius terræ subsidio per generale concilium Lugdunense concessa, dummodo votum crucis in termino tibi ad faciendum passagium per sedem Apostolicam assignando personaliter prosequaris; præsentium auctoritate concedimus assignandam circa tempus passagii a sede Apostolica tibi, ut prædicitur, statuendi. Si vero tu, fili Rex, personaliter illuc proficisci quovis casu impeditus nequiveris vel nolueris, volumus quod tu, fili princeps, decimam eamdem simili modo per idem tempus habeas, dummodo pensatis tuæ potentiæ viribus cum honorabili bellatorum equitum comitiva ipsius terræ negotium, transfretando juxta dispositionem eamdem in eodem passagio, in persona propria prosequaris.*

Martinus in eam rem Sardiniæ, & Ungariæ decimas præter Siculas attribuit.

* Ladislai

Profectionis tempus designandum sibi reservat.

VI. Decernit, discussa expeditione, eas opes restitutum iri Ecclesiæ,

*Volumus autem quod tempore assignationis decimæ memoratæ ille, cui assignationem ipsam fieri contigerit, se obliget, & sufficienter caveat ad ipsius Ecclesiæ voluntatem, quod si, quod absit, contingat eum, ut dicitur, ab ipsius prosecutione voti mortis aut quovis alio longo impedimento subduci, prædicta decima ad Romanam ecclesiam libere revertatur; vosque vel alter vestrum decimam ipsam, si forsan ante vestro, vel alterius vestrum nomine percepta fuisset, eidem Romanæ ecclesiæ nomine dictæ Terræ sanctæ reddere teneamini, ad Apostolicæ sedis arbitrium in terræ memoratæ subsidium convertendam. Per hujusmodi autem concessionem, vobis gratiose factam a nobis in favorem & subsidium dictæ Terræ, non intendimus nos vel cameram nostram, aut Romanam ecclesiam, si forsan vos, vel alterum vestrum dictam decimam quocumque casu vel modo non habere contigerit, aliquatenus obligare; ac nihilominus reservamus nobis, ut absque alicujus variationis nota de decima prædicta possimus ante assignationem ipsius inchoandam aliter ordinare, si id forsitan ex aliqua causa, quam putaremus necessariam, utilitati eidem Terræ sanctæ viderimus expedire; licet nostræ intentionis existat, ut hujusmodi necessitate cessante, assequamini decimam supradictam. Dat. apud Urbemveterem XV. kal. aprilis anno I.*



VII. De collectis decimis.

Cogebantur tunc ingentes toto orbe Christiano opes ex decimis, quas ecclesiastici in concilio Lugdunensi solvere jussi erant ad belli sacri sumptus sustinendos; non tamen sine plurium magnis difficultatibus: quo argumento datæ a Pontifice plures literæ, (*a*) ut reluctantes ad solvendum compelleret. Et quidem Magdeburgensis archiepiscopus, collecto provincialium episcoporum concilio, decimas in dicta œcumenica synodo decretas solvi vetuerat (*b*): alii decimas in suos usus, ut Conradus Osnaburgensis, derivabant: quidam, ut Siffridus Coloniensis aliique earum partem defraudabant (*c*): nonnulli etiam principes, ut Rex Norwegiæ (*d*) decimas e suo regno avehi abducique vetabant, cui Martinus editam legem revocare præcepit. Quæ vero magna collectæ diligentia, inexpectato casu, mox a nobis subiiciendo, infeliciter in bellis intestinis consumptæ, ac Lugdunensis synodi pia consilia dissipata fuerunt.

(*a*) *Lib. 1. ep. cur. 11. 12. 13. 14. 23. 88. 91. 93. 112. 113.*
Plures eas in usus suos avertunt.
(*b*) *Ib. ep. 22.*
(*c*) *Ib. ep. 24. 25. 27.*
(*d*) *Ep. 120. & 121.*
Rex Norwegiæ ipsas e Regno avehi vetat.

Licet vero superioribus apostolicis literis Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Ungariæ, sexennales decimas attributas Carolo pro instaurandis Terræ sanctæ rebus viderimus; illum tamen agitasse animo prius Imperium Constantinopolitanum restituere genero Philippo, tradunt Ricordanus, (*e*) Jo. Villanus, (*f*) & S. Antoninus; (*g*) indeque facili trajectu in Syriam impetum facere eamque ex Saracenorum servitute in libertatem vindicare. Confirmant id etiam Martini edicta (*h*) in Petrum Aragonium, in quibus vertit crimini, Carolum bello lacessitum fuisse, cum ob Palæologi manifestam ab ecclesiæ Romanæ obsequio defectionem Constantinopolitano Imperio immineret. Sed antequam de Siculorum perduellione dicamus, cœptam de Palæologo orationem prosequamur.

(*e*) *Ric. Malesp. c. 206.*
(*f*) *Jo. Villan. l. 7. c. 57.*
(*g*) *S. Ant. 3. p. t. 20. c. 4. §. 1.*
(*h*) *Tom. 1. l. 2. ep. cur. 11.*

VIII. Jactum in Palæologum Imp. schismaticum anathema.

Distrinxerat jam ante in eum Pontifex ecclesiasticas censuras, quarum acerbitate Græcus moveri non est visus: atque ideo Martinus, recurrente cœnæ dominicæ die, illum schismatis veteris defensorem non modo defixit anathemate, verum omnes etiam catholicos intentatis iisdem pœnis, ab illius fœdere jussit discedere: tum die Christo cœlos conscendenti sacra hanc in eum ac socios sententiam promulgavit (*i*).

(*i*) *Ib. ep. cur. 4.*

*Martinus &c. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.*

Illius formula.

*Dudum apud civitatem hanc Urbevetanam in platea majoris ecclesiæ civitatis ipsius, in festo dedicationis basilicæ principis Apostolorum proximo præterito, Michaelem Palæologum, qui Græcorum Imperatorem se nominat, tamquam eorumdem Græcorum antiquorum schismaticorum, & in schismate constitutorum antiquo; & per hoc hæreticorum, nec non & hæresis, ipsorum ac schismatis antiquati fautorem, de fratrum nostrorum consilio denuntiavimus excommunicationis sententiam latam a canone incurrisse, ac fere ipsius sententiæ vinculo innodatum. Universis præterea, & singulis Regibus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, & cæteris omnibus cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis aut status; nec non universitatibus civitatum, castrorum, & aliorum locorum districtius inhibere curavimus, ne cum ipso Michaele Palæologo, in hujusmodi excommunicatione manente, societatem vel confœderationem aliquam contrahere sub quovis ingenio vel machinatione præsumerent; vel ei alias in iis, pro quibus excommunicatus extitit denuntiatus a nobis, præstare consilium, auxilium, vel favorem, publicum vel occultum; & si secus præsumptum existeret, omnes singulares personæ contrarium præsumentes, non obstante qualibet indulgentia sub quacumque forma verborum vel expressione ipsius ab Apostolica sede concessa, vel in posterum concedenda, quam quoad hoc viribus omnino carere voluimus, excommunicationis sententiam, quas ex tunc in illas protulimus, incurrerent ipso facto: nihilominus comminantes quod terras ipsorum & universitates prædictas, quæ secus attentare præsumerent, prout videremus expediens, subiiceremus ecclesiastico interdicto; ad privationem bonorum omnium, quæ a quibuslibet tenent ecclesiis, & ad alias spirituales & temporales pœnas, prout putaremus utile, processuri. Societatem insuper, & confœderationes easdem, etiamsi pœnarum adjectione vel quacumque forent alia firmitate vallatæ, decrevimus irritas, & inanes.*

IX. Christiani principes Palæologi fœdus damnare jussi.

*Et detestandis aliquorum astutiis, & fucatis obviare malitiis cupientes, nuper in die cœnæ Domini transacto novissime, præsente fidelium multitudine copiosa, districtius inhibuimus, ne aliqua ecclesiastica sæcularisve persona, cujuscumque præeminentiæ, conditionis, aut status; nec non & universitates castrorum, locorum, aliorumque prædictorum locorum sub specie seu fraude commercii, aut alio quocumque quæsito colore, ad præfatum Pa-*

*Palæologum & terram, quam ipse tenet, aut sibi vel suis gerentes arma, equos, ferrum, lignamina, naves, galeas, aliaque vasa, aut quælibet alia, per quæ dictus Palæologus ad præstandum favorem schismaticis, & schismati supradictis validior, efficacior, & instructior reddi posset, deferrent, mitterent, sive venderent; aut sub quavis fraude vel ingenio, seu qualitercumque ibidem dimitterent in derogationem hujusmodi nostræ inhibitionis, & orthodoxæ fidei detrimentum: quod si secus existeret attentatum, nos omnes singulares personas, contrarium præsumentes, excommunicationis sententiam, quam ex tunc in ipsos protulimus, incurrere voluimus ipso facto; ac nihilominus terras, & universitates præfatas, quæ secus attentare præsumerent, ex tunc ecclesiastico subjecimus interdicto, ad privationem omnium bonorum, quæ a quibuscumque tenent ecclesiis, & ad alias etiam spirituales & temporales pœnas, prout putaremus utile, processuri. Verum quia Romana ecclesia mater fidelium, & magistra, hujusmodi negotium potissime cordi gerens, multa redditur attentione solicita, ne in hac parte aliquid attentari contingat in fidei Christianæ dispendium, ad cujus intendit assiduum incrementum; nos, prædictas sententias ratas habentes, eas ex causis eisdem de fratrum nostrorum consilio innovamus, &c. Actum apud Urbemveterem in platea dictæ majoris ecclesiæ in die Ascensionis Domini anno* II.

X. Concepta est pene iisdem verbis alia anathematis forma (*a*), quæ in Palæologum apud montem Flasconem ante ecclesiam S. Flaviani recurrente festo dedicationis Principis Apostolorum pronuntiata est, ad cujus calcem hæc adjecta; *Ac nihilominus apud civitatem prædictam*, Urbevetanam intelligit, *in eadem platea in festo Ascensionis Domini proximo præterito prædictas sententias ratas habentes, eas ex causis eisdem duximus innovandas. Ne igitur in hac parte aliquid attentari contingat in dispendium fidei Christianæ, ad cujus intendimus assiduum incrementum, declarationem, inhibitiones, comminationes, sententias, & processus quoslibet supradictos, ac innovationem hujusmodi ratos manere volentes, & decernentes plenum robur firmitatis habere, declarationem, inhibitionem, comminationes, sententias & processus præfatos universos & singulos ex causis prædictis de prædictorum fratrum consilio ratificamus, & etiam innovamus*. Objectæ sunt Palæologi fœderatis censuræ ad debilitandam Caroli hostium potentiam, cum plures, qui adversus Palæologum Carolo adhæserant, dum secundis rebus utebatur, versis una cum fortuna studiis, ad hostem inclinarent; tum Aragonii, & Siculi aperte cum Palæologo sentirent.

(*a*) *Ib. ep. 33. p. 105.* Renovatæ vergente anno censuræ.

XI. Erupit (*b*) vero hoc anno funestissima illa conjuratio Siculorum in Gallos pluribus annis conflata, in qua immani crudelitatis exemplo tot Gallorum millia cæsa, ac pro signo ad cruentam exercendam carnificinam festus campanarum sonus ad vespertinas Ecclesiæ preces populum convocans, datus; unde in triste proverbium Vesper Siculus abiit. Tanto furori occasionem præter Regis Aragonum instigationes crebras, quas ipsi Pontifex in sententia adversus eum lata vertit crimini, porrexerat populorum oppressio; non enim ad extenuandam Siculorum sævitiam confictum id jactatumque dici potest, cum præter auctorum testimonia, Romanorum Pontificum literæ ejus rei fidem faciant: non modo Nicolai III. (*c*) qui uxori Caroli scripserat, ut virum ad levandum Siculorum jugum hortaretur; verum etiam Clementis IV. Galli, & Caroli amantissimi, qui populi calamitates in ejus oculis literis mœstissimis defixit (*d*), ut ad ea emendanda mala studium diligentiamque converteret: illa porro gravamina atrocia non a Carolo primum inducta, sed a tyrannis, qui præcesserant, propagata testatur Honorius IV. in literis ad Gerardum episcopum Sabinensem (*e*): *Quam gravis, quamque dispendiosa & amara Siciliæ regni conditio usque nunc a diebus olim Friderici quondam Romanorum Imp. extiterit; quanta etiam & quam dura, quinimmo pene inaudita gravamina, quot afflictionum & persecutionum angustias per ipsius Friderici posterorumque suorum inducta tyrannidem usque ad tempora moderna pertulerit; quot propterea tempestatum fluctibus regnum ipsum & regnantes in eo patuerint, tibi verborum oraculis exprimi, aut ministerio repeti scripturarum supervacaneum fore putavimus, cum sic ea didiceris, sic quasi palpaveris digito & fide cognoveris oculata, quod de illis instructus plenius ad reformationem status regni ejusdem felic. recordat. Martinum Papam prædecessorem nostrum, & nos etiam, quamvis ab olim illa communis notitia publicasset, per tuas literas plenius & seriosius informasti*.

XI. Siculorum in Gallos conjuratio.

(*b*) *Jachot. Malesp. hist. Flor. c. 208. Nang. in gest. Phil. Regis Franc. Ptol. Luc. in annal. Mart. Pol. l. 4. Berlin. chr. Roman. Pant. Joan. Vill. l. 7. c. 61. S. Ant. p. 3. tit. 2. c. 5. §. 3. §. 8.*

(*c*) *Nic. III. l. 1. ep. 26.* Unde dictus vesper Siculus.

(*d*) *Clem. IV. l. 3. ep. cur. 6.* Carolo nimia populorum oppressio ruinam peperit. A Friderico II. Corrado & Mangfredo inducta fuerat.

(*e*) *Hon. IV. l. 1. ep. 94.*





XII. [1] Præcipua igitur hæc rebellandi occasio data Siculis, quorum immane facinus Jordanus his verbis (*a*) refert: *Eodem anno*, nimirum MCCLXXXII. *Siculi rebellarunt contra Regem, interfectis multis Gallorum, qui erant in Panormo: succensa est primo stupenda rabies, propter enim enormitates Gallorum cunctos inibi commorantes mares & feminas, senes & pueros morti tradunt; &, quod est magis horrendum, cæteras mulieres impregnatas a Gallis scindunt, ut fœtus interimant*. Tradit similia vitæ Martini scriptor (*b*): *In regno*, inquit, *Siciliæ Panormitani succensi rabie Gallicos, qui morabantur, ibidem, omnes tam mares, quam feminas, ac senes & juvenes in prædicti Regis contemptum occiderunt: & quod detestabilius fuit, latera aperientes mulierum, quæ dicebantur a Gallicis concepisse, partus occidebant, antequam nascerentur*. Confirmantur hæc Martini Pontificis edictis in Siculos editis, inferius a nobis adducendis: *Deinde tota Sicilia sic rebellans Petrum Regem Aragoniæ in suum defensorem & dominum vocaverunt*. Perculsus Siculorum rebellione Carolus, cum ob eversam a suis justitiam jugum e cervicibus depulisse audiret, plures leges edidit, quibus objecta sibi a conjuratis sustulit, ut tum deficientes populos ad officium revocaret, atque alios in obsequio contineret. Redacta est ea sanctio inter Siculi regni constitutiones (*c*), atque ab his verbis incipit: *Post corruptionis amara discrimina*. In hæc vero desinit: *Actum Neapoli anno Domini MCCLXXXII. mense junii* x. *ejusdem* x. *indictione regnorum nostrorum Hierusalem anno* VI. *Siciliæ vero* XVII. Incitatos vero ad patrandum tantum facinus Siculos a Petro Rege Aragonum, qui uxoris Constantiæ filiæ Manfredi tyranni impulsu ad regnum illud aspirabat, refert Ptolemæus Lucensis (*d*) cujus dolos prodit, ut simulatam in Afros expeditionem susceperit, armorum molem in Siciliam conversurus: ob quam proditionem a Martino anathemate ictus est; cujus historiæ series ita a laudato Jordano exponitur (*e*): *Tunc Rex Aragonum cum suo navigio vadit in Africam versus Hipponam, quæ hodie Bona vulgariter appellatur, & aliquas regiones vastavit. Inde transit in Sardiniam, & prope castrum Castro applicat, ibique sua navigia restaurat, & necessaria parat*. Eadem alii.

(*a*) *Jord. MS. Vatic. sign. n. 1960.* Cæsi sine discrimine Galli.

(*b*) *MS. Vallic. sign. n. 25. & 79.* Confossa ferro prægnantium viscera.

Latæ a Carolo ad levandos populos leges.

(*c*) *Constit. regni Sic. capitula regia Caroli I.*

(*d*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 5.* Regis Aragonum fraudes.

(*e*) *Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.*

XIII. Antequam in Siciliam Petrus ad confirmandos in perduellione Siculos irrumperet, Pontifex solemni dominicæ Ascensionis festo die ex Cardinalium sacri senatus consilio anathematis sententiam in Panormitanos & eos omnes tulit, (*f*) qui Siciliam Romanæ ecclesiæ stipendiariam, jureque fiduciario Carolo traditam invaderent, vel qui conjuratorum partibus irretiti opem aliquam iis præberent. [2]

Jactum anathema in Panormitanos.

(*f*) *Ext. in annal. Eberhardi apud Caniſ. antiq. lect. to. 1. p. 319.*

*Martinus episcopus servus servorum Dei ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum* Co-

NOTÆ [1] INter res ecclesiasticas Italiæ hoc anno gestas prætereunda non est mentio Concilii provincialis, quod Aquilejæ hoc anno celebravit Raymundus a Turre patriarcha. Ejus acta in MS. codice bibliothecæ Justinianæ Venetiis offendit olim Cl. P. Montfaucon ut in itinerario Italic. cap. XXVIII. pag. 436. affirmat. Ejusdem pariter concilii mentio occurrit in Constitutionibus Provincialibus Aquilejensibus Bernardi Patriarchæ vulgatis anno 1339. & in editione Veneto-Labbeana conciliorum to. XV. col. 534. primum excusis. Quid in eo editum fuerit ignoratur; sed cum in seriem conciliorum a Collectoribus nondum relata fuerit hujus Concilii mentio, e re Ecclesiastica me facturum censui, ut hic commemorarem.

Hæc scripseram cum acta Concilii Aquilejensis sub Bernardo Patriarcha nondum satis accurate discusseram, quibus sedulo perpensis, intellexi nonnullas saltem ex constitutionibus in eo Concilio repetitis ad Concilium hoc anni 1282. pertinere, ea prefertim, quæ decernuntur in eos, qui sacrilegas manus in Episcopos seu alios e clero injecerint; tum & gravibus pœnis subiiciuntur iniqui bonorum ecclesiasticorum usurpatores. Constitutiones istæ in ipso actorum Conciliorum anni 1339. exordio recitantur. Sub finem vero eorumdem actorum legitur earum constitutionum moderatio in hanc sententiam. *Ut constitutio bon. mem. Raymundi Patriarchæ .... quæ incipit. Horribilium scelerum &c.* Et inferius *Constitutiones bon. mem. Raymundi &c. quæ incipit: Quia nonnullos*. Quibus verbis geminæ constitutiones, in exordio eorumdem actorum expressæ indicantur; unde necessaria consecutione deducitur, geminas illas constitutiones ex Synodo anni 1282. a Raymundo habita repeti. Vide notas ad A. 1239. 67. MANSI

[2] SIculæ defectionis historiam narrandam Annalista hic merito suscipit; cum historiæ ecclesiasticæ hujus anni adeo connexa sit ut altera ab altera distingui nulla ratione possit. Quæ cum ita sit, non ingratum fore lectoribus spero, si ea, quæ ad accuratam ejus expositionem deesse in Annalibus videntur supplenda hic aggrediar, utens ea in re ope diligentissimorum ejus ætatis scriptorum, ac præsertim illorum, qui publica authoritate destinati annales Genuenses Caffari tunc summa diligentia continuabant. Carolus Siciliæ rex jam inde a superiori anno expeditionem in Palæologum meditans per suos nuncios clam solicitavit Genuenses, ut inito secum fœdere arma sociarent. Recusarunt illi, quin & submissis nunciis Caroli molimina Palæologo aperuerunt. Plus impetravit a Pontifice rex, nam, qua plurimum apud eum valebat, gratia obtinuit, ut Pontificio anathemate solemni ritu pronunciato Palæologus hostis Ecclesiæ palam denunciaretur; qua in re plus aliquid amicitiæ quam Ecclesiæ com-

*Cogit nos temporis qualitas, & nequitia plurium detestanda solicitat, ut infrascriptorum prædecessorum nostrorum gesta, quæ plenius in archivo conservantur Ecclesiæ * ipsius providere quieti cautius studeamus. Sane felicis recordationis Innocentius Papa IV. prædecessor noster culpas graves, immo gravissimas, ac multiplices, ac manifestos excessus quondam Friderici olim Imperatoris Romanorum propensi maturitate consilii, recti judicii censura dijudicans, eique secundum prava sua opera reddens, ipsum honore Imperii, regno Siciliæ, ducatu Apuliæ, ac principatu Capuæ, generali super hoc congregato Lugdunensi concilio approbante, ac justitia exigente, privavit; prout in universalem mundi notitiam non est dubium devenisse. Nec ab eadem creditur verisimiliter alienum, qualiter Fridericus ipse, aucto superbiæ spiritu, quamquam sic digne depositus, sic juste privatus, sententiæ hujusmodi privationis prolatæ in eum pertinaci animo parere contemnens regnum & Imperium supradicta post ejusdem prolationem sententiæ occupata detinere præsumpsit. Qualiter autem post jam dicti Friderici obitum quondam Conradus natus ejus, paternæ malitiæ imitator dictum regnum præ-*

* recensentes.

Variæ Siciliæ conversiones.

Ut Fridericus illius juribus exutus sit.

Successerit parenti Conradus.

NOTÆ commodum postularet a Pontifice datum fuisse Continuatores illi tacite queruntur. Inter hæc annu 1282. evolutus est. Sequenti anno Carolus expeditionem in terram Sanctam simulans eo nomine decimas a Pontifice requisivit; qui, sive consilii Regis ignarus, sive non inscius quidem at sub ea honesti specie postulata concessit. Interea Petrus Aragoniæ rex, cui pariter sacra pecunia ad sumptus belli Africani indulta fuerat, a Saraceno quodam, ut fama erat, invitatus, valida classe ex triremibus XIX. navibus IV. taridis VIII. instructa e portu solvit mense Junio tenuitque portum Africæ Antolam die XXVIII. ejusdem mensis. Ibi spe a Saraceno sibi facta frustratus, varia cum Saracenis prælia miscuit, quibus attritus Romam misit auxilium postulaturus. Inter hæc legatio a Siculis supervenit, auxilium in Carolum Regem petens. Siculorum defectio a Panormitanis cæperat, qui diu multumque a Gallis afflicti, cum malum in dies ingravescens ferre diutius non possent, die martii penultima ut scribit Bartholomæus a Neocastro qui tunc vivebat, sumpta occasione mulieris, quæ a Gallo quodam licentius provocata injuriam propulsatura clamaverat, in subitam seditionem erumpentes, Gallos passim omnes trucidarunt, quorum exemplum Messanenses, Derpanenseque statim sequuti sunt. Hanc defectionis Siculæ causam coævi omnes scriptores tradunt; ut merito in suspicionem vocari possit pervulgata illa Siculorum traditio, ferens convenisse inter se Siculos, ut indicta die & hora arma simul omnes capientes in Gallorum necem irrumperent, signumque capiendi arma haberent pulsum æris campani, quo fideles ad vespertinas horas canendas invitantur. Quid enim est quod hanc conjuratorum pactionem ignoraverint veteres omnes Siculi Scriptores, anonymus vaticanus a Muratorio Rer. Italic. to. VIII. productus, Bartholomæus Neocastrensis, anonymus alter cujus Chronicon Siciliæ vulgavit P. Martene Anecdot. to. III. ut, Nicolaus Specialis cæterisque? Præterea exteros etiam omnes fugit: quin & commotam subito casu seditionem ob vim mulieri illatam tradunt Siculi omnes supra laudati, ac insuper legendi Jachetus Malaspina in continuatione Chronici Ricordani Malaspinæ, Joannes Villanus, continuatores Annalium Genuensium Caffari, Author memorialis potestatum Regiensium, author chronici Parmensis, ac tandem Joannes Iperius Gallus, qui tunc scribebat Chronicon Monasterii S. Bertini, quique Gallos suos excusaturus, narrat hujus erumpendæ seditionis causam dedisse Gallorum sedulam circumspectionem, qui cum seditionem in se timerent, Siculos omnes diligenter scrutabantur, ne quid armorum clam ferrent, cujus rei gratia ne mulieres quidem ipsas præterire tutum rati, mulieri manus injecerunt, quæ ad inopinum casum territa exclamavit. Sævitum ea occasione a Siculis etiam in fœminas, ne dum in viros scribunt omnes; sed author eorum temporum diligentissimus, qui memoriale Potestatum Regiensium scribebat, testatur, eam quidem de Gallis stragem a Panormitanis editam fuisse; sed ait: *illi de civitate Messana non tantam crudelitatem exercuerunt in Gallicanos, sed nudaverunt eos armis, & bonis suis, & remiserunt ad Dominum suum.*

Ita vero exciti in Gallos Siculi, ut defectionem suam valido quodam fulcimento tutarent, Petrum Aragoniæ regem ad capiendam regni Siculi possessionem, sibi debitam ex jure uxoris suæ, Manfredi regis filiæ, invitarunt. Petrus, nova ea spe illectus, Saracenicam quam susceperat, & Græcam quam meditabatur expeditionem abiiciens ex Africa solvens Derpanum appulit die XXXI. seu die XXX. Augusti, ut scribit Bartholomæus a Neocastro, rerum Sicularum sui temporis scriptor, vulgatus a Muratorio Rer. Italic. tom. XI. Venientem læti excæperunt Siculi, statimque eadem die, si vera scribit anonymus Siculus Martenii, regni Siculi corona solemni ritu ornatum voluere, quod ab episcopo Cephaloniæ, absente tunc Panormitano archiepiscopo, præstitum Joannes Villanus asseruit. Secundum hæc Petrus literas & nuncios misit ad Carolum, adventus sui causam, & regni Siculi sibi delati jus exponens. Extant in collectione epistolarum Petri de Vineis literæ tum illæ, quæ a Petro, cum quæ a Carolo ad illum datæ sunt, sed utræque unius ejusdem impostoris stylum sapiunt, utrinque enim thrasonismum plane intolerabilem, & indignum Regibus scriptoribus offendas. Imposturam etiam ex eo intelligas quod apud diversos veteres Autores diversæ sunt. Nam alias exhibet anonymus Martenii, alias Joannes Villanus, alias Joannes Iperius in Chronico S. Bertini, apud quem literæ sunt modestæ & rege scriptore non plane indignæ, quo characterе genuinas agnoscas.

Quæ post hæc gesta sint latius Scriptores a nobis supra laudati exponunt. Hos inter fidem præ cæteris meretur Bartholomæus a Neocastro horum omnium testis oculatus & scriptor. Nos vero prætereunda ducimus cum notas ad Annales non historiam scribamus. MANSI



Manfredus gemino vitio sceptrum invaserit.

*præsumptuosis ausibus occupavit; & tandem, prædicto Conrado humanis rebus exempto, quondam Manfredus olim princeps Tarentinus ejusdem, ut dicitur, Friderici filius; qui etiam absque privatione prædicta non injuste legitimæ successionis participium perdidit, quia ipsum partus legitimus non agnovit, utpote de damnabili commixtione susceptum, ad occupationem prædicti regni temerarias & occupatrices manus extendit.*

XIV. *Gravibus ergo & enormibus admodum per potentiam, & malitiam eorumdem injuriis irrogatis Ecclesiæ, ipsaque in suis afflicta multipliciter fidelibus, respexit Altissimus sponsam suam; & convertens illi nubilum in serenum, scelestam prædicti Friderici domum, quæ consueverat, quantumvis malis abundare personis, sic pene redegit in nihilum, sic illam jacturam multimode dissipationis oppressit, ut de ipsa nisi scintilla unica remaneret; Conradinus videlicet Conradi filius supradicti, qui cum in eo malitia supleret ætatem, ipseque annorum suorum curricula nequitia superaret, progenitorum suorum nefarios actus sequens, ac illorum profanas iniquitates amplectens, mentisque ambitiosæ vitio Imperium expetens, sibi regnum intitulando Siciliæ, se ipsius Regni Regem denominare temere præsumebat; & cum nonnullis Ecclesiæ inimicis Lombardis, Tuscis, Marchianis, & Apulis, præcipue de regno profugis prælibato, fraudulentis se implicando commerciis, in Urbe, Lombardia, Tuscia & per alia diversa loca suas disseminare literas præsumebat, sub expressione sui proprii nominis, & præmissæ intitulationis temere sigillo regiæ majestatis impressas, per quas commoveret populum, concitare gentes, ac turbare pacem Ecclesiæ nitebatur, in ipsius Ecclesiæ, ac charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris grave præjudicium & discrimen. Unde piæ memoriæ Clemens Papa prædecessor noster, cum sibi de his evidentius constitisset, diligenter attendens multam ipsius Conradini malitiam, & suorum conatuum perversorum volens obviare principiis, certum habuit contra eum in hac parte processum, prout vidit rationabiliter expedire, ac negotii qualitas persuasit. Demum præfato Conradino sublato de medio, eidem regno pax rediit, aurora tranquillitatis illuxit, sedatis turbationis fluctibus, quos ipsius Conradini prava studia suscitarant.*

Conradinus juste oppressus sit.

XV. *Sed sicut nuper non sine multa turbatione fide dignorum relatu percepimus, nonnulli proterve assumentes ad nostram, nec non Ecclesiæ, dictique Regis turbationem & scandalum aspirantes, in prædicto regno ignem turbationis emortuæ reac-*

Veterа redintegrentur bella.

*cendere moliuntur: ad id sua studia iniquе congerunt, ad id suarum virium potentiam coacervant, manus præsumptuosas apponunt, & etiam occulti favoris auxilium largiuntur. Testatur hæc inter cætera horrendi sceleris feralis immanitas de novo in civitate Panormitana patrati, ubi sic debacchatus est gladius; ferrum infremuit, furor incauduit, rabies insanivit, manus truculenta desevit quod, sicut rumor mæstus enunciat, non suffecit virorum ac mulierum multitudinem inibi cædi dari, nisi & hi, quos nondum in lucem natura produxerat, maternis apertis uteris, necarentur, trucidarentur, innati, & delitescentibus visceribus genitricum impiæ præfocationis exitium inferretur. Quia ergo præfatum regnum Siciliæ ad Romanam ecclesiam spectare dignoscitur, suique juris & proprietatis existit; ac propter hoc nos, qui una cum Ecclesia ipsa medullitus in hac parte contingimur, & quasi cujusdam acerbæ punctionis aculeo excitamur; volentes tam gravibus hujusmodi malorum initiis, prout possumus, obviare, ne tam horrenda principia convalescant, præsente hac fidelium multitudine copiosa, de fratrum nostrorum consilio universos & singulos cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status monemus attente, districte præcipientes eisdem ne in prædictis regno, vel ejus parte nos, & eandem ecclesiam, & præfatum Siciliæ Regem, qui prædictum regnum ab eadem tenet ecclesia, per se vel per alium aut alios molestent, seu impetant, aut perturbent, occupando vel invadendo hostiliter, seu occupari vel invadi hostiliter faciant regnum ipsum, vel aliquam partem ejus.*

Panormitani furorem exercuerint.

Vetitum ne quis rebellibus studeat.

XVI. *Præcipimus insuper universis & singulis Christi fidelibus, specialiter autem marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus, & universitatibus castrorum, villarum, & aliorum quorumcumque locorum Italiæ, & maxime jurisdictioni temporali ecclesiæ Romanæ subjectis, ne prædictis in occupatione, vel invasione hujusmodi prorsus intendant; & ne cum armis vel sine armis ad turbandam in prædicto regno pacem ejusdem Romanæ ecclesiæ, ac præfati Regis Siciliæ in eadem præstent eis occupatione vel invasione prædictis consilium, auxilium, favorem, publice vel occulte; & ne super hoc societatem, conjurationem, aut fœdus aliquod ineant cum eisdem. Si qui autem contra monitionem & præcepta nostra præmissa per se, vel per alium, aut alios quocumque dolo, fraude, arte, vel machinatione fecerint, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, excommunicationis sententia, quam ex nunc in illos proferimus,*

Intentatæ respuentibus imperia censuræ.

*mus, ipso facto se noverint innodatos. Civitates quoque & communitates quaslibet, quæ contra monitiones & præcepta nostra prædicta quocumque dolo, fraude, ingenio, arte, vel machinatione venire præsumpserint, ecclesiasticæ sententiæ interdicti, quam ex nunc in illos proferimus, volumus subjacere.*

XVII. Objectæ aliæ pœnæ.

*Aperte quoque prædicimus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis inferioris gradus prælatis, quod si contra monitionem & præcepta nostra præmissa, vel eorum aliquod venire tentaverint, nos eos omni ecclesiasticæ dignitatis honore, cæteros autem clericos, non prælationis officium, sed dignitatis forsitan, vel personatus, aut alicujus ecclesiastica beneficia obtinentes & obtentis privare curabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout nobis facti qualitas suggeret, & justitia suadebit. Laicis vero cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, & præcipue jurisdictioni temporali ecclesiæ Romanæ subjectis, denunciamus expresse, quod si contra monitiones & præcepta nostra hujusmodi per se, vel per alium, seu per alios temere veniendo ea non curaverint observare, nos tantæ temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipsos feudis & aliis omnibus, quæ a prædicta & aliis ecclesiis ac personis ecclesiasticis obtinere noscuntur, privare & vassallos eorum, quos habent, a fidelitatis juramento, quo tenentur eisdem, reddere penitus absolutos; & personis eorum citra mortis & mutilationis periculum expositis, ad expositionem bonorum eorum procedere, Deo auctore, curabimus, prout eorumdem culpæ exegerint, & videbimus expedire.*

XVIII. Panormitani admoniti, ut redeant ad officium.

*Cæterum quia prædicta civitas Panormitana, & nonnulla castra seu villæ illarum partium contra præfatum Regem Carolum, qui regnum ipsum ab eadem tenet Ecclesia rebellionis spiritum assumpsisse dicuntur; nos circa illa nolentes in hoc juris rigorem observare, sed uti potius mansuetudinis lenitate, quam in actibus nostris libenter amplectimur, intendentes ac volentes eadem ab hujusmodi erroris initio paternis studiis revocare; communitatibus, civitatum, & castrorum, ac villarum prædictarum districte præcipimus, ut sublato cujuslibet difficultatis & dilationis objectu, ad nostra mandata & Ecclesiæ ac Regis prædictorum redire procurent: eisdemque comitatibus districte præcipimus, ne prædictos molestatores & turbatores, occupatores, seu etiam invasores, aut dantes eisdem in prædictis consilium, auxilium, vel favorem in civitatem, castra & villas, seu districtus eorum quovis modo recipiant, vel recepient, nec ipsorum, vel alicujus eorum dominio, vel regimini quomodolibet se submittant, neque ipsis vel eorum alicui contra nos & eandem Ecclesiam ac Regem prædictum impendant in prædictis consilium, auxilium, vel favorem, publicum vel occultum. Nos enim confœderationes, seu colligationes quaslibet, si quæ inter communitates easdem, vel ipsos, & quoscumque alios initas vel factas super occupatione vel invasione prædictis, penitus dissolventes, ac juramenta de illis servandis, vel alio quocumque modo prædictis, hinc inde præstita relaxantes omnino; commmunitatibus ipsis aperte prædicimus, quod nisi præmissa curaverint quantocius adimplere, contra eas, & civitatem, & castra, & villas earum spiritualiter & temporaliter, auctore Domino, procedemus, quod pœna dicente cognoscere poterunt quam sit temerarium & superbum mandatis apostolicis contraire. Ut autem &c. Datum apud Urbemveterem in platea dictæ majoris ecclesiæ in die Ascensionis Domini, pontificatus nostri anno 11.*

XIX. Spernunt Apost. imperia.

Sprevere apostolica imperia Panormitani ac Martino de patrata in Gallos cæde apologiam transmisere, (*a*) quæ ab hisce verbis exordium ducit: *Dum sanctissime Pater patrum, loqui formidavimus, os in cœlum ponere titubantes, ne taciturnitatis longa præscriptio peramplius delictum nostrarum videatur exaggerare culparum.* Pluribusque interjectis contumeliis in Carolum & Gallos, quorum tyrannidem ad extenuandum perduellionis crimen exaggerant, subdunt: *Cum nihil in terra legitur fieri sine causa, sicut bene novit vester perspicuus intellectus scripturarum diligentior indagator, privare nos vestra misericordia non debetis. Scitis enim, quod illico post stragem scelerum ministrorum cœlitus destinatam, B. Petri vexillum levavimus, & sanctam matrem ecclesiam Romanam invocavimus protectricem: sed quia nos indignos B. Petri & vestra gratia reputastis, ille qui manet desuper infallibilis speculator, cui cura est æqualis de omnibus tam majoribus quam pusillis, sicut lectio divina testatur, alterum Petrum loco Petri affectuosius invocari ex insperato in præsidium nostrum voluit cum paucis comitibus destinare, &c.* Ad colorandum flagitium tribuere Panormitani divinæ providentiæ Petri adventum, cum is ex Joannis Procidæ nefario tractatu prædæ maximæ spe allectus esset. Cæterum expetitam initio a nonnullis Siculis clientelam pontificiam, testatur Martinus Papa, qui Petro Regi Aragonum vertit, crimini, (*b*) Siculorum sedis Apostolicæ nomen & auxilium adhuc implorantium tyrannidem corripuisse,

(*a*) Ext. in MS. Freder. comit. Ubaldini.

Eorum fuci ad extenuandum scelus.

(*b*) To. 2. l. 1. ep. cur. 11.



se, atque ab obsequio Ecclesiæ avertisse.

XX. Gerardus ep. Sabin. A. S. L. in Siciliam missus.

Instructum porro amplissima auctoritate Gerardum episcopum Card. Sabinensem legatum in Siciliam misisse, ut populos ad officium revocaret, testantur subjectæ literæ (*a*).

(*a*) Ib. ep. cur. 5.

*Martinus, &c. Venerabili fratri Gerardo episcopo Sabinensi Apostolicæ sedis legato.*

*Licet Christicolarum singulæ regiones Deo, & Apostolicæ sedi devotæ favorem apostolicum mereantur; nosque ad eas nostræ considerationis diffundamus intuitum; tamen regnum Siciliæ, velut delectationis nostræ pomerium serenis intuemur affectibus, & infra claustrum nostri pectoris præ dilectione portamus. Hoc enim est regnum ecclesiæ Romanæ peculiare, præcipuum, cui præsidet Rex devotus ipsius Ecclesiæ filius, & pugil intrepidus, regnum ipsum sua potenti strenuitate liberans, & defendens de manibus impiorum, ac ad ejusdem exaltationem Ecclesiæ conservans, & protegens superna benedictione perfusus: cujus tota domus regia sinceræ fidei, claræque devotionis titulis insignita, & aromatibus imbuta virtutum in gremio dictæ sedis & nostro prædilecta recumbit. Unde cum hostis humani generis, pacis æmulus, & zizaniæ seminator nuper in eodem regno turbationes & scandala suscitarit, satagens ut regnum præfatum de oppressionibus & languoribus, quibus peste tyrannica fluctuarat diutius, sub ejusdem Regis strenua dimicatione respirans, deformationis dispendia sub miserabili ducta vehiculo sustineret; nos exinde graves & amaras in corde suscepimus, non sine immensi doloris acerbitate, punctiuras, dum miserabilis dicti regni conditio, & commissorum ibidem enormitates excessuum in nostro pectore revolvuntur; & profundis meditationibus, laboriosisque vigiliis anxiamur, ut in tantæ necessitatis articulo possimus, auctore Domino, adhibere consilium opportunum.*

XXI. Auctoritas illi demandata.

*Et quia innumerabilium quasi negotiorum varietate distrahimur, & humana natura non patitur, ut essentia nostri corporis tota simul in diversis locis exhibeat se præsentem, illos in partem apostolicæ solicitudinis de latere nostro nonnumquam assumimus, quibus fore percipimus cœlesti dono provisum, ut in altis & arduis negotiis sciant & possint provide consulere, ac utili consilio providere. Attendentes itaque quod personam tuam Altissimus scientiarum magnitudine, providentiæ munere, circumspectionis gratia, & industriæ claritate, multisque virtutibus insignivit, humeris tuis fortitudinis robur adiiciens, ut ad laudem sui nominis, frequenter onera grandia supportares, plenissimam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes; licet apud eamdem sedem ex eminentia tui consilii necessarius habearis, & inviti tanti viri præsentia careamus; te tamen propter exaltationem ejusdem Ecclesiæ, cujus negotium in hac parte principaliter agitur & oblatam prædictorum Regis & regni quietem, de fratrum nostrorum consilio, illuc tamquam pacis angelum duximus destinandum; fraternitati tuæ in eodem regno plenæ legationis officium committentes, ut evellas, destruas, dissipes, & disperdas, ædifices, & plantes, & facias auctoritate nostra quæcumque ad honorem Dei, & prosperum statum illarum partium, ac reformationem prosperi status Regis & regni prædictorum videris pertinere, &c. Dat. apud Urbemvet. non. junii an. 11.*

Messanenses cum legato de concordia agitant.

Excepere honorifice Messanenses legatum apostolicum, quo interprete Carolum, qui contractis raptim copiis pontificia aula digressus trajecerat in Siciliam, Messanam consternatam metu facile ad obsequium redigere potuisse tradunt, nisi propositas a Gerardo Cardinale concordiæ leges inconsulte repulisset, deinde cum urbem impetu expugnare potuisset, irruentem intra mœnia militem, ne vastaretur, continuisset quod Jordanus, sæpe a nobis laudatus, subjectis verbis testatur (*b*): *Rex quoque Carolus exercitum magnum parat Apulorum, Provincialium, Gallorum, Italicorum, & cum ipso in Siciliam transit, Messanam obsidet, quam capere potuisset: sed omisit timens terræ destructionem, si violentia caperetur. Interim Rex Aragonum Panormum applicuit, & inde cum sua militia vadit Messanam. Quod audiens Rex Carolus ab obsidione recedit: insuper & de Sicilia in Calabriam cum toto exercitu transit, timens ne sui victualia perderent, & ne rebellarent alia partes regni.* Quibus Ptolemæus (*c*) Lucensis, Jacchetus (*d*) Malespina, Joannes Villanus, (*e*) vetus MS. (*f*) de rebus Siciliæ Friderici comitis Ubaldini, & alii consentanea tradunt. Neque ita multo post Rogerius Auria instructa commeatibus Messana, plures Caroli naves, quæ in ora maritima erant expositæ, incendit (*g*), cepitve.

XXII. Obsessa Messana a Carolo.

(*b*) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960. Soluta adventu Regis Arag. obsidio Messanæ.

(*c*) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 6.

(*d*) Jacch. Malesp. hist. Flor. c. 211.

(*e*) Jo. Villan. l. 7. c. 75.

(*f*) MS. de reb. Sicil. Frid. com. Ubaldini p. 24. & alii plures.

Ad confirmandas lapsas Caroli res adduxisse e Galliis Salernitanum principem mense octobri lectissimum nobilitatis florem Joannes Villanus (*h*) ac vitæ Martini auctor (*i*), narrant: tum Martinus recurrente dedicationis basilicæ Principis Apostolorum festo die objectas iis, qui Siculis perduellibus studerent, censuras Petrum Regem Aragonum contraxisse pronuntiavit (*k*): Denun-

Caroli naves a Rogerio incensæ vel captæ.

(*g*) Jacch. Malesp. hist. Flor. c. 212. Jo. Villan. l. 7. c. 74. MS. de reb. Sicil. Frid. com. Ubal. pag. 49. & alii.

XXIII.

(*h*) Jo. Vill. l. 7. c. 84.

(*i*) Vit. Martin. IV. MS. Vall. bibl. sign. lit. C. n. 25. & 79.

(*k*) Tom. 2. p. 11. Pontificia in Petrum Reg. Arag. sententia. Vetitum illi ne Regis Siciliæ nomen sibi vindicet.

*nuntiamus*, inquit, *Petrum Regem Aragoniæ, suos comites, complices, satellites & ministros, ac insulæ memoratæ rebelles ex supradictis causis excommunicationis; civitates, castra, villas, & alia loca præfata, nec non & universitates ipsorum interdicti præmissis latis per nos sententiis subjacere; de novo tam in Regem & alios sæpefatos, quam in universitates, castra, villas, & loca prædicta ex causis eisdem, & propter auctam eorum contumaciam in non parendo nostris monitis & præceptis, a nobis prohibita pertinaciter prosequendo, similia promulgantes*. Nonnullisque interjectis, quibus Petro Regi dat imperia, ut insula Siciliæ abscedat, nec eam bello infestet, vetat regis Siciliæ nomen sibi adscribere: *Inhibemus, ne idem Rex Aragoniæ se Regem Siciliæ nominet, sigillum regium sub intitulatione Regis Siciliæ nomen assumat, vel utatur assumpto; neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona vel jura quæcumque in eo, aut aliqua ejus parte concedat, vel tanquam Rex Siciliæ quidquam agat; neque dominium vel subjectionem aliquam in quascumque singulares personas, aut terras ipsorum, seu potestatariam vel quamlibet rectoriam, seu officium quocumque nomine censeantur, in civitate vel quovis alio loco, maxime ipsius regni Siciliæ, aut alicujus partis Italiæ in nostrum, Ecclesiæ, aut Regis Caroli eorumdem quomodocumque, vel qualecumque gravamen per se vel per alium recipiat, vel acceptet*.

XXIV. Secuturi illius partes censuris defixi.

Incutit præterea anathema iis, qui Petri Regis Aragonum signa contra Carolum fuerint secuti, vel cum eo coitiones armorumque fœdera iniverint. Cumque percrebresceret Palæologum, firmata una cum Petro Rege Aragonum conspiratione, Siculam tempestatem concitasse, illum Pontifex hac sententia involvit (*a*) monuitque ut a Regis Aragonum fœdere se divelleret: *Michaelem*, pontificia verba sunt, *Palæologum, qui se Imperatorem nominat; quemque super iis & præcipue super impenso in prædictis memorato Regi Aragonum contra nos, eosdem Ecclesiam & Regem Carolum consilio, auxilio, & favore, nec non pactis, conventionibus, & confœderationibus initis cum eodem argumenta verisimilia deferunt, præterea publica, & communis continuæ quasi accusationis incessit; omnesque sibi de facto vel quomodocumque subjectos attente monemus, eisque districte præcipimus, ut omnia monitiones, præcepta, inhibitionesque præmissa*, nimirum de non fulciendis in Carolum Siculis, *quæ ipsos Michaelem & subditos contingunt, vel possunt quoquo modo contingere, vel in eis, seu quoad eos qualitercumque locum habere; quæ omnia & singula volumus pro nominatim singulariter & expresse repetitis haberi, & velut taliter repetita robur efficaciamque sortiri; diligenter observent*. Denique judicium Palæologo, & Petro apud subsellia Apostolica intendit.

(*a*) *Ibid.*

Palæologus Imp. ob fœdus cum eo initum eadem pœna devinctus.

*Ad hæc præfatis Regi Aragonum, Michaeli Palæologo, & cæteris universis, qui contra præmissa nostra monita, præcepta, vel inhibitiones prædictum regnum Siciliæ in præfata insula, sive in reliquis ejusdem regni partibus invadere, turbare, impetere, vel quomodolibet molestare præsumpserunt, publice vel occulte, hoc generali & publico denuntiamus edicto, quod nisi dictus Rex Aragonum, & alii prædicti in eisdem insula & regno Siciliæ, ac vicinis, seu totius Italiæ partibus commorantes infra instans festum Purificationis B. Virginis; alii vero magis remoti infra kal. mensis aprilis, & dictus Palæologus infra kal. mensis maii proximo futuras, quod tempus eis ad hoc pro peremptorio termino assignamus; humiliter ad nostra & Ecclesiæ mandata redierint, præcise nostris parituri beneplacitis; & tam nobis & Ecclesiæ, quam memorato Regi Carolo de contumacia & contemptu, damnis & injuriis, omnique interesse satisfactionem plenariam competenti tempore, quod eis ad id præfiximus, impensuri; ex nunc personas eorum citra mortis & mutilationis periculum, & omnia bona mobilia exponimus a quibuslibet fidelibus libere occupanda, ipsosque feudis, bonis, ac juribus omnibus, quæ a Romana vel aliis quibuscumque tenent ecclesiis; privilegiis, indulgentiis, & gratiis quibuslibet, ipsis ab eadem sede sub quavis forma concessis, apostolica auctoritate privamus; vassallos eorum a juramento fidelitatis, quo forsan tenentur eisdem, penitus absolventes. Lapso vero dicto termino, quandocumque nobis visum fuerit, ad privandum eundem Regem Aragonum, ipsius etiam absentia non obstante, præfato regno Aragoniæ, omnibusque aliis terris suis, seu ad ipsa regnum & terras similiter exponenda, quoad ipsum regnum & terras præfata, semper nostro & ejusdem Ecclesiæ jure salvo; & nihilominus contra eum pro qualitate criminum, quibus, ut prætactum est, eum obnoxium superiora prætendunt, quantum nostrum patietur officium, facti qualitas suggeret, & nobis expedire videbitur auctore Domino procedemus, &c. Actum apud Montemflasconem ante ecclesiam S. Flaviani in festo dedicationis basilicæ Principis Apostolorum pontificatus nostri anno* I.

XXV.

Objectæ Petro Regi Arag. de eo exauctorando minæ.

Deturbatum pontificia sententia Petrum Aragonii regni juribus, quæ in secundum natu filium Regis Francorum transmissa fuere, visuri sumus.

Eo-



XXVI. Conradus de Antiochia Carolo infensissimus.

(*a*) *To. 1. l. 2. ep. cur. 12.*

Eodem porro die, quo superiores intentatæ minæ, postulatus est pariter judicio Conradus de Antiochia, qui in Carolum perduellionis signa extulerat. De cujus perfidia in Ecclesiam & Carolum hæc in edicto proposita (*a*): *Dudum nobilis vir Conradus de Antiochia, sicut ipsius habet confessio, testibus & testimonio publicæ scripturæ firmata, graviter Romanam ecclesiam & charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem offendit, ejusdem Ecclesiæ inhibitionibus, comminationibus, aliisque processibus omnino contemptis, adhærendo quondam Conradino nepoti dudum Friderici olim Romanorum Imperatoris & veniendo cum ipso ad prælium contra Regem eundem; in quo idem Conradus de Antiochia captus fuit per gentem Regis ejusdem, & sic morti expositus: quod nisi felicis recordationis Clemens Papa IV. prædecessor noster præfatum Regem rogavisset instantissime pro ipsius vita salvanda, idem Conradus decapitationis periculum subiisset. Propter quod idem Conradus, in præsentia piæ memoriæ Gregorii Papæ X. prædecessoris nostri constitutus, venerabili fratri nostro Petro archiep. Narbonensi, tunc camerario prædecessoris ipsius, præsenti ejusdemque ac ipsius Ecclesiæ nomine stipulanti promisit, quod ipse in perpetuum esset fidelis & obediens eidem prædecessori Gregorio, ejusque successoribus &c.* Recensentur alia ab eo promissa, inter quæ bellum Carolo nunquam illaturum juratus spopondit, quæ omnia perfidia insigni violavit: illum vero monet Pontifex, ut abjectis armis ad officium redeat, legesque spernenti judiciorum ac pœnarum graviorum terrorem incutit. *Actum in festo dedicationis basilicæ Principis Apostolorum, pontificatus anno* II.

Ut is Clementis præcibus vitæ reservatus fuerit.

XXVII. Calabria in Carolum rebellionem meditatur.

(*b*) *Nang. in gest. Phil. Reg. Franc.*

(*c*) *Tom. 1. l. 2. ep. cur. 10.*

Cæterum Siculis in rebellione obfirmatis, Calabri (*b*) defectionem adversus Carolum sunt meditati, ad quos in officium continendos non parum ei desudandum fuit. Suam quoque contulit operam Martinus, ut insidias hujusmodi avertere: atque ideo memorato Gerardo episcopo Sabinensi injunxit, (*c*) ut nonnullas arces ditionis pontificiæ, in regno Neapolitano sitas, Carolo Regi præsidio militari communiendas traderet: ipso tamen prius sacramento adacto, eas se arces, cum ab sede Apostolica jussus foret, restituturum.

*Venerabili fratri Gerardo episcopo Sabinensi Apostol. sedis legato.*

*Consideratis attentius tam iis, quæ nuper ad nostram notitiam pervenerunt, quam etiam temporis instantis malitia, expedire videtur omnino, ut circa Regni Siciliæ custodiam diligentem curæ solicitioris studium impendatur. Volentes igitur agi cautius in hac parte, ac etiam obviare periculis, quæ possent forsitan evenire, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus quamlibet fortelitiam montis Casini, in quo situm est monasterium Casinense, tam infra ipsius monasterii septa, vel ambitum, absque impedimento regularis observantiæ inibi observandæ; quam etiam extra in monte prædicto, & castra ecclesiæ Salernitanæ, ac specialiter castrum Olibani ad ecclesiam ipsam spectans; nec non & si qua alia castra, vel arces ecclesiarum, & monasteriorum quorumlibet vacantium, vel non vacantium dicti Regni, de quibus propter sui dispositionem, vel situm videretur non immerito dubitandum, ne per ea status patriæ, sive regni, seu charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris, posset quomodolibet perturbari; facias per eumdem Regem in expensis suis, juxta tuam & ipsius providentiam amotis per te, seu tuo speciali mandato, tam de fortelitiis, quam arcibus, & castris prædictis personis quibuscumque, de quibus videris expedire, cum summa diligentia custodiri, receptis prius ab eodem Rege suis cum sigillo pendenti patentibus literis, quod fortelitias, arces, & castra prædicta, ad nostram, seu Apostolicæ sedis requisitionem, sublato cujusvis moræ dispendio, & expensarum quarumlibet aut alterius oneris impositione omnino cessante, ecclesiis & monasteriis restituet memoratis.*

Pontifex arces Ecclesiæ in Sicilia citer. tradi Carolo, milite firmandas, jubet.

*Prædictas autem literas regias, & quicquid feceris in prædictis, per fidelem nuntium nobis mittas, & alias similes regias literas ab eodem Rege præfatis ecclesiis & monasteriis exhiberi facias ad cautelam. Dat. apud Montemflasconem* IV. *id. decembris anno* II.

XXVIII. Coortæ in urbe turbæ.

Depressa suorum defectione potentia Regis Caroli, cujus virtute Ecclesia adversus hostes invicta steterat, plurimæ in ditione ecclesiastica exortæ turbæ fuerunt, quarum expers Urbs ipsa non extitit, ut vitæ Martini scriptor narrat his verbis (*d*): *Eodem concursu temporis*, quo nimirum Sicula defectio accidit, *inter Romanos fuit dissensio maxima, & paratis hinc inde aciebus suis, pars Ursinorum se transtulit in Penestrinum; Annibaldi vero, credentes se contra eos bellum habere campestre, illuc se transtulerunt cum vicario Urbis, qui certis de causis eos fovebat, & ab eis tuebatur: & vastaverunt totam contratam, usque ad muros Penestrinæ*. Ob urbanos motus coactum Pontificem recipere se Montemflasconem, tradit idem auctor; (*e*) ac Perusinos etiam plura contra fas molitos: *Tunc temporis circa festum nativitatis B. Joannis Baptistæ dominus Papa se transtulit apud Montemfla-*

(*d*) *Mart. vit. MS. Vall. bibl. sign. lit. C. n. 25. & n. 79.*

(*e*) *Id. ib.*

*flasconem*. De hoc ejus ſeceſſu Ricordanus Maleſpina (*a*), Joannes (*b*) Villanus & alii agunt: excitatamque ab eodem arcem addunt; quo loco extant conſignatæ kal. oct. apoſtolicæ literæ: (*c*) *Sed Romani parvipendentes eumdem, exercitu congregato contra Cornetum, eo vidente vineas, hortos, & blada vaſtaverunt, & exinde alias parum facientes receſſerunt. Perusini tunc contra inhibitionem domini Papæ ſubvagum exercitum facientes, quidquid erat extra muros civitatis undique vaſtaverunt, excommunicationis ſententiam in eos proinde promulgatam incurrentes*. Eadem iiſdem verbis apud Martinum Polonum recenſentur (*d*).

(*a*) Ricord. Maleſp. hiſt. Flor. c. 207.
(*b*) Jo. Vil. l. 7. c. 58.
(*c*) Martin. l. 2. ep. 86.
Rebellant Perusini.
(*d*) Mart. Pol. l. 4. in Mart. IV.

XXIX. Guido comes Montisferetri nonnulla ditionis Eccl. loca occupat.

Paſſa eſt eodem tempore Romana ecclesia infenſiſſimum hoſtem Guidonem comitem Montisferetri, qui Forum Livii, Cæſenam, aliaque loca occuparat, latiuſque per ſummam ingratitudinem tyrannidem propagare meditabatur: in quem ipſiuſque ſtudioſos Martinus die cœnæ Domini (*e*) feſto Aſcenſionis, (*f*) atque in celebritate dedicationis baſilicæ Principis Apoſtolorum (*g*) anathema intorſit: *Graves & enormes exceſſus jam in remotis partibus divulgatos, quos Guido dictus comes Montisferetri per antiquæ; quin potius antiquatæ indevotionis oberrans invia contra Romanam eccleſiam, ejuſque devotos a longis retro temporibus commiſiſſe dignoſcitur, & adhuc continuata præſumptionis audacia committere non veretur; præterire ſilentio, vel impunitos relinquere non debemus, ne id impune deliquiſſe ſe gaudeat, ſibique ad gloriæ titulum multitudinem ſuæ damnatæ iniquitatis adſcribat. Dudum ſiquidem dictus Guido pro eo quod quondam Manfredo principi Tarentino, & deinde Conradino quondam Frederici olim Romanorum Imperatoris nepoti, nec non & Henrico chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Caſtellæ ac Legionis illuſtris germano, eandem Eccleſiam perſequentibus & excommunicatis adhæſerat, diverſis per felicis recordationis Urbanum & Clementem Romanos Pontifices, prædeceſſores noſtros, excommunicationum ſententiis innodatus; demum per venerabilem fratrem noſtrum Latinum Oſtienſem epiſcopum, tunc in partibus illis A. S. L. de ſpeciali mandato piæ memoriæ Nicolai Papæ III. prædeceſſoris noſtri benigne in forma Eccleſiæ a prædictis ſententiis extitit abſolutus, eidem inter cætera expreſſe per eumdem legatum injuncto ſub debito præſtiti juramenti, quod nunquam ex tunc Romanam impugnaret eccleſiam, aut impugnantibus daret conſilium, auxilium, vel favorem; & promiſſione ac fidejuſoribus ſub pœna quinque millium marcharum argenti receptis ab eo, quod nunquam præſumeret contrarium attentare.*

Præterita illius in eccleſiam nefarie geſta.

*Verum idem Guido, quanquam poſtmodum eidem Eccleſiæ fidelitatis præſtitit juramentum, ipſius Eccleſiæ dominium in provincia Romaniolæ recognoſcens; tamen quaſi recepti beneficii penitus immemor, & ad gratiam in eadem abſolutione perceptam prorſus ingratus, & promiſſæ fidei, ſeu fidelitatis infractor, nec perjurii reatum abhorrens, reſumpto ſolitæ rebellionis ſpiritu, aſſociatis ſibi parte Lambertatiorum de Bononia, & nonnullis aliis tam de Tuſcia, quam de diverſis aliis partibus, eccleſiam ipſam non eſt veritus multipliciter impugnare: civitates Forlivii, Foripopuli, Cæſenæ, Cerviæ, caſtrum Brectenorii, & alia loca in eadem provincia, ad eandem eccleſiam pleno jure ſpectantia, occupando, & devotos ipſius eccleſiæ provinciæ memoratæ cum prædictis ſuis complicibus & ſtipendiariis, quos ad hoc congregavit, multimodis impugnando; ac dilecto filio magiſtro Guillelmo Durandi capellano, & in dicta provincia in ſpititualibus noſtro vicario, decano eccleſiæ Carnotenſis; & nobili viro Joanni de Epa per nos ad regendam eandem provinciam deſtinato contumaciter reſiſtendo, ipſoſque in officiorum executione ſuorum impediendo multifariam, non ſine gravibus ejuſdem Eccleſiæ damnis injuriis & expenſis &c.* Defigit anathemate Guidonem & Lambertatios Bononienſes: ac Forilivii, Cæſenæ, Cerviæ, aliorumque locorum præfectis dat imperia, objectis gravioribus pœnis, ut ad Romanæ eccleſiæ obſequium redeant. *Actum apud Urbemveterem in platea dictæ majoris eccleſiæ in die cœnæ Domini, pontificatus noſtri anno* II.

XXX. Ut beneficiis mala retulerit.

Occupatæ ab eo urbes.

Lambertatii Bononienſes una cum ipſo pœnis eccleſiaſt. affecti.

XXXI. Guidonis pertinacia. Pontificis copias conſcindit.

Contempſit pontificias minas Guido, utque inſtructiſſimus erat militaribus artibus, contraria ac geminata proditione pontificias copias ex Gallis, atque Italis conflatas, partimque Forumlivii ingreſſas partim in agro rei exitum præſtolantes adortus, conciſis prius a civibus equorum frænis, dum prædaturi pontificii per domos diſcurrebant, magna ſtrage delevit: (*h*) de qua clade vitæ Martini auctor (*i*) meminit. Sed anno ſequenti compreſſa admodum eſt ipſius potentia, & Æmilia fere tota ad obſequium Eccleſiæ revocata. Ad quod perficiendum e Galliis auxilia excivit: extant enim pontificiæ literæ, quibus Philippo Galliarum Regi ob ſubmiſſas copias contra Æmiliæ perduelles gratias agit (*k*). Ad ampliora vero elicienda auxilia Galterum e Fontanis capellanum ſuum ad Philippum Regem miſit (*l*): neque ita multo poſt Spoletanum epiſcopum adjecit, quem Galliarum præſulibus commendavit (*m*). Petiit

(*h*) Jacch. Maleſp. c. 215. Jo. Villan. l. 7. c. 81.
(*i*) MS. Vall. bibl. ſign. lit. C. n. 25. & n. 79.
(*k*) To. 1. l. 2. ep. cur. 6.
(*l*) Ib. ep. cur. 78.
(*m*) Tom. 2. p. 26.



tiit vero a Rege (*a*), ut lectiſſimos balliſtarios mitteret: tum ex decimis pro bello ſacro collectis centum millia librarum Turonenſium præberet, ad quæ refundenda ſuam fidem obligabat (*b*) [1].

(*a*) To. 1. l. 2. ep. cur. 6.
(*b*) Ibid.

XXXII. Eccleſiaſtici a magiſtratibus pluribus in urbibus oppreſſi. Suſcepta a Martino eorum cauſa.

Obſoleverat adeo in pleriſque civitatibus hoc tempore eccleſiaſtica dignitas, ut magiſtratus iniquiſſimas Dei miniſtris leges infligerent, ad quas reſcindendas Martino laborandum fuit. Et quidem Parmenſi epiſcopo provinciam tradidit, ut ſenatum populumque Rhegienſem ad revocanda hujuſmodi decreta cogeret; (*c*) cui etiam una cum Mediolanenſi archiepiſcopo curam demandavit, ut Brixianos, (*d*) qui ſimiles leges eccleſiaſticis exitiales condiderant, auctoritate apoſtolica ad eas convellendas adigerent; tum laborantibus in comprimenda hæreſeos lue cenſoribus fidei hæc reſpondit (*e*).

(*c*) To. 1. l. 2. ep. 18.
(*d*) Ib. ep. 33.
(*e*) Ib. ep. 73.

*Inquiſitoribus pravitatis hæreticæ in civitate, ac diœceſi Floren. conſtitutis.*

Cenſoribus fidei imperia data.

*Ex parte dilectorum filiorum poteſtatis, conſilii, & communis Florentini fuit propoſitum coram nobis, quod ex eo inibi videtur generari ſcandalum, & poſſet gravius ſuſcitari, quod ſiquis a retro temporibus invenitur hæreticus extitiſſe, bona quondam ipſius, quæ ſuo crimine non detecto, nec contra ipſum aliqua inquiſitione ſpeciali pendente quocunque alienationis, vel conceſſionis titulo forte diſtraxit; etiam ſi per plures manus interdum res ſic alienata, vel conceſſa tranſiverit a bonæ fidei poſſeſſoribus dicitis revocanda. Quamvis autem a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus extiterit diffinitum quantum ad præſentem articulum, debere ſervari, quod obſervatur in læſæ crimine majeſtatis, nec in hac parte recedamus a veſtigiis eorumdem; volumus tamen, & per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus ad revocationem talium bonorum in civitate, ac diœceſi Florentina minime procedatis ad præſens; niſi forſan interveniſſe conſtiterit fraudem vel malitiam, propter quam merito ſit ad revocationem hujuſmodi procedendum, vel niſi alienator alienationis hujuſmodi tempore de pravitate hæretica infamatus fuerit publice, vel ſuſpectus. Datum apud Montemflaſconem* X. *kal. decembris anno* II.

XXXIII. Leolinus Walliæ princeps Eduardo bellum infert.

In Anglia hoc anno tumultus bellici a Leolino Wallenſium principe [2] concitati (*f*). Is enim una cum fratre Davide intempeſta nocte Angliæ nonnulla oppida & arces aggreſſus, nullo ætatis ſexuſve diſcrimine, magna feritate dormientes plures ferro delevit. Adverſus quem cum nonnulli ex Eduardi exercitu progreſſi, cum ex inſula, cui Angleſeje nomen eſt, fugerent fluctibuſque caſu miſerando hauſti eſſent, adeo faſtu in-

(*f*) Vveſt. Flo. hiſt. MS. Vall. bibl. ſign. lit. C. n. 25. & n. 79. in Mart. IV.

NOTÆ

[1] HOc anno Turonenſis metropolis epiſcopi Turonum coeuntes die 27. Julii concilium celebrarunt, cujus canones XIII. in Labbeana collectione extant, in quibus pleriſque pœnæ adverſus juris eccleſiaſtici violatores infliguntur. Cum vero in cap. VII. & IX. pœnæ iſtæ in præcedentibus conciliis latæ ultra modum aggraventur, atque extendantur in alios, quibus præcedentium Conciliorum ſtatuta pepercerant, ideoque plus æquo graviores reputarentur; idcirco delata ad Martinum Pontificem cauſa, ille anno ſequenti literis datis Urbe-veteri IV. Non. Maii ſcripſit ad Legatum ſuum ut ſtatuta illa reformaret atque corrigeret. Has literas publici juris fecit Martenius Collect. vet. Monum. tom. VII. col. 281.

Apud eumdem Martenium die XI. Kal. Aprilis anni 1282. inſcriptum extat concilium, quod Bernardus Terraconenſis archiepiſcopus cum ſex epiſcopis ſuffraganeis habuit, quo latas a prædeceſſoribus ſuis conſtitutiones omnes ita confirmavit, ut conſtitutionibus VI. adjectis priora ſtatuta reformarit, auxerit, roborarit. Sed collato hoc Terraconenſi Concilio cum alio Concilio, Terraconæ pariter habito anno 1329. in quo priorum conciliorum conſtitutiones plures ex integro referuntur, intelligimus concilium iſtud anni 1282. nihil eſſe aliud quam trium conciliorum ſub Bernardo archiepiſcopo collectionem, nam canon tertius inſcriptus contra invaſores, raptores, & clericorum percuſſores, idem eſt cum canone in prior Concilio a Bernardo edito. In quo pariter concilio reperias canonem alterum ibidem recurrentem quo cavetur ne Chriſtiani cum Judæo contubernium habeant, quod in concilio Martenii totidem verbis legitur. Denique Bernardus in concilio tertio anno 1282. celebrato, ut ex concilio anni 1329. conſtat, conſtitutionem dedit *in eos qui interficiunt vel capiunt epiſcopum vel prælatum*, quam pariter conſtitutionem totidem expreſſam verbis habes in ſtatuto ſexto concilii apud Martenium. Eſt igitur Martenis iſtud concilium conciliorum trium ſub Bernardo collectio, quorum poſtremum tantummodo præſenti anno 1282. XI. Kal. Aprilis celebratum fuit. Id præterquam ex iis quæ dicta ſunt perſpicue conſtat, tum pariter demonſtrant nomina epiſcoporum, quæ adſcripta leguntur in primo ſtatuto ejuſdem concilii, ſi conferantur cum nominibus epiſcoporum quæ noviſſimæ ejus concilii conſtitutioni præfiguntur. In priori enim legitur F. *Tiraſonenſis*; in noviſſimo vero *Garcias Tiraſonenſis*; ibi P. *Gerundenſis* per procuratorem adeſt; hic *Bn. Gerundenſis* per ſe præſens adſiſtit; in illo ſuffraganei ſunt ſex; in hoc vero octo. Quis ergo concilia plura ſimul collecta non agnoſcat? MANSI

[2] DEfectio Wallenſium, quam præſenti anno alligat Annaliſta, jam inde a præcedenti anno cæperat; ſcribit Nicolaus Trivettus, qui Chronicon ſuum per hos annos ſcripſiſſe videtur, & ad annum uſque 1307. proſecutus eſt. Prælium vero cum Rege perduelles iſti commiſerunt feria VI. ante feſtum S. Luciæ anni hujus 1282. MANSI

Initio secundos progressus fecit. Inanibus oraculis in superbiam effertur. Vincitur & capite amputatur. Wallenses Regi Angliæ se submittunt.

inflati sunt Wallenses, ut inanibus Merlini vaticiniis freti, Leolino suaserint, illum brevi diademate redimitum iri. Qua stulta opinione tumidus infelix princeps numerosissimum eduxit exercitum, commissoque prælio deletus est, amputatumque ipsi caput Londinum deportatum, & in turre, e qua ipsius pater Griffinus corruerat, cervicesque fregerat, affixum palo est, atque hædera coronatum. Ex quo discant mortales non in vaticiniis inanibus spem ponere, sed divinæ se committere providentiæ. Wallenses vero funesto principis sui casu exterriti, se suaque Regis Eduardi arbitrio permiserunt.

XXXIV. Alphonsus Rex Hisp. astrologiæ judiciariæ addictus sibimet exitium parit. (a) Marian. de reb. Hisp. l. 14. c. 5. In Sanctium filium odia concipit. Regnum nepoti e filio majori natu restituere meditatur. Sanctius in eum rebellat. Ipsum exauctorat. Alphonsus Africanos Sar. in auxilium evocat. Tentata res irrito conatu. Sanctius paternis execrationibus defixus regnique jure spoliatus. (b) Surit. indic. l. 2.

Infelix etiam ob nimiam vanis præsagiis fidem adhibitam extitit Alfonsus Castellæ & Legionis Rex: is enim astrologiæ judiciariæ addictissimus, cum ex hujusmodi arte, quæ verum curiosorum hominum ludibrium est, regno exutum iri aliquando sibi portendisset, ex eo, ut scribit Mariana, (a) suspicax atque ex metu crudelis effectus, magnam ejus odii partem concitavit, quæ illi eam peperit calamitatem. Creverat adeo Sanctii ipsius filii potentia, (in quem ille debita ex primogenito defuncto nepotibus regni jura transfuderat, quique omnium ordinum conciliandis voluntatibus impense studebat) ut jam omnibus ipsius senectus contemptui patere videretur. Quod non ferens, sive etiam nepotes miseratus, consilia de iis liberandis agitavit, ac Fredulum Ovetensem episcopum prætextu alio ad Philippum Regem Francorum misit, ut rem cum eo communicaret.

Id subodoratus Sanctius a patre defecit, conventuque omnium ordinum Vallisoleti habito, ab Emanuele patruo, Alfonso fratri infenso, pronunciata publica sententia, regno privari jussit. Ita depulsus Rex Marrochitani Regis opem imploravit, qui illico ad augendas res suas cum exercitu affuit, partemque Hispaniæ populatus abscessit, cum Alfonsus timens ne a barbaro caperetur, ab eo se subduxisset. Tentato ita Saracenorum auxilio, Alfonsus in celebri conventu Hispali octavo mensis Novembris die coacto, Sanctium regni successione spoliavit. Affertur a Surita (b) pronuntiata ab illo sententia his concepta verbis.

*Ut de vultu Dei judicium nostrum procedat, nos Alfonsus Dei gratia Castellæ, Legionis, Toleti, Siciliæ, Cordubæ, Murciæ, Giennii, atque Algarbii Rex per præsens scriptum ad notitiam præsentium & memoriam futurorum facimus manifestum, quod Sanctius filius noster major nobis graves & multiplices injurias nequiter irrogavit: nam tractavit & fecit conjurationem contra nos & contra nostrum dominium in Cordubensi civitate, existens cum baronibus & religiosis quibusdam, videlicet cum magistris ordinis Calatravæ & Velesii, & cum priore Hospitalis, ac cum commendatore Templi, vices & locum tenente magistri Castellæ & Legionis, nec non etiam cum aliquibus civibus in eodem etiam loco existentes; cum ad instantiam suam eidem concessum fuisset a nobis, ut cum Rege Granatæ Saraceno tractaret aliquam bonam viam treugæ seu concordiæ, quæ in Dei servitium, & terræ utilitatem, ac nostrum redundaret honorem; idem Sanctius cum dicto Saraceno & posteris suis amicitiam & pacem juramento & instrumentis firmavit perpetuam contra nos & nostrum dominium, & pecunias ac tributa a dicto Saraceno nobis debita, in semetipsum retorsit; in hoc contra nos proditiose ac falso procedens, eo quod nobis per suas scripsit literas, quod ordinatum erat inter ipsum & dictum Regem Granatæ, quod ad nostram misericordiam veniens noster vassallus fieret ac tributa certa nobis præstaret, contra omnes hujus mundi fideliter nos juvando; & ad firmandum prædicta chartas albas sigillo nostro sigillatas petiit sibi mitti, quas cum penes se habuit, multa per eas operatus est, redundantia in grave damnum dominii nostri, & honoris.*

Ut Sanctius cóitionem cum Granatensi inierit.

Addit alia Sanctii scelera, vocatum Hispalim ut de bello contra Saracenos Granatenses gerendo, tutandoque limite adversus Afrorum irruptiones cum eo deliberaret, abiisse in Castellam & Legionem, causatum motas nonnullorum mentes aversasque a regiis obsequiis sua opera sedandas: illum vero urbes & populos circuivisse, ut ipsos in regiam majestatem concitaret; onerasse promissis, a se Ferrandi jura Hispanis restitutum iri, conflasse coitiones varias: tum acerbe queritur suam a Sanctio famam laniatam: *Dictus Sanctius in suis prædicationibus, quibus contra nos populos concitabat, in multis locis multa indigna contra nos evomuit, inter alia frequenter dicens tam ipse quam sui nuntii: Rex insanus est atque leprosus, & in multis falsus atque perjurus; homines interficiens sine causa: quemadmodum Fredericum & Simonem interfecit. Dictis atem iniquis facta perversa continuans invasit, & usurpavit sibi regnorum nostrorum dominium.* In hoc vero divina adoranda est justitia, quæ Alfonsum ut insanum a filio traduci permisit, cum divinæ (ut ferunt c) providentiæ opera sapientiæ suæ confidentia, blasphema linguæ procacitate, accusare ausus est. Pergit Alfonsus alia in se commissa recensere, ut præfectos & magistratus regios Sanctius depulerit, regium ærarium invaserit, occuparit arces; monitusque, ut Toletum ad regni ordinum celebrandos conventus accederet, in quibus regni res componendæ essent, ipse alios ad Vallem Oleti indixerit, atque in iis procerum studia variis artibus sibi devinctos, aut minis fractos traxerit ad perduellionem, atque hæc etiam contra judiciorum ordinem pertentarit.

Castellanos & Legionenses ad seditionem commoverit.

Conjecta ab eo in Alfons. probra.

(c) Marian. l. 14. c. 15.





Decreta in Vallisoletanis conventibus.

*In prædicta*, inquit, *curia nobis non citato, non monito, non confesso, non convicto pronuntiari fecit non a judice imo per hostes & conspiratores, quod nos deinceps non faceremus justitiam, nec fortalitias teneremus, nec pecunias aut redditus aliquos ad regnum pertinentes reciperemus, nec in castro, civitate, aut villa aliqua reciperemur; & ulterius, quantum potuit institit per se & suos familiares ac complices, pro viribus laborando, quod ipsum Regem aut dominum Castellæ ac Legionis & Vandaliæ deinceps nominarent; nos in omnibus exheredans, in se usurpando honorem & dominium non sibi debitum, quod nobis rapit, & rapuit violenter, & ut ex supradictis patet, etiam fraudulenter. Ad cumulum autem malorum omnium non solum est vitæ nostræ insidiatus, sed etiam contra nos se potenter armavit: nam deliberato consilio, & per suos familiares, & complices publicato adeo, quod ad notitiam non solum præsentium, sed etiam multorum absentium longe lateque pervenit, de Castella Cordubam veniens, ut nos caperet, congregavit & convocavit concilia de Giennio, & Beatia, & Ubeta, nec non de Anduiar, ut simul cum eis aut Cordubensibus accederet hostiliter contra Hispalim, ut ibidem nos caperet mala & impia captione: & in hoc conatum tantum ostendit, quod esset merito parricida censendus. Sed hunc tam crudelem conatum ipsius Dominus impedivit, a civibus Hispalensibus & aliis nostris fidelibus; nec non etiam, quod dictu mirabile est, nostris & nostræ fidei hostibus ad defensionem nostram præstando auxilium opportunum. Et cum Sanctius conceptionem impiam contra nos explere non posset, prout potuit devastavit, & ibidem plures homines interfecit. Ad civitatem vero Cordubensem rediens, eam contra nos clausam tenuit, & munivit: & cum nuper nos illuc personaliter accessissemus ad civitatem appropinquantes, extenso & explicato vexillo nostro regali, ipso Sanctio audiente, ex nostra parte clamatum est, ut nos in civitate ipsa reciperet: & tam ipse quam loci illius habitatores hoc facere recusaruht, quinimo fuit contra vexillum nostrum sagitta missa.*

Corduba propulsatur.

Structæ Alfonso insidiæ.

*Igitur cum prædictus Sanctius præmissas graves injurias ac multas alias, quas longum esset scribere vel referre, timore divino postposito, ac paterna reverentia penitus abjecta, nobis irreverenter intulerit, ipsum paterna maledictione dignissimum, a Deo reprobatum, & ab hominibus merito reprobandum maledicimus: & sit deinceps maledictioni divinæ & humanæ subjectus: & eundem nobis rebellem, inobedienter & contumacem tamquam ingratum, immo ingratissimum filium sic degenerem exheredamus, & omni jure successionis, quod ei competebat in regnis nostris, dominiis, ac terris, honoribus, & dignitatibus, vel quibuscumque rebus aliis ad nos quoquo modo spectantibus ipsum privamus; & ut nec ipse nec aliquis pro eo, vel descendens ab eo in posterum in aliquo nobis succedere possit, sententialiter condemnamus. Hanc autem irrefragabilem sententiam in præsentia testium subscriptorum, & multorum aliorum latam mandamus sigilli nostri appensione muniri. Actum est octavo die mensis novembris intrantis anno Domini MCCLXXXII. in palatio Hispalensis civitatis, prædicto domino Rege sedente pro tribunali.*

Paterna execratione filium defigit.

Omni ad hereditatem jure mulctat.

Imploravit mox Alfonsus Romani Pontificis opem, ut filium ad officium cogeret. Quæ vero a Martino sint gesta ad infelicis patris gratiam, sequenti anno dicemus: hic nunc addimus collocari hoc anno (a) nuptias Elisabethæ, omnibus virtutibus ornatissimæ Petri Aragonum Regis filiæ, cum Dionysio Rege Lusitaniæ celebratas: quæ Regina tanta postea sanctitate enituit, ut in numerum sanctorum referri meruerit.

(a) Marian. l. 14. c. 5. S. Elizabetha Dionysio Regi Lusit. nubit.

XXXVI. Ladislai Regis Ungar. vita turpis. (b) To. 1. l. 2. ep. 86.

Longe aberat ab illius sanctitate Ungarus Rex Ladislaus, qui juventutis facibus inflammatus regia licentia turpibus voluptatibus se addixerat: sed cum laxiores mores coercere jam velle videretur, illum Pontifex adhortatus (b) est, ut gentilium mores habitumque exueret, assentatores expelleret, probos sibi consiliarios adhiberet, seque e sanctis originem duxisse meminisset. Ne vero de sedis Apostolicæ in eum benevolentia diffideret, ac si quas subreptitias literas, quæ ipsius dignitatis regiam labefactarent, ejus administri, obtinuissent, sciret eas irritas fore: non esse consilii sedis Apostolicæ, ipsi officere; sed potius illum omnibus officiis complexuram.

Studet illum Martin. ad meliorem vitam traducere.

*Regi Ungariæ illustri.*

*Paterna nos monet affectio, zelus tuæ salutis inducit, tua regnique tui desiderata prosperitas interpellat, ut exacta pericula, quæ per opitulationem solius divinæ gratiæ superasti, repetitione summa-*

Pontificis ea de re literæ.

*maria tuæ mentis obtutibus exponentes, excellentiam regiam ad debitam de tanta tibi concessa gratia gratitudinem excitemus, te proinde in concedentis beneplacitis confortantes. Et quidem, fili charissime, si multiplicata in te tui beneficia Redemptoris scrutinio solerti recenseas; si præteritorum eventuum qualitatem devota meditatione recogites; habes proculdubio, unde Creatori tuo humiliato spiritu, in vocem confessionis erumpas soloque ipsius beneficio te vivere, ac regnare humiliter fatearis. Recogita itaque quam paratus eras ad casum, quam dispositus ad ruinam, quando regno tuo diversarum guerrarum convulso dissidiis, & quasi totaliter tuæ ditioni subtracto, in manus tuam quærentium animam incidisti. Recognosce quam gratiose te, iniquorum seductionibus impulsum, & versatum ut caderes, quam benigne suscepit. Quomodo ipsius dextera, tecum virtutem faciens, te a rugientibus ad escam paratis eripuit, præfatum regnum tuum tranquillitati restituit, & in eo regium solium ad exaltationem status soliti præparavit; excellentiæ tuæ satis certis jam datis auspiciis, quod te in suorum mandatorum semita persistente, thronum tuum in statu consuetæ altitudinis solidabit.*

Proposita illi ob oculos divini Numinis beneficia.

Ut ab hostibus pene regno exutus divina misericordia fuerit restitutus.

XXXVII. Ut sanctissimis majoribus satus sit a quibus desciscere nefas est.

*Persta igitur, & ab omnibus, quæ contrarii possent suspicionem inducere, mentem tuam prorsus averte; teque diligenter attendens de sanctorum stirpe progenitum, abhorre ab illorum laudabilibus semitis deviare: sed eorum vestigia imitanda prosequere, fidemque catholicam totis viribus devotus amplectens, ad dilatationem illius solerter intende. Mores ab illa quomodolibet, etiam in cultu corporis & habitu, alienos penitus aspernare. Pravos consiliarios abiice, consilia illorum obaudi: justi & in fide sinceri vias tuas regant, & dirigant; nec impinguet peccatoris oleum caput tuum. Assuesce virtutibus: illis ita juvenilem animum imbue, ut eas in provectiori ætate præsentet. Illis taliter assuesce, quod per consuetudinem mores fiant, nec ab ipsis facile possis averti, conversis quodammodo in naturam. Nec excellentiam regalem deterreant literæ quædam, quas super tuis corona & regno per ministrorum tuorum malitiam conquereris fraudulenter extortas: sciturus quod non est intentionis Ecclesiæ in jura celsitudinis regalis obrepere, vel tecum agere captiose; immo potius tuis ad id concurrentibus meritis, velut charissimum filium, prout eam decet, apostolico favore protegere, ipsiusque ubertate quasi maternis uberibus confovere. Dat. apud Montemflasconem* II. *kal. octobris anno* II.

Assuescat virtutibus.

Regia jura salva & integra fore.

XXXVIII. Pontificiis monitis ad officium revocatus aliquanto tempore visus Ladislaus, hoc certe anno, ut scribit Longinus (*a*) ingenti miraculo victoriam de hostibus fidei reportavit. Oldamirus enim Cumanorum dux, pro suis dimicante Numine, a Christianis deletus, cum paucis ad Tartaros confugit. De quo hæc auctor: *Oldamir Comanorum dux in superbam jactantiam elevatus, & credens se universum Ungariæ regnum propter Vladislai Regis pravos & leves mores subacturum, Ungariam invadit. Cui Vladislaus Ungariæ Rex circa lacum Hood occurrens, secum confligit; & prælio acri inter utrosque durante, tempestas ingens coorta, ora & vultus Comanorum verberans & obcœcans, magno adjumento Ungaris fuit, ut vincerent. Victus tandem ab Ungaris est Oldamir, & omnis suus exercitus, paucis, qui fugiendo ad Tartaros evaserant, exceptis, deletus.*

Oldamir, Cumanor. dux Ungariam invadere tentat.

(*a*) *Long. hist. Pol. hoc an.*

Fugit ad Tartaros.

XXXIX. Nec minus insignem victoriam Polonis hoc anno contra barbaros Deum contulisse scribit auctor (*b*). Jaczvingi antea a Polonis profligati, acceptam ulturi cladem Lituanis se conjunxerant, prædaque ingenti onusti, satiata Christiano sanguine rabie, abscesserant: cum Lescho Niger Cracoviæ & Sandomiriæ dux, rapto tumultuario milite, hostem insecuturus, cum in silvas & lacus se proripuisse comperisset, quid ageret incertus, cœlesti viso per somnum erectus est, jussusque ab archangelo Michaele hostem insequi, certissimam victoriam ipsum relaturum pollicito: promissisque exitus consensere. Sed tanti miraculi historiam ex Longino accipiamus: *Fluctuantem*, inquit, *illum*, nempe Leschonem, *consiliique inopem visio angelica, quæ archangelum * profitebatur, per soporem monstrata monet, ut quolibet respectu & cunctatione abjectis, non differat persequi hostes, certamque illi futuram victoriam promittit. Ea visione, universis militibus in concionem vocatis, exposita etiam timidos & meticulosos persequique barbaros detrectantes exhilarat. Nihil enim æque militum animos & popularium confirmare solet, quam denunciata religio. Sumptis itaque tam cibariis quam armis, impedimentis vero, quæ escas & pabula ferebant, se subsequi jussis, recentia barbarorum vestigia intuentes, qua ampliori possunt celeritate vecti, barbaros insequuntur: & licet illos Prag & Narem flumina prætergressos comperissent, certi tamen de oraculi visione; & ipsi, iisdem fluminibus superatis, barbaros inter Narem & Niemem flumina consistentes, neque enim propter prædarum multitudinem facile agmen barbarorum movebatur, tredecima die mensis octobris consequuntur. Terruit supra modum omnes barbaros Polonorum conspectus, & multo*

(*b*) *Long. ubi sup. Chro. Polo. rer. l.* 11. *& alii.*

Jazyges in Polon. cum Lithuanis irrumpunt. Onusti præda avolant.

A Leskone Nigro domiti.

* Michaelem



*to majorem, quam pro numero Polonorum exercitum, eumdemque audacem & animosum mori destinatum, aut vincere animo & cogitatione metiebantur, paucos & timidos in tam abdita & tam remota loca nullatenus penetraturos.*

XL. *Habebat Lesko Niger dux in suo comitatu sex Polonorum de equite & pedite (inter quos plures equites erant) millia haud copias contemnendas; omnes tamen in unum agmen coactas: neque enim locus, in quo certandum erat, plus silvarum quam camporum habens, dividi copias in plures acies patiebatur. Quibus adhortatis, ut non tam pro patria, conjugibus & liberis, quam pro fide Jesu Christi de cœlesti securi præsidio viriliter pugnarent, maximo impetu in barbaros metu & subito Polonorum conspectu attonitos insiliit: & quamvis barbari primos Polonorum impetus excepissent, & aliquanto tempore tolerassent; primis tamen & secundis ordinibus obtritis, reliqui referre pedem, postea vero verti in fugam cœperunt: cædes deinde, non pugna in omnes passim fugientes edebatur, quam non solum milites Polonorum, sed a barbaris capti Poloni, quos ex Lublinensi terra in utroque sexu abduxerant, operose promovebant. Ferruerat & barbaros canum, quos simul cum captivis duxerant, viso Polonorum exercitu, ululatio, & vociferatio exultantium speciem præferens sublata, qui & in certamine durante & in fuga diris morsibus quasi nossent, quos insectari deberent, lacessebant. Cæde ingenti & usque ad satietatem edita, nox superveniens persequendi fugientes finem dedit. Reliquias Jaczvvingorum ea clade usque ad interemptionem ultimam deletas esse, ii enim pertinacius restiterant, certum est. Plures insuper tam ex Jaczvvingis quam Lituanis, qui fuga evaserant, pudore acti, dum in penates proprios aut metuunt, aut erubescunt reverti, partim laqueo, partim fame, partim aquarum suffocatione mortem sibi consciscunt, ut ex illo frequenti barbarorum exercitu pauci fuerint superstites, qui aut Polonorum gladiis non ceciderint, aut sibi ipsis mortem miserabilem non consciverint. Mirum dictu & vix credibile, apud Polonorum exercitum scrupulosius recensitum, nemo repertus est in eo prælio, & in persequendo cecidisse. Quæ res oraculum Leskoni duci per quietem factum non fantasticum, non humanum, sed divinum & cœleste eo prodigio monstravit.*

Barbaros magna clade delet.

Insigni miraculo nullus Polonus in acie desideratus.

*Lesko dux & hostium strage, & de sui exercitus incolumitate; suorum insuper, quos gentiles ex terra Lublinensi captivos duxerant, liberatione, Dei omnipotentiam glorificans, ejusque laudes cum omni exercitu suo identidem resonans; spoliis etiam hostium potitus, ovans in suos principatus rediit, ab eoque tempore beatum Michaelem sui triumphi & successuum felicium auctorem singulari prosequebatur veneratione & cultura. Ex Lituanorum quoque clade reversus in Lublin basilicam parochialem S. Michaeli fundat, & ejus nomini dicari procurat: quæ etiam in diem hunc beneficia Angelica tunc collata Polonis, & cladem barbaricam attestatur.* His consentanea Michovias, (*a*) Chromerus, (*b*) & Cardinalis Baronius (*c*) tradunt.

Excitatum templum ad S. Michaelis honorem.

(*a*) *Micho. l.*3. *c.*59.

(*b*) *Chrom. Polon. rer. l.*10.

(*c*) *Baron. in notis MS. ad an. superiorem & alii.*

XLI. Cumulavit recentem victoriam altera Lescho: cum enim Palatinus ac Sandomirienses ad Conradum Masoviæ ducem defecissent, in eos ducto exercitu, Conradum ambiguæ suorum fidei diffidentem in fugam avertit, auctoresque defectionis venia donatos sibi conciliavit. Præter hæc intestina externaque bella, dira fames non Poloniam modo, verum Boemiam quoque & Germaniam invasit, (*d*) adeo ut infelices matres, etiam filios absumerent: mox epidemia insecuta in populos magna clade grassata est.

Palatinus & Sandomirienses ad officium revocati.

Dira in Polonia & Germania fames.

(*d*) *Long. ubi sup.*

I. ANno a Virginis partu tertio supra millesimum ducentesimum octuagesimum, indictione undecima consignato, Martinus Romanus Pontifex erigendæ rei Christianæ, quæ novis bellorum tumultibus prostrata jacebat, pacisque conciliandæ studiosissimus nil reliquit intentatum, quo Siculos ad ecclesiæ Romanæ obsequium revocare posset: utque rebellium pervicacia armorum saltem vi frangeretur, cunctis qui in prælio sub Caroli signis occumberent, amplissimam criminum veniam proposuit, quam ii qui pro Terra sancta defendenda pugnando caderent, assequerentur, quamque a Gerardo Cardinali episcopo Sabinensi A. S. L. jussit promulgari (*a*).

Pontificiæ curæ pro Siculis ad officium revocandis.

(*a*) *Mart. t. 1. l. 2. ep. cur. 36. extat. etiam in formul. Mar. Ebul. pag. 294. n. 3043.*

*Venerabili fratri* * .. *episcopo Sabinensi A. S. L.*

* Gerardo

II. *Exurgat Dominus, judicet causam suam, improperiorum suorum non immemor, quæ sunt ab insipientibus tota die. Nunquid enim non propria causa ejus contra illorum perfidiam, per quos in populo Christiano guerris gravibus excitatis, principibusque catholicis distractis ad alia, impediuntur pia sua negotia, & præcipue Terræ sanctæ, quam Scriptura sacra testatur, sibi omnium chariorem? Per quos sacrosancta Ecclesia sponsa sua, sic graviter læditur, sic gravatur enormiter, quod invaditur regnum ejus, regnum inquam Siciliæ, terra peculiaris ipsius. Per quos insula Siciliæ pars dicti regni non modica rebellis efficitur, & occupata tenetur; reliquæ regni partes ejusdem diversis impetuntur insidiis, & in illis etiam eadem Ecclesia, & charissimus in Christo filius noster Carolus Siciliæ Rex illustris, qui regnum idem tenens ab ipsa, ejus est ex inde non solum vassallus, sed & specialis athleta, multipliciter impugnantur. Nunquid & iterum non sua improperia, tam graves, tam enormes injuriæ illatæ ipsi Ecclesiæ sponsæ suæ? Nunquid & tertio, non insipientes, qui fecerunt, & faciunt contemptis prædictorum suorum excessuum detestationibus, increpationibus, monitionibus, inhibitionibus, præceptis, sententiis, & pœnarum comminationibus, quæ nuper in nostris processibus jam iteratis edidimus, non tantum in prædictis suis injuriis & excessibus persistentes; sed & eos dolis & machinationibus variis, perversisque conatibus aggravantes?*

Excitati fideles a Martino ad eos edomandos.

III. *Hi profecto sunt protervi Siculi, qui debitæ nobis Ecclesiæ, ac Regi prædictis fidelitatis obliti, post præsumptam temerariæ rebellionis audaciam contra nos, Ecclesiam, Regemque præfatos, in eam prorupisse feruntur insaniam, ut Petrum Regem Aragonum in ducem & dominum sibi quasi novum Baal idolum erexisse dicantur, quatenus ipse factus devorator ipsorum, devoretur tandem virtute Altissimi pariter cum eisdem. Ii omnes, cæterique ipsorum in hoc complices & fautores Sapientis testimonio non indigne sub insipientis metaphora describuntur: siquidem, ut præmissa indicant, increpationes sic odiunt, quod contemnunt. Exurgat itaque Dominus, ipsosque præveniat celeris præventione vindictæ: præveniat obiter, & subvertat: erigat brachium suum sicut ab initio; allidat in virtute sua virtutem illorum: obumbret in die belli caput zelantium zelum ejus, bellantium bellum ipsius: protegat eos armis suæ potentiæ: sit illis de alto victoria; sit de cœlo veniens fortitudo. Cæterum quia, ut præmissorum series perhibet, in iis causam Dei agi conspicimus, sicut per processus præfatos eam persequentibus putavimus obviandum; sic illam devote prosequentibus decrevimus etiam spiritualibus auxiliis assistendum, ut causam ipsam eo ferventius prosequantur, quo securius prosecutionis hujusmodi quemvis experientur eventum.*

Vertitur ipsius crimini, Petrum Aragon. sibi Regem asciviisse.

IV. *Ideoque de ipsius omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus Christi fidelibus, de quibusvis partibus oriundis, qui contra memoratos Regem Aragonum, Siculos, complices, & fautores, aliosve quoslibet in regno prædicto seu qualibet ejus parte, nos, Ecclesiam, præfatumque Regem Siciliæ impugnantes; nobis, Ecclesiæ, vel Regi Siciliæ memoratis astiterint, si eos, vel eorum aliquem propterea in generali, vel particulari, maritimo seu terrestri conflictu mori contigerit, illam peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, veniam indulgemus, quæ concedi transfretantibus in Terræ sanctæ subsidium consuevit. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præsentes literas in omnibus locis tuæ legationis, de quibus expedire videris, sublato cujuslibet moræ dispendio, publices, & ab aliis facias publicari. Dat. apud Urbemvet. id. jan. an. 11.*

Propositæ indulgentiarum præmia arma in eos sumpturis.

V. Confluxerant ad Carolum e Galliis ingentes copiæ sub ducibus Salernitano principe, Petro Alenconio fratre Philippi Regis Roberto Atrebati, Otheliano Burgundiæ comitibus, alioque nobilitatis Gallicæ lectissimo flore, quibus

Excitæ e Galliis ingentes copiæ.





auctus Carolus sæpius tentato cum hoste certamine, [1] cum ad Siciliam oppugnandam omnibus viribus se compararet, Petrus Aragonius, qui Siculos instabiles fore metuebat, cum nondum ipsius jugo assuevissent, nec valebat opibus, ut diutius bellicos sumptus sustineret, militari astutia ad Caroli discutienda consilia, debilitandosque Gallorum primos impetus; quorum maximam partem necesse erat in alieno solo ob aeris intemperiem morbo perire, Carolum ad singulare certamen provocavit. Literis enim ac missis oratoribus perfidiæ objurgatum a Carolo ferunt, ut qui bellum non indicta causa, non jure, non consilio, sed furore ac proditione suscepisset. Qua de re hæc Jordanus (*a*): *Scripsit*, de Carolo loquitur, *Regi Aragonum, se admirari, quomodo regnum suum invaserat. Cui ille respondit, ratione uxoris filiæ Manfredi ad se potius pertinere. Ad hujus autem litigii discussionem ad singulare certamen se invicem requirunt, & Vasconiam eligunt.* Eadem iisdem pene verbis Ptolemæus Lucensis (*b*), & pluribus auctor veteris codicis MS. (*c*) Frederici comitis Ubaldini; in quo utriusque Regis literæ adductæ sunt, quas præterimus consulto, cum non absit suspicio, vel ab auctore aut alio confictas: tum hæc responsa religiosis viris missis a Carolo data a Petro Aragonum Rege feruntur: *Carolum non debet latere, quoniam pro filiis nostris, quos ex dilecta consorte nostra Constantia inclyti Manfredi Regis filia, in quam defectu virilis prolis hoc regnum legitime revolutum erat, bellum suscepimus, & propulsandorum hostium, repetendæ prædæ, atque ulciscendi nobis actio legitime competebat: & ab eo tempore, quo Manfredum Regem illustrem, & adolescentem bonæ indolis Conradinum crudeliter ac inique vita regnoque privavit, bellum sibi a successoribus eorum denunciatum atque indictum esse, intellexisse debebat.* Et infra: *Ite ad Regem vestrum, responsa reportantes adiicietis, quod si elegerit hic bella potius quam rationem esse approbanda, etiam ut sine strage populorum negotium dirimatur, non recuso, divina mediante justitia, sic cum paucis æque numeratis militibus concurrere aut, quod minus periculi traheret, singulari certamine conferre dexteram in duello.*

Petri Regis Aragonis ad frangendos Caroli Regis impetus.

(*a*) *Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.*

(*b*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 7.*

(*c*) *Cod. comitis Ubald. de reb. Sicul.*

Obtentus a Petro ad Sicil. invadendam prætextus.

VI. Pactæ sunt eæ certaminis leges, ut in subjecta prope Burdegalam planitie, centum equites armis omnibus instructi invicem concurrerent, quo in numero duo Reges haberentur. Victoris præmium erat Sicilia, victus æterna infamia inurendus, regio indignus nomine censendus, atque in posterum unum tantum servum in comitatu suo habiturus: detrectanti prælium par pœna proposita. Admisit certamen Carolus, relictoque in Calabria exercitu, cum quo si invasisset Siciliam, edomare hostem potuisset, in Gallias iter contra Apostolicæ sedis imperia arripuit: non enim modo testatur Nangius (*d*) sanctissimum Pontificem objecto anathematis terrore Carolum ab ineundo certamine abducere conatum; verum etiam Martinus promulgavit, (*e*) utriusque Regis pactiones ut nefarias ecclesiastica se execratione notasse rescidisseque: *Sub pœna excommunicationis & comminatione processus cujuslibet, quem contra eum quovis modo habere posset Ecclesia, ne ad executionem tam damnati certaminis tamquam nefandi procedat, & universis ac singulis Christi fidelibus, ne illa sibi prosequenda suadeant, neve ipsi consilio, auxilio vel favore in illis prosequendis assistant, duximus districtius inhibendum, &c. Datum apud Urbemveterem nonas april. anno 11.*

Carolus ad certamen singulare provocatus.

Imprudenter illud admittit.

(*d*) *Nang. ubi sup.*

Martini ad illud discutiendum solicitudo.

(*e*) *Mart. t. 1. l. 2. ep. cur. 5.*

VII. Cum vero in Aquitania, quæ tum Anglo parebat, committenda pugna esset, monuit Eduardum Angliæ Regem Pontifex, ut edicto caveret, ne Siciliæ & Aragoniæ Regibus ingrediendæ provinciæ aditus permitteretur, neve certamini spectator interesset, ut illius pugnæ legibus appositum erat. Qua de re mixta precibus imperia hæc Eduardo data fuere (*f*): *Serenitatem regiam monentes, rogantes, & hortantes, ac obsecrantes in Domino Jesu Christo, & per aspersionem sui pretiosi sanguinis obtestantes in Domino Jesu Christo; & nihilominus in remissionem tibi peccaminum*

Angliæ Rex admonitus ne Reges congredi permitteret.

(*f*) *Ib. ep. ext. etiam apud Suri. ind. l. 2.*

NOTÆ [1] PEtrus & Carolus lites suas dirempturi peculiare certamen indixerunt, in quo ambo reges ac centum utrinque selecti milites inter se pugnarent, pacti cessionem regni totiusque juris illi parti, quæ in certamine vicisset. Sponsio ab utroque rege præstita in publicas tabulas redacta est; e quibus eas, quas Carolus signavit, e pluteis ecclesiæ Albiensis in lucem publicam extraxit Martenius Anecdot. tom. III. col. 101. Datæ sunt illæ penultima die mensis Decembris, XI. indict. nempe anno præsenti indictione a Septembri mutata. Licet enim in illis legatur Caroli literas invitatorias oblatas fuisse Petro anno 1283. die 6. Decembris indict. XI. non alio tamen quam præcedenti anno exhibitas illas credo, plurimisque conjecturis deduxi alias annum apud Siculos citius quam a Kal. Januarii incepisse. Ex his intelligimus provocationem hanc utriusque Regis male cum præsenti anno ab Annalista componi, cum ad superiorem pertineat. MANSI

*num injungentes, mandamus quatenus conflictum hujusmodi tam detestabilem tam horrendum, ejusque præparatoria omni studio, quo potes impedias; dictorum Siciliæ, & quondam Aragonum Regum adventum ad civitatem Burdegalense m, ejusque territorium, quinetiam ad quamcumque partem Vasconiæ omni, quo poteris, remedio præpeditionis impedias & apertius interdicas; tuam nihilominus in his præsentiam denegando, & tuis insuper in partibus illis vicariis & officialibus acrius injungendo, ne prædictorum Regum guardiam recipere, vel ad dictum locum deputare certamen, aut aliquod aliud in his ministerium exhibere præsumas, super quibus eis omnem penitus adimas potestatem. Nos enim ad tam perniciosa, tam noxia omnimodis evitanda, ne dictos Siciliæ & dudum Aragonum Reges civitatem eandem seu quamvis, ut prædicitur, Vasconiæ partem ad hæc ingredi patiaris, neve in his præsentiæ tuæ copiam facias, aut promittas, seu locum sæpefato certamini deputes, aut dictos tuos in eisdem partibus vicarios sive officiales in his aliquod ministerium exhibere permittas, districte subiicimus prohibitionis edicto; ac illa omnia & singula, quantumcumque in aliis regio intendimus honori deferre, tibi & eis sub pœna excommunicationis expresse inhibemus, sub eadem pœna mandantes, ut si ad aliquod horum est processum, illud studeas, cum celeritate, qua poteris, revocare.*

VIII. Adhibuit denique Martinus omnia studia, ut Carolum ab insano consilio abduceret: imprudentiæ enim arguit (*a*) provocationi certaminis assensisse, ac fraudes Aragonii aperuit, hac nimirum arte usum, cum desperaret sustinendis ipsius conatibus parem esse posse, in longinquas terras e regno suo divellere meditatum, ut fraudibus licentius grassaretur.

(*a*) *Ib. ep. cur.* 37.

*Charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri.*

Pont. ad Carolum lit.

*Morale est, ut qui plus diligunt, amplius in dilectorum inordinatione turbentur, errores illorum acerbius arguant, durius increpent, promptiusque compescant. Hunc morem erga te, fili charissime, facti exigente qualitate, prosequimur: hunc præsertim, cum vices, licet insufficientibus meritis, geramus illius, qui quos diligit, arguit & castigat, non indigne servamus. Sane regiæ serenitatis literis nuper nobis transmissis diligenti studio * exaratis, grandi nec immerito fuimus admiratione permoti, nostris plene patefacto sensibus per easdem, te tanta discretione præditum, tantæque circumspectionis radio rutilantem, minus caute, quin potius temere consensisse, ut cum Petro Regge Aragonum particulare certamen in civitatis Burdegalensis territorio sive campo, statuto ad hoc in kal. primo venturi mensis junii termino, exercendum; ita quod tu cum centum militibus, & ipse similiter e regione conveniatis ad illud, & insimul confligatis, inire promiseris, & in subitatione spiritus primus juramento firmaveris communi consensu; pariter in pœnam partis deficientis, aut succumbentis, adjecto ut is, qui, ut tuis verbis utamur, legitimo, aperto, & bene probato corporis cessante defectu ad locum & diem præfixos ad certamen seu pugnam hujusmodi faciendam defecerit, & in civitate prædicta non fuerit cum numero militum prætaxato, in antea toto tempore vitæ suæ se tenere pro devicto, perjuro, ac etiam proditore; quodque numquam sibi ascribere debeat nomen regium & honorem: quinimo ipso facto remaneat nomine & honore regio, ac cujuslibet alterius officii, seu dignitatis exutus, spoliatus perpetuo, & privatus, ac etiam in perpetuum habeatur infamis; nonnullis etiam aliis super hoc tam contra partem deficientem, quam succumbentem indecentibus, inhonestis, & irrationabilibus conditionibus interjectis, prout in eisdem, tam in Gallico, quam Latino confectis literis plenius & seriosius habebatur expressum.*

* examinatis

Arguitur Carolus temere certamini singulari assensisse.

Locus & tempus illius ineundi constituta.

Quæ certamen detrectaturo pœnæ propositæ.

IX. *Sed num tibi ad prudentiam adscribi æstimas, vel ad prudentiam putas potius imputari, quod præfatum Regem Aragonum tibi prorsus viribus imparem, ut de cæteris taceamus, qui velut in disperatione positus censetur hoc agere, utpote contra Dei justitiam & Ecclesiæ, tuam tuorumque potentiam desperans merito posse subsistere, fecisti bellicæ, damnatæque fortis judicio tibi parem? Quomodo te potuit inimici tam insidiosi, tam subdoli, terram tuam tam fraudolenter ingressi, provocatio adeo irritare, ut ad sic inordinata procederes, ad sic improvida prosilires? ut tu, cujus vires mundus majores longe non dubitat, tuas angustares spontaneus, & suas illis in cujusdam non laudandæ animositatis impetu, inconsultus æquares, ut te a recuperatione Siciliæ, quam non in sui fortitudine brachii, sed in populi rebellione detestanda Siculi, occupavit; quin verius de ipsorum rebellium ipsam occupatam jam tenentium manibus clandestinus insidiator, & furtivus usurpator accepit, solicitudo hujusmodi futuri conflictus abstraheret, & tam ipse, quam alii, qui forsan in tua persecutione non dormiunt, te maxime ipsius occasione conflictus absente remotius suas liberius insidias prosequantur?*

Demonstrat Pont. Carolo, Aragonium ea arte ipsum deludere.

Ipso a regno absente, grassaturum insidiis.

X. *Quid insuper fili putas obloquitur crucis hostis? Quid orthodoxæ fidei persecutor, nefario sermone disseminat? Quid sub-*



Eam rem in religionis Christian. exitium verti.

*submurmurat infidelis, dum tam potentes principes Christianos, quorum molimina in Christi blasphemos deberent totaliter dirigi & converti, non solum in suum exterminium & ruinam, verum etiam in multorum Christi redemptorum sanguine stragem, & excidium præparantur; præsertim in turbationem maximam scandalumque gravissimum totius pene populi Christiani, ac destructionem, & dissipationem omnimodam negotii Terræ sanctæ?*

XI. *Verum quia in præmissis increpatio dura, quantumlibet paterno affectu, sola non sufficit, nisi quæ minus prudenter acta sunt, prudentius corrigantur; ad remedium celeris illorum correctionis intendimus, ad illud plenis desideriis suspiramus. Ideoque hujusmodi promissionem prorsus illicitam, utpote rem prohibitam expressius continentem, cum non solum in principibus sublimibusque personis, sed etiam in privatis duellum non sit omnino ab Ecclesia tolerandum, reprobamus, irritamus, & penitus vacuamus; ac juramentum etiam super ea præstitum, non solum temerarium declarantes, sed & carere viribus, teque ad illorum decernentes observantiam non teneri, absolvendo te nihilominus ab eisdem, quatenus de facto processisse noscuntur; celsitudinem regiam rogamus, monemus, & hortamur attente in remissionem tibi peccaminum suadentes, & tibi nihilominus arctius injungentes, quatenus a prosecutione promissorum, & juratorum taliter prorsus abstineas, & omnino desistas; tibique nihilominus sub excommunicationis ac processus cujuslibet, quem contra te quomodolibet habere posset Ecclesia, pœnis, ne ad executionem tam damnati nefandique certaminis Deo utique, cunctisque fidelibus, honorem diligentibus regium, odiosi procedas. Ac universis, & singulis fidelibus, ne illa tibi prosequenda suadeant, neve in illis prosequendis consilio, auxilio, vel favore assistant, districtius inhibemus.*

Sacramentum a Carolo datum apost. auctoritate rescinditur.

Prohibetur ad singularem pugnam descendere.

XII. *Cæterum quia singulariter ad personam tuam afficimur, singularis efficit charitas, ut in præcavendo tibi non solum a noxiis, sed etiam ab iis, quæ regiæ serenitatis decori non congruunt, nil persuasisse sufficientes, sed persuasis semper æstimemus addendum. Et idcirco dilectum filium nostrum Benedictum S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem* (is postea Cœlestino accepto Bonifacii VIII. nomine in pontificatu successit) *virum utique profundi consilii, virum fidelem, oculatum, industrium, circumspectum, ac honoris tui, & exaltationis regiæ zelatorem fervidum, de fratrum nostrorum consilio destinamus, ut tibi circa præmissa (licet Ecclesia non intendat, nec velit aliquatenus sustinere, ut ad præmissa procedas) diligentius reseret mentem nostram, innumera & immensa pericula, quæ tua de regno Siciliæ iis diebus absentia non tam verisimiliter comminatur, quam patenter ostendit, prudentius edisserat; & ad quantam tibi hæc imprudentiam communiter imputantur, quo facilius ab illis absque moræ dispendio, & cujuslibet contradictionis objectu penitus desistendo, præfatis monitis, precibus, & exhortationibus nostris obtemperes & jussibus acquiescas; exprimere non omittat. Datum apud Urbemveterem* VIII. *id. februar. anno* II.

Card. ad eum missus, ut sequatur ipsius consilia.

Nec modo Benedictus Cardinalis adhibitus, ut Carolum ad meliora revocaret consilia, verum Joanni tit. S. Cæciliæ presbytero Card. demandata (*a*) provincia, ut pactiones a Regibus initas, irritas atque anathema in eos, si enses conferrent, ac omnes qui faverent, sceleri, latum in Galliis promulgaret.

(*a*) *Mart. l.2. ep. cur.* 5.

XIII. Regum pactiones a legato irritæ promulgatæ. Carolus magno suo damno Pont. monita negligit. Burdegalam se confert.

Tuendi inanis gloriolæ splendoris, servandæque perperam datæ fidei cupiditate obcœcatus Carolus magno suo damno pontificia monita neglexit, seque in gravissimas calamitates præcipitem egit. Cujus exemplo infelici discant pii principes censuras ecclesiasticas non aspernari. Igitur die statuta, prima nimirum junii, cum centum equitibus Burdegalæ in campum descendit, nec Aragonius usquam cum suis comparuit. Ferunt (*b*) Petrum serotino tempore vel nocte diem dictam præcedente, remotis arbitris, ut fidem servare videretur, Burdegale senescalcho se aperuisse, indeque præcipiti fuga se proripuisse, causatum a Rege Galliarum, qui non longe a Burdegala cum nobilitate Gallica substiterat, insidias sibi comparari. Cum itaque nusquam visus esset Petrus aliquot diebus frustra expectatus, sero Carolus Aragonii fraudes, ac nimium vera Pontificis monita agnovit, pueriliter nimirum delusum fuisse; bene gerendæ rei occasionem præteriisse, hostisque cujus insidias erat expertus, artibus irretiri se passum esse pœnituit. At Philippus Rex copias in Aragoniam, qua parte Navarram contingit, immisit, (*c*) quæ damna ingentia imparatis Aragoniis intulerunt.

(*b*) *Jach. Malesp. hist. Flor. loc. cit. Ptol. Luc. in ann. & hist. eccl. MS. l.24. c.7. 8. Jord. MS. Vat. sign. n.1960. Bern. in chron. Rom. Pont. Nang. in gest. Phil. Reg. Auctor. hist. Sicul. MS. comitis Ubald. Jo. Vill. & S. Ant. ubi sup.*

Petro Rege non comparente, pueriliter se delusum agnoscit. Galli in Aragoniam signa efferunt.

(*c*) *Nang. in gest. Phil.*

XIV. Tradit Villanus (*d*) aliique Florentini historici, qui perperam Martinum id certamen laudasse scribunt, evulgato nuntio Petrum Aragonium non comparuisse, defixisse illum anathemate, ac perjurum promulgasse; exuisse honore regio, fidelium cœtu eos submovisse, qui ipsum Regem appellarent; Petrum vero facete se Aragonium equitem, duorum Regum patrem ac maris dominum inscripsisse. Quam vero in eo labantur, inde

(*d*) *Jo. Vill. l.7. c.86.*

Vera historiæ series in ferenda a Pont. adversus Petrum Arag. sententia.

inde patet, cum pugna ad primum junii diem denuntiata esset, sententia vero adversus Petrum Aragonium mense martio vibrata fuerit: (a) unde perpende lector, quanti momenti sit ad detegendos historicorum errores temporum rationem ducere. Cæterum lata adversus eum sententia Pontifex declarat, ut nullum jus Aragonium in Siciliam prætendere potuerit, ac primum quidem Fridericum in concilio Lugdunensi ab Innocentio IV. exauctoratum jure, regno etiam Siciliæ Ecclesiæ stipendiario ut perduellem spoliatum, nec amissum jus in Conradum transfundere potuisse: hunc itaque injustum possessorem, defuncto patre extitisse. Manfredum vero, qui accepta Conradini clientela, regni habenas susceperat, ac postea confecta ejus morte tyrannidem arripuerat, nullo jure Regem esse potuisse: non aliquo a Friderico accepto, cum nullum obtineret, atque aliunde natalium infamia id vetaret: proinde juste anathemate ab Alexandro IV. defixum, omnibus honoribus exutum, in filiam suam aliquod in Siciliam jus non transmisisse, cujus prætextu Petrus Aragonius illud regnum, ad Ecclesiam devolutum concessumque Carolo invadere potuerit. Conradinum pariter, qui atrox bellum contra Carolum moverat, a Clemente IV. justa defixum sententia. Cum vero, iis sublatis, pax alta in Sicilia arrideret, Petri proditione exercitam in Gallos cruentam carnificinam conqueritur Pontifex (b).

(a) To. 1. l. 2. ep. cur. 45.

Demonstratur Petrum Regem Arag. nulla in Siciliam jura obtinuisse.

(b) Ibid.

*Martinus, &c.*

XV. De Siculorum recenti perduellione.

*In subitas tempestates acta est æstiva tranquillitas, bellum in media pace surrexit, facti sunt hostes ex subditis, & qui memorato Regi Siciliæ* (nimirum Carolo) *ad fidelitatis debitum tenebantur, rebellionis spiritum infideliter assumentes, non solum hostilia, sed & tyrannica patraverunt. Sicut enim gravis clamabat & adhuc clamat infamia, processit adeo Panormitanæ civitatis & civium præsumptuosa rebellio, quod rebellandi audacia, & jurium interversione regalium, suique quantum in eis fuit abjectione dominii non contenta, ferinæ immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas exposuit; dum eorum exitialis iniquitas, non solum quos ex devotis Regis ipsius concepta potuit præoccupare nequitia, sine sexus ætatisve delectu inhumane cæcidit; verum etiam partus, quos adhuc viscerum portionem claustra materna celabant, illis sæve defectis, sic præcipiti festinatione produxit in lucem, quod eis nimis proculdubio innaturaliter lucis usum, antequam concederet natura; subtraxit, eis adeo præmatura & impiissima cæde cæsis, quod eorum ortus principia prævenit occasus.*

Ut Panormitani omnium opprimi in eam proruperint.

Sine sexus & ætatis misericordia sævierint.

Immaturos partus ferro in maternis visceribus scrutati sint.

*Quia vero, sicut ex tunc plurimorum habebat assertio, & evidenter exitus jam probavit, hæc in nostram, & ipsius ecclesiæ turbationem, & dispendium tentabantur; & ad hoc pluriam intentio laborabat & studium, ut fornacis quasi recenter extinctæ nos, ecclesia, & Rex prædicti renovata eo graviora sentiremus incendia, quo solent nocere gravius pericula recidiva; nos tantorum malorum obstare principiis cupientes, ne illis invalescentibus, sero parari contingeret medicinam, in festo Ascensionis Domini, præsente fidelium multitudine copiosa, de fratrum nostrorum consilio universos & singulos cujuscunque præeminentiæ, conditionis, aut status attente monuimus, districte præcipientes eisdem, ne in præfato regno, vel ejus parte, nos & eandem ecclesiam, aut præfatum Regem Siciliæ, qui dictum regnum ab ecclesia ipsa tenet, per se, vel per alium molestare, impetere, vel etiam perturbare præsumerent; occupando, invadendo, seu occupari aut invadi faciendo, regnum ipsum, vel aliquam ejus partem.*

XVI. Quid Pontifex ad reprimendos rebelles egerit.

Ut Sicil. Regem peti bello vetuerit.

*Præcepimus insuper universis & singulis Christi fidelibus, & specialiter marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus, & universitatibus castrorum, villarum, & quorumcumque locorum Italiæ, maxime ipsius ecclesiæ Romanæ temporali jurisdictioni subjectis, ne hujusmodi molestatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus, vel invasoribus, aut occupari vel invadi facientibus regnum ipsum, vel aliquam partem ejus in præmissis intenderent; & ne cum armis vel sine armis ad turbandum in eodem regno pacem prædictorum ecclesiæ ac Regis Siciliæ præstarent illis consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte; neve super hoc societatem, conjurationem, aut fœdus inirent aliquod cum eisdem. Si quis autem contra nostra monitionem, & præcepta præmissa per se vel per alium quibuscumque dolo, fraude, vel machinatione facerent, cujuscumque forent præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, excommunicationis sententia, quam ex tunc in eos protulimus, ipso facto se noscerent innodatos. Civitates quoque ac communitates quaslibet, quæ contra monitionem & præcepta eadem quocumque dolo, ingenio, arte, vel machinatione venire præsumerent interdicti ecclesiastici sententiæ, quam ex tunc in illos promulgavimus, voluimus subjacere.* Et infra.

XVII. Aut aliis hostibus impendi auxilia.

Pœnæ imperia spernentibus obiectæ.

*Et licet Panormitanæ civitatis & civium prædictorum, ac nonnullorum castrorum illarum partium, quæ contra eundem Regem Siciliæ rebellarant, culpa gravis acerbiorem processum exigeret; nos tamen desiderantes, quod civitates, cives, & loca prædicta mansuetudo corriperet, & a tanti erroris invio revocaret, erga eos non rigorem, sed mansuetudinem prosequentes; universitatibus eorumdem civitatis, castrorum, aliorumque locorum districte præcepimus, ut submoto cujuslibet difficultatis & dilationis obstaculo, ad nostra, & ecclesiæ, ac Regis prædictorum mandata redirent; quodque præfatos molestatores, turbatores, occupatores, invasores; aut dantes eis in hoc auxilium, consilium, vel favorem, in dictis civitate, castris, villis, seu districtibus eorumdem nullatenus receptare, vel recipere attentarent, nec ipsorum aut alicujus eorum dominio, vel regimini se quovis modo submitterent; neve ipsis, vel eorum alicui contra ecclesiam vel Regem præfatos impenderent in prædictis auxilium, consilium, vel favorem, publicum vel occultum: & nihilominus confœderationes, seu obligationes quaslibet, si quæ inter universitates easdem, vel inter ipsas & quoscumque alios initas sive factas super occupatione ac invasione prædictis & juramenta de illis servandis, vel alias pro eis hinc inde præstita penitus relaxantes; universitatibus ipsis aperte prædiximus, quod nisi præmissa celeriter adimplerent, contra easdem civitates & villas earum spiritualiter & temporaliter sic procedere, actore Domino, curaremus, quod, pœna docente, suæ temeritatis & superbiæ recognoscerent qualitatem.*

XVIII. De adhibitis a Pontifice ad Panormitanos ad officium revocandos curis.



Ut mansuetudine in eos usus a cœptis absisterent fusserit.

XIX. Ut Messanenses crudele Panormitanorum exemplum fuerint imitati.

*Cæterum licet, dum iis & aliis modis & viis filiorum salutem paterna venabatur affectio, reliquarum civitatum, castrorum, villarum, cæterorumque locorum, civium & incolarum Siciliæ in nostram notitiam perlata rebellio; & præcipue Messanensium, qui Panormitanorum ipsorum imitati sævitiam, quamplures ex ministris & devotis ejusdem Regis Siciliæ post securitatem illis præstitam crudeliter trucidasse dicuntur, Castrum regium loci ejusdem temerariis ausibus occupantes, multæ commotionis causam inducerent; nos tamen propterea non desistentes a cœptis, venerabili fratre nostro Gerardo episcopo Sabinensi ad partes illas cum plenæ legationis officio, tamquam pacis angelo destinato, bona in illis & pro illis quæsivimus partibus, nec venerunt; expectavimus pacem, & turbinis tempestas gravioris apparuit, machinatis ab olim (prout communis quasi tenebat opinio, & subsecutorum consideratio satis indicabat, & indicat evidenter) dolis & insidiis revelatis. Siquidem Petrus Rex Aragoniæ, de procedendo adversus Africam quæsito colore, Siciliæ insulam, terram utique peculiarem ipsius Ecclesiæ, militum & peditum caterva stipatus invadens, & occupans, ac in illa ejusdem ecclesiæ pacem turbans; gravem seditionem excitans contra eam graviterque populum concitans, in illam temeritatis prorupit audaciam, quod cum civitatibus aliisque locis, universitatibus, civibus, & incolis ejusdem insulæ, quibus ratione uxoris, filiæ scilicet Manfredi prædicti, natorumque suorum se teneri prætendit, confœderationibus, pactis, & conventionibus, sicut ex tunc ferebatur; quin potius conspirationibus, & scelestis factionibus initis in regno prædicto, nomen jam usurpabat regium & usurpat, se Regem Siciliæ nominans, & gerere pro Siciliæ Rege præsumens, in majoris præsumptionis augmentum Regi Carolo supradicto in suis literis Regni Siciliæ titulum subtrahendo; sicque non solum Panormitanos eosdem, quos alias pluries ad hæc solicitasse per nuncios dicebatur, in inchoatæ contra præfatum Regem Carolum seditionis & rebellionis contumacia obfirmavit, eos per se ac gentem suam fovens, ipsisque favens in illa; sed tam ipsos, quam cæteros insulæ prælibatæ rebelles adeo contra jam dictam ecclesiam, eorum specialem matrem & dominam concitavit, quod nonnulli ex eis, & specialiter Messanenses, qui ante ipsius in insula prænominata præsentiam dicti legati nuncios devote, ac humiliter admittebant, dominium præfatæ recognoscentes ecclesiæ, nomenque publice invocantes; illos postmodum contumaciter admittere recusarint, baculo arundineo, eidem scilicet Regi Aragoniæ prætextu eorumdem uxoris & filiorum, ut fertur, periculosius innitentes: quos tamen uxorem & filios, seu regem per eos, seu ratione ipsorum in eadem insula, vel aliqua dicti regni Siciliæ parte, jus aliquod non habere apertius præmissa declarant; & nos nihilominus decernendum duximus, & etiam declarandum. In quæ autem crimina falsa regiæ dignitatis, immo & simplicis magistratus assumptio, seditio, violentiæque cum armis commissio incidant; quibus addicendi sint pœnis talium patratores, nec fuit nec est opus exprimere, quia id nota & vetustissima decreta sanxerunt.*

Uxoris filiæ Manfredi jura inania obtenderit.

Panormitanos subornarit concitaritque ad defectionem.

Messanenses, qui ad legati & ecclesiæ imperia redierant, ab ecclesiæ obsequio abduxerit.

Quibus pœnis ob id crimen se devinxerit.

De Gerardo ep. Sabinen. misso in Sicil. legato.

De Petro Rege Arag.

Ut umbratili in Afric. suscepto bello, arma in Siciliam verterit.

XX.

*Et quia memorati Aragoniæ Regis excessibus non leve pondus adiicit ipsius & regni sui explicite descripta conditio, seriose duximus explicandum, qualiter de archivio ipsius ecclesiæ prudentia monimenta manifeste testantur, quod piæ memoriæ Innocentius Papa III. prædecessor noster quondam Petrum Regem Aragonum, ejusdem Petri Aragoniæ Regis avum Arelatensi archiepiscopo, qui tunc erat, & aliis personis ecclesiasticis, nec non & quampluribus suis associatum proceribus per mare ad sedem Apostolicam accedentem, ut inibi ab eodem Innocentio pre-*

Auget facinus Ecclesiæ fiduciarum eum extitisse.

Addicta sedi Apost. clientelæ a Petro illius avo fuerat Aragonia.

Gestæ rei historia.

*prædecessore militiæ cingulum, & regium acciperet diadema; honoravit multipliciter, honorifice ac benigne recepit, & in ecclesia S. Pancratii martyris juxta Transtiberim per bonæ memoriæ Petrum, tunc Portuensem episcopum, in Regem inungi faciens. Deinde manibus propriis coronavit, & regalia insignia universa, mantum videlicet & colobium, sceptrum & pomum, coronam & mitram, quæ ad opus ipsius non solum speciosa, sed & pretiosa parari fecerat, ex more in Regum coronationibus observando, munifice largitus eidem; ab eo juramentum corporale recepit: per cujus religionem præfatus Rex inter cætera fidelitatem & obedientiam ipsi summo Pontifici, ejusque successoribus, dictæque Romanæ ecclesiæ; regnumque suum in ipsius obedientia fideliter conservare promisit. Ac demum Rex ipse cum multo tripudio, & applausu coronatus, juxta eundem prædecessorem Innocentium ad beati Petri Apostolorum principis basilicam rediens, super illius altare sceptrum & diadema deposuit, & militarem ensem de manu ejusdem prædecessoris accepit; dictumque regnum suum antea censuale a suis prædecessoribus eidem ecclesiæ constitutum, cupiens principali post Deum ipsius beati Petri, & Apostolicæ sedis protectione muniri, præfato Innocentio prædecessori, & per eum ipsi sacrosanctæ Apostolicæ sedi obtulit, illudque sibi & successoribus ejus in perpetuum divini amoris intuitu, & pro suæ suorumque progenitorum remedio animarum, novo adjecto censu, constituit censuale; pollicendo adiiciens, & adiiciendo pollicens, quod ipse ac successores sui specialiter eidem sedi fideles & obnoxii teneantur. Hæc autem perpetua lege fore servanda decernens, ut hujus regalis * concessio robur firmitatis inviolabilis obtineret, ipsam in scriptis redactam, & de procerum curiæ suæ consilio, præsentibus dicto Arelatensi archiepiscopo, quondam Sancio patruo suo, Hugone de Baucio, & Arnaldo de Faciano baronibus suis, sigilli sui munimine roboratam eidem prædecessori concessit.*

Ut regio edicto Petrus successores Ecclesiæ stipendiarios constituerit.

* honoris

XXI. Inde fidei violatæ Petrus Sicil. invasor arguitur.

*Numquid igitur præmissa collata pariter, & solerti examinatione discussa, præfatum Regem Aragoniæ nepotem, fidelitatis, ad quam memoratus avus, cujus est in eodem Aragoniæ regno heres, ipsum, sicut & successores ejus cæteros tam publice, tam solemniter obligarat eidem ecclesiæ, debitorem & violatorem publicum reum non accusabant infidelitatis damnabilis, & accusant? Profecto fidei debitæ violatio violantem proculdubio arguit infidelem; præsertim cum præmissa non leviter aggravet fraudulenta confictio, qua idem Rex Aragoniæ nepos, non absque fraudis commento notabilis, finxisse detegitur, & apud nos etiam per solemnes nuncios affirmasse, quod cum sumptuoso & solicito apparatu ad Dei & Ecclesiæ servitium, & exaltationem catholicæ fidei, potentiæ suæ brachium dirigebat: quod tamen contra ejusdem utilitatem fidei, dictum Regem Carolum crucesignatum in Terræ sanctæ subsidium, & publice ad Dei ejusdemque fidei obsequia prosequenda dispositum, nulla diffidatione præmissa (quod multorum judicio proditoris notam non effugit) hostiliter impetendo; necnon & contra ipsam matrem Ecclesiam terram ejus, sicut prædicitur, invadendo & occupando, direxit. Nec eum excusat, sed accusat potius, quod ad partes Africæ insulæ prædictæ vicinas diebus aliquibus declinavit: id enim ipsum ideo concinnasse probat, immo & convincit eventus, ut opportunitate captata commodius iniquitatem, quam conceperat, parturiret; maxime cum per suos nuncios missos exinde pluries eosdem Panormitanos solicitasse, ac ipsis in præsumpta malitia obtulisse consilium & auxilium diceretur: nec esset, vel sit verisimile, quod eandem Africam, terram quippe diffuso vastam ambitu, refertam incolis non prorsus imbellibus, crebris munitionibus, ut habet fama, non vacuam, opibus & aliis opulentam; cujus invasionem vix multorum Regum & principum quorumque potentia coacervata præsumeret; ipse ad hoc proculdubio divitiis impar & viribus, cum comitiva modica bellatorum solus assumeret invadendam.*

Additafraus, cum Pontifici significasset, in hostes fidei expeditionem meditari.

Ad rem colorandam Africæ oram Siciliæ objacentem legisse.

Inde crebris oratoribus Panormitanos solicitasse ad rebellionem.

XXII. Ex iis anathema latum antea adversus invasores Siciliæ eum contraxisse ostenditur.

*Numquid & iterum hæc non ostendebant, & patenter ostendunt, quod idem Rex Aragoniæ nepos, tanquam ejusdem insulæ dicti regni Siciliæ partis non modicæ manifestus invasor & occupator; ac Panormitanorum rebellium, & seditionis, commotionis, seu concitationis, pacisque turbationis contra præfatum Regem Carolum motæ notorius fotor & fautor, & adversus eamdem Ecclesiam actor & factor; sutique complices, comites, satellites & ministri præmissam per nos in prædicto Ascensionis festo latam in omnes nostris monitionibus, præceptis, & inhibitionibus non parentes, excommunicationis sententiam incurrerunt?* Pluribus interjectis, quibus intentatas Petro Regi Aragonum justas minas, si bello Siciliam vexaret, easque pertinacissime spretas, ac monita apostolica obtrita recensuit, has demum illi pœnas infligit.

XXIII.

*Ne igitur tam justæ comminationes fiant injuste ludibrio, si earum justitia prosecutione debita fraudaretur; neve sine vindicta gravis adeo crescat insania, dignum putavimus, ut memoratum Petrum nepotem Regem Aragonum, tantamque ipsius proterviam ultrix sententia prosequa-*



*quatur. Et ideo regnum Aragoniæ cæterasque terras Regis ipsius de fratrum ipsorum consilio exponentes, ut sequitur, ipsum Petrum Regem Aragonum eisdem regno & terris, regioque honore sententialiter, justitia exigente, privamus; & privantes exponimus eadem regnum & terras occupanda catholicis, de quibus & prout sedes Apostolica duxerit providendum; in dictis regno & terris ejusdem ecclesiæ Romanæ, ut præmittitur, jure salvo. Vassallos ipsius, ut præmissa declarant, a juramento fidelitatis, si quo tenebantur eidem, jam absolvimus, denuntiantes penitus absolutos, & denuo ab eodem, & a quolibet fidelitatis vinculo & homagio expressius absolventes; ac eosdem Petrum quondam Regem Siculos, complices, & fautores eorum, omnesque alios singulares, qui prædictas monitiones, inhibitiones, comminationes damnabiliter contempserunt, præmissis excommunicationis; universitates vero, civitates, castra, & loca cætera denuntiamus interdicti sententiis subjacere, ipsos & ipsa ex causis eisdem, & propter continuatam auctamque ipsorum contumaciam similibus sententiis supponentes, &c.* Dat imperia præsulibus ac proceribus, ne Petro regia exuto dignitate adhærescant; omnes coitiones, fœderaque cum iis inita rescissa pronuntiat, pœnisque gravioribus prævaricatores devincit. *Actum apud Urbemveterem in platea dictæ ecclesiæ majoris* XII. *kalen. aprilis pontificatus nostri anno* II.

XXIV. Jo. Colletus tit. S. Cæciliæ presbyt. Card. legatus in Gall. missus.

Lata itaque in Petrum Aragonium sententia, qua cœtu fidelium ejectus, & omni regio honore exutus est, misit (*a*) in Gallias Martinus Joannem Colletum tit. S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem, quem una cum Carolo Rege profectum in Franciam Nangius (*b*) aliique scribunt; ad quem in regesto pontificio extant plures datæ literæ, quibus magnis illum prærogativis decoravit Martinus, ut auctoritatem ipsius amplificaret. Mentionem illius edidere Novatores (*c*) ex Meyero, quem Lutetiæ gymnasium condidisse Colleti sive Picardorum nuncupatum, atque eodem anno extinctum & in cœnobio S. Luciani juxta Cæsaromagum Bellovacorum sepultum addunt: sed in eo errant, cum annis insequentibus ad ipsum pontificiæ literæ scriptæ reperiantur. Ea vero ardua provincia imposita ipsi est, (*d*) ut Petrum Aragonium anathemate devinctum in Galliis promulgaret, atque Aragoniam nomine Rom. Ecclesiæ alicui ex Philippi filiis vectigalem traderet. Qua de re hæc Ptolemæus Lucensis, (*e*) & Jordanus (*f*): *Eodem anno Martinus Papa processum fecit contra Regem Aragonum, ipsumque regno deponit, & ab omni dignitate, eaque tradidit Regi Franciæ pro Carolo secundo filio dicti Regis, totumque regnum Aragonum supposuit gravissimo interdicto; ac regnum Aragonum alteri confert, sicut ipse Rex Aragonum in regnum conspiraverat alienum.* Quæ porro leges novo Aragonum instituendo Regi dictæ sint, quibus fidem Romanæ ecclesiæ obstringeret, e subjecto diplomate patebit (*g*).

(a) To. 1. l. 3. ep. cur. 3.
(b) Nang. in gest. Phil.
(c) Cent. 13. c. 10. col. 1023. De eo mentionem faciunt Novatores, pluribus falsis admixtis.
Regnum Aragon. Philippi Reg. filium a Pont. traductum.
(d) To. 1. l. 3. ep. cur. 7.
(e) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 10.
(f) Jord. MS. Vatic. sign. n. 1960.

(g) Ead. ep. 7.

*Martinus, &c. Joanni tit. S. Cæciliæ presbytero Card. A. S. L.*

XXV. Legato rei perficiendæ provinciam imponit.

*Tuæ circumspectionis industriam probatam frequenter in arduis, fidum pectus, providumque consilium nobis nota familiaritate diutina, debita meditatione pensantes, te ad hæc ministrum idoneum de fratrum eorumdem consilio assumentes, ad occupandum idem Aragoniæ regnum, & comitatum Barchinoniæ, qui est de terris expositis, quæ olim fuerant dicti Petri, de illo ex ejusdem Regis Franciæ filiis, quem ad hoc ipse Rex elegerit; alio tamen ab eo, qui sibi est indicto regno Franciæ successurus; sub lege, conventionibus, pactisve subscriptis, ab eodem Rege Franciæ, ac ipso filio ad id electo per eum solemniter promittendis, ut eorum quemque contingunt, & inviolabiliter observandis; per te auctoritate apostolica, quam in hac parte plene tibi committimus, de ipsorum fratrum consilio volumus provideri, & ipsum ad id faciendum singulariter deputari: statuentes & decernentes, quod prius quam ipse Franciæ Rex & filius suus ad hoc electus ab illo, & a te, ut prædicitur, deputatus, eamdem legem, conventiones, & pacta expresse acceptaverint, & promiserint contenta in eis se inviolabiliter servaturos; tuque ipsum ejusdem Regis Franciæ filium ad id deputaveris; idem filius in præfato regno Aragoniæ nomen, & titulum regium, in comitatu quoque prædicto dignitatem omnem, quam dictus Petrus quondam Rex Aragonum in illis obtinuit, sortiatur; & tam per se, quam per alios eadem Aragoniæ regnum & comitatum libere occupet, & faciat suo nomine occupari: eaque tam ipse, quam sui perpetuo successores, in illis infrascripto ad illa ordine admittendi, absque ulla contradictione possideat, & in ipsis tamquam veri Reges, comites & domini legitime administrent, plene in eis jus Regis, comitis & domini habituri; in Terraconensi civitate, ipsius territorio, districtibus, & pertinentiis sæpefatæ Romanæ, ac Terraconensis, ecclesiarum per omnia jure salvo.*

Sceptri Gallici heredem excipit.

XXVI. Impositæ a Pontif. leges.

*Quod si dicti Rex Franciæ ac filius legem, conventiones, & pacta eadem non acceptaverint; vel contenta in eis, ut prædicitur, non promiserint; tu ad pro-*

*provisionem, & deputationem hujusmodi non procedas. Lex autem, conventiones, & pacta, sub quibus dictas provisionem, & deputationem, & non aliter procedere volumus, hæc sunt: videlicet ne eadem regnum & comitatum præfatus ejusdem Regis Franciæ filius ab eo electus, & a te, ut præmittitur, deputatus, ejusve successores in illis ullo umquam tempore separent, nec ipsorum alterutrum dividant; sed in eamdem personam semper cum sua integritate concurrant. Ad eorum successionem nullus unquam, qui non sit de matrimonio natus legitimo sed tantum legitimi admittantur. Ita ut, si eidem filio dicti Francorum Regis, suisve in perpetuum successoribus in regno & comitatu eisdem mortis tempore liberi sexus utriusque supersint, ex suo vel successorum suorum corporibus legitime descendentes, primogenitus masculus succedat in illis.*

De liberorum successione.

XXVII. De casibus qui emergere possint, si ad feminam devolvatur.

*Si vero solum feminei sexus liberos superesse contingat, succedat primogenita in eisdem. Quæ si tempore devolutæ hujusmodi successionis ad eam fuerit innupta, & nubere voluerit, personæ, quæ ad ipsius regni regimen & defensionem existat idonea, nubere teneatur: nec nubat nisi viro catholico & ecclesiæ Romanæ devoto. Sed si scienter jam nupserat, vel postea nubat alicui non catholico, vel ipsi Ecclesiæ non devoto, donec ille vixerit, & in deviatione a fide, seu in ipsius Ecclesiæ indevotione perstiterit, eadem ecclesia ipsorum regni, & comitatus administrationem liberam obtinebit: ita quod nihil exinde perveniat ad eam, vel ejus virum non catholicum, seu etiam indevotum. Illo vero non catholico, seu indevoto defuncto, ipsa in viduitate persistens, seu nupta viro catholico & idoneo, ut est dictum, habeat sicut ei competit, eadem regnum & comitatum, nec non & administrationem ipsorum: nihil tamen de perceptis ex illis hoc casu restituetur eidem. Si vero ignoranter non catholico, vel indevoto jam nupserat; vel ille, cui jam nupta erat, vel postea nupserit post contractum cum ea matrimonium talis fiat, nec ipsa ejus errori, aut indevotioni consenserit, seu favorem exhibuerit; ecclesia nihilominus eorumdem regni & comitatus administrationem habebit illo vivente, ne ad ipsum ex dictis regno & comitatu aliquid valeat pervenire: sed illo defuncto, eidem filiæ in viduitate manenti vel nubenti catholico, devoto, & idoneo, ut superius est expressum, restituetur hoc casu, prout ei competit, administratio cum perceptis ex ea; deductis tamen exinde omnibus expensis factis ratione seu occasione administrationis ipsius, & cæteris, quæ fuerint deducenda: super quibus Romani Pontificis ejus temporis dicto stetur. Sed & ipso viro vivente, si eum ad fidei veritatem, seu ipsius devotionem ecclesiæ non simulate, sed in veritate manifeste redire contigerit, filia eadem administrationem ipsam, prout ei videbitur, rehabebit.*

XXVIII. Si obire novum Regem sine liberis contigerit, ad quem successio devolvenda.

*Quod si forsan ipsum filium dicti Franciæ Regis ab eo sic electum, & a te deputatum, vel aliquem suorum hujusmodi successorum, eodem Philippo suo genitore superstite contigerit absque liberis fati munus implere; idem suus genitor non succedat in regno & comitatu prædictis; sed si plures habeat filios, unum ex eis, non tamen primogenitum qui debet in Franciæ regno succedere, infra tres menses a tempore, quo sibi defuncti mors innotuerit, numerandos ad successionem hujusmodi poterit nominare. Si vero unum solum filium vel nullum, quod absit, idem Rex Francorum haberet, liceat ei aliquem de sua progenie, qui dicto filio electo, & ut præmittitur, deputato, defuncto sine liberis, fuerat quarto saltem consanguinitatis gradu conjunctus, eligere seu nominare ad successionem eamdem.*

XXIX. Si constituto tempore designatus a Rege Franc. successor non fuerit, Ecclesiam illum designaturam.

*Ipso autem infra dictum tempus neminem nominante, habebit ecclesia eligendi seu nominandi aliquem de ipsius Regis Franciæ filiis seu conjunctis etiam supradictis, si superstites fuerint, liberam potestatem: quibus non superstitibus, eliget eadem ecclesia libere undecumque. Quod si, memorato Franciæ Rege defuncto, contingat eumdem suum filium electum, & deputatum sine liberis ab hac luce migrare, similem per omnia suus primogenitus nominandi hac prima vice tantummodo habeat potestatem: deinceps vero succedat taliter decedenti is de Regum Francorum genere, saltem conjunctus ei similiter quarto gradu, quem ordo legitimæ successionis admittet. In quolibet autem prædictorum casuum electus, seu nominatus ex ipsa electione sive nominatione jus habeat in præmissis regno & comitatu, servatis in omnibus prædictis & subsequentibus legibus, pactis, & conventionibus libere succedendi. Eadem insuper regnum & comitatus in eamdem personam cum Franciæ, vel Castellæ, seu Legionis, aut Angliæ Regnis, aliquo unquam tempore non concurrant, neque ipsa regnum Aragonum seu comitatus ulli unquam alii regno subdantur: & si forte contingeret aliquod de prædictis Franciæ, Castellæ, Legionis, vel Angliæ regnis ad aliquem Regem vel Reginam Aragoniæ pervenire, ipse vel ipsa Rex Aragoniæ seu Regina, si regnum sibi obvenens maluerit obtinere, cadant eo ipso, quod illud acceptaverint, ab omni dominio atque jure, quæ in Aragoniæ Regno & comitatu prædictis habebant, eaque libera & expedita ipsi ecclesiæ Romanæ dimittere teneantur. Ad successionem autem eorum in re-*

Decernitur Aragoniam cum alio regno non conjungendam.



*regno ipso cum comitatu prædicto veniant ipsorum filii sive conjuncti, aut alii secundum modum & ordinem supradictos.*

XXX. Consulitur Ecclesiæ libertati.

*Et quia nostræ intentionis existit prospere statui dictorum Aragoniæ regni, & comitatus, ecclesiis, & incolis eorumdem utiliter & efficaciter providere; volumus, quod omnes ecclesiæ prædictorum regni & comitatus, tam cathedrales quam aliæ, regulares & sæculares, omnesque ecclesiasticæ personæ illis libertatibus & immunitatibus; & specialiter in electionibus, provisionibus, & juribus aliis eisdem competentibus omnino gaudeant, quæ ipsis competunt secundum canonicas sanctiones: & tam ipsis quam filio ejusdem regis, sic ab eo electo & a te deputato, suisque successoribus & aliis etiam personis sæcularibus antiquæ consuetudinis approbatæ, bonaque usagia regni, & comitatus eorumdem, quæ sacris canonibus non repugnant, illibata serventur: quæ vero contra sanctiones canonicas, statuta, seu alias introducta fuerint, omnino viribus careant, & quatenus de facto processerant, revocantur: ecclesiis ipsis & personis ecclesiasticis omnia bona immobilia, sive jura, quæ summarie ipsas possedisse vel quasi possedisse constiterit, eis ablata, præcipue per memoratum Petrum quondam Regem Aragoniæ, de plano restituantur eisdem: de illis vero de quorum possessione taliter constare non potest, fiat eis justitiæ complementum.*

XXXI. Sancitur nullum Gallos de restituenda Arag. inconsulta sede Apost. tractatum inituros.

*Super prædictis comitatu, & regno cum memorato Petro quondam Rege Aragoniæ, aut ejus filiis, seu cum aliis quibuscumque pro eis nullam societatem dictus regis Franciæ filius vel iidem sui successores inibunt, nec conventionem aliquam facient de reddendo illis, vel eorum alicui dicta regnum vel comitatum, seu aliquam partem ipsorum absque sedis Apostolicæ beneplacito, & expresso consensu; nec aliquam aliam societatem, seu conventionem hujusmodi negocii prosecutioni nocivam. Pro eisdem quoque regno & comitatu tam idem Regis Franciæ filius, quam sui singuli successores in regno & comitatu prædictis nobis, nostrisque singulis successoribus, & ecclesiæ Romanæ fidelitatis præstabunt publice juramentum, & homagium facient per se ipsos, quando præsentes erunt, ubi nos, vel successores nostros præsentes esse continget. Si vero absentes fuerint, tunc per idoneam interpositam personam, ad hoc specialiter destinandam, homagium facere ac fidelitatis juramentum eis præstare licebit; nisi forte in hujusmodi absentiæ ipsorum casu nos aut successores nostri ad hoc nuncium elegerimus destinare. Tunc enim destinato ad hoc nostro, eorumdem successorum, & Ecclesiæ nomine, tam ipse quam prædicti successores ipsius in personis pri-*

De clientelari officio Ecclesiæ a novo Rege exhibendo.

*iis idem juramentum præstare, ac homagium facere tenebuntur.*

XXXII.

*Eadem præterea juramentum & homagium tam ipse dicti Franciæ Regis filius, nobis & nostris successoribus singulis infra annum, post quam quivis eorumdem successorum in summum Pontificem assumptus fuerit, quam sui successores infra simile tempus postquam in eisdem regno, & comitatu successerint, renovare tenebuntur modo præscripto. Et nihilominus pro regno & comitatu prædictis solvent idem filius, & prædicti sui singuli successores nobis, nostrisque singulis successoribus, & ipsi ecclesiæ Romanæ annis singulis in festo beatorum Apostolorum Petri & Pauli census nomine quingentas libras parvorum Turonensium, ubicunque Romanam curiam contigerit residere. Incipient autem teneri ad censum hujusmodi exolvendum, postquam tres partes eorumdem regni & comitatus obtinuerint; licet alia quarta pars in ipsius filii, vel eorumdem successorum suorum adhuc rebellione persistat. Quod si forte idem Regis Franciæ filius, vel dicti sui successores quocunque termino non solverint integre censum ipsum, & expectati per quatuor menses, terminum ipsum, immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt taliter in dicti census solutione cessantes excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo anno in prædicto solutionis termino, vel infra subsequentes quatuor menses eumdem censum sine diminutione qualibet non persolverint, totum ipsum regnum cum prædicto comitatu ecclesiastico erit suppositum interdicto. Si vero nec in tertio anno eodem termino, nec infra quatuor menses proximos sibi per satisfactionem census ipsius duxerint consulendum, habeant adhuc ad satisfaciendum alios duos menses. Sed si nec in eodem tertii anni termino, nec infra sex prædictos subsequentes menses sit de censu eodem plenarie satisfactum, ex tunc tam idem sæpefati Regis Franciæ filius, quam successores ejus ab ipsis regno & comitatu, omnique jure, quod in eis habebant, eo ipso cadant ex toto; & regnum ipsum cum comitatu prædicto ad Romanam ecclesiam, & ejus dispositionem, seu ordinationem plene, ac libere devolvatur. Si autem de ipso primi termini censu infra dictos tertium terminum & sex subsequentes menses plenarie satisfacerent, nobilominus semper pro singulis censibus singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaverint, vel illos non solverint, similes pœnas incurrent.*

Census constitutus.

Quo tempore solvi incipiet.

Adjectæ, si non solvetur, pœnæ.

XXXIII.

*Cæterum cum idem Regis Franciæ filius, vel dicti successores ejus in Regem decreverint coronari, quilibet in ordine vicis suæ coronam ab eadem Apostolica sede*

De celebranda jussu Pontif. Cæsaraugustæ regia inunctione.

*sede requiret, ut de speciali mandato nostro, vel successorum nostrorum possit per Terraconensem archiepiscopum apud Cæsaraugustam solemniter coronari. Hoc enim inter felicis recordationis Innocentium Papam III. prædecessorem nostrum & memoratum avum ejusdem Petri tempore, quo idem avus dictum regnum Aragoniæ ipsi ecclesiæ Romanæ, ut prætactum est, obtulit, extitit ordinatum. Concedimus tamen quod sæpefatus Regis Franciæ filius, ad prædicta electus & deputatus, possit per te coronari, si velit, & sine alia nostra requisitione & mandato per quem maluerit consecrari: singuli vero sui successores in Aragoniæ regno & comitatu prædictis, prius petita super hoc ab Apostolica sede licentia, de speciali mandato sedis ipsius, ut in coronatione prædicitur, per eundem Terraconensem episcopum consecrentur.* Et infra.

XXXIV. Sacramenti fidei forma, quo novus Arag. Rex adigendus sit.

*Forma vero juramenti fidelitatis & homagii faciendi a sæpefato ejusdem Regis Franciæ filio, ad præmissa electo & deputato, suisque successoribus pro regno & comitatu prædictis hæc est. Ego... Dei gratia Rex Aragoniæ, & comes Barchinoniæ plenum & ligium vasallagium & homagium faciens (ecclesiæ Romanæ pro regno Aragoniæ & comitatu Barchinoniæ * in Terraconensi civitate, ipsius territorio, districtibus & pertinentiis præfatæ Romanæ ac Terraconensis ecclesiarum per omnia jure salvo) ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & domino meo domino Martino Papæ IV. suisque successoribus canonice intrantibus, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi crediturí sunt per se, aut nuncios suos, sive per literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam: & si sciero fieri vel procurari, sive tractari aliquid, quod sit in eorum damnum, illud pro posse impediam, & si impedire non possem, illud eis significare curabo. Papatum Romanum & jura S. Petri in regno Aragoniæ & comitatu prædictis adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, ac recuperandum; & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universa & singula legem, conventiones, & pacta contenta in papalibus literis suprascriptis plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. Dat. apud Urbemveterem* VI. *kal. septemb. pontif. nostri anno* III. Admittendi Pontificio nomine hujus sacramenti facultas Cardinali legato collata est (*a*).

*, & Terraconensis

(*a*) Eod. *l.* 3. *ep. cur.* 11.

XXXV. Nec principatu modo Cataloniæ, regnoque Aragoniæ evertendum Petrum censuit Pontifex, verum etiam ut a Sicilia avelleret, illum regno Valentiæ spoliavit, cujus jura ad unum e Philippi filiis transtulit; (*b*) quo argumento ad Joannem Colletum legatum scripsit; eamque addidit legem, ut nisi excurrente designato tempore Valentiam sibi armis assereret, bellove appeteret, omni excideret jure, quod ad sedem Apostolicam devolvendum declaravit. Quo quidem argumento universis Galliarum præsulibus missæ literæ, (*c*) quibus insinuavit, jura regni Aragoniæ a Petro ob suam perfidiam ad filium Galliarum Regis traducta: ad quæ perficienda decimæ triennales impositæ. Quibus consentit Nangius, (*d*) additque circa Domini natalitia, celeberrimo conventu omnium ordinum Parisiis habito, Philippum oblata a Pontifice admisisse, Colletumque pro concione Gallos ad crucis signum induendum adhortatum. Et quidem extant ad Joannem legatum datæ literæ, (*e*) ut præsules ad solvendas decimas cogere posset.

Regno Valent. Petrus a Pont. exuitur.

(*b*) *Ib. ep.* 8.

(*c*) *Ib. ep.* 9.

Triennales decimæ Philippo Regi attributæ ad belli Arag. sumptus tolerandos.

(*d*) *Nang. in gest. Phil. Franc. Reg.*

Indicta religiosa, proposito crucis symbolo militia.

(*e*) *Eod. l.* 3. *ep. cur.* 10.

At Petrus Aragonius, cum Pontificem sibi adversantem, totque hostes conflari cerneret, contrahere undique auxilia, ac principum amicitiam sibi conciliare studebat. Ambiebat vero maxime Angliæ Regis affinitatem, atque illius filiam Alfonso majori natu uxorem tradi oratorum opera deposcebat: sperabat enim, juncta ea affinitate, Anglorum potentia impetus Gallorum, ne suam invaderent ditionem, infringendos. Nec minus Martinus eo animadverso incubuit, ut Eduardum ac contrahenda affinitate cum Ecclesiæ hoste, defixo anathemate, atque apostolica sententia regio honore exuto revocaret, ut ex subjectis ejus literis patebit (*f*).

XXXVI. Petrus Arag. Anglorum affinitatem ambit.

Martinus Eduardum assentiri vetat.

(*f*) *Tom.* 2. *p.* 53.

*Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri salutem & apostolicam benedictionem.*

Eo argumento datæ ad Anglum lit.

*Quantas & quam graves, quamque ignominiosas injurias sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cunctorum matri fidelium & magistræ irrogare præsumpserit; quam enormibus, quam magnis, immo permaximis illam perturbarit, offensis, terram ejus, Siciliæ videlicet insulam, damnatis ausibus occupando, Petrus quondam Rex Aragoniæ, quem pridem exigentibus gravissimis culpis suis tam regno Aragoniæ, quam terris cæteris, quas habebat, apostolica duximus auctoritate privandum; serenitatem regiam latere non credimus, cum id & ipsa facti evidentia longe lateque publicet, ac famæ volantis præconium jam in ultimis pene terrarum finibus divulgarit. Propter quod non solum nobis, sed universis quoque fidelibus, ad quorum notitiam pervenire contingit,*

Exponit Pontif. Petrum regia dignitate exauctoratum apostolica sententia.





Abhorrere ab illius gloria affinitatem cum excommunicato jungere.

*occurrit vehementius admirandum, quod tu, qui devotus Ecclesiæ filius, qui princeps catholicus, qui cultor fidei orthodoxæ condignis laudibus prædicaris, tractatum habuisse & habere cum Petro diceris memorato, ut dilecta in Christo filia Alienora nata tua Alfonso primogenito dicti Petri conjugali vinculo copuletur.*

XXXVII

*Revera, fili charissime, ingens subiit nostri pectoris arcana turbatio, multaque cor nostrum amaritudo circumdedit, cum tractatus hujusmodi tam abominabilis, tam horrendus ad audientiam nostram fide digna relatione pervenit; cum personam regiam, quam semper ad beneplacita nostra paratam, & ad Apostolicæ sedis obsequia promptam invenimus, sinceris affectibus prosequamur; ad exaltationem tuam, tuæque domus inclytæ, claris devotionis & fidei titulis insignitæ, benevolis studiis intendentes. Sed numquid summa considerationis regiæ inspexit acies, quod in tui dictæque domus honoris derogationem non modicam, in laudis regiæ detrimentum, in tuæ gloriæ nubilum talis copula proveniret? Numquid tuæ circumspectæ providentiæ magnitudo discussit, quod absque multa divinæ Majestatis offensa, gravi fidelium scandalo, animarum periculo, & sacrorum contemptu canonum manifesto tam infausta conjunctio minime sequi posset?*

Matrimonium Alienoræ cum Alfonso coalescere non posse.

*An ignoras, quod quondam... comitissa Provinciæ mater charissimæ in Christo filiæ nostræ A. illustris Reginæ Angliæ matris tuæ, germana, prout asseritur, extitit quondam Amedei Sabaudiæ.. comitis cujus filia uxorem ipsius Petri matrem jam dicti Alfonsi genuisse refertur; sicque si diligenter attenditur, Alfonsus, & Alienora filia tua prædicti, quarto consanguinitatis gradu utrimque invicem se contingunt? Ideoque, si præmissis veritas suffragatur, prout publica fama clamat, talis commixtio non matrimonium sed potius contubernium censeretur. Absit igitur, absit, Rex inclyte, ut tui nominis claritatem per effectum talis operationis obtenebres, ut tuæ præcelsæ devotionis sinceritas, studiis tibi conservanda solicitis, contubernii hujusmodi contagio maculetur; ut exinde tui generis genorosi lucidis titulis deroges, & prædictam Ecclesiam, quæ te gerit infra charitatis viscera prædilectum, hujusmodi occasione perturbes, cui semper placere pro viribus studuisti.*

Lege consanguinitatis vetitum.

Obscurandum ex eo ipsius decus.

XXXVIII. Adjectæ preces, ut ea dissolvat consilia.

*Quocirca celsitudinem regiam rogandam attente duximus & hortandam, quatenus provide pensans, & solerter attendens, quod cum inimico, & persecutore Ecclesiæ manifesto te non decet contrahere parentelam; & quod si, quod absit, prædicta conjunctio fieret, te Regi Altissimo, per quem regnas, quamplurium redderes odiosum; quodque nos & eandem Ecclesiam gravissime provocares, nec posemus, sicut nec etiam deberemus, conjunctionem eamdem, utpote contra Deum, & sacrorum statuta canonum attentatam, aliquatenus sustinere; omnem tractatum, si quem super hoc forsitan assumpsisti, & si ad aliud etiam, quod non credimus, est processum, illud prudenter revocare non differas, nullatenus permittendo, quod in hac parte ulterius quomodolibet procedatur: sic te super hoc promptum, efficacem, & facilem impensurus, ut exinde Altissimi Filio, & ecclesiæ supradictæ, ac nobis non indigne complaceas, divinis & nostris benedictionibus fovearis, teque dictamque filiam tuam supernis beneplacitis constituas aptiores. Datum apud Urbemveterem non. julii pontificatus nostri anno* III.

Non minus ad confirmandas suas partes, conciliandaque aliorum principum studia Petrus literis & oratoribus ipsos solicitabat; inter quos Venetorum operam sibi perutilem arbitratus, magnam solicitudinem collocavit, ut ipsorum amicitiam sibi compararet. Cumque nonnulli florentissimæ illius reipublicæ favere Aragonio viderentur, Pontifex episcopo Castellano munus injunxit (*a*) ut apostolicam sententiam in Petri Aragonii sequaces divulgaret, ac Venetos, qui sentirent cum ipso, anathemate notatos pronuntiaret. Et quidem a Petro nonnullos Venetos subornatos queritur his verbis Pontifex (*b*): *Nonnulli de universitate prædicta*, nempe Veneta, *damnabiliter a laudabilibus prædecessorum suorum semitis, sicut intelleximus, deviantes, in eam prorumpunt temeritatis audaciam; quod non solum memorati Petri contra prædictam probibitionem nuncios vel literas recipere, ipsique mittere non verentur, verum alios, ne contra Petrum & rebelles eosdem nobis, Ecclesiæ, ac Regi præfatis assistant, in nostrumve procedant auxilium contra illos malitiose impedire præsumunt, &c. Datum apud Urbemveterem* VI. *idib. junii anno* III.

XXXIX. Petrus Aragonius Venetos sibi devincire nititur.

(*a*) *To.* 1. *l.* 3. *ep. cur.* 23.

Opponit se illius conatibus Martinus.

(*b*) *Ead. ep.*

Objecta nimirum fuerant plura obstacula ne Carolus princeps Salernitanus, qui expeditionem in Siciliæ insulam meditabatur, classem Venetiis posset comparare, militemque conducere, Ad quos sustentandos sumptus Martinus e Pontificio ærario ingentem vim auri deprompserat, Portuensemque episcopum ad Venetos, ut auxilia ab iis eliceret, miserat. De quibus Carolum subjectis literis certiorem fecit (*c*).

XL.

(*c*) *Tom.* 2. *p.* 95.

*Martinus, &c. dilecto filio nobili viro Carolo principi Salernitano.*

*Nullæ galeæ conductitiæ pro te haberi pos-*

*possunt Venetiis, quamvis venerabilem fratrem nostrum Bernardum episcopum Portuensem A. S. L. illuc propter hoc specialiter duxerimus destinandum; sicut dilectus filius nobilis vir Joannes de Genvilla, quem tu cum nonnullis aliis tuis nuntiis ad civitatem Venetiarum pro certis galeis conducendis inibi destinasti, nobis in nostra pridem constitutus præsentia retulit oraculo vivæ vocis. Quia vero præfatus Joannes asseruit, quod in partibus illis homines idonei & experti ad armandum viginti galeas poterant inveniri, nos ad promotionem negotii solicite intendentes, eidem legato, tunc Venetiis existenti, quinque millia unciarum auri, cum fuisset a nobis a te humiliter supplicatum, ut longe majorem summam pecuniæ pro galeis mitteremus eisdem, per certos socios mercatorum cameræ nostræ transmisimus, convertenda per eum in stipendia hominum prædictorum. Nuper autem dilectos filios nobiles viros Joannem de Chentiliaco, Hugonem de Vicinis regiæ ac tuæ marescallæ vicemagistrum, & Petrum de Sury nuncios tuos cum literis ad nostram præsentiam destinasti, nobis humiliter supplicans per eosdem, ut cum intendas in proximo, divina favente clementia, in Siciliam transfretare, ac propterea tibi pecuniarium existat subsidium opportunum, mutuare tibi certam summam pecuniæ dignaremur. Unde nos habentes specialiter cordi negotium, & in tantæ necessitatis articulo tibi favorabiliter & efficaciter adesse volentes, tibi viginti & octo millia & trecentas nonaginta & tres uncias, & quatuordecim grana auri, computatis in eis quinque millibus supradictis, mandavimus mutuari. De cujus totali summa venerabili fratri nostro Gerardo episcopo Sabinensi A. S. L. viginti millia & trecentas octoginta & quatuor uncias, septem tarenos & tria grana auri per nuncios mittantur supradictos, per eos eidem fideliter assignanda, &c. Dat. apud Urbemveterem* IX. *kal. maii pontificatus nostri anno* IV.

Agitata a principe Salernitano in Siciliam expeditio dissoluta.

Auri vis illi a Pont. mutuo tradita.

XLI. Derivatæ contra Siculos decimæ pro Syria decretæ.

Exhausto porro pontificio ærario, cum Carolus princeps subsidiarium aurum posceret a Martino, exactæ a clero pro instaurandis Syriæ rebus decimæ olim decretæ in concilio Lugdunensi ad defendendam Siciliam derivari sunt cœptæ, ut subjectæ ad Berardum apostolici ærarii præfectum ostendunt literæ (*a*).

(*a*) *Ib. p.* 105.

*Nuper ex parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris fuit nobis cum instantia supplicatum, ut cum sibi pro defensione ac custodia regni Siciliæ subsidium pecuniarium plurimum opportunum, faceremus ei usque ad certam quantitatem pecuniæ, prout de beneplacito nostro procederet, mutuari. Nos igitur attendentes, quod in hujusmodi defensione ac custodia non solum dicti Regis, sed etiam Romanæ ecclesiæ honor & utilitas procurantur, volumus & præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus de pecunia decimarum regnorum Scotiæ, Daciæ, Sueviæ, & Ungariæ; nec non partium Sclavoniæ, & Poloniæ apud quoscumque mercatores vel alias personas tam in Romana curia, quam etiam extra deposita, seu quocumque modo alio commendata, dilectis filiis domino Joanni de Tomasis Spiliati;* Et infra: *usque ad quantitatem quindecim millium & sexcentarum unciarum auri facias, submoto cujuslibet difficultatis obstaculo, assignari, &c. Dat. apud castrum Plebis* VIII. *kal. augusti pontificatus nostri anno* IV.

Cum vero præcipua Siculi mali labes ex nimiis extorsionibus, quas Carolus tuendi regii juris specie, exactorum nefaria secutus consilia, ac Friderici II. Imper. & Manfredi tyrannorum exempla, nec eorum tristes exitus perhorrescens, exercuerat, medendi huic malo serius solicitus, regio edicto sanxit (*b*), ad populos, qui nondum defecerant, continendos in obsequio, aliosque ad officium pelliciendos, libertatis leges, quæ viguerant moderante sceptrum Guillelmo secundo, sub quo Sicula res bonorum omnium affluentia singulari effloruerat, restitutum iri: ad quas quidem restituendas Carolum accepto pontificia liberalitate regno obstrictum vidimus, sed commodorum magis, quam fidei gravissimo suo damno rationem duxisse.

(*b*) *Apud Mart. tom. 1. l. 3. ep. cur. 25. p.* 178. Pollicetur Carolus Guill. II. statuta restitutum iri.

XLII. Latæ a Salernit. principe leges.

Acceptis etiam a parente abeunte in Gallias Siculi regni habenis Salernitanus princeps, ad mulcendos populos edixit, ut e singulis provinciis spectatissimi viri ad Martinum IV. legarentur, ut de justis consuetudinibus quæ Guillelmi II. temporibus viguerant, quarum jam obsoleverat memoria, æqui bonique consuleret, plureſque optimas leges (*c*) condidit, quæ extant in volumine juris Siculi inscripto *Constitutiones regni utriusque Siciliæ*, atque ab his verbis ducunt exordium: *Carolus illustris Hierusalem & Siciliæ Regis primogenitus, &c. Prælatis ecclesiarum, comitibus, baronibus & universis officialibus, ac aliis hominibus regni a foro * citra domini Regis fidelibus devotis suis, salutem & dilectionem sinceram. Desideriis hactenus non minus immensis, quam arduis noster spiritus laboravit assidue, ut peculiare domini patris nostri prædilectumque nostrum hereditarium regnum Siciliæ, quod tam olim occupatorum injustissimis institutis horrendam quodammodo abusione contraxerat servitutem, quum in præsentiarum ab eisdem regnu præsidibus, aliorumque officiorum gestoribus consuetudinariam conversam ad prædam, extremæ fere inopiam exinanitionis incurrit, ab institutionum labe servilium nostris parta laboribus nova lege resurgeret, &c.* consignata vero ea Sanctio his verbis: *Data in campis in planitie S. Martini anno Domini MCCLXXXIII. die penultima martii,* XI. *indictionis.*

(*c*) *Ext. inter constitutiones regni utriusq. Siciliæ.*

* *Phari*

XLIII. Quæ ex his spectabant ad rem eccl. confirmatæ ab Honorio.

Decerpsit ex illa constitutione postea Honorius IV. præcipuas leges, quæ ad tuendum jus ecclesiasticum spectabant, easque e sacri collegii Cardinalium consilio apostolica auctoritate confirmavit, edita subjecta sanctione (*a*).

(*a*) *Hon. 4. l. 1. ep. 93.* De persolvendis decimis.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Dilectus filius nobilis vir Carolus claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ primogenitus, tunc princeps Salernitanus, & ejusdem Regis in regno Siciliæ vicarius generalis, tamquam vir catholicus de genere ortus Christianissimo, devotam ad Deum, & ipsius ecclesias mentem gerens ejusdem generis vestigia imitatus, pro bono statu ecclesiarum regni prædicti, & ad conservationem jurium earumdem inter cætera, licet sub alio forsan verborum schemate, dicitur statuisse, & mandasse inviolabiliter observari, quod decimæ, quæ debebantur ecclesiis, & personis ecclesiasticis regni ejusdem catholicorum Regum Siciliæ temporibus, & debentur, & recipi ab ecclesiis consueverunt, eisdem ipsis ecclesiis sine difficultatis obstaculo ac moræ dispendio persolvantur; scilicet quæ debentur in pecunia in festo Pentecostes, & alia quæ debentur in frumento, & aliis victualibus vino, oleo, seu fructibus aliis, illis temporibus, quibus percipiuntur; & si aliqua sint, quæ cæteris diebus persolvi consueverunt, die debita persolvantur: & ne de hoc ecclesiæ vel personæ ecclesiasticæ necesse habeant singulis annis a curia literas impetrare, statuit quod sub pœna dupli ejus pro decimis vel aliis juribus personis vel ecclesiis, quibus secundum ordinationem præmissam solutum non fuit, debitis, secretarii seu magistri procuratores ac magistri salis, vel alii officiales, qui eas debent persolvere, tam præsentes quam futuri, teneantur ea integraliter solvere, secundum quod superius est distinctum, nullo inde mandato alio expectato. Item quod comites, barones, & cæteri, qui tenentur ad decimas & jura alia ecclesiis vel personis ecclesiasticis pro bonis, quæ tenent, ea teneantur solvere suis temporibus, quibus hactenus extitit consuetum; adiiciens, quod ad hoc auctoritate sui statuti super hoc editi ad requisitionem personarum, quibus debentur, per justitiarios provinciæ compellantur; quodque solvantur ab aliis quibuscumque, per quos bona pupillorum, terras, & feuda tenentium procurantur, sive baliatus curia teneat, sive alii sint commissi, sive terræ vel feuda aliquorum occasione delicti vel quacumque alia causa per curiam teneantur.*





XLIV. Clericis non trahendis ad forum sæculare.

*Item quod clerici nisi pro bonis feudalibus, prout continetur in conventionibus inter dictum Regem & Romanam ecclesiam habitis, ad judicia sæcularia non trahantur. Item quod ecclesiæ in toto regno prædicto gaudeant privilegio, eis per communia jura indulto, scilicet quod rei, qui ad eas confugiunt, abinde non extrahantur inviti, nisi in casibus a jure permissis. Item quod domus prælatorum, religiosorum, & aliarum ecclesiasticarum personarum sine voluntate ipsorum causa hospitandi ab officialibus vel aliis personis, eis invitis, nullatenus capiantur: etsi de voluntate ipsorum prælatorum, religiosorum, vel aliarum personarum ecclesiasticarum recepti fuerint, ibi criminalia judicia exercere aliquatenus non præsumant; nec lectos, vel res eorum contra voluntatem ipsorum accipiant: & si secus factum fuerit, post emendationem, & restitutionem damni, si comes fuerit vel baro, qui contra fecerit, teneatur ad pœnam duodecim unciarum auri; si simplex miles, ad sex, & si Burgensis, ad tres. Item quod officiales, comites, barones, vel aliæ quæcumque personæ laicales non intromittant se de electionibus prælatorum, vel collationibus præbendarum, seu quorumlibet ecclesiasticorum beneficiorum directe vel indirecte, nec de aliis ad spiritualia pertinentibus, nisi quantum ratione juris patronatus aliquibus competit, vel ex privilegio est concessum: nec propter prælatos, capitula ecclesiarum, seu conventus piorum locorum, ipsorum consanguinei vel vassalli quomodolibet molestentur. Item quod clerici, qui clericaliter vivunt, in collectis, & exactionibus aliis quibuscumque, nec pro bonis ecclesiasticis, nec pro patrimonialibus de portionibus, eos legitime contingentibus, cum aliis teneantur. Item quod res, & possessiones, quæ non sunt in aliquo curiæ vel alii obligatæ, dari, donari possint ecclesiis, & legari: sed & si ea obligatione tenentur, propter quam donatio, datio, vel legatio de jure impediri non possit, hoc casu res & possessiones hujusmodi præfatis titulis cum onere suo ad ecclesias transferantur. Item quod vassalli ecclesiarum, qui ea habent, ab ecclesiis tenent, & sunt eisdem ecclesiis ad servitia personalia obligati, officia per curiam, comites, barones vel alios sine ipsorum prælatorum licentia nullatenus committantur.*

Prælatorum electionibus liberis.

XLV. Tuendis juribus ecclesiarum.

*Item quod privilegia & jura, concessa ecclesiis & personis ecclesiasticis a catholicis & antiquis Regibus Siciliæ, in quo-*

*quorum possessione sunt, serventur illæsa: de illis vero, in quorum possessione non sunt, fiat eis sine difficultate justitia in curia competenti. Item quod officiales & commissarii curiæ possessiones & res, quæ ab ecclesiis possidentur, non auferant, nec ab ipsis easdem ecclesias contra justitiam perturbare præsumant. Item quod officiales seu sæculares personæ nullatenus intromittantur ad cognoscendum de aliquo crimine ecclesiastico, nec impediant prælatos, aut ipsorum officiales, quin de hujusmodi crimine libere cognoscant & puniant, ut est juris. Item quod justitiarii vel alii officiales vassallos ecclesiarum coram se, vel ad ipsorum judicia in civilibus trahere non præsumant. Item quod prælati ecclesiarum, ecclesiasticæ personæ, ac officiales ipsarum vassallos earum debitores suos possint, prout eis competit, compellere ad satisfaciendum sibi de debitis & juribus earumdem, contradictione aliqua illegitima non obstante. Item, licet idem princeps statuerit aliqua de vassallis ecclesiarum, eis ad personalia servitia obligatis, si forsan a terris, in quibus morari debent, aufugerint, per prælatos, & personas ecclesiasticas revocandis; nos tamen dicimus distinguendum, ut si ratione personæ ad hujusmodi servitia teneantur, possint, si recesserint, legitime revocari: si vero tenentur rerum tantummodo ratione, & recedere voluerint, res ipsas ecclesiis & personis eisdem omnino dimittere compellantur. Item quod Judæis, qui sunt ecclesiarum vassalli, nulla committantur officia, nec eis aliæ oppressiones vel gravamina inferantur. Nos itaque cum fratribus nostris deliberatione præhabita, præmissa in favorem ecclesiarum Dei & ministrorum ipsius attendentes inducta, de ipsorum fratrum assensu, ac plenitudine potestatis ea firmitatis perpetuæ robur statuimus obtinere, ipsaque perpetuis temporibus inviolabiliter observari. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, aut præcepti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c.*

*Ego Honorius catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.*

*Ego Ordonius Tusculanus episcopus subscripsi.*

*Ego frater Bentevenga Albanensis episcopus subsc.*

*Ego frater Latinus Ostiensis & Velletrensis episcopus subsc.*

*Ego frater Hieronymus Præneſtrinus episcopus subsc.*

*Ego Bernardus Portuensis & S. Rufinæ episcopus subsc.*

*Ego Ancherus tit. S. Praxedis presbyter Cardinalis subsc.*

*Ego Hugo tit. S. Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis subsc.*

*Ego Gervasius tit. S. Martini presbyter Cardinalis subscripsi.*

*Ego Comes tit. SS. Marcellini & Petri presbyter Cardinalis subsc.*

*Ego Gaufridus tit. S. Susannæ presbyter Cardinalis subsc.*

*Ego Cottifridus S. Georgii ad velum aureum diaconus Card. subsc.*

*Ego Jordanus S. Eustachii diaconus Cardinalis subscripsi.*

*Ego Jacobus S. Mariæ in via lata diaconus Cardinalis subsc.*

*Ego Benedictus S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis subscripsi.*

*Dat. Tybure per manus magistri Petri de Mediolano S. R. E. vicecancellarii* XV. *kal. octobris anno dominicæ incarnationis MCCLXXXV. pontificatus vero domini Honorii Papæ IV. anno* I. Inseruit has literas Honorii regiæ constitutioni (*a*) Ferdinandus Rex Siciliæ anno Christi MCCCCLXIX.

(*a*) *Ext. inter const. reg. Sicil.*

XLVI. Missi oratores ad Pont. pro restituendo jure Guillelmi II.

Recreati porro hac libertatis luce ecclesiastici, tum aliarum legum promulgatarum a Salernitano principe beneficio in meliorum rerum spem adducti Neapolitani, aliique insignes populi oratores ad Pontificem misere, deprecaturos, ut quæ forent eæ libertatis leges pronuntiaret: professus quippe erat Carolus promulgata regia sanctione, pontificiæ sententiæ omnino staturum. His auditis Martinus dimissisque, ne in re obscura nec explorata incertam ferret sententiam, quæsiturum diligenter respondit, populosque citerioris Siciliæ ad meliorum spem erexit. Tum Gerardo episcopo Sabinensi A. S. L. provinciam dedit, ut de libertate, qua Siculi, dum Guillelmus II. sceptrum Siculum tractabat, potiebantur, inquireret: eoque referente, ante Fridericum II. nulla vectigalia elici a Siculis consuevisse, nisi ad propulsandum hostem instruendus exercitus, aut regiæ inunctionis pompa celebranda, aut Regis filius baltheo militari donandus, aut filia in matrimonio collocanda foret, accuratius rem pervestigare jussit (*b*).

Data legato Cardin. rei investigandæ provincia.

*Martinus &c. venerabili fratri episcopo Sabinensi A. S. L.*

*Olim tibi per nostras literas meminimus injunxisse, ut de modo subventionum & collectarum, quæ in regno Siciliæ tempore claræ memoriæ Guillelmi Regis Siciliæ solvebantur, inquireres diligenter: nuper vero te recepimus intimante, quod per inquisitionem super hoc a te factam nihil aliud potuit inveniri, nisi quod antiquorum habet relatio, quod quondam Fridericus Romanorum Imperator, tempore, quo de ultramarinis partibus rediit, primo subventiones & collectas ordinarias in*

(*b*) *Mart. to.* 1. *l.* 3. *ep. cur.* 40.

Quid compertum ab eo fuerit.

Quibus de causis exigendum a Siculis subsidiarium aurum.



*in regno imposuit supradicto, & quod ante prædictum tempus collectæ ac subventiones tantum fiebant, cum Rex Siciliæ pro defensione ipsius Regni exercitum faciebat, ac in coronatione Regis ipsius, nec non & quando filius ejus suscipiebat cingulum militare, ac ipsius filia nuptui tradebatur. Nos igitur super hoc certificari plenius cupientes, ac volentes quod inquisitioni super hoc faciendæ per te solicitius insistatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad inquirendum super hoc solemniter juxta prioris mandati nostri tenorem exacta diligentia & prompta solicitudine procedere non omittas, &c. Dat. apud Urbemveterem* VI. *kalend. decembris anno* III.

Carolus pensionem census prorogandam flagitat.

Sanxisse eadem postea Honorium insigni constitutione, qua Siculos oneribus jam ante impositis liberavit visuri sumus (*a*): nunc res Siculas Caroli Regis literis (*b*), quibus Pontifici annui census pensionem extrahenti gratias egit, absolvemus.

(*a*) *Ann. Chr.* 1285.
(*b*) *Extat apud Martin. to.* 2. *p.* 83.

*Sanctissimo in Christo patri & domino suo, domino Martino divina providentia sacrosanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici Carolus Dei gratia Rex Jerusalem, & Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, almæ Urbis senator, princeps Acayæ, Andegaviæ, Provinciæ, Forckalchel & Tornadori comes cum omni reverentia & honore devota pedum oscula beatorum.*

XLVII. Annuit illius precibus Martinus.

*Vestræ sanctitatis literas in hæc verba recepi: Martinus episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri salutem, & apostolicam benedictionem. Per tuos nobis nuntios & literas supplicasti, ut cum censum octo millium unciarum auri, ad pondus regni Siciliæ, ad quem solvendum in instanti festo beatorum Apostolorum Petri, & Pauli nobis & ecclesiæ Romanæ teneris in eodem festo solvere, commode nequeas variis negotiis, & expensarum oneribus imminentibus impeditus, terminum solutionis dicti census faciendæ in festo prædicto usque ad festum Nativitatis Domini primo venturum prorogare de speciali gratia curaremus. Nos itaque impedimentorum tuorum conscii, & onerum non ignari, super illis paterno tibi compatientes affectu, terminum ejusdem solutionis dicti census octo millium unciarum in præfato Apostolorum festo, ut prædicitur, faciendæ, usque ad prædictum festum Nativitatis dominicæ proximo venturum ad tuæ petitionis instantiam sub illis eisdem pœnis, tam spiritualibus quam temporalibus; & obligationibus, quæ sunt pro solutione ipsius census in eodem festo Apostolorum facienda, statutæ, seu etiam ordinatæ, de fratrum nostrorum consilio prorogamus, ita tamen, quod per prorogationem hujusmodi, ejusdem solutionis faciendæ in dicto festo Apostolorum terminus in posterum nullatenus immutetur; sed in eodem Apostolorum festo annis singulis solutionem ipsam facere tenearis sub pœnis statutis & ordinatis, sicut in conditionibus & conventionibus inter eamdem Ecclesiam & te habitis in concessione prædicti regni, ab ipsa Ecclesia tibi facta, plenius continetur. Et si forte deficeres in solutione prædicti census, in eodem festo Nativitatis Domini facienda, perinde pœnas incurras easdem, ac si non facta hujusmodi prorogationis gratia dictum censum tempore secundum easdem conventiones debito te non solvere contigisset; ita etiam quod per petitionem, & concessionem prorogationis hujusmodi, dictæ conditiones, & conventiones nullam prorsus innovationis variationem sentiant, nec mutationis dispendium patiantur, sed in sua omnino permaneant firmitate; nec tu aut tui successores in regno prædicto, quoad solutionem dicti census, de cætero in sæpefato Apostolorum festo annis singulis faciendam, aliter quomodolibet teneamini quam tenebamini hactenus, priusquam prorogationis ejusdem petitio & prorogatio processissent: sed sic in omnibus & per omnia teneamini, prout inter Romanum Pontificem & Romanam ecclesiam ex parte una, & te ex altera ordinatum extitit & conventum. Cæterum volumus, ut si hujusmodi supplicationem tuam & prorogationem nostram ratas habueris, super hoc patentes literas tuas, harum serie continentes, aurea tua bulla signatas in forma, quam dilectus filius Bernardus camerarius noster tibi sub suo sigillo transmittit, nobis infra dictum festum Nativitatis, cessante qualibet occasione, transmittas: alioquin prorogatio hujusmodi nullius penitus sit momenti. Datum apud Urbemveterem* IV. *kal. julii pontificatus nostri anno* III. *Ego igitur pater sanctissime pro tanta gratia vobis ad gratiarum actiones inclinans, & omnibus & singulis supra contentis assentiens, sic ad vos & sanctissimam matrem meam in iis, & aliis Dei fultus auxilio, me habebo Ecclesiam, quod devotionis meæ patentibus incrementis, in conspectu Dei & hominum reddar ipsius munimine gratiosus. Datum apud Dunum Regis anno Domini MCCLXXXIII. die* XXIII. *novembris* XII. *indictione, regnorum nostrorum Jerusalem anno* VII. *Siciliæ vero* XIX.

Adjecta conditione festi App. constituta dies immutatur.

Actæ Pontifici a Carolo gratiæ.

Recurrente constituta die, iterum ad Epiphaniæ Domini octavas solutio extracta, (*c*) qua perfecta Carolo pontificia syngrapha cautum est.

(*c*) *Ib. p.* 80.

LXXX. Ut conjuncta erat cum Carolo Ecclesiæ causa, cujus ope atque potentia de hostibus triumpharat; ita cum jam ejus res ob defectionem Siculorum inclinatæ erant

Dejectis Caroli rebus, plures adversus Ecclesiam perduellionis signa extulere. Guido Montisferetri comes illorum auctor.

erant, plures perduelles erupere, qui pontificiam ditionem invadere sunt aggressi. Factionis princeps erat Guido Montisferetri comes multis censuris hoc anno defixus, qui Gibellinorum veterum ope Urbinum invasit (*a*). Perculsi ob id similiter censuris Urbinates, cum flecti ad officium non possent, Guido e Monteforti (de quo antea egimus) in eos præfectus est exercitui, ac provinciarum ditionis ecclesiasticæ præsides submittere illi copias jussi: *Cum*, inquit, *cives Urbinates ab olim in infidelitatis devio constituti, & tamquam damnationis filii in reprobum sensum dati, ac in obstinatæ rebellionis contumacia persistentes, ad devotionem Ecclesiæ, quæ redeuntibus filiis non claudit gremium pietatis, expectati diutius redire superbe contempserint & contemnant: ac dilectus filius nobilis vir Guido de Montforti exercitus Romanæ ecclesiæ in provincia Romaniolæ capitaneus generalis ad eorum proterviam edomandam de nostro mandato potenter & viriliter se accingat, &c.* Quamquam vero Urbinates obfirmatiores in perduellione visi sunt; Guido tamen e Monteferetro perdomitus, adactusque est ad implorandam Apostolicæ sedis gratiam; atque Æmilia ad Ecclesiæ obsequium revocata (*b*). De quo felici successu Pontifex in literis ad provinciæ ejusdem præfectum meminit (*c*).

(*a*) To. 1. l. 2. ep. cur. 44. & l. 3. ep. cur. 14. 21.

(*b*) Ib. p. 61.

(*c*) Ib. p. 62.

Perdomiti hostes ecclesiæ.

*Cum*, inquit, *omnipotens Dominus sacrosanctam Ecclesiam sponsam suam misericorditer ex alto respiciens, his diebus colla rebellium & persecutorum ejus, dura quantumlibet, in ejusdem provinciæ partibus efficaciter subjugarit; ac illorum superbia fastuosa perdomita, cervices eorum, contra nos & eandem Ecclesiam pridem in elatione mentis erectas, pedibus nostris subjecerit in ipsorum perpetuæ confusionis opprobrium conculcandas; nos consulta meditatione pensantes, & considerantes attentius, quod eorundem Joannis*, de Epa scilicet, *& stipendiariorum præsentia multo magis principi memorato*, nempe Salernitano, *quam nobis deinceps existere poterit opportuna, sibique plus commodi, plus favoris offerre; ac prædictorum Regis, & principis toties inculcatis precibus*, parabat is expeditionem in Siciliæ insulam, *benignius annuentes, sæpedictis Joanni & stipendiariis nostris damus literis in mandatis, ut expleto tempore, pro quo nostra stipendia receperunt, ad eundem principem, sublato cujuslibet moræ dispendio, studeant se conferre, &c. Dat. apud Urbemveterem id. septembris an.* III. Præcipua strenuissimi hujus ducis opera ea provincia hosti (*d*) erepta fuerat; inter cujus egregia facinora celebrant illud historici, cataphractum equitem concitatissimo cursu, directaque hasta in eum irruentem, virga quam manu gestabat ictu adverso dejecisse ex equo, ac necasse. Nec prætermittendum pacatam ab eo Campaniam, atque Adinulphum ad Frusinonem Ecclesiæ restituendam adactum (*e*).

Joannis de Eda egregium facinus.

(*d*) Jachet. Malesp. c. 215. Jo. Vill. l. 7. c. 81. Anton. 3. p. tit. 20. c. 4. §. 5.

Cum vero, uti diximus, bellica hujus ducis virtute procubuisset ad Ecclesiæ obsequium Æmilia, Martinus ut provinciam concussam civili bello in pristinum statum restitueret, levaretque populos, Bernardum episcopum Portuensem in ea legatum creavit (*f*).

(*e*) To. 2. p. 70.

XLIX. Bernard. ep. Portuens. legatio.

(*f*) To. 1. l. 3. ep. 24.

*Martinus, &c. Venerabili fratri Bernardo episcopo Portuensi Apostolicæ sedis legato in partibus Lombardiæ, Romaniolæ, &c.*

Causæ ob quas ea decreta est.

*Diu inter alias nationes terrarum Romaniolæ populus importabilium onerum mole gravatus, sævisque depressus angustiis, dum exonerari desiderat, dum quærit ab afflictionibus eripi, & dum anxius ad gaudia quietis aspirat, votivum expectat a Domino pro tantarum gentium utriusque sexus relevatione solatium, in quo pacis ubertate respiret. Eidem itaque populo paterno compatientes affectu, ac illum nostrum utique spetialem, aliasque terris ipsis vicinas partes, quas sentimus horum occasione alicujus conquassationis tædia pertulisse, mentaneis oculis intuentes; cupientes quoque ut crescat ibidem tranquillitatis ubertas, & pacis opulentia vigeat, exinde discordiarum stimulis relegatis; attendentes insuper quod misericors Dominus, qui sic interdum irascitur, ut benignius mansuescat; sic affligit ut bonum consolationis adiciat; sic prosternit ut altius elisos extollat, super iis pia benignitate respiciens, tactis superborum ipsius Romaniolæ cordibus, salutari, dignatur illis inspirare consilio, quod ad ecclesiæ Romanæ gremium reducantur, sicut eos jam pro majori parte conspicimus devotæ conversionis spiritum assumpsisse, videmus expediens, quod tam clerus quam populus dictarum terrarum & partium ex parte sedis Apostolicæ visitentur, & inibi deformata provide reformentur, & exinde quæque noxia diluantur.* Et infra.

L. In quibus provinciæ gerenda sit.

*Te propter exaltationem ipsius ecclesiæ ac reformationem & directionem, ac optatam quietem illarum partium; de fratrum nostrorum consilio illuc tamquam pacis angelum duximus destinandum, fraternitati tuæ in Aquilejensi, & Gradensi patriarchatibus, ac in Ravennate, Mediolanensi, Januensi, & Pisana provinciis; & in eorumdem, ac in Bononiensi, Lunensi, Ferrariensi, Papiensi, Placentina, & Castellana civitatibus, & diœcesibus; nec non & generaliter in Lombardiæ, totius Romaniolæ, Tusciæ quoque in Imperio constitutis, marchiæ Tervisinæ, ac Venetiarum partibus, plenæ legationis officium committentes, ut evellas & destruas, ædifices & plantes, dissipes & disperdas, ac facias, auctoritate nostra, quæcumque ad honorem Dei, & prosperum statum partium earumdem videris pertinere. Adiicientes nihilominus quod eadem auctoritate in eisdem Bononiensi & Romaniolæ partibus specialibus nostris, & ejusdem ecclesiæ in temporalibus exerceas vices nostras. Dat. apud Urbemveterem* XV. *kal. julii an.* III. Eadem sententia literarum, quæ ad Aquilejensem & Gradensem patriarchas, atque ad archiepiscopum Ravennatem scriptæ (*a*) sunt, ut legatum quo parerat honore exciperent: ejusque postea provinciæ fines ad Urbinatium diœcesim extendit.

(*a*) Reg. post eand. ep.



LI. Laborat penuria annonæ Rom. populus.

Ingravescebat adeo Romæ per hæc tempora rei frumentariæ inopia, ut Romani oratores ad Pontificem miserint, qui demissis eum verbis precarentur, ut populi laborantis fame misereretur: qui flexus ad misericordiam, magnam vim pecuniarum submisit, ut ex regno Siciliæ sibi annonam compararent: atque ideo ad Salernitanum principem scripsit, (*b*) ut frumentum ex Neapolitano regno efferri permitteret; Albertumque e Parma Vaticanæ basilicæ canonicum colligendæ annonæ curam gerere jussit. (*c*) Quam vero humaniter ac peramanter Romanos tractarit, ejus literæ demonstrant.

(*b*) To. 2. p. 70.

(*c*) Ib. p. 69.

Apostolicum in eum studium explicat Pontifex.

*Dilectis filiis consilio & populo Romano.*

*Etsi cunctorum fidelium ubilibet in orbe degentium in susceptione Pontificalis officii universaliter nobis extiterit solicitudo commissa, Romani tamen populi specialiter credita cura fuit. Nam quamvis summus Pontifex Christi vicarius totius sit Christianitatis antistes, specialis tamen esse dignoscitur episcopus Romanorum: propter quod circa vestrum, Urbisque statum, ut absque intermissionis instantia successibus prosperis fœcundetur, & pacis stabilis commodis affluat, dissensionum quarumlibet nubilo profligato, vigilamus attentius, ferventer intendimus, operamque solicitam, plenis studiis impertimur. Vos enim, ut vera loquamur, noster populus peculiaris existitis, intima nobis affectione dilectus. Vos estis alumni Romanæ ecclesiæ speciales, quos paterni favoris plenitudine confovemus. Vos ejus filii præelecti, claris devotionis & fidei titulis insigniti, quorum honoris & commodi cumulum votis ferventibus affectamus; quorum nos perturbat adversitas, prosperitas non immerito reficit affluentia gaudiorum.*

*Sane nuper ad nostram præsentiam vestros ambassatores, & nuncios accedentes, libenter vidimus, & affectione paterna recepimus benignam illis audientiam concedendo: qui nobis, inter alia prudenter ab ipsis proposita, ex parte vestra humiliter supplicarunt, ut cum propter sterilitatem temporis nimiam, quæ in nonnullis provinciis invaluisse asseritur, victualibus Roma non affluat; quinimmo non modicam illorum penuriam patiatur, vobis alicujus subventionis auxilium præberemus. Nos autem, qui de statu vestro libentissime nova grata percipimus, tam ingratis rumoribus intellectis, turbati fuimus vehementer, & pectoris nostri præcordia dolor ingens perstrinxit. Quis enim pater benevolus in adversitate non doleat filiorum, aut in eorum turbationibus non turbetur? Cujus genitoris animum dispendiosa natorum necessitas, quasi quodam diro telo non fauciet? Profecto patris ad filios veram non haberi convincitur charitatem, nisi & congaudeat ipsis in prosperis, & participet pariter in adversis. Ideo præfatis nunciis per nos, & nonnullos ex fratribus nostris respondimus, quod super hoc cogitare solicite volebamus, ut consideratis attentius, quæ consideranda occurrerent, efficacius possemus procedere in hac parte.*

Moveri eorum dolore significat.

LII. Vim auri ad coemendum frumentum porrigit.

*Verum licet ob grandium onera sumptuum, quos prout ad vestram credimus audientiam pervenisse, pro recuperandis & manutenendis ejusdem ecclesiæ juribus pridem fecisse dignoscimur, camera nostra ultra quam credi posset proculdubio sit gravata; nos tamen vobis, utpote charissimis filiis in hujusmodi non volentes, nec valentes articulo viscera claudere pietatis, aut quovis modo deesse; sed potius ex benignæ compassionis affectu indigentiæ vestræ defectui subventionis dexteram intendentes extendere per effectum; vobis juxta subscriptum modum decrevimus subvenire. Ecce igitur dilectos filios magistrum Angelum de Fulgineo cameræ nostræ clericum, & judicem Michaelem Cittadinum de Urbevetere latores præsentium, de quorum probitate confidimus, ad vos duximus destinandos, qui juxta nostrum sibi factum in hac parte mandatum, quinque millia florenorum aureorum ad emendum pro vobis frumentum dilectis filiis magistro Alberto de Parma canonico basilicæ principis apostolorum, & Joanni Basilii fratri hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe ex parte nostra facient assignari. Qui hujusmodi recepta pecunia, eam aliquibus personis fidelibus & discretis, de vestro expresse consilio & assensu semel vel pluries eligendis, totaliter exhibebunt, per eas in emptionem frumenti in partibus regni Siciliæ, ubi melius*

*lius forum, ut creditur, haberi poterit, fideliter convertendam. Prædictum vero frumentum cum deferetur ad Urbem, præfatis canonico & fratri, ac personis prædictis vel aliis, de vestro consilio & assensu, ut prædicitur, eligendis communiter, volumus assignari vendendum ab eis particulariter pro pretio competenti: nostræ autem voluntatis existit, ut iidem canonicus & frater pecuniam, quam de dicto frumento recipient, iterato personis assignent eisdem, quæ de dicta pecunia frumentum pro vobis in partibus ipsis ement, deportandum ad Urbem, & canonico, & fratri & aliis supradictis integre assignandum ac vendendum per eos pro pretio supradicto: hoc enim tamdiu de præfata pecunia fieri volumus, donec in Urbe præsentis necessitas caristiæ perdurabit.*

Providet, ut e Sicilia frumentum exportetur.

*Et ut facilius, ac commodius prædictum valeat haberi frumentum, dilecto filio nobili viro Carolo principi Salernitano, primogenito charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris, ac ejus in regno Siciliæ vicario generali, nostras affectuosas dirigimus literas, ut vobis in eodem regno victualibus, sicut asseritur, opulento emendi frumentum, & extrahendi de ipso libere, quotiens præfata caristia ingruente videritis expedire, benignam & liberalem licentiam largiatur. Præfati autem magister Angelus & judex de benevolo & sincero circa vos & urbem prædictam nostri cordis affectu, vos poterunt plenius informare. Datum apud Urbemveterem* III. *non. novembris pontificatus nostri anno* III.

Pauperum ad eum confugientium curam gerit.

Liberalitate etiam usum in pauperes constat, qua illecti inopes undique ad pontificiam aulam confluebant; unde plures literas tum ad patrimonii B. Petri præfectos, urbiumque magistratus scribere necesse fuit, (*a*) ut propter maximum pauperum concursum, qui ad curiam apostolicam confugiebant, commeatus ampliores curiæ ipsi inferendos satagerent.

Exarsisse hoc tempore graviora Pisanos inter & Genuenses dissidia tradunt scriptores, de quibus Jachetus Malespina, (*b*) Joannes Villanus, (*c*) S. Antoninus, (*d*) & alii scripsere. [1] Belli causas indicat Ptolemæus Lucensis (*e*) his verbis: *Eodem tempore inchoata est guerra inter Januenses & Pisanos occasione insulæ Corsicæ, ex qua multa sunt & magna secuta mala.* Et quidem Pontifex paterna solicitudine incubuit, ut dissentientes filios, atque in mutua funera efferatos conciliaret. Testes literæ (*f*) ad magistratum populumque Pisanum, ad quos Rainonem Dominicani instituti religiosum virum transmisit, injunxitque ut oratores ad pontificiam aulam pro conficienda pace mitterent.

(*a*) *Ib. p. 68. & 55. & reg. post eand. ep.*
(*b*) *Jachet. hist. Flor. c. 216.*
(*c*) *Jo. Villan. l. 7. c. 83.*
(*d*) *S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 4. §. 7.*
(*e*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 9.*
(*f*) *To. 1. l. 2. ep. cur. 20.*

Pontificiæ pro Pisanis & Januen. conciliandis curæ.

*Martinus, &c. Dilectis filiis potestati, capitaneo, consilio, & communi Pisanis.*

*Quia nil melius dissidentium filiorum corda sedabit, quam paterni providentia studii, vigilans assidue circa illos, digne ad vos & civitatem vestram aciem nostræ considerationis extendimus: & dum inter vos & Januenses exortam discordiam non temperari placidæ reconciliationis remediis, ut sperabamus, hactenus; sed potius odiorum fomitibus succendi conspicimus, ulterius continere non possumus, quin ad hæc inter alia, quæ nostris incumbunt humeris, nostra studia convertamus: sicque more patris de salute filiorum soliciti affectantes, quod inter vos & Januenses eosdem rancorum cessent anfractus, & pacis integritas reformetur, ad id quoque, si expedierit, nostris laboribus non parcentes; ac sperantes, quod ad laudem divini nominis tales labores fructus utiles afferant, libenter nos illis exponimus; & mentes nostras sub spe summi directoris cordium excitantes, universitatem vestram rogamus & hortamur attente, quatenus animos vestros ad Deum, qui ubique pacis commoda diligit, erigentes, ac vestra præcordia liquore concordiæ salubriter linientes; ac attendentes provide quid ex tranquillitate habentibus illam proveniat, & quid ex odiorum fomitibus consurgat finaliter in direptionem personarum & rerum ac dispendium animarum; aliquos nuncios fideles & providos, ac de intentione vestra & negotii qualitate plenius informatos, & a vobis super iis plena potestate munitos, ad nos, quamcito commode poteritis, destineris: cum quibus tractare ac firmare possimus quæ circa hoc tractanda & firmanda viderimus, & ad soliditatem unitatis, pacis*

Oratores ipsorum accersiti.

NOTÆ [1] Bellum inter Pisanos & Genuenses, quod ad annum usque 1287. diemque XV. aprilis magna utrimque animi contentione gestum fuit, non quidem a præsenti, ut Annalista scribit, sed a præcedenti anno exordium sumpsit. Cujus rei assertorem damus continuatorem Annalium Genuensium Caffari, qui tunc publica, ut arbitror, authoritate res patriæ suæ scribebat. Occasio belli sumpta a judice quodam, seu præfecto tractus cujusdam in Corsica, qui cum subditos Genuensium (quibus & ipse suberat) injuria afficeret, Genuensium arma in se provocaverat. Pisani judicis illius tutelam sumpserunt; hæc dissidiis bellique inter utramque gentem origo. MANSI



*cis & concordiæ pertinere; ita quod nostris affectibus & vobis exinde quietis adveniat incrementum, & ecce dilectum filium fratrem Rainonem ordinis fratrum Prædicatorum latorem præsentium, de cujus fidelitate ac circumspectione confidimus, ad vos duximus destinandum, qui de intentione nostra super prædictis vos poterit plenius informare. Dat. apud Urbemveterem* XIV. *kal. februarii anno* II.

Quam vero magna reipublicæ suæ pernicie apostolica monita Pisani spreverint, sequenti anno dicemus, ubi funesti illius belli exitus afferemus.

LIV. Castella & Legio civili bello ardent.

Civili etiam bello laborabat Hispania in qua Sanctius Alfonsum patrem regno depulerat non sine aliqua divinæ vindictæ specie, ut ab eo eiiceretur, in quem successionis jura defuncti primogeniti filii debita traduxerat. Cujus calamitati ut succurreret Martinus, præsules Castellanos ac Legionenses, tum religiosorum equitum magistros Alfonso opem ferre jussit: non tamen petenti legatum apostolicum, qui adversarios defigeret anathemate, terrasve eorum interdicto feriret, ob nonnullas, quas in literis exprimit, causas, concessit (*a*).

(*a*) *Ib. ep. cur. 35.*

*Martinus, &c. Regi Castellæ ac Legionis illustri.*

Alfonsus Rex a filio pulsus opem pontificiam implorat.

*Dilectus filius Montaninus de Camilla miles tuis, quæ sibi fidem adhiberi petebant, nobis literis præsentatis, petitionem ex parte regia obtulit continentem, quod detestandæ persecutionis immanitas, quam reverentia paterna postposita, & nequitiæ spiritu privignalis assumpto, per indevotionis indignæ gradiens, vel verius oberrans invium, infausta temeritas superbaque præsumptio tuorum exercere non metuit filiorum, timorem verisimiliter ingerit vehementem, ne ad partes Hispaniæ Agarenis aditus pateat, qui fidem inibi conculcare catholicam, immo prorsus extinguere moliuntur; supplicationem in ejusdem petitionis calce subjungens, ut tanto tamque gravi periculo studio paternæ solicitudinis occurrentes, illuc legatum de nostro latere mittere dignaremur, vel aliquibus illarum partium in dignitatibus constitutis, per nostras daremus literas in præceptis, ut eosdem filios, quod terras regiæ jurisdictioni subjectas, quas temere occupare noscuntur, tibi plene restituant, & a tuis injuriis ac molestiis omnino desistant; nec non & omnes præstantes super hoc eis consilium, auxilium, vel favorem, publicum vel occultum, ut a talibus prorsus abstineant, publicæ propositionis edicto monere procurent; in personas illorum, nisi hujusmodi monitis studerent efficaciter obedire, excommunicationis, & in terras ipsorum interdicti sententiis promulgatis.*

Flagitat legatum e latere mitti.

LV. *Licet autem sedula consideratione pensemus, quod injustæ tuæ oppressionis opprobrium eo venit amarius, & jaculo sauciat graviori, quo a propinquioribus irrogatur; quodque tuarum injuriarum illatio tanto molestior redditur, quanto ab inferentium viribus opportunis temporibus promptius & efficacius non immerito debebat auxilium expectari; petitionem tamen hujusmodi, non solum quia præfatus miles ad hoc a te non habebat speciale mandatum, cum tamen per procuratores ad hoc specialiter constitutos talia consueverint cum multa instantia postulari; sed propter alias etiam circumstantias & rationabiles causas, quæ id efficaciter suaserunt, non duximus admittendam: præsertim cum prout serenitas regia non ignorat, nuper venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis & aliis ecclesiarum prælatis, ac dilectis filiis magistro militiæ templi, priori hospitalis Jerosolymitani, ac S. Jacobi, & Calatravensis militiarum magistris, per Castellæ ac Legionis regna constitutis, direxerimus scripta nostra super opportuno circa tuum & regnorum ipsorum statum remedio adhibendo; nec postmodum in hac parte responsum receperimus ab eisdem, ac omnino expedire noscatur, nos super hoc per prælatos eosdem plenius informari: nam recepta informatione hujusmodi, consultius poterit provideri negotio, prout qualitas facti suaserit, & Dominus ministrabit. Regalis itaque magnificentia, præmissis exacta consideratione discussis, molestè ferre non debet, si exauditionis effectum ad præsens sæpefata petitio non invenit. Dat. apud Urbemveterem* XVI. *kal. februarii anno* II.

Præsules equitesque religiosi Alfonso operam porrigere jussi.

LVI. Cæterum revocare ad obsequium Hispanos, qui defecerant ab Alfonso, ut fidem præstaret, conatus est Pontifex, ac sacramentum, quo Sanctio se obstrinxerant, rescidit (*b*). Tum Francorum Regem, ut adducendæ in iis regnis paci operam daret, hortatus est: (*c*) literas vero ad Castellanos datas (*d*) ad illustrandum Pontificium studium producendas in historiam arbitramur.

(*b*) *Ib. ep. 31.*
(*c*) *Ib. ep. 31.*
(*d*) *Ead. ep. 31.*

*Venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, & universis ecclesiarum prælatis, ac priori hospitalis Jerosolymitani, & magistris templi, S. Jacobi, Calatravensis, & Alcantaræ militiarum, ac capitulis, & conventibus; necnon nobilibus viris, comitibus, baronibus, & aliis tam clericis quam laicis per Castellæ, ac Legionis, Toleti, Galletiæ, Sibiliæ, Cordubæ, Murciæ, & Gibennii regna constitutis, salutem, &c.*

Datæ eo argumento. lit.

*Habet communis famæ relatio, quod dilecti filii nobiles viri Sanctius, aliique charissimi in Christo filii nostri Alfonsi Regis Castellæ ac Legionis illustris nati, Ema-*

Emanuel Alfon. frater conspirationis particeps.

*Emanuel germanus, necnon subditi Regis ejusdem, in eum subito insurgentes, & aspirantes ad totalem exheredationem ipsius, officiales, quos idem Rex instituerat in suis Regnis & terris penitus amovere, instituere alios, & omnia sibi regalia jura subtrahere præsumpserunt; eundemque Regem nullum dominium, nullamque potestatem in prædictis suis Regnis & terris habere permittant: vos quoque, vel aliqui vestrum dicimini fidelitatis debitum, quo ipsi Alfonso Regi tenemini, violasse. Hæc dum paterno pensamus affectu, licet tam ad oppressum, quam ad opprimentes compassione multimoda moveamur; in dicto Rege, tanquam in prædilecto Ecclesiæ filio, tam gravis oppressionis opprobrium, in opprimentibus vero propriæ salutis obvios abominantes excessus; eidem tamen Regi tanto singulariori charitate compatimur, quanto specialius ei vulgaris assistit opinio, eumque communiter prædicat nimis temerarie, nimis inique gravari.*

LVII. *Cum itaque, fratres & filii, ad remedium in iis, si consonent facta relatibus, celeriter adhibendum, propter vitanda præcipue animarum pericula, intensis desideriis intendamus; universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Alfonso Regi efficaciter intendentes, omnes civitates, munitiones, terras, & villas, omniaque castra, bona, & jura Regis ipsius libera, & quieta dimittatis eidem; ipsumque suo dominio, suaque potestate uti libere permittatis, ac fidelitatis juramenta, & omnia alia consueta, ut tenemini exhibentes eidem, omnes conjurationes, confœderationes, colligationes, & societates contra hæc factas a vobis dissolvatis penitus, statuta quoque super iis edita nullatenus observetis, etiam si de prædictorum aliquibus observandis præstiteritis juramenta, ad quorum observationem vos, & quemlibet vestrum decernimus non teneri.*

Sacramenta præstita Sancio rescindit Pont.

Hispal. arc. in rebelles censuris agere jussus.

*Alioquin venerabili fratri nostro archiepiscopo Hispalensi, & dilectis filiis decano ecclesiæ Tutellanæ Tirasonensis diœcesis, ac magistro Ferrando archidiacono de Nendis in ecclesia Compostellana damus nostris literis in mandatis, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum vos archiepiscopos & episcopos, videlicet auctoritate nostra; electos vero abbates, priores, & magistros capitula, conventus, prælatos, & clericos per suspensionis sententiam ab officio, dignitatibus, honoribus & beneficiis, & alias per censuram ecclesiasticam; vos autem comites, barones, & alios laicos universos, & singulos per privationem feudorum & omnium bonorum, quæ a quibuscumque dictorum regnorum & aliis tenentis ecclesiis, ac alias per censuram eamdem, prout expedire viderint, ad id appellatione remota compellant. Datum apud Urbemveterem v. idus augusti anno III.*

Sancius vetitas legibus nuptias init.

Cumulavit Sancius perduellionis (*a*) in patrem scelus altero scelere, conjuncta sibi matrimonio Maria, quam tertio consanguinitatis gradu attingebat: quem illegitimas nuptias dissolvere jussit.

(*a*) Ib. ep. 31. 33. 35. Jubetur eas dissolvere.

*Dilecto filio nobili viro Sancio, nato charissimi in Christo filii nostri Regis Castellæ & Legionis illustris.*

*Tui processus, immo magis excessus enormitas circa incestas nuptias a te iis diebus temere, si consonent facta relatibus, attentatas non mulcebrem fucati sermonis obductionem exigit, sed apertam potius expressionem nudæ veritatis exposcit. Habet enim fama communis, immo publica clamat infamia, quod tu nobilem mulierem Mariam, natam quondam Alfonsi claræ memoriæ Regis Ferrandi avi tui germani, & charissimi in Christo filii nostri Regis Castellæ & Legionis illustris genitoris tui consobrinam, tibique proinde tertio consanguinitatis gradu conjunctam, de facto tibi copulans in uxorem, incesti vetitique conjugii nuptiis funestasti; non attendens, copulam hujusmodi generali concilio interdictam, & legali censura non solum cæterorum bonorum, non extantibus ex alio matrimonio liberis, ac dotis publicatione; sed etiam exilio, & cinguli, quo talia præsumentes forsitan potiuntur, spoliatione damnatam; nec abhorrens jura sanguinis hujusmodi non tam connubio quam contubernio violari, & prolem, si quam suscipi contingeret ex eodem, illegitimitatis inficiendam macula, illegitimamque censendam. Cum igitur talia nolimus, sicut nec debemus, sub dissimulatione transire, nobilitatem tuam monemus; rogamus, & hortamur attente, tibi per apostolica scripta districte præcipiendo mandantes quatenus si præmissam infamiam veritas comitetur, ad cor rediens, & acturus condignam pœnitentiam de tam grandi commisso, prædictam Mariam, qualibet occasione, contradictione, ac dilatione postposita, omnino dimittas; nec ei amplius in salutis tuæ dispendium & nominis detrimentum, cui supponas non immerito ex hoc communiter derogari, te damnabiliter commiscere præsumas: sciturus quod, nisi monitis nostris præcise parueris in hac parte, non solum ad excommunicationis sententiam & interdicti locorum, ad quæcumque perveneritis tu vel ipsa, sed ad alias pœnas spirituales & temporales contra te ac illam gravius, prout expedire viderimus, procedemus. Datum apud Urbemveterem id. januarii an. II.*

Data pariter eidem Mariæ Alfonsi olim



(*a*) Ibid.

(*b*) Ibid.

lim Ferrandi Regis fratris filiæ apostolica imperia, (*a*) ut impudico thoro abiret: tum Burgensi, & Astoricensi episcopis, (*b*) ut pontificio nomine nefariam copulam ipsos dissolvere juberent; ac ni parerent, ecclesiasticas censuras aliasque pœnas obiicerent,

LVIII. Lituani in Poloniam excurrunt.

(*c*) Long. Hist. Pol. l. 7. hoc an.

In Polonia (*c*) Lituani anno superiori divina virtute ad Naren fluvium deleti, vindictæ cupiditate ardentes, hoc anno magno furore debacchati sunt: quos Lescho Niger, collecto raptim exercitu, dum præda onusti impeditiori agmine abirent, assecutus, etsi paucioribus copiis cinctus, divino implorato Numine, ac toto exercitu confessionis & Eucharistiæ sacramentis communito, magna clade hostem, qui captivis in silva ad arbores arctissime alligatis, instructo agmine obviam occurrerat, profligavit. Pellexisse vero in Poloniam Lituanum insimulatus est, ut tradit Longinus (*d*) Paulus episcopus Cracoviensis, atque in carcerem a Leschone conjectus; nec ob id provinciam interdicto subjectam scribit. Verum pontificiæ literæ extant ad Wratislaviensem & Posnaviensem episcopos, quibus Martinus queritur, principem conceptum antea in Paulum malevolentiæ virus evomuisse, cepisse proditione, constrinxisseque vinculis magna cum ecclesiasticæ dignitatis injuria, atque ob id anathemate defigi jubet (*e*).

Ducit in eos exercitum Lescho Niger.

Milites Sacramentis muniri jubet.

De hoste victoriam refert.

(*d*) Id. ib. Paulus ep. Cracovien. crimine coitionis cum hoste initæ postulatus.

(*e*) To. 1. l. 3. ep. 7.

*Martinus &c. venerabilibus fratribus Vvratislaviensi & Poznaviensi episc.*

*Gravem & horrendum excessum, quem nobilis viri Lescho Cracoviæ, Sandomeriæ, & Syradiæ ducis detestanda præsumptio in personam venerabilis fratris nostri Pauli Cracoviensis episcopi dicitur commisisse, nuper audivimus; tanto potius inde turbati, quanto moleste ferimus, irrogatas coepiscopis nostris injurias & offensas. Intelleximus etenim quod dux ipse damnabiliter ad malignitatis opera pravitatis studiis se convertens, ut facilius præconceptam iniquitatem pareret, ac impietatis virus quod adversus eumdem episcopum in malevoli pectoris abditis occultabat, evomeret, parlamentum indixit certo termino celebrandum, ad illud episcopum specialiter evocans memoratum: quem tandem ad ipsius ducis præsentiam fiducialiter accedentem, post benignæ, licet fictæ, salutationis alloquium, quod securitatis commodum promittebat, ad pacis osculum, sub velamine simulatæ devotionis, admisit; illius scelesta vestigia, qui humani generis Redemptorem fallacis osculi exhibitione tradidit, imitatus. Et postmodum præfatum episcopum sic receptum, celatæ fraudis claustra nequiter reserans, & malitiæ ostium latentis aperiens injectis in episcopum manibus, Dei timore postposito, temere violentis; abjectaque reverentia, quæ ministris divinis deberi dignoscitur; ausu sacrilego capi fecit, & vehiculo ligneo ignominiose impositum, ejus pedibus, impiis prædicti ducis manibus in offensæ gravioris augumentum, arctius colligatis, ad quoddam ipsius castrum, quod Syrac vulgariter nuncupatur, illis eisdem probris contumeliosis adduci, ibique tetro carceri mancipari, quem adhuc vinculis compeditum ferreis dicitur detinere.*

Queritur Pont. calumniis eum circumventum fuisse.

Proditorie conjectum in vincula.

LIX. *Nec sufficit malitiæ dicti ducis tam proditionaliter eundem episcopum capere, tam injuriose tractare, nisi & ipsemet deputata gressibus membra ejus sub nodis strictioribus coerceret. Nimirum mirari non immerito cogimur, quod sic dux ipse, si consonent facta relatibus, voluntatis præcipitis fræna laxare, sic pravis adhærere consiliis potuit, ut in tantam prorumperet temeritatis audaciam, ne dicamus insaniam, & in actus tam reprobos, tam enormes quomodolibet prosiliret: cum sicut fertur, idem dux, tanquam in sensum perversum deditus, præmissorum perpetratione damnabili non contentus, sed mala sua malis adiiciens, & excessus excessibus coacervans, castra, libros, pontificalia ornamenta, necnon & equos, proventus, ac redditus universos tam ipsius episcopi, quam episcopalis sedis Cracoviensis, & clericorum, aliorumque familiarium episcopi supradicti temerariis ausibus præsumpserit occupare in divinæ majestatis offensam, Apostolicæ sedis injuriam & contemptum, grave scandalum circumpositæ regionis, ac libertatis ecclesiasticæ non modicum detrimentum. Quia igitur excessum hujusmodi tam enormem, tam perniciosum exemplo, & in conspectu superni Principis odiosum non possumus, nec debemus taciturnitate silentii præterire, ad illum, ut convenit, castigandum, ne impunitas deteriora præsumat, partes adhibendas censuimus apostolicæ potestatis. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si de hujusmodi manum injectione, carceris mancipatione, & detentione vobis constiterit, præfatum ducem, & omnes alios, qui ejusdem ducis complices extiterint in hac parte, tandiu vos vel alter vestrum per vos, vel per alium, seu alios excommunicatos publice nuntietis, & faciatis ab omnibus arctius evitari, donec præfatum episcopum reddiderint libertati, & super præmissis eidem episcopo satisfecerint competenter, & per sedem Apostolicam absolutionis beneficium meruerint obtinere: & nihilominus præfatum ducem quod prædicta omnia occupata taliter ab ipso, vel ejus favore integre restituat, & de damnis episcopo, sedi Cracoviensi, cleri-*

Occupata Cracoviensis ecclesiæ bona.

Vvratisl. & Poznavien. episcopi in Leschonem jussi censuris animadvertere.

*ricis & familiaribus supradictis illatis eis plenam & debitam satisfactionem impendat; monitione præmissa, per excommunicationem in personam ipsius ducis, appellatione remota, cogatis. Quod si forte præfatus dux hujusmodi excommunicationem, post hujusmodi nuntiationem vestram per quindecim dierum spatium animo sustinuerit indurato, vos ex tunc terras ipsius interdicto ecclesiastico supponatis, aggravaturi alias manus vestras nihilominus contra eum, prout justitia suaserit, & protervitas exegerit contumacis; invocato contra ducem & fautores eosdem postmodum, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, &c. Datum apud Urbemveterem* IV. *id. aprilis anno* III. Wladislaviensis porro episcopus, ad quem hæ scriptæ literæ, Albertus fuit, vir spectatissimæ virtutis, atque in pauperes profusæ liberalitatis, quem Longinus (*a*) hoc anno nonis decembris obiisse scribit.

(*a*) *Long. hist. Pol. l.7. hoc ann.* Agnetis Boemæ piamors. (*b*) *Vading. in annal. Minor. hoc an. n.2. ex Georg. Barthold. & Pontano in Boem. pia l.4.*

LX. Atrox a Judæis patratum in Christianum facinus.

In Boemia eodem anno Agnes regia stirpe progenita obiit, quam neptem Regis ad vitam revocasse, fulsisseque pluribus miraculis tradunt (*b*), ac vidisse angelos circum Brigittæ Clarissæ ancillæ Christi lectum thura adolentes, cum illa extremos spiritus exhalaret.

LXI.

Immane in eo regno facinus Judæi hoc anno Pragæ perpetrarunt (*c*): Christianum enim cujusdam Hebræi servum in crucem egerunt, atque omnium tormentorum genus olim inflictum Christo domino intulerunt: compertoque scelere, sumptum de iis supplicium est. Narrant non dispar facinus Colmarienses (*d*) circa Moguntiam nutricem nefariam puppullum Judæis occidendum vendidisse, patefactoque crimine nutricem ac Judæos variis suppliciis affectos. Addendum rebus Germanicis videtur, Rodulphum Cæsarem constitutionem hoc anno edidisse, qua prærogativas ecclesiasticis concessas confirmavit: cui etiam Martinus decimarum pro Terræ sanctæ rebus collectorem commendasse reperitur (*e*). Quo argumento; toto enim orbe Christiano, ut indictum in superiori concilio Lugdunensi fuerat, cogebantur; a Pontifice ad plures literæ scriptæ sunt (*f*), ut diligentia summa colligerentur, nec in rem cujusvis converterentur. At eas nullo fructu dissipatas visuri sumus, cum nullus Rex expeditionem Asiaticam confecerit.

(*c*) *Crantz. l.7. c. 40. in Vvand. Nov. cent. 13. c. 14. col. 1252.* (*d*) *Annal. Dominic. Colmar. hoc ann.* Rodulph. Rom. Rex ecclesiasticorum privilegia confirmat. (*e*) *To. 1. l.2. ep. 115.* (*f*) *Ib. ep. 118. & l.3. ep. 40. 41. 46. 58. 76. 122. 123. 126. & to. 2. p. 59. & 60.*

LXII. Eduardus Anglorum Rex expeditionis Syriacæ consilia abiicit.

Nuncupati quidem Eduardus Anglorum Rex profectionis Hierosolymitanæ voti pertæsus flagitavit ab ea religione liberari, ac decimas Eadmundo fratri profecturo attribui: at petita illius indecora Martinus repulit (*g*) subjecitque se in eam spem erigi, ut Deus ipsius animum immutaret.

(*g*) *To. 1. l.2. ep. cur. 21.*

*Charissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri.*

*Charitatis fœcundæ sinceritas, qua personam Regiam, tuamque domum inclytam, claris utique devotionis & fidei titulis insignitam, Apostolica sedes quasi mater affectuosa prosequitur, instanter animum nostrum pulsat, mentemque solicitat, ut circa te, veluti filium prædilectum, interni luminis aciem dirigentes, de tuæ salutis profectibus, & honoris augumento regii sedulo cogitemus. Sane dilecti filii magistri Robertus decanus Eboracensis & Joannes dictus Claret capellanus noster regiæ magnitudinis nuntii, quos affectione multa recepimus, nuper ad nostram præsentiam venientes, & præsentantes nobis literas regias, quas portarunt, ex parte tua cum instantia supplici petierunt, ut decimam regni tui Terræ sanctæ subsidio deputatam dilecto filio nobili viro Eadmundo Campaniæ ac Briæ comiti fratri tuo; cum ex certis causis, prout nuntiorum ipsorum patefecit assertio, non intendas generalis passagii tempore, a sede Apostolica statuendi, ad partes accedere transmarinas; benigne concedere curaremus: cum idem comes, sicut asseritur, sit paratus in terræ memoratæ succursum prædicto tempore proficisci.*

Postulat decimas ituro fratri Eadmundo attribui.

LXIII. Gravate Pontifex rem accipit.

*Porro, fili charissime, petitionis hujusmodi serie intellecta, seram letitiæ nostris & ejusdem sedis minime reseravit affectibus; quinimmo, ut veritas non negetur, & rem gestam pandat eloquium, dictæ petitionis oblatio nostrum, & ipsius sedis perturbavit auditum, amaricavit animum, & pectoris intima quasi quodam non levi dolore concussit: non quia decimæ prælibatæ concessio pro eodem extitit comite postulata, cum ob suæ multiplicis probitatis virtutem prosecutioni negotii dictæ terræ cunctis adesse favoribus affectemus; sed quoniam Romana ecclesia mater tua invitis percepit auribus, quod in prædicto transfretare passagio nullatenus disponebas, cum illa plene confideret, speque non modica duceretur, ut tu solito devotionis & fidei zelo succensus, te crucis assumptione vivificæ præsignires, & tactus dolore cordis intrinsecus, ac animatus ad ejus injurias ulciscendas, quæ sibi jugiter in terra prædicta, prout olim præsens inibi didicisti, ab infidelium nefaris ausibus inferuntur, in promptitudine spiritus, charitatis ardore, ac plenitudine voluntatis ad partes illas, prædicto adveniente passagio, quasi laudabilis præcursoris officium exequens convolares. Nosti etenim, immo propriis oculis dictæ terræ calamitates innumeras aspexisti, sensisti tribulationum ejus incendia, diraque palpasti vulnera, quæ sibi non*

Queritur conceptas de eo spes eludi.



*non sine Christianæ gentis opprobrio scelesta manus infligere non veretur.*

LXIV. Proponit ornamenta virtutum quibus a Numine sit ad rem gerendam instructus.

*Revera si solicita considerratione discutentes multiplicium dona charismatum, quibus te prævenisse conspicitur cœlestis munificentia largitoris; cum in te, prout læti referimus, strenuitatis vigor, discretionis virtus, magnitudo prudentiæ, potentiæ multitudo clarescant (ut diversarum abundantiam facultatum, quibus inter cæteros orbis terræ principes præmunitus agnosceris, silentio relinquamus) deceret utique magnitudinem regiam, ut te promptam & facilem divinis obsequiis exhiberet, si etiam grande patulumque miraculum, quod circa te, dudum in prædictis partibus existentem, is qui facit mirabilia magna solus, benigna operatione complevit: dum lethiferas inimici hominis * Asinini tuam perdere animam satagentis insidias, quamvis gravibus confossus vulneribus, evasisti, divina virtute reservatus ad vitam; diligenti meditatione pensares, pati aliquatenus non deberes, ut dictam decimam, per cujusvis alterius ministerium converti contingeret in servitium Jesu Christi: sed dignum potius, & conveniens proculdubio nosceretur, ut negligentia qualibet eminus relegata, salubre onus hujusmodi subiens, id per te ipsum viriliter duceres exequendum, debitæ servitutis pensum solvendo domino Deo tuo, qui ut te redimeret, & de venantium laqueo liberaret, crucis subire patibulum non expavit.*

Ereptum olim divinitus e periculo, ut Syriam liberaret. * Assassini.

LXV. Hortatur, ut in priori consilio perstat.

*Regalem itaque celsitudinem attente duximus exorandam, quatenus non mireris, tuaque serenitas moleste non ferat, si petitionem eandem (quamvis libenter in iis, quæ pro tempore postulas, votis regiis annuamus) exadire distulimus; tuam in hac parte salutem, tuumque solicite considerantes honorem, ac etiam commoditatem subsidii, quam in persona tua petitionis ipsius exauditio vacuasset, tibi super hujusmodi conservare negotio cautius intendentes.*

*Confidimus etenim, & speramus in Domino, cujus negotium agitur, quod cum in manu Dei Regum corda consistant, ipseque ilia quo, & quando ac prout vult, potenter inclinet, tu divinæ virtutis operante potentia conceptum propositum successu temporis commutabis, in fervore spiritus præfatum prosequendo negotium, ad cujus assumptionem te in præsentiarum, si relatis veritas faveat, non disponis. Nimirum magnæ tibi laudis præconium proculdubio vendicabis, multumve commodis propriæ salutis adiicies, si quod sensibus regiis ex affectu sincerissimo suademus, curabis efficaciter adimplere.*

LXVI.

*Consideravimus etiam, exauditionem hujusmodi differentes, quod cum passagii, utpote nondum constituti necessitas non urgeret; neque status mundi qualitas ad statuendum illud in proximo commoditatem temporis repromittat, nonnulli orbis provinciis, prout intellexisse te credimus, turbationibus validis hoste humani generis procurante concussis; nullum poterat ex præmissa dilatione dispendium exoriri. Quod si forte præfixo passagii termino te nolle, quod absit, transfretare contigerit, de quo non poterit Ecclesia non dolere, tunc tam circa præfatum comitem, quam etiam magnates & nobiles regni tui, taliter de decima disponere proponimus supradicta, quod ad laudem Dei, Terræ sanctæ commodum, & honoris regii cedat augumentum. Dat. apud Urbemveterem* VI. *id. januarii ann.* II.

Differri interea expeditionem ob bella inter Christianos orta.

LXVII. Eduardus collectas in Anglia decimas occupat.

Cæterum Eduardus postea in decimas tota collectas in Anglia manus injecit; quare Martinus archiepiscopum Cantuariensem ad Regem se conferre ac decimas recuperare jussit (*a*). Eduardo vero hisce literis audaciam perstrinxit (*b*).

(*a*) *Tom. 2. p. 59.* (*b*) *Ib. p. 58.*

*Martinus, &c. Charissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri salutem, &c.*

*Dum regalis prudentiæ magnitudo, quæ non sine laudum præconio rerum exitus metiens, in suis actibus non inconsulte procedere consuevit, nostræ dudum considerationis intuitu lustrabatur; dum summæ devotionis zelus, quo erga Romanam ecclesiam matrem tuam regia semper celsitudo resplenduit, mentis propriæ subiiciebatur aspectui; digne utique speraba-mus, digne nostri pectoris archivio recondita firma credulitas permanebat, ut sic prudenter tua limitares opera, sic tuorum processuum studia discrete dirigeres, sic sapienter incederes in omnibus viis, tuis, ut nullius exinde turbationis materiam eidem Ecclesiæ contingeret exoriri; ut reprehensionis cujuslibet vitatis aculeis, apud Regis æterni Filium, per quem regnas meritorum cumulo reddereris acceptior, penes nos & prædictam Ecclesiam, quæ te gerit in visceribus charitatis, magis ac magis gratiosus occurreres, & apud gentium populos famæ claritate splendidior habereris. Sed, si vera fateri liceat, si fas sit exprimi veritatem, tu pridem indignis tui cordis affectibus nimis favens, & voluntatis arbitrium minus provide præferens judicio rationis laudis regiæ titulis, cura tibi vigili conservandis, quamplurimum derogasti; non attendens neque considerans, quam crudelis fore dignoscitur, qui negligit damnum famæ.*

Corripitur a Pontifice.

*Nuper etenim, non solum divulgatis e longinquo rumoribus, sed etiam assertione veridica mirantes accepimus, & intelleximus perturbati, quod laudabili tem-*

*perantiæ regiæ more postposito, extendens ad illicita manus tuas, pecuniam decimæ in regno tuo per Lugdunensis concilii providentiam Terræ sanctæ concessæ subsidio, quæ per collectores a sede Apostolica deputatos in sacris tutisque locis deposita, sub fida jugique custodia servabatur; de locis ipsis, sigillis serisque violenter effractis, quibus loca eadem firmabantur; motu proprio, ne dicamus temerario, pecuniæ præfatæ custodibus renitentibus & invitis, totaliter amoveri, & ad certum locum pro tuæ libito voluntatis, non absque magnæ divinæ majestatis offensa, multoque dictæ sedis contemptu, ac ejusdem Terræ gravi dispendio, asportari fecisti.*

Sacra deposita violasse.

LXVIII. *Sed nunquid hoc prædictæ sedis non interveniente licentia, regiæ magnitudini licuit? Numquid ejus decuit honestatem? Numquid expedivit honori? Quamquam id quarumdam excusationum, sive rationum velamine, quas in tuis super hoc nobis directis expressas literis non immerito frivolas, recti judicii censura dijudicat, duxeris palliandum. Profecto agi cautius contigisset, si tuæ circumspectionis industria prorsus a talibus abstinuisset; si per te ad ea processus habitus non fuisset. Nam quod exemplum ad cæteros Reges catholicos, tu Rex catholicus, & de Rege catholico procreatus in tali putas actione transmiseris? Quam grandem quoque, quam uberem credis, in hoc contra te materiam æmulis dederis obloquendi? Quot & quantas in tui derogationem nominis linguas acueris, quantumve scandali & turbationis intuleris fidelium cordibus ad liberationem aspirantium dictæ terræ; dum fideles ipsi, te qui dudum pro ea non parcens sumptibus, laborum onera non abhorrens, exercuisti solicitus athletæ fortis officium; qui tuam inibi præsentiam impendisti, ejus prægravibus, quibus indesinenter affligitur, compassus angustiis & præsturis, talia peregisse conspiciunt, & talia perpetrasse mirantur?* Et infra: *Non enim venit nobis in dubium, quod si hujusmodi tam illicitæ asportationis effectum discretio regia diligentius attendisset, ad eam non extendisses ullatenus desiderium mentis tuæ.*

Illius exempli perniciem ad alios Reges manare.

LXIX. *Cum igitur ad liberandam de hostis immanis manibus terram ipsam fervens nostra dirigatur intentio, & propterea illius non minui, sed potius argumentari, subsidium cupiamus; nec velimus, sicuti nec debemus, tantum ejusdem terræ præjudicium æquanimiter tolerare; serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, quatenus sedula meditatione recogitans, quantum in hac parte tuum offenderis Creatorem, cujus in hoc negotium agitur; quantum prædictam perturbaris Ecclesiam, quantumve læseris famam tuam, pecuniam ipsam in locis, de quibus extitit imperio tuæ jussionis amota, facias sublata difficultate qualibet, excusationibus seu rationibus non obstantibus supradictis, quas omnino frivolas reputamus, cum integritate restitui seu reponi; ulterius a similibus abstinendo, ac etiam ecclesiasticas & alias quascumque personas, penes quas dicta pecunia est deposita, vel eam deponi contigerit per Apostolicam sedem pro terræ memoratæ commodis disponendam; per te, vel alium, seu alios, nullis impetendo molestiis, nullis vexationibus perturbando: illam in hoc efficaciam, & solicitudinem impensurus, ut debitæ restitutionis celeritas asportationis indebitæ ausum redimat, & sedis præfatæ gratia, quam libenter ad filios devotos extendimus, circa te non immerito augeatur. Nec latere te volumus, quod quantumcumque personam tuam sinceris affectibus prosequamur, regioque libenter deferamus honori, nequaquam pati poterimus cum non sit deferendum homini plusquam Deo quin super hoc, si opus extiterit, aliud remedium apponamus. Datum apud Urbemveterem III. non. julii pontificatus nostri anno III.*

Jubetur eas sacras opes in Syriæ subsidium convertendas restituere.

LXX. In Perfide regnisque finitimis Mahumeth Cham Tartarorum Rex persecutionem hoc tempore in Christianos exercuit, profanavit templa, aras evertit, Tartaros Saracenorum superstitione infecit. De quo nefandissimo apostata hæc Aytonus narrat (*a*): *Post obitum Abaga Can congregaverunt se Tartari, & constituerunt dominum super eos quendam fratrem Abaga, qui Tangodor vocatur, & alios fratres suos præcesserat. In diebus quidem juventutis suæ datum fuit sibi baptismatis sacramentum, & vocatus fuit in baptismate Nicolaus: sed postquam fuit ætate perfectus, propter societatem Saracenorum, quam dilexerat, effectus fuit pessimus Saracenus: & renuncians fidei Christianæ, Mahumeth Can voluit se appellare, & toto conamine studuit facere, quod omnes Tartari converterentur ad sectam iniquitatis filii Mahumeti; & quibus violentiam inferre forsitan non audebat, dona, gratias, & honores conferebat. Tempore istius igitur Mahumeti Can conversi fuerunt ad fidem Saracenorum Tartari infiniti, sicut hodie evidenter apparet. Præcepit itaque iste filius diaboli Mahumetus omnes ecclesias Christianorum dirui. Et ne Christiani auderent amplius celebrare legem & dogmata Christi, faciebat publice prædicari Mahumetem, & Christianos exules fecit ire, & in civitate Tauristi fecit Christianorum ecclesias totaliter devastari. Misit etiam suos nuncios ad Soldanum Ægypti, & firmavit pacis & concordiæ secum fœdus, & promisit, quod omnes Christianos, qui in terris dominii sui erant, compellerentur ad Saracenos, aut capitibus privarentur; unde Saraceni fuerunt magna exultatione repleti, Christiani vero tristes & timidi incedebant, nec eis aliud residebat, nisi Dei misericordiam invocare: videbant enim persecutionem Christianorum majorem quam unquam fuerat temporibus retroactis. Transmisit etiam prædictus diabolus Mahumetes ad Regem Armeniæ, & ad Regem Georgiæ, & ad alios Christianos, ut ad ipsum accederent sine mora. Sed Christiani cogitaverunt potius mori in prælio, quam suis placere mandatis, quia nesciebant aliud remedium invenire.* De sumpta de eo divinitus vindicta dicetur inferius: nunc ad Græcos schismaticos sermonem traducimus.

(*a*) *Ayton. hist. orient. c. 37. Sanut. l. 3. p. 13. c. 8.* Mahumet apostata.

Tartaros Sarracenica lue contaminat.



Excitat in Perfide persecutionem in Christianos.

LXXI. Attulit magnam rerum conversionem Michaelis Palæologi mors, qui cum prope Lysimachiam auxiliares copias, quæ e Scythia venerant, juxta pagum inter Pachomium & Allagem (locorum nomina sunt) situm recenseret, tremore cordis correptus in extremum vitæ discrimen adductus est: quem cum ingravescere, ac mali pertinaciam remediorum vim ac medicorum peritiam eludere cerneret, perconatus, ut ait Gregoras, (*a*) quod nomen loco inditum esset; ubi Pachomium vocitari inaudisset, de se actum exclamavit, seque vehementer cœpit incusare, quod cum ab oraculo pronuntiatum accepisset, Pachomium in Imperio successurum, honestum quendam virum Pachomium nomine, ut redderet Imperio inutilem, cœca transfundendi ad suos Imperii cupidine, oculis orbasset. Describit ejus obitum Georgius Pachymerius subjectis verbis (*b*).

Palæologus e tremore cordis moritur.

(*a*) *Niceph. Greg. l. 5. sub fin.* Ut quodam vaticinio delusus grave facinus admiserit.

(*b*) *Georg. Pachym. hist. Græc. l. 6. Leone Allat. interp.*

*Ut itaque dies obitus accessit, & mors jam & potissimum a medicis expectabatur, Actuario Cabasilei non tutum videbatur de discrimine verba facere: id enim non minima pars mortis ab ægrotis reputatur, quasi in similibus verba facti causa sint: ex alia vero parte permittere ut imparatus abiret, indecorum valde existimabatur. Quare Andronico Imperatoris filio rem aperit, & decretum & periculum pandit, Imperatorem vitam ultra non productum. Ille quoque inauspicata suggerere non audebat: nihilominus præparationem hoc modo comminiscitur. Namque statim Dominicæ mortis symbola præparantur, quæ accipiens ex clero & piis aliis sacerdos, amicto indutus, ut par erat, nihil illi de similibus cogitanti astat: namque tum Imperator forte fortuna versus parietem conspectum direxerat, res suas, quippe sanus & validus mentis erat, ut poterat, pensitans. Stabat igitur sacerdos ex alia parte, sacra dona manibus tenens, tantum illius ad se conversionem expectans; Imperator sive quidpiam simile subodorans, sive quid aliud in pectore volutans, ad sacerdotem revolutus, statim atque vidit, factum deprehendit. Et quid est hoc? inquit. Cum sacerdos responderet pro eo auxilium a Deo imploraturum, dona quæ sanctitatem parerent, deferre; Imperator interrupto sermone, animos sumit, assurgit e lecto, cingulum poscit, sanctum symbolum recitat, nec non, Domine libera me ex hac hora; effatus, necessariaque ad Deum altissimum pronuncians, sacrosanctam communionem assumit: rursumque recumbens, paululum cunctatus animam efflat. Defunctus tum Tocharorum tum familiarium lacrymis cobonestatur. Illius cadaver subito, qui in id destinati erant, noctu cum procurassent, ad novum monasterium penes ea loca situm deferunt. Sicque Imperator defungitur, qui integros annos quinquaginta & octo vixerat, regnaverat vero vigintiquatuor.* Non dissentit ab his nostra chronologia, cum a dejecto Imp. Balduino annos Palæologi numeraverimus, *dies minus viginti. Namque Imperii rubra insignia induit januarii die primo, ut dictum est, diem obiit decembris undecimo, die parasceve. Sicque ipsius nota completur, quæ* Π *triplici Græcorum elemento complebatur, quæ erat illius tessera. Innuebat porro cognomen, namque ille erat Palæologus; locum, in quo diem obiturus erat, qui Pachomii pagus nuncupabatur; prætereaque postremum sui obitus diem, parasceven scilicet, quæ ista peracta sunt, undecimo ut dictum est, decem. die an.* VICIϽDCCLXXXXI. nimirum ab orbe condito, qui in hunc Christi annum MCCLXXXIII. incidit. Consentit in designanda temporis ratione Pachymerio Gregoras: e quibus emendandi nonnulli auctores Latini, qui Palæologi mortem ad posteriora tempora contulerunt.

LXXII. Addit Gregoras Palæologum initi ecclesiarum fœderis odio sepulturæ ecclesiasticæ honoribus caruisse. *Imperator illis in locis, quæ dixi, præter spem suam fato functus est anno ab orbe condito sexies millesimo septingentesimo nonagesimo primo annos LVIII. natus. At filius ejus Imperator Andronicus, quamvis adesset, patrem imperatoria sepultura adeo non honoravit, ut ne plebeja quidem sit dignatus. Præter quam quod jussit, ut noctu pauci quidam cadaver procul a castris obductum multa terra obruerent, id modo cavens, ne imperatorium cadaver a feris discerperetur. In causa erat, quod dum viveret, a recta Ecclesiæ doctrina discivisset.* Ita auctor schismaticus impiorum instar, qui lucem tenebras vocant. Eandem causam, ob quam Palæo-

Ecclesiasticæ sepulturæ honoribus mulctatur a schismaticis.

(a) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960. Conjectura est impensi schismaticis studii ipsum pœnituisse.

LXXIV.

(b) Georg. Pachym. ubi sup.

Palæologi elogium.

læologo funebres honores negati sint, exprimit Jordanus (a): *Tunc factus est*, inquit, *tumultus magnus in Constantinopoli per calogeros, acclamantes Palæologum non debere sepeliri in cœmeterio, qui Latinis adhæsit: & usque nunc insepultus manet*. Ex his non levis conjectura suboritur Palæologum sceleris, postquam a Martino anathemate ob studia impensa schismaticis devinctus fuerat, pœnituisse.

Constat sane Palæologum, licet ob censuras, quibus fuerat defixus, ira percitus diacono vetuisset impie, ne coram se Pontificis inter sacra mentionem faceret; irarum tamen impetum continuisse, ne editam ecclesiarum conjunctionem penitus rescinderet; nec Joannem Beccum patriarcham catholicum, sede pepulisse, ut Pachymerius testatur, qui ubi præfatus de Martino Rom. Pontifice Nicolai successore, a quo Palæologi oratores Theophanem & Leonem haud honorifice cultos fuisse, quod schisma invalesceret, subdit (b): *Imperatorem & illius comites, utpote cavillatores, non veritate incedentes, pœnis & excommunicatione multarunt, oratores nulla dignatione, ut par erat, cohonestatos, dimiserunt. Hæc intelligens Imperator post reditum*, e Prussa nimirum, *a Nicæa Theophane, Heracleæ etenim Leo fato functus obierat, ægre adeo tulit, ut diacono pro consuetudine Papæ commemorationem facere Imperator silentium imposuerit*. Et infra: *Quare tum fœdus cum illis ictum dissolvere cogitabat, & dissolvisset utique, nisi consiliis obstitisset multa ipsum eorum causa tolerasse, & vix ad exitum perduxisse, ut si e vestigio recantans opus destruxisset*. Ut vero insigni flagitio Græci jacto in Christifideles processionem Spiritus sancti ex Patre Filioque professuros anathemate in pseudosynodo Andronici auctoritate congregata funestum schisma conflarint, sequenti anno dicetur. Nunc elogia Palæologi, quibus a Gregora afficitur, adjungemus: *Ac Michaelis Palæologi hic exitus fuit, viri natura decori cum gravitate quadam & digna principe majestate. Erat porro in eo robur corporis & rei militaris peritia diuturni temporis parta exercitationibus. Cum autem & prudentia & eloquentia valeret, in rebus gerendis multo fuit acrior. In Imperii principio munificentissimus est visus, ut subditorum animos nimirum sibi conciliaret: deinde modum sumptibus adhibuit, cum varia bella existerent, quæ diuturnos & magnos sumptus citra ullam detractationem postulabant*.

Aperi-



I. Censuræ in Petrum Arag. & Siculos renovatæ.

(a) To. 1. l. 4. ep. cur. 2.

(b) Ib. ep. 4.

(c) Ib. ep. 8.

(d) Lib. 3. ep. cur.

Religiosa in Siculos proposito crucis symbolo militia.

(e) Lib. 4. ep. cur. 22.

(f) Ib. ep. 22.

APeritur tertiidecimi sæculi annus octuagesimus quartus, indictione duodecima, quo Martinus Papa omne in eo studium collocavit, ut Petrum Aragonium Siculi regni invasorem comprimeret, prædamque ex ejus manibus avelleret: atque adeo in eum scelerisque conscios censuris ecclesiasticis animadvertit (a) easque die cœnæ Domini, ac festorum Ascensionis Dominicæ; (b) & dedicationis basilicæ Principis Apostolorum (c) renovavit, quas etiam ubique promulgari, tum maxime Genuæ vel in publico foro vel majori ecclesia jussit (d), ut ab Aragonio veluti anathemate & execrationibus defixo omnes abhorrerent. Cum vero Siculorum pertinacia hactenus frangi non potuisset, in eos (quod solet sedis Apostolicæ in extremis rebus perfugium esse) crucis explicari signa, atque in bello occumbentibus amplissimam peccatorum condonationem proponere Gerardo Sabinensi [1] episc. imperavit (e); ac tum ipse de induenda cruce sacras conciones haberet, tum aliis id munus conferret (f).

*Martinus &c. venerabili fratri Gerardo episcopo Sabinensi A. S. L.*

II. Exorta ob eorum perduellionem mala.

Disturbata Syriæ auxilia.

Aucta in Sicilia hæreticorum licentia.

*Habet excessuum Petri ac rebellium eorumdem non quævis, immo gravis & enormis adjectio, quod ipsi fidem catholicam, ejus persecutores protegendo, graviter persequuntur; & dictam terram, nostri Redemptoris sanguine rubricatam, in grandem Redemptoris ipsius injuriam, & offensam non solum prædicto modo ejus impediendo, sed & alias apertius & acerbius persecutionibus infestis impugnant. Siquidem post ingressum Petri ejusdem in insulam memoratam passim inibi, sicut per inquisitores hæreticæ pravitatis accepimus, receptantur hæretici; & ne iidem inquisitores, quibus propter Petri & rebellium eorumdem malitiam illuc non est tutum accedere, contra eos procedere valeant, proteguntur, protectique in ejusdem fidei derogationem horrendam quotidie multiplicantur & pullulant, libere perversis suis persuasionibus simplicium animas subvertentes.*

*Terræ quoque præfatæ, cui de dicta insula præcipuum solet in victualibus provenire subsidium, idem Petrus & sui ministri, suffragio sibi dictorum assistente rebellium, ministrari aliqua victui necessaria non permittunt: per quorum subtractionem gravi etiam incolis dictæ terræ gravatis inedia, quibuslibet aliis defensioni ejus in multitudine, quam ipsius necessitas exigit, in illis partibus insistendi facultas adimitur; & adempta sibi per consequens necessaria copia defensorum, terra eadem se arbitrio inimicorum expositam non indigne deplorans (præsertim cum, dicto Petro hujusmodi suis perversitatibus insistente subveniri, ut expediret, non possit eidem contra impios tantæ suæ persecutionis, tam iniquæ, tam evidentis expositionis actores) consueta remedia suæ defensionis implorat.*

III. Hæ causæ justæ sacri in Siculos belli propositæ.

*Et quidem nil dubium, quin prædictarum sit fidei & terræ subventio ipsis contra tanta discrimina subvenire: nil dubium ipsarum agi negotium, dum eorumdem discriminum actoribus obviatur; quodque qui agnitam fidem Christi persequitur, censendus est infideli deterior, qui eam ullo unquam tempore non agnovit. Et ideo earumdem fidei & terræ negotium contra eos quos, ut præmissa perhibent, gravior quam infideles culpæ commaculat, prosequentes illud opportunis & consuetis decrevimus auxiliis adjuvandum. Quocirca fraternitati tuæ præsentium auctoritate committimus & mandamus, quatenus ad relevanda prætacta Christianæ fidei Christianitatisque dispendia, & longe majora pericula, quæ fidei, terræ, ac Ecclesiæ, totique Christianitati prædictis ex ipsorum Petri & rebellium nefandis conatibus, nisi divino & dicti Regis Siciliæ aliorumque fidelium Christi compescatur auxilio imminent propulsanda; conatusque hujusmodi taliter compescendos, quod illorum impedimentis profligatis omnino, ipsarum fidei, Ecclesiæ, terræ, Christianitatisque negotia, Deo auspice, feliciter prosperentur; in omnibus terris tuæ legationis contra Petrum, rebellesque prædictos per te ac alios prædices verbum crucis, & eam*

NOTÆ [1] GErardus Sabinensis episcopus pontificia legatione in Sicilia fungens, non civilia tantum, sed & ecclesiastica curabat. Hoc enim anno V. Kalendas Aprilis indicto Episcoporum concilio Melfiæ constitutiones pro reformatione disciplinæ Ecclesiasticæ dedit, quas e codice bibliothecæ regiæ vulgarunt PP. Martene & Durand Veter. monum. tom. VII. col. 283. statuta continent IX. quorum nonnulla ad Græcos qui in locis quibusdam Calabriæ cum Latinis admixti erant, pertinent, atque inter cætera jubentur addictionem *Filioque* in symbolo admittere. Ex quo intelligimus Romanam Ecclesiam ad id usque temporis omissionem vocis illius ita tolerasse, ut ne Græcos quidem in provinciis Latinorum agentes ad eam admittendam coegerit. MANSI

*eam quibuslibet recipere volentibus, undecunque originem traxerint, largiaris, &c.* Addit indulgentiarum præmia iis proposita, qui arma ad Petri propulsandos conatus & Siculos ad officium revocandos, corripuerint. *Datum apud Urbemveterem* II. *non. junii anno* IV.

IV. Gallos ad crucis signa attollenda in Aragonios concitat.

Non segnius in Galliis Colletus Cardinalis legatus, ut scribit Nangius, (*a*) de capessenda adversus Aragonium cruce conciones habuit; de quo Colmariensium annalium auctor (*b*), & Ptolemæus Lucensis; (*c*) cujus hæc verba sunt, *Anno Domini MCCLXXXIV. dominus Joannes Cioletta S. Cæciliæ presbyter Cardinalis mittitur legatus in Franciam per Martinum in favorem Regis, & ad prædicandam crucem contra Regem Aragonum.* Eadem iis pene verbis Jordanus; (*d*) quæ subjectis literis confirmantur.

(*a*) *Nang. in gest. Phil. Reg. Franc.*
(*b*) *Colmarien. ann. Dominic.*
(*c*) *Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 12.*
(*d*) *Jord. MS. Vat. sign. n. 1960. & alii.*

*Martinus &c. dilecto filio Joanni tit. S. Cæciliæ presbytero Cardinali A. S. L.* Joannes Card. A. S. L.

*Negotio, quod Ecclesiæ, immo verius toti Christianitati, ad defensionem præcipue catholicæ fidei, ac etiam Terræ sanctæ contra Petrum quondam Regem Aragoniæ, imminet; quodque charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Franciæ illustris ad earumdem fidei & terræ discrimina propulsanda, tanquam princeps Christianissimus, & antiquæ devotionis sui generis sedulus prosecutor assumpsit, aliisque magnis & arduis instanter urgentibus; nos de te, cujus animam sicut adipe & pinguedine adeo replevit Altissimus, ut vigeat in te rectitudo judicii, consilii providentia, rigiditasque censuræ, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas, & experientia in arduis approbata; sperantes in Domino, quod, ipso actus tuos dirigente, qui novit, ac prava in directa & aspera in vias planas convertente, qui potest, præmissa taliter tuo consilio, & auxilio dirigentur, quod ex tuis laboribus, Deo auspice, fructus producentur optati; personam tuam ad illorum directionem deliberavimus deputandam.*

In quibus regnis & provinciis demandata ei legatio.

*Ideoque circumspectioni tuæ in Franciæ, Navarræ, Aragoniæ, Valentiæ, ac Majoricarum regnis; necnon Lugdunensi, Bisuntina, Viennensi, Tarentasiensi, & Ebredunensi provinciis in ea videlicet parte ipsius Ebredunensis provinciæ, quæ sita est extra Provinciæ ac Folcalcherii comitatus; & in Leodiensi, Metensi, Virdunensi, & Tullensi civitatibus & diœcesibus de fratrum ipsorum consilio committimus plenæ legationis officium, ut evellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices, & plantes, prout gratiæ cœlestis infusio & tua tibi prudentia ministrabit. Dat. apud Urbemveterem* III. *non. maii anno* IV.

Perfunctum suo munere legatum, atque in celeberrimo ordinum conventu Carolo Valesiorum comiti Regis Galliarum filio Aragonium sceptrum contulisse scribunt Nangius, (*e*) & alii: Regemque Francorum ad eripiendum Petro idem regnum armorum vi se obstrinxisse: quæ pontificiis literis, (*f*) quibus Cardinalis confirmata gesta, & Aragonum Regis nomen Carolo adscriptum, corroborantur. Neque Aragoniæ modo, verum etiam Valentiæ Pontifex regia, in eumdem principem jura transfudit; ut ex literis ad eum datis (*g*) patebit.

V. Quæ transegerit cum Regis Franc. filio Carolo.

(*e*) *Nang. in gest. Phil.*
(*f*) *Mart. l. 3. ep. cur. 11.*
(*g*) *Ib. ep. p. 12.*

*Martinus, &c. Charissimo in Christo filio Carolo Regi Aragonum & Valentiæ illustri, nato charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Franciæ illustris, salutem & apostolicam benedictionem.*

*In electione hujusmodi aliquem de charissimi in Christo filii nostri Regis Franciæ illustris patris tui filiis præferendum, multiplex ratio persuasit: ideoque dilectum filium nostrum Joannem tit. S. Cæciliæ presbyterum Card. ad hoc ministrum idoneum de fratrum eorumdem consilio assumentes; ad occupandum regnum Valentiæ, quod est de terris expositis, quæ olim fuerunt dicti Petri, de illo ex ejusdem Regis Franciæ filiis, quem ad occupationem dicti regni Aragonum, & comitatus Barchinoniæ idem Rex eligeret, & præfatus Cardinalis juxta datam super hoc per alias nostras literas sibi formam auctoritate apostolica, quam in hac parte plene sibi commisimus, deputaret; de ipsorum fratrum consilio voluimus provideri, & ipsum ad id faciendum singulariter deputari: statuentes & decernentes, quod idem Regis Franciæ filius, postquam ad occupationem ipsius Regni Valentiæ deputatus fuerit per Cardinalem eumdem, eo ipso in dicto regno Valentiæ nomen & titulum regium, omnemque dignitatem, quam ipse Petrus quondam Rex Aragonum in eodem obtinuit, sortiretur: & tam per se, quam per alios idem regnum Valentiæ libere occuparet, & faceret suo nomine occupari; & illud ipse suique perpetuo successores in illo libere absque contradictione aliqua possiderent, & in ipso tanquam veri Reges & domini administrarent legitime, plene in eis jus Regis & domini habituri.*

Aragonia, Valentia, & Gathalonia eidem attributæ.

VI. *Quædam insuper alia in eisdem contenta literis duximus statuenda, quæ noscuntur ad bonum statum dicti regni Valentiæ, nec non ecclesiarum & incolarum ejusdem, ac alias imminenti negotio expedire, promittenda per eumdem filium sic electum, & a prædicto Cardinali deputandum, ipsius Regis Franciæ ad id interveniente consensu. Præfatus autem Cardinalis hujusmodi negotium juxta formam*





*mam sibi a nobis traditam exequens diligenter, auctoritate apostolica eidem in hac parte commissa, de te, quem prædictus Rex Franciæ pater tuus ad ipsorum Regni Aragonum, & comitatus Barchinoniæ occupationem elegerat, & idem Cardinalis providerat, ac etiam deputarat, & qui præmissa omnia promisisti, consentiente ad hoc dicto Rege Franciæ observare, ad occupandum regnum Valentiæ supradictum providit, teque ad id faciendum singulariter deputavit. Tu vero hujusmodi provisionem, & deputationem sic ab eodem Card. factas prædicto Rege Franciæ genitore tuo approbante, ac in iis expresse consentiente, acceptasti & etiam recepisti, prout in literis inde confectis ipsius Cardinalis sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quæ in præmissis ab eodem Cardinale taliter facta sunt, rata & grata habentes, illa ex certa scientia de ipsorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; defectum, si quis in eis, vel eorum aliquo ex quacunque causa extitit, supplentes de plenitudine potestatis, & tenorem dictarum literarum ipsius Cardinalis de verbo ad verbum præsentibus inseri facientes, qui talis est.*

Ut Carolus Philippo Rege assentiente, præscriptas a Pont. leges admiserit.

Joannis Card. legati de re gesta ad Pontif. literæ.

*Sanctissimo patri ac domino suo reverendissimo, domino Martino, divina providentia, sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Joannes Dei permissione tit. S. Cæciliæ presb. Card. devotus servus ejus & filius cum humili recommendatione sui devotissima, pedum oscula beatorum.*

VII. *Reverendissimæ sanctitatis vestræ literas ad me directas recepi, tenorem, qui sequitur, continentes.*

*Martinus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Joanni tit. S. Cæciliæ presbytero Card. salutem & apostolicam benedictionem.* Qui regna transfert, atque constituit, &c. (*a*) *Dat. apud Urbemveterem* IV. *kal. septembris pontificat. nostri an.* III.

(*a*) Ext. potior pars superiori anno 1285. &c.

*Quæ inter Philippum Dei gratia Regem Franciæ illustrem & Carolum ejus secundo genitum ex una parte, & me Joannem tit. S. Cæciliæ presbyterum Card. vestro & ecclesiæ Romanæ nomine, ex altera acta sunt præscriptarum auctoritate literarum juxta mandatum vestrum tenore præsentium ad vestræ deduco notitiam sanctitatis; sunt autem acta hujusmodi, quæ sequuntur.*

VIII. *Anno Domini MCCLXXXIV. vigesima prima die mensis februarii, indictione* XII. *pontificatus vestri anno* III. *Memoratus Rex Franciæ, acceptato jam ab eodem Rege negotio regni Aragonum, comitatusque Barchinoniæ, eisdemque regno & comitatu per me Joannem Card. domino Carolo filio ejus ab eodem Rege ad hoc electo solemniter assignatis, prout in aliis literis meis super ipso negotio confectis, quas per venerabilem virum magistrum Ægidium de Castelleto vestrum notarium vobis mitto, plenius continetur; lectis etiam supradictis literis, & a me Cardinale sigillatim per articulos expositis in vulgari, hujusmodi regni Valentiæ negotium acceptavit. Postmodum memoratus Carolus ad hujusmodi negotium a genitore suo electus, universa & singula, in suprascriptis literis vestris contenta, prout eum contingunt, se ac successores suos per se ac suos officiales inviolabiliter servaturos, nec contra ea venturos; necnon & hujusmodi negotium efficaci ac solicita efficacia prosecuturos absque dilatione sive intermissione, quas facti qualitas, seu emergentium casuum necessitas non inducet; mihi vestro successorum vestrorum, & ipsius ecclesiæ Romanæ nomine, præfato genitore suo eadem universa & singula specialiter approbante ac consentiente, in ipsis expresse juxta adjectiones, declarationes, & detractiones factas super negotio regni Aragonum, & comitatus Barchinoniæ in vestris specialibus literis ad me directis & per memoratum notarium mihi traditis comprehensas, solemni stipulatione promisit.*

*Verum cum non esset adhuc ætatis habilis ad jurandum, prædicta juramento proprio non firmavit; sed dictus Rex Franciæ se ac suum in Franciæ regno heredem curaturum & facturum bona fide promisit, quod idem suus filius, cum ad ætatem ad hoc aptam pervenerit, præstabit sine contradictione qualibet hujusmodi juramentum mihi, vel alii, quem ad hoc Rom. ecclesia deputabit. Quibus actis ego Joannes Cardinalis de memorato Carolo Regis Franciæ filio ad occupationem Regni Aragonum, & comitatus Barchinoniæ per me antea deputato, ad occupandum regnum Valentiæ, quod est de terris expositis, quæ olim fuerunt dicti Petri, providi, & ipsum ad id faciendum singulariter deputavi sub modo, qui sequitur infrascriptus.*

Qua verborum forma in Carolum ea regna contulerit.

IX. *Ego Joannes tit. S. Cæciliæ presbyter Card. auctoritate apostolica, mihi in hac parte plene commissa, de vobis domine Carole, quem pater vester Philippus Dei gratia Rex Franconum illustris ad id nominavit & elegit, sub lege, conventionibus, pactisve ab eodem genitore vestro ac vobis mihi, sanctissimi patris ac domini domini Martini divina providentia summi Pontificis & sanctæ ecclesiæ Romanæ nomine, sub forma præscripta, prout quemque vestrum contingunt, solenniter promissis, ad occupandum regnum Valentiæ provideo, & vos ad id faciendum singulariter deputo: hujusmodi provisionem*

*nem, & deputationem taliter a me factas idem Carolus, memorato Rege Franciæ genitore suo approbante & consentiente, in ipsis, expresse acceptavit & recepit, Philippo fratre suo primogenito præsente, & in iis eidem Carolo congaudente. In cujus rei testimonium sigillum meum duxi præsentibus appendendum. Dat. anno prædicto kal. martii pontificatus nostri anno* III. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis & suppletionis, &c.

Gesta a Card. legato a Pont. confirmata.

*Ego Martinus catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi.*

Cardinales Martini decretum suis muniunt subscriptionibus.

*Ego Ancherus tit. S. Praxedis presb. Card. subscripsi.*

*Ego Hugo tit. S. Laurentii in Lucina presbyter Card. subscripsi.*

*Ego Gervasius tit. S. Martini presbyter Card. subscripsi.*

*Ego Comes tit. SS. Marcellini & Petri presb. Card. subsc.*

*Ego Gaufridus tit. S. Susannæ presb. Card. subscripsi.*

*Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmedin diaconus Card. subscripsi.*

*Ego Gottifridus S. Georgii ad velum aureum diaconus Card. subsc.*

*Ego Benedictus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus Card. subscripsi.*

*Datum apud Urbemveterem per manum magistri Petri de Mediolano S. R. E. vicecancellarii* III. *non. maii indictione* XII. *incarn. dominicæ an. MCCLXXXIV. pontificatus vero domini Martini Papæ IV. anno* IV.

X. Decimæ pro iis regnis expugnandis attributæ.

De Aragonio & Valentino regnis traditis Carolo scripsit Pontifex ad legatum (*a*) ac præsules Gallos, (*b*) ut ad ea regna armis comparanda expeditionem instruenti decimas tribuerent: quos etiam a legato, si obluctarentur, cogi jussit (*c*). Neque a Gallis solum, sed ab aliis exteris quoque præsulibus opes in id conferri voluit (*d*). Siculos (*e*) similiter, tum Provinciæ, (*f*) atque Arelatensis (*g*) archiepiscopatus præsules decimas Regi Carolo, ut hostem regno eiiceret, solvere; atque ad id a legato adigi præcepit (*h*).

(*a*) Ib. ep. 13.
(*b*) Ib. ep. 14.
(*c*) Ep. 15.
(*d*) Ep. 16. 17.
(*e*) Ep. 18.
(*f*) Ep. 20.
(*g*) Ep. 21.
(*h*) Ep. 19.

Subjecerat insuper ecclesiastico interdicto Martinus Petri Aragonii ditionem: verum cum nonnulli apostolica jussa vel infringerent, vel minus religiose servarent, Narbonensi archiepiscopo partes imposuit, (*i*) ut rem diligentius exploraret, quo severitatem legum in contumaces distringeret.

(*i*) Lib. 3. ep. cur. 41.

*Venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi.*

XI. *Quia, sicut intelleximus, Petrus quondam Rex Aragonum, Archiepiscopi, episcopi, & alii inferioris gradus prælati, & personæ ecclesiasticæ, religiosæ cujusque religionis aut ordinis, & sæculares; necnon & comites, vicecomites, barones, incolæ & habitatores Aragoniæ & Valentiæ regnorum, comitatus Barchinonensis, aliarumque terrarum, quibus idem Petrus per nos est, sua nequitia exigente, privatus; nec non & civitates, castra, villæ, locave, cætera, & universitates ipsorum, licet monitiones & prohibitiones nostras in diversis Apostolicæ sedis processibus specialiter eis factas propria temeritate contempserint; propter quod non est dubium, singulares personas excommunicationis, civitates vero, castra, & loca eadem, necnon & universitates ipsorum interdicti latas propter hoc sententias, si consonent facta relatibus, incurrisse; interdictum tamen hujusmodi non observant, non verentes nervum disrumpere, quantum in eis est, ecclesiasticæ disciplinæ; nos in festo dedicationis basilicæ Principis Apostolorum transacto novissime, præsente tunc multitudine copiosa fidelium, manifeste prædiximus, nostri fore propositi contra eos, & specialiter contra memoratos prælatos & alias personas ecclesiasticas religiosas & sæculares taliter, favente divina gratia providere, quod hujusmodi eorum temeritas, postquam manifestius de ipsa constiterit, nequaquam impunita remaneat; sed ita debitæ subjaceat ultioni, quod ipsius vindicta cæteris similia præsumendi audaciam interdicat.*

Aragonii censuras pontificias spernunt.

In eos legibus agere decernit Pontifex.

*Ut igitur hujusmodi provisio rite procedat, & ex ipsa debitus, & facti veritati conveniens sequatur effectus, fraternitati tuæ præsentium auctoritate committimus & mandamus, quatenus ad indagandam per te, vel alium, aut alios super præmissis certitudinaliter, & rescribendam nobis serioso ac celeriter veritatem, per vias & modos, quos tibi Dominus ministrabit, partes tuas sic diligenter, sic solicite interponas, quod nos ex serie tuæ rescriptionis instructi, absque alicujus incertitudinis scrupulo, circa hæc in tuto de fratrum nostrorum consilio, prout res exegerit, procedere valeamus. Dat. apud Urbemveterem id. januarii anno* III.

XII. Data Narbonensi archiep. rei exploranda provincia.

Interea Carolus Salerni princeps bellum adversus perduelles apparabat, cui Pontifex omni ope adesse, ac pecuniarum & armorum subsidia suppeditare decrevit: nam & Reatinum episcopum in Siciliam traiicere molienti principi acceptæ mutuo pecuniæ quandam vim tribuere jussit (*k*), atque aliam ingentem vim Sabinensis episcopi & Berardi camerarii opera confectam illi comparavit (*l*). Cumque princeps idem flagitaret, ut Joannes de Epa pontificio succinctus exercitu secum veniret, Martinus licet illius opera sibi necessaria videretur,

XIII. Carolus Salerni princeps Siciliæ insulam invadere parat.

(*k*) Tom. 2. p. 94.
(*l*) Ib. pag. 95. 105. 107.



Juvatur pecunia & milite a Pontifice.

tur, ejusdem tamen Joannis arbitrio rem totam permisit (*a*): *Ab eodem Carolo principe, Salernitano tibi fuisse injunctum*, supple intelleximus, *ut cum ipse in instanti ejus passagio in rebellem Siciliæ insulam, te secum velit habere præsentem, tu cum tota gente, quam habes ad arma & etiam cum majori armatorum comitiva, quam habere poteris, ad ejus præsentiam* *; *quia tamen principis memorati negotium magno favore prosequimur, non vellemus ipsius negotia per tuam absentiam in aliquo deperire, tuo arbitrio duximus relinquendum*. Profectum vero Joannem ad principem ipsum, significat postea Martinus Andreæ Spiliati (*b*). Sed quam tristis casus hanc Salernitani principis expeditionem, aliaque Caroli consilia confuderit oppresseritque, ex Ptolemæo Lucensi (*c*) accipiamus.

(*a*) Ib. p. 95.

* te conferas Joannes de Epa dux ad eum se confert.

(*b*) Ib. p. 99.

(*c*) Ptol. Luc. l. 14. c. 9. & 9.

XIV. Princeps Salern. ad pugnam elicitur.

*Supervenit*, inquit, *Rogerius de Loria admirallus Regis Aragonum, & quasi in portu Neapolitano existens bellum navale petit. Ad quæ verba filius Regis Caroli, qui & Carolus vocabatur & princeps erat Salernitanus, & postea Rex, provocatus galeas armari fecit, & ipsas ascendit ad pugnandum. Quod Cardinalis, qui erat ibidem legatus, eidem prohibuit: illo autem non acquiescente, legatus protestationem facit per manum publicam, quod* * *circa suum consilium facit, & voluntatem. Pugnans igitur cum Rogerio, in bello succumbit, & in portu Neapolitano capitur cum multis galeis juxta castrum S. Salvatoris. Post captionem principis coacti sunt dare filiam Manfredi cum aliis captivis, quia intentabat mortem eidem. Ubi considera divinum judicium, quia ab eo tempore quo Rex Carolus cœpit cadere, nullum prosperum actum habuit, sicut infra magis patebit. Captus igitur princeps cum suis concaptivis in Siciliam ducitur.* Quo vero acerbum hunc casum animo Carolus exceperit, narrat memoratus auctor (*d*): *Veniens*, inquit, *versus mare Pisanum per transeuntes naucleros audivit principem filium suum esse captum. Ille vero imperterritus statim advocat nobiles, quos secum habebat, & sic ipsos alloquitur: Congratulamini*, inquit, *mihi, & congaudete mecum, quia hodie perdidimus unum sacerdotem, qui nostrum impediebat regimen ac vigorem bellandi. Unde nullo lamento facto, nec ullo luctu ostenso, sic pertransit, tamquam si nihil esset.* Eadem iisdem pene verbis refert Jordanus, (*e*) ut recentiores omittamus. Aucta instructaque classe conatus effundere in Siciliæ insulam parabat: sed dum tractatur de liberando Salernitano principe, resque Siculorum dolo extrahitur conficiendæ expeditioni idoneum tempus effluxit,

* contra Capitur in portu Neapolitano.

(*d*) Eod. lib. c. 11. Quo animo Carolus Rex filii casum tulerit.

(*e*) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.

classemque ob imminentem hyemem in tutiores portus subducere coactus est. Ut vero in illius belli ardore morbo ex humanis ereptus fuerit, anno insequenti dicetur.

Nunc de Conrado de Antiochia, Caroli hoste, pluribus hoc anno censuris defixo, addimus ipsum, contractis aliquot copiis, e pontificia ditione in regnum Neapolitanum irrumpere tentasse: sed ab electo Yporiensi Campaniæ, & Maritimæ præside deletum, ut Pontifex in gratulatoriis victori datis literis testatur (*f*): *Transmissæ*, inquit, *nobis tuæ literæ continebant, quod Conrado de Antiochia tamquam æmulo pacis regni Siciliæ, ac charissimi in Christo filii nostri Caroli ejusdem regni Regis illustris adversario manifesto cum quibusdam perditionis filiis partes ipsius regni invadere per castrum Cellæ temere attentante, tu una cum dilecto filio viro Stephano de Genazano, ac stipendiariis nostris nonnullis aliis fidelibus Romanæ ecclesiæ, ac prædicti Regis ad castrum ipsum propere accedens, ac iniens bellum cum eisdem rebellibus, eos in virtute divini nominis debellasti, ex eis captis quampluribus, & occisis, &c. Dat. Perusiæ id. octobris pontificatus nostri anno* IV.

XV. Ditio pontificia turbarum non expers.

Conradus a præside Campaniæ profligatus.

(*f*) To. 1. l. 4. ep. 110.

Concitarunt plures motus in ditionis ecclesiasticæ provinciis nonnulli ambitione avaritiaque viri perciti, inter quos Adinulphus (*g*) Campaniam turbavit: sed Joannes de Epa eum contudit. Fregere (*h*) quoque superbos spiritus & conciliati Ecclesiæ Perusini, qui ante conculcatis pontificiis jussis Fulginates bello appetierant. Præfractiores visi Urbinates, qui comitem e Vigniaco pontificiarum copiarum ducem (*i*) fudere. Urbevetere vero cum Rainerius præfectus effrænata insolentia Pontificem abire Perusium coegisset, ac dirum aliquid meditaretur in Guelphos repente a factione contraria oppressus meritas sceleris pœnas sensit (*k*). Cur porro Pontifex non Romam sed Perusium concesserit, dissensio Romanorum, qui mutuis odiis concitati inter se diffidebant, ac parum religiose pontificia imperia colebant, causa extitit. Quare antequam eo se conferret, apostolicis monitis exortas discordias extinguere est conatus, ac nonnulla ad Urbis regimen spectantia constituit. Testis sunt paternæ illius solicitudinis subjectæ literæ (*l*).

XVI.

(*g*) To. 1. alt. pag. 79. 85. 88.
(*h*) Ibid. Urbinatium pertinacia.
(*i*) Mart. Pol. in Mart. IV. Rainerius ab Urbevetanis pulsus.
(*k*) Id. ib. Mutuis discordiis Romani laborant.

(*l*) To. 2. p. 94.

*Dilectis filiis populo Romano salutem, &c.*

*More pii patris, quem filiorum delectant prospera, pariter & adversa perturbant, summis desideriis affectantes, ut vobis & Urbi, quos dilectione paterna prosequimur, subductis impedimentis*

XVII. Ea de re Martini literæ.

*quibuslibet stabilis proveniat bonum pacis, quietis arrideat duraturæ commoditas, & prosperitatis votivæ plenitudo succedat; ad sedandas discordias, & scandala submovenda, quæ nonnumquam in Urbe ipsa, procurante pacis æmulo incentore malorum, satore zizaniæ suscitantur, partes nostras vigilanter apponimus, cunctisque studiis opem & operam, non parcentes laboribus, impertimur; prout ex ipsa facti experientia, si vera fateri liceat, didicistis, nec etiam provocati quantumlibet ab hujusmodi vestra dictæque Urbis affectuosa prosecutione desistimus, cogente nos intima, qua vos & illam complectimur, charitate.*

*Pridem siquidem intellecto, quod in eadem Urbe, inimici hominis instigante malitia, gravis erat exorta discordia, turbati fuimus vehementer: & ne in vestrum, Urbisque prælibatæ periculum invalescerent fluctus ejus, nos tam formidandis volentes obviare principiis, quæ dispendia grandia minabantur, tres e fratribus nostris, quantumcumque illorum præsentia carere nosceremur inviti, ad prædictam Urbem celeriter duximus destinandos, qui vestræ, ac ipsius Urbis pacis & quietis fervidi zelatores ad reformandum, & pacificandum vestrum & ejus statum solicite laborarent, ad id sua totaliter argumentosa studia convertendo; nonnullis per eos vobiscum tractatibus habitis, nonnullis a vobis propterea nuntiis ad nostram præsentiam destinatis, per quos a nobis quædam cum instantia postulastis. Licet igitur super nostro Urbis ejusdem turbato regimine tam in facto, quam modo nobiscum, si diligenter attenditur, per nonnullos valde injuriose sit actum, cum plena nobis dicti regiminis fuerit concessa libertas, ac totum, quod vobis in hoc a nostra benignitate conceditur, gratiæ innitatur, eo quod indebitum, quin immo ut vera loquamur, injuriosum penitus fore conspicitur, quod ab aliquibus petitur in hac parte, idque vobis vestrisque profectibus, si solicita consideratione pensetur, & ad recti judicii deducatur examen, non credatur verisimiliter expedire, ac etiam nonnullæ aliæ causæ subsint, quas ex causa silentio præterimus, & propter quas, aliquibus considerationibus habitis, suadeatur nobis ad præsens denegatio petitorum; volentes tamen vos in hoc prosequi gratiose, ac benigne satisfacere votis vestris; quamquam per infrascripta nullatenus intendamus potestati, concessioni, translationi, & libertati, datis nobis & factis super commisso nobis regimine supradicto, ac singulis aliis in hujusmodi concessione contentis in aliquo derogare, sed ea potius nobis illæsa & integra reservari, & in suo vigore suoque robore penitus permanere velimus; dabimus tamen, seu concedemus vobis vicarium, vel vicarios & camerarium ad certum salarium ordinandum & statuendum per vos, & ad certi temporis spatium, prout nobis videbitur, faciendum. Qui quidem camerarius redditus & proventus Urbis recipiat, & ad opus & commodum ejus custodiat diligenter.*

Tres Cardinales ad sopiendas dissensiones primum missi.

Pontificia auctoritas in urbe administranda labefactata.

Novos permittit Pontifex Romanis magistratus.

*Sustinere quoque proponimus propter necessitatem præsentis caristiæ, ut in hoc vestris affectibus satisfiat, quod Joannes Cinthii, sicut capitaneus super grassiæ facto dumtaxat, habiturus super hoc jurisdictionem a nobis; quodque hujusmodi capitaniæ officium per sex menses tantum exerceat ut experientia nos doceat, utrum id vobis expediat in futurum, & quod capitaneus super grassia nominetur, duorum millium librarum provesinorum sibi salario statuendo. Tolerabimus etiam patienter, vestræ volentes condescendere voluntati, & experimento probare, an expediat vobis in posterum, quod remaneant artium capita, quæ nobis tamen nostrisque obedire vicariis teneantur. Cæterum quamvis insolitum sit & novum, vel verius injuriosum esse regimini dignoscatur, ut vicarius, & capitaneus grassiæ sub eodem tecto cohabitent, & morentur, talisque commixtio scandalis aditum, & viam possit dissensionibus aperire, cum familiarum diversitas turbationum esse soleat genitiva; intendentes tamen in hoc desideriis vestris annuere; de gratia speciali Capitolii domos diligenter inspici faciemus, si forte in voluntate concepta duxeritis persistendum, & eidem capitaneo, ac officialibus, & familiæ propriis locum inibi congruum per ejusdem temporis spatium assignari.*

XVIII. Joannem Cynthium præfectum annonæ constituit.

*Rogamus igitur universitatem vestram, & hortamur attente, quatenus benignitatis affluentiam, quam in hoc & in aliis erga vos duximus observandam, & exuberantem gratiam, quam vobis in hac parte facimus, sedula meditatione pensantes, ad ea, quæ honorem & exaltationem Romanæ ecclesiæ matris vestræ respiciunt, solicite intendatis; in ipsius devotione constantibus animis persistendo, a qua nulla vos prava suggestio, nulla inductio venenosa, nulla fraudulenta dolosaque submissio, nulla turbatio temporis separet vel divellat, ut in devotione, ac obedientia dictæ matris tanto semper inveniamini firmiores, quanto specialiores filii ejus estis. Nos enim stabiliter in animo gerimus, vos præcipuis confovere favoribus, specialibus respicere gratiis, & auxiliis prosequi opportunis. Et ecce dilectum filium Citadinum dictum de Episcopo judicem civem Urbevetanum, ecclesiæ Romanæ fidelem, exaltationi Romani populi zelatorem ad vos duximus destinandum, qui*

XIX. Blandis verbis continere ipsos in officio nititur.



*qui de intentione nostra super præmissis poterit vos plenius informare. Dat. apud Urbemveterem II. kal. maii pontificatus nostri anno IV.*

XX. Pisanos inter & Genuenses bellum exoritur.

Funestiora longe diffidia Pisanos, ac Genuenses exercuere, quæ post acceptas & illatas primum leves aliquot clades, Pisanis demum, qui bello causam antedederant, extremam calamitatem hoc anno invexerunt, (*a*) [1] non sine divinæ vindictæ exemplo, cum ea maris ora sanguine Pisano rubuerit, in qua ii ante immani flagitio, ad tyranni Friderici gratiam, excitos a Gregorio IX. ad concilium transalpinos patres ceperant. Quam cladem Ptolemæus Lucensis hisce verbis describit (*b*): *Eodem anno Pisani & Januenses pugnaverunt ad invicem in mari generali exercitu, & post magnam concertationem Pisani succumbunt: quod fuit prope portum Pisanum in loco, qui dicitur Lammellora, ubi ceperunt prælatos, sicut supra est dictum.* Et infra: *Fuit autem in bello hoc magnam hominum strages, & inter captos & mortuos plusquam duodecim millia hominum fuerunt: perdiderunteque præterea alia navigia XLIX. galeas præter aliquas submersas in mari.* Ferunt Genuenses magna modestiæ laude florentissimam partam victoriam divino Numini ascripsisse, solemnes ad agendas grates supplicationes indixisse, multa sacra a sacerdotibus peragi imperasse, atque inanes pompas ducere contempsisse.

(*a*) *Jacob. Malesp. c. 216. 220. 221. Jo. Vill. l. 7. c. 83. 91. & 97. S. Ant. p. 3. tit. 20. c. 4. §. 13. 14.* Justa numinis in Pisanos vindicta.

(*b*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 18.* Magna strage a Genuensibus deleti.

XXI. Impostor in Germania se pro Friderico Imp. gerit.

In Germania emersit insignis hoc anno impostor, qui se Fridericum II. pluribus jam ante annis, ut vidimus, mortuum ementiebatur, Imperiumque affectabat; nec defuere, qui ipsius artibus irretiri se sinerent. Sed anno insequenti, ut Siffridus scribit, (*c*) comprehensus impositurae pœnas igne luit; de quo Baronius (*d*) in MS. notis: *Apud Coloniam*, inquit, *quidam armiger Friderici ante annos triginta defuncti, ut concitaret populum adversus Rodulphum, simulabat sese esse Fridericum: sed ab ipso Rodulpho captus fuit atque combustus.* Præterire hic silentio non possumus, Regem Sueciæ ab Apostolica sede flagitasse, ut in ipsius regio sacello sacra ecclesiæ Romanæ ritu peragerentur. Cui Martinus hisce literis annuit (*e*).

(*c*) *Siffr. in epit. l. 2. Vvestmon. Flor. hist. Annal. Domin. Colmar. & alii.*

(*d*) *Baron. in sched. ex lib. privil. Rom. eccl.*

*Charissimo in Christo filio Magno illustri Svvecorum & Gotorum Regi.*

*Cum, sicut lecta nobis tua petitio continebat ob reverentiam Romanæ ecclesiæ, matris tuæ, cupias in divinis officiis celebrandis in capella tua ordinem ipsius Romanæ ecclesiæ observari; nos tuis devotis supplicationibus annuentes, tibi auctoritate præsentium indulgemus, ut idem ordo in celebratione divinorum ipsorum apud eamdem capellam tuo & heredum tuorum Svveciæ Regum temporibus in perpetuum observetur: eadem auctoritate nihilominus concedentes, ut ii, qui divina præmissa pro tempore in capella celebraverint memorata, hujusmodi ordine dumtaxat sic possint esse contenti, quod ad ea celebrandum aliter, vel secundum alium ordinem minime teneantur. Datum apud Urbemveterem kalend. martii anno III.*

(*e*) *To. 1. l. 3. ep. 121.* Extremo a Rodulpho affectus supplicio.

XXII. Magnus Sueciæ & Goth. Rex Romano ritu divina peragi in regio sacello flagitat. Illius votis annuit Mart.

Solvit præterea (*f*) ad ejusdem Regis gratiam Pontifex leges canonicas de gradibus consanguinitatis, ut Ulpho Holingerii principis filius Helenam Magni consanguineam ad concordiam restituendam Sueciæ, gravesque discordias conciliandas matrimonio sibi jungeret: *Sanæ*, inquit, *petitio dilecti filii nobilis viri Ulphonis filii Holingerii Lincopensis diœcesis, ac dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Helenæ, consanguineæ charissimi in Christo filii nostri Magni Regis Svveciæ illustris, nobis exhibita continebat, quod licet ipsi affectent matrimonialiter invicem copulari; quia tamen quarto consanguinitatis gradu conjuncti, non potest, impedimento hujusmodi obsistente, eorum in hac parte desiderium adimpleri: quare nobis humiliter supplicarunt, ut super hoc de opportunæ dispensationis gratia providere misericorditer dignaremur. Cum itaque, sicut ex quorumdam venerabilium fratrum nostrorum episcoporum regno Svveciæ fide digna relatione didicimus, pacis unio, quæ inter charissimum in Christo filium nostrum Regem illustrem Svveciæ ex parte una, & eundem Ulphonem ac alios barones & no-*

(*f*) *Ib. p. 156.* Contracta inter Magnum & Ulphonem affinitas.

NOTÆ [1] INsignis illa, quam de Pisanis Genuenses retulerunt, victoria die VI. Augusti a Genuensibus scriptoribus consignatur. In ea vero describenda Ptolemæo Lucensi modestiores scriptores illi, Pisanorum triremes, quæ in victorum potestatem venerunt, non quidem XLIX. ut ex Ptolemæo Annalista, sed tantummodo XXIX. supputant, quibus aliarum VII. demersarum accessio facienda est. Porro rem Pisanam clades ista minus, quam gentium finitimarum fœdus hoc anno initum, attrivit. Coiverunt enim cum Genuensibus, Florentini, & Lucenses, quibus omnibus arma jam sua illaturis Pisani rebus diffidentes suis, primo Genuensium imperata facturos sese obtulerunt; dein rejecti, Ugolinum comitem civem Pisanum e familia Ghirardeschia, quem norant Guelforum partibus addictum, ducem supremum elegerunt, sperantes fore ut gratus Lucensibus & Florentinis vir, utramque gentem a Genuensibus abstraheret. Nec spem fefellit eventus; nam Lucenses & Florentini cum novo duce consentientes, fœdus Genuense neglexerunt. Hæc continuator Caffari. MANSI

*nobiles dicti regni temporibus præteritis dissidentes ex altera, propter quod multa personarum & animarum pericula provenerunt, dicitur esse facta, per hoc corroboretur fortius, & dicti regni tranquillitas procuretur; nos eorumdem Ulphonis & Helenæ in hac parte supplicationibus inclinati, &c.* Dat imperia alicui episcopo, ut ad eorum gratiam, si dicta veritati consentiant, leges canonicas solvat. *Dat. apud Urbemveterem id. februarii anno* III.

XXIV. Dani Suecia pulsi.

Navasse Ulphonem Magno Sueciæ Regi egregiam operam ad Danos e Suecia pellendos, delendosque prælio, dum comessationi & crapulæ in Verendia indulgebant, refert Magnus archiepiscopus Upsalensis (*a*) adeo ut Waldemarus Magni frater, cui Gothiæ sceptrum reservatum vidimus, quique exteros exciverat, victus acie in Daniam profugere sit coactus: qui deinde magno stipatum exercitu Ericum Danorum Regem in Westgothiam allexit, quæ a Danis ferro flammaque est evastata, detrectante Magno certaminis aleam subire. Demum Ericus in regnum reversus, cum fractos impetus videret, fœdus cum Magno Rege Sueciæ redintegrare constituit (*b*), quod iis pactionibus sancitum, ut Magnus debita Erico stipendia, cum Danorum opera Sueciam fratri bello eripuit, persolveret. Ut vero firmiore vinculo id fœdus astringeretur, Birgerus Suecici sceptri heres, & Margarita Erici filia matrimonio conjuncti sunt, Pontifice Romano impedimentum consanguinitatis removente (*c*).

(*a*) *Magn. arch. Upsalon. hist. Goth. l. 20. c. 2.*

Erici cum Magno bella.

(*b*) *Eod. cap.*

Inita inter eos concordia.

(*c*) *To. 1. l. 4. ep. 51.*

*Martinus &c. Dilecto filio nobili viro Birgero, nato charissimi in Christo filii nostri Magni Regis Svveciæ illustris, & dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Margaritæ natæ charissimi in Christo filii nostri Erici illustris Regis Daciæ.*

Conciliata affinitatibus.

*Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod ab olim inter charissimos in Christo filios nostros Magnum tuum, fili Birgere, & Ericum tuum, filia Margarita, patres Svveciæ, & Daciæ Reges illustres, procurante pacis æmulo incentore malorum, graves fuerunt inimicitiæ ac discordiæ suscitatæ, quarum occasione non modica damna rerum, quamplurima personarum, & animarum pericula evenerunt; vosque, ut hujusmodi sedentur inimicitiæ, cessent discordiæ, pericula terminentur, desideratis, cum super præmissis aliud congruum nequeat adhiberi remedium, matrimonialiter invicem copulari: sed quia quarto estis consanguinitatis gradu conjuncti, non potest, impedimento hujusmodi obsistente, vestrum in hac parte desiderium adimpleri. Quare nobis humiliter supplicastis, ut super hoc de opportunæ dispensationis gratia providere misericorditer curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, volentes tantis periculis obviare, vobiscum ut matrimonium invicem, impedimento non obstante prædicto, libere contrahere valeatis, & tandem in contracto licite remanere, auctoritate præsentium dispensamus. Nulli ergo &c. Dat. Perusii* X. *kal. januarii anno* IV. De his nuptiis ad duo regna in concordiam redigenda initis meminit Magnus (*d*).

(*d*) *Magn. l. 20. c. 6.*

In Polonia (*e*) Henricus per antiphrasim dictus probus, vir avaritiæ deditus, plura Wratislaviensis cleri bona ac decimas invasit. Ut vero sequenti in eum anno coacta synodus fuerit, inferius dicetur.

(*e*) *Long. hist. Polon. l. 7.*

XXV. Henricus dux Polonæ libertatem ecclesiæ labefactat.

Hoc vero Martinus pro restituenda ecclesiastica libertate in Lusitania egregium studium posuit. Jam illa diu ante labefactata fuerat, atque ideo contentiones maximæ cum Alfonso Dionysii regnantis patre exortæ erant; nonnullaque Clemens IV. ad eas conciliandas concordiæ capita condiderat, ac Gregorius X. alia postea adjecerat: verum recrudescente dissensione, confectæ sunt in publico ordinum conventu quædam concordiæ leges, quarum pleræque antea a Pontificibus Romanis corroboratæ. Supererant tamen adhuc octo articuli ex iis, quos sedi Apostolicæ præsules porrexerant, quos cum emendasset Martinus, ad Dionysium misit, ut ea ab Apostolica sede confirmari flagitaret. Qua de re extant ad Legionensem episcopum datæ literæ (*f*).

Constitutæ concordiæ leges inter clerum & Lusitan. Regem.

(*f*) *To. 1. l. 6. ep. 11.*

*Martinus &c. venerabili fratri episcopo Legionensi, & dilectis filiis decano & archidiacono de Ledesma Salamantin.*

XXVI. Quæ a Clemente & Greg. gesta pro cleri libertate tuenda.

*Ex parte venerabilium fratrum nostrorum archiepiscopi Bracharensis, & episcoporum regni Portugalliæ fuit propositum coram nobis, quod nonnulli ex ipsis una cum prædecessoribus aliorum contra quondam Alfonsum Portugalliæ Regem super injuriis & gravaminibus, quæ sibi, ecclesiis, & personis ecclesiasticis in derogationem ecclesiasticæ libertatis; nec non conciliis & habitatoribus regni Portugalliæ per eundem Regem & suos irrogata & irrogari dicebant, coram felicis recordationis Clemente quondam, & postmodum coram recolendæ memoriæ Gregorio summis Pontificibus prædecessoribus nostris tam illos quam nonnullos alios articulos obtulerunt; super quibus eundem Regem, ut injurias & gravamina, quæ seriatim exprimuntur in illis, jam eis illata corrigeret, & in futurum a similibus abstineret, per varias apostolicas sub certa forma literas obtinuere moneri: & demum idem prædecessor Gregorius, reputans præmissis super hoc monitionibus paritum non fuisse, super prædictis quandam provisionem sive ordinationem de fratrum suorum consilio edidit, diversarum pœnarum & sententiarum excommunicationis & interdicti adjectione vallatam, eamque tam ab ipso Rege, quam ab ejus successoribus in regno prædicto statuit, & decrevit in perpetuum observandam.*



XXVII. Quam ob causam Lusitania ecclesiastico interdicto supposita.

*Et quia nec dictus Rex eam observaverat, nec Dionysius Rex Portugalliæ ipsius Alfonsi filius & in regno prædicto successor observare curabat, idem regnum, quod per eosdem prælatos dudum antea ex certis causis fuerat interdictum, per eandem præfati prædecessoris Gregorii provisionem sive ordinationem ecclesiastico interdicto subjectum extitit & existit; & præfatus Rex Dionysius excommunicationis sententia innodatus, non absque gravi animarum periculo, quæ proinde jam diutius divinorum sacramentorum sunt participatione privatæ. Propter quod archiepiscopo & aliquibus ex prælatis aliis supradictis cum eodem Rege Dionysio convenientibus ad pacis & concordiæ inter se tractatum habendum, præfati articuli dicto Regi Dionysio in sua generali curia quampluribus religiosis, baronibus, militibus, & nonnullis de communitatibus regni ejusdem, ad hoc in eadem curia congregatis, exhibiti & coram eo lecti plene, plane, & diligenter expositi extiterunt; idemque Rex Dionysius, de consensu & auctoritate ipsius curiæ & consiliariorum suorum, ad eosdem articulos singulariter libera & spontanea voluntate respondit archiepiscopo & prælatis eisdem, acceptando responsiones ipsius, si super hoc Apostolicæ sedis interveniret assensus. Memoratis itaque prælatis & Rege Dionysio petentibus, per nos hujusmodi tractatum sive compositionem inter eos habitam confirmari, & firmari taliter, quod robur perpetuum obtineret; nos responsiones prædictas discussimus, & invenimus nonnullas ex eis etsi forsan in pluribus juri consonas, captiosis tamen adjectionibus involutas, quas in formam redigi fecimus juri conformem & omnis captionis expertem, ut et, si petitum fuerit, absque conscientiæ scrupulo, prout expedire videbitur, beneficium confirmationis, accedat: reliquas vero defectivas comperimus, nec juris auctoritate munitas, sed ab omni censura discordes, &c.*

Dionys. Regis cum clero gesta.

In nonnullis abhorrentia ab æquitate.

Eos dare operam jubet, ut Dionysius se æquitati accommodet, ac tum initam a sede Apostolica concordiam confirmatum iri. *Dat. apud Urbemveterem* VIII. *kal. aprilis anno* IV.

XXVIII. (*a*) *Ib. pag. 194. n. 10.*

Extat libellus in Pontificio regesto, (*a*) in quo illatæ ecclesiasticæ rei injuriæ recensentur, atque ad singula pene capita Dionysius negat illatas fuisse & elaboraturum ne post hac inferantur pollicetur: atque ad illius libelli calcem singuli articuli adjecti sunt, quibus a Dionysio hactenus factum satis non fuerit, nimirum detrectare prædiorum regiorum decimas pendere, idque privilegium nonnullis a patre traditum tueri; prohibere ne ecclesiastici ulla prædia emant, emptave, aut parta aliis justis rationibus invadere; eorum animalia aut possessiones emptionis specie, non soluta quarta pretii parte, diripere: ecclesiasticis pecunias e regno extrahentibus, vel ad dandam literis operam Parisiis, vel aulam pontificiam adeundam vectigalia imponere; prædia a morituris pro animarum salute ecclesiis attributa, etiam si libera forent, servitute nova afficere; subditos novis vectigalibus mulctare. Ad quæ singula in regio senatu servato judiciorum ordine a Rege Dionysio responderi Pontifex exegit (*b*): tum formam literarum præscripsit (*c*), ex qua Dionysius concordiam a sede Apostolica ratam haberi postulaturus esset. In qua hæc nota digna inseruntur Dionysii Regis nomine.

Quænam illa fuerint.

(*b*) *Superiori ep. 11.*

(*c*) *Ib. p. 198. n. 12.*

XXIX. Præscripta a Pontifice forma, qua inita concordia constabilienda sit.

*Actum est inter nos*, Rex Lusitaniæ Pontificem alloquitur, *& prælatos eosdem, quod postquam hujusmodi nostra & ipsorum compositio fuerit per sedem Apostolicam confirmata & firmata, prout vos decrevereritis, ad perpetuum robur esse firmandam; nos & nostri successores, ac subditi, seu quicumque alii per sæpefatam provisionem seu ordinationem ejusdem prædecessoris vestri domini Gregorii arctari poterant, ad ejus observationem nullatenus teneantur: quare sanctitati vestræ supplicamus humiliter & devote, quatenus compositionem, quam cum eisdem archiepiscopo & prælatis fecimus, & quam articulorum & nostrarum provisionum & responsionum factarum ad ipsos series aperte declarat confirmare, ac firmare modis, viis, ac pœnis, de quibus expedire videritis, dignemini; taliter, quod perpetuum robur obtineat firmitatis decernentes ex tunc nos, successores, & subditos, aliosque prædictos ad observationem sæpefatæ provisionis sive ordinationis ejusdem domini Gregorii non teneri; & circa præfatas sententias interdicti, & excommunicationis, tam per prælatos, quam in non servantes provisionem seu ordinationem eamdem ab Apostolica sede prolatas de vestræ sanctitatis provisione clementi festinum & salutare animabus remedium adhibentes.* Nec Romanæ ecclesiæ jura deperire Martinus passus, qui aliorum præsulum jura tanto studio tuebatur. Demonstrant id ejus literæ tam ad Siffridum cameræ apostolicæ clericum in Anglia agentem, quibus vectigal fiduciario jure debitum exigere jussit; (*d*) tum ad Eduardum Re-

Postulat censum Pontifex ab Eduardo Rege Angl.

(*d*) *To. 2. p. 85.*

Regem, a quo mille marcharum censum lapsorum duorum annorum nomine exegit. Cæterum de Eduardo sacræ in Saracenos expeditionis consilia meditato, iterum recurret oratio, ubi Christianæ rei in Asia status in luce fuerit collocatus.

XXX. Exercuit in oriente divina justitia dignam severitatem in scelestum Christiani nominis persecutorem Mahumetum Can apostatam, quem Mahumetana superstitione Tartaros infecisse vidimus, atque Argon egregie affectus erga divina Persicum sceptrum suscepit; de quo hæc Aytonus narrat (*a*): *Cum fideles Christiani in tanta essent cordis amaritudine positi, quod mori potius quam vivere affectabant, ecce Deus qui sperantes in se nullatenus derelinquit, consolamen transmisit Christianis omnibus: nam quidam frater istius Mahumeti, & quidam ejus nepos nomine Argon fuerunt isti Mahumeto propter mala opera sua contrarii & rebelles, & significaverunt Cobilæ Can majori Imperatori Tartarorum, qualiter iste Mahumetus, antecessorum suorum vestigiis derelictis, effectus fuerat pessimus Saracenus, Tartaros omnes quos poterat inducendo, ut efficerentur etiam Saraceni. Quo audito Can Imperator fuit plurimum perturbatus: unde Mahumeto præcipiendo mandavit, quatenus corrigere se deberet, & a malis operibus abstinere: alioquin procederet contra ipsum. Ipse quidem Mahumetus, mandato Imperatoris intellecto, ira & indignatione fuit repletus: & quia nullus erat, qui auderet suis voluntatibus contraire præter fratrem suum & prædictum nepotem suum Argonum, laboravit tantum diabolicus ille Mahumetus, quod fecit interfici fratrem suum, & de nepote suo Argono intendens facere illud idem, ivit cum exercitu copioso, ut ipsum caperet & teneret. Argon vero qui contra potentiam inimici non poterat belliger apparere, montes petiit, & in quoddam castrum fortissimum introivit. Idem vero iniquitatis filius Mahumetes dictum castrum obsedit, stans circumcirca cum suo exercitu infelici: finaliter vero Argonus se reddidit Mahumeto cum pacis interjectis conditionibus, videlicet quod sibi & suum dominium servaret.*

(*a*) *Ayton. hist. Orien. c. 37. Sanut. l. 3. p. 13. c. 8. Jo. Villan. l. 7. c. 99. S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 4. §. 6.*

XXXI. *Postquam Mahumetus Can tenuit Argonum, tradidit eum conestabulo suo & pluribus aliis magnatibus sub custodia concludendum: & dum reverteretur ad civitatem Taurisii, ubi dimiserat filios & uxores, dedit omnibus in mandatis, quod post ipsum incederent paulatim. Conestabulo vero & quibusdam aliis, in quibus præcipue confidebat, jussit quatenus nepotem suum occiderent, & occulte sibi caput afferrent. His itaque taliter ordinatis, festinanter præcepit eis Mahumetus. Inter illos vero, qui mandatum susceperant tanti sceleris adimplendi, inventus fuit quidam potens vir, quem Abagha nutriverat pater ipsius Argoni: qui pietate motus, armis susceptis, conestabulum Mahumeti, & omnes suos sequaces nocte gladio jugulavit, & Argonum a mortis periculo liberavit, & constituit Argonum rectorem & dominum super omnes: unde alii timore, alii vero amore obedientes fuerunt suis beneplacitis & mandatis. His itaque sic peractis, Argonus cum comitiva suorum fidelium fuit persecutus celeriter Mahumetum; & antequam Taurisium perveniret, personaliter cepit illum, quem captum jussit per medium detruncari. Et sic fuit interfectus canis ille pessimus Mahumetus, inimicus fidei Christianæ, antequam duorum annorum spatium in suo solio compleret.*

XXXII. Syria Saracenorum sævitiæ exposita.

Inde in Perside aliisque ad orientem submotis regionibus aucta est religio: sed in Syria Ægyptiorum & Babyloniorum Saracenorum conatibus in majora quotidie discrimina adducebatur: nec tamen in occidente valida aliqua expeditio comparabatur. Cogebantur quidem decimæ, sed earum partem plerique invadebant; ex quibus Pontifex Lucanos (*b*), Florentinos (*c*), ac Pisanos (*d*) quosdam mercatores ejus sceleris reos ad sedem Apostolicam accersivit; pars alia in suscepto adversus Siculos, Petrum Aragonium, rebellesque Ecclesiæ bello consumebatur, nec principes aliis impliciti, traiicere facile poterant. Rodulphus enim ad stabiliendam in Germania potentiam, ac propagandam in posteros incumbebat; Carolus Siculus in perduelles ducebat: movebat Gallus in Aragonium: Castella intestino bello laborabat: Italia Pisanorum & Genuensium bello suspensa: Pontifex continendis in officio clientibus suis occupatus. Solus Eduardus Anglorum Rex eam gloriam defendendæ Terræ sanctæ præ se ferebat, cui Pontifex gratulatorias hasce literas misit (*e*).

(*b*) *Tom. 2. p. 100.*
(*c*) *Ib. p. 104.*
(*d*) *p. 107.*

Eduardus Angliæ Rex de ea defendenda consilium agitat.

(*e*) *To. 1. l. 4. ep. 41.*

*Charissimo in Christo filio Eduardo Reg. Angliæ illustri.*

XXXIII. Id gratulatur ipsi Pontifex.

*Exultat in Domino Romana mater ecclesia, novum illi canticum concinit, sibique in gratiarum uberes actiones erumpit, quod superni Regis circumfultus auxilio, tamquam reverentiæ filius, Rex catholicus, & princeps devotissimus recognoscens, tenensque recenti memoria ingentium miseriarium angustias, & gravium calamitatum incendia, quibus Terra sancta, prob dolor! indesinenter affligitur; quæve propriis inspexisti oculis, manibus contrectasti, pridem in illis partibus divinis insistendo serviitiis constitutus; te per dilectos filios magistrum G. canonicum Vvellensem, & nobilem virum Eliam regiæ magnitudinis nuncios, quos affectione paterna facieque serena recepimus, voluntarium obtulisti vivificæ crucis signaculum ad tui Redemptoris injurias ulciscendas assumere in Terræ sanctæ subsidium memoratæ.*



*Hæc sunt, fili charissime, quæ de te libenter audimus, quæ de tuis actibus, avidis percepimus auribus. Hi sunt rumores gratissimi votis nostris. Hæc sunt acceptissima nova nobis, quæ tanto potius nostri cordis interiora demulcent, quanto personam regiam sinceriori charitate prosequimur, tuæque salutis augumentum desiderio cupimus ampliore.*

XXXIV. Suscepti operis gloriam exponit.

*O quam salubris est, Rex inclyte, dispositio mentis tuæ! quam bonum, celebreque propositum! quam laudanda intentio! Quid enim commendabilius, quid fructuosius, quid utilius obsequio Jesu Christi, qui pro minimis summa retribuit, pro modicis elargitur amplissima, pro terrenis æterna compensat? Nos itaque hujusmodi oblationem regiam, tibi divinitus inspiratam, multipliciter in Domino commendantes ac gratam habentes quamplurimum & acceptam; ac intendentes te in prosecutione illius opportunis, prout videbitur, subsidiis adjuvare; celsitudinem regiam rogandam attente duximus & hortandam, in remissione tibi peccaminum suadentes, quatenus humili devotione recogitans, quod Dei Filius pro te, tuæque redemptionis commodo, post multiplices contumelias & terrores, post dira flagella sævaque vulnera, post ignominiosa sputa innumeraque opprobria crucis patibulum pertulit; quod in hac parte salubriter concepisse dignosceris, efficaciter exequaris ad laudem divini nominis, tuæ salutis profectum, & honoris regii memorabile incrementum. Nec mireris, si dicti nuncii moram apud nos ultra tuum & suum forte propositum contraxerunt; nam propter absentiam aliquorum ex fratribus nostris, quos tunc pro certis negotiis miseramus, & propter solemnitates festivitatum proximo præteritarum, circa quas nos vacare decuit; & etiam propter emergentium negotiorum varietates, quæ inevitabiliter nos urgebant, prædictos nuncios commode nequivimus citius expedire: & sic eos mansuetudine regia merito habere poteris excusatos. Datum apud Urbemveterem VII. kalen. junii pontificatus nostri anno IV.*

XXXV. Præclara adeo tuendæ Terræ sanctæ consilia demum evanuere: cum enim petita nonnulla graviora exigeret, quæ Romani Pontifices expungerent, illeque iis obtinendis instaret, nullum Syriæ auxilium attulit. Quæ vero ea fuerint postulata, quidve iis responsum, ex sequentibus (*a*) constabit.

(*a*) Ep. 40.

*Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri salutem, &c.*

Missi ea de causa ad Pont. oratores ab Eduardo.

*Venientes ad nos diebus istis præteritis dilecti filii magister G. canonicus Vvellensis, & nobilis vir Elias nuncii tui, nobis ex parte tua quasdam petitiones regias præsentarunt. Nos autem circa petitiones easdem nostra studia convertentes, illas cum fratribus nostris examinavimus diligenter, ut nostri tuis corresponderent affectus, & tandem super iis deliberatione præhabita, responsiones nostras ad petiones hujusmodi tenore tibi præsentium nunciamus, tam petitiones, quam responsiones prædictas præsentibus inseri facientes, quarum tenores tales sunt.*

XXXVI. Petitæ ab Eduardo Angliæ Wall. Hibern. Scot. Vasc. & Pontin. decimæ.

*Prima petitio tua. Quod concedatur tibi tota decima nunc collecta in regnis Angliæ, & Scotiæ, & in omnibus terris tuis, videlicet in Ibernia, Vvalia, Vvasconia, & Pontivo.*

*Responsio. Tibi signum crucis infra festum natalis Domini proximo futurum in Terræ sanctæ subsidium solemniter assumenti, & publice deferenti concedimus decimam collectam in Regno Angliæ, Iberniæ, & Vvalliæ & etiam in regno Scotiæ, ita si ad id charissimi in Christo filii nostri Regis Scotiæ consensus accedat. In quo casu de decima ipsius regni Scotiæ tenearis magnatibus ejusdem regni transfretare volentibus juxta provisionem sedis Apost. subvenire. Hujusmodi autem decima tibi assignabitur per biennium ante terminum ad passagium per sedem Apostolicam præfigendum. In Vvasconia vero & Pontivo decima eadem concedi non potest, quia charissimo in Christo filio nostro Regi Franciæ illustri secundum ordinationem Lugdunensis concilii est concessa.*

Angliæ, Hiberniæ, & Vvall. concessæ. Et Scotiæ ea lege si Scot. Rex assenserit. Vasconiæ & Pontini negat Martinus, cum Regi Franc. fuerint attributæ.

*Secunda petitio. Quod Romanus Pontifex mittat ad partes prædictas aliquem, de quo confidat, qui possit inquirere, an decima sit rite & tempore suo soluta; & an collectores aliquos mulctaverint pro decima nullo modo, seu suo tempore non soluta; vel si collectores sub alio quocumque colore pecuniam receperint, & in usus suos converterint, & quod hujusmodi mulctæ, & pecuniæ sic recepta tibi similiter assignentur.*

XXXVII Secundum postulatum, ut vir magnæ fidei ad exigendas a collectoribus rationes mittatur. Annuit illi Pontifex.

*Responsio. Mittetur aliquis, de quo tu possis, & debeas confidere, cui per te ac per tuos assistere poteris in commissis, cum ab eo extiteris requisitus qui inquiret, an decima fuerit debite ac rite soluta, & quod per inquisitionem hujusmodi inveniri poterit & haberi, assignabitur tibi eo modo, ut decima supradicta. De mulctis vero & pecunia per collectores male recepta quod petitur, non potest decenter admitti: cum enim collectores ad id non habuerint potestatem, constat eas extortas fuisse illicite: sed qui eas extorserunt, puniendi sunt, & pecuniam ju-*

*xta ordinationem ipsius sedis illis, a quibus extorta fuerat, est reddenda.*

XXXVIII *Tertia petitio. Item quod illi nuncio sic mittendo possis aliquem de tuis adjungere, ita quod illi duo auctoritate apostolica possint inquirere & exequi supradicta.*

Negat regium administrum illi adjungendum. *Responsio. Ista non conceditur, quia nulli invenitur esse cencessa. Immo licet aliquando petita fuerit, tamen fuit ex causis rationabilibus denegata tempore concilii Lugdunensis.*

XXXIX. *Quarta petitio. Item petis decimam secundum verum, valorem in prædictis regnis & terris ad quinquennium pro Terræ sanctæ subsidio tibi dari.*

*Responsio. Tibi signum crucis infra festum natalis Domini proximo futurum in Terræ sanctæ subsidium solemniter assumenti & publice deferenti concedimus decimam in Anglia, Vuallia, & Ibernia per tres annos competenti tempore, prout videbitur, colligendam, & assignandam per biennium ante dictum terminum ad passagium præfigendum.*

XL. *Quinta petitio. Item petis omnia, & singula ad Terræ sanctæ subsidium in Lugdunensi concilio assignata tibi solemniter assignari.*

*Responsio. Fiet juxta ordinationem sedis Apostolicæ, quod in ista petitione continetur, in terris illis, in quibus decima concedetur.*

XLI. De redemptionibus votorum. *Sexta petitio. Item ea, quæ de redemptionibus votorum proveniunt legata indistincte relicta, legata specialiter in Terræ sanctæ subsidium, & bona intestatorum ad tampium negotium prosequendum petis tibi de benignitate apostolica assignari.*

*Responsio. Tibi, signum crucis infra festum natalis Domini proximo futurum in Terræ sanctæ subsidium solemniter assumenti & publice deferenti, concedimus in terris illis, in quibus & decimam, redemptiones votorum Terræ sanctæ, & legata in subsidium Terræ sanctæ indistincte relicta; bona vero intestatorum concedi non possunt, quia bona illa de jure ad alium debent devolvi, & nunquam invenitur hoc fuisse concessum.*

XLII. Sacerdotiorum vacantium annui primi fructus ab eo petiti denegantur. *Septima petitio. Item petis primos fructus beneficiorum vacantium in prædictis regnis & terris ad decennium tibi dari beneficiorum cum cura, rectoribus ad sustentationem eorum portione congrua per locorum ordinarios primitus assignata.*

*Responsio. Hæc petitio non conceditur, nec ulli adhuc principi, etiam in Terræ sanctæ subsidium, est concessa.*

XLIII. De tempore expeditionis. *Octava petitio. Quod prædictis petitionibus exauditis, tu signum vivificæ crucis assumes, ita quod citra quinquennium ad arripiendum iter versus Terram sanctam nequaquam arcteris; nec iter hujusmodi ultra quinquennium nimium fortassis donec senueris differatur.*

*Responsio. Placet quod infra quinquennium ad iter arripiendum nequaquam arcteris, nec ultra prædictum quinquennium cogaris adeo id differre, quod ad negotium prosequendum inhabilis habearis.*

Denuntiat Pont. si iter non susceperit decimas ac sedem Apost. devolvendas. *Scire quoque te volumus, quod si in præmissis assumptione, delatione, & insuper voti crucis prosecutione, juxta dictæ sedis arbitrium te deficere forte contigerit, intendimus quod dispositio prædictorum omnium ad Romanam ecclesiam devolvatur; & apud eam remaneat libere, ac si factæ per nos responsiones seu concessiones hujusmodi non fuissent. Dat. apud Urbemveterem* VII. *kal. junii pontificatus nostri anno* IV.

XLIV. Beccus patriarch. Const. cathol dignitate abit. Quod ad Græcorum res attinet, Andronico schismaticorum fautore rerum potito, Beccus (*a*) patriarcha catholicus, ut schismaticorum furori se subduceret, ad monasterium confugit: cui Josephus ætate gravis suffectus est. Sed mox schismatici in varias inter se sectas discissi, cum plures ob Arsenii schismatici recentem memoriam, a quo Josepho sacris interdictum dicebant, ab eo dissiderent; unde sedem relinquere coactus paulo post obiit. [1]

(*a*) Nic. Greg. l. 6. Josephus illi suffectus.

Cæ-

NOTÆ [1] Quæ hic in Annalibus, leguntur de amoto e sede Patriarchali Becco, & Josepho restituto loco non suo relata sunt; nam Beccus die 26. Decembris anni 1282. dejectus abscessit. Mensem & diem prodit Pachymeres in vita Andronici lib. I. cap. 4. annus vero eruitur e cathalogo MS. Bibliothecæ collegii Claramontani, quo usus fuit Labbeus; in eo enim præfuisse scribitur annis septem, qui ex anno 1275. deducti annum 1282. reddunt. Debemus hæc V. Cl. Anselmo Bandurio in Comment. ad Antiquit. CP. lib. VIII. pag. 645. edict. Ven.

Josephus rediit die ultima Decembris ejusdem anni teste Pachymere ibid. cap. V. Non diu tamen sacris præfuit; nam post menses quatuor vita & dignitate excessit, ut ex cathalogo Nicephori Callisti ab eodem Bandurio vulgato antiquit. CP. lib. VIII. discimus. At si Pachymerem sequi libeat, ejus vita nonnisi ad Martium ineuntem produci potest. Hunc enim mensem emortualem assignat idem Pachymeres cap. XIII. Cui suffragatur Codex MS. Regis Galliæ sub num. 3502. duos tantummodo dignitatis menses illi attribuens apud Boivin in Not. ad lib. VI. Gregoræ. Forte tamen conciliari diffidia hæc possunt, si reputaverimus dignitatem nonnisi ad duos circiter menses illum retinuisse, eaque dimissa ad alios duos menses vitam prorogasse.

Successit huic Gregorius Cyprius, qui, ut Pachymeres docet lib. I. cap. XIII. consecratur die Palmarum, quæ sane dies anno 1283. in diem 11. Aprilis incidit.

Cæte-



Cedere coacto subrogatur Georgius Cyprius. Cæterum tanta inter Arsenii & Josephi sequaces exarsit contentio, ut cum illi dirimendæ nullus judex par esse posse videretur, deliberarint adversæ partes Atramyttii in ignem libellos conijcere, ut eorum causa superior censeretur, quorum ribellus flammarum vi non absumeretur. Sed post multas tota nocte fusas preces, accenso in medio templo igne, libellos causæ suæ magno religionis supercilio, suspensis rei expectatione astantibus, in flammas conjecerunt: qui mox in cineres redacti, religionem in risum converterunt. Ita delusi schismatici, dum Numen ut miracula ederet solicitarunt, quæ profecto extra catholicam Ecclesiam expectari nequeunt. Frustra igitur schismatici a Deo flagitabant, ut impiæ causæ patrocinaretur, cum nec Arsenius nec Josephus, sed Beccus catholicus verus patriarcha Constantinopolitanus esset, quem merito colere debuissent; eo vero repudiato, intrusus est Georgius Cyprius, qui instituta monastica professus Gregorii nomen sibi indidit, insignis impostor, qui cum antea, dum Palæologus Imperator ad ecclesiæ orientalis cum Romana ineundam conjunctionem contentis studiis incumberet, magno ardore ad schismaticos ad Romanæ ecclesiæ obsequium traducendos desudavit (*a*): conversis vero rebus, ubi Andronicum evertendæ fidei orthodoxæ operam dare vidit, invadendi patriarchatus insana cupidine percitus infensissimum Romanæ ecclesiæ hostem se professus est, quamvis in Latino ritu educatus fuisset. Qua de causa Joannem Beccum patriarcham catholicum, injuria throno deturbatum, querelis hisce Græcos lacessivisse refert Georgius Pachymerius (*b*): *Quid passi, dicebat Beccus, me apud Græcos & ex Græcis natum & adultum frequentibus onustum maledicentiis fugitis: virum vero apud Italos & natum & adultum, præterea que ipso habitu & lingua in Græcos intrusum non sine laude accipitis?* Cum æquitatem causæ perspicuis argumentis probaret Beccus, ne sine causa exauctoratus videretur, Andronico & aliis impiis nefariam pseudosynodum contra Lugdunense concilium œcumenicum congregandam visum est, in qua piè in illo promulgata de processione Spiritus sancti ex Patre Filioque damnata sunt, ut dicemus inferius. Quæ vero hominum colluvies foret, quibusve stimulis ad tantum facinus inflammata, ex auctore schismatico (*c*) audiamus. *Omnes*, inquit, *ii, qui studium religionis simulabant, metropeles & cæteras dignitates partim jam partiti, partim partituri abrogationem pontificum & clericorum omnium, qui Michaeli Imperatori assensi fuissent, in universum inclementer decreverunt, fortunæ non moderate, nec humaniter usi. Nam cum plerique ex circumforanea & male educata & contumaci turba essent, quibus paulo ante ne vultum quidem Imperatoris intueri licuisset, nunc vero benignissime ab illa accepti essent, suæ conditionis obliti sunt, ab ebriis nihil differentes. Nam potestate ab Imperatore accepta, quippe qui eis propter ardentem uniendæ ecclesiæ, hoc est utriusque schismaticorum sectæ, cupiditatem nihil non concederet, plane securi jam eos omnes, contra quos infame illud suffragium laturi erant, velut oves in magnum Blachernium templum congregarunt. Qui cum supplicibus & verbis & gestibus commi-*

Schismatici Deum tentantes illusi.

Georgius Cyprius monastico habitu indutus Gregorii nomen accepit.

(*a*) Niceph. Gregor. l. 5.

Impietate ad patriarchatum irrepit.

(*b*) Georg. Pachym. hist. Græcor. l. 7. interpr. Leone Allat.

Becci patriarch. de eo querelæ.

Coacta ea de causa pseudosynodus.

(*c*) Niceph. Greg. l. 6.

XLV. Insana eorum ambitio, qui schisma renovarunt.

Ut ab impio Andronico suffulti fuerint.



sera-

NOTÆ Cæterum Annalista hic geminas Græcorum Synodos miscet atque confundit. Duplex enim acta Synodus est in causa Becci; altera quidem ut Patriarchatu jam exauthoratus damnaretur, in qua unio Græcorum cum Latinis discissa fuit; atque hanc habitam anno 1282. ante Martium mensem ex eo constat, quod sub Josepho convenit. Altera vero indicta cum Gregorius Cyprius Josepho jam defuncto substitutus fuit; & ad eam pertinent ea omnia, quæ §. 45. 46. 47. ab Annalista ex Pachymere referuntur. Stare in ea jussus est Beccus non ut patriarcha ad definiendum, sed ut reus ad causam dicendam. Disseruit ille de processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, & ita disseruit, ut adducto S. Joannis Damasceni perspicuo testimonio adversarios suos ad incitas redigeret. De anno hujus concilii nihil certi affirmari potest, cum a Pachymere sileatur. P. Possinus in observationibus Pachymer. lib. III. cap. II. ex serie rerum, quæ ante concilium illud a Pachymere narrantur, deducit non ante annum Christi 1284. circa mensem Majum Juniumve haberi potuisse. Huic sententiæ defectu melioris probationis acquiescendum censeo.

Præter has Synodos alia pariter Constantinopoli convenit præside Gregorio Cyprio Patriarcha, & Athanasio Sardiensi Episcopo. In ea vero judicium institutum fuit de iis qui unionem Græcorum cum Latinis promoverant. De hac Synodo legendus Pachymeres lib. I. cap. XVII. qui cepisse illam ait altera post Resurrectionem Dominicam, die, sed annum non designat. Possinus annum 1283. ex conjecturis assignat; nihil certi. Hanc Synodum, quam vel ipse Patriarcha schismaticus conciliabulum scelestorum appellare non dubitavit, Labbeus cæterique Collectores in censum non retulerunt: causam ignoro.

Quoad Becci obitum Possinus contigisse censet anno 1298. sed incertis ducitur conjecturis. Certior est Gregorii Patriarchæ depositio, quam in mensem Junium anni 1289. refert Bandurius in Commentar. ad Antiquit. CP. Lib. II. pag. 649. edit. Venet. persuasus authoritate cathalogi Patriarcharum a Nicephoro Callisto digesti, in quo sedisse, sex annis legitur. MANSI

*ferationem elicere studerent, & similia veterum humanitatis exempla cum alia, tum duplicis illius iconomachiæ proferrent, quod illi, cum gravius deliquissent, humanos eos experti essent, qui orthodoxam sententiam defendissent, & suum cuique locum retinuissent, ab immanitate decreti sui non recedendum putaverunt. Sed omnem clementiam, omnem misericordiam improbitatis fluctus in maris Athlantici fundum dejecerunt; tanta invidia in sacro illo cœtu, tantaque acerbitas initio statim præclaræ illius concordiæ grassabatur. Quis autem adeo durus est & animo adamantino, ut contumeliam illam & maximam inhumanitatem referre queat, qua contra miseros episcopos & sacerdotes usi sunt? Nam post verborum convicia præsides inferioribus imperabant, ut direptos illis pileos humi abiicerent, ter acclamantes: Indignus est; aliis vero aliorum vestes exuere, easque a fimbria inversas ad caput applicare, atque iterum ter acclamare juberent: indignus est. Deinde, alapis impactis, tanquam sicarios vi extrudere sacro loco. At humanus Jesus & Servator etiam latronem admisit, & proditoris pœnitentiam, modo ipse voluisset, desideravit & expectavit. Proinde sero illi quidem, sed justas tamen pœnas luerunt: neque enim novorum istorum legislatorum ullus in sua dignitate decessit: sed turpissime suis pulsi sedibus, ut postea dicemus, præ animi ægritudine vitam abruperunt.*

Eorundem protervia.

Sumpta de illis divinitus ultio.

XLVI. Quantum fuerint meditati flagitium.

Spectabant eo impiorum consilia, ut hæ rite crimen peregisse viderentur, obtensa judiciorum specie Romanam ecclesiam, & orientales omnes, qui cum ea recte de processione Spiritus sancti sentiebant, damnarent: adductique in judicium reorum instar fuere egregii confessores Beccus patriarcha, & Meleteniota & Metochita archidiaconi, a quibus pseudopatriarcham orthodoxi dogmatis rationem exegisse, compellato Becco, quidve ab iis responsum, refert hisce verbis Pachymerius (*a*): *Cum resumpsisset sermonem patriarcha Gregorius: Quidnam illud est, ait, quod opinantur, qui circa te sunt? Namque erant cum eo, qui multo ante archidiaconi munere fungebantur Constantinus Meleteniota, & Metochita Georgius archidiaconi. Tum illi: Si sincere theologiam addiscere cupis, & opinionem, quam & corde tenemus & ore profitemur, hæc est quam quilibet, nec a theologia aberrant tenet; in eaque nos ad extremum usque spiritum persistemus. Quod si eam quoque quæ patrum est exposcis, nullo modo fidei symbolo adversariam; sed explicationem & declarationem potius eorum, quæ in symbolo sunt, profitemur. Invenimus in sacris literis Spiritum sanctum exhiberi, dari, mitti, provenire eum ex Patre per Filium; in nonnullis etiam patribus habetur procedere. Ait vero & magnus Damascenus Joannes: Et productor per Verbum Spiritus, agnoscimus autem idem esse & productorem & causam.* Is Græcorum mos est, ut causæ nomine vice principii utantur. Et infra: *Patrem causam per Filium Spiritus dicimus, cum productor in locum causæ accipiatur.* Beccum pariter, adductis similitudinibus lucis e radio & sole emanantis, ac fluminis e rivo & fonte derivati, processionem Spiritus sancti explicari declarasse, narrat memoratus auctor. Nec prætermittendum visum est, editum aureum opusculum (de quo alias mentio insinuata est) a Joanne Becco, quo ex dictis sanctorum patrum lectissimis processio Spiritus sancti e Patre & Filio confirmatur: quod e Vaticano MS. Petrus Arcudius Corcyræus in Latinum sermonem convertit (*b*), atque aliquot ante annis typis Romæ cusum est (*c*). In quas patrum sententias a Joanne Becco collectas cum Gregorius Palamas schismaticus (quem ab eodem Becco impietatis convictum in memorata pseudosynodo non negat Georgius (*d*) Pachymerius) venenatos commentarios conscripsisset, Bessarion (*e*) Cardinalis, suscepta Becci & fidei causa illos pie & erudite confutavit: cujus præclarum opus memorato Arcudio interprete donatum Latinitate evulgatum est: sed ad institutam orationem revertamur.

Producti reorum instar fidei defensores.

(*a*) Georg. Pach. hist. Græcor. l. 7. interp. Leone Allat. l. 2. c. 2. de perp. consens.

Meleteniotes & Metochita illam profitentur.

(*b*) Ib. p. 99.

(*c*) Inscriptum est, Opuscula aurea theologica posteriorum Græcorum.

(*d*) Georg. Pachym. sup. l. 7.

(*e*) Ext. illius opusc. inter alia Græc. sub opusc. 5. Arcudio interpret.

Cum respuerent veritatis catholicæ lucem admittere schismatici, & Beccum urgerent, ut concordiæ, bello quovis funestioris, studio cum ipsis sentiret, hæc respondit: *Quemadmodum vultis, cum ipse pacem æque ac vos peroptem, simplici ac minime curioso sermone sententiam feram. Nos itaque dicta hæc patrum tempore id poscente comperientes, ut tutis ac rectæ fidei consonis animum advertimus, & eum, qui Spiritum sanctum ex Patre procedere confitetur, exosculati sumus, & nunc exosculamur: quippe ea Salvatoris verba sunt & synodi, nosque quotidie ita confitemur. Præterea eum quoque qui Spiritum ex Patre per Filium procedere dicit, ut est Septima universalis synodus, quæ ita sentit excipimus. Eum porro, qui patrum dicta in pretio, & dignitate non habet, audaciæ condemnamus.* Et infra: *Quare quod a me poscitis, & me & hos, qui una mecum sunt, cogitis patrum dogma tam antiquum & a multis dicto comprobatum reticere, & de his vos curam habere dicitis, non mihi videtur rationi consonum: namque angor timeoque ne a recto deerrem.*

XLVII. Negat sectandam pacem, quæ bellum Deo inferat.

Addunt schismaticorum acta, ipsum ad dogma orthodoxum damnandum assensisse. Sed auctorem schismaticum pietatis odio id confessori egregio probrum impegisse ex Joanne Chamata constat, (*a*) cum is testetur Beccum ac socios vinculis a schismaticis mancipatos, dum pietatem constantissime profitebantur. *Tomum a Cyprio patriarchatum obtinente, & orientalis ecclesiæ habenas præter jus omne moderante, cum suis sequacibus adversus occidentalem ecclesiam dominationem ambiente compositum, cui impio, iniquo ac pessimo tomo prior orientalis ecclesiæ Pontifex,* Beccus nimirum patriarcha, *& ejusdem magnæ ecclesiæ magnus chartophylax, & dictus diaconus Metochita, quod tomus ille in derisionem ecclesiarum expositus maligne fuerat, nolentes subscribere, carceribus traduntur.* Is tomus mihi a doctissimo viro Jacobo Sirmondo theologo Societatis Jesu, qui summa Cardinali Baronio amicitia conjunctus fuit, eique plura ad locupletandos Annales suppeditavit, Parisiis transmissus est; in quo anathema ab impiis jactum in eos, qui Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere senserint, Patrem, & Filium unum esse principium Spiritus sancti, contenderint Spiritum sanctum procedere ex Patre per Filium idem sonare, ac procedere ex Patre Filioque; vel sacrosanctæ Romanæ adhæserint Ecclesiæ. Contra hæc venena addimus Joannem Beccum inter collectanea sanctorum patrum dicta egregio capitulo probasse (*b*) Basilii Magni, Cyrilli, & Athanasii testimoniis in quæstione processionis Spiritus sancti prepositiones, *Per* & *Ex* æquipollentes esse; quam veritatem cum Gregorius Palamas argutiis obscurare ausus esset, Bessarionem Cardinalem alliciendorum ad fidem Græcorum cupidum docto opusculo illustrasse: sed ad Joannem Chamatam redimus, qui edita nefariæ synodi actorum & Metochitæ mentione addit (*c*): *Propterea hic Metochita diaconus, cum pessime in custodia tractaretur, ad comprobationem veritatis volumen hoc,* nimirum de causis, ob quas Græci se Romana ecclesia divulserunt, *quam optime conscripsit, & male ab illis tradita & constituta artificiose sapienterque refutavit, primumque reliquorum omnium Pontificem occidentalis ecclesiæ præsulem ostendit, & auctoritate divinorum ac sanctorum, qui præcesserant, patrum demonstravit divinum & sanctissimum Spiritum ex Patre & ex Filio procedere: nec ideo esse duas causas, nec duo principia; sed unum & idem, &c.*

Schismaticorum nugæ ad pervertendos orthodoxos.

(*a*) Jo. Chan. Leon. Allat. interp. l. 2. de perpet. consens. c. 15.

Beccus & socii ob veritatem fidei carceri traditi.

(*b*) Ext. inter opusc. posteriorum Græc. pag. 221.

(*c*) Ib. p. 5.

Eadem Pachymerius negare non audet, (*d*) & quamvis Ecclesiæ catholicæ hostis fatetur, illum nullis terroribus frangi, nullis blanditiis ait ab Andronico emolliri potuisse: *Illos itaque tunc*, Beccum nimirum, Meleteniotem & Metochitam, *dissoluta synodo Cosmidii monasterium habuit convenientibus carceribus custodiisque circummunitos. Ad eos mittens Imperator, ut quiescerent hortabatur, & causæ suæ juribus neglectis, ut libitum foret vitam traducerent, sua præmuniti benevolentia: sin minus, exilia ipsis minabatur, & malis atque ærumnis affligendos: neque enim fieri posse, ut aliter, quam statutum esset, fieret: eos autem turpitudine atque infamia notatos vitam perdere, nisi resipiscentes pacem amplecterentur. Hæc Imperatore sæpius denunciante, & bona promittente, illi neque tristium metu territi sunt, neque bonorum promissionibus deliniti; quin utrique vires assumentes, promptos se exhibebant ad omne id, quod Imperatori placuisset: libentius enim omnia se passuros, quam cum ita condemnantibus fœdus inituros. Porro magis ac magis in eos concitabatur Imperator, omnino pertinaces & obstinatos,* pertinaciam ac pervicaciam appellat auctor schismaticus catholicæ fidei athletarum invictam constantiam. *Cum itaque nihil illi reliquum esset, quo delinire eorum animos posset, tandem exiliis agendum esse duxit: sicque ad arcem S. Gregorii in Astaceno sinu navigantii dextra sitam jubet navigio impositos abduci, ibique clausos commissosque Celtis custodibus, & nescio cui ex procitonibus Imperatoris, relinqui rebus necessariis destitutos.*

(*d*) Georg. Pachym. l. 7. interpr. Leon. Allat. in l. 2. de perp. consension. c. 15.

Ad minas promissave Andronici infracti.

XLIX. Exilium & vincula constanter ferunt.

Tulit magna animi constantia patriarcha Beccus vincula, atque ex diuturno carceris squalore moriturus, nuncupato subjecto testamento, contestatus est, se non ob aliam causam, quam ob fidem catholicam professam carceri addictum fuisse. (*e*)

(*e*) Ext. apud Leon. Allat. l. 2. de perp. consens. eccl. Occid. & Orien. c. 15.

*Testamentum Constantinopolitani patriarchæ Joannis.*

Morituri Becci testamentum.

*Multi homines in exilio & carcere vitæ cursum conficiunt: qui licet forte nihil præterea habeant de quo testentur; nihilominus sub testamenti forma facinus abnegant, ob quod in exilium aut carcerem deducti sunt; nihil inde aliud sibi procurantes, sed tantummodo maleficium, cujus causa multi similes pœnas luunt, repellentes. Mihi autem humili & peccatori, deque sede, quam ineffabili Dei judicio obtinueram, pulso, & exiliis & carceribus ad extremum usque spiritum condemnato, tantum abest ut curæ sit, cum miserum inopsque testamentum conficere debeam, ut horum mihi causam facinus abnegem, ut etiam studio id confitear, quod jam extrema necessitate pressus testor, atque confiteor: quemadmodum enim aliis, ad amolitionem dedecoris, facinoris abnegatio plurimum facit, sic mihi ad eundem scopum responsio vertitur.* Innuit his

his verbis obscurioribus Beccus, sibi propulsandam infamiam immo ingens colligendum decus, si causas, ob quas a schismaticis conjectus sit in vincula, nimirum ob constanter professum de processione Spiritus sancti orthodoxum dogma hisce tabulis evulgarit.

L. *Quando enim a Patre per Filium processionem Spiritus sancti a Patre per Filium existentiam sentire & asserere dilectum mihi, pro quo e patriarchico solio depellerer, appictum est, dignumque exilio & carcere, quibus tandem e vita truderer; facinus non detrecto, non inficior ut opprobrium & dedecus non amolior: & si in quoquam infamia dignum censetur, illius ipse infamiæ corona cingi minime recuso. Quomodo enim dedecus pro dogmate recusarem, quod in dedecus ipsius Christi, adversarii nobis appingunt? Etenim si ullum dedecus Christi scriptura enuntiat, hoc ipse nullum aliud esse affirmo. Illi quippe, qui a scripturarum examine angustiantur, coguntur per Filium processionem patrum esse sententiam affirmare; nec recte in processionis homonymia ambulant a scripturis arctati, hypostaticam Patris proprietatem processionem edicentibus, nihilominus tamen ex solo Patre inverecunde nimis existentiam Spiritum habere asserentes, omni necessariæ demonstrationis vi contra ipsam processionem redarguuntur: idem enim est dicere existentiam quam, ut ipsi ajunt, ex solo Patre habet Spiritus sanctus, & instrumentaliter per Filium transire tamquam id, quod consequitur hanc sententiam, & verbis tantum nudis proprium Filii, re tamen vera ab ipso alienum constituere. Cum nulla fuerit ratio, quæ suadere valeat proprium esse Filii, quod ex ipso non est, aut per ipsum propriam existentiam non habet.*

Impia schismaticorum doctrina.

LI. *Hæc itaque duo absurda ac impia, ut verum fatear, dicta instrumentale Patri ministerium Filii in processione Spiritus, & Spiritus ex Filio alienatio necessario demonstrantur ex iis, quæ dicunt qui ex solo Patre Spiritum existentiam habere asserunt, & per Filium processionem secundum scripturarum examinis angustiam cum proprietate processionis inficias ire non valentes, in opprobrium, ut ego dico, Christi ex Patre per Filium processionem prævertunt. Quid enim in Christi opprobrium quispiam iniquius auderet, quam proprium ipsius Spiritum, qui vera ipsius est gloria, ut ipse Patris, ab eo alienare? Et quid in opprobrium Christi excogitari posset immanius, quam ministeriale eundem organum Patris fateri? Plane hæc Ariana sunt. Et ego vitans opprobrium non refugio, licet non nemini dedecus videatur, ex Patre per Filium processionem, ex Patre per Filium existentiam tenere, & palam profiteri. Et hanc confessionem huic meo testamento præfigo. Deinceps vero testor non opes, non divitias, non possessiones, quibus omnibus una cum throno spoliatus sum, propriis alienisque distribuens; sed hæc quæ mihi suppetunt, modica & dejecta ministris, qui in carcere una mecum perstiterunt, quorum unus filii, alius servi loco est, secundum meum elargior judicium. Joannes humilis miseratione divina archiepiscopus Constantinopolitanus, ob verum autem patrum dogma, ex Patre scilicet per Filium processionem Spiritus Sancti exilio carcereque mactatus, hoc meum testamentum propria manu scripsi, subscripsique.*

Impugnata a Becco.

LII. Obiisse imperante Andronico in carcere, ac in eodem sepultum, refert Pachymerius, (*a*) per contemptum, ut ipse interpretatur; vel ne potius egregii Christi confessoris corpus a catholicis meritis honoribus afficeretur. Plures edidit elucubrationes ad fidem catholicam propugnandam, confutandosque schismaticorum errores, quæ a Leone Allatio recensentur. Laxatos dein carcere Meliteniotem & Methochitem; iterumque, cum magna constantia catholicum dogma propugnarent, vinculis constrictos, refert memoratus Pachymerius, (*b*) qui de Meliteniotis morte addit: *Meuse Boedromione nova dominica, qui in carcere erat Meliteniota moritur, in eadem sententia, cui ab initio inhæserat, persistens. Ab ipso Imperatore tantum impetravit, ut ad aliquam inhabitatarum insularum, quæ circa Byzantium sunt, cadaver ejus asportaretur, & sepulturæ daretur: quod & factum est, & ad Platam convehitur, ibique contemptim sepelitur.* At quovis contemptu generose tolerato, ingens sibi gloriæ decus peperit.

(*a*) Pachym. l. 9.

(*b*) Georg. Pachym. l. 13. c. 23. c. 15. Meliteniotis in fidei orthodoxæ professione mors.

LIII. Georgius Cyprius parto scelere patriarchatu motus.

Quod ad Gregorium Cyprium, horum temporum facem & impietatis signiferum attinet; patriarchatu diu potiri non potuit: adductus enim in suspicionem novi dogmatis, cum S. Damasceni sententiam, quæ dogma catholicum constabiliebat, in alienos sensus detorsisset in memorato libello, quo acta impiæ pseudosynodi conscripta sunt, porrecta est inde schismaticis ansa vocandi illius in crimen, ut Pachymerius tradit. Demum Gregorium arcano Dei judicio sede per nefas adepta cedere coactum, atque Andronici odia, cui assentandi studio pietatem omnem ejurarat, contraxisse ex Gregora, (*c*) exploratum est, & Pachymerio (*d*) qui ait: *Gregorius, qui ante patriarcha fuerat, morbo diutino confectus, ut vero nonnulli dicebant quod contemni se videret ex pusillanimitate, non multo post vitam finit, & justa*

(*c*) Greg. l. 6.

(*d*) Pachym. l. 8.



*justa illi, uti par erat, cum canticis fieri concedebant: at ut pontificem, quemadmodum ille opinabatur pontificatum sibi vendicant, sæpius Imperator nuncios mittens sepeliri interdicebat; suæque nepti, quæ erat Raulæna, ne quid contra tentaret, mandans jusserat: quod & factum est.* Hæc quamvis pluribus annis discreta, instituta oratione conjungenda fuerunt, ne eadem sæpius repetere cogeremur.

Cumu-

I. CUmulatis Caroli Siciliæ Regis ac Martini sanctissimi Pontificis funeribus, perduellium Siculorum res anno a Christo nato millesimo ducentesimo octuagesimo quinto indictione tertiadecima, auctæ admodum & confirmatæ fuere. Instruendæ hoc anno ineunte classi, adornandoque bellico apparatui operam navabat Carolus, cum ob filium Salernitanum principem tentum in vinculis, Siculorum pertinaciam frequentes proditiones, atque arte militari toties delusum se ab hoste non ferens, ne in rebelles impetus suos effunderet, ægritudine correptus est; quæ cum ingravesceret in dies, porrectas jam ante, dum Burdegalam in Aquitania proficiscebatur, Pontifici preces repetiit (*a*) ut ad removenda firmissima sanctione gravamina omnia, quibus populi attritos se fuisse querebantur, studia apostolica conferret, testamento regni Siculi (modo Romanus Pontifex assentiretur) procuratorem dixit (*b*) Robertum comitem Atrebatensem e fratre nepotem, quem eo munere a Martino IV. una cum legato exornatum dicemus inferius. Cum itaque consuluisset regno, curas omnes ad divina traduxit, ac *receptis*, ut ait Jordanus (*c*), *prius ecclesiasticis sacramentis, & cum fideli invocatione nominis Christi* Fogiæ in Apulia proxima ab Epiphania die e vita migravit (*d*). Tribuit Ptolomæus Lucensis (*e*) ægritudinis, & mortis causam nimio ex adversis concepto dolori.

Carolus Rex in Siculi belli apparatu moritur.

(*a*) Mart. l. 4. ep. cur. 23.

(*b*) Ib. ep. 24.

(*c*) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960. Summont. hist. Neap. l. 3. & alii.

(*d*) Chron. Suess. MS.

(*e*) Ptol. Luc. l. 24. c. 11.

II. Cæterum tradit Joannes Villanus (*f*) illum maximo pietatis sensu delibutum, cum ad se sacra Eucharistia allata esset, in hæc verba prorupisse: *Credo Domine te meum servatorem esse, utque miserearis animæ meæ supplex deposco.* His consonat S. Antoninus, qui illius corpus traditum Neapoli sepulturæ addit: *Ad extrema*, inquit, *deductus, cum* (*g*) *magna devotione sumptis ecclesiasticis sacramentis septimo januarii Deo reddidit spiritum, cujus corpus delatum Neapolim honorifice sepultum est in ecclesia archiepiscopali.* Quibus consentit chronicon Suessanum (*h*): *De mense januarii venit apud Fogiam; die vero septima dicti mensis MCCLXXXV. dictus Rex Carolus obiit apud Fogiam, qui regnavit in regno Siciliæ* XIX. *annis: cujus corpus translatum fuit intus majorem ecclesiam Neapolitanam die* XXIII. *ejusdem mensis, existente ibidem domino Girardo de Parma Sabinensi episcopo A. S. L. cum pluribus prælatis regni ad ipsius exequium faciendum.* Addimus Caroli elogium a S. Antonino (*i*) illi ex Leonardo Aretino (*k*) datum: *Valde strenuus fuit hic Carolus in armis, & egregius; longe tamen belli artibus quam pacis insignior: res quidem a se præclare armis gestas impunita suorum licentia in pace fœdavit, atque nimio despectu ad rebellionem coegit. Duabus præcipue in Italia victoriis est auctus, scilicet contra Manfredum & Conradinum; sed utrasque secutæ rebelliones minus lætas esse permiserunt.* Dissipatam mox post ejus mortem ingentem illam classem, quam Carolus ad recuperandam Siciliæ insulam compararat, refert Ptolemæus Lucensis (*l*): *Mortuo Carolo omnia navigia sunt dispersa: legatus autem se ibidem firmat ad firmamentum regni. Insuper & Rex Franciæ cum militia comitem Atrebatensem illuc transmittit ad defensionem patriæ. Interim vero princeps Salernitanus, hoc est filius Regis Caroli, qui & postea Rex Carolus dictus est, in Cataloniam vinctus deducitur, & in quodam detinetur castro.*

Pia illius mors.

(*f*) Jo. Vill. l. 7. c. 94.

(*g*) Anton. 3. p. tit. 20. c. 4. §. 9.

(*h*) Chron. Suessan. MS.

(*i*) Antonin. ibid.

(*k*) Leonard. Aret. hist. Flor. l. 3.

(*l*) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 12.

III. Vinctus igitur ab hoste Carolus II. cum paternum sceptrum non posset moderari, Pontifex ad temperandum Siciliæ regnum optimis legibus apostolicam solicitudinem applicuit, ac primum morientis Caroli & Neapolitani regni ordinum precibus impulsus, Sabinensi episcopo munus demandavit (*m*) uti urbium magistratus procerescque moneret, ut mitterent oratores ad Apostolicam sedem, cum quibus optima consilia pro restituendo Guillelmi II. jure, ac tollendis publicis gravaminibus explicaret.

De Caroli studio pro levandis quæ gravaminibus, quæ Siculis illata erant.

(*m*) Mart. l. 4. ep. cur. 23.

*Venerabili fratri episcopo Sabinensi A. S. L.*

*Ad statum regni Siciliæ reformandum a longis retro temporibus Romanæ matris Ecclesiæ, non absque innumeris sumptibus, immensis laboribus, gravibusque dispendiis, pia laboravit affectio. Sed & nunc eo fervet ardentius, quo nostris in hoc & ejusdem ecclesiæ desideriis anxiis, & claræ memoriæ Caroli Siciliæ Regis, & sui primogeniti vota multimodis insinuata concurrunt, & incolarum dicti regni, Siculis & aliis perpaucis exceptis, sincera devotio & laudanda fidelitas memorati Regis heredibus post ejus obitum (sicut lætanter audivimus, & valde nimirum acceptum habuimus, & ex totis præcordiis non immerito acceptamus) laudabiliter & evidenter exhibita nos adeo provocat, adeo stimulis gratis proculdubio & acceptis instigat, ut una cum nostris fratribus concordi & intenso feramur affectu celeriter in præmissis eorum justa desi-*



*desideria satiare. Præfatus siquidem Rex, non solum in itinere dudum constitutus eundi Burdegalam per suas patentes sub certa forma literas super directione, ordinatione, vel reformatione, seu quacunque alia dispositione quorumcumque gravaminum dicti Regis, ecclesiarum, universitatum, & singularum personarum ipsius nobis, nostræque directioni, reformationi, dispositioni, ac ordinationi plene & libere, alte & basse, submisit; verum etiam nuper sanus mente, licet infirmitatis gravatus incommodis, quæ ipsum, prout ei placuit, qui aufert spiritum principum, infra paucos dies ab hac luce subtraxit, prædictas suas literas per alias patentes (quod irrevocabilem & immutabilem suæ in hoc voluntatis soliditatem probat) apertius confirmavit in eisdem literis hujusmodi confirmationis; adiiciens, quod ipsis nequaquam obstaret, si cum humana fragilitate laborantem naturalis forte solutione debiti contingeret præveniri. Omnia enim quæ facienda, mandanda, ordinanda, determinanda, declaranda, & statuenda duxerimus de præmissis per heredes suos in perpetuum voluit, & in eisdem confirmationis literas mandavit, ac statuit inviolabiliter observari.*

Ut Burdegalam iturus Pontificio arbitrio rem universam commisit.

Porrexerit easdem preces in extremo vitæ periculo.

IV. *Dictus quoque promogenitus, voluntatis aut verborum in hoc terminis non contentus, ad quædam statuta, ut dicitur, ob ejusdem regni gravamina relevanda, immo potius tollenda processit. Et licet aliqui probi viri de regno præfato ad obtinendam celeriter editionem ordinationis, reformationis, & dispositionis hujusmodi prudenter institerint, & cum eorum instantia intentio nostra concurreret; quia tamen dicti status, cujus declaratio petebatur, ignorantia ex causis causata diversis, quas in literis nostris tibi expressimus, non permisit memoratis viris (ad petitionem ipsorum tunc remissis ad propria, pro eo quod investigationem status ejusdem, quam facti exigebat necessitas, expectare non poterant commode, ut dicebant) nos ex tunc ad investigandam veritatem status ipsius, prout in earumdem literarum nostrarum tenore prædiximus, solicite intendentes, solicitudinem investigationis hujusmodi tuæ solertiæ, sicut nostris apostolicis super hoc inculcatis literis duximus committendam, tuque super iis, quæ in hac parte tibi commisimus, solerter inquirens, ea quæ circa præmissa per inquisitionem hujusmodi contigit inveniri, nobis intimare curasti. Et quamquam ad examinationem prædictorum nostra fervens dirigeretur intentio, ex causis tamen legitimis multipliciter extitit impedita.*

Editæ fuerint etiam a principe Salern. nonnullæ utiles leges.

Flagitant populi a Martino ut dubia privilegia explanet.

Data legato provincia, ut rem accuratius investiget.

*Nuper autem, non absque grandium aliorum negotiorum omissione, prædictæ inquisitioni vacavimus, & ad efficacia excogitanda remedia, & exquirendos utiles solidosque modos, & vias, per quæ regnum ipsum tranquillitate gaudeat, & libertate debita potiatur, collationibus exactis institimus, & assidue instare proponimus, donec quod benigna patris circa hæc concepit intentio, desideratum nobis, & ejusdem regni filiis, justisque ipsorum desideriis consonum, opitulante divina clementia, producat effectum, &c. Dat. Perusii* III. *id. februarii anno* IV.

V. Perducere ad exitum meditata Martinus non potuit immatura morte oppressus, successitque illius curis Honorius, a quo saluberrimas leges promulgatas, ac pristinam Neapolitano regno libertatem restitutam visuri sumus. Ne vero regnum tento ab hostibus in Catalano carcere Carolo II. sine certo moderatore fluctuaret, Pontifex ad quem supremi in Siciliam imperii jure illius administrationem capessere veteri more, & instituto, tum ex pactionibus cum Carolo primo initis spectabat, Gerardum episcopum Sabinensem A. S. L. ac Robertum Atrebatensem comitem regiæ Siculæ procuratores instituit, cum nondum Carolus Martellus Salernitani principis major natu filius ad ætatem illi moderando parem adolevisset. Correpta ab his regni habenas meminit etiam chronici Suessani scriptor (*a*): sed in eo emendandus, dum ea auctoritate instructos a Carolo, inspecto rerum exitu putavit: *In prædicto*, inquit, *regno Siciliæ dictus Rex Carolus reliquit dominum Robertum comitem Atrebatensem, & dominum legatum prædictum ballios regni Caroli ejus primogeniti: & tempore ejus dominum Carolum dimisit sub protectione & defensione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; dominante domino Carolo magnifici principis Salernitani primogenito regni Siciliæ: dominus vero Carolus primogenitus Regis Caroli detinebatur in carcere.* Ad rei gravissimæ afferendam lucem, ac Romanæ ecclesiæ in Siciliam illustranda jura adducendum visum Martini diploma (*b*), ex quo perspicue enitescit, Carolum Roberto Atrebatensi regni gubernacula commendasse, dummodo Pontificis assensus accederet: Martinum vero iis tractandis ipsum una cum Gerardo episcopo Sabinensi A. S. L. admovisse.

(*a*) Chron. Suessan. MS. hoc anno.

(*b*) Ep. cur. 34.

*Martinus, &c. Venerabili fratri G. episcopo Sabinensi A. S. L. & dilecto filio nobili viro R. comiti Atrebatensi bajulis regni Siciliæ per Romanam ecclesiam constitutis.*

VI. Roberto Attrebatensi comiti a Carolo Siciliæ procuratio relicta.

*Dum claræ memoriæ Carolus Rex Siciliæ, charissimus Ecclesiæ filius, temporalis vitæ solatio fruebatur; dum regno præsidebat eidem, ipse sua immensitate prudentiæ, qua eum decorarat Altissimus dicti*

*ti regni gubernacula dirigens, illud suæ potentiæ brachio tuebatur ab hostibus, defendebat ab exulis, a perversorum conatibus protegebat: sed Rege ipso, prout Domino placuit, qui aufert spiritum principum, de medio jam sublato, quod non sine multa mentis turbatione referimus, de ipsius regni gubernatione solicita curæ potioris stimulis angimur, ferventius & solertius cogitamus multorum detestandam nequitiam, ad ipsius regni turbationem omnimodam nefandis satagentem nisibus, attendentes. Ideoque, licet præfatus Rex, dum adhuc mentis suæ compos existeret, quique infirmitatis incommodis gravaretur, de ipsius regni regimine solicite cogitans, & ad ejus tranquillitatem intendens, te fili comes, de quo Rex ipse non immerito confidere poterat, cum sibi esses proxima consanguinitate conjunctus, generalem ipsius regni, prout asseritur, bajulum, ut suis utamur eloquiis, ordinarit, apostolicæ in hoc nihilominus voluntatis beneplacito reservato; nos tamen considerantes attentius arduitatem & difficultatem negotii, & tam ampli, tam spatiosi, diffusique terminos dicti regni, ac innumeram in illo degentium multitudinem populorum non facile utique gubernandam; pensantes etiam graves, immo gravissimas & vicinas inimicorum insidias ad regnum ipsum aspirantium usurpandum; & quod ejusdem Regis primogenitus, ad quem successionis jure memoratum regnum pertinere dignoscitur, captus a rebellibus detineatur; quodque ipsius primogeniti filius per incrementa temporum nondum ad primos limites legitimæ pervenit ætatis; recogitantes quoque solertius, quod præfata Ecclesia, cujus esse conspicitur regni proprietas prælibati, se in tam periculosi, tam dispendiosi temporis turbine, digne ac rationabiliter de ipsius regni regimine intromittit; consulte, quinimmo necessario de fratrum nostrorum consilio duximus ordinandum, ut tu, frater episcope, ac tu, prædicte comes, communiter & simul exerceatis curam, gubernationem, & regimen dicti regni.*

Adjungit illi in administrando regno socium Pont. Gerardum episc. Sabinen.

VII. *Ut igitur cautius, & efficacius, ac utilius in hujusmodi negotio procedamus, bajulatum, curam, regimen gubernationem, administrationem, potestatem, omnemque jurisdictionem, & plenam in prædicto regno ad honorem Dei & ejusdem Ecclesiæ, ac ipsius regni statum pacificum & quietum vobis in solidum de ipsorum fratrum consilio præsentium auctoritate committimus, per vos, prout declaratur inferius, exequenda. Speramus etenim & fiducia secura deducimur, vestra pensata solertius excellentia meritorum, quod ad commissionem hujusmodi utiliter, auctore Domino, exercendam studium efficax operamque solicitam curabitis exhibere. Volumus autem, ut uterque vestrum se una cum altero regni Siciliæ bajulum nominet per sanctam Romanam ecclesiam constitutum: sed nihilominus tu, prædicte episcope, in hujusmodi nomine bajulatus tuæ legationis titulum non omittas, ut simul legatus & bajulus una cum alio in tuis literis exprimaris; & tu, prædicte R. comes Atrebatensis, & cum legato bajulus, ut prædicitur, nomineris. Neutri vero vestrum absque assensu alterius aliquatenus liceat regni ejusdem curias ordinare, vel magistrum, justitiarium, seu vicemagistrum, & quatuor judices ejus, aliosque justitiarios.* Et infra.

Eorum auctoritatem circumscribit certis limitibus.

VIII. *Cæterum personarum dicti regni laboribus & sumptibus parcere intendentes, volumus & ordinamus, ut non solum a majoribus officialibus & judicibus prælibatis; verum etiam ab aliis inferioribus ad quemlibet vestrum in causis & judiciis appelletur, quemadmodum ad Regem Siciliæ, qui existit pro tempore, contingeret appellari: non intendentes per hoc debere vel posse ab aliis, vel aliter appellari, quam fieri deberet, & posset ipsi regno Rege personaliter præsidente; ac etiam a vobis, & unoquoque vestrum in causis & judiciis prælibatis, absque cujuslibet contradictionis objectu ad sedem Apostolicam appellationem interponere valeant litigantes, quoties ipsis rationabiliter visum fuerit expedire. Bajulatum autem, curam, regimen, gubernationem, administrationem, potestatem, & jurisdictionem hujusmodi tamdiu volumus perdurare, donec præfatum primogenitum dicti Regis pristinæ libertati restitui vel per sedem eamdem aliud in hac parte contigerit ordinari. Nulli ergo, &c. Nostræ ordinationis, commissionis, & voluntatis, nostrique præcepti infringere, &c. Dat. Perusii* XIV. *kal. martii anno* IV.

In controversiis ad ipsos ultimo provocandum decernit.

Quod ad Robertum comitem Atrebatensem spectat; filiorum Caroli secundi, quorum major natu Carolus Martellus (*a*) postea materno jure Ungariæ Rex, tunc duodecimum annum inierat, tutelam suscepisse scribit Nangius, atque Appulos & Calabros, qui defectionem moliebantur, in officio continuisse. Nec partes suas segniter adhibuit Martinus, ut eorum conatus comprimeret, qui heredes Caroli deiicere moliebantur: extant enim ad Siffridum literæ, quibus nonnullos Anconitanos, qui Aprutii rebellibus opem ad consilia defectionis perducenda præstabant, coercere jussit (*b*).

(*a*) *Jo. Vill. l.7. c.49.*

Appuli & Calabri moliti defectionem coerciti.

(*b*) *To. 2. p. 126.*

IX. Conradus de Antioch. in Aprutium irrumpit.

Irruperat tunc in Aprutium nonnullis copiis succinctus Conradus de Antiochia, antiquus Ecclesiæ hostis; ac nonnullas jam arces occuparat; cum Martinus ad ejus



ejus frangendos conatus Joannem de Epa pontificii exercitus ducem, eo mittendum censuit (*a*). De cujus adventu ad Andriæ cives, quorum in servanda fide constantiam effert, confirmandos certiores fecit (*b*): *Mirantes*, inquit, *audivimus & referimus perturbati, quod Conradus de Antiochia, cujus detestanda malitia semper in deteriora prolabitur, præteritis ab ipso commissis excessibus non contentus, sed mala malis adiiciens, & excessus excessibus coacervans, in tantam prorupisse dicitur temeritatis audaciam, ac in illam superbiam, quinimmo insaniam devenisse, quod regnum Siciliæ per partes Aprutii, prout ad vestram credimus pervenisse notitiam, cum non modica suorum in hoc fautorum, & complicum comitiva ingressus, jam nonnulla castra ipsarum partium temere occupavit non sine gravi Romanæ ecclesiæ, ac * .. heredis claræ memoriæ Caroli Siciliæ Regis injuria, & contemptu. Cum itaque tantæ præsumptionis excessus, tantæque superbiæ ausus non sint aliquatenus tolerandi, dilectus filius nobilis vir Joannes de Epa, nostris precibus & exhortationibus excitatus, ad partes illas propter hoc cum ipsius Ecclesiæ gente non modica, cui eum præesse volumus, donec super hoc aliud contigerit ordinari, se personaliter conferat, non solum Conradi fautorum, & complicum prædictorum, verum etiam aliorum quorumlibet rebellium heredis ejusdem præfatas præsumentium partes invadere, vel turbare conatus nefarios, actore Domino, repressurus, &c. Dat. Perusii* III. *non. februarii anno* IV.

(*a*) *Ibid. p.117.*

(*b*) *Ibid. p. 116.*

Nonnullas arces occupat.

* *Caroli*

Joannes de Epa ad frenandos illius conatus missus.

X. Portuensis episc. A. S. L. in Urbinates expeditionem decernit.

Nec rebelles modo Siculi audita Caroli Regis morte extulerant animos; verum etiam Ecclesiæ perduelles collegerant; contra quos Bernardus episcopus Portuensis A. S. L. summa prudentia mox omnium ordinum conventu habito, decerni in Urbinates expeditionem operam dedit: qua re illi accepta nonnihil conterriti, ea lege deditionem facere polliciti sunt, si exteri incolumes abire permitterentur. Sed Martinus non aliter in gratiam admittendos censuit (*c*), quam si nullis conditionibus expressis Ecclesiæ arbitrio se permitterent, ut cæteris rebellandi audacia adimeretur.

Urbinates certis legibus deditionem facere polliceantur.

(*c*) *Ib. p. 119.*

*Venerabili fratri B. episcopo Portuensi*
*A. S. L.*

*Nuper fraternitatis tuæ transmissæ nobis literæ inter alia continebant, quod pridem intellecto obitu claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ ad robur, & consolationem fidelium ipsarum partium generale colloquium ordinasti, in quo cum divina gratia tuis labiis sit infusa, ut necessarium scias proferre sermonem tempore opportuno, quæ ad exaltationem Romanæ ecclesiæ, ad depressionem ipsius rebellium pertinebant, fuisti laudabiliter prosecutus, in eodem colloquio specialiter ordinato, ut in kal. maii proximo futuris contra receptaculum impiorum, Urbinum videlicet, generalis exercitus in virtute divini nominis congregetur. Nos autem ex hoc tuam diligentiam dignis in Domino laudibus commendantes, super eo, quod eædem tuæ literæ continebant, Urbinates velle sub ea conditione ad mandata nostra redire, videlicet quod alienigenæ rebelles inibi receptati, salvis personis & rebus abire libere permittantur; fraternitati tuæ totaliter duximus respondendum, quod nisi ipsi sine aliquo pacto, & conditione, ac intendimento expresso voluerint ad mandatum nostrum redire, ipsos in talibus aliquatenus non audias, nec admittas; cum id tamquam votis nostris contrarium manifeste in perniciosum exemplum, ac depressionem Romanæ ecclesiæ redundaret. Dat. Perusii* IX. *kal. martii pontificatus nostri anno* IV.

Pontifex nullis legibus eos subire jugum imperat.

Ad promovendam vero decretam expeditionem, Æsinos (*d*), aliosque populos, (*e*) ut se bello strenue accingerent, provocavit; imperavitque Siffrido Marchiæ præfecto, (*f*) ut Picenos ad id induceret. Cum vero plerique in Pontificis obsequio fluctuarent, præcepit Martinus episcopo Portuensi, (*g*) ut cum in Flaminia de plurium locorum defectione timeretur, discutiendis conjuratorum consiliis operam adhiberet.

(*d*) *Ib. p. 120.*

(*e*) *Reg. post eand. ep.*

(*f*) *Ead. pag. 120.*

(*g*) *Ib. p. 115.*

XI. In Romaniola plures defectionem meditati.

Qua vero solicitudine tuendis pontificiis juribus, ne in remotissimis etiam regionibus, si contemnerentur, consenescerent, scriptæ ad Joannem archidiaconum Gnesnensem, ut in Polonia censum debitum cogeret demonstrant: (*h*) quo argumento Poloniæ ducibus, atque inter alios Cracoviensi datæ literæ (*i*). Is erat Lescho Niger (*k*); partis victoriis illustris, a cujus imperio cum minoris Poloniæ proceres desciviſsent, excito Conrado Massoviæ duce, ille Cracoviensi arce milite præsidiario Theutonico egregie communita, in Pannoniam ad Ladislaum Regem auxilia quæsitum confugit: ac mox Ungarorum & Cumanorum copiis cinctus reversus occurrentem cum validissimo exercitu Conradum, quem æquitate vincebat, etsi viribus impar, devicit. Conradus effusa fuga in Masoviam se proripuit: Lescho supplices proceres defectionis veniam flagitantes in gratiam recepit. Hæc pluribus Longinus, qui etiam narrat ineunte anno provinciale concilium a Suinka archiepiscopo Gnesnensi celebratum, in quo Henricus dux ob Wratislaviensis ecclesiæ bona occupata censuris defixus, atque ducatus interdicto sup-

(*h*) *Ib. p. 117. & l. 4. ep. 70.*

(*i*) *Ib. p. 118. & l.4.ep. 71. 72. 73. 74. 75.*

(*k*) *Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann.*

Lescho Niger ob suorum defectionem confugit in Ungariam. Reversus cum exercitu Conradum Mazoviæ ducem fugat. Henricus dux notatos anathemate.

suppositus est; cujus religionem violatam a Minoritis auctor memoratus queritur (*a*), subditque nonnullos, qui Leschonem bona ecclesiastica invasisse coarguerant, ab eo trucidatos. At de Leschone, a quo divina vindicta diu non abfuit, iterum inferius: nunc Martini accerrimi juris ecclesiastici defensoris pia mors lugenda est, quam multis consecutis miraculis illustratam ferunt.

(*a*) Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann.

XII. Et quidem ejus MS. vitæ scriptor hæc tradit (*b*): *Martinus Papa obiit in Perusio kal. aprilis in octava Paschæ anno Domini MCCLXXXV. ferturque a quibusdam miraculis claruisse post mortem.* Post hæc Martini gesta in MS. doctissimi Lucæ Holstenii Vaticanæ basilicæ canonici hæc verba adduntur: *Hucusque supplementum Pandulphi Pisani ex MS. codice Vaticano nu. 3762.* At Martini Poloni appendicis auctor (*c*) non ambigue, sed diserte patrata ab eo miracula asserit, quæ suis hausisse oculis testatur: *Die*, inquit, *resurrectionis Domini, quæ fuit in die annuntiationis Virginis Mariæ, postquam celebrasset, solitamque refectionem cum suis capellanis sumpsisset, arripuit eum infirmitas occulta, ex qua, licet se graviter pati diceret, ejus physici morbum & causam in eo nullam, nullumque mortis indicium asserebant esse. Ipse vero die mercurii proxime sequenti circa noctis horam quasi sextam debitum conditionis exolvens humanæ, ad Dominum, ut certis opinatur indiciis, transmigravit: & vacavit sedes quatuor diebus. Nam diversarum afflicti passionum, & specialiter visus, auditus, & loquelæ prostrati juxta feretrum, in quo extitit sepultum, infra paucos dies, videntibus & assistentibus clericis & laicis quampluribus, multi sunt sanati: nec adhuc, quando fuit hæc scriptura protracta,* XII. *mensis maii cessabant ibidem miracula: verius immo diebus singulis occurrenti populosæ fidelium multitudini misericorditer a Domino largiuntur: & qui scripsit hæc, vidit ea.* Iis consentanea tradit Nangius hisce verbis: *Diversarum afflicti passionum & morborum ad tumulum ejus venientes, multis videntibus, sunt sanati.* Ex his cavere discat lector a Novatorum fraudibus, qui odio & furore in sedem Apostolicam perciti sanctissimum Pontificem, a Deo miraculis illustratum, confictis criminibus onerarunt, (*d*) ut meritas illius laudes obscurarent; atque epitaphium (*e*) confictum, impie imperiteque ad memoriam ipsius in odium adducendam scriptis commendarunt.

(*b*) Auth. vit. Mart. MS. Vall. bibl. sig. lit. C. n. 25. & n. 79.

(*c*) Apud Mart. Pol. l. 4. in Mart.

Post obitum Martinus miraculis inclarescit.

Centuriatores impietatis & mendacii convincuntur.

(*d*) Nov. cent. 13. c. 10. col. 180. & c. 13. col. 1270.

(*e*) Ib. c. 7. col. 744.

XIII. Cum vero de tanti Pontificis obitus die auctorum sententiæ discrepent, omnibus ea in re præferendus Honorius ipsius successor, qui in literis ad Mediolanensem archiepiscopum, cæterosque præsules de sua electione datis (*f*) in IV. kal. aprilis incidisse testatur, cui plures alii consentiunt. Atque ita Martinus, qui ut vidimus VIII. kal. martias anno MCCLXXXI. ad solium pontificium est evectus, annos quatuor mensem unum dies septem sedisse affirmandus est. Ex quibus auctorum errorem emendes, qui minorem annorum numerum Martini pontificatui adscribunt. Sepulturæ locum sibi delegisse in templo Assisii S. Francisco sacro affirmat idem Pontifex Honorius, qui cum extremæ voluntatis executor a Martino relictus esset, adepta postea dignitate, magistratibus ac populo Perusinis scripsit (*g*), ut Martini corpus, qua par erat reverentia, Assisium deferri operam darent. Prætereundum etiam non est, illum ecclesiæ S. Cæciliæ, ubi ante adeptum pontificatum Cardinalitios apices gesserat, icona argenteam gemmis elegantcr distinctam, ut ejusdem Honorii Papæ literæ (*h*) ostendunt, testamento reliquisse, atque etiam duo millia librarum turonensium pro Terræ sanctæ subsidio instruendo contulisse (*i*).

Quo die Martinus obierit.

(*f*) Honor. l. 1. ep. cur. 5.

Sedis illius tempus.

Assisium corpus illius translatum.

(*g*) Lib. 1. ep. 266.

Legata ab eodem ecclesiæ S. Cæciliæ.

(*h*) Ib. ep. 61.

Et Syriæ defendendæ.

(*i*) Lib. 1. ep. cur. 4.

XIV. Vita functo Martino Papa (*k*) Jacobus e nobilissima Sabellorum Romana familia ortus, S. Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis IV. nonas aprilis, consentientibus omnium animis sententiisque, in locum ejus Perusii substituitur. [1] Qui mox in Urbem se conferens, sacris Pontificalibus initiatus, ac papali tiara decoratus est, ut traditur subjectis verbis apud Martinum (*l*) Polonum: *Honorius IV. natione Romanus de Sabellensibus, prius diaconus Cardinalis, electus fuit Perusii anno millesimo ducentesimo octua-*

Jacobus S. Mariæ in Cosm. diacon. Card. Martino in pontif. subrogatus.

(*k*) Hon. IV. vit. MS. Vall. sign. lit. C. n. 25. & n. 79.

E Sabella stirpe oriundus.

(*l*) Mart. Pol. l. 4.

Honorii IV. nomen accepit.

NOTÆ [1] HOnorii IV. electio in annum hunc incidit. Mensis & dies electionis recte ab Annalista adnotatur. De tempore quo pontificium diadema assumpsit inter Chronologos non constat, quidam enim cum Panvinio diem XV. mensis Aprilis, qui anno illo in Dominicam incidit, assignant; sed nemo ex antiquis illis suffragatur. Joannes Iperius scriptor Chronici S. Bertini, qui per hos annos florebat, electum scribit Honorium prima die mensis aprilis eademque in Sacerdotem consecratum; tum *& die crastina*, addit, *coronatus est in papam.* Id autem novum omnino fuisse, & insuetum scriptor idem animadvertit, subdens; *Hic statim ut electus est, coronatus est.* An vera scripserit author iste exterus adhuc ambigo; ægre enim persuadeor electum Perusii pontificem altera ab electione sua die Romæ adesse potuisse, para-



*tungesimo quinto die secunda aprilis, & Romæ apud S. Petrum consecratus & coronatus.* Et paucis interjectis verbis: *Hic fuit omnino homo temperatus, & magnus discretione; impeditus tamen corpore in pedibus & manibus, libenter ubique pacem quærens.* His consentanea scribuntur a Bernardo, (*a*) & Ptolemæo Lucensi, (*b*) ex quo hæc decerpsimus: *Anno Domini MCCLXXXV. Honorius IV. in octavis Paschæ (alii dicunt die lunæ post octavam) in cathedra Petri sedet. Secundus hic natione Romanus de domo Sabellorum, quæ antiquum genus erat in Urbe, dictus dominus Jacobus de Sabello. Hic sapiens homo fuit, nulli læsivus: sed suis bene profectivus. Hic habuit fratrem multum prudentem & virum humanitatis non modicæ: ambo autem multum podagrati. Qui Honorius ita impeditus in manibus & pedibus, quod celebrare non poterat nisi cum quibusdam instrumentis.* Et infra: *Statim creatus in Urbem se transfert, & in monte Aventino juxta sanctam Sabinam magna fabricat palatia, & ibidem sedem pontificalem constituit, totusque ille mons renovatur in ædificiis.* Respondent iis, quæ ab ipso Pontifice in literis encyclicis de inito pontificatu exarata fuerunt. Sed primum nobis nonnulla de illius primitiis sunt delibanda. Literis ipsum annis pluribus operam dedisse in Parisiensi academia, quæ scientiarum omnium gloria efflorescebat, ipse testis est in pontificio diplomate ad Joannem tit. S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis legatum, cui dirimendæ exortæ controversiæ inter eandem academiam & illius scrinii præfectum provinciam demandavit (*c*).

(*a*) Bern. in chr. Rom. Pont.

(*b*) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 13.

De ipsius exordiis.

In Parisiensi academia literis operam dedit.

(*c*) Lib. 1. ep. 263.

XV. Conjunctæ vero pietatis cum literis monumentum illustre extitit monasterium, ab ipso in paterno fundo excitatum, magnisque amplificatum opibus, quod anno MCCLXXXII. religiosis viris, qui S. Guillelmi sacra instituta sectabantur, contulit, ut in publicis tabulis eo anno confectis, ac postea anno MCCLXXXVI. ab ipso apostolica auctoritate corroboratis (*d*) patet: gessisse præterea sacerdotium in ecclesia Cathalaunensi ipse testatur (*e*) his verbis in literis Joanni tit. S. Cæciliæ presb. Card. anno insequenti datis: *Nos igitur, quibus ex apostolatus officio solicitudo omnium ecclesiarum imminet generalis, prædictam Cathalaunensem ecclesiam, de cujus gremio, dum eramus in minori officio constituti, noscimur extitisse, canonicatum & præbendam in eadem ecclesia obtinendo; præter illum charitatis affectum, quem ex debito pastoralis officii circa ecclesias tenemur gerere universas, speciali benevolentia prosequentes; multoque desiderio affectamus, ut inter personas ejus ecclesiæ, submotis, quarumlibet discordiarum & dissensionum fomitibus pulcheri-*

Monasterium fundavit in paterno solo.

(*d*) Ib. ep. 431.

(*e*) Lib. 2. ep. 270.

In Cathalaunensi ecclesia sacerdotia gessit.

NOTÆ paratum ad coronam pontificiam recipiendam. Hanc enim cæremoniam Romæ præstitam fuisse veteres omnes docent. Errat insuper scriptor in die electionis, quam in diem secundam Aprilis incidisse ipse de se Honorius in literis encyclicis affirmat. Papebrochius in conatu chronico historico ex encyclica Honorii data *Romæ apud S. Petrum* die VIII. Kal. Junii pontificatus anno primo, colligendum sibi censuit, consecrationem, & coronationem præcedenti Dominica die XX. Maii peractam. Favere huic censeo Theodoricum Niemium, qui Historiam ab Honorio IV. exorsus, sic de illo scribit. *Die secunda mensis Aprilis eligitur in Perusio concordia fratrum prima die, qua convenerant..... & die mensis, Maii licet impotens ad id crederetur & penitus inhabilis famose diceretur, in Sacerdotem per dominum Latinum Hostiensem Episcopum Cardinalem promotus apud S. Petrum, & ibidem crastina die coronatus per eum in altari S. Petri primitus divinæ missæ officio celebrato.* Huic etiam Papebrochii conjecturæ accedit opportuna bulla ejusdem Honorii legenda apud Ughellium tom. I. in Albanensibus col. 265. Ven. edit. data vero est *Romæ apud S. Sabinam die XII. Kal. Maii Pontificatus anno primo.* Ad annum sequentem, quo Pontifex diu egit apud S. Sabinam, pertinere bullam hanc, vix dubito; eoque admisso constat die XX. Aprilis anni 1286. annum primum, a coronatione utique cæptum de more, nondum præteriisse. Ex quo conficias die XX. Aprilis anni 1285. nondum Pontificii diadematis insigne recepisse. Vana ergo Panvinus qui diei XV. Aprilis; vana Iperius, qui diei II. ejusdem mensis id assignant, commentantur.

Hæc scripseram cum postea legendum occurrit Leonis Urbevetani Chronicon Pontificium ante hac parum vulgatum a Cl. Lamio Delic. erudit. Florentiæ A. 1737. atque in eo offendi, unde nodus iste chronologicus exsolveretur; ita enim ille: *Die tertia mensis maii licet impotens ad id crederetur, & penitus inhabilis famose diceretur, in Sacerdotem est per dominum Latinum Ostiensem episcopum cardinalem promotus apud S. Petrum, & ibidem die Dominica crastina coronatus per eum in altari primitus divino Missæ officio celebrato.* Verba hæc desumpta sunt ex Niemio, ut ex superiorum collatione patet; & cum Niemii textus vulgatus mancus sit & mendosus, hic plane correctus & integrior exhibetur. Quæ sane correctio eo tendit, ut certam diem consecrationis Honorii in sacerdotem ejusque in pontificem coronationis assignet. Verum in die hac coronationis designanda erratum esse pariter apud Scriptorem istum constat; neque enim anno isto 1285. dies III. Maii in sabbatum incidit, ut dies crastina Dominicam referret; quare suspicor mendum irrepsisse in textum vitio librarii, atque ab authore scriptum *die tertio nonas maii in Sacerdotem est promotus*; dies enim illa tunc in Sabbatum incidit atque ita die sequenti VI. Maii qua festum S. Joannis ante portam Latinam atque Dominica recurrebat solemnis Pontificis coronatio peragi potuit. MANSI

*ebritudo pacis vigeat & requies opulenta.* Emensus dein varios honorum gradus & purpura cardinalitia ab Urbano IV. ornatus, ab Adriano V. una cum Sabinensi episc. & Nicolao III. tum Cardinale S. Nicolai in carcere Tulliano Viterbium missus est, uti diximus, (*a*) ut ineundi inter Rodulphum Romanorum & Carolum Siciliæ Reges fœderis interpretis munere fungeretur, quamquam ob immaturam Adriani mortem cœptis supersedit; demum ob perspectas virtutes clavo Ecclesiæ admotus.

(*a*) *An. Ch.* 1276. *n.* 26.

XVI. Italiæ decimas in bellum Siculorum contra Petr. Arag. derivat.

Cum inter cætera sua mole gravissima negotia, quæ novi Pontificis humeris incumbebant, Siculi regni curæ Honorium premerent, ille prædecessoris Martini vestigia sectatus, qui totius Italiæ decimas ad comprimendam Petri Aragonii pervicaciam ad triennium Carolo Regi concesserat, earum colligendarum Hugoni Bethlemitano episcopo provinciam tradidit (*b*): cum etiam archiepiscopos cæterosque præsules illius securitati cavere jussit (*c*). Quod munus etiam cogendæ decimæ Jacobo episcopo Ferentino injunxit (*d*): tum Christophoro capellano nonnullas leges in exigendis decimis observandas transmisit (*e*). Confirmatur apud Martinum Polonum, Honorium promovendis Siculis rebus studuisse, atque Atrebatensi comiti, & aliis ducibus stipendia ad bellum gerendum suppeditasse: & in Siculos, vibratis pluribus sententiis, severitatem ecclesiasticam exeruisse videbitur. Unde Joannem Villanum emendes, qui tradit (*f*) novum Pontificem heredum Caroli causam deseruisse, afflixisseque; atque ideo Siculorum & Petri Aragonii potentiam magnis incrementis effloruisse. Porro Honorius ubi aliquandiu pontificatu suscepto Perusii versatus esset, Romam ad pontificiam tiaram solemni excipiendam pompa se contulit, ac rite consecrationem adeptus, encyclicas literas ad fideles scripsit (*g*), ut eos promotionis suæ certiores factos ad divinam illi opem suis precibus conciliandam provocaret.

(*b*) *Ib. ep.* 12.
(*c*) *Lib.* 1. *ep.* 126.
(*d*) *Ib. ep.* 33.
(*e*) *Ib. ep.* 56.
(*f*) *Jo. Vill. l.* 7. *c.* 112.
Romam profectus solemni ritu consecratur.
(*g*) *Lib.* 1. *ep. cur.* 5.

*Honorius, &c.*

XVII. Circulares de sui electione lit.

*Quis loquetur potentias Domini, auditas omnes faciet laudes ejus; mira & innumera suæ virtutis opera, quæ ipse potens ex omnibus potenter & ineffabiliter operatur, ita sufficienter enuntians & explicite differens, ut audiantur ab aliis, & audientes laudibus ipsum condignis attollant, laudandum proculdubio sine fine secundum multitudinem suæ magnitudinis infinitæ? Profecto admiratio mixta quæstioni præmissæ, non tam raritatem ad quæsita sufficientis insinuat, quam generalem omnium in hoc insufficientiam veridica insinuatione designat: nec enim quisquam ea explicare loquendo, vel comprehendere sufficit meditando, cum sint incomprehensibilia Dei judicia, & investigabiles viæ ejus. Et idcirco nec ad comprehendendum vel etiam investigandum humana ratio proficit; sed investigando miratur, stupet, & deficit, cur ipse terribilis in consiliis super filios hominum, & præcipue circa regimen sacrosanctæ matris Ecclesiæ innotescens, interdum rectores ipsius virtutibus fortes, & viribus pro suæ dispositionis libertate subducit; interdum in successoris substitutione illis, quos aptiores ad id communis hominum censura perhibebat, omissis Ecclesiæ ipsius gubernationem, & curam longe disparibus in utriusque alto suo consilio, licet nobis occulto, & nimirum admirando, saltem permittendo committit; in hoc etiam sua omnipotentia, & nihilominus eamdem Ecclesiam per ipsum principaliter gubernari evidenter ostendens. Evidens etenim est opus potentiæ, virtusque potentis, immensi oneris sarcinam culmini apostolatus annexam adeo levigare debilibus, ut levigantis ope salubriter supportetur, & proinde manifestius pateat ipsam Ecclesiam regi, & dirigi potius opitulantis arbitrio, quam illius, cui regimen ejus erat sua dispositione seu permissione commissum.*

De divina providentia in dandis Ecclesiæ pastoribus.

XVIII. *Sic, sic ille Pater omnipotens providentia cuncta gubernans, constitutos inter maris mundi hujus amari procellas sine rate salvificat populum, qui alias ubi non est rector, facile corruit, a ruina sine rectoris idoneitate præservans. Non enim vocat multos sapientes secundum carnem, non multos nobiles multosve potentes, sed infirma mundi eligit, ut superbiam innitentis sibi fortitudinis humanæ retundens, fortia quæque confundat; nec aliquis creaturæ, sapientiæ, nobilitati, vel potentiæ ipsius Ecclesiæ directionem erronee præsumat ascribere; sed totaliter attribuat Creatori.*

*Ex hoc etiam eos, quos conscientia insufficientiæ suæ premit, spe roborans, fiduciaque confortans, ut si quem hujusmodi ad jugum Domini & ipsius onera in ejusdem Ecclesiæ regimine subeunda vocari contingat, instante necessitate non sic defectus proprii considerationi succumbat, quod cedens laboribus, colla subducens oneribus, seque mercenarium exhibens, custodiam dominici ovilis effugiat, & eamdem piam matrem Ecclesiam, in tempestatibus variis fluctuantem, impie derelinquat; sed de seipso diffidens confidat in Domino, & de illo sperans Ecclesiæque compatiens subire, prout res exigit ipsius onera non pavescat. Hujusmodi spe fiduciaque reficimur in eo, quod in eadem Ecclesia iis accidisse diebus ad humiliationem nostram, & conditoris omnium*



*nium gloriam in vestram notitiam, licet jam volantis famæ præconio forte deductum, censuimus seriosius & certius deducendum.*

XIX. De Martini morte.

*Nuper si quidem quarto Kal. aprilis felicis recordationis Martino Papa prædecessore nostro, prudentiæ ac scientiæ, multarumque aliarum virtutum dono pollente, per naturalis mortis occasum de nequam sæculi hujus angustiis liberato, & ipsius corpore cum debita exequiarum solemnitate sepulto, prima die dicti mensis cum fratribus nostris, de quorum numero tunc eramus, libere nulla inclusionis coactione præambula, quam aliquando in Ecclesiæ ipsius vacationibus damnabilis præsumpsit abusus, convenimus ad tractandum de substituendi electione pastoris. Et post missarum solemnia ex more in honorem sancti Spiritus celebrata, tractatu aliquo habito, tandem in crastinum scrutinii via electa concorditer, factoque ac publicato scrutinio, quod nec sequens habuit, sicut nec oportuit, nec præcedens, votorum fratrum eorumdem directorum in nos, eo tempore S. Mariæ in Cosmedin diaconum Cardinalem tanta est inventa concordia, & de unanimi eorum omnium voluntate adeo concors de nobis in summum Pontificem electio subsecuta, quod nos de tam grandi tamque inexpectata, immo & nobis omnino inopinata novitate plus, quam verbis exprimere possimus, attoniti facti sumus, velut in mentis excessu. Filiis namque matris nostræ, ipsis videlicet ecclesiæ Romanæ communis matris & dominæ, Cardinalibus contra nos pugnantibus, ut nobis jugo apostolicæ servitutis imposito, custodem nos in alienis vineis ponerent, qui ex nostrorum meditatione defectuum, nos nec propriæ custodiendæ sufficere humiliter confitemur; & post defectus eosdem, quos ipsis ad majoris voluntatis indicium quasi palpandos exponebamus, objectos ad obtinendum super hoc consensum nostrum non solum importune instantibus, sed infeste.*

Cardinalium suffragiis in Honorium, tum S. Mariæ diac. Card. collatis.

XX. Honorii in respuendo pontificatu modestia.

*O quantæ animum nostrum perplexitatis vexabat anxietas! O quam acutis, quam amaris cor nostrum pungebatur aculeis, aiversis suggestionibus sub conscientiæ ac rationis examine confligentibus altrinsecus in eodem! Hinc enim nostra debilitas suggerebat a molis importabilis universali mundi regimine nostros imbecilles humeros subducendos; nec Apostolorum Principis cathedram tremendæ altitudinis, vitandæque insufficientibus solicitudinis speculam conscendendam. E regione vero ejusdem status Ecclesiæ, orbisque totius impacatus graviter, immo in gentes fide catholica insignitas, non tantum infidelibus, sed & orthodoxis insurgentibus gentibus, & regnis in regna periculose divulsus; Terræ sanctæ nimis damnose retardata subventio, & aliorum negotiorum fidei ejusdem impedita promotio, aliaque ipsius orbis satis nota discrimina contrarium suadebant. Habebat quoque hujusmodi suasionis adjectio, quod cum matri sit honor ex præcepto Domini exhibendus, qui in scripturis non in salutationum solummodo, sed in aliorum suffragiorum exhibitione sentitur, non erat eidem reverendæ matri Ecclesiæ, quin potius orbi toti, maxime hoc tempore, tam necessarii subsidii solatium subtrahendum: præsertim cum de præteritis vacationibus conjectura consurgens filialem in nobis, & dictis fratribus ad prosperitatem ipsius matris affectum solicitatione timoris soliciti plena concuteret, ne si tam prompta eorumdem fratrum concordia (quæ non absque illius gratia, qui unanimes habitare facit in domo, provenisse devote supponitur) negligeretur, seu præteriret inefficax, inimico homine superseminante zizania, instantis tunc provisionis negotium in discordiam laberetur prolixioris vacationis ipsius Ecclesiæ, aliaque grandia pericula comminantem.*

Quibus de causis honorem admiserit.

XXI. *His autem & aliis, quæ subticeri ad præsens brevitatis suasit obtentus, non leviter alternantibus anxie deliberationis nostræ judicium, occurrit deliberantis obtutibus ille Israelitici populi protector egregius, & strenuus bellorum Domini prælator, qui aliis terrore concussis præ multitudine nimia insurgentium ex adverso, constanter ait, inquit intrepide: Melius est mori nos in prælio, quam videre mala gentis nostræ & sanctorum: sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat; exemplari doctrina vocatum ad regendam Ecclesiam, dirigendam, & protegendam tanquam Salvatoris vicarium in summi pontificatus apice, populi Christiani salutem instruens & informans, ut instar ipsius pericula regendi gregis abhorreat in occurrendo illis sua non metuat; & non solum quieti suæ non consulens, immo & vitæ non parcens, nequaquam sic de virium suarum ad ea, quæ imminent imparitate desperet; quin sub spe cœlestis auxilii se illis confidenter exponat, & divinæ voluntati committat. Præmissis sane spe, ac fiducia roborati, & instructione ac informatione deducti, prætacta Ecclesiæ, fidei, terræque discrimina, variaque orbis dissidia in nostræ mentis arcano, non absque gravi amaritudine recensentes, elegimus potius nos ipsos ministerio, quod supra nostras est vires, exponere; quam Ecclesiam, fidem, cæteraque prædicta relinquere discriminibus tantis exposita, conscientia reluctante. Sicque humiliato spiritu oculos in excelsa levantes ad cœli terræque factorem,*

Spem in Deo collocat.

*a quo*

*a quo auxilium procedere confitetur veraciter eximius prophetarum; sub ipsius spe onus injunctum, electioni præmissæ consentiendo, cum multo timore ac tremore subivimus, de insufficientia nostra nimis, nihil vero de sua omnipotentia hæsitantes; sed apud ipsum devotis supplicationibus insistentes, ut sicut memorato bellorum Dei belligero, in manu ipsius ejusdem Israelitici populi salute directa, optatum de hostibus tunc imminentibus dedit eventum: sic & in manibus nostris gregis sui, curæ nostræ commissi, salutem dirigat; & de dictarum Ecclesiæ, fidei terræque persecutoribus votivum exitum sua pietate concedat, ut vertantur impii, & conversi ad Dominum impii amplius non existant, de persecutoribus prosecutores effecti, Excelsi eos dextera immutante.*

Præsules ad partiendum cum ipso onus hortatur.

*Quod ut efficaciter vestris adjuti suffragiis obtinere possimus, charitatem vestram assistricem instanter expetimus, & cum instantia humili eadem suffragia imploramus; vos universos & singulos intimo rogantes affectu, & affectuosa exhortatione monentes, quatenus considerato prudenter, quod cum sitis in partem tantæ solicitudinis vocati, decet vos in prosecutione illius cooperatores esse solicitos, humilitati nostræ in suscepti executione ministerii devotas, & sedulas fundendo pro nobis preces ad Dominum; & in plebibus diligentiæ vestræ commissis, extirpando vitia, inserendoque virtutes, sic studiose cooperari velitis, quod vobis pervigilis in illis pastoris partes implentibus, adeo nobis quoad eas onere partito, sit levius, quod in aliis officii nostri debitum liberius exequentes, retributionis æternæ præmium sequamur instantius, & una cum grege nobis credito efficacius de retributoris bonorum omnium misericordia consequamur: vos quoque præter participium retributionis ejusdem in vestris opportunitatibus, in quibus gratiose, quantum cum Deo poterimus, adesse vobis intendimus, proinde favorem apostolicum propitium sentiatis. Datum Romæ apud S. Petrum VIII. kal. junii pontificatus nostri anno I.*

XXII. Rodulphus ab Honorio imperialem consecrationem deposcit.

Misit ad novum Pontificem Rodulphus Romanorum Rex cum subjectis literis (*a*) oratores suos, qui ab eo flagitarent, ut diem pro accipiendis Imperii ornamentis constitueret.

*Sanctissimo in Christo patri domino Honorio, divina providentia, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Rodulphus, Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus cum filialis obedientiæ, & reverentiæ promptitudine devotissima pedum oscula beatorum.*

*Quia de fide sincera & devotione purissima honorabilium virorum magistrorum Leupoldi de VVist Dingin, VVillelmi de Selloforti, & Petri præpositi & electi ecclesiæ Maguntinæ, capellani nostri, dilecti ac strenui viri Marguardi de Hyfendal familiarium nostrorum dilectorum; quoniam in ipsis laudabilibus & præclaris operibus sumus experti multoties fructuose, & quotidie experimur præ cæteris, fiduciam gerimus ampliorem; ipsos, quibus secreta cordis nostri aperuimus, ad beatitudinis vestræ pedes fiducialiter destinamus; dantes eis auctoritatem plenariam, & liberam potestatem, ac speciale mandatum petendi, impetrandi, & acceptandi diem nobis de vestra paterna providentia præfigendum pro suscipiendo de vestris sacrosanctis manibus imperiali diademate, & imponenda nobis corona Cæsareæ dignitatis; & jurandi in animam nostram super observatione omnium illorum, quæ circa præmissa ab eisdem vestra reverenda paternitas duxerit requirenda; ratum & gratum habituri quidquid prædicti acceptaverint, ordinaverint, seu fecerint in præmissis. In cujus rei testimonium præsens scriptum exinde conscribi, & majestatis nostræ sigillo fecimus communiri. Dat. Lausanæ X. kal. decembris indict. XIV. anno Domini MCCLXXXV. regni vero nostri an. XIII.*

XXIII. Pollicetur Caroli II. causam in Petrum Arag. suscepturum.

Pollicitus vero aliis literis est Rodulphus, in quibus Honorio de adepta omnium augustissima dignitate gratulabatur, se heredum Caroli causam suscepturum, ob quam egregiam erga Ecclesiam voluntatem Pontifex grates egit, (*b*) ipsumque monuit, ne gravius ferret nonnullas decimas in Leodiensi, Metensi, Virdunensi, & Basiliensi episcopatibus esse concessas Philippo Francorum Regi, cum ille pro tuenda Ecclesiæ causa in Petrum Aragonium expeditionem suscepisset.

*Regi Romanorum illustri.*

*Regiæ celsitudinis literas, quas nobis dilectus filius magister Henricus protonotarius tuus, & nuncius præsentavit, solita benignitate recepimus, & tam quæ continebantur in illis, quam quæ dictus nuncius ex parte regia coram nobis proponere voluit, intelleximus diligenter. Sane credimus, fili charissime, quod intellectis nostræ promotionis auspiciis copiosa, ut eædem literæ continebant, lætitia exultasti. Sed hæc affectio tam sincera sicut exuberantem animo tuo jucunditatem suggerit, sic ingentis ad nos compassionis affectum debet pariter suadere, quoniam summi Pontificis altitudo, summi ponderis sarcinam secum trahit: & sicut honorat, sic onerat; sicut elevat, ita premit; & quemadmodum ad generale dominium ampliat, sic & arctat ad publicam servitutem. Prosequimur autem uberi-*

(*a*) Ext. in arce S. Angeli & in lib. priv. Rom. eccl. to. 2. p. 341. & inter collect. Plat. jussu Six. IV. edita to. 1. p. 184. atque in cod. Vallic. sign. lit. B. n. 12. p. 53. & D. 1. pag. 1.

(*b*) Lib. 1. ep. cur. 9.



*beribus gratiis tam affectuosæ solicitudinis studia, ut tuas nobis literas speciales, & præfatum nuncium destinares per eos magnitudinem regiam, tuique animi promptitudinem, quam acceptissimam gerimus, nostris & Apostolicæ sedis beneplacitis totaliter offerendo. Commendamus quoque quamplurimum, & attollimus laude multiplici voluntatem bonam, intentionem piam, & laudandum propositum, quæ prout ex literis supradictis collegimus, geris circa heredes claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ, plenis favoribus, consiliis & auxiliis confovendos; affectuosius exhortantes, ut propositum & voluntatem hujusmodi stabiliter prosequaris, tanto proinde nobis, & Romanæ ecclesiæ propensius placiturus, quanto specialius ad eamdem Ecclesiam heredum cura spectare dignoscitur prædictorum.*

Gratulatur ob justum consilium susceptum Honorius Rodulpho.

XXIV. *Præterea preces recepimus regias, ut de dilecto filio.. præposito ecclesiæ Maguntinæ, quem regalis sublimitas multipliciter commendavit, prædictæ dignaremur ecclesiæ providere. Super quo talis responsio nostra subsequitur, quod in eadem ecclesia, prout notitiam regiam latere non credimus, duabus dudum electionibus in discordia celebratis, hujusmodi quæstio apud sedem Apostolicam ventilatur: ad cujus expeditionem solicitis intenditur studiis, & speramus, quod, actore Domino, cito debeat terminari. Si autem provisionem ipsius ecclesiæ ad nos devolvi contigerit, nostræ intentionis existit eidem personam talem, Deo largiente, præficere, quæ regiæ celsitudini merito debeat complacere. Cæterum mirari non sufficit excellentia regia, ut scripsisti, quod in Leodiensi, Metensi, Virduensi, & Basiliensi ecclesiis charissimo in Christo filio nostro.. Regi Francorum illustri decima est concessa: propter quod cum instantia postulabas, concessionem hujusmodi per sedem Apostolicam revocari. Cum autem propter gravem necessitatem ecclesiæ Romanæ, tunc temporis imminentem, sicut ad tuam credimus pervenisse notitiam, felicis recordationis Martinus Papa prædecessor noster prædicto Regi Franciæ contra Petrum quondam Regem Aragonum persecutorem ipsius Ecclesiæ manifestum, grande ac sumptuosum de mandato ejusdem Ecclesiæ aggredienti negotium, præfatam decimam duxerit concedendam; advertat quæsumus tua prudentia, quod minus conveniens videretur, si nos ad præsens, prædicto Rege commissum sibi negotium multis laboribus & expensis magnifice prosequente, concessionem revocaremus eamdem. Rogamus itaque excellentiam regiam, & exhortamur in Domino, ut moleste non ferat; quin potius ob reverentiam Apostolicæ sedis, & nostram patienter sustineat, quod circa hoc per dictum prædecessorem extitit ordinatum; præsertim cum in memoratis regni tui ecclesiis decima pro modico tempore, quo dignoscitur esse concessa, non ad magnam credatur ascendere quantitatem. Dat. Tibure kal. augusti anno I.*

Querentem nonnullas Germaniæ decimas Regi Franc. attributas mulcere nititur.

XXV. Philippus Franc. Rex bellum infert Aragoniæ.

Quod ad Philippi in Aragoniam expeditionem susceptam attinet; consentiunt auctores magno ipsum apparatu ac terrore bellum in Aragoniam movisse, de quo hæc Jordanus (*a*): *Eodem anno Rex Franciæ exercitum maximum parat, & vadit ad occupandum regnum Aragonium: propter quod Petrus Rex de Sicilia in Aragoniam transiit. Legatus autem, qui tunc in Francia erat, crucem prædicans contra Aragonensem, & Cathalanum, venit Perpinianum; & inde, favente Rege Majoricarum, sive ex timore damni sui, sive ex amore, quia cognitus ei erat, transiit montes Pyrenæos.* Fuisse Balearem Regem Philippo consentit Nangius, (*b*) ostenduntque pontificiæ literæ, illum Ecclesiæ partes adversus fratrem secutum: a quo cum sibi timeret, ad muniendas arces in Aragoniæ limite sitas triennales decimas a Pontifice obtinuit.

*Honorius, &c. charissimo in Christo filio Jacobo Regi Majoricarum illustri.*

*Affluentis devotionis affectus, quo progenitorum tuorum laudanda vestigia prosequens, erga Romanam ecclesiam matrem tuam, non sine multæ laudis præconio, defervere conspiceris, promeretur, ut eandem Ecclesiam tibi opportunis temporibus sentias in subventione propitiam, in favore munificam, in gratia liberalem. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum verisimiliter dubites, ne Petrus quondam Rex Aragonum ejusdem Ecclesiæ inimicus; pro eo quod ipsi Ecclesiæ, ac etiam charissimo in Christo filio nostro Philippo Regi Francorum illustri adhærere dignosceris contra eum, terram tuam Aragoniæ regno vicinam occupet vel invadat; tu volens in hac parte opportunæ provisionis remedium adhibere, civitates, castra, & alia loca regni Majoricarum; necnon & Rossilionis, Conflenti, & Seritaniæ comitatuum tuorum, per quæ præfato Regi ad prædictum regnum Aragoniæ occupandum patere poterit aditus, intendis, ut expedit, necessariis præmunire. Sed quia in iis maximæ requiruntur expensæ, propter quas Apostolicæ sedis subsidium tibi fore proponis quamplurimum opportunum, nobis humiliter supplicasti, ut decimam omnium ecclesiasticorum proventuum tam religiosarum, quam sæcularium personarum regni Majoricarum, & comitatuum prædictorum, aliorumque locorum, quæ regiæ sunt jurisdictioni subjecta, tibi usque ad certi temporis spatium de benignitate apostolica concedere di-*

(*a*) Jord. MS. Vatic. sig. n. 1960. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 14. & alii.

(*b*) Nang. in gest. Phil. Regis Surita in annal. l. 4. c. 71. & alii.

Rex Balear illi adhæret.

Triennal. decima attributa Regi Majoric.

*dignaremur. Nos itaque, &c.* Attribuit illi triennales decimas. *Dat. Perusii* IV. *non. januarii anno* IV. Verum Balearem Regem ob suorum defectionem sua ditione exutum ab Aragoniis, ac deinde ex fœderis pactionibus illi restitutam visuri sumus. Quod ad Philippi expeditionem attinet; illam Jordanus hisce verbis perstringit (*a*): *Capit unam civitatem circa dictos montes*, nimirum Pyrenæos, *a parte Cathelonia vocatam Gerundam. Volebat autem ulterius procedere: sed tanta fuit epidimia in exercitu, ut consuleretur Regi, ne omnino ultra procederet*, sed de ea lue inferius. Addit auctor: *Quædam militiæ pars descendit in vallem Cathelonia, quæ obvium habuit Regem Aragonum cum sua militia: & cum pugnassent, multi utrinque ceciderunt. Ibi quoque Rex Aragonum vulneratur, de quo vulnere tandem moritur.*

(*a*) Jord. MS. Vat. bibl. sign. n. 1960.

Addit Joannes Villanus (*b*) e funesto casu, dum una cum meretrice impudice versabatur nondum curatis vulneribus apertisque, ebullientis sanguinis vi infelici morte occubuisse. Id etiam a nonnullis traditum scribit S. Antoninus; (*c*) non tamen ejus rei meminere scriptores Hispanici: quamquam Mariana (*d*) conscientiæ gravioribus aculeis ob censuras contractas extimulatum innuat: *Mors*, inquit, *ad Villamfrancam oppressit* VI. *id. novembris integra adhuc ætate annos natum quadraginta sex;* interjectisque ejus elogiis subdit: *Una tantum anathematis ignominia ad vitæ finem notatus, quam imaginem menti morientis atque oculis inerrasse fama est; verane affirmare non ausim: interest tamen publice ut vera videatur tametsi ea etiam religione a Tarraconensi præsule procuratus est sub mortem ecclesiæ Romanæ, cui parere recusarat, obedientiam conceptis verbis juratus. Corpus ad S. Crucis cœnobium quod vicinis locis est sepultum. Filios reliquit Alfonsum natu maximum, quem paterni imperii heredem testamento dixit (de Siciliæ regno mentio nulla) præterea Jacobum, Fridericum, Petrum.*

(*b*) Joan. Vill. l. 7. c. 102.

Caute ab Aragoniis & Catalanis celatur Petri Regis mors.

(*c*) Anton. 3. p. tit. 20. c. 3. §. 10. & alii.

(*d*) Marian. de reb. Hisp. l. 14. c. 9.

At Aragonii Regis mortem celarunt, ne illius fama ad Gallos effluere, territique populi victoris jugum acciperent: ut tradat Nangius (*e*) nuncium illius ad Gallos non pervenisse, etiam cum Gerundenses commeatus inopia adducti se Gallis dediderunt. In ea porro obsidione, quæ in tertium mensem ducta est, ex aeris gravitate, atque ex putrescentium equorum fœtore exorta pestis in Gallorum exercitu grassata est: auctam vero scribit Mariana (*f*) ob violatum sancti Narcissi sepulcrum & direpta donaria; ereptumque Gallorum ducibus consilium adeo, ut partem classis, quam conduxerant, ob nimios sumptus dimiserint, nec aliam ut par erat instruxerint. Secutam inde cladem describit Ptolemæus Lucensis (*g*): *Rudrigus Delloria cum suis galeis navalem exercitum Regis Franciæ prope Narbonem fortiter invadit, & omnes quasi galeas dicti Regis combussit, quia ipsas magistri curiæ propter avaritiam reliquerunt immunitas: unde Rex Franciæ in infirmitate constitutus magnum dolorem concepit, ex quo & mors ipsius citius fuit accelerata, & si vixisset, ultionem sumpsisset de iis, qui curam habebant dicti navigii.* Consentit Ptolemæo Lucensi Jordanus (*h*).

(*e*) Nang. ubi sup.

XXVI. Imprudenter Galli partem classis dimittunt.

(*f*) Marian. de reb. Hisp. l. 14. c. 20.

(*g*) Ptol. Luc. l. 24. MS. hist. eccl. c. 17.

(*h*) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.

Adverso illo casu perculsus Philippus, cum in dies difficiliora fore prævideret, nec jam classis ad commeatus inferendos suppeteret, in Tholosanam provinciam regredi decrevit, atque ex cœli intemperie adversisque rebus concepto animi mœrore morbo implicitus adeo debilitatus est viribus, ut hærere in equo non posset. Redeunti fauces Pyrenæorum occupavere obvii Aragonii, ferroque iter perrumpendum fuit: ubi post atrocissimum prælium, pugnabant enim Galli pro Regis sui libertate, qui lectica vehebatur, propulsati Aragonii; sed magno cruore stetit victoria, amissaque impedimentorum pars. Progresso Perpinianum magnis laboribus exercitu, Philippus perceptis (ut ait Nangius *i*) ecclesiasticis sacramentis obiit, [1] suique ingens omnibus Gallis desiderium reliquit, de quo insigne hoc elogium vetusti Francorum annales (*k*) de S. Ludovico locuti referunt, dignumque tanto parente ipsum extitisse ostendunt: *Christus bonæ memoriæ Ludovico Regi, domum stabilivit, dum Philippum ejus filium in throno regali provehi est dignatus. Denique dictum est David a Domino: Si custodierint filii tui testamentum meum & testimonia mea hæc, quæ docebo eos, & filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam; super sedem paternam Philippus Rex, ut dictum est, collocatus patris sui non immemor præceptorum, quibus illum in extremis laborans imbuerat, ambulavit cum Domino, sapientum tractatibus corde ultroneo adhærendo: & maxime tunc usus est consilio & disciplina reverendi patris Matthæi abbatis S. Dionysii in Francia, viri religiosi & sapientiæ floribus ordinati, cui super omnes assessores palatii regii causas & universa negotia regni sui, sicut & pater suus fecerat Ludovicus Rex, expedienda tradidit. Illo etiam tempore, quo post mortem Isabellæ Reginæ sine uxore fuit, cilicio, ut ajunt, usus est, loricam desuper indutus: domabat enim corpus suum jejuniis, & mirabili ciborum abstinentia se restringebat, ne vitiis humanæ fragilitatis fœdaretur. Ex illo vero tempore ita frugalitatem servavit usque ad mortem, quod potius monachus, quam Rex vel miles, propter abstinentiam posset dici. Erat insuper omnibus blando eloquio affabilis, humilitatis gratia præditus, & inter suos barones & milites mirabili mansuetudine residebat dominus absque ullo fastu superbiæ: his & aliis multis pollens virtutibus toto tempore vitæ suæ pacem in regno suo meruit obtinere.* Versurus erat arma in Saracenos Asiaticos, nisi Aragonii fraus illum ab eo consilio distraxisset. Luxit illius, ut fortissimi Ecclesiæ defensoris, mortem Pontifex, ac fidelibus sacra indulgentiarum præmia proposuit, qui pro illius anima e flammis expiatoriis liberanda preces Numini porrexissent, quo argumento ad totius orbis Christiani fideles hæc sequenti anno scripsit (*a*).

(*i*) Nang. ubi sup. & alii.

Succedit illi Philippus filius Navarræ Rex.

(*k*) To. 5. histor. Franc. p. 527.

E corporis animique ægritudine obit.

Philippi elogium.

Viduus carnem domabat cilicio.

(*a*) Lib. 2. ep. 94.

Philippi dicti Audacis elogia ab Honorio illi attributa.

*Honorius, &c.*

*Qualiter hoc claræ memoriæ Philippo Regi Franciæ nuper defuncto, suis exigentibus meritis debeatur, illud inter cætera evidentius manifestat, quod ipse tanquam princeps Christianissimus, & devotionis antiquæ sui generis sedulus prosecutor, quondam Petrum olim Regem Aragonum (per cujus nequitiam, Dei & Ecclesiæ, immo totius Christianitatis negotia, & præcipue Terræ sanctæ, non est dubium impedita fuisse hactenus, & adhuc etiam impediri) defensionem ipsius Christianitatis, & fidei Christianæ, quæ propterea liberius a Crucifixi hostibus, præcipue in partibus transmarinis impetitur; & impugnationem dicti Petri sic ferventer assumpsit, quod sumptibus non vitatis innumeris, illas in persona propria potenter & viriliter prosequens, seque ipsum laboribus immensis, & discriminibus diversis exponens, præsentis vitæ curricula, prout permisit Altissimus, in ipsarum prosecutione finivit.*

Indulgentiarum præmia concessa preces pro eo daturis.

*Merito itaque multiplicatis orationum suffragiis pro ipso implorandus est pius omnium Conditor & Redemptor, ut ipse sua ineffabili pietate optatæ indulgentiæ sibi concedat effectum, ipsumque in lucis æternæ beatitudine collocet, culpis omnibus expiatum. Et ut ad suffragia hujusmodi apud Altissimum fundenda pro eo cuncti renati fonte baptismatis tanto efficacius inducantur, quanto amplius spiritualis remunerationis exinde præmium consequentur; nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui pro remedio animæ dicti Regis orationem dominicam dixerint, decem dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus, præsentibus post decennium minime valituris. Dat. Tibure* III. *non. aug. anno* II.

Philippus ejus nominis major natu filius ob oris elegantiam atque egregiam membrorum conformationem Pulcher dictus, Galliarum, & Navarræ Joannæ uxoris jure Rex sceptrum capessivit. Quibus enarratis Nangius historiæ suæ finem adjecit.

XXVII. Philippus Rex revertitur in Gallias.

XXVIII. Sicularum rerum status.

Afflictæ admodum Regis Francorum morte sunt Neapolitanæ res, quæ dum ille in Catalonia bellum gereret, sese efferebant: plures enim Siculi victoris signa mox secuti, auditis Philippi in Aragoniam irruptionis rumoribus, ad officium reversi sunt, quos Honorius censuris, quibus devincti erant, a Gerardo episcopo Sabinensi A. S. L. liberari jussit (*b*).

(*b*) Lib. 1. ep. cur. 10.

Consultum etiam est regnicolis gravissimo jugo jam ante attritis ab Ecclesiæ hostibus infensissimis Friderico II. olim Imperatore & Conrado ac Manfredo filiis; cum Carolus primus utriusque Siciliæ Rex imposita onera nondum sustulisset, nec restituisset libertates, quæ Guillelmi II. Siciliæ Regis temporibus viguerant, ut Clementem IV. inter & ipsum conventum erat, cum Siculum regnum apostolica liberalitate jureque fiduciario traditum est. Ipsos itaque Siculos citeriores Honorius IV. summus Pontifex subjectis legibus a durioribus oneribus levatos in pristinam libertatem asseruit (*c*).

(*c*) Honor. l. 1. ep. 92. pag. 25.

*Honorius Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

XXIX. Ob male administratam justitiam collabuntur regna.

*Justitia & pax complexæ sunt se, ita societate indissolubili sociatæ, sic se comitatu individuo comitantes, ut una sine altera plene non possit haberi, & qui lædit alterutram pariter offendat utramque. Hinc complexus earum graviter impeditur injuriis per eas etenim, læsa justitia, pax turbatur; ipsaque turbata facile in guerrarum, discrimina labitur: quibus invalescentibus justitia inefficax redditur, dum debitum sortiri nequit effectum. Sicque ipsa sublata, nimirum pax tollitur, opus ejus & ipsius fructus subducitur seminandus*

NOTÆ [1] QUamquam Annalista hic Philippi regis Francorum obitum post casum Petri Aragoniæ Regis narrat, ut postrema hæc mors alteram præcessisse videatur; res tamen aliter habuit se se; nam Philippus, Gerunda expugnata quæ die VII. Septembris cecidit, morbo ex labore contracto, cum Perpinianum devenisset, ibi diem clausit extremam Septembris die XXIII. Hæc ex veterum Scriptorum testimonio Fleury Hist. Eccles. lib. 88. MANSI

*dus in pace, ac proinde complexis deficientibus necessario deficit & complexus. In horum vero defectu, licentia laxata dissidiis, multiplicantur bella, pericula subeunt animarum & corporum crimina frequentantur; nec rerum vastitas praeteritur: haec in praesidentium injuriosis processibus, & inductarum in subditos oppressionum excessibus patent apertius, & evidentius ostenduntur. In quorum multiplicatione sauciantur corda laesorum, & quanto minus datur opportunitas licite propulsandi, quae illicite inferuntur, tanto rancor altius radicatur interius, & periculosius prorumpit exterius, opportunitate concessa. Fiunt enim plerumque hostes ex subditis, transeunt auxilia securitatis in metum, munitiones in formidinem convertuntur, nutant regnantium solia, redundant regna periculis intestinis, quatiuntur insidiis, extrinsecis insultibus impetuntur audacius, & regnantes in eis, qui operantes justitiam, exaltationis gloriam mererentur, humiliati propter injustitias frequenter opprobrium dejectionis incurrunt.*

XXX. Ut Siculi a Frid. Imp. graviore jugo sint oppressi.

*In praemissis, etsi scripturae nos instruant, efficacius tamen notis docemur exemplis. Quantis enim tempore quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris propter illatas regnicolis afflictiones illicitas, & oppressiones indebitas in regno Siciliae, non absque immensitate gravaminum inductas ab ipso, regnum ipsum tempestatibus fluctuarit; quot & quantis rebellionibus concussum extiterit, quot invasionibus attentatum; quantum per ipsum & posteros suos depauperatum opibus, quot incolarum exiliis & stragibus diminutum; nullum fere angulum orbis latet: quam praecipiti Fridericus idem, & genus ipsius ruina corruerunt, probat notorius casus ejus, & manifestum eorumdem exterminium posterorum. Verum adeo Friderici ejusdem in dictis continuata & aucta posteris, ac in alios exemplari derivatione transfusa processit iniquitas, quod per eum inventa gravamina usque ad haec tempora duravisse, nec non & augumentata dicuntur aliqua eorundem, & adjecta nihilominus alia non minora: propter quod nonnullorum supponit opinio, quod claraе memoriae Carolum Regem Siciliae, quem prosecutionis dictorum gravaminum eorumdem Friderici & posterorum perniciosa exempla fecerunt saltem permissione participem; dum opinaretur forsitan licita, quae ab illis audiverat tam longis temporibus usurpata; reddiderunt etiam praedictorum consequentium ad illa discriminum non prorsus expertem, prout Siculorum rebellio multis onusta periculis, aliorumque ipsam foventium persecutio manifestant, non solum in ejusdem Regis ac heredum suorum grave adeo excitatae discrimen, quod ipsis heredibus, nisi per nos celeri occurratur praetactorum subductione gravaminum, instans perditionis totius dicti regni periculum comminantur; sed & in grande nostrum & ecclesiae Romanae dispendium prorogatae: cum sit per eas in Siciliae insula & nonnullis aliis ejusdem regni partibus ipsarum, incolis nec nobis nec Ecclesiae ipsi parentibus, sed adhaerentibus potius inimicis, nostra & ipsius Ecclesiae civilis interversa possessio, & in caeterarum aliquibus turbata frequentius, & turbetur. Ex quo datur patenter intelligi, quantum in iis nostrum & Ecclesiae praefatae interesse versetur, quantumque ad nostrum spectet officium, & heredum ipsorum praecipue necessitas exigat, non tantum praemissis obortis in eodem regno, quod est ipsius Ecclesiae speciale tamquam ad jus & proprietatem ejus pertinens dictisque Regi & heredibus in feudum ab ipsa concessum, obviare periculis; sed etiam ne similia oriantur in posterum, diligentem curam & curiosam diligentiam adhibere, praetacta gravamina eorumdem periculorum, ut veritati concurrat expressio manifestas occasiones & causas congruae provisionis beneficio abrogando, cum proprietatis domino praedium, in quo est jus alii constitutum, pro eo quod sua interest tueri fines ipsius, custodire liceat eo etiam, cui jus debetur invito: custodiae autem nomen id habeat, quod qui tenetur ad eam non solum id debeat, ut si casu viderit in re custodienda fieri, quid adversum, prohibeat facientem; verum etiam, ut curet dare operam, ne id fiat.*

Inde conflata ab exasperatis populis conjuratio.

Mederi his malis jure agreditur Honorius.

XXXI. *Multiplex itaque nos ratio interpellat & exigit illud in hujusmodi gravaminibus, super quibus fama publica, & variae inquisitiones per venerabilem fratrem nostrum Gerardum Sabinensem episcopum Apostolicae sedis legatum factae de speciali mandato sedis ipsius, & indagationes alias habitae nos informant, nostrae provisionis edicto remedium adhiberi, per quod, injustis submotis oneribus circa ea, in regno praefato solide stabilita justitia regium thronum firmet, pacis tranquilla producat; sit inibi publicae tranquillitatis silentium cultus ejus, & ipsa vinculum societatis humanae sic superiorem populo sibi subjecto domesticet, eique ipsius populi corda consolidet, quod superior, insidiarum solicitudine absolutus, securitatis jucunditate laetetur, populus pressuris indebitis liberatus in pacis pulchritudine sedeat, & in requie opulenta quiescat; & in unanimitate ipsorum, ac mutuo sinceritatis affectu, ejusdem regni statu roborato pacifico, non sit, profligatis hostibus, qui foris exterreat, aut qui, pacatis incolarum ejusdem animis, intus turbet.*

Nec levati a Carolo.

*In-*



XXXII. Carolus I. & II. Romanum Pont. ad id precibus urserant.

*Instantiae quoque praemissae interpellationis non modicum adiicit, quod memorati Regis, dum viveret, & dilecti filii nobilis viri Caroli sui primogeniti ex eo manifeste percepimus, ad id vota concurrere, quod idem Rex super directione, ordinatione, reformatione, seu quacumque alia dispositione, collectarum, exactionum, matrimoniorum, aut aliorum quorumlibet, quae gravamina dicerentur, vel dici possent; tam circa ecclesias, monasteria, & alias ecclesiasticas personas, quam circa communitates, & universitates civitatum castrorum, & aliorum locorum, & etiam circa singulares personas totius regni praedicti, aut cujuslibet partis ejus felicis recordationis Martini Papae IV. praedecessoris nostri directioni, reformationi, dispositioni, & ordinationi se plene ac libere, alte & basse submisit; dans & concedens eidem super iis plenam & liberam potestatem; ac promittens quicquid per eundem praedecessorem ipso Rege, dictove primogenito, tunc ejus vicario in regno eodem, & aliis suis officialibus requisitis, vel irrequisitis etiam actum foret, se ac heredes suos ad hoc specialiter obligando, inviolabiliter observare, suis super hoc patentibus literis praedecessori concessis eidem. Praemissa quoque in mortis articulo per alias suas similiter patentes literas plenius repetens & confirmans, eidem praedecessori per eas humiliter supplicavit, ut omnia onera fidelium regni sui, & quae gravamina dici possent, removere, tollere, & cassare, dictumque regnum prospere reformare, omniaque statuere, quae ad bonum statum heredum suorum, & fidelium eorumdem, expedire videret, sua provisione curaret: non obstante si Regem ipsum tunc infirmitate graviter laborantem naturalis debiti solutione contingeret praeveniri, sicut praemissae ipsius Regis literae, quae per nos & aliquos ex fratribus nostris diligenter inspectae in archivio ejusdem servantur ecclesiae, manifestius attestantur. Et tam idem Rex, quam dictus primogenitus super tollendis aliquibus eorundem gravaminum constitutiones varias edidisse dicuntur, licet & illae plenioris executione observationis indigeant, non plene ut intelleximus hactenus observatae. Volentes igitur & illis robur apostolicae confirmationis adiicere, ut inferius exprimetur, & praetactum nostrum exequi accommodae provisionis adjectione propositum, infrascripta omnia, prout subjecta eorum series indicat, de fratrum nostrorum consilio & assensu, ac potestatis plenitudine providendo a gravamine illo deliberavimus inchoandum, quod majorem scandali materiam & generalius ministrabat. Ideoque ut omnino cesset in regno eodem onerosa exactio collectarum, praesenti edictali provisione ac constitutione valitura perpetuo prohibemus, per Reges, qui pro tempore fuerint, seu pro eis dominantes in regno praedicto, vel ministros ipsorum collectas fieri, nisi tantum in quatuor casibus infra scriptis.*

Editae ab iisdem ad levandos populos plures sanctiones.

Decernit Honorius quibus casibus subsidiarium aes colligendum sit.

XXXIII. Cum propulsandus est hostis.

Rex servitute eripiendus.

Filius cingulo equestri donandus.

Tradendae nuptui filiae.

*Primus est pro defensione terrae, si contingat invadi regnum invasione notabili sive gravi, non procurata, non simulata, non momentanea, seu transitura facile, sed manente; aut si contingat in eodem regno notabilis rebellio, sive gravis similiter non simulata, non procurata, non momentanea, sive facile transitura, sed manens. Secundus est, pro Regis persona redimenda de suis redditibus & collecta, si eum ab inimicis captivari contingat. Tertius est pro militia sua, seu fratris sui consanguinei, & uterini, vel saltem consanguinei, sive alicujus ex liberis suis, cum se hujusmodi fratrem suum, vel aliquem ex eisdem liberis militari cingulo decorabit. Quartus est pro maritanda sorore simili conjunctione sibi conjuncta, vel aliqua ex filiabus aut neptibus suis, seu qualibet alia de genere suo ab eo per rectam lineam descendente, quam & quando eam ipse dotabit.*

XXXIV. *In praedictis enim casibus, prout qualitas tunc imminentis casus exegerit, licebit Regi collectam imponere ac exigere a subjectis: dum tamen pro defensione, invasione, seu rebellione praedictis, aut ipsius domini redemptione quinquaginta millium, pro militia duodecim millium, pro maritagio vero quindecim millium unciarum auri summam collectae universalis totius regni ejusdem tam ultra Farum quam citra quantitas non excedat. Nec concurrentibus etiam aliquibus ex praedictis casibus, collecta in uno & eodem anno nisi una tantummodo imponatur. Sicut autem collectae quantitatum praedictas summas in suis casibus limitatas excedere, ut praemittitur, prohibemus, sic nec permittimus indistincte ad ipsas extendi, sed tunc tantum cum casus instantis qualitas id exposcit. Et ut in praedictis etiam casibus possit Rex, qui pro tempore fuerit, eo vitare commodius gravamina subditorum, quo uberiores fuerint redditus & obventiones ipsius, eum a demaniorum donatione volumus abstinere, id sibi consultius suadentes.*

XXXV. Novum monetae genus semel tantum conflandum a singulis Regibus.

*Simili quoque prohibitioni subiicimus mutationem monetae frequentem, apertius providentes, quod cuilibet Regi Siciliae liceat semel tantum in vita sua novam facere cudi monetam; legalem tamen, & tenutae secundum consilium peritorum in talibus competentis, sicut in regnis illis observatur, in quibus est usus legalium monetarum; quodque usualis moneta sit va-*

*valoris exigui, & talis, quod in eodem valore sit apta manere toto tempore vitæ Regis, cujus mandato cudetur, nec pro ea vel aliqua magna moneta, quam idem Rex semel tantum in vita sua fecerit, expendenda, fiat collecta vel distributio, sed campsoribus & aliis mercatoribus, volentibus eam sponte recipere, tribuatur: & hoc ita præcipimus perpetuis temporibus observari.*

Quæ multæ infligendæ in homicidiis clandestinis.

*In homicidiis clandestinis providendo præcipimus, nihil ultra pœnam inferius annotatam ab universitatibus exigendum; videlicet, ut pro Christiano, quem clandestine occisum inveniri continget, ultra centum augustales, pro Judæo vero vel Saraceno ultra quinquaginta nihil penitus exigatur, augmento, quod circa eandem pœnam idem Rex dicitur induxisse, omnino sublato: præsertim cum memorati Rex & primogenitus dicantur idem per suas constitutiones noviter statuisse; quas quoad hoc decernimus inviolabiliter observandas; & hæc intelligi tantum in homicidiis clandestinis, in quibus ignoratur maleficus, nec aliquis accusator apparet: adiicientes, quod non nisi tantum in locis magnis & populosis exigi possit quantitas supradicta; in aliis vero infra quantitatem eandem pro quantitate locorum exactio temperetur.*

XXXVI. *Eidem provisioni adiiciendo præcipimus, universitates ad emendationem furtorum, quæ per singulares personas contingit fieri, nullatenus compellendas; nec ad mutuandum Regi, aut curiæ suæ, aut officialibus, vel ministris ipsorum; aut recipiendum aliquatenus regiæ massariæ custodiam, sive onus, seu possessionum regalium procurationem, aut cabellæ, vel navium, seu quorumcumque vassellorum fabricandorum curam quemquam cogendum invitum, usurpationibus, quæ contrarium inducebant, penitus abrogatis: maxime cum dicti Rex & primogenitus ad relevanda, non tamen plene, gravamina in præmissis inducta constitutiones varias promulgasse dicantur.*

Naves sumptu regio non privatorum construendæ.

*Concedimus autem, ut si casus emergat, in quo sit necessarium naves vel alia vassella pro utilitate publica fabricari, liceat tunc regnanti committere curam fabricationis hujusmodi expensis regiis faciendæ personis idoneis, videlicet hujus rei peritiam habentibus, & quos officium tale decet, & ipsius satisfiat pro susceptione curæ prædictæ de competenti mercede; & idem servari præcipimus in faciendo biscotto. Ad captivorum custodiam universitates vel singulares earum personæ nullatenus compellantur; præsertim cum hoc ipsum dicatur ejusdem Regis constitutione provisum, quod præcipimus inviolabiliter observari.*

XXXVII *Gravamen quod in pecunia destinanda Regi vel regali cameræ, seu ad loca quæcumque alia universitatis alicujus expensis per aliquas personas ejusdem universitatis periculo eligendas inferri dicti regni universitatibus dicebatur, provisione simili prohibemus ipsis universitatibus, vel singularibus personis earum de cætero irrogari: maxime cum dicatur idem quoad universitates dicti primogeniti prohibitoria constitutione provisum, quam in hac parte decernimus inviolabiliter observandam.*

Quæ castra publica impensis instauranda.

*Illud, quod in eodem regno dicitur usurpatum, videlicet quod incolæ ipsius regni ad reparanda castra, & construenda in eis expensis propriis nova ædificia cogebantur, emendatione congrua corrigentes, providendo præcipimus, ut nihil ultra expensas necessarias ad reparationem illorum antiquorum castrorum, quæ consueverunt hactenus incolarum sumptibus reparari, & ædificiorum, quæ in hujusmodi castris fuerant ab antiquo ab eisdem incolis peti possit: & constitutio, quam circa hoc idem primogenitus edidisse dicitur, in hujusmodi antiquis castris & ædificiis solummodo intelligenda servetur. Antiqua vero castra intelligi decernimus in hoc casu, quorum constructio annorum quinquaginta jam tempus excessit.*

XXXVIII *Circa personas accusatas, quæ in eodem regno injuste capi dicebantur, etiam si idoneos fidejussores offerrent, licet dictus Rex aliquid statuisse dicatur ad gravamen hujusmodi temperandum; nos tamen, ut nulla super hoc querela supersit, providendo præcipimus jura civilia observanda: & eadem observari volumus circa destitutionem possessorum comitum, baronum, & quorumlibet aliorum, qui per regalem curiam, & officiales ipsius, ac alios alienigenas feuda tenentes in regno suis possessionibus, si quando curia, officiales, vel alienigenæ prædicti se jus habere prætendebant in illis, spoliari sive destitui dicebantur, & de possessoribus effici petitores, nullo juris ordine observato; nec non & cum aliquis dicitur invenisse thesaurum, & etiam cum quis apud eandem curiam pro alio fidejussit; ita quod nec aliquis suæ destituatur possessionis commodo, vel spolietur, aut destituatur eadem, nec quoad illum, qui defertur, aut convincitur de inventione thesauri; nec quoad fidejussores curiæ datos aliter, quam eadem jura statuunt, procedatur.*

De thesauro invento.

XXXIX *Regibus futuris pro tempore in regno prædicto & memoratis incolis, qui de inordinata passuum ejusdem regni custodia querebantur, de passu se immoderate gravari, similiter providentes eidem custodiæ moderamen competens adhibemus; videlicet quod tempore impacato, seu imminente turbatione, aut verisimili turbatio-*



*tionis suspicione, & contra ipsum Regem, aut dictum regnum, seu in regno eodem Rex possit facere passus eosdem ad evitandum pericula custodiri. Tempore vero pacifico incolis regni habitantibus in eodem, ac aliis non suspectis liber sit ex eo exitus & ingressus in illud; ita tamen quod equi ad arma nullo tempore sine Regis licentia extrahantur exinde ad vendendum. Victualia vero quælibet de suis possessionibus vel massariis, seu oves, boves, & alia animalia humano competentia usui, de propriis gregibus, armentis, vel redditibus habita extra regnum; dum tamen non ad inimicos earumdem Regis & regni, utriusque libere mittat etiam ad vendendum, nisi sterilitas aut prætactæ turbationis instantia seu verisimilis suspicio suadeat, circa missionem hujusmodi per Regem ejus temporis aliud ordinandum. Si vero prædicta victualia vel animalia ex negotiationis commercio habeantur, etiam fertilitatis tempore absque regnantis licentia extra regnum mittere, vel ex ipso extrahere non liceat sic habenti; in omnibus præmissis missionis seu extractionis casibus, jure quodcumque Regi competit, per omnia semper salvo. Infra regnum vero etiam per mare liceat cuilibet ecclesiasticæ sæcularive personæ frumentum & alia blada, necnon & legumina de propriis terris, massariis, atque redditibus habita sine jure exituræ fundici seu dohanæ in loco, in quo victualia recipiantur, vel deponantur præstando de uno loco deferre seu facere deferri ad alium, a Rege, seu ipsius officialibus licentia non petita. Emptitia vero jure exituræ ac fundici non soluto, sed alio, si quod Regi debetur, dummodo emptitiorum delatio de portu licito ad similem portum & cum barcis parvis centum solummodo salmarum, vel infra capacium tantum fiat, & deferentes, seu deferri facientes præmissa emptitia dent particulari portulano loci, in quo fiet oneratio eorundem, fidejussoriam cautionem, quod literas testimoniales de ipsorum victualium, & leguminum extractione a simili portulano loci, in quo exoneratio ipsa fiet, habeant infra certum terminum pro locorum distantia præfigendum: & hæc omnia perpetuo præcipimus observari.*

Quæ præsidia adhibenda.

Liber commercii usus permissus.

XL. Naufragorum bona restituenda.

*Abusum contra naufragos, ut fertur, inductum, in eo quod bona, quæ naufragium evadebant, capiebantur per curiam, nec ipsis naufragis reddebantur, ejusdem provisionis oraculo penitus abolemus, præcipientes bona hujusmodi illis restitui, ad quos spectat.*

*Querelam gravem hominum regni ejusdem super eo nobis exhibitam, quod curiales, stipendiarii regii, & alii regalem sequentes curiam in civitatibus & locis, ad quæ cum dicta curia vel sine ipsos declinare contingit, domos civitatis, seu locorum eorumdem pro suo arbitrio dominis intrabant invitis; & interdum ejectis, eisque in altilibus animalibus & aliis bonis eorum, & quandoque horum occasione in personis ipsorum graves injurias inserebant, sopire competentis provisionis remedio cupientes; prohibemus, ne aliquis curialis, stipendiarius, vel alius sequens curiam memoratam, domum vel hospitium aliquod capere sive intrare propria auctoritate præsumat; sed per duos, vel tres, aut plures, prout civitatis aut loci magnitudo poposcerit, per eandem curiam, & totidem electos a locorum incolis, auctoritate tamen regia deputandos, hospitia memoratis curialibus, stipendiariis, & aliis assignentur. Iidem autem curiales, stipendiarii, & alii nulla bona suorum hospitum capiant, nec in illis aut in personis eorum ipsis aliquam injuriam inferant, nec ipsorum aliquis pro eo, quod sibi hospitium fuerit aliquando taliter assignatum, si eum alias ad eundem locum cum curia vel sine curia venire contingat, sibi jus hospitandi vendicet in eodem, aut ipsum intrare audeat, nisi fuerit sibi simili modo iterum assignatum. Hujusmodi autem hospitia taliter assignata præfati Rex, illi de domo ac familia sua gratis semper obtineant. Reliqui vero sive stipendiarii sive quicumque alii per unum mensem solum, si tanto tempore in eodem loco contingat curiam residere; si vero ultra resederit, vel ipsos stipendiarios, aut alios ad aliqua loca sine curia venire contigerit, satisfaciant dominis hospitiorum, seu ipsorum actoribus de salario competenti per deputatos, ut præmittitur, moderando.*

Qua lege regii stipendiarii hospitia sint habituri.

XLI. Commeatus regio nomine non intercipiendi.

*Similiter prohibemus, ne in locis, in quibus vina & victualia possunt venalia reperiri, quisquam ea per regalem curiam, aut curiales, seu quoscumque ministros ipsorum, vel quoscunque alios invitus vendere compellatur: nec aliqua bona nolentibus vendere auferantur, nec eorum vegetes consignentur: & si de facto fuerint consignatæ, signa imposita liceat dominis auctoritate propria removere: præsertim cum præfatus Rex hoc ipsum de remotione hujusmodi statuisse dicatur. Si vero in loco, ad quem curiam, curiales & alios prædictos declinare contingit, talia venalia non habentur, abundantes in illis, per aliquem vel aliquos ad hoc a regali curia, & totidem a locorum incolis electos, auctoritate tamen regia deputandos, omnia hujusmodi, quæ habent ultra necessaria suis & familiarum suarum usibus, non solum curiæ, sed curialibus & aliis eam sequentibus cogantur vendere pretio competenti per deputatos, ut præmittitur, moderando.*

In

XLII. Matrimoniorum libertas restituta.

*In matrimoniis, in quibus volentibus ea contrahere varia impedimenta contrahendi adimentia libertatem per Regem, & suos ingeri dicebantur, apostolicæ provisionis beneficium deliberavimus adhibendum. Ideoque provisione irrefragabili prohibentes regnicolis regni habitatoribus matrimonium inter se contrahere volentibus per Regem & suos officiales, aut alios quoslibet inhibitionis, seu cujuslibet obicem impedimenti præstari, declaramus & declarando præcepimus libera esse matrimonia inter eos; ita quod bona mobilia vel immobilia, feudalia vel non feudalia libere sibi mutuo dare possint in dotem, nec iidem regnicolæ regni, ut præmittitur, habitatores ejusdem super matrimonio inter se contrahendo aut in dotem dando bona quælibet licentiam petere teneantur: nec pro eo quod matrimonium, cum bonis quibuslibet, aut dote quantacumque contractum fuerit, a Rege licentia non petita, contrahentibus, aut alterutri eorumdem, vel parentibus, consanguineis, sive amicis ipsorum in personis aut rebus impedimentum, dispendium, vel gravamen aliquod irrogetur, nulla in præmissis constitutione, vel consuetudine contraria de cætero valitura.*

XLIII. *Providendo præcipimus, ut si quando in regno prædicto contra certam personam fuerit inquisitio facienda nisi ea præsente, vel se per contumaciam absentante, non fiat. Si vero præsens fuerit, exhibeantur sibi capitula, super quibus fuerit inquirendum, ut sit ei defensionis copia & facultas. Simili provisione præcipimus, ut pro generalibus inquisitionibus nihil vel sub compositionis colore, vel alias ab universitatibus exigatur; sed si procedendum fuerit, juste procedatur ex eis, præsertim cum dictus Rex Carolus hoc idem statuisse dicatur. Hujusmodi præcepto adiicimus, ut quoties inter fiscum & privatum causam moveri contingit, non solum in examinando jura partium, sed & ad diffinitivam sententiam juste ferendam, sive pro privato, sive pro fisco, nec non & ad ipsius executionem nulla in hoc difficultate ingerenda per fiscum efficacitur procedatur; ita quod nec in prædicto examine, nec in prolatione, vel executione sententiæ injustam moram, vel aliam injuriam patiatur per fisci potentiam justitia privatorum.*

De causis inter fiscum & privatos.

XLIV. *Providendo districtius inhibemus, forestas per Regem, aut magnates suæ curiæ, vel officiales, seu quoscumque ministros in terris fieri privatorum; vel aliquarum forestarum occasione per regiam curiam, magistros, vel custodes forestarum ipsarum aliquem in cultura terrarum suarum, seu etiam perceptione fructuum impediri, sive ipsis propter hoc damnum aliquod, vel injuriam irrogari: factas vero de novo forestas hujusmodi omnino præcipimus amoveri.*

*Omnes ecclesiasticæ sæcularesve personæ regni Siciliæ libere suis salinis utantur: & præsentis provisionis oraculo prohibemus, ne illis per Regem, officiales, aut quoscumque ministros ipsius, usus, aut exercitium interdicatur earum; neve quisquam prohibeatur sal de salinis ipsis proveniens emere ab eisdem. Abusiones castellanorum, per quas homines dicti regni ad portandum eis paleas, ligna, & res alias etiam sine pretio cogebantur inviti; & iidem castellani de rebus, quæ circa, seu per castra eadem portabantur, pedagia exigebant, præsentis provisionis beneficio prohibemus.*

Præfectorum arcium gravamina sublata.

XLV. *Ejusdem provisionis edicto præcipimus, ut pro literis regiis & sigillo nihil ultra ipsius regni antiquam consuetudinem exigatur: videlicet ut pro literis justitiæ nihil omnino; pro literis vero gratiæ, in qua non est feudi, vel terræ concessio, nihil ultra quatuor tarenos auri ab impetrante solvatur, nulla in præmissis distinctione habita inter clausas literas, & apertas. Pro literis autem super concessione feudi, vel terræ corfectis; nec non & pro privilegiis aliis, pro concessionis, seu privilegii qualitate, ac benevolentiæ concedentis curiæ satisfiat; dum tamen summam decem unciarum pro quolibet concesso feudo integra satisfactio non excedat. Sed nec prætextu sigilli regii, justitiæ sive gratiæ literis in aliquo casuum prædictorum impressi, vel appensi, forsitan impetrans ultra quam præmittitur, solvere compellatur.*

Animalia regio nomine capi vetita.

*Animalia deputata molendinis, quæ centimuli vulgariter nuncupantur, per regalem curiam, officiales aut ministros ipsius, eamve sequentes, stipendiarios vel quoscumque alios nullo modo ad aliquod eorum ministerium dominis capiantur invitis, nec alia etiam; sed pro competenti pretio, de quo conventum fuerit inter partes, a volentibus conducantur. Et hæc ita de cætero præcipimus observari: maxime cum idem Rex statuisse dicatur, quod justitiarii & subofficiales eorum ac stipendiarii & subofficiales non capiant animalia deputata ad centimulos: sed cum est necesse, inveniantur alia habilia ad vecturam, & loerium conveniens: & si contra fecerint, restitutis animalibus cum toto damno eorum dominis pœnæ nomine, & pro qualibet vice & quolibet animali solvant curiæ unciam auri unam. Præmissam quoque constitutionem dicti Regis similiter observari præcipimus; de creatione officialium, præsertim extraneorum, qui propter ignorantiam status regni & favorem, qui eis a regali curia præstabatur, subjectos impune gravabant; consulte suggerimus, quod Rex creare studeat offi-*



*officiales idoneos, qui subjectos injuste non gravent.*

XLVI. Consultum Regi, ut liberum aditum injuriam passis tribuat.

*Super eo quod regnicolæ querebantur, videlicet quod eis gravatis pro relevationis obtinendo remedio ad Regem aditus non patebat; suademus per Regem taliter provideri, quod querelæ subditorum ad eum valeant libere pervenire. Prohibemus ne quisquam pro animali silvestri extra defensam, vel limites defensæ invento sine aliqua invenientis impulsione, arte, vel fraude aliquatenus puniatur; etiam si illud capiat vel occidat. Nullus comes, baro, vel alius in regno prædicto de cætero compellatur ad terridas, vel alia quæcumque vassella propriis sumptibus facienda. Per hoc autem juri regis in lignaminibus & marinariis, vel alio servitio vassellorum, quæ a quibusdam universitatibus & locis aliis, sive personis singularibus dicti regni deberi dicuntur, nolumus in aliquo derogari.*

XLVII. Procerum morientium prolis clientela accipienda a Rege.

*Si contigerit baronem aliquem mori filio vel filia superstitibus, ætatis quæ debeat, cura balii gubernari; providendo præcipimus, quod Rex alicui de consanguineis ejus balium concedat ipsius, & qui ad hoc inter consanguineos proximior, si fuerit idoneus, præferatur. Si aliquem, feudum a Rege tenentem, in capite, vel etiam subfeudatarium, nullo herede legitimo per lineam descendente, sed fratre aut ejus liberis superstitibus, mori contingat; si decedentis feudum ab aliquo ex parentibus sibi & fratri communibus pervenerat ad defunctum, idem frater, aut ex liberis suis usque ad trinepotem ille, qui tempore mortis superest, defuncto proximior, in feudo succedat, habiturus illud cum onere servitii consueti; ad successionem feudi omnibus personis feudatario, aut subfeudatario defuncto simili gradu conjunctis, eodem ordine admittendis. In successione vero præmissa inter feudatarios & subfeudatarios, viventes in regno eodem jure Francorum, sexus & primogenituræ prærogativa servetur, ut inter duos eodem gradu feudatario defuncto conjunctos feminam masculus, & juniorem major natu præcedat, sive sint masculi, sive feminæ concurrentes: nisi forsan duabus concurrentibus esset primogenita maritata, & junior remanserit in capillo, tunc enim junior, quæ in capillo manserat, primogenitæ maritatæ in successione hujusmodi præferatur. Sed si nulla remanente in capillo, duæ vel plures fuerint maritatæ, majori natu jus primogenituræ servetur, ut alias in dicta successione procedatur. Si vero feudum; de quo agitur, non ab aliquo parentum processerat, sed inceperat a defuncto, tunc solus defuncti frater in eo succedat: nisi lex concessionis in præmissis aliud induxisset. Et hæc ita de cætero præcipimus observari, qualibet contraria consuetudine, vel constitutione cessante.*

Successionis ratio servanda in bonis fiduciariis.

XLVIII. *Nullus subfeudatarius pro feudo, quod ab aliquo feudatario Regis tenet, compellatur ipsi Regi servire: sed si aliquod aliud feudum ab ipso Rege tenet in capite, pro eo sibi serviat, ut tenetur. Si contingat subfeudatarium crimen committere, per quod publicanda fuerint bona ejus, aut ipsum sine legitimis heredibus fati munus implere; si feudum ejus fuerit quaternanum, nihilominus immediatus dominus, illud cum onere servitii consueti personæ concedat idoneæ, Regi postmodum præsentandæ, ut ejus super hoc habeatur assensus. Si vero quaternanum non fuerit, sic ad eundem immediatum dominum revertatur, ut ipsum hujusmodi personæ pro sua voluntate concedat, nec eam Regi præsentare, aut ejus super hoc requirere teneatur assensum; iis ita deinceps ex nostro præcepto servandis, constitutione, vel consuetudine contraria non obstante.*

*Vaßalli baronum per curiam, vel officiales ipsius ad aliqua privata officia non cogantur: & si ea voluntarii subeant, ratione debiti ex hujusmodi officii receptione, vel gestione contracti, vel delicti forsan in ea commissi baronibus eorum dominis in bonis vassallorum ipsorum, vel aliis præjudicium nullum fiat. In terris ecclesiarum, comitum, & baronum regni prædicti magistros juratos poni de cætero prohibemus, & positos exinde præcipimus amoveri. Ad novas communantias vaßalli baronum, vel aliorum ire non compellantur inviti: sed nec voluntarii admittantur, si sint adscriptitiæ similisve fortunæ, vel ratione personæ, non tamen rerum, personalibus servitiis obligati. Si vero ratione rerum tantummodo hujusmodi servitiis teneantur, & ad easdem communantias transire voluerint, res ipsas dominis suis sine conditione dimittant. Barones vel alii extra regnum, nec servire personaliter, nec addohamenta præstare cogantur: in casibus quoque, in quibus intra regnum servire, vel addohamenta præstare tenentur, servitia exhibeant, & addohamenta præstent antiquitus consueta; videlicet ut vel tribus mensibus personaliter serviant cum numero militum debitorum, vel pro singulis militibus, ad quos tenentur, pro quolibet trium mensium prædictorum tres uncias & dimidiam auri solvant: & hæc ita de cætero inconcusse de nostro præcepto serventur.*

Novæ servitutes non imponendæ.

XLIX. *Cæterum ut contra pericula, quæ sicut prætactum est, propter gravamina illata subditis excitata creduntur (ne, quod absit, recidant in tanto periculosius re-ci-*

*eidivum, quanto recidenti solet esse deterius quam cadenti) eo major sit regnantibus in regno prædicto securitas, quo minus erit libera eadem gravamina irrogandi facultas; provisioni præmissæ subjungimus ad perpetuum sui roboris fulcimentum, quod si ventum fuerit in aliquo contra eam licitum sit universitatibus, & gravato cuilibet libere ad Apostolicam sedem habere pro sua querela exponenda, & obtinenda illati gravaminis emendatione recursum: adiicientes inter illa, in quibus contra provisionem eandem fieri contigerit congrua distinctione delectum, videlicet ut si ea fuerint, quæ per ipsam prohibitorie vel præceptorie sunt provisa, & principaliter factum regnantis respiciunt, nec solent absque ipsius auctoritate præsumi, ut est collectarum impositio, monetæ mutatio, matrimoniorum prohibitio, vel impedimentum aliud eorundem, nisi rex ejus temporis illa infra decem dies revocaverit per se ipsum, eo ipso capella sua ecclesiastico sit supposita interdicto, duraturo solum quousque gravamen fuerit revocatum.*

Provocandi ad sedem Apost. facultas Siculis data.

Pœnæ Regibus transgressuris objectæ.

L. *In reliquis vero prohibitoriis & præceptoriis, & specialiter si universitas singularisve persona gravata volens propterea recurrere ad sedem eandem, per officiales regios, seu quoscumque ministros, vel quoslibet alios fuerit impedita, vel ipsos aut alios pro eis exinde damnum passi; nisi satisfactione læsis præstita, impedimentum infra mensem postquam ipse Rex sciverit revocetur, ex tunc sit capella eadem similiter interdicta. In quolibet autem casuum præmissorum si regnans interdictum hujusmodi per duos menses sustinuerit animo contumaci, abinde loca omnia, ad quæ ipsum, uxorem, vel filios suos declinare continget, donec ibi præsentes fuerint, simili subjaceant interdicto. Et si deinde per sex menses interdicto hujusmodi sustinuerit animo indurato, exinde sit excommunicationis sententia innodatus: quam si per alios sex menses contumacia obstinata sustineat, ex tunc subditi ad mandatum sedis ejusdem ipsis propterea faciendum in nullo sibi obediant, quamdiu in hujusmodi obstinatione persistet.*

LI. Edictum ut regnum inituri Reges ad hæc servanda se obstringant.

*Ad majorem quoque provisionis hujusmodi firmitatem, eidem specialiter illud adiicimus, quod quilibet Rex Siciliæ, quando juramentum fidelitatis, & homagii præstabit summo Pontifici, solemniter eidem & Ecclesiæ Romanæ pro se, ac suis heredibus in regno sibi successuris eodem, promittere teneantur, quod provisionem præsentem in omnibus & per omnia, quantum in eis erit, observabunt inviolabiliter, & facient ab aliis observari; nec contra eam, vel aliquam partem ipsius per se, vel per alium quoquo modo aliquid attentabunt; & super hoc tam ipse, quam quilibet eorumdem successorum dent ipsi Pontifici & Ecclesiæ suas patentes literas; sui pendentis sigilli munimine roboratas. Licet autem præmissæ provisionis verba gravamina certa respiciant, de quibus ad nos querela pervenit; Reges tamen, qui continuanda temporum & successorum perpetuitate regnabunt in regno prædicto, non propterea existiment gravandi alias subditos arbitrium sibi fore concessum; sed sciant potius se debere ipsos in bono statu tenere, ab omnibus illicitis exactionibus, & indebitis eorum oneribus per se ac alios abstinendo. Sane si quod in eadem provisione, vel aliquo ejus articulo dubium non tam solicitam, quam rationabilem dubitationem continens oriri contingat, interpretationem dubii hujusmodi nobis, quamquam etiam de jure competat, reservamus expresse. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ provisionis, constitutionis, inhibitionis, præcepti, declarationis, abolitionis, & abrogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

*Ego Honorius catholicæ Ecclesiæ episcopus.*

Cardinalium nomina.

*Ego Ordonius Tusculanus episc. subsc.*

*Ego frater Bentevenga Albanensis episcopus subsc.*

*Ego fr. Latinus Ostiensis, & Velletrensis episcopus subsc.*

*Ego fr. Hieronymus Penestrinensis episcopus subsc.*

*Ego Bernardus Portuensis & S. Ruffinæ episcopus subsc.*

*Ego Ancherus tit. S. Praxedis presbyter Card. subsc.*

*Ego Hugo tit. S. Laurentii in Lucina presbyter Card. subsc.*

*Ego Gervasius tit. S. Martini presbyt. Card. subsc.*

*Ego Comes tit. SS. Marcellini & Petri presb. Card. subsc.*

*Ego Gaufridus tit. S. Susannæ presbyter Card. subsc.*

*Ego Gottifridus S. Georgii ad velum aureum diaconus Card. subsc.*

*Ego Jordanus S. Eustachii diaconus Card. subsc.*

*Ego Jacobus S. Mariæ in via lata diaconus Card. subsc.*

*Ego Benedictus S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Card. subsc.*

*Dat. Tibure per manum magistri Petri de Mediolano S. R. E. Vicecancellarii* XV. *kal. octobris indict.* XIIII. *Incarnationis Dominicæ anno MCCLXXXV. Pontificatus vero domini Honorii Papæ IV. anno* I.

Quæ



LII. Ea constitutio in celeberrimis MS. extat.

Quæ apostolica constitutio non solum in regesto Vaticano extat; sed in antiquo etiam formularum regesto (*a*) scrinii Regii Neapolitani, (quod a scriptoribus Neapolitanis citatur frequentissime, & in tabulario Vaticano non minori Dei providentia extat, & ego præ manibus habui ac pervolvi; quod regestum authenticum ac probatissimum esse ex similitudine membranarum & characterum, quæ in præcedentibus & subsequentibus memorati archivi regii voluminibus probari potest) eadem capitula extant (*b*), hoc præfixo titulo: *Capitula edita per dominum Papam pro bono statu regni*. Præterea in antiquis regni Neapolitani capitulis & gratiis typis impressa esse, & in Neapolitana urbe circumferri accepi. Immo ipsummet perlegi pervetustum diploma in prægrandi charta pergamena exaratum, quod tum temporis ad Siculos citeriores transmissum fuit, ac postea divina providentia decursu temporum Romam delatum nunc apud sedem Apostolicam asservatur (*c*), in quo Cardinalium subscriptiones, & signa variis efformata crucibus visuntur, una cum Pontificio signo, & in ejus orbe hoc Honorii Papæ IV. symbolum legitur: *Pars mea Deus in sæcula*.

(*a*) Ext. in archiv. Vatic.

(*b*) p. 102. &c.

(*c*) Ext. in eod. archivo Vatic.

LIII. Data de ea promulganda imperia.

Data sunt porro Gerardo episcopo Sabinensi Apostolicæ sedis legato ab Honorio Papa imperia, ut superiores leges promulgaret in Neapolitano regno, servaretque: *Quia*, inquit, (*d*) *parum esset provisionem sive ordinationem hujusmodi edidisse, nisi eam observationis diligentia tueatur; volumus & fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus prædictam provisionem seu ordinationem nostram; necnon & prædictas alias literas super reservatione prædicta*, nimirum ne Siculi rebelles eo beneficio potiantur, *conceptas in Neapolitana & aliis solemnibus civitatibus & locis dicti regni, & specialiter in terris finitimis insulæ Siciliæ convicinis, prout commodius fieri poterit, per se vel per alium, seu alios, de quibus tua viderit expedire discretio, solemniter publices, & diligenter observes; & ab aliis, ac præcipue ab officialibus, in quibusvis ejusdem regni partibus deputatis, facias observari, &c. Dat. Tybure* x. *kal. octobris anno* I.

(*d*) Honor. l. 1. ep. 94.

Robertus regiæ Neap. procurator illam observari jubet.

Eadem etiam imperia Roberto comiti Atrebatensi bajulo, ut vocant, regni Siciliæ imposita sunt (*e*): quæ operi fuisse mandata ostendunt subjectæ literæ sequenti anno ad provinciarum præsides transmissæ, ut leges a Pontifice editas religiosissime colerent. De prædictis enim, & non de aliis conditis a Carolo II. & ab Honorio confirmatis intelligendum esse patet, cum dicatur expressis verbis editas ab Honorio. E regesto namque ejusdem Caroli II. (*f*) hæc excerpta sunt.

(*e*) Reg. post eand. ep. 94.

*Justitiario Basilicatæ, &c.*

*Cum sanctissimus in Christo pater & dominus, dominus summus Pontifex super statu & regimine regni capitula certa ediderit ab olim per nostrum cobaldum publicata, devotioni vestræ firmiter & expresse mandamus, quatenus sicut personam nostram diligitis, nec regni heredibus, vel eis, aut nostro honori & profectui derogari cupitis, capitula eadem, quatenus ad vos spectat, tenaciter observetis & faciatis per quoscumque officiales curiæ tam secretos, vicesecretos, castellanos, & forestarios, quam quoslibet alios inviolabiliter observari: scituri quod si secus inde per vos vel illos fieret, contra transgressores ad pœnam debitam procederetur. Datum Fogiæ instante die* XIII. *martii* XIV. *indictionis*.

(*f*) Reg. Caroli II. sig. n. 1291. lit. A. fol. 349. a terg. Ext. etiam in MS. Vatic. de reb. Sic. sig. lit. A. p. 386.

LIV. Magistratus ad justitiam ex illius præscripto administrandam obstricti.

LV.

Similia post sequentem annum præcepisse dictum Robertum comitem Atrebatensem Apuliæ præfectis, de conditis ab Honorio legibus servandis, ostendunt subjectæ literæ e pervetusto ejusdem Roberti regesto, penes sedem Apostolicam asservato, (*g*) decerptæ (*h*): *Devotioni*, inquit, *vestræ firmiter injungentes, quatenus officium supradictum ad honorem & fidelitatem regiorum heredum, curiæque profectum diligenter & fideliter exercere curetis, constitutiones & obtentas consuetudines regni, & Apostolicæ sedis capitula super ipsius statu regni noviter edita, in quibus officium vestrum tangunt, tenaciter observando, prout in nostri præsentia corporaliter præstitistis ad sancta Dei Evangelia juramenta, &c. Datum Baroli anno MCCLXXXVIII. die* XXII. *octobris primæ indictionis*. Datis præterea aliis literis Robertus post plura sancita hæc addit (*i*): *Cautos tamen vos reddimus, quod si aliqua præmissorum per constitutiones regias, vel Apostolicæ sedis capitula super regni statu edita ex toto tollantur; aut ab eis in parte dissonent, constitutiones & capitula, ipsa, iis non obstantibus, totaliter prosequi ac servare curetis. Dat. Baroli anno Domini MCCLXXXVIII. die* XXII. *octobris primæ indict.*

(*g*) Ext. in archivo Vaticano.

(*h*) Reg. Robert. comit. Atrebat. p. 111. &c.

Solemni ad id devincti sacramento.

(*i*) Ib. p. 114.

LVI. Ut objectæ Regibus pœnæ ad eorum quietem relaxatæ.

Consulturus postea Nicolaus Papa IV. Caroli II. Regis e Cathalano carcere reversi quieti, cum graves censuræ aliæque pœnæ Siculis Regibus prædictas Honorii leges violaturis incussæ essent, legis severitatem literis ex arcano datis, quoad pœnas temperavit. Qua de re meminit inter cæteros Petrus de Monforti in additionibus ad Andream Isernium (*k*): *Dicta*, inquit, *capitula Ho-*

(*k*) Petr. de Monf. in constit. regni l. 3. tit. 25. Constit. incipien. Post mortem sub fin.

*norii suspensa fuerunt per Papam Nicolaum IV. ad instantiam Regis Caroli II. sed dicta suspensio est quoad pœnas in eis appositas*. In quibus libranda suis ponderibus est ea vox, *Sed*, quæ legum ipsarum suspensionem, non absolutam, at sublata juris acerbitate circumscriptam ostendit; Regemque Carolum non immunem ab iisdem legibus observandis pronuntiatum, sed pœnarum gravitate liberatum. Ad quæ probanda, & illustranda subjectam diplomatis pontificii partem decerpsi: *Volentes*, inquit Nicolaus, (*a*) *tuæ ac successorum salubriter providere quieti, pœnas prædictas in præfata ordinatione, seu provisione contentas, & earum effectum ex nunc suspendimus de apostolicæ plenitudine potestatis; donec aliud per sedem Apostolicam contigerit ordinari. Per hujusmodi autem suspensionem nolumus, nec intendimus, quod juri nostro, & Ecclesiæ memoratæ, seu conventionibus, sive pactionibus prædictis in iis, quæ inter eosdem patrem tuum & Ecclesiam super regno prædicto facta, ordinata, & promissa fuerunt, in aliquo præjudicium generetur, &c.* In qua postrema sententia perpendendum occurrit, Reges Siculos aliis gravissimis pœnis in Clementis IV. constitutione objectis non fuisse solutos, ut supra allatæ Honorii leges quoad ea, quibus pronunciatum est, in quibus antiqua Siculorum libertas, sustinente regios apices Guillelmo II. consisteret, impune transgredi liceret: cum profiteatur Nicolaus conventis inter Clementem Papam, & Carolum Regem sancitis non detrahere. Cum enim inter cæteras pactiones, subjecta contineatur (*b*) qua potissimum proposita libertatis spe Siculi ad Caroli, & Ecclesiæ partes allecti fuere, his concepta verbis: *Comites vero, barones, milites, & universi homines totius regni & terræ prædictæ vivent in eadem libertate, & habebunt illas immunitates, aliaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quos & quæ tempore claræ memoriæ Guillelmi II. Siciliæ Regis, & aliis antiquis temporibus habuerunt;* deinde vero contigerit ut cum Carolus I. solii, quod administrorum extorsiones concusserant, firmandi cupidus polliceretur in publicis conventibus Guillelmi II. privilegia se redintegraturum; idemque Carolus II. tum princeps Salernitanus, absente patre, regni moderator promulgaret, amboque profiterentur religiosissime servaturos omnia, in quibus Romanus Pontifex Guillelmi II. jura, antiquam libertatem, & avita privilegia consistere pronuntiasset; dein vero Martinus sæpius Gerardo episcopo Sabinensi A. S. L. partes demandasset, ut accuratissime de antiquis Guillelmi II. privilegiis inquireret; cumque post diligens, ac diuturnum examen in Cardinalium senatu, intermissa re a Martino ob mortem immaturam, demum Honorius ea privilegia & jura edita dicta constitutione redintegrarit; constat Siculos Reges ad eadem privilegia servanda accepti beneficientia apostolica regni, addictæque fidei nomine religiosissime obstrictos fuisse; nec pœnis a Clemente IV. prævaricatoribus impositis solutos.

(*a*) Nic. IV. tom. 1. ep. cur. 45. pag. 311.

Pactiones ab Ecclesia cum Carolo I. initæ illibatæ decernuntur.

(*b*) Lib. priv. Rom. eccl. to. 3. p. 19. & alibi.

Inter alias Guillelmi II. jura restitui jussa.

Res intermissa redintegrata sit ab Honorio Papa.

Reges Sic. propositis nihilominus gravioribus pœnis, ad illa servanda obstricti.

LVII. Et quidem superiores ab Honorio editas leges post memoratas Nicolai literas viguisse consentiunt jurisperiti, ut Tassonus (*c*): *Ista eadem*, inquit, *Papæ Honorii capitula in regio archivo hujus regni conservata fuere; & ideo a doctoribus sunt allegata uti jura, & signanter per Andream in pluribus locis*. Quinimo Matthæus de Afflictis testatur, (*d*) illa se allegari vidisse in sacro consilio, & esse in viridi observantia: *Quia fuerunt*, inquit, *facta de voluntate Regis Caroli, ut patet in proœmio illorum capitularium: & sic videtur lex regia*.

Ut Honorii leges post Nicolai IV. tempora viguerint.

(*c*) Tasson. super pragmat. de Antefaco vers. 4. observat. 1. n. 10. vers. Ista.

(*d*) Matth. de Afft. in c. 1. sub num. 23. vers. tamen ego vid. tit. Imp. Lotharius Eugenio Papæ & univers. popul.

Confirmantur hæc ex Formularum libro pervetusto archivi olim regii Neapolitani, qui nunc ut supra memoravi, apud sedem Apostolicam extat; ex quo manifeste patet Honorii Papæ sancita post Nicolai IV. tempora a Regibus culta fuisse, cum is liber anno Christi millesimo trecentesimo secundo exaratus fuerit, ut constat ex eo quod scriptum est (*e*) Tunetanum vectigal *pro viginti annis a tempore rebellionis Siciliæ* non pensitatum, ac regio fisco debitum: ea vero rebellio anno Christi millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, ut vidimus eruperit. Cum porro in eo formulæ descriptæ sint, quæ in publicis conferendis muneribus, proponendis regiis imperiis, jurisque servando ordine usurpandæ essent; atque in iis sæpius earundem legum Honorii fiat mentio, quæ a præfectis provinciarum, arcium, ac portuum, & aliis magistratibus religiose observari debeant; exploratum est tum temporis, nimirum tertiodecimo sæculo ineunte, papalia illa edicta viguisse. Et sane ubi de subsidiario auro a citerioribus Siculis colligendo agitur, proposita formula est (*f*) subjectis concepta verbis, præfixo hoc titulo.

(*e*) MS. Formular. p. 95. Petitum ex formulis administrandi juris, excurrente decimotertio sæculo argumentum.

(*f*) Ib. p. 55.

*Forma de imponenda generali subventione.*

LVIII. Habita in exigendis vectigalibus earum ratio.

*Orta est de cœlo justitia inconcussa Conditoris æterni soliditate firmata*. Et infra: *Cum hominer regni Siciliæ, quorum statum tranquillum affectamus, & prosperum, ad quod jam studia nostræ operationis extendimus, cum tyrannorum præsidentium hactenus operante malitia, diversis immoderatisque gravaminibus oppressi fuerint & afflicti; dominusque Hono-*





*norius summus Pontifex, ipsum ex alto Regis æterni dextera dirigente, levans in circuitu oculos suos, & videns, assentiente sibi dispositione ultima claræ memoriæ illustris Caroli Jerusalem & Siciliæ Regis circa ordinationem & statum præfati regni Siciliæ, proprii ecclesiæ Rom. peculii benigne prospexerit, & de ipso oppressiones varias, velut pungentes spinas, per sua sacra capitula resecarit; consideratoque quod regnans in regno tempore imminentis necessitatis de redditibus propriis sibi non potest sufficere, & onera imminentia supportare, in specialibus casibus collectam sive tailliam in ipsis capitulis quantitate taxata per præfatos homines in toto regno ultra citraque ipsi regnanti seriosa exhiberi ordinatione distinxerit; inter quos casus ille specialis, & expressus includitur, quod rebellione, vel invasione regni notabili quinquaginta millium unciarum in prædicto regno collecta taxetur, ipsius regnantis applicanda subsidio, prout in præfatis capitulis distinctius aperitur; cum exigentibus peccatorum lasciviis rebellio sit ad præsens in regno notabilis, quia est in insula tota Siciliæ, & Calabriæ partibus, ac invasio Aragonensium hostium satis propatula; exigit stemma justitiæ, requirit fidei debitum, & causa rationabilis æquitatis inducit, ut ad prædictorum hostium & rebellium collidendam malitiam regnicolarum prompta devotio, citra Farum in devotione sistentium, in exolutione quantitatis pro causa subventionis instantis promptam se exhibeat & paratam, ut trames justitiæ æqualitate servetur hinc inde; sicque ipsi juribus propriis & præstitis immunitatibus gaudeant, quod regni dominus, cui ipsius gubernacula sunt divina provisione concessa, sui juris debito non fraudentur, &c.* Constat ergo ex hac formula, qua Carolus II. decimotertio sæculo utebatur, Honorii capitula viguisse. Si enim alia formula tum scriniariis regiis fuisset proposita, illa sine dubio in prædicto codice, superiori prætermissa, descripta foret. Utque rei veritas clarius enitescat, adducemus nonnulla ex alia insigni formula, (*a*) in qua præfectorum portuum, & procurationum leges sunt expressæ, hoc titulo consignata.

(*a*) Ib. p. 28.

*Super officio portus, & procurationis.*

LIX. Et in inventis thesauris.

*Item portus &c.* pluribus interjectis, dantur hæc in obeundo demandato munere de papalibus legibus, ab Honorio nimirum editis, observandis imperia: *Item quod thesauros, & omnes res, & singulas inventitias, prout hactenus extitit consuetum in regno capere, & pro parte curiæ conservare procures: quorum omnium quantitatem, & qualitatem statim nobis, & magistris rationalibus supradictis districte per tuas literas nunciabis: ordinatione tamen inter cætera facta per supradicta capitula per sanctam Romanam ecclesiam edita, super inventione thesauri tenaciter observanda.*

*Item quod baliatum aliquem filiorum comitum & baronum, qui tempore obitus patrum eorum in minori ætate constituti sunt, tam videlicet pupillorum illorum, quorum patres mortui fuerunt tempore officii præcessorum tuorum, & ipsorum baliatum præcessores tui prædicti pro parte curiæ gerebant, quam aliorum pupillorum comitum, & baronum, seu feudatariorum quorumlibet, quorum patres tempore tui officii morientur; fideliter, & diligenter inquiras, & nobis significes sub sigillo tuo per literas continentes nomina & cognomina tam patrum mortuorum, quam filiorum ipsorum superstitum, ut inde procedi mandemus, sicut in prædictis capitulis per sanctam Romanam ecclesiam editis inter cætera continetur.* Demum post plura a particularibus casibus ad genericos ascendendo, ita concluditur.

Et tutela pupillorum procerum gerenda.

*Volumus insuper & expresse mandamus, ut tam capitula per prædictam sanctam ecclesiam Romanam, quam alia capitula per illustrem Regem Carolum recolendæ memoriæ, & dominum Carolum Salernitanum principem edita super pacifico statu regni in omnibus, quæ prædicta tangunt officia, debeas inviolabiliter observare.* Cum vero in his postremis sententiis Honorii IV. Pontificis, Caroli I. & Caroli II. Regum leges distinguantur, patet papales sanctiones de constituendo, componendoque regno Siculo decimotertio sæculo excurrente floruisse; atque hallucinatos jurisperitos illos, qui scripsere, regia edicta de pontificiis legibus servandis promulgata, de iis, quæ a Carolo II. promulgatæ erant & confirmatæ ab Honorio, intelligenda: qui error facile irrepsit, cum parum accurate adverterint alia capitula de tollendis e regno Siculo gravaminibus sancita, iterumque earum legum, quæ a Salernitano principe latæ erant, potiorem partem ad libertatem ecclesiasticam spectantem corroboratam: quas nos suis discretas locis historiæ mandavimus.

LX. Distinctæ ab aliis Caroli I. & II. legibus declarantur.

Gravis nonnullorum jurisperitorum, qui eas confundunt, error.

LXI. Ut fuerint ob varias conversiones temeratæ.

Violatæ postea non sine gravi injuria fuere decursu temporum superiores Honorii leges ob varias rerum conversiones, ut queritur Summontius (*b*). Cum enim inter alia constitutum sit ab Romano Pontifice, non exigenda nisi certis de causis consuetis vetustis temporibus, dum Guillelmi II. jus florebat, a Siculis vectigalia, exhaustum sæpius impune administrorum culpa populorum sanguinem luget auctor (*c*). Sane si regii administri Honorii Papæ sanctiones

(*b*) Summont. hist. Neap. l. 3. Inflictæ exinde populis graves calamitates.

(*c*) Id. ib.

Et concitati tumultus in Reges.

servassent, non tot tantaque mala, quæ flere potius quam narrare libet, emersissent. Ex quo discant qui præsunt, Pontificiam auctoritatem colere: cum nulla re magis quam ejus observantia firmari solia possint: atque experientia compertum sit, eos Christianos principes Numinis divini præcipua clientela subnixos ad summa quæque assurrexisse, qui summorum Pontificum monitis obsequentissimos se præstiterunt.

Divina in observantissimos auctoritatis pontificiæ providentia.

LXII. (a) Hon. l. 1. ep. 95. Perduelles Honorianæ constitutionis beneficio privati.

Cæterum Honorius ad pelliciendos ad officium Siciliæ insulanos, aliosque rebelles, edixit (a) superioris constitutionis beneficio privandos, ni quamprimum excusso Aragonio jugo in Caroli posterorum fidem & clientelam redirent. Tum nonnullas leges a Carolo Salernitano principe Siculi regni herede latas ad ecclesiasticum jus asserendum promulgatas confirmavit (b): quæ a nobis antea suo loco insinuatæ fuerunt. Præterea præficiendorum ecclesiis cathedralibus in regno pastorum curam sedi Apostolicæ, flagrante Siculo bello, reservavit, (c) ne a memorati Caroli voluntate alieni ad dignitates ecclesiasticas irreperent: maximi enim id interesse Larinensis episcopi, qui seditionem concitarat in Gallicam stirpem, defectio ostenderat: cui propterea ab archiepiscopo Beneventano judicium apud subsellia apostolica intentatum est (d).

(b) Ib. ep. 93. Episcopalium sedium in Sicilia provisio reservata sedi Apostol.

(c) Eod. l. ep. cur. 23. Larinensis episc. perduellionis reus.

(d) Id. ep. cur. 1.

Privati etiam jam sacrorum usu fuerant Veneti a Bernardo episcopo Portuensi, qui cum a Martino IV. missus esset, ut classem Venetiis instrueret ad Siciliæ insulam ad obsequium Ecclesiæ & Caroli Regis cogendam, spe & expectatione dejectus fuerat, senatu Veneto obsoletam legem renovante, ne quis inconsulta republica arma pro ullo extero principe capesseret; inde enim meditata in Siciliam expeditio magno rei pontificiæ damno atque Aragonii incremento dissoluta fuerat: tenuitque diu justitium sacrorum. Cum vero senatus affirmaret, non ad efferendas perduellium aut Petri Aragonii partes eam legem promulgatam, sed ne quadam mali contagione extera bella in rempublicam inferrentur; missisque oratoribus posceret ab Honorio, ut divina Venetiis restitueret; Pontifex episcopo Castellano dissolvendi ecclesiastici interdicti auctoritatem contulit, (e) ea lege ne Siculis Veneti studerent.

Veneti sacris interdicti implorant sedis Apost. clementiam.

(e) Ep. cur. 12.

LXIV. Propositæ pro eorum causa rationes.

*Venerabili fratri episcopo Castellano.*

*Accedentes ad Apostolicam sedem dilecti filii nobiles viri Andreas Dandulo natus nobilis viri... ducis Venetorum, Leonardus Venerius, & Nicolaus Faletrus de Venetiis sindici, seu procuratores ipsius ducis, consilii, & communis Venetorum in nostra & fratrum nostrorum præsentia proponere curaverunt, quod dux, consilium, & commune prædicti ab olim pro bono, & pacifico civitatis Venetiarum statu salubriter conservando, sub certis pœnis & conditionibus statuerunt, ne quivis Venetus civitatis habitator ejusdem, seu prædicti ducis fidelis, contra quempiam dominum seu commune aliquod absque ducis ejusdem, ac minoris, majorisve consilii sui licentia, cum armis procedere quomodolibet attentaret. Postmodum autem tempore felicis recordationis Martini Papæ IV. prædecessoris nostri, venerabili fratri nostro Bernardo episc. Portuensi, tunc in partibus illis Apostolicæ sedis legato, pro certis Romanæ ecclesiæ ac Siciliæ regni negociis Venetiis existente, præfati dux, consilium, & commune statutum hujusmodi, quibusdam pœnis appositis, innovarunt: propter quod idem Cardinalis, reputans civitatem eamdem per sententiam ab eodem prædecessore in omnes fautores Petri quondam Regis Aragonum promulgatam ecclesiastico interdicto fore suppositam, fecit in civitate præfata interdictum hujusmodi observari. Quare memorati sindici seu procuratores pro parte ducis, consilii, & communis prædictorum nobis humiliter supplicarunt, ut cum statutum ipsum in injuriam Romanæ ecclesiæ nequaquam editum fuerit sive factum; sed ad civitatum & gentium dicti ducis & Venetiarum tuitionem, & guerram ac scandala evitanda, prout iidem sindici seu procuratores nomine prædictorum ducis, consilii, & communis, habentes ad hoc ab eis speciale mandatum, juramento firmarunt; providere super hoc illis de benignitate Apostolica dignaremur.*

*Verum etsi dux, consilium, & commune præfati ex eo quamplurimum in hoc deliquisse noscantur, quod in ejusdem Cardinalis præsentia, qui contra dictum Petrum & nefarios conatus ipsius negotium prosequebatur ecclesiæ memoratæ, ad innovationem statuti hujusmodi processerunt; cum illa, si diligenter attenditur, & solicita meditatione pensatur, in favorem Petri prælibati non modicum videatur extitisse præsumpta; propter quod latas in fautores ipsius Petri per eumdem prædecessorem excommunicationis & interdicti sententias, prout in ejus processibus, & declarationibus super hoc habitis continetur expressius, incurrisse videntur; nos tamen considerantes attentius antiquæ devotionis affectum, quo jam dicta civitas erga Romanam ecclesiam inter cæteras urbes Italiæ quasi quodam clariori titulo refulgebat, ac intendentes tum propter hoc, tum etiam obtentum Cardinalis ejusdem, nobis propterea, cum instantia supplicantis, benigne agere cum eisdem; spe concepta, quod quanto prædictos ducem,*

LXV. Ut Aragoniis favverint.

Explicat in eos Honorius clementiam.



*ducem, consilium, & commune gratiosius in hac parte prosequimur, & eis apostolicæ benignitatis gremium propensius explicamus, tanto amplius in ipsius ecclesiæ ac etiam heredum claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ devotione concrescant, & reddantur ad nostra & eorum beneplacita promptiores; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus interdictum civitatis ejusdem auctoritate nostra, sublata difficultate relaxans, ducem, consilium, & commune prædictos ex parte nostra moneas diligenter, ut clara prædecessorum suorum vestigia laudabiliter imitantes, in devotionem ipsius ecclesiæ stabiliter perseverent, ipsam specialiter in prædictis ejusdem ecclesiæ, ac Siciliæ regni negotiis efficaciter ostensuri; ita quod ecclesia eadem semper in illis filios devotos & fideles inveniat, ac ipsi veluti quodam mutuæ relationis officio, matrem gratiosam & benignam reperiant in eadem: aperte nihilominus prædicturus eisdem, quod si contrarium, quod vix credere possumus, attentarent, non solum prædictas præfati prædecessoris sententias contra illos & civitatem eorum faciemus, actore Domino, inviolabiliter observari; verum etiam gravius spiritualiter & temporaliter, prout expedire putabimus, & qualitas facti suaserit, procedemus: cum dignum sit & consonum rationi, ut quos a pravis actibus monitionum lenimenta non retrahunt, acris disciplinæ verberibus arceantur. Caveant autem illi, qui propter favorem eidem Petro ab ipsis impensum prædictas excommunicationis sententias incurrerunt, ne se officiis divinis immisceant, donec super hoc absolutionis beneficium consequantur. Dat. Tibure non. augusti anno 1.*

Interdictum ecclesiasticum dissolutum.

Objectæ Aragoniorum sequacibus pœnæ.

LXVI. Adducti eodem tempore in crimen Florentinæ reipublicæ magistratus, iniquiores leges juri ecclesiastico adversantes condidisse, atque ideo Raymundo Argerio demandatæ partes, (a) ut illis peremptorium diem apud sedem Apostolicam ad dicendam causam constitueret: *Nos igitur ne præmissorum contagium, quæ impietati deserviunt, super præsumptione similium inficiat sinceras mentes fidelium, & maxime vicinorum, volentes prædictorum potestatis, capitanei, consilii, & communis refragari conatibus, & tam temerariis actibus consilio provisionis debitæ obviare, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus te ad civitatem prædictam personaliter conferens, præmissa indagine non solemni, vel judiciaria, si absque figura judicii prædicta statuta vel alia iis similia edita, & proclamationes hujusmodi, vel similes eis, factas fore in civitate præfata inveneris; potestatem, capitaneum, consilium, & commune prædictos, ac priores artium memoratæ civitatis, quorum consilio, vel mandato, prædicta statuta de novo edita facta esse dicuntur; sive iidem priores in officio ipso existant, sive jam esse desierint; ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra quindecim dies post tuæ citationis edictum, potestas, capitaneus, ac priores prædicti personaliter; consilium vero & commune præfati per procuratorem idoneum nostro se conspectui repræsentent, nostris super prædictis mandatis & beneplacitis parituri, ac facturi, & recepturi quod justitia suadebit. Diem vero citationis, & formam, & quicquid super præmissis duxeris faciendum, nobis per tuas patentes literas, harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Datum Romæ apud S. Sabinam non. novembris anno 1.*

(a) Lib. 1. ep. 163.

Eorum magistratus judicio apud sedem Ap. postulati.

LXVII. Terdona a Montisferrati marchione impetu capta.

Gravissime quoque in Insubria violata erat ecclesiastica dignitas in Terdonensi episcopo, qui ex insidiis a facinorosis hominibus necatus fuerat. [1] Cum enim Guillelmus marchio Montisferrati impetu Terdonensem civitatem expugnasset, ipsius milites fugientem episcopum cepere, & in vincula conjecere: cui mox, eo advolans marchio, compedes detrahi jussit. Cum vero consanguinei episcopi quandam arcem, cui Sorli nomen erat, præsidiario milite munitam tenerent, missus est episcopus militum manu stipatus, ut consanguineos ad arcis deditionem pelliceret: dumque res tractaretur, episcopus cum fratre ac tribus aliis Terdonensibus cæsus est, præsente marchionis familia, quamvis nebula interjecta rei conspectum eriperet. Audito facinore marchio magnum præ se animi dolore tulit, atque episcopi corpus magno funebri apparatu extulit: jussusque paulo post sedi Apostolicæ se sistere, plures excusationes attulit: si discederet, ditionem suam in apertum discrimen conjectum iri: filium septennem esse: deesse fratrem cui principatum crederet: Sabaudum sibi infensum: non permissuros Genuenses, in eorum civitatem ingredi: non tutum mare, si Genuensem navim conscendat ob Pisanorum odia: non licere navi Aragonia vehi; atque ita sibi undique ad sedem Apostolicam aditus obseptos esse. Quibus auditis Honorius, cum rei gravitas severitatem po-

Episcopus ex insidiis cæsus.

Intentatum a Pont. marchionis judicium.

Pluribus se excusat marchio ad aulam Pont. accedere non posse.

NOTÆ [1] Cædes Episcopi Terdonensis in annum præcedentem optime coniicit Spondanus, cui fidem adstruit, qui tunc commentarios suos scribebat, author memorialis Potestatum Regiensium, qui suam hanc historiam diligenter persequitur prout etiam in Annalibus traditur. MANSI

poſceret; hinc æquitas clementia ſeveritatem, ſi excuſatio valeret, temperari ſuaderet; Conſanenſi epiſcopo & Dominicanæ familiæ in Inſubria præfecto provinciam impoſuit, (a) ut ſi marchio abſolvi flagitaret, nec tamen accedere ad Pontificem poſſet, deſcriptas in diplomate pœnas illi infligeret.

(a) Lib. 1. ep. 224.

LXVIII.

Pœnitentia publica illi injungenda.

Juſſus marchio nudis pedibus tunica tantum amictus nonnullis in locis incedere.

*Ab eodem marchione ad devotam requiſitionem ſuam de ſtando mandatis noſtris & Eccleſiæ, corporali præſtito juramento, & de parendo præciſe mandatis eiſdem idonea cautione recepta, inter alia ſpecialiter imponatis eidem, quod dictus marchio a loco, in quo dictus epiſcopus captus extitit, uſque ad eccleſiam Terdonenſem, nudis pedibus, & a portis Vercellenſis, & Iporienſis, ac Albanenſis civitatum uſque ad cathedrales eccleſias civitatum ipſarum, pedes, nullum veſtimentum ſuper tunicam ferens, & capite diſcooperto publice ac patenter accedat: ipſumque marchionem & poſteritatem ſuam auctoritate noſtra privare curetis omni jure patronatus, vel alio, & feudo, ac locationibus emphyteoticis & aliis, quæ ab ipſa Terdonenſi tenent eccleſia; ita quod ad eandem Terdonenſem eccleſiam libere devolvantur: ac reddatis eadem auctoritate poſteritatem ipſam uſque ad quartam generationem inhabilem ad obtinendum eccleſiaſticum beneficium in dicta eccleſia Terdonenſi.*

Erepta Terdonenſi eccleſiæ reſtituere.

*Præfato quoque marchioni diſtricte præcipiatis, quod caſtra, poſſeſſiones, & terras ad prædictam eccleſiam Terdonenſem ſpectantia, quæ detinet occupata, eidem eccleſiæ integre reſtituere ſine qualibet difficultate procuret.*

Condere altare, & duo ſacerdotia, ſuis ditata vectigalibus inſtituere.

*Poſt hæc petitum abſolutionis beneficium juxta formam Eccleſiæ hac vice auctoritate noſtra impendatis eidem, ſibique imponatis diſtrictius & mandetis, ut infra unius anni ſpatium altare conſtrui faciat in dicta eccleſia Terdonenſi, & dotari de bonis ſuis, ex quorum proventibus, duo presbyteri, quilibet eorum videlicet vigintiquinque libras Genuenſes annis ſingulis percipere valeat, ut ibi continue circa ſervitium cultus divini morentur.*

Expeditionem Aſiaticam vel Compoſtellanam peregrinationem obire.

*Paſſagium quoque ultramarinum, vel peregrinationis iter ad eccleſiam S. Jacobi Compoſtellani, prout & quando nos duxerimus diſponendum; & præter prædicta etiam ſibi injungatis jejunia, orationes, & alia pia opera, prout juxta qualitatem exceſſus animæ ſuæ ſaluti videritis expedire.*

LXIX. Conſtituendo tempore ad ſedem Apoſt. accedere.

*Volumus inſuper, quod marchione ipſo, ut præmittitur abſoluto, ex parte noſtra diſtricte præcipiatis eidem, quod infra annum, poſtquam excuſationes ipſæ ceſſaverint, ita quod tute poſſit apoſtolico ſe conſpectui præſentare, ad ſedem accedat eamdem mandata quæ ſibi fieri contigerint, auditurus, & efficaciter impleturus. Quod ſi non fecerit, ea quæ ſuper conſtructione & dote altaris, ultramarino paſſagio, vel peregrinatione, & perſonali adventu ad præfatam ſedem ſibi, ut præmittitur, duxeritis injungenda, volumus ut ex tunc eo ipſo in eandem ſententiam,*

Spernenti imperia objectæ pœnæ.

*a qua ipſum abſolveritis, reducatis eundem; ita quod, ſicut prius, pœnis, & pœnitentiis ſubjaceat injungendis, niſi ſuper iis ei per eandem ſedem aliter conſulatur. Per hæc autem, quæ dicto marchioni, non requirenti judicium, ſed humiliter imploranti miſericordiam pœnitentiæ ſalutaris, imponi mandamus, ſæcularibus principibus vel perſonis non adimimus facultatem utendi, prout juſtitia ſuadebit contra ipſum legibus, quas adverſus ſacrilegos catholici principes ediderunt. Dat. Romæ apud S. Sabinam XIII. kal. januarii anno I.*

LXX. Adinulphus ab Honorio cenſuris liberatus.

(b) Ib. ep. 125.

Uſus etiam eſt Honorius apoſtolica clementia (b) erga Adinulphum jam ante cenſuris ob Fruſinonis arcem occupatam irretitum.

Sententiam fert in Viterbienſium cauſa Honorius.

(c) Lib. 1. ep. cur. 18.

In Viterbienſes vero, qui ob Matthæum & Jordanum Urſinos Cardinales, poſt Nicolai III. obitum e conclavi in vincula abreptos cenſuris defixi, criminis veniam a Martino popoſcerant; eoque defuncto magna demiſſione ſedis Apoſtolicæ gratiam exoptabant, ita manſuetudinem explicuit, (c) ut ne diſciplinam eccleſiaſticam diſſolveret, ſeveritatem conjunxerit: *Solicita*, inquit, *meditatione penſantes, quod etſi Viterbienſium prædictorum exceſſus, injuriæ, & offenſæ uſque adeo graves, atroces, & enormes extiterint, quod ſicti circumſtantiis univerſis exacta conſideratione diſcuſſis, pœnis compenſari quibuſlibet vix valerent; quia tamen iidem Viterbienſes prædictam excommunicationis ſententiam, ac ſumptus & labores quamplurimos occaſione hujuſmodi, non ſine multis anguſtiis, doloribus, & anxietatibus variis & diverſis jam non brevis temporis ſpatio patienter & humiliter pertulerunt; & volentes benignius circa illos cenſuræ temperare rigorem, ac mitius agere cum eiſdem; habita ſuper iis cum fratribus noſtris deliberatione ſolemni, de ipſorum conſilio ſententiando decernimus,*

Impoſitæ iis ad crimen expiandum pœnæ.

*& pronunciamus, atque præcipimus, quod per ipſum commune tantum de muris dictæ civitatis Viterbienſis, ac ipſorum murorum turribus per circuitum, dicti communis ſumptibus diruatur, quod de muris, & turribus ipſis, duo dumtaxat ſenatus urbis palatia remaneant ſuper terram;*

Mœnium partem ſolo æquare juſſi.

*quodque ipſam dirutionem præfatum commune infra duos menſes teneatur & debeat inchoare; ac inſuper hoſpitale unum in civitate ipſa vel in loco aliquo, de quo nobis viſum fuerit circa eam, dictum commune fundare, ſeu conſtruere, ac dotare*





Xenodochium extruere & ditare vectigalibus.

*pro pauperibus teneatur: quodque tum in fundatione, ſeu conſtructione, ac dotatione hoſpitalis ejuſdem, quod hoſpitali noſtro ſancti Spiritus in Saxia de Urbe pleno jure volumus eſſe ſubjectum, uſque ad viginti quatuor millia librarum papalinorum infra quatuor annos, computandos ex nunc, commune tribuat ſupradictum, quantitatem ipſam pro quarta parte annis ſingulis perſolvendo, per deputandas ſuper hoc a nobis perſonas, prout utilius expedire viderint, expendenda.*

LXXI. Juris dicundi auctoritate privantur.

*Quia vero memoratum commune per aſſumptæ, quamvis indebitæ, jurisdictionis audaciam, in tantæ præſumptionis proſilivit exceſſum, commune ipſum ut in eo, in quo deliquiſſe dignoſcitur, puniatur, mero, mixto imperio, ac juriſdictione omnimoda, donec ſuper hoc per Apoſtolicæ ſedis providentiam aliud ordinari contigerit, apoſtolica auctoritate privamus; rectoriam ſeu poteſtariam civitatis ejuſdem nobis & præfatæ Romanæ eccleſiæ interim retinentes, prout per nos, ſeu ſedem ipſam ordinatum fuerit, exercendam: reſervata nobis plena, & libera poteſtate procedendi contra ſingulares perſonas, quæ in prædicto exceſſu fuere culpabiles, prout culparum ſuarum ſuaſerit qualitas, & viderimus expedire. Actum in palatio epiſcopatus eccleſiæ Tiburtinæ II. non. ſeptembris pontificatus noſtri anno I.*

LXXII. Leſcho Niger Cracov. dux cœtui fidelium redditus.

(a) Lib. 1. ep. 109.

Flagitata etiam criminis venia, fidelium communioni eſt reſtitutus Leſko Niger Cracoviæ dux, qui ob conjectum in vincula Paulum illius urbis epiſcopum, quem exciviſſe in Polonorum perniciem barbaros accuſarat, anathemate devinctus fuerat: atque ejus capellani, qui ob divina coram duce antea celebrata Pontificum legibus ſacris erant interdicti, Honorii juſſu ſunt abſoluti (a).

Denarium S. Petri a Polonis & Pomeranis exigit Honorius.

(b) Ib. ep. 192.

(c) Ib. ep. 193.

(d) Reg. poſt eand. ep.

(e) Ib. ep. 194.

(f) Ep. 195.

Cum vero res Polonicas attigerimus, addendum videtur, Honorium vectigal S. Petro in Polonia & Pomerania debitum exegiſſe: quo argumento ad Poloniæ duces, (b) archiepiſcopum Gneſnenſem (c) atque alios, (d) præterea ad Opoliæ duces, (e) earumque regionum præſules (f) ſcripſit.

LXXIII.

(g) Long. l. 7. Card. Baron. in notis MS. & alii.

Cumani Tartaros in Ungariam evocant.

In Pannonia exoritur hoc anno belli Tartarici fragor, ut ſcribit Longinus. (g) Cumani enim acceptæ cladis ulciſcendæ cupiditate incenſi, Tartaros excivere: qui tanta multitudine ſe in illud regnum infudere, ut Ladiſlaus bellum cum illis conſerere perhorruerit. Graſſati itaque ferro, flamma, rapinis barbari furori fræna libere laxavere, indeque in Conſtantinopolitani Imperii terras irrupere, eaſque pariter vaſtaverunt.

Ladiſlaus ob libidinem juſta clade attritus.

Meruit ſane Ladiſlaus ob effuſos in libidinem mores divina virga percuti, qui toties monitus turpiſſimam vitam non emendarat; eademque pœna involvi Ungari, qui ejus exemplo imbiberant mores Cumanorum, quos juſte ſæviſſimos carnifices ſenſerunt.

Tartarorum exercitus peſte abſumptus.

Homines animalium inopia bigas trahere coacti.

Miſertus vero eſt populi Chriſtiani Deus, nec diu in ira miſericordias ſuas continuit: peſte enim atroci percuſſit Tartaros, adeo ut multis eorum millibus abſumptis, reliqui ex Ungaria ſe ſubduxerint. Cæterum in tantam inopiam ac vaſtitatem infelix terra redacta eſt, ut homines jumentorum inſtar aratra & bigas trahere cogerentur.

LXXIV. Waldemarus Rex Sueciæ ob intemperantiam regno orbatus.

(b) Ann. Ch. 1277. n. 63.

Conjectus ad reprimenda illius vitia in carcerem.

(i) Extat apud Magnum hiſt. l. 20. c. 5.

Gravem etiam pœnam impudicitiæ ſenſit Waldemarus Rex, qui exultantes cupiditates intra conjugale thorum non coercebat: non enim modo antea exutus fuerat regno Sueonum, quod in ipſius fratrem Magnum, ut ſupra vidimus, (b) traductum eſt; ſed cum nova conſilia ad ſceptrum amiſſum recuperandum moliretur, atque in vilium muliercularum amores inſanos ſe effunderet, ab ordinum conventu in carcerem detrudendus pronuntiatus fuit: quorum decretum (i) afferendum viſum eſt.

*Benedictus Dei gratia epiſcopus Lincopenſis, & Finlandiæ dux, Magnus eadem gratia electus Upſalenſis, cæterique conſiliarii.*

*Sane confitemur & publice profitemur, nos illuſtri domino noſtro domino Magno Dei gratia Sueonum Gothorumque Regi ſalubriter conſuluiſſe, & modis omnibus ſuggeſſiſſe, quod dominum Vualdemarum fratrem ſuum, quia omni jure, quod in regno noſtro dignoſcebatur poſſidere, libere renuntiato, memoratum regnum nihilominus interdum per ſe & ſuos, nec non alienos attentaverit immaniter perturbare; qui etiam dimiſſa uxore propria & legitima, quaſi mente captus, & ſuæ famæ prodigus, & antiqui hoſtis ſuggeſtione, & inſtinctu, formidine divinæ ultionis minime refrænatus, mulierculis vilibus interdum per coitum damnatum, quandoque etiam ſceleri adulterii publice adhærebat, contemnens per ſalutarem prælatorum regni monitionem ab earum nefario conſortio reſilire; & ad tantam vergebat ignominiam atque inopiam, ut in alienis partibus degere cœpit vagabundus, in maximum ſuæ animæ præjudicium & ſcandalum plurimorum; uſque ad emendationem vitæ ſuæ & morum reformationem, deputatis ei ſervitoribus competentibus, faciat cuſtodiri. Datum anno Domini MCCLXXXV.*

(k) Eod. lib. c. 6.

Addit Joannes Magnus (k) de Sueco Rege: *Magnus, habitis bis literis a toto regni ſenatu, non ſtatim fratrem cuſtodiæ mancipavit: ſed in tertium annum, ſi forte mores ſuos emendaret, expectandum putavit.*

LXXV.

At de pœnis impudicis a Numine homini-

Instituti in Sardinia censores fidei.

minibusque irrogatis hæc suffecerint: nunc quid in hæreseos scelus a Romano Pontifice decretum sit, intueamur. Confluxerat hisce temporibus magna hæreticorum in Sardiniam illuvies: cum enim nullus in ea insula institutus fidei censor esset, ex aliis regionibus depulsi impii, tuto ibi indulgere sceleri posse arbitrati, illuc se contulerant: sed ea re animadversa Honorius, in hujusmodi hominum luem inquirendi provinciam Minoritis demandavit (*a*); parique exarsit zelo in nonnullos Carcassonenses, (*b*) qui sacros fidei censores munere suo fungi vetuerant.

(*a*) Lib. 1. ep. 159.
(*b*) Ib. ep. 169.

LXXVI. Ægidius Romanus.

Adductus in suspicionem a Parisiensibus doctoribus Ægidius Augustinianæ familiæ insignis theologus, ipsum non recte de nonnullis sentire, post varias concertationes ad subsellia apostolica accersitus Christiana demissione Pontificio decreto se suaque scripta submisit. Jussus itaque est Parisiis ea revocare, quæ Sorbonicos doctores offenderant, atque a Stephano episcopo fuerant damnata, quæ ut in celeberrimo conventu fierent, data hæc ab Honorio imperia (*c*).

(*c*) Ib. ep. 33.

Damnatus a Stephano Parisiensi episcopo.

*Venerabili fratri episcopo Parisiensi.*

*Licet dilectus filius frater Ægidius Romanus de ordine fratrum Eremitarum S. Augustini, olim Parisiis vacans studio, aliqua, sicut intelleximus, dixerit & redegerit in scripturam, quæ bonæ memoriæ Stephanus Parisiensis episcopus prædecessor tuus per se ipsum examinans, & per cancellarium Parisiensem ejus temporis, ac per alios theologicæ facultatis magistros examinari faciens, censuit revocanda, & ea minime revocarit, quin potius variis rationibus nisus fuerit confirmare; nuper tamen apud sedem Apostolicam constitutus humiliter obtulit, se paratum revocanda, quæ dixerat sive scripserat, revocare pro nostræ arbitrio voluntatis.*

Pollicetur Honorio, dicta revocaturum.

*Nos vero hujusmodi ejus oblationem humilem acceptantes & moti spiritu compassionis ad ipsum, quia decentius, & utilius reputavimus, ut præmissa ibi consultius revocentur, ubi dicta, & scripta inconsulte dicuntur, ipsum ad te duximus remittendum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus dilecto filio magistro Nicolao Parisiensi cancellario, & omnibus aliis magistris theologicæ facultatis, Parisiis commorantibus, tam actu in eadem facultate regentibus quam etiam non regentibus, ad hoc specialiter convocatis, procedens de ipsorum consilio in prædictis, dicto fratre coram omnibus eis revocante, quæ de dictis contra ipsum una cum majori parte magistrorum eorundem judicaveris revocanda; & specialiter quæ dictus prædecessor tuus mandavit, ut prædicitur, revocari, circa licentiam & expeditionem ipsius auctoritate nostra provideas, prout secundum Deum, fidei catholicæ, ac Parisiensis studii utilitati de consensu majoris partis magistrorum ipsorum videris expedire. Datum Romæ apud S. Petrum kal. junii anno 1.*

Data Stephani successori provincia, ut rem solemni ritu perficiendam curet.

Explicuit Christianam demissionem Ægidius, ac Romanæ ecclesiæ doctrinæ pie adhæsit. Conjuncta itaque virtutis & scientiæ laude, in dies efflorescens, ad Bituricensem archiepiscopatum est evectus; cujus elogium Sixtus (*d*) Senensis his verbis perstrinxit: *Ægidius archiepiscopus Bituricensis, patria Romanus, ex illustri familia Columna, prior quondam generalis ordinis Eremitarum, D. Thomæ Aquinatis discipulus, vir in divinis scripturis eruditissimus, & in philosophia Aristotelica nulli suo tempore secundus, ingenio subtilis, sermone scholasticus, & ob doctrinæ constantiam Fundatissimi cognomen adeptus. Scripsit in sacras literas multas egregias explanationes, de quibus feruntur. In Hexameron libri duo, &c.* percenset illius opera, de quibus Cardinalis Bellarminus, qui ipsius inter doctores ecclesiasticos meminit magna cum laude, additque (*e*): *Magna ex parte non extant, nisi manuscripta in variis bibliothecis, &c.* Ea vero fusissime a Possevino enumerantur. (*f*) At de eo hactenus: nunc ad Syriacas res nos conferimus.

LXXVII Ægidii elogium.

(*d*) Bibli. Sanct. l. 6.

(*e*) Card. Bellar. de script. eccl. ab ann. 1200. ad 1300.
(*f*) Possev. in appar. sacro to. 1.

Tartarorum Imp. & Argon. Christianos Reges ad conjungendas contra Saracenos vires solicitant

Egregia per id tempus evertendæ Saracenorum potentiæ se offerebat occasio, antequam illi reliquias Christiani nominis absorberent, nisi mutuæ dissensiones, Siculorum rebellio, ac Petri Aragonii perfida occidentem turbassent. Tartarorum enim in Scythia Imperator, & Argon in Perside Rex hoc anno ad summum Pontificem, Francorum & Siciliæ Reges (nondum enim Caroli mortis nuntius ad eos pervenerat) scripsere, ut cum ipsis vires conjungerent, & ex parte una Ægyptum ipsi invaderent; se ex adversa copias ducturos: atque ita facili negotio Saracenos debellatum iri: summum Can Christianis sacris imbutum esse, ac gerere in votis ut superstitio Mahumetica deleatur, ac religio Christiana efflorescat. Ad quorum illustrandas literas, quæ ob Latini interpretis imperitiam maximis scatent erroribus, ex Aytono (*g*) referemus, ut Argonus Christianorum studiosissimus in Perside aliisque regnis finitimis Mahumeto Can apostatæ, ac religionis hosti atrocissimo successerit, animumque ad fidem amplificandam converterit.

(*g*) Ayton. hist. Orien. cap. 38.

LXXVIII Argon in regno Persico a Chamo confirmatus.

*Anno*, inquit, *Domini MCCLXXXV. post necem pessimi Mahumeti Argonus filius Abagha Can primi Imperatoris noluit se vocari Can, quousque haberet a majori domino in mandatis: & super eo misit Argonus ad magnum Can nuncios speciales, quos magnus Can Tartarorum benigne suscepit, & honorifice tractavit, & de morte pessimi Mahumeti fuit plurimum consolatus; & transmisit de majoribus domus suæ & Argonum in dominio confirmavit: & ex tunc Argonus fuit ab omnibus Can vocatus, & fuit ab omnibus honoratus. Iste vero Argonus fuit aspectu pulcherrimus, & dominium suum tenuit viriliter & prudenter, Christianos dilexit, & ipsos plurimum honoravit: ecclesias, quas Mahumetus dirui fecerat, reparavit: unde accesserunt ad eum Rex Armeniæ & Rex Georgiæ, & alii Christiani partium orientis, & supplicaverunt ei, quod consilium apponeret & juvamen, ut Terra sancta liberaretur de manibus paganorum. Argonus quoque benigne respondit, quod libenter faceret quidquid posset ad honorem Dei & fidei Christianæ: unde intendebat fœdus pacis componere cum vicinis, ut securius ire posset ad subsidium Terræ sanctæ.* [1]



LXXIX. (*a*) Nicol. IV. l. 1. ep. 17.
(*b*) Ext. in regest. Honorii l. 1. p. 128. n. 22.

Meditatum Argonum Saracenorum imperium evertere, ac sacra baptismalia Hierosolymis, postquam eas expugnasset, (*a*) accipere, dicemus inferius, atque ex dictis literis (*b*) exploratum est agitasse, quarum exordium a gloriosissimo Christi nomine Tartarus auspicatur.

*In Christi nomine Amen. Gratia Magni Can & verbum de Argonum, domino sancto Papa patri. Gingiscam primo patri omnium Tartarorum.* Hunc Aytonus Changium Can appellat: (*c*) de quo ad imperium Tartaricum e fabro ferrario divinitus evecto plura narrat Aytonus, ac promulgatam a novo Imperatore hanc primam sanctionem: *Primum*, inquit, *præceptum fuit, quod Tartari omnes crederent & obedirent Deo immortali, cujus nutu adeptus fuerat imperatoriam dignitatem: & hoc mandatum Tartari tenuerunt, & ex tunc cœperunt nomen Dei immortalis invocare, & usque hodie in omnibus eorum operibus Tartari invocant nomen Domini.* Pergunt memoratæ literæ: *Et serenissimo domino Rege Francorum & serenissimo domino Rege Carolo præceptum * sum omnium Christianorum;* maxima de excindenda penitus Mahumetana superstitione, vivo præsertim S. Ludovico inter Tartarorum, Francorum, & Siciliæ Reges, Romanosque Pontifices agitata sæpius consilia, ex aliis ipsorum literis (*d*) suo loco allatis perspicuum est; *& omnium Christianorum: non dentur aliquid de tributum, & fiant franchi in sua terra.* Christianos in Perside aliisque orientis oris ab Argono affectos beneficiis, ac regia tectos clientela fuisse, testis etiam est Aytonus. *Magnus Can fecit gratiam ad Ise Turcinan. Roba, & tus quod mixi ad ordo Can Argum. Et prædictus Ise Turciman servitus istis partibus donec compleantur esset tarde, & Bogagoc, & Mengilic, & Thomas Bauchrui & Ugeto Turciman prædictis miximus in ista ambasciata, si esset ad principium. Nostra prima mater erat Christiana.* His consentiunt quæ de ipsa in superiori tomo allata sunt, ubi Presbyteri Joannis filiam extitisse ex Nangio diximus (*e*): *Magnus Can nostrum bonum patrem Alaum, & bonus Abaga filius ejus, quod custodiebantur omnium Christianorum in terra sua, & posse suo, & nobis domino sancto patri potestis intelligere.* De Holaono Christiano Rege Saracenorum glorioso expugnatore, ejusque filio Abagha Christianorum fœderatis plura a nobis suis locis dicta sunt, *& modo Cobla Cam, sicut erat primum principium, fecit gratiam.* Erat is summus Tartarorum in Scythia Imperator, quem a Joanne XXI. sacerdotes, ut fide Christi imbueretur, ac orthodoxæ fide-

(*c*) Ayton. hist. Orien. c. 16.

Primum illius mandatum de colendo Numine.

* suum.

(*d*) Anno Ch. 1267. n. 70. & alibi.

(*e*) To. 13. an. Chr. 1248. n. 36.

Alaum & Abaga Reges Persarum Christianorum studiosi.



NOTÆ

[1] AD ea quæ hic in Annalibus traduntur addere juvat, quæ ex relatione Fratrum Prædicatorum, & Minorum comperisse se scribit anonymus scriptor memorialis Potestatum Regiensium, quem per singulos annos ea quæ interim accidebant in commentarios redegisse ex, ea, quam adhibet, scribendi ratione discimus. Ita ergo ille ad annum 1284. *Filius regis Tartarorum defuncti surrexit in prælium contra patruum suum* (Mahometem) *qui rogabat, & adhaserat Saracenis, & occidit eum*, (erat is Argonus filius Abaga Can) *& Saracenorum multitudinem nimiam interfecit. Insuper mandavit Soldano Babylonia, ut fugiat in Ægyptum; alioquin occidet eum cum venerit ad partes suas, ad quas intendit festinanter venire. Proponit ergo, ut dicitur, in sabbato sancto in Jerusalem, & si viderit ignem descendentem de Cælo, ut asserunt Christiani, promittit se occisurum omnes Agarenos, quos poterit invenire. Nam eum iret ad prælium jam præfatum cum Georgianis & cæteris Christianis, quibus adhæsit, fecit monetam ex una parte Sepulchrum & ex alia hac verba:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Fecit etiam vexilla & arma Crucis signaculo insigniri, & in Crucifixi nomine de Saracenis, & Tartaris sibi contrariis duplicem stragem fecit. Hoc autem audientes Soldanus Babylonia, & Agareni sibi subjecti, qui festinabant in adjutorium Tartarorum, recesserunt velociter fugiendo.* An comperta omnia narraverint credulo scriptori boni hi fratres, haud satis scio: illud tamen ex eorum relatione constare arbitror, non unam sed duplicem ab Argone pugnam feliciter commissam fuisse; ejusque regnum ab anno 1284. duci oportere, cum ex Aytoni relatione ambiguum sit num anno 1284. vel potius 1285. acperit. MANSI

fidei puritatem ab sede Apost. hauriret, flagitasse dixi, (a) atque a successore Joannis Nicolao III. ad eum missos, unde fides propagata atque in regia urbe, cui Cambalu nomen est, archiepiscopalis sedes instituta; *& habui in corde voluntatem vel pensamentum ad domino sancto patri Papa mittantur robas, vel vestimentas, & tus; & nos Argoni præceptum de Can, sicut erat mox terra Christianorum, faciebimus gratia, & habuerimus in nostra custodia. Et habemus in pensamentum, de eos custodire; & facere gratiam anno præterito.*

(a) Anno Ch. 1278. n. 18. Tartar. Imp. pietas in mittendis ad Pont. muneribus.

*Ameto erat intratus in moribus Saracinorum.* Plura de hoc scelesto apostata sub Mahumetis Cham nomine diximus: a quo maxima Tartarorum multitudo Mahumetana superstitione contaminata. *Et terra Christianorum, quod non custodi. Et ideo venit tarde nostris ambasciatoribus, & sciat modo, quod terra Saracinorum non sciat nobis in medium nostrum bonum patrem, nos qui sumus in istis partibus, & vobis qui estis in vestris partibus terram Scami, videlicet terram Ægypti inter nos, & vos estrengebimus*, idest comprimemus, *vobis mitimus mesaticis*, hoc est nuntios, *supradictis, & vos quod mixistis pasagium & prælium in terram Ægypti, & sciat modo nos de istis partibus, & vos de vestris partibus estrengebimus in medium cum bonis hominibus, & mittatis nobis per bonum hominem, ubi vultis quod sciat prædictum factum: Saracenis de medio nostri levabimus dominus sciat, & dominum Papa & Can nostra litera anno de Gallo de luna madii die* XVIII. *in coris.*

De Ægypto utrinque invadenda agitatum.

LXXX. Quantum rei Christianæ exitium Siculorum rebellio attulerit. Eduardus Rex Angl. accipiendi crucis symboli tempus prorogari postulat.

Hæc Tartarus: sed jam ante Caroli expeditionem in orientem Siculorum rebellione disturbatam vidimus, nec poterat Francorum Rex eam profectionem adornare; cum hoc anno in invadenda Aragonia, quæ ipsius filio Carolo attributa fuerat, lethali morbo ex aeris gravitate correptus occubuerit. Eduardus quidem Angliæ Rex suscipiendæ sacræ expeditionis consilium agitabat: sed alias ex aliis eo nectente moras, res tota evanuit. Subjectis porro literis accipiendi crucis symboli tempus ei prorogatum est (b).

(b) Lib. 1. ep. cur. 11.

*Regi Angliæ illustri.*

*Licet nuper excellentiæ regiæ per nostras sub certa forma literas inter cætera duxerimus concedendum, ut infra festum natalis Domini, vel in ipso natalis dies posses assumere vivificæ signum crucis; quia tamen, sicut intelleximus, tuæ utilitati congruit, & voto concurrit, ut idem terminus in tempus prolixius prorogetur, nos qui libenter, quantum cum Deo possumus, & tuis votis annuimus, & utilitatibus providemus, præmissum terminum usque ad festum Pentecostes secundo venturum, ut infra ipsum, vel in ipso idem signum assumere valeas, de speciali gratia prorogamus; cæteris per easdem literas tibi concessis, in suo nihilominus robore duraturis. Dat. Tibure* V. *kal. augusti anno* I.

Annuit illius petitis Honorius.

Hactenus ad Anglum Pontificis literæ, qui postulanti Scotiæ decimas subjunxit, (c) eas sine Regis assensu concedi non posse: alia vero ejus petita admisit, (d) quæ de conjungendo quodam monasterio Cisterciensium abbatiæ, quam regiis sumptibus excitarat, ac bonis amplissimis auxerat, porrecta erant. Quod pertinet ad Regem Scotiæ; eum apostolica libertate perstrinxit (e) Honorius ob nonnullas injurias ab ejus administris Rossensi, & Moravienſi episcopis magno ecclesiastici splendoris damno irrogatas.

LXXXI. Petenti Scotiæ decimas negat Pontifex, non assentiente Scoto, attribui posse.

(c) Eod. l. 1. ep. 14.

(d) Ib. ep. 15.

(e) Ib. ep. 59. Rossen. & Moravien. episcopi a Rege Scotiæ exagitati. Urgetur ab Honorio, ut ab eorum injuriis sibi temperet.

*Honorius, &c. Regi Scotiæ illustri.*

*Quia ex debito pastoralis officii cura nobis ecclesiarum omnium imminet generalis; & propterea prædictorum episcoporum & ecclesiarum injurias, molestias, & offensas, sub dissimulatione transire non possumus, nec debemus; serenitatem regiam rogamus & hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus solicita meditatione recogitans, quod omnipotenti Domino, per quem Reges regnant, & principes dominantur in terris, quique te regiæ dignitatis insigniis decoravit, tamque sublimi prætulit potestate; ad hoc speciliter inter cætera non indigne teneris, ut ecclesias, & personas ecclesiasticas benigne prosequens & affectuose pertractans, jura & bona illorum regii favoris præsidio tuearis, prædictis gravaminibus, injuriis, molestiis, & offensis (quæ non moleste ferre non possumus, utpote tuæ saluti obvia, & proinde contraria votis nostris) pro divina & Apostolicæ sedis, ac nostra reverentia, sublato difficultatis obstaculo, metam ponas, ne procedant, vel committantur ulterius, efficaciter inhibendo. Dat. Tibure* XV. *kal. aug. an.* I.

Dum Tibure agebat Honorius (eo enim ad declinandos æstatis ardores se receperat, ac medio circiter mense octobris reversus apud S. Sabinam moratus est) delatum ipsi est institutas olim a Guidone Flandriæ comite canonissas seculares in ecclesia Audanensi, latamque eam legem, ut nulla ad eam dignitatem admittenda esset, quæ non paterno maternoque genere nobilitate insignis esset, septemque viri nobiles id sacramento confirmarent: sed cum ea res multis pejerandi occasio esset, Honorius eam legem rescindi jussit (f).

Institutæ a Guid. com. Fland. in ecclesia Audan. canonissæ.

(f) Ep. 144.

Migravit hoc anno e rebus humanis ad immortalitatem B. Philippus Servita, qui (a) Lutetia, ubi medicæ rei operam dederat, in patriam reversus, cum augustissimo missæ sacrificio interesset, ubi ex actis Apostolorum hæc verba legi audivit: *Philippe accede & adjunge te ad currum istum;* in extasim raptus, in curru aureo beatissimam Virginem insidentem ac sibi pulli coloris indumenta porrigentem suspexit: ac nocte insequenti Servitis se aggregare ab eadem Virgine jussus est, admissusque, serio mentem tot tantisque virtutibus excoluit, atque adeo egregia earum exempla sive in habendis sacris concionibus, sive Guelphis ac Gibellinis Pistorii & Florentiæ conciliandis, sive in convertendis viris nefariis explicuit, ut post mortem Clementis IV. a nonnullis Cardinalibus propositus fuerit, ut ad summum pontificatum eveheretur. Quo ille cognito ad montem Tuniatum fuga se subduxit: ubi delitescens balneis vim medendi a Deo obtinuisse creditus est. Præbuerat vero Cardinalibus illius proponendi occasionem insignis miraculi fama: cum enim in agro Senensi leproso nudo detractam sibi vestem tradidisset, mox ille mundatus est. Edidit plura alia miracula, tum in Italia, tum in Germania, ubi ingentem animarum messem Christo collegit.

(a) Ferrar. die 23. aug. ex actis MS.

Divinitus ad vitam religiosam pellectus.

Pia illius opera.

Singularis ejusdem in fugiendis pontificatus honoribus modestia.

Miraculis inclarescit.

LXXXIII Consentit vitæ anteactæ felix exitus, cujus piam historiam ex annalibus Servitarum decerpemus. Ubi enim illum ecclesiasticis sacramentis rite communitum auctor descripsit, subiicit (b): *Dum in litaniis sanctorum suffragia, Deique cœpisset implorare auxilium, cum ad illud pervenisset: Peccatores te rogamus audi nos; sensibus simul & animo adeo defecisse, refert Thadæus Adamar, ut facile defuncti speciem præ se ferens, quasi ad tres horas veluti mortuus ab astantibus fratribus judicaretur; donec per fratrem Ubaldum Florentinum supervenientem, cui mors Philippi divino monitu revelata fuerat, excitatus animi viribus mox collectis in hanc prorupit sententiam: Eja fratres mei, in magno dudum certamine versatus sum: nam tentator ille subdolus, dum meas culpas ante oculos obiicit, quibus me perpetuis inferni cruciatibus dignum ostenderet, salutis desperatione me protinus confundere nixus est. At benedictus Jesus & astans angelorum Regina sic nequissimi illius hostis tela contriverunt, adeoque sua pietate ineffabili me protexerunt, ut expulso profligatoque colluctatore paratum nobis regnum certaminisque coronam pro sua misericordia demonstrare dignati fuerint. Vos igitur, fratres charissimi, tam varias illius callidi prævaricatoris insidias diligenter cavete, cujus omne studium in fallendo versatur, ut qui cœlestibus præmiis sua culpa fraudatus perpetuo manet, invidia quoque percitus multis modis artificiisque variis eadem gloriæ mercede nos semper expoliare conatur. Contra quem revera, fratres charissimi, non desunt, mihi credite, victricia arma, abstinentia, humilitas, potentia, & quæ omnium est maxima & valde supereminens, charitas.*

(b) Centur. 1. annal. Ord. Servor. l. 4. c. 16.

Atrocissima tentatione a dæmone vexatur.

Victoriam Christi ope refert.

Socios ad frangendos hostis conatus admonet.

LXXXIV. *His quidem armis circumsepti inexpugnabiles prorsus evadetis. Quibus dictis aciem in cœlum tendens, & rursus quodammodo extasim patiens, hucque atque illuc lumina volvens, librum suum sibi dari obnixe postulabat. Cum vero a fratribus, hinc inde astantibus, codices ei diversi porrigerentur, unumquemque illorum respuebat, acrius & intensius vociferans & importune flagitans, sibi dari librum suum: illum tantummodo desiderare, illum & non alium se omnino velle dicebat. Quem cum fratres non intelligerent, unus frater Ubaldus ejus alumnus, cujus inter brachia languens quiescebat vir Dei, tandem deprehendit illum in imaginem illam ex ebore sanctissimi Crucifixi oculos defixisse, quam in tota vitæ manibus gestare solitus fuerat. Talem igitur titulo libri crucifixum tunc manibus acceptum, orique approximatum Philippus deosculans, illum dicit esse librum suum. Eo itaque hilari & alacri vultu sic suscepto, plurimaque beneficia per totam vitam ab eo recepta commemorans, mox varia sanctissimæ passionis mysteria meditatus, tandem totus lætabundus integrum illud canticum prosecutus est: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, &c. Et deinde, ad extremum urgente morbo, psalmum pronuntiavit: In te Domine speravi, &c. Cumque pervenisset ad ejus finem, qua potuit tremula voce ob supervenientem mortem dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Dum interim psallentibus fratribus, lætantibus angelis, hujusmodi audiuntur voces: Euge serve bone & fidelis, qui a virgine super familiam suam fuisti constitutus, intra in gaudium Domini tui. Ecce statim odoris fragrantia totam impleri domum, & ejus rutila facie, quamvis nocte superveniente, splendescere locum; fratresque, quod insolitum videri debet, omni mœrore deposito, circum illud corpus psalmis & hymnis veluti spirituali lætitia perfusos astare canentes. Contigit autem huic Deiparæ famulo beata mors (quidquid aliis visum fuerit) die mercurii* XXII. *augusti* MCCLXXXV. *post solis occasum quando universa civitas pulsaret de more campanas ad gloriosam Dei matrem salutandam, in octava ejusdem Assumptionis.* Longe majoribus post mortem prodigiis effloruit. Quare Leo X. Pon-

Crucifixi imaginem librum appellat.

Celebrando divinas laudes animum exhalat.

Suavem odorem spirare, ac nitere illius corpus visum.

A Leone X. Beati nomine decoratus.

Pontifex maximus, cum illum sanctorum numero addere ob graviores curas non potuisset, ejus familiæ sodalibus, ut de illo canonicas preces sub ritu duplici x. kal. septembris persolverent, concessit.

LXXXV. S. Odiliæ reliquiæ divinitus detectæ. (a) Joan. Chapeavil. in not. ad Hocsem. l. 1. c. 14. in Joannem Guidonis.

Repertæ cælestibus monitis fuere hoc anno S. Odiliæ virginis & martyris reliquiæ ac solemni pompa Hoyum translatæ, ut refert Joannes Chapeavillus his verbis (a): *Anno MCCLXXXV. secundum Joannem presbyterum; chronicon Gemblacense Brustemium, & alios transfertur corpus S. Odiliæ virginis & martyris ex cœtu undecim millium virginum ad ecclesiam fratrum cruciferorum oppidi Huyensis. Hæc sacratissima virgo in sarcophago marmoreo juxta ecclesiam Gereonis sepulta latuit in corde terræ per annos mille & quadraginta octo ad usque annum domini Joannis Flandrensis episcopi Leodiensis, cujus sacræ reliquiæ hoc ordine inventæ sunt. Erat in Parisiensi cœnobio fratrum cruciferorum frater conversus quidam Joannes de Oppa, simplex & illiteratus; sed justus & timens Deum, in lege Domini meditans die ac nocte, non vacans a colloquiis divinis & oratione. Huic nocte quadam quiescenti quasi in extasi posito apparuit regia quædam virgo vultu venerabilis, schemate redimita splendidissimo, signaculo sanctæ crucis insignita, quæ & admirantem & stupentem ita affata est: Ego, sum inquit, de beatæ Ursulæ consortio una clarissima de decem generosis illius nobilis Britannicarum exercitus virginum ductricibus, rectribusque denaria & præpositiva, habens millenas virgines sub mea militia, quas & Domino dedicavi, & ad martyrium simul incitavi, fuique natione Britannica Maromei tunc temporis Regis famosi filia, & Regis Angliæ ex sorore ejus, patris videlicet Etherei, B. Ursulæ sponsi, consobrina, nomen habens Odilia, ad solatium sanctissimæ castissimæque præfatæ virginis Ursulæ tradita, cum eadem pluribusque aliis elegantissimis Deo destinatis virginibus commartyrizata, nunc cum eisdem in cœlis coronata. A Deo autem misericorditer ordini & collegio fratrum S. Crucis in perpetuam patronam, promotricem, & propugnatricem data sum, & delata. Deinde adiecit: Surge ergo frater, acquiesce visioni, aperi festinanter meum monumentum, quod certis tibi indiciis demonstrabo. Vade ad urbem Agrippinam Coloniam, inquirens juxta sancti Gereonis ecclesiam civis opulenti nomine Arnulph domum: in suo etenim viridario subtus pirum cameræ domus suæ contiguam in tumba subterranea ac marmorea ossa mea reperies. Et quia amatrix S. Crucis in vita semper extiti, idcirco assume tecum corpusculum meum & in primario S. Crucis cœnobio juxta Hoyum oppidum transferas, quod est omnium tui ordinis caput conventuum. Quæ omnia simplex suo priori exposuit: & tandem obtenta ab eo licentia sacræ virginis monita, etsi cum difficultate maxima, complevit.*

Cæleste de iis visum.

*Inventa est cum sacro corpore ollula quædam, in qua charta erat continens ejusdem viginis & genus & martyrium. Rediens prædictus frater cum sacris reliquiis, & chirographo, ac literis domini Gifridi Coloniensis archiepiscopi, gestorum fidem pandentibus, confecto pedetentim itinere, venit ad cœnobium dominarum ordinis Cisterciensis, quod vetus vinetum vulgo Vivegnis dicitur, non distans procul ab Herstallio, ubi monialis quædam paralytica, dum sacrum feretrum tangeret, repente sanata est. In crastinum vero, transita urbe Leodio hora vespertina, Hoyum oppidum devenere, atque in basilica S. Petri apostolici in suburbio Huyensi cum feretro pernoctarunt. Sequenti vero die cuncti fratres S. Crucis loci illius cum maximo cleri populique tripudio sanctis reliquiis decenter obviantes, ad collegiatam ecclesiam divæ Virginis detulerunt. Mulier autem quædam infirma alienis manibus deducta, in ipso itinere, dum feretrum tangit, coram omnibus plenam sospitatem recepit. Novissime, Te Deum laudamus illic cantato, sacras reliquias ad ecclesiam fratrum S. Crucis, locum utique præelectum asportant: ubi usque in hodiernum diem, multis coruscans miraculis veneratione digna honoratur. Præter prænominatos auctores venit novissime ad manus meas officium divinum, quod in ecclesia Hoyensi, Leodiensi, & aliis ejusdem ordinis fieri quotannis solet, cum novem lectionibus, in quibus antedicta historia pene de verbo ad verbum habetur.*

LXXXVI. Patrata sacrarum reliquiarum contactu miracula.

CON-



# CONCILIUM BUDENSE

## ANNO DOMINI MCCLXXIX.

## NICOLAO III. PONT. MAX. CELEBRATUM.

*Constitutiones Ungariæ Philippi quondam legati circa reformationes prælatorum & cleri.*

I. (a) Ext. in lib. privil. Rom. eccl. MS. Vatic. pag. 203. &c. & in MS. cod. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12. p. 520. &c. Concilium Budense. De hoc concilio facta est mentio Ann. Chr. 1279. n. 34. Celebratum a legato Apostolicæ sedis. Nicolao III. Pontifice.

SAnctæ (a) constitutiones editæ per venerabilem patrem dominum Philippum, Dei gratia Firmanum episcopum in Ungaria, Polonia, Dalmatia, Croacia, Rama, Servia, Lodomeria, Gallicia, ac Cumania Apostolicæ sedis legatum, de consilio & consensu archiepiscoporum, episcoporum, electorum, atque abbatum; præpositorum, archidiaconorum, priorum, ministrorum, custodum, guardianorum, plebanorum, canonicorum, rectorum, & aliarum personarum, & clericorum; nec non capitulorum, tum cathedralium, quam aliarum ecclesiarum, sæcularium & regularium, Cisterciensium, S. Benedicti, Præmonstratensium, S. Augustini, Prædicatorum, & Minorum, ac aliorum ordinum, congregatorum in concilio celebrato in castro Budensi Vesprimiensis diœcesis, per eundem legatum ad honorem & gloriam sanctæ & individuæ Trinitatis, ad reverentiam & honorem sanctæ Romanæ ecclesiæ & beatissimi ac sanctissimi patris domini Nicolai III. & successorum ejus, ad relevationem, fulcimentum, ac defensionem fidei catholicæ, & ecclesiasticæ libertatis; necnon reformationem vitæ, morum, & actum cleri & populi legationis prædictæ, sub annis Domini MCCLXXIX. indictione VII. die quartadecima intrante septembris, in quo videlicet die terminatum fuit concilium supradictum, pontificatus sanctissimi patris domini Nicolai Papæ III. anno 11.

II. De tonsura episcoporum.

Quia sicut prælati, quosque sibi subditos dignitate & auctoritate præcellunt, ita moribus, vita, habitu, & conversatione honestis præcellere & præcedere debent eosdem; cum eorum vita, si sit bona, & amplius si sit mala, trahatur a subditis in exemplum; statuimus quod ipsi prælati coronam & tonsuram patentibus omnino auribus circularem juxta regularium, seu religiosorum generalem consuetudinem approbatam, cum nulla religio pontificali religione sit major, de cætero deferant ab omni excessu in capillis, & defectu notabili in corona protinus abstinentes. * Sicut enim servantes, in prædictis sibi subditos poterunt reformare.

* Sic

III.

Præterea statuimus & ordinamus, quod prælati de cætero, cum equitant vel etiam in publico pedestres incedunt, habeant & deferant cappas rotundas, sub quibus habeant & deferant camiscias albas sive rosetas, quas semper sub cappis sive mantellis, ante pectus vel post collum hinc inde connexis, deferant, cum in publico, hoc est extra secreta habitationis eorum ipsos contigerit ire vel stare. Prohibemus autem ne ipsi prælati de cætero deferant vel habeant mantellos, cum quibus hactenus equitare, & quos in propriis & alienis hospitiis non solum coram famulis suis, sed etiam coram aliis consueverunt deferre: permittimus autem, quod possint habere mantellos rotundos, sive tabarda longitudinis moderatæ; eosque deferre cum capuciis separatis ab eis tempore pluvioso, nivoso, seu pruinoso; & cum ad exercitus, seu curiationes, aut expeditiones ex certis & necessariis causis, a sacris canonibus minime reprobatis, eos contigerit proficisci. Insuper prohibemus, ne prælati, vel ecclesiarum cathedralium canonici deinceps sub mantellis vel cappis pro paratura varios quorumcumque colorum sive varietarum, nisi forte varietates hujusmodi essent in pellibus agninis, vulpinis, & linceis, seu zendardum rubeum vel in aliquibus vestibus fimbrias, hoc est premidiones seu ornamenta nobilia exterius apposita deludria, seu bivaria, seta, aut de aliqua alia simili materia deferant ullo modo.

Et corporis cultu.

IV. Arcenda vestium luxu.

Prohibemus ne prælati aut alii in dignitatibus, personatibus, seu canonicatibus ecclesiarum cathedralium, seu collegiatarum, sive in ecclesiis curam animarum habentibus, aut in sacerdotio constituti manicas deferunt consutitias, nec togas sive guarnacias, seu supertunicalia, aut quæcumque alia vestimenta desuper portent aperta: sed ipsa superiora indumenta circumcirca usque ad fimbrias habeant clausa nulla collaria, nisi forte in tabardis vel mantellis ad equitandum, circumcirca omnino rotunda, vel bottones, sive fibulas aureas, vel argenteas aut aliquid auri vel argenti habentes ornatum in aliquibus suis vestibus deferentes. Quod si qui contrarium fecerint, vestes hujusmodi per suos ordinarios auferantur in usus pauperum, aut in alios pios usus convertendæ: nihilominus qui in hoc inventi fuerint excessisse, nisi ad mandatum sui superioris se correxerint, usque ad satisfactionem a suis beneficiis sint ipso facto suspensi.

In-

V. Annulorum usus prælatis tantum permissus.

Interdicimus omnibus clericis portare annulos, nisi sint prælati, quibus licite competat ex officio dignitatis vel ex privilegio sedis Apostolicæ speciali, consuetudine in hoc contraria non obstante. Quod si quis de cætero clericus annulum portans inventus fuerit, auferatur ei annulus per suum ordinarium, & non reddatur eidem: immo idem transgressor clericus etiam tantumdem ad valorem illius annuli in rebus aliis cogatur pauperibus erogare. Clericus autem qui annulum dare diœcesano vel prædictam quantitatem solvere contemneret, ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec annulum reddat & pœnam solvat prædictam,

VI. Vetitum ecclesiasticis popinas adire.

Statuimus, quod nulla persona ecclesiastica in domibus sive curis, in quibus habitant, tabernam ubi vinum minutatim vendatur, vel ubi viles, leves, seu suspectæ hospitentur aut conversentur personæ, habere, tenere, vel sustinere præsumat. Quod si quis in his excesserit, & a suo superiore monitus non emedaverit infra terminum sibi dandum, ex tunc usque ad emendationem condignam ab ingressu ecclesiæ excludatur.

VII. Prælati e familiis religiosis exciti pristinum cultum servare jussi.

Statuimus etiam, & inviolabiliter observari præcipimus, quod omnes & singuli, de aliquibus religionibus sive ordinibus ad pontificalem dignitatem assumpti, aut in posterum assumendi, illius religionis sive ordinis, de qua vel de quo assumpti fuerint, vel de cætero assumentur, habitum tam in vestibus, quam in calceamentis & quibuscumque aliis toto tempore vitæ suæ deferre teneantur, & deferant in publico & secreto; nec habitum illum ullo tempore dimittant, aut vestes, calceamenta, vel aliqua alia deferant in colore, forma seu materia, contraria vel dissimilia religioni sive ordini supradictis. Qui vero contra hujusmodi sanctum & regulare statutum venire præsumpserint, ingressum ecclesiæ, & executionem pontificalium sibi noverint interdicta. Per hanc tamen constitutionem non interdicimus ocreas, nec cappas rotundas, aut mantellos ante pectus vel post collum connexos, in colore & aliis supradictis religionibus seu ordinibus congruentes.

VIII. Ecclesiastici re militari non implicandi.

Perpetuo prohibemus edicto, ne prælati & alii clerici cujuscumque sint ordinis, dignitatis, aut status, seditionibus, præliis, spoliis, rapinis, incendiis, & aliis sævis factis se aliquatenus immiscere præsumant: nec bellicis actibus se implicent, vel involvant: nisi forte pro ecclesiarum suarum & patriæ defensione, non ad impugnandum vel propulsandum, sed ad defensionem tantum, si necessitas eos compellat; & tunc in propriis personis non pugnent. Clerici officia, vel commercia non exerceant, maxime inhonesta: mimis, histrionibus, & joculatoribus non intendant; & tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Comam & tonsuram patentibus auribus habeant congruentes, & in officiis ecclesiasticis & in aliis bonis studiis se exerceant diligenter. Exercentes autem in talibus a suis moneantur prælatis: & si moniti parere contempserint, ab officio & beneficio suspendantur, nec prius talis suspensio revocetur, quam ad arbitrium prælatorum pro eo fuerit satisfactum: ac sub certa pœna sufficienter caveant, quod in talibus vel similibus ulterius non excedent.

IX. Non ferenda ab iis capitis sententia.

Nullus clericus sententiam sanguinis dictet, aut proferat, aut sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur intersit: nec quisquam clericus literas dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas; nec illam partem cerugiæ * exerceat, quæ ad ustionem, vel incisionem inducit; nec quisquam purgationi aquæ ferventis seu frigidæ, seu ferri candentis ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impendat; scientes, quod si ex hujusmodi mors vel membri mutilatio fuerit subsecuta, irregularitatis laqueum non evadet.

* chirurgiæ

X. A Laicis ecclesiar. administratio non admittenda.

Prohibemus, quoque ne archidiaconi & alii rectores ecclesiarum laicis vel clericis uxoratis suas præsumant committere vicarias: & ad hoc dicti archidiaconi & ecclesiarum rectores per suspensionem officii & privationem beneficii, laici autem vel clerici uxorati, ne hujusmodi vicarias recipiant, per excommunicationis sententiam a suis diœcesanis compescantur omnino.

XI. Arma ab ecclesiasticis non circumferenda.

Districte præcipimus, ne sacerdotes vel clerici, in quovis ordine constituti, gladium vel cultellum, quod vulgariter dicitur bord, portent, nisi eis manifesti timoris causa ingruerit: nec tunc absque licentia prælatorum portent.

XII. Vetita mulierum cohabitatio.

Inhibemus districtius, ut nullus clericus beneficiatus aut in sacris ordinibus constitutus mulieres aliquas in domibus suæ habitationis retinere vel alibi eis cohabitare præsumat: qui vero ipsas nunc tenet, nisi infra tres menses, ab ultimo die præsentis synodi in antea enumerandos, eas a cohabitatione sua prorsus ejecerint, vel qui ejectas resumpserint, vel eis cohabitaverint, ex tunc se sciant excommunicationis sententia innodatos: a qua sententia per suum diœcesanum absolvi possint, primo de suis cohabitationibus mulieribus prædictis ejectis, ac ipsis clericis ab earum omnino cohabitationibus separatis, & sufficienti præstita cautione, quod contra constitutionem hujusmodi de cætero non venient, sed ipsam omni tempore inviolabiliter observabunt.

XIII. Suademus, ut quotiescumque clericos



De sacrarum imaginum cultu.

eos contigerit simul vel singulariter incedere ante altare, seu figuram B. Virginis aut etiam Crucifixi, & maxime cum pro divinis officiis intrant chorum, inclinent capita sua, depositis pileis reverenter, atque instruant & inducant laicos diligenter.

XIV. Dicto Ave Maria inflectendum caput.

Volumus, quod omnes clerici, quotiescumque in divinis officiis Ave Maria audiverint, flexis genibus se reverenter inclinent: prohibentes ne clerici beneficiati aut in sacris ordinibus constituti discalceati, seu nudis pedibus chorum intrare, seu in ipso stare præsumant, dum ipsa divina officia celebrantur. Item quod presbyteri sine cappis rotundis vel superpelliciis ad psallendum horas canonicas, maxime vesperas, matutinas, vel missam, ecclesias ingredi, vel in eis vare non præsumant; nisi forte essent extranei viatores aut etiam peregrini.

Quo ornatu standum in choro.

XV. De lustranda ab episcopis diœcesi.

Quoniam, sicut audivimus, nonnulli ecclesiarum prælati & personæ ecclesiasticæ nostræ legationis, & maxime regni Ungariæ, cum suas diœceses vel parochias visitant, vel ex aliis causis ad ecclesias ipsas declinant, gravibus & importabilibus fere descensibus non solum in prælatis & clericis, verum etiam in laicis reprobandis atque damnandis, ecclesias, vel parochias ipsas plerumque aggravant & molestant; nos hujusmodi descensus graves, onerosos, difficiles & importabiles fieri de cætero prohibentes, statuimus quod, cum prælatos & personas prædictas ex justis & rationabilibus causis ad ecclesias ipsas declinare contigerit, sic se honeste habeant & modeste se suasque familias a superfluis & illicitis cohibentes, quod per immoderatos descensus hujusmodi ecclesiæ importabiliter non graventur; in prædictis & aliis taliter se habentes, quod ipsi non quæ sua sunt, sed Jesu Christi potius quærere videantur. Qui autem in prædictis excesserint, per superiores suos abstinere atque desistere, & de illatis gravaminibus satisfacere læsis & gravatis ecclesiis per censuram ecclesiasticam & alia prompta remedia, sublato cujuslibet frustratoriæ appellationis obstaculo, compellantur.

Non trahendo amplior. ab iis comitatu.

XVI. Arcenda intrusione in sacerdotia.

Prohibemus ne aliquis abbatiam, præpositurarum, prioratum, plebanatum, capellaniam, vel aliquod beneficium ecclesiasticum de manu recipiat laicorum; statuentes quod archiepiscopi, episcopi, & alii, ad quos de jure, vel consuetudine, seu privilegio abbatum vel aliorum confirmatio, institutio, vel provisio spectat, nullum confirmare vel instituere præsumant, nisi eis prius de canonica ipsorum electione, & eligentium ac electi inter eos plene constet; veris patronis in illis ecclesiis, in quibus illius obtinent patronatum, justitia ac jure plene servatis ac salvis, quæ eis a sacris canonibus conceduntur atque servantur.

XVII. Constituenda residentia.

Cum ad beneficia ecclesiastica, curam habentia animarum annexam, tales quæri debeant & admitti, qui in ipsis beficiis velint & valeant residere; & personaliter per se ipsos & non per alios deservire; ordinamus atque præcipimus, ut omnes & singuli plebani, rectores, & capellani ecclesiarum parochialium totius legationis nobis commissæ in ipsis deserviant per se ipsos & non per vicarios; prohibentes, ne aliqui talium ecclesiarum rectores de cætero absque diœcesanorum consensu, quibus ecclesiæ ipsæ subsunt, aliquos instituant vicarios, vel institutos in eis teneant, vel sustineant: & qui contra fecerint, fructibus & proventibus illius ecclesiæ per annum sint ipso jure privati, dictique fructus de mandato diœcesani episcopi in libris & ornamentis ecclesiasticis ad opus ejusdem ecclesiæ irrevocabiliter expendantur; nec antea percipiant de fructibus ecclesiarum ipsarum, quam sufficienter caverint, quod hujusmodi constitutionem inviolabiliter observabunt. Illos autem, qui contra tenorem constitutionis præsentis receperint vicarias, suorum ordinariorum arbitrio relinquimus puniendos.

XVIII. Non ineunda conspiratorum societate.

Conjurationes, & conspirationes, & colligationes inter personas ecclesiasticas quocumque modo, fraude, vel ingenio omnino de cætero fieri prohibemus; factasque, nec non juramenta, promissiones, obligationes, & alia super prædictis præstita, vel quæ de cætero super eis fieri contigerit vel præstari, aut earum occasione, penitus reprobamus, dissolvimus, atque cassamus: & eos, qui hujusmodi promissiones, obligationes, aut etiam juramenta sub aliquibus etiam pecuniariis vel aliis pœnis fecerunt, aut etiam præstiterunt, protinus absolventes ipsos decernimus & ad observationem conjurationum, conspirationum & obligationum ipsarum, vel solutionem aliquarum pœnarum sive pecuniarum aliquatenus non teneri: statuentes quod qui in talibus de cætero inventi fuerint excessisse, præter excommunicationem, quam ipso facto incurrant, a suis diœcesanis aut aliis suis superioribus per privationem perpetuam aut etiam temporalem beneficiorum, quæ obtinent, & alias pœnas taliter castigentur, quod pœna ipsorum transeat aliis in exemplum. Quam constitutionem, quantum ad pœnas imponendas ad promotiones seu mediationes prædictarum conjurationum, conspirationum, colligationum, juramentorum, promissionum & obligationum prædictarum, extendi volumus & mandamus.

XIX.

Statuimus quod cum ex deliberatione & ordinatione episcoporum, archiepiscoporum, & aliorum ordinariorum synodo

nodus fuerit celebranda, per duos, tres, vel tot dies, qui sufficere videantur, antequam se ponant in via eundi ad synodum, rectores patriarchalium ecclesiarum, earumque perpetui vicarii, qui præsidentes synodo faciendæ fuerint generaliter, sive specialiter, seu singulariter evocati, diligenter inquirant, si qui sint infirmi, seu debiles in parochiis suis; eosque visitent, etiam non requisiti, & faciant circa eos quidquid necesse fuerit ad animarum salutem.

Conveniendi infirmi a parochis.

XX. Indictæ synodi adeundæ.

Statuimus etiam, & præcipimus, ut omnes tam regulares quam seculares in dignitatibus, seu personatibus constituti illius metropolitanæ, in qua provincialis, & illius diœcesis, in qua episcopalis synodus fuerit celebranda, veniant; nisi remanserint de suorum superiorum licentia speciali, de quorum ordinatione synodus fuerit facienda: & si taliter impediti fuerint, quod ad synodum venire non possint, legitimum excusatorem clericum cum pleno mandato ad acceptandum, & recipiendum ea, quæ in synodo fuerint ordinata, transmittant; in eundo & redeundo honeste ambulent, & honesta acquirant hospitia, & in eis circumspecte se habeant & modeste, ne vita mores & gestus clericorum populo fiant in scandalum & contemptum. Qui vero ex causa ad synodum ire vel venire non possunt, eam archidiaconis, & archidiaconi suis diœcesanis studeant nunciare. Quod si in veniendo, & denuntiando rationabilem causam negligentes, seu contemptores extiterint, ad diœcesanorum suorum arbitrium puniantur. Præterea statuimus, quod archiepiscopi, episcopi, abbates, & quilibet alii, qui ex privilegio mitris utuntur, mitrati cum superpelliciis, stolis, & cappis, seu pluvialibus; præpositi vero, priores & alii inferiores prælati cum superpelliciis & stolis si diaconi saltem sint, & si velint pluvialibus seu cappis; rectores vero & simplices sacerdotes cum cottis seu superpelliciis, & stolis tantum; inferioris vero status, vel ordinis clerici cum cottis synodum intrent, & in ea devote & cum reverentia usque ad finem, nisi casus necessitatis emerserit, perseverent. Religiosi quoque, nullam prælaturam vel administrationem habentes perpetuam, permittimus in habitu suo cum stolis in synodo posse stare, etiam si administrationem habeant.

Cultus in synodis usurpandus.

XXI. Suscipiendi sacri ordines a pastoribus animarum.

Statuimus etiam, quod omnes abbates, præpositi, priores, plebani & alii ecclesiarum prælati & rectores, curam animarum habentium, promoti ad dignitates seu curas prædictas ante concilium Lugdunense noviter celebratum, si presbyteri non sunt, in proximis futuris quatuor temporibus successive se faciant usque ad sacerdotium ordinari, aut omnino dimittant hujusmodi dignitates & curas: & per suos diœcesanos seu superiores, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, amoveantur a dignitatibus & curis prædictis, nisi in sacerdotes fuerint ordinati. Institutis autem sive instituendis post concilium Lugdunense præfatum per diœcesanos & alios superiores eorum denuntietur singulariter singulis, & universaliter universis, quod nisi infra annum a die suæ constitutionis in dignitatibus & beneficiis, curam animarum habentibus, in presbyteros fuerint ordinati, ipso jure hujusmodi beneficiis sint privati, & beneficia illa per illos, ad quos eorum ordinatio spectat, ex tunc de personis idoneis libere ordinentur.

XXII. Eucharistia & oleum sacrum servanda in ecclesiis.

Statuimus, ut per omnes ecclesias, chrisma, oleum sanctum, & Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur; ita ut non possit ad illas manus impia extendi. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio & beneficio suspendatur: & si per ejus incuriam aliquid inde nefarium contigerit, gravius puniatur.

XXIII. Celebrandum a sacerdotibus divinum officium.

Nullus permittatur deservire altari, vel epistolam legere nisi in superpellicio & cappa clausa. Sacerdos quoque diurnum officium pariter & nocturnum distincte & aperte, quantum Deus dederit, celebret & devote.

XXIV. Sanctio adversus intrusores & intrusos.

Quia multorum assertione comperimus, & pro certo didicimus, quod in multis ecclesiis, ac monasteriis, & ecclesiasticis beneficiis nostræ legationis multi per secularem potentiam absque libero, & legitimo ecclesiasticarum personarum assensu, ad quas ipsarum electio, ordinatio, provisio, & institutio pertinere dignoscitur, damnabiliter sunt intrusi, ac quotidie intruduntur contra sacrorum statuta canonum & ecclesiasticam libertatem; ex quo multa provenerunt & proveniunt quotidie detrimenta, & animarum deploranda pericula subsequuntur; statuimus, quod nullus laicus, cujuscumque auctoritatis extiterit sive status, aliquem de cætero in ecclesiis, vel monasteriis aut ecclesiasticis beneficiis legationis prædictæ ponere vel intrudere quacumque occasione, vel auctoritate, quin potius transgressione seu temeritate, præsumat; salvo & reservato jure patronatus veri competentis patroni, prout canonica jura declarant. Decernimus autem institutiones, sive intrusiones talium nullas esse, nullumque jus competere sic intrusis; & nisi intrusi hujusmodi infra sex menses ecclesias, monasteria, sive beneficia, quæ de facto modo sunt adepti prædicto, omnino & sine difficultate dimiserint; & quicumque alii de cætero aliqua beneficia ecclesiastica per manus receperint laicorum, & electionibus, postulationibus, provisionibus, seu institutionibus ad minas, comminationes, terrores sive impressiones laicorum quorumcumque aliorum præsumpserint consentire; ex tunc se sciant excommunicationis sententiæ subjacere, ipsosque per diœcesanum, & alios, quibus ecclesiæ, monasteria, & beneficia sunt subjecta prædicta, arctius compellendos ea dimittere, & satisfacere de fructibus & proventibus exinde perceptis, invocato ad talium proteriam conterendam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.



XXV. Ecclesiastici judicum tribunalia adire vetiti.

Inhibemus ne personæ ecclesiasticæ agant, vel respondeant, sive fidejubeant, aut se astringant, vel obligent coram judice sæculari, nisi de his, & super his, quæ ad sæculare, non ecclesiasticum forum spectant; & de quibus absque sacrorum canonum injuria & contradictione in prædictis, vel aliis potest per ecclesiasticas personas sæculare forum adiri. Personas autem ecclesiasticas, quæ contra hujusmodi inhibitionem venire præsumpserint, & judices sæculares, qui personas præfatas coram se agere, respondere, vel fidejubere, aut se astringere, vel alia facere, quæ ad forum sæculare non pertinent, contra privilegia ordini clericali vel personis ecclesiasticis, generaliter seu specialiter ab homine vel a jure concessa, compulerint; nisi postquam de hoc exceptum fuerit coram eis, ab hujusmodi processu omnino destiterint, & revocaverint omnem processum habitum contra personas prædictas; excommunicationis sententiæ volumus subjacere, a qua per diœcesanos locorum, in quorum jurisdictione personæ hujusmodi consistunt, post satisfactionem idoneam & condignam juxta formam ecclesiæ possint absolvi.

XXVI.

Nullus sacerdos, vel aliqua persona ecclesiastica de personalibus injuriis, vel eleemosynis ecclesiæ factis coram sæculari judice audeat litigare, nisi de licentia sui episcopi.

XXVII. Spurii in Sacerdotum domibus non educandi. Ars lusoria non usurpanda.

Prohibemus sacerdotibus & aliis clericis in sacris ordinibus constitutis districte, ne secum prolem habeant, quam in sacro ordine genuerunt, propter scandalum: & ne hujusmodi parochiales sacerdotes in domibus suis habeant aleas vel taxillos districtius inhibemus. Filii autem sive filiæ prædictorum in familia, sive famulatu, seu pro famulis majoris ecclesiæ, cui sunt immediate subjecti, redigantur, ac etiam teneantur.

XXVIII. De reliquiarum veneratione.

In concilio statutum est, ut amodo reliquiæ extra capsam nullatenus ostendantur, nisi in præcipuis festivitatibus, vel ad hoc ex devotione concurrentibus peregrinis, sicut quarundam ecclesiarum laudabilis consuetudo exposcit, nec aliquo modo exponantur venales: inventas autem de novo nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Qui vero contra fecerit, si clericus fuerit, ab officio & beneficio se noverit suspensum; si laicus, per mensem ingressum ecclesiæ sibi noverit interdictum.

XXIX. Qui ad sacras conciones habendas admittendi.

Nullus passim recipiatur ad prædicandum, nisi fuerit authentica persona, vel alias per sedem Apostolicam privilegiata, aut ad hoc per episcopum destinata. Quæstores quoque ecclesiarum tantum ea dicant populo, quæ in literis domini Papæ vel episcopi continentur: sacerdotes tamen loci populum sibi commissum diligenter inducant ad eleemosynas erogandas intuitu pietatis, non animo extorquendi. Nullus etiam quæstuarius pro hospitalibus vel aliis similibus locis recipiatur ad eleemosynas quærendas sine literis domini Papæ, aut legatorum ejus, vel diœcesanorum ipsorum.

XXX. Opes ecclesiarum non oppignerandæ.

Statuimus, quod ornamenta ecclesiæ non obligentur pignori, nisi pro necessitate ecclesiæ de licentia episcopi cum consilio parochianorum. Præterea statuimus, quod nullus prælatus, superior vel inferior, aut ecclesiarum rector pro alio fidejubere, nec possessionem ecclesiæ suæ, vel alias res ecclesiasticas quascumque, mobiles aut immobiles vel se moventes, præsertim sacras, pro alieno facto obligare præsumat, nec etiam pro suo facto proprio; nisi evidentem in utilitatem suæ cedat ecclesiæ, & cum licentia diœcesanorum & cum assensu capituli sive conventus illarum ecclesiarum sive monasteriorum, quæ habent capitulum vel conventum. Transgressores autem constitutionis hujusmodi per suos superiores compellantur reficere omne damnum, quod monasterio & ecclesiæ ex fidejussione vel obligatione hujusmodi incurrissent.

Nec ulla ratione distrahendæ.

Statuimus & statutum etiam declaramus, quod ecclesiarum rectores de bonis mobilibus, vel juribus, seu libris, aut ornamentis ad ecclesias ipsas spectantibus, nihil dare, concedere, vel donare possint in vita; nec de ipsis seu aliis, mobilibus, vel immobilibus, aut se moventibus acquisitis contemplatione ecclesiarum ipsarum possint condere testamentum, nisi in casibus a jure permissis: quod si contra factum fuerit, illud decernimus irritum & inane; præcipientes districte, quod successores eorum, qui in talibus excesserunt, prædicta bona cum auctoritate diœcesanorum & etiam judicum sæcularium, si fuerit opportunum, ad jus & proprietatem ipsarum ecclesiarum efficaciter studeant revocare; ipsique prælati se favorabiles & promptos ipsis rectoribus exhibeant in prædictis. Et si qui de dictis rectoribus in revocatione hujusmodi fuerit negligens, ipsos ad id per diœcesanos præ-

prædictos compelli volumus & mandamus: archidiaconi quoque, singuli videlicet in singulis archidiaconatibus suis, tam de prædictis quam aliis ad bonum & utilitatem ecclesiarum suorum archidiaconatuum curam & solicitudinem habeant diligentem: & si quid super prædictis ac aliis difficultatibus emerserit, illud diœcesanis suis studeant quam citius nunciare.

XXXI. Peregrinatio non obeunda inconsulto præsule.

Nullus clericus nostræ legationis, in quovis ordine constitutus, peregrinari extra regnum vel provinciam suam præsumat absque diœcesanorum episcoporum, vel aliorum suorum ordinariorum licentia speciali: quod si quis contrarium fecerit, a beneficio ecclesiæ vel ecclesiarum, in qua vel in quibus beneficiatus extitit, per unius anni spatium sit suspensus.

XXII. Nulli ad rem divinam peragendam admittendi, ni ipsos initiatos constet.

Decernimus, ut nemo incognitus ad ministrandum in sacris ordinibus admittatur, nisi sui ordinatoris vel successoris ejus literas omni suspicione carentes ostendant, suscepti ordinis mentionem facientes expressam: & qui contra constitutionem hujusmodi venire præsumpserint, tales ad celebrationem divinorum admittendo vel retinendo, post trinam admonitionem vel unam peremptorie a divinorum perceptione & ingressu ecclesiæ arceantur: & de hoc per diœcesanos episcopos inquisitio frequens fiat.

XXXIII. Frequentandæ a fidelibus ecclesiæ parochiales.

Præcipimus, ut ecclesiarum parochiani singulis diebus dominicis & festivis ad divina officia, specialiter ad missam, vadant ad suas parochiales ecclesias, ibique divina officia, prout Deus dederit, audiant diligenter: nec ipsi parochiani, relicta sua parochiali ecclesia vel contempta, ad alias ecclesias, cujuscumque sint ordinis, religionis aut status, sive hujusmodi ecclesiæ sint parochiales sive non, ad audienda divina officia, & specialiter missam præsumant accedere, maxime diebus dominicis & festivis, aut in alienis parochiis vel ecclesiis ad hujusmodi officia permittantur, seu ipsi per alios, quam per suos parochiales presbyteros ministrentur ecclesiastica sacramenta, exceptis clericis religiosis transeuntibus & peregrinis, qui ad hujusmodi officia in parochiis, sive ecclesiis possunt recipi alienis; & nisi forte causa devotionis majoris aliqui circa hoc a sede Apostolica sint muniti privilegio, aut indulgentia speciali. Parochiani vero, contra constitutionem hujusmodi venientes, a perceptione sacramentorum; illi autem, qui contra constitutionem hujusmodi parochianos alienos receperint ad divina, vel eis administraverint ecclesiastica sacramenta, ab executione suorum ordinum noverint se suspensos: & qui parochianis alienis taliter suspensis ecclesiastica ministrare præsumpserint sacramenta, excommunicationis sententiam ipso facto se noverint incurrisse, a qua congrua satisfactione exhibita illi parochiali rectori, cujus parochiano ministrare præsumpsit ecclesiastica sacramenta per diœcesanos episcopos secundum formam ecclesiæ possint absolvi.

XXXIV. Exigenda de sacrarum opum administratione ratio.

Omnes autem abbates, propositi, priores, & alii prælationem habentes, saltem semel, de suis omnibus redditibus & expensis, & statu ecclesiarum suarum; cæteri vero administratores, camerarii, seu officiales, tam interiores quam exteriores, bis in anno duobus terminis, uno videlicet in festo S. Thomæ Apostoli, altero in festo S. Georgii, reddant in capitulo plenariam rationem, consuetudine quarundam ecclesiarum, ubi pluries ratio reddi solet, in suo robore duratura: in quibus si prælati & officiales, vel prædicti negligentes seu infideles & mendaces inventi fuerint, secundum qualitatem culpæ per episcopum vel alium suum superiorem puniatur. Alii vero ipso facto administrationes amittant, gravius juxta arbitrium episcopi vel sui superioris alterius puniendi.

Inhibemus abbatibus, præpositis, prioribus, plebanis, rectoribus ecclesiarum, & clericis universis, ne ipsi mutuo dent, vel accipiant, abbates præpositi ultra duas vel tres marchas, cæteri unam marcham sine notitia & consensu capituli sui, vel majoris partis, ac diœcesani episcopi assensu speciali.

XXXV. Interdicta earum alienatio.

Prohibemus insuper, ne inferiores prælati absque episcoporum, nec ipsi absque archiepiscoporum, nec ipsi metropolitani absque sedis Apostolicæ licentia speciali aliqua de bonis immobilibus vel juribus, ad monasteria sive ecclesias suas spectantibus, nisi in casibus a jure permissis, alienare præsumant: quod si contra fecerint, pro irrito habeantur: & alienantes, si inferiores prælati sint, a suorum ordinum; archiepiscopi & episcopi a pontificalium executione sint ipso facto suspensi: quam suspensionem superiores ordinarii alienantium, alienatis prius ad jus & proprietatem monasteriorum seu ecclesiarum revocatis, vel alias indemnitati ipsorum monasteriorum & ecclesiarum provisio, valeant relaxare.

XXXVI. Non imponenda ecclesiis graviora onera.

Statuimus, quod ecclesiæ parochiales, vel aliæ ecclesiæ, seu monasteria per majores, seu minores, vel personas, seu magistros, aut capitula cathedralium ecclesiarum, vel aliarum ecclesiarum prælatos novis, injustis, & indebitis exactionibus non graventur, nec eis novi imponantur census, aut indebitas exactiones inducant, nec veteres augeant pensiones: qui vero inventi fuerint in talibus ecclesias molestare aut aggravare prædictas, si episcopi per metropolitanos eorum, si inferiores personæ per suos



suos diœcesanos a talibus per censuram ecclesiasticam & alia opportuna remedia desistere compellantur.

XXXVII. Archidiaconi non præficiendi nisi scientia juris canonici exculti.

Cum tam de jure, quam de generali consuetudine multarum ecclesiarum archidiaconi jurisdictionem habeant causas matrimoniales & plerumque alias audiendi, examinandi, atque decidendi; statuimus atque præcipimus, quod nulli dæ cætero in regno Ungariæ & provincia Poloniæ in archidiaconos assumantur, nisi in jure canonico taliter sint instructi atque periti, quod causas hujusmodi secundum jura & rationabiles consuetudines locorum, in quibus hujusmodi jurisdictionem obtinent, audire, examinare, atque decidere possint; vel alias in artibus sint aut in aliis scientiis taliter informati, quod in talibus, annuente Deo, verisimiliter proficere possint: & si tales in archidiaconos assumi contigerit, teneantur ad minus triennio in canonico jure studere, dimissis in ipsis archidiaconatibus talibus vicariis, qui honeste possint supplere vices eorum. Hanc autem ad studium, quantum ad constitutionem triennii ad jam institutos archidiaconos extendi volumus & mandamus; nisi & instituti jam facti sint, & instituendi post suas institutiones fiant absque vitio & culpa ipsorum adeo pauperes, debiles, vel infirmi, aut alias inhabiles ad studendum, quod studium incipere nequeant, vel perficere, aut terminare incœptum: quibus impedimentis cessantibus, teneantur incipere & incœptum perficere studium, ut superius est expressum. Ad prædicta quoque implenda archidiaconi supradicti a suis diœcesanis per amotionem & privationem perpetuam a suis archidiaconatibus compellantur. Indulgemus autem archidiaconis supradictis quod infra triennium, quo studio præfato vacabunt, archidiaconatuum & aliorum beneficiorum suorum fructus & proventus cum ea integritate percipiant, cum qua ipsos perciperent, si in dictis archidiaconatibus vel beneficiis personaliter morarentur, quotidianis distributionibus, quæ in pane & vino singulis vel certis diebus exhibentur, dumtaxat exceptis; nisi in fraudem præsentis constitutionis reditus, qui consueverunt in pecunia percipi, ordinarentur pro distributionibus panis & vini.

XXXVIII. Causæ matrimoniales diligenter discutiendæ.

Prohibemus, ne causæ matrimoniales, nisi discretis & gravibus ac honestis, committantur personis, & habentibus juris canonici peritiam vel causarum experientiam in talibus opportunam. Statuimus, ut judex in causis matrimonialibus testes per se ipsum, vel alium discretum & honestum jurisperitum, vel bonam experientiam causarum habentem, examinet.

XXXIX. Sacramenta de non deferendis prælatorum culpis rescissa.

Quia nonnulli prælati, sæculares & regulares, subditis suis inhibent, ne ecclesiarum sive monasteriorum suorum statum personarum & rerum eorumdem superioribus suis seu aliis, per quos ad notitiam eorum perveniat, insinuent, vel exponant, eosdem subditos sub juramenti interpositione, & aliis vinculis astringentes, vel in ipsis si secus fecerint excommunicationis sententiam proferentes; nonnulli etiam ex eis subditos ipsos plerumque alios sibi obligant, ne de cætero dicant sive deponant, denuncient aut faciant aliquid contra eos, per quod malum vel damnum aliquod incurrere possint; ex quibus frequenter venit, quod cum superiores ecclesias & monasteria ipsa visitant, ipsorum monasteriorum, seu prælatorum, aut etiam subditorum statum scire non possunt, propter quæ multa in eis tam in capite, quam in membris, quæ correctione & reformatione indigent, remanent incorrecta; nos contra hujusmodi detestabiles & periculosas astutias providere volentes, omnia super his vincula interposita, obligationes omnes super hoc initas, sententias, & quæcumque alia hujusmodi occasione subsecuta, inita seu facta, vel quæ in posterum ferri vel fieri contigerit, penitus revocamus, relaxamus, atque cassamus, ac cassa & irrita nuntiamus; decernentes subditos & alios supradictos a prædictis obligationibus, sententiis, atque pœnis totaliter absolutos, & ad eorum observationem aliquatenus non teneri.

XL. Supellex sacerdotum in ecclesiis non locanda.

In concilio prohibetur, & nos prohibemus inviolabiliter observari, ne supellectilia sacerdotis propria, seu alia in ecclesiis reponantur aut etiam teneantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina ad eas oporteat habere refugium: sic tamen, ut necessitate cessante, extra ecclesiam portentur. Librum qui dicitur manuale, habeant singuli presbyteri parochiales, ubi contineatur ordo baptismi, catechismi, extremæ unctionis, & hujusmodi, nec non libros alios, in quibus possint tam diurnum quam nocturnum officium celebrare.

Libri rituum ab iis tenendi.

XLI. Choreæ in loco sacro non permittendæ.

Præcipimus sacerdotibus, ut divino officio celebrato, & populo regresso ad propria, ecclesias suas firmare debeant diligenter. Prohibeant etiam sacerdotes sub pœna excommunicationis choreas in cœmeteriis vel in ecclesiis duci; quia, ut ait Augustinus, melius est festivis diebus fodere vel arare, quam choreas ducere. Sub anathematis interminatione prohibemus, ne quis civiles causas in ecclesiis vel cœmeteriis agitare præsumat. Nullus etiam de novo ædificare in cœmeterio permittatur: nec fimus, vel immunditiæ aliæ in cœmeteriis adunentur. Talia facientes, quousque satisfecerint, ad voluntatem rectoris ab ingressu ecclesiæ illius arceantur.

Præ-

XLII. De vigiliis in Ecclesiam obeundis.

Præcipimus, quod ecclesiarum rectores in suis ecclesiis vigilias fieri a laicis non permittant, cum ex hoc scandala proveniant & peccata, nisi forsan in illis ecclesiis, in quibus ex devotione fidelium vigiliæ tales consueverunt fieri ab antiquo. Ad dilatandum in divinis officiis ecclesiæ decus, præsenti constitutione duximus statuendum quod præpositi, canonici, plebani & alii ecclesiarum rectores, & clerici universi in præpositurís, canoniis, & plebanatibus, rectoriis, & aliis ecclesiis, in quibus beneficiati existunt, vel a quibus ecclesiastica recipiunt stipendia residentiam facientes, horis canonicis, ad minus matutinis, missæ vel vesperis intersint; cum eis ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata, ut de ipsis honeste debeant vivere, ac Deo & dictis ecclesiis in ipsis divinis officiis cum reverentia deservire. Quod si quis eorum in prædictis * pareat negligens vel remissus, & per diœcesanum, vel capitulum, vel alium superiorem admonitus non emendaverit; sed hujusmodi negligentiam, ne dicamus contemptum, non videatur emendationi, sed consuetudini potius deputare; quotidianis distributionibus illius diei, quo absque rationabili causa abfuit a divinis in aliqua de tribus horis prædictis, ipso sit facto privatus per diœcesanum vel alium superiorem suum, si hujusmodi negligentiam vel contemptum non studuit emendare, officia continuando prædicta, gravius puniendus. Et ut hujusmodi constitutio melius observetur, deputentur aliqui a singulis capitulis cathedralium, & collegiatarum ecclesiarum, qui absentias & negligentias talium notent & scribant, parochialium vero sacerdotum & aliorum clericorum negligentiæ & offensæ in talibus, & aliis, quæ a cura & solicitudine pendent eorum, per archidiaconos, præpositos, aut alios, & demum per episcopos, quibus subsunt, corrigantur, & salubriter emendentur.

Divinis officiis peragendis.

* apparet.

XLIII. Vetitæ nonnullæ extorsiones.

Præsenti quoque constitutione declaramus atque decernimus, quod consuetudo, secundum quam archidiaconi Ungariæ pro occisis gladio, sive fuste, vel aliorum armorum genere, seu veneno, aut quocumque alio damnabili & reprobato modo consueverunt recipere unam marcham argenti, antequam sic occisi tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, ad eos, qui fulmine percussi, fluminibus suffocati, exusti incendio, arboribus oppressi, aut de equo cadentes, vel aliis similibus, sive fortuitis casibus diem clauserunt extremum, seu interiisse noscuntur, nullatenus extendantur, nec ab eorum heredibus, propinquis, sive amicis marcha hujusmodi exigatur: sed sic defuncti, dummodo pœnitentes decesserint, vel in morte pœnitentiæ signa apparuerint manifesta, sicut alii Christiani ecclesiasticæ sepulturæ tradantur: archidiaconi vero per suos ordinarios ab hujusmodi exactione indebita arceantur.

De oppressis repentina morte sepeliendis.

XLIV. Statuta in publicos concubinarios.

Prohibeant etiam sacerdotes, ne laici publice teneant concubinas: & qui post admonitionem tenuerit, tam ipse quam ipsa ab ingressu ecclesiæ arceantur: & si per hoc se non emendaverint, per suos diœcesanos fortius compellantur. Cum ex vicinitate turpium mulierum, & maxime meretricum publicarum, quæ corpora sua pro vili pretio vel mercede venalia indifferenter exponunt, multis plerumque peccandi occasio ministretur, ut de multis aliis spiritualibus & temporalibus, quæ sæpissime ex earum vicinitate damnabili consueverunt contingere, periculis taceatur, religio Christiana ac multorum bonorum honestas enormiter infametur; statuimus, quod nulla persona ecclesiastica aut etiam sæcularis, universitas, collegium, vel conventus hujusmodi infames & abominandas personas in aliqua civitate, castro, vel villa in domibus seu possessionibus suis habitare permittat, nec eis vel aliquibus aliis ipsarum nomine vel pro ipsis aut infamatis de lenociniis, favore, commercio, aut conversatione, sive protectione talium mulierum domos ipsas, vel possessionem suam eis concedere, locare, vendere, vel donare quocumque modo vel fraude præsumat: quod si quisquam contra hujusmodi constitutionem venire præsumpserit, tamdiu per ordinarios locorum & presbyteros parochiarum in quibus violatores constitutionis hujus deguerint, ab ecclesiæ arceantur ingressu, & a perceptione sacramentorum habeantur suspensi, donec ipsis turpibus personis de dictis domibus & possessionibus prorsus ejectis, & præstita sufficienti cautione, quod ulterius in talibus non excedent; & ad mandatum ordinariorum, sive superiorum, vel presbyterorum parochialium suorum tantum de bonis suis in pios usus expendant, quantum pro hujusmodi locatione, venditione, seu concessione perceperint, aut percepturi fuerunt occasione prædicta. Personæ autem ecclesiasticæ, si in prædictis excesserint, præter prædictas pœnas per ordinarios sive superiores suos gravius puniantur. Hanc autem constitutionem ad publicos adulteros, & incestuosos & ad publicas adulteras & incestuosas, quos & quas excommunicationis sententiæ decernimus subjacere, extendi volumus & mandamus.

Lenones & lenas.

Pellendæ undique meretrices.

XLV. Ecclesiastica bona a laicis non occupanda

Statuimus, quod ad bona decedentium episcoporum seu episcopatuum, & aliorum inferiorum prælatorum, sæcularium seu religiosorum, monasteriorum vel aliarum ecclesiarum vacantium nul-



nullus laicus, quantæcumque & cujuscumque sit altitudinis, existentiæ, conditionis, vel status manus suas extendi faciat, vel permittat, bona hujusmodi auferendo, aut etiam occupando occasione juris patronatus, vel alio quocumque prætextu. Quod si quis laicorum contra constitutionem hujusmodi venire præsumpserit, ingressum ecclesiæ, & perceptionem seu participationem sacramentorum usque ad satisfactionem omnium occupatorum, subtractorum, ac etiam ablatorum sibi noverit interdictos, salvis aliis prædictis, & in aliis constitutionibus nostris expressis.

XLVI.

Statuimus, quod nulla persona ecclesiastica aut etiam sæcularis, cujuscumque sit existentiæ, ordinis, dignitatis, vel status, vel sub prætextu juris patronatus, quod se habere dicat, contendat, vel asserat, aut in veritate habeat in aliquibus monasteriis vel ecclesiis nostræ legationis, seu alio quocumque prætextu vel modo monasteria vel ecclesias prædicta, in quibus jura hujusmodi se habere contendunt, aut aliquid de bonis vel juribus, ad ipsas ecclesias vel monasteria spectantibus, per se vel alios occupare, vendere, donare, permutare, locare, aut alio modo quocumque alienare, seu bona ipsa aut fructus aliquos in perpetuum vel ad tempus, aut alias in feudum sive in pignus dare, concedere, vel recipere; aut aliquid aliud circa dispositionem & ordinationem ecclesiarum & monasteriorum prædictorum, seu bonorum, mobilium vel immobilium aut se moventium jurium eorumdem propria auctoritate attentare præsumant: veris patronis ecclesiarum & monasteriorum legationis præfatæ, in quibus ecclesiis & monasteriis jus obtinent patronatus, jure competenti occasione hujusmodi patronatus servato in tantum, in quantum in hac parte patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt. Transgressores autem constitutionis hujus, postquam a diœcesano & aliis superioribus illarum ecclesiarum, in quibus prædicta, vel prædictorum aliqua attentarint, per charitatem admoniti fuerint, nisi infra terminum ab ipsis diœcesanis, vel per alios dictarum ecclesiarum superiores statuendum eisdem, ab ipsarum ecclesiarum, vel monasteriorum, seu bonorum, ac jurium eorumdem super prædictis molestatione & perturbatione destiterint, & ad ipsorum diœcesanorum, seu aliorum superiorum arbitrium satisfecerint de damnis & injuriis irrogatis occasione prædicta monasteriis & ecclesiis præfatis; ex tunc se sciant excommunicationis sententiæ subjacere: a qua, juxta tamen formam ecclesiæ, per diœcesanum, satisfactione præmissa & sufficienti cautione quod ulterius in talibus vel similibus non excedant, possint absolvi præfatos.

Non quovis colore alienanda.

XLVII. De jure patronatus & collatione sacerdotiorum plura constituta.

Præsenti quoque declaramus statuto atque præcipimus, quod quæcumque persona sæcularis, cujuscumque sit existentiæ, dignitatis, aut status, quantumcumque liberaliter & absolute concedat, donec tradat seu tradidisse intenderit, vel intendat, voluerit vel velit, monasteria seu ecclesias, in quibus jus tantum obtinent patronatus, monasteriis vel aliis ecclesiis sæcularibus, illud faciat & facere debeat de illorum diœcesanorum seu prælatorum licentia seu assensu, in quorum diœcesi vel jurisdictione ecclesiæ vel monasteria ipsa consistunt: & tam prædictæ, quam aliæ personæ regulares aut sæculares, cujuscumque ordinis, dignitatis, religionis vel status, quantumcumque liberaliter & absolute concesserint, donaverint, vel tradiderint, aut concedant, donent, vel tradant, seu concessisse, donasse, tradidisse, intenderint vel intendant, ecclesias, in quibus jus tantum obtinent patronatus, locis vel personis prædictis, nihil aliud intelligatur seu præsumatur conferre aut etiam contulisse; nec personæ, aut loca prædicta aliud ex collatione hujusmodi recipere vel acquirere, quam jus in eisdem ecclesiis seu monasteriis conferentibus competens patronatus: statuentes & expressus prohibentes, ne aliquæ personæ ecclesiasticæ aut etiam sæculares, quibus de monasteriis, vel ecclesiis hujusmodi sunt donationes, concessiones, vel collationes factæ, vel in posterum fient aliquid, nisi quantum patronis canonica jura concedunt, exigere, vel extorquere, aut capere motu proprio, vel accipere de bonis mobilibus, vel immobilibus aut se moventibus, vel de juribus monasteriorum, aut ecclesiarum ipsarum; nec in eis statuere aliquas prælaturas, seu etiam rectorias, nec removere sive supprimere, vel etiam revocare statuta, nec de ipsis monasteriis, vel ecclesiis aut temporalibus, seu spiritualibus, vel juribus eorumdem, nisi quantum ad defensionem pertineat, ad quam patroni tenentur disponere; aut etiam se intromittere, vel aliquos in ipsis monasteriis aut ecclesiis instituere, vel destituere, hujusmodi juris patronatus prætextu, quocumque invento colore, præsumant. Decernimus autem irritum & inane quidquid a præfatis personis circa monasteria & ecclesias, & alia omnia & singula supradicta contra tenorem præsentis constitutionis temere contingeret attentari. Per hanc autem declarationem & constitutionem nullum veris patronis super his, quæ sibi competunt, id est juris patronatus, præjudicium generetur. Si qui vero, quacumque præsum-

sumptione contra constitutionem hujusmodi venientes, monasteria vel ecclesias in prædictis vel prædictorum aliquo molestare, seu perturbare, * aut de ipsis monasteriis, vel ecclesiis, seu bonis, & juribus eorum se intromiserint quoquo modo, ingressu ecclesiæ & perceptione sacramentorum ecclesiasticorum se noverint interdictos, donec satisfactione præmissa a perturbatione, & molestatione, & aliis supradictis destiterint, & per diœcesanum illarum ecclesiarum seu monasteriorum, quæ hujusmodi occasione læserant, ad ecclesiæ ingressum & sacramentorum perceptionem fuerint restituti * ecclesiastica ministraverint sacramenta, per sex menses a collatione sacramentorum noverint se suspensos.

* præsumpserint

* : qui autem iis

XLVIII. Cum multorum assertione didicerimus, pestem quamdam in regno Ungariæ & aliis terris nostræ legationis contra clerum & ecclesiasticam libertatem invaluisse jamdudum; videlicet quod laici ecclesias, monasteria, earumque possessiones & jura, juris patronatus seu alio quocumque prætextu, non absque damnabili & manifesta sacrilegii nota, quasi indifferenter occuparunt hactenus, & quotidie occupant, & damnabiliter detinent occupata, quarum aliquæ sunt deputatæ habitationi & usibus laicorum, aliæ vero usibus jumentorum & aliorum animalium, altaribus & aliis ad cultum divinum ibi statutis pia devotione fidelium & auctoritate Pontificum, destructis & totaliter deformatis; nos contra hujusmodi pestem, quam pati nullo modo possumus nec debemus, omnino intendentes de salubri remedio providere, omnes & singulos ecclesiarum & monasteriorum bonorum ac hujusmodi detentores ex parte Dei omnipotentis, & sub obtestatione divini judicii admonemus, quatenus ecclesias, monasteria, earumque possessiones & jura, quæ taliter occuparunt seu detinent occupata in regno & terris prædictis, diœcesanis episcopis, vel aliis ordinariis, aut aliis ecclesiasticis personis, ad quas prædicta spectare noscuntur, infra sex menses a die publicationis præsentis constitutionis computandos, cum fructibus exinde perceptis reddere & restituere non postponant. Alioquin præfatos decentores, quos excommunicationis sententiæ decernimus subjacere, ad requisitionem illorum ordinariorum, in quorum diœcesi, vel jurisdictione, aut ecclesiis, vel earum bonis, & juribus prædicta sunt commissa, vel de cætero committentur, ab omnibus prælatis regni Ungariæ, quantum ad Ungaros, & ab illis de Polonia quantum ad Polonos usque ad restitutionem & satisfactionem condignam excommunicatos publice præcipimus nuntiari, pulsatis campanis & candelis accensis diebus dominicis & festivis: contra quos, si opus fuerit, invocetur auxilium brachii sæcularis.

Sacrarum opum invasores ad eas restituendas postulati.

Censuræ iis objectæ.

XLIX. Cum ecclesiæ & monasteria secundum traditiones evangelicas, apostolicas, atque canonicas sint & esse debeant domus orationum, non speluncæ latronum, vel munimenta prædonum; dolenter referimus, quod quidam, & non pauci, in regno Ungariæ & terris nostræ legationi subjectis multa monasteria multasque ecclesiasticas possessiones & jura ad ipsas spectantia occupasse, pleraque ex eis incastellasse dicuntur: & cum * ipsis & ecclesiis, & monasteriis ad laudem Dei continua debeantur ecclesiastica officia celebrari, & pro animabus tam defunctorum, quam vivorum devote preces & orationes deferri, in ipsis tyranni raptores habitant & prædones, rapinæ spoliaque reconduntur & prædæ, & quod valde horrendum est, loca ipsa Deo dedicata & sanctificata frequenter humano sanguine & semine polluntur. Cum autem ea, quæ sunt juris divini, nullo modo debeant ad humanos usus converti, maxime tam detestabiles & profanos; nos nulla ratione volentes tantam iniquitatem & perversitatem conniventibus oculis pertransire, omnes & singulos cujuscumque existentiæ, nobilitatis, status, aut conditionis, qui ecclesias, monasteria, aut bona vel jura ipsorum occupare, incastellare, vel violenter invadere præsumpserunt, aut invasa seu occupata detinent, aut de cætero invadere seu etiam incastellare & occupare propria temeritate præsumpserint (nisi infra terminum seu terminos omnibus communiter & singulis singulariter ab illis prælatis, in quorum diœcesi & jurisdictione ecclesiæ, monasteria, bona, & jura consistunt præfata, peremptorie statuendos, monasteria, ecclesias, possessiones & jura illis personis ecclesiasticis, ad quos pertinent, supradicta, libere & absque difficultate reddiderint & restituerint, & de fructibus, proventibus, atque damnis ad mandatum prælatorum ipsorum satisfecerint competenter, caverintque sub certis pœnis, quod ulterius in talibus non excedent) anathematis vinculo decernimus & volumus esse ligatos, a quo absolvi non possint, nisi prædicta restituerint, & ad mandatum ipsorum prælatorum plene satisfecerint, ut superius est expressum.

* in

Ecclesiæ in arces commutari vetitæ.

L. Statuimus quod nullus judex ordinarius vel etiam delegatus faciat, vel etiam se facturum promittat, justitiam alicui per gratiam seu receptam pecuniam vel promissam, aut per alias fordes prætextu alicujus odii, temporalis emolumenti, favoris, seu lucri: & qui contrafecerit, per annum officium judicandi sibi noverit interdictum; ad eliminationem litis parti, quam læserit, nihilominus condemnandus, prout in con-

Justitia ex quæstu non administranda.



constitutione felicis recordationis D. Innocentii Papæ IV. de re judicata, edita in concilio Lugdunensi, cavetur.

LI. Statuimus, quod judices ordinarii, aut etiam delegati omnes illos, quos per denunciationem vel alio legitimo modo excommunicatos sciverint esse ab homine vel a jure, ab agendo, patrocinando, vel testificando in suo foro vel curiis, aut judiciis ex officio suo repellant: judices autem, qui exceptionem excommunicationis contra agentes, advocantes, vel testificantes objectam non admiserint, sed ea non obstante tales admiserint ad prædicta, per mensem unum judicandi officium sibi noverint interdictum: & processus cum talibus excommunicatis habitus sit irritus ipso facto, nec per processus hujusmodi judicium excipienti excommunicationem, sive ipsam exceptionem habuerint, sive non, ex quo per eum composita fuit hujusmodi exceptio, & non fuit admissa, aliquod præjudicium generetur.

Anathematis rei legum beneficio privandi.

LII. Statuimus, quod judices sæculares exceptionem rei judicatæ per ecclesiasticum judicem, de qua quidem re cognitio ad ipsum Ecclesiasticum judicem de consuetudine vel de jure pertinet, & viam ipsi propositam admittere non omittant. Item e contra ecclesiastici judices, cum de re judicata per sæcularem judicem de his, quæ ad ejus jurisdictionem spectare noscuntur, ex eis coram eis exceptionem hujusmodi, prout de jure tenentur, admittant. Quod si dicti judices exceptiones hujusmodi forte admittere recusarent, per ordinarios, de quorum jurisdictione fuerint bona, de quibus vel personæ, contra quas fuerit judicatum, ad recipiendam & ad admittendam exceptionem hujusmodi per opportuna remedia compellantur: cum quos Dei timor de malo non revocat, pœna coercere debeat temporalis.

Ut exceptio rei judicatæ sit admittenda.

LIII. Statuimus, quod universi & singuli nostræ legationis, cujuscumque sint existentiæ, dignitatis aut status, temporalem jurisdictionem habentes, ad requisitionem prælatorum seu judicum ecclesiasticorum contra rebelles & inobedientes eis, vel eorum sententias contemnentes, seu non parentes alias rei judicatæ ab eis de his & super his, quæ principaliter vel incidenter de consuetudine vel de jure ad forum, jurisdictionem, seu cognitionem ipsorum spectare noscuntur, reverenter brachium suæ jurisdictiones impendant; rebelles & inobedientes, atque non parentes hujusmodi, ac excommunicatos quosque ab ipsis prælatis, seu ecclesiasticis judicibus, seu alias ab homine vel a jure redire ad ecclesiæ unitatem ac satisfacere pro causis, pro quibus excommunicationes hujusmodi incurrerunt per occupationem bonorum, quæ sub sua jurisdictione sunt, & alia opportuna remedia compellendo, ad quod præfati judices per censuram ecclesiasticam compellantur: ipsi vero prælati & ecclesiastici judices versa vice laicorum judicium sua jurisdictione in his & super his, quæ canonicis non obvient institutis, quoad vivent, & contra inobedientes, & rebelles illorum, ac ipsorum sæcularium judicum justis sententiis non parentes, gladium suæ potestatis & auctoritatis, ecclesiasticam scilicet censuram, impendant, cum ab ipsis sæcularibus judicibus super hoc fuerint requisiti.

Defixi anathemate ad officium cogendi.

LIV. Statuimus, quod omnes causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes, coram ordinariis vel ecclesiasticis judicibus juxta sacras & legitimas sanctiones agitari, tractari, vel ventilari debeant, & per eos libere & absque impedimento ullo vel obstaculo terminari: & si qui, quando super hujusmodi causis Apostolicam sedem ac alios superiores, ad quos appellare jura permittunt, appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad præfatam sedem, seu ad superiores prædictos accedere super appellationum prosecutionibus libere & absque inhibitione aliqua permittantur. Si vero Rex, seu Regina, vel quicumque alii de regno prædicto, postquam coram ipsis de hoc protestatum fuerit vel exceptum, contra constitutionem hujusmodi venerint de causis hujusmodi cognoscendo, vel appellantes ad sedem Apostolicam seu superiores præfatorum, a prosecutione appellationum ipsarum quomodolibet prohibendo seu alias contra constitutionem hujusmodi excedendo ab hujusmodi prohibitione, impedimento, seu cognitione omnino non destiterint, Rege seu Regina præfatis in prædictis excedentibus tam diu ecclesiæ sit interdictus ingressus, quousque omnem processum per eos habitum, in causis prædictis, quem cassum & irritum nunciamus; omnesque prohibitiones & gravamina revocaverint cum effectu: alii vero duces, barones, & alii inferiores judices, contra constitutionem excedentes præsentem, nisi infra triduum post quam coram eis ut supra denuntiatum, protestatum fuerit vel exceptum, prohibitiones, impedimenta, gravamina, ac processus super hujusmodi revocaverint cum effectu, ac procedendo in causis hujusmodi destiterint, ipso facto excommunicationis sententiæ se noverint subjacere, a qua, congrua satisfactione præmissa, ab episcopis, in quorum diœcesi persona vel res, super quibus vel contra quos processerint, juxta formam ecclesiæ possint absolvi

De provocationibus.

LV. Cum Regum, principum, baronum, & aliorum catholicorum fidelium proprium & peculiare ab antiquo fuisse noscatur, ecclesias, monasteria, locaque sacra Deo ædificare; destructas vero, sive concisas, aut in se sive in ministris, vel

Et immunitate ordinis ecclesiastici.

Prohibitæ extorsiones ab ecclesiis.

vel in facultatibus, juribus, privilegiis, vel immunitatibus suis diminuta sive oppressa relevare, reficere, defendere, ac etiam restaurare, prout per facti evidentiam, videlicet per ædificationem, refectionem, & reparationem ecclesiarum & monasteriorum multis & latis possessionibus, ædificiis, juribus, privilegiis, prærogativis & immunitatibus dotatorum, antiquitas ipsa omni digna veneratione & imitatione testatur; multum profecto ab antiquorum & majorum suorum videntur vestigiis deviare, qui ecclesias ipsas, vel eorum bona, se jura destruunt, scindunt, occupant, vel invadunt, seu earum privilegia & immunitates imminuunt, & infringunt, aut qui talibus tacite vel expresse consentiunt, seu qui talia in his similia contra Deum ejusque ecclesiam atque ministros impie committentes, per assumptæ potestatis vel jurisdictionis officium non compescunt & ab ipsis desistere per remedia opportuna non cogunt. Declaramus igitur atque decernimus, ecclesias, & ecclesiasticas personas ab omnibus angariis & parangariis, exactionibus & collectis, & aliis superinductionibus, oneribus, & muneribus sordidis laicorum; necnon a præstationibus tributorum, pedagiorum, seu vectigalium pro ecclesiasticis personis, evectionibus, & rebus ipsorum, qui non causa mercimonii sive negotiationis, sed pro suis & ecclesiarum suarum necessitatibus per terram sive per aquam ducunt seu transeunt, omnino immunes & exemptas esse juxta canonicas & legitimas sanctiones, nec per aliquos, cujuscumque altitudinis, jurisdictionis, seu etiam potestatis ad talium præstationem posse vel debere compelli.

LVI. Et quia in regno Ungariæ, & aliis terris nostræ legationis ecclesiæ, & ecclesiasticæ personæ a multis, & in multis, & variis super prædictis & aliis similibus indebite & contra justitiam aggravantur in periculum animarum illorum, qui talia agunt, & ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum non modicum detrimentum, & derogationem ecclesiasticæ libertatis; nos autem animarum saluti, & ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum immunitati super hoc providere volentes, districtius prohibemus, ne de cætero ecclesiis & ecclesiasticis personis talia imponantur, aut exigantur, seu extorqueantur ab eis, vel ipsæ ecclesiæ aut personæ super talibus præstationibus quomodolibet molestentur: quod si contra prohibitionem hujusmodi quisquam ab ecclesiis vel personis prædictis aliquid occasione prædicta extorquere præsumpserit vel auferre, seu super prædictis vel eorum aliquo ecclesias vel personas aggravare prædictas, nisi infra triduum omnia restituerit, quæ ab hujusmodi personis occasione prædicta extorsit, ingressum ecclesiæ & perceptionem sacramentorum sibi noverit interdictos: quod interdictum, satisfactione præmissa, per diœcesanum valeat revocari.

LVII. Et quia inhonestum extitit, quod canonici regulares vel monachi diversis vestibus vestiantur, cum ex hoc proveniat invidia, murmur, & scandalum inter ipsos, statuimus, quod omnes in eodem monasterio, vel regulari canonica, & sub eadem professione morantes, indifferenter uno & eodem vestiario induantur: prohibentes expresse, ne quis eorum vestes aliquas alicujus coloris, nisi tantummodo albi, vel nigri, seu grisei habere præsumat, in quibus brunetam nigram, garzatum, & alium quemcumque pannum notabiliter delicatum interdicimus universis. Vestes non habeant brevitate vel longitudine deformatas. Qui vero in prædictis excesserint, per suos diœcesanos vel superiores alios castigentur, salva distinctione ac discretione diversorum ordinum, servata inter monachos, sive canonicos, & conversos.

Vestium cultus in religiosis sodalitiis conformis esse debet.

LVIII. Quia, sicut audivimus, quidam monachi & canonici regulares sicut laici & clerici sæculares consueverunt incedere in animarum suarum periculum & scandalum plurimorum, præcipimus, ut canonici regulares sine superpelliceis vel tunicis lineis, seu cappis clausis; monachi vero sine cappis, aut cucullis, seu scapularibus extra domos suas de cætero non incedant, nec etiam intra domum. Si vero contra facere præsumpserint, administrationem habens eam ipso facto amittat; & monachus sive canonicus regularis per abbatem, priorem, vel præpositum puniatur, & si negligens fuerit, per episcopum suppleatur.

Statuimus, ut a die Quatuor coronatorum usque ad diem natalis Domini a sanguine & carnibus omnes monachi, cujuscumque ordinis (præterquam infirmi, debiles, & delicati, cum quibus abbates discretione prævia poterunt dispensare) abstineant, omnibus diebus exceptis dominicis, jejunantes. Poterit tamen abbas ex causa cum aliquibus, ut aliquando bis comedant, dispensare: nec comedant ter in die nisi pueri, infirmi, vel qui in refectorio leget: nec comedant extra domos suas in parochiis suis, nisi quando procuratio ab aliquibus debetur eisdem. A septuagesima usque ad pascha, quantum ad esum carnium & esum sanguinis, idem præcipimus firmiter observari; canonicos autem regulares suam regulam regulariter præcipimus observare. Præcipimus etiam, quod nullus canonicus regularis diebus lunæ & mercurii carnes in refectorio comedat, nisi festum novem fuerit lectionum. Silentium autem in claustro, refectorio, & dormitorio fir-

Præscriptus ciborum modus.



firmiter præcipimus observari horis debitis & statutis in loco, ubi ad minus tres monachi aut regulares canonici commorantur; ita scilicet, quod aliquis loqui non audeat, nisi voce adeo submissa, quod tertius ab ipso audire non possit.

LIX. Non exeundum extra septa monasterii inconsulto eo, qui præest. Quoniam, sicut audivimus, quidam monachi & canonici regulares aliquorum monasteriorum consueverunt extra septa sui monasterii, tam patenter quam latenter, tam turpiter quam damnabiliter per terram sæpius evagari; statuimus, ut nullus, excepto capellano & illis, quibus ex necessitate administratio competit, septa monasterii sui exire audet, nisi prius ab abbate vel priore, seu præposito; & si abbas, vel prior, seu præpositus præsentes non fuerint, ab eorum vicariis vel aliis, potestatem habentibus, eis specialiter licentia sit concessa: quibus abbas, seu prior, vel præpositus, vel eorum vicarii sine causa necessaria vel rationabili exeundi licentiam non concedant. Nec etiam obtenta licentia sine socio quis pedes exire præsumat. Si vero abbates, priores, præpositi, vel alii regulares prælati, seu eorum vicarii in aliquo præmissorum negligentes inventi fuerint vel remissi, suspensionis vel majoris vindictæ sententia a diœcesanis suis se noverint puniendos. Prohibemus ne monachi vel canonici regulares ecclesias ad firmam recipiant, vel conducant, aut sine licentia diœcesanorum episcoporum, vel aliorum ordinariorum parochialium ecclesiarum capellani existant: sed ad sua monasteria redeant, donec redierint non celebraturi.

LX. Venatio a religiosis viris non exercenda. Si quis religiosus inventus fuerit cum canibus & avibus venatoriis, cuicumque occupanti conceduntur a nobis. Nullus regularis cujuscumque ordinis continue deservire audeat in parochialibus ecclesiis sæcularium ultra octo dies sine illius parochialis ecclesiæ ordinarii licentia speciali; qui vero tales scienter ultra octo dies loco capellanorum ad celebrandum vel ad ecclesiastica sacramenta ministrandum tenuerint vel sustinuerint, sint ipso facto ab ordinum executione suspensi: quæ suspensio per diœcesanos imposita eis sub hujusmodi excessu seu transgressione pœnitentia competenti, ac injuncto sibi quod in talibus ulterius non excedant, valeat relaxari. Excommunicentur monitione præmissa omnes monachi & religiosi, qui relictis claustris suis absque prælatorum suorum licentia ad scholas ire, vel aliud quam grammaticam, theologiam, aut logicam in scholis audire præsumunt.

LXI. Quia, sicut audivimus & in parte vidimus, in regno Ungariæ & aliis terris nostræ legationis ecclesiasticæ personæ, tam sæculares quam regulares; plerumque, quod gravius est, prælati excommunicationum, suspensionum, & interdictorum sententias in singulares personas, collegia, universitates, ac terras, villas, vel loca a suis judicibus, vel a jure, sive a canone promulgatas, usque ad hæc tempora in grave animarum periculum, & illorum, ad quorum instantiam, vel pro quibus hujusmodi sententiæ latæ fuerint, non modicum, immo plerumque maximum detrimentum; nec non in gravissimum auctoritatis & potestatis ecclesiasticæ censuræ contemptum, & derogationem ecclesiasticæ libertatis, prout tenentur & debent, hactenus minime servaverunt, nec fecerunt ab aliis observari, juxta mandatum Apostoli & statuta canonica excommunicatos hujusmodi non vitando; sed in salutatione, osculo, mensa, divinis officiis, ac aliis ab Apostolo & sacris canonibus prohibitis damnabiliter communicantes cum eisdem laicis idiotis, atque simplicibus, quos ad hujusmodi sententias observandas persuasionibus, monitis, & exemplis inducere, & per censuram ecclesiasticam gravius compellere debuissent, suis pravis & perniciosis exemplis viam, immo invium & laqueos damnabiles ad contemptum libertatis & censuræ ecclesiasticæ paraverunt; quia, ut scriptum est, quod fit a prælatis, trahitur a subditis facile in exemplum, sicque peccatis exigentibus ex talium abusu negligentia & contemptus, ac plurimorum malitia evenit; accidit quod pauci inveniuntur in regno & terris prædictis, qui ecclesiasticam censuram revereantur & timeant, cum videant defensores ipsius censuræ prælatos, & alias inferioris gradus ecclesiasticas personas, pastores, patres, & medicos animarum suarum hujusmodi sententias, per ipsos potius divina quam humana auctoritate prolatas, quarum ad ipsas specialiter spectat tuitio notabiliter, & damnabiliter non servare; quia ut sapiens ait, nec sic inflectere animos dicta possunt ut vita regentis, propter quæ censura & libertate hujusmodi vilipensis jam indifferenter & impune in regno & terris prædictis captivantur, verberantur, mutilantur, ac etiam occiduntur clerici & quod severius est, prælati bonis ac juribus suis, tam mundanis quam ecclesiasticis, spoliantur ecclesiæ, monasteria & bona ac jura ipsorum ab ipsis laicis occupantur, invaduntur, & damnabiliter detinentur, profanantur horribiliter, aliaque ruinis & incendiis destruuntur, earumque ac cœmeteriorum immunitas infringitur ac etiam violatur, ac libertate ecclesiastica quasi totaliter conculcata, in omnibus fere dissolvitur quotidie nervus ecclesiasticæ disciplinæ; nos autem, omnibus prælatis, tam regularibus, quam sæcularibus, & universis clericis in sancta synodo congregatis cum

Percussorum anathemate consortium fugiendum.

Prælati exemplo in ea re prælucere jussi.

De sententiis anathematis divulgandis.

cum instantia petentibus, contra mala & pericula supradicta per nostram constitutionem de opportunis remediis provideri, præsenti constitutione præcipimus, quod omnes & singuli prælati & clerici universi etiam exempti, cujuscumque dignitatis, ordinis vel religionis existant, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias ab ejusdem regni prælatis nostræ legationis & aliis, ordinariam vel delegatam jurisdictionem habentibus, vel a jure seu a canone, in quascumque personas vel loca prolatas, postquam ei per denunciationem illorum prælatorum, vel judicum, vel alio quocumque modo de talibus sententiis constiterit, inviolabiliter observent: ipsasque ad requisitionem dictorum prælatorum & judicum denuntient, & a sibi subditis denunciari faciant, & inviolabiliter observari; se suosque subditos subtrahendo, aliosque a communione talium excommunicatorum in salutatione, osculo, cibo, & potu, ac divinis officiis, necnon a celebratione divinorum in interdictis locis, vel ecclesiis, quantum in eis fuerit, revocando & expressius prohibendo. Si qui vero propriæ salutis immemores, & hujusmodi sanctæ constitutionis, necnon libertatis ac censuræ ecclesiasticæ, contemptores, tales excommunicatos denuntiare ac in prædictis & aliis, in quibus excommunicati sunt de jure vitandi, vitare, & a sibi subditis denunciari ac vitari facere diabolica fraude contempserint, vel in ecclesiis sive in locis interdictis celebrare divina quacumque temeritate præsumpserint; si singulares sive privatæ personæ fuerint, excommunicationis, si collegium vel universitas ecclesiastica, sæcularis aut regularis fuerit, eorum ecclesiæ sive monasteria ipso facto ecclesiastico subjaceant interdicto: a quibus sententiis post congruam satisfactionem exhibitam illis prælatis sive judicibus, qui hujusmodi sententias protulerint, & illis pro quibus, sive in quorum favorem præfatæ fuerint sententiæ latæ, ab ipsis prælatis & judicibus, qui sententias protulere prædictas, vel ab aliis superioribus, ad quos talium absolutio & relaxatio spectet de jure, juxta formam ecclesiæ absolutionis & relaxationis interdicti beneficium valeant obtinere. Quod autem de denuntiandis excommunicatis supra diximus, intelligimus de Polonis quantum ad Polonos, & de Ungaris & incolis terræ, Regi Ungariæ subjectæ, quantum ad Ungaros & ipsos incolas.

LXII. Publici grassatores damnati anathemate.

Nonnullos execrabiles peccatores, qui solent justis hominum laboribus, ex quibus fragilitas humana reficitur, nonnumquam etiam sanctis viris, in agone hujus sæculi certantibus opportunis, perversitate quadam diabolica invidere, videlicet vinearum & agrorum dissipatores, depopulatores, seu destructores, nocturnos & diurnos, publicos & occultos, excommunicationis sententia innodamus; a quo postquam satisfecerint damnum passis, & de publicis idoneam præstiterint cautionem, quod similia de cætero non committent, valeant a suis diœcesanis episcopis juxta formam ecclesiæ consuetam absolutionis beneficium obtinere.

LXIII. Colendæ ecclesiarum prærogativæ.

Cum universalem Ecclesiam, quam sibi Redemptor noster suo sanguine copulavit, cui Romana ecclesia adeo specialis & singularis præeminentia privilegii est prælata, quod mater sit omnium & magistra, ipsiusque prælati, sacerdotes, clerici sint patres, pastores, & judices animarum religionis Christicolæ super Reges & Reginas divinitus exaltata, dictosque prælatos sacros & ministros, quibus potestas lignandi atque solvendi animas a Domino est concessa, Reges ipsi & principes, ac fideles populi Christiani honorare atque revereri pro animarum teneantur salute; multum profecto præsumere ac enormiter excedere sunt censendi, ii maxime, qui gloriantur nomine Christiano, cum ecclesias & personas ecclesiasticas, quibus de bonis sibi a Deo datis erogare, easque, suis favorabilibus privilegiis & immunitatibus præmunire, atque ab injuriis, damnis seu violentiis suæ potestatis brachio defensare tenentur per statuta edicta, conjurationes, confœderationes, conspirationes, colligationes, machinationes, tacitas vel expressas, vel alia varia diversorum gravaminum genera perturbant, inquietant, opprimunt vel molestant, seu ecclesias ipsas, aut bona ipsarum vel ecclesiasticarum personarum, vel jura ipsarum occupando, invadendo, vel de facto indebite auferendo, aut in ipsas. (Mutila sunt acta hujus concilii, atque in superiora verba desinunt, tum in Vaticano, tum Vallicellano MS. cujus rei causa suo loco allata est, (*a*) dissolutam nempe Ladislai Regis ab impiis subornati jussu sacram synodum, armorumque terrore disturbatam, quod scelus atrox, inflictis a legato justis pœnis, expiatum vidimus (*b*).

(*a*) *An. Chr.* 1279. *n.* 34. *& an.* 1280. *n.* 8.
(*b*) *Eod. n.* 8.

IN.



# INDEX

## IN TOMUM VIGESIMUMSECUNDUM ANNALIUM ECCLESIASTICORUM.

## A


ABAGA Haolono patri succedit in Persidis imperio, 1264. LXVIII. Confirmatur a Cobila Can Tartarorum Imperatore, *ibid.* A septentrionalibus Tartaris distractæ illius vires, ne Christianis succurreret, 1265. XLVII. Mittit oratorem & literas ad sedem Ap. 1267. LXX. Significanti nomen dedisse Christo, gratulatur Clemens IV. *ibid.* Certiorem eum facit Pontifex, Carolum triumphasse de Manfredo, *ibid.* Pollicenti conjunctuum se arma in Saracenos cum Regibus agitaturum se respondet Clemens, *ibid.* LXXI. Concitatus a Christianis in Saracenos Abaga eos atterit, 1270. XX. Mittit ad Concilium Lugdunense oratorem pro conjungendis in Saracenos armis, 1274. XXI. Ut Turcos domuerit, *ibid.* Hostis Paruanæ carnes redactas in pulverem cibis admiscet, *ibid.* Turquiam Leoni Regi Armeniæ offert, *ibid.* XXII. De Syria Saracenis eripienda consilia agitat, *ibid.* Solicitatur a Gregorio X. ut Christi cultum amplectatur, *ibid.* XXIII. Ejus orator a Petro Ostiensi baptismo ablutus, *ibid.* Iterum oratores ad sedem Apostolicam & Reges Occidentis, de bello in Saracenos gerendo acturos, mittit, 1277. XIV. 1278. XVIII. Significat Quobley avunculum Imperatorem Christianis sacris initiatum, *ibid.* XVIII. Solicitatur a Nicolao III. ut Christi cultum amplectatur, 1278. XIX. Mangodanior fratrem cum exercitu immittit in Saracenos, 1282. I. II. Ob fratris ignaviam victoriæ fructum amittit, *ibid.* III. Dum novas parat copias, veneno tollitur, *ibid.* IV. Succedit illi in Perside frater Tangodomor apostata, *ibid.*

Academiæ Parisiensis encomium, 1259. XXIX. Academicos Parisien. Alex. IV. reprimit, 1257. LIII. 1259. XXVII. Academia Tudelensis condita a Theobaldo Rege Navarræ, 1259. XVII. Privilegiis ab Alexand. IV. exornata, *ibid.* Palentinam academiam privilegiis ab sede Apostolica confirmandam curat Alfonsus Castellæ Rex, 1263. LXIII. Montispessulani a Nicolao IV. instituta academia Sorbonica suum decus S. Ludovico Regi debet, 1270. XVIII.

Adrianus V. dictus ante pontificatum Ottobonus S. Adriani diaconus Card. creatus ab Urbano legatus, 1264. XV. Missus in Angliam a Clemente IV. 1265. LXI. Religiosam in perduelles militiam jussus indicere, *ibid.* LXVI. In Angliam penetrat, *ibid.* LXIX. Rebellibus præsulibus judicium intendit, *ibid.* LXXIII. Richardo in Regem Rom. electo ad disceptandam judicio Imperii controversiam indicere diem jussus, 1266. XXXVI. Anglos ad crucem induendam in Saracenos concitare, *ibid.* XLII. Obsidetur in arce Londinensi a Gilberto Gloveniæ comite, 1267. XXXIV. Defigit eum censuris, *ibid.* Liberatur ab Eduardo, *ibid.* Commendatur ob rem bene gestam, *ibid.* Lustrandæ Compostellæ data illi facultas, *ibid.* Londini concilium celebrat, 1268. LII. Eduardum Edmundumque Regis Angliæ filios cruce insignit, *ibid.* Proficiscitur in Hispanias, ut Reges ad sacrum bellum concitet, *ibid.* Succedit in Pontificatu Innocentio V. 1276. XXVI. Argutum responsum ad consanguineos de pontificatu gratulantes, *ibid.* Carolum & Rodulphum conciliare nititur, *ibid.* Uno & quadraginta diebus pontificatum tenet, *ibid.* Illius patria & genus, *ibid.* Pontificalibus sacris, nec sacerdotio fuit initiatus, *ibid.* Gregorii constitutionem de includendis conclavi Cardinalibus ad tempus abrogat, *ibid.* Subsidiarium æs ad conflandas pro Syria triremes mittit, *ibid.* XXVII. Succedit illi Joannes XXI. *ibid.* XXVIII. Palatium Lateranense instaurandum suscepit, 1280. XXVI.

Adulterium; Rex Aragonum adulter graviter a Gregor. X. reprehensus, 1275. XXVIII.

B. Ægidius S. Francisci socius, 1262. XXVIII. Illius mors, *ibid.* Insignis de ipsius humilitate vox, *ibid.* Præclaro miraculo Deiparæ virginitatem probat, *ibid.*

Ægidius Augustinianus nonnullos errores disseminasse accusatus, 1285. LXXVI. Pontificis decretis se submittit, *ibid.* Illos in Parisiensi academia abjurare jussus, *ibid.*

Æsculani Picenum turbant, 1277. XLV. Increpiti, vacante sede, a Cardinalibus, *ibid.*

Africani Saraceni in Hispanias irrumpunt. *Vide*, Hispania & Granatenses Saraceni.

Agnes monialis, 1265. LIX. Tragica illius historia, *ibid.*

Agnes marchionissa Misniæ illustris sanctitate, 1268. LV. Prædicit illi angelus acerbam illius mortem futuram, *ibid.*

S. Agnes virg. & mart. reliquiarum illius beneficio S. Thomas Aquinas valetudinem recuperat, 1274. XXXI. Ejus sacrum caput Roma apud sancta sanctorum asservatum, 1280. XXVI.

Agnes Boemorum Regum stirpe sata monialis sanctitate conspicua, 1283. LX.

Alapia capra a Tartaris, 1260. XXVI.

S. Albanus mart. ejus sepulcrum inventum, 1257. XXXIV. XXXV. Oblata illi ab Henrico Rege munera, *ibid.* XXXVI. Nimios imbres sedat, *ibid.*

Albericus Ezelini frater deficit ad fratrem tyrannum, 1257. XLVIII. Pontificios cum fratre vexat, 1258. I. Ambo anathemate ab Alexandro IV. percussi, *ibid.* II. Audita fratris morte Tarvisio fugit, 1259. IV. Capitur obsidione, & una cum uxore ac filiis trucidatur, 1260. V.


Al-

Albertus Magnus docet Coloniæ, 1260. XV. Creatur episcopus Ratisponensis, *ibid.* Respuit dignitatem, *ibid.* Ut fuerit S. Thomæ magister, *ibid.* Quid de eo prædixerit, *ibid.* De illius operibus, *ibid.*
Albertus notarius Apost. sedis nuntius missus ab Urbano IV. pro evocando in auxilium ecclesiæ Carolo, 1262. XX.
Albertus Austriæ dux Rodulphi Romanorum Regis filius post Othacheri cædem a patre Austriæ ducatu donatus, 1278. XLIII.
Alexander IV. Reginaldus antea dictus ex episc. Ostiensi suffectus Innoc. IV. 1258. VI. Illius genus, & patria, *ibid.* Richardus, atque Alfonsus ab Alexandro vocari ad imperialem inunctionem efflagitant, 1257. VIII. Pontifex dedita opera rem extrahit, *ibid.* Philippum ducem ob sacra episcopalia non suscepta archiepiscopatu Salisburgensi deiicit, *ibid.* IX. Ulricum Seccoviensem episcopum ad Salisburgensem sedem postulatum confirmat, *ibid.* XI. Othacherus Rex Boemiæ ab eo deposcit, ut censores fidei in Bohemia instituat, *ibid.* XII. Sacrum bellum in Bolesiaum tyrannum geri jubet, 1257. XVII. Et in Jaczwingos & Lituanos, *ibid.* XXI. Cruciferos equites, crudeliter & impie se gerentes reprimit, *ibid.* XXIII. Danielem Russiæ Regem ad religionem revocare nititur, *ibid.* XXVI. Leges a Daniæ episcopis pro tuendo jure ecclesiastico latas, confirmat, *ibid.* XXX. Gamelinum episc. S. Andreæ suæ sedi restitui jubet, *ibid.* XXXII. Novas ab eo leges Edmundus pro regno Siculo poscit, 1257. XXXVIII. Edmundi lit. ad Alexandrum, *ibid.* Arlotum nuntium in Angliam mittit, *ibid.* XXXIX. Henrico Regi ad annum expeditionem prorogat, *ibid.* XL. Contractas pœnas abolet, *ibid.* XLI. Rustannum ob male gestam legationem in judicium vocat, *ibid.* XLII. Sewalum archiep. Eboracensem anathemate percellit, *ibid.* XLIII. Aquilam sede episcopali decorat, *ibid.* XLVI. Hæreticos legibus infectandos curat, *ibid.* XLIX. Præsules ad sedem Apost. adeundam obstrictos pronuntiat, *ibid.* L. Religiosis ordinibus consulit, *ibid.* LI. Multa sancit ad S. Bonaventuræ gratiam, *ibid.* LII. Permittit sericis vestibus uti Minoritas Neapolitanos in re sacra, *ibid.* Tumultuantes academicos Parisienses reprimit, *ibid.* LIII. Libertatem ecclesiasticam asserit, *ibid.* LIV. Gallicanos præsules ad eam tuendam excitat, *ibid.* LVI. LVII. Pampilonensi episc. inungendorum Regum Navarræ jus tribuit, *ibid.* LVII. Ezelini & Alberici mancipia libertate donat, 1258. I. II. Romani in ipsum seditionem movent, 1258. V. Eugubinum comitatum ad quinquennium Perusinis attribuit, *ibid.* VI. Mansuetum Apostolicæ sedis nuntium pro re Sicula redintegranda mittit, *ibid.* XIII. S. Ludovico de egregiis virtutum exemplis gratulatur, *ibid.* XVI. Concedit ei, ut eleemosynæ restitutionis vicem pro injuste partis subeant, *ibid.* XVIII. XIX. Plura in hæreticos sancit, *ibid.* XXIII. Pacis arbiter inter Pisanos & Genuenses constituitur, 1258. XXIX. In Sardiniam pro solvenda S. Giliæ obsidione mittit, *ibid.* XXX. Inducias imperat, *ibid.* XXXI. Intestina Syriæ bella Genuenses inter ac Venetos Pisanosque sedare nititur, *ibid.* XXXII. Messanensem archiepiscopum ad eos conciliandos mittit, *ibid.* Inducias imperat, *ibid.* Inopino casu illius diligentia illusa, *ibid.* XXXVIII. Captos prælio Genuenses restitui libertati jubet, *ibid.* XXXIX. Palavicinum non rite absolutum pronuntiat, 1259. V. Si a Manfredi fœdere discedat, in gratiam jubet admitti, *ibid.* VII. Censuris Manfredum devincit, *ibid.* XI. Navarræ Reges mox atque clypeo fuerint impositi, inungendos a Pampilonensi episcopo decernit, *ibid.* XIV. Si quid obstet, alium adhibendi potestatem Navarro confert, *ibid.* XV. Tudelensem academiam privilegiis exornat, *ibid.* XVII. Inter Aragonum Regem & Catalanos constituta de monetis confirmat, *ibid.* XVIII. Segobricensem & S. Mariæ episcopatus conjungit, *ibid.* Ad Regis Suecia gratiam legem de gradibus consanguinitatis solvit, *ibid.* XIX. Restituendis collapsis moribus studet, *ibid.* XXI. Præsules ad conjungendam operam exsuscitat, *ibid.* XXII. Invecta a sacerdotibus concubinariis mala exponit, *ibid.* XXIV. Censuris jubet reprimi, *ibid.* XXVI. Parisienses academicos pertinaces corripit, *ibid.* XXVII. Guillelmo e S. Amore, si sceleris ipsum pœnituerit, veniam spondet, *ibid.* XXIX. Satyricos Guillelmi e S. Amore libros flammis aboleri jubet, *ibid.* XXX. Deterret Belam Regem Ungariæ, ne fœdus cum Tartaris ineat, *ibid.* XXXI. Consolatorias ad S. Ludovicum de filii obitu literas dat, *ibid.* XLVIII. Hospitalariorum sanct. Joann. Hierosolymitan. cultum præscribit, 1259. LXII. Præscribit Manfredo honestas pacis leges, 1260. I. Eæ a tyranno repulsæ, *ibid* II. Hæreticos infectatur, *ibid.* XII. Inter canonicos S. Petri & religiosos viros controversiam dirimit, *ibid.* XIII. Vacantium ecclesiarum vectigalia e Regum manibus eripit, *ibid.* XIV. Albertum magnum episc. Ratisponensem creat, *ibid.* XV Moguntino archiep. nondum confirmato, confert Regi Boemiæ alterius præsulis ad regiam inunctionem peragendam evocandi auctoritatem, *ibid.* XIX. XX. Eius filios ex soluta genitos jure natalium justorum donat, *ibid.* XXI. Sceptro non successuros pronuntiat, *ibid.* Crucesignatas copias ad Barbaros in Prussia reprimendos contrahi jubet, *ibid.* XXII. Controversias inter Latinos & Græcos Cyprios dirimit, *ibid.* XXXVI. Ut episcop. Græcos subesse Latinis jubeat, *ibid.* XLIV. Hæreticos ad gratiam fidei audiendos in judiciis sancit, 1261. I. Indicit Romæ concilium, *ibid.* IV. Provinciales synodos ad repellendos Tartaros celebrari jubet, *ibid.* V. Reges ac Principes in eos concitat, *ibid.* VI. Viterbii iterum concilium indicit, *ibid.* Morte opprimitur, *ibid.* VII. Ejus elogium, *ibid.* Quanto tempore sederit, *ibid.* Subrogatur ipsi Urbanus IV. *ibid.* Cur nullos creavit Cardinales Alexander, *ibid.* XXIII.
Alexander Scotiæ Rex Gamelinum episcopum S. Andreæ sede sua pellit, 1257. XXXII. A suis conijcitur in vincula *ibid.* Restituitur libertati, *ibid.* Vacantium ecclesiarum vectigalia injuste occupata restituere jussus, 1260. XIV.
Alexius Cæsar Constantinopolim noctu proditione capit, 1261. XXVI. Imminentium Latinorum metu faces urbi iniicit, *ibid.* XXVII. Mittitur adversus Epiri despotam, *ibid.* Funditur & capitur, *ibid.* XXXIV.
Alexius Trebisondæ princeps solicitatus in Palæologum a schismaticis imperialia ornamenta accipit, 1278. XIV.
Alfonsus Castellæ Rex discordibus suffragiis ad Imperium evehitur, 1257. I. Qui principes ipsi faverint, *ibid.* II. Argumenta pro Alfonsi electione, *ibid.* V. A Pontifice



fice confirmari frustra efflagitat, *ibid.* VIII. Richardo æmulo minas intentat, 1258. XIV. Italicam expeditionem aggreditur, sed a Saracenis disturbatur, *ibid.* Coronam imperialem ab Alexandro postulat, *ibid.* Quid responsi ipsi datum, *ibid.* Donatus privilegio ab Alex. ut regia Castellæ familia & administri regii censuris, inconsulta sede Apost. mulctari non possint, 1259. XIX. Imperialia insignia deposcit ab Urbano IV. 1262. I. Quid ipsi responsum, *ibid.* II. III. Recusat sedis Apost. judicium subire, *ibid.* III. Oratores pro insignibus Imperii adipiscendis ad Urbanum legat, 1263. XXXVIII. Pontificia sententia electus in Regem Romanorum ab eodem Pontifice pronuntiatur, *ibid.* XL. Argumenta pro illius electione coram Urbano proposita, *ibid.* LVII. LVIII. Reges Mauros reprimit, *ibid.* LX. Elogia in eum collata ab Urbano, *ibid.* LXI. Sepulcrum in Gadibus deligit, & quo consilio, *ibid.* LXII. Palentinam academiam privilegiis decorandam a Pontifice curat, *ibid.* LXIII. Mahomadem & Hudielem prælio fundit, 1264. XXXV. De Imperio coram Urbano cum Richardo disceptat, *ibid.* XXXVII. Ob Richardi a Simone e Monteforti in Anglia capti vincula ferendæ sententiæ dies extracta, *ibid.* XXXIX. Propositæ indulgentiæ preces pro eo apud Numen fundentibus, 1265. XXXVI. Regem Granatæ ad pendenda ampliora vectigalia, cogit, *ibid.* Suadet illi Clemens IV. ut ad creandum tertium Imperio renuntiet, 1265. LVIII. Murcia a Jacobo Rege Aragonum illi restituta, 1266. XXV. Perduelles Mauros domat, *ibid.* XXXIV. Soriam episcopali sede insigniri postulat, *ibid.* E Sidone ad Gades episcopatum transferri, *ibid.* Indicta illi a Pontifice ad disceptandam judicio controversiam de Imperio peremptoria dies, 1266. XXXVI. Ejus fratres Fredericus & Henricus Hispania profugi, *ibid.* XV. Alfonsi oratores a Gibellinis necati, spoliative, *ibid.* XX. Districtæ in eos, ac alios, qui ipsos exciperent censuræ, *ibid.* Illius orator nudis tantum verbis causam fulcit, *ibid.* XXIII. Indictus Alfonso dies peremptorius, ut sua ad imperium jura sedi Apostolicæ exponat, *ibid.* XXIV. Petenti imperialem coronam, negat Clemens perfici rem posse, ni prius Aquisgranensi fuerit redimitus, *ibid.* XXVI. Exponit illi potiora esse Richardi jura, *ibid.* XXVIII. Vetera præjudicia proponit, *ibid.* Bellum sacrum cum Rege Granatæ gerit Alfonsus, *ibid.* XXXI. Illum domat, *ibid.* Gratulatoriæ ad eum Clementis Papæ literæ, *ibid.* Donatur ab eodem Pont. nonnullis sanctorum reliquiis, *ibid.* XXXII. Extrahi curat sententiam de Imperii controversia ferendam, 1268. XLII. Imperii coronam flagitat a Greg. X. 1272. XXXIII. Prohibendos electores, ne tertium eligant, *ibid.* Respondet illi Gregorius Richardi electoribus non vocatis dirimi controversiam non posse, *ibid.* XXXIV. Nullum jus ex Richardi obitu adeptum, *ibid.* XXXV. Proponitur ipsi, an velit probare jus, an eo cedere, *ibid.* Renuunt ejus oratores pontificium judicium subire, *ibid.* Postulat vicariatum Caroli in Italia abrogandum, nec impetrat, *ibid.* XXXVII. Excusat se apud illum Gregorius Papa si repulsam peritis obiiciat, *ibid.* XXXVIII. Submittit ille in Italiam copias, *ibid.* XXXIX. Ad eas reprimendas creatus legatus a Gregorio, *ibid.* Oratores regii, coronam imperialem in concilio Lugdunensi flagitantes repulsi, 1274. V. Studet illi Othacherus Rex Boemiæ adversus Rodulphum Romanorum Regem, 1274. XLIV. Monetur a Gregorio, ut prætensis Imperii juribus cedat, *ibid.* XLV. Fredulus Apostolicæ sedis nuntius ea de causa missus, *ibid.* XLVIII. Attributæ illi decimæ sexennales, si arma verterit in Saracenos, *ibid.* XLIX. Valentinus episcopus, ut illum ad id urgeat missus, *ibid.* L. Gravissimæ rationes ei propositæ, cur Imperii juribus abdicare se debeat, *ibid.* L. Deliberat Pontifici obsequi, *ibid.* LIV. In colloquium cum eo venire efflagitat, *ibid.* Itali ob ejus partes susceptas censuris percussi, *ibid.* LXII. Copias transmittit in Insubriam adversus Rodulphum Regem Romanorum, 1274. III. IV. Barchinonem ad Jacobum socerum se confert, *ibid.* XIII. S. Raymundi Peniafortii exequias cohonestat, *ibid.* Deterretur a colloquio Belliquadrensi, *ibid.* XIV. Deduci jubetur ab archiepiscopo Narbonensi ad Pontificem, *ibid.* Abscessit e congressu Belliquadrensi iratus, suisque delusus votis, *ibid.* Imperialia insignia Augustique nomen contra fidem datam affectat, *ibid.* XV. Hispalensi archiepiscopo, censuras ni absistat incutienti, deliberaturum se respondet, *ibid.* Coactus demum imperiales titulos abiicit, *ibid.* XVI. Geminam a Marrochitanis & Granatensibus cladem accipit, *ibid.* Ferdinandum majorem natu filium magno luctu desiderat, *ibid.* Innocentius V. decimas Alfonso adversus Saracenos attribuit, 1276. XIX. Concitati ab eodem Pontifice ad sequenda Alfonsi signa fideles, *ibid.* XX. Exortum illum inter & Francorum Regem bellum, 1277. I. Nepotibus ex majori natu filio sceptrum eripit, *ibid.* Nurum in Gallias sine dote & filiis dimittit, *ibid.* II. Deseritur a conjuge Violanta, *ibid.* VI. Sævit in recessus illius auctores, *ibid.* Solicitatur a Cardinalibus, vacante sede, ut pacem cum Philippo Rege ineat, 1277. XLVII. Et a Nicolao III. *ib.* LVII. Objurgatur ab eodem Pont. oratores condicto loco & tempore non misisse pro tractanda cum Francorum Rege concordia, 1278. XXVII. Compostellanam ecclesiam oppressisse, *ibid.* XXXI. 1279. XXVII. XXVIII. Corripitur, tractatum pacis cum Rege Francorum extraxisse, 1279. XXI. Missus ad eum Syrorum orator, ut pro reparandis Syriæ rebus concordiam cum Franco ineat, 1280. XII. Indictæ pro eo flectendo ad pacem publicæ preces, *ibid.* XIII. Bajonam accedit, ac post diuturnos cum Philippo tractatus re infecta abscedit, *ibid.* XVIII. Inanis astrologiæ judiciariæ studio exitium sibi parit, 1282. XXXIV. A filio Sanctio regno pellitur, *ibid.* Fert in eum sententiam, *ibid.* XXXV. Pontificiam opem implorat, *ibid.* LIV. Cur in Hispanias legatus non sit missus, *ibid.* LV. Præsules & magnates ad illius obsequium, objectis pontificiis censuris, redire jussi, *ibid.* LVI.
Alfonsus Lusitaniæ Rex arguitur læsi juris ecclesiastici, 1268. XXXVIII. XXXIX. Injustæ subditorum oppressionis, *ibid.* Lusitania a præsulibus ob id sacrorum usu interdicta, *ibid.* XL. Exacta ab Alfonso pro iis restituendis sacramenti forma, *ibid.* XLI. Crucem induit in Saracenos Syriæ, 1268. LII. Attributa illi a Clemente IV. plura subsidia, *ibid.* Ob libertatem ecclesiasticam violatam censuris percellitur, 1273. XXVI. Prohibetur, edita a Gregorio X. constitutione

tione jus ecclesiasticum violare, 1275. XXI. Flagitium non emendat, *ibid.* Monetur a Joanne XXI. ut libertatem ecclesiasticam pristinæ restituat dignitati, 1277. XII. Moriturus inflictas ecclesiis injurias plangit, 1279. XXIX. Erepta restitui jubet, *ibid.* Amplas opes testamento legat, *ibid.* Et Pontifici Romano centum marchas argenti, *ibid.* Dionysius filius in regno ei succedit, *ibid.*

Alfonsus Pictaviæ & Tolosæ comes solicitatur ab Urbano IV. ut expeditionis Syriacæ votum cum Sicula commutet, 1264. XIV. Iterum ut Syriæ succurrat, 1266. XLIV. Exemplo S. Ludovici crucem induit, 1267. L. Profectionem cum eo init, 1270. VII. Gestæ res in Africa, *ibid.* X. Tolosæ comitatus ad Gallicam coronam revocatus, *ibid.* XVIII.

Alfonsus Petri olim Regis Aragonum filius Baleares subigit, 1268. IX.

Alfonsus Cerda Alfonsi Regis Castellæ nepos e Ferdinando majore natu filio regni juribus ab avo exutus, 1277. I. Orta inde bella, *ibid.*

Ambrosius Ord. Prædicatorum Urbevetanus ad Palæologum ab Urbano IV. nuncius missus, 1264. LVII.

Amor impudicus; adolescens a dæmone specie amasiæ laniatus, 1260. XVI. Agnetis a patre stupratæ tragica historia, 1265. LIX.

Amor erga suos virtute castigatus; Clemens IV. suos ditare opibus quas spernerer negat, 1265. X. Martinus IV. respondet Pontificias opes non suas, sed Christi esse, 1281. III.

Ancherus tit. S. Praxedis presb. Card. nepos Urbani IV. regia inunctione Carolum una cum aliis Cardinalibus linit, 1266. II. Adigit sacramento in verba Pontificis, *ibid.*

Ancona a Venetis oppugnata, 1277. XLIII. Objurgatoriæ ad eos Cardinalium literæ, *ibid.* Vi procellæ liberata, *ibid.* XLV.

Andronicus Græcorum Imp. orthodoxam fidem una cum patre Palæologo literis profitetur, 1274. XIV. Gratulatur illi Gregorius X. ad Romanæ ecclesiæ gremium reversum esse, *ibid.* XX. Abjuratum oratoris opera in concilio Lugdunensi, schisma iterum damnat, 1277. XXX. Ipsius ea de re literæ, *ibid.* Quanto sit ea conjunctio rei Christianæ munimento exponit, *ibid.* De bello a se cum Turcis gesto nonnulla affert, *ibid.* XXXII. Pontificiis obsequiis se addicit, *ibid.* XXXIII. Nicolai III. ad eum literæ, 1278. V. Commendatur ob navatum in abolendo schismate studium, *ibid.* Schisma iterum damnat, confirmatis Palæologi literis, 1280. XIX. Patrem ecclesiasticæ sepulturæ honoribus a schismaticis privari patitur, 1283. LXXIII. Palæologo succedit in Imperio, *ibid.* Patriarcham catholicum pellit, & subrogat schismaticum, 1284. XLIV. Pseudosynodum cogit, *ibid.* Infectatur fidei defensores, *ibid.* XLVIII. LII. Georgium Cyprium patriarchatu depellit, *ibid.*

Angelus Agneti marchionissæ oblato amaro poculo, acerbam mortem prædicit, 1268. LV. Brigittæ sanctimonialis morientis lectum suffire visi Angeli, 1283. LX. Sanctorum animas in cœlum vehunt, 1268. LVI.

Angelus Michael despota a transfuga dolo subornatus castra deserit, 1260. LII. Victi ob illius fugam fœderati Latini, *ibid.* LIII. Alexium Cæsarem missum a Palæologo fundit, capitque, 1261. XXXIV.

Anglia sedis Apostolicæ vectigalis, 1277. LII. 1278. XL. *Vide etiam*, in Henrico & Eduardo.

Annæ Reginæ Romanorum pia mors, 1281. XXIX.

Annibaldenses Romæ seditionem in Ursinos movent, 1280. XXVIII. Cum iis honores partiuntur, *ibid.*

Antiochia oppugnata a Saracenis, 1267. LXIX. Pontifex Palæstinos suppetias ei ferre jubet, *ibid.* Illius excidium peccatis carnis adscriptum a Gregorio X. 1272. XVII. Et a Nicolao III. *ibid.* A Bendocdare Sultano capta, 1268. LIV. In illius expugnatione septemdecim Christianorum millia cæsa, & centum millia abducta in servitutem, *ibid.*

S. Antonius e Padua; ejus corporis translatio, 1262. LXXXIX. Illius lingua expers corruptionis inventa, *ibid.*

Apostoli; Apostolorum Petri & Pauli capita in pretiosis thecis a Nicolao III. in Lateranensi ecclesia collocata, 1280. XXVI.

Appellatio; arguit Gregorius X. Bohemiæ Regem, ipsum ab sede Apostolica appellasse, 1276. XI.

Aquila in Alexandri IV. fide constantissima, 1257. XLV. Sede episcopali decorata, *ibid.* XLVI.

Arabica lingua; nonnulli clerici in Parisiensi academia ad evangelium promulgandum ea erudiri jussi a Pontificibus, 1285. XXV.

Aragonia sedis Apost. beneficiaria a Petro Rege Aragonum constituta, 1283. XX. Tradita Carolo secundo natu Philippi Regis Francorum filio, 1284. VII.

Argon Persicæ regiæ princeps ac deinde Rex Mahumetum apostatam in crimen amplexæ Saracenicæ superstitionis vocat apud Chamum, 1284. XXX. Capitur & jubetur a tyranno occidi, *ibid.* XXXI. Servatur & Mahumetum necat, *ibid.* Confirmatur a Chamo patruo Rex in Perside, 1285. LXXVIII. Christianos fovet, *ibid.* De Palæstina Saracenorum spurcitiis expurganda deliberat, *ibid.* Pontificem Regesque Occidentis solicitat de jungendis armis in Saracenos, *ibid.* LXXIX.

Arlotus Apostolicæ sedis nuntius in Angliam missus pro expeditione in Manfredum movenda, 1257. XXXIX. Re infecta redit, 1258. XIII.

Armeni; Armenia; ad concilium Lugdunense vocati Armeni, 1272. IV. Armenia evastata a Bendocdare Sultano, 1266. XLVII. Iterum barbarica populatione vexata, 1275. LI.

Arnoldus sive Arnulphus archiep. Trevirensis e vivis ereptus, 1259. LII. Henricus in dignitate succedit, *ibid.*

Arsenius patriarcha Græcorum; illius incostantia, 1259. LVII. Abit patriarchatu, & revocatur, *ibid.* LVIII. Defigit Palæologum anathemate ob Joannem Lascarum obcœcatum, 1261. XXXIII. Pellitur in exilium, *ibid.* XXXIV. Ingens inter illius & Josephi sequaces dissidium, 1284. XLIV.

Arsur expugnatum a Sultano Bendocdare, 1265. XXXVIII.

Assasini deleti a Tartaris, 1257. LIX. Viginti septem annis obsidionem apud Tigadum tolerant, *ibid.* Quæ fuerit Assasinorum sedes, *ibid.* LX. Ut fidem Christianam amplecti meditati sint, *ibid.* LXI. Infelici casu fuerint deterriti, *ibid.*

Assentatio; juxta ultio Georgii Cyprii, qui Andronici impietati fuerat assentatus, 1284. LIII.

Astro-



Astrologia judiciaria; Ezelini illi præsidentis tristis exitus, 1259. III. Et Manfredi, 1266. X. XVI. Et Alphonsi Regis Castellæ & Legionis, 1282. XXXIII.

Atestinus marchio Ezelini copias fundit, 1258. III.

Avaritia; supplicium avari inter divitiarum acervos fame pereuntis, 1258. XLI.

Augustinus episcopus Nidrosiensis; de illius miraculis inquiri jubent Innocentius IV. & Alex. IV. & Clemens IV. 1268. XLVIII.

Austeritas vitæ; S. Richardi episcopi Cicestrensis corpus multis voluntariis pœnis maceratum post mortem admirabili nitore micat, 1262. XXVI. Clemens IV. vitæ austeritate insignis victorias ingentes refert a Numine, 1268. LV.

Austria repetita ab Othachero Rege Boemiæ, 1278. XLI. A Rodulpho tradita filio Alberto, *ibid.* XLIII.

Aytonus Armeniæ Rex Tartaros concitat ad evertendos Saracenos, 1257. LVIII. Cum Haolono Alapiam expugnat, 1260. XXVI. XXVII. Donatur a Tartaro pluribus arcibus, *ibid.* XXVIII. Solicitatur a Clemente ad ferendam Palæstinæ opem, 1265. XL. Dum auxilia fert Tartaris, ipsius regnum a Bendocdare evastatur, 1266. XLVII. Filiorum alter prælio captus, alter cæsus, *ibid.* Consolatoriæ ad eum Clementis literæ, 1277. LXVIII. Promissa illi auxilia, *ibid.* Palæstini ipsi adesse jussi, *ibid.* LXIX. Delusus promissorum auxiliorum spe cum Sultano Babylonio fœdus ferit, 1270. XXVII. Livonem filium carcere liberat, *ibid.* Sceptro illi relicto religiosa instituta amplectitur, *ibid.* XXVIII. Pie obit, *ibid.*

Aytonus princeps Curchi ad Clementis V. summi Pontificis preces orientalem scribit historiam, 1257. LVIII.

Azatines Sultanus Turcorum victus pulsusque a Tartaris, 1257. LXII. Ad Theodorum Imp. Græcorum confugit, *ibid.* LXIV. Laodicæam illi donat, *ibid.* Palæologo Imperatori insidias struit, 1284. LXV.

Azo marchio Estensis moritur, 1268. LXXII.

Azotum expugnatum a Bendocdare, 1265. XXXVIII. Magna Christianorum multitudo in eo cæsa pro fide, *ibid.*

Azyma; in iis per transubstantiationem corpus Christi confici Clemens IV. Palæologo proponit inter fidei articulos, 1267. LXXVII. Id oratorum opera profitetur Palæologus, 1274. XIV. Similiter Joannes Beccus patriarcha una cum synodo Constantinopolitana, 1277. XXXIX.

# B

BAldach civitas expugnata a Tartaris, 1258. XL.

Balduinus II. Imp. Constantinopolitanus oratores ad Michaelem Palæologum de pace acturos mittit, 1259. LIX. Insigni ironia repulsi a Palæologo, *ibid.* LX. In maximum periculum adductus Constantinopoli, 1260. LIV. Eiicitur imperio ac regia urbe, 1261. XXXI. Fœdus pangit cum Venetis ad recuperandam Constantinopolim, 1262. XXXVI. Fideles ad illius signa sequenda incitati, *ibid.* XXXVII. Confert se ad Urbanum IV. ob auxilia imploranda, *ibid.* XLI. S. Ludovicus ad ferendam illi opem a Pontifice solicitatus, *ibid.* XXXIX. Pro eo restituendo Imperio Urbanus ecclesiasticos conferre æs subsidiarium jubet, 1263. XX. XXI. Philippum filium Catharinæ Caroli filiæ despondet, 1272. XXXII. Moritur, *ibid.*

Baleares ab Alfonso Jacobo Regi ereptæ, 1285. XXI. Tractatu pacis restitutæ Jacobo Regi, *ibid.* XXV. XXVII. Decretum de Balearibus Barchinoni subiiciendis rescissum, *ibid.* XXVIII.

Bartholomæus episcopus Grossetanus ad confirmandos in Romanæ ecclesiæ obsequio Græcos missus a Nicolao III. 1278. IV.

Beatrix uxor Caroli Provinciæ comitis trium Reginarum soror virum impellit, ut Regis nomen accipiat, 1264. XII. Regiis ornamentis una cum Carolo exornatur, 1266. I.

Beccus. *Vide*, Joannes Beccus.

Bela Rex Ungariæ Tartarorum minis territus implorat pontificium auxilium, 1259. XXXI. Solicitatur a Tartaris ad ineundum cum ipsis fœdus, *ibid.* XXXVII. Monetur a Pontifice, ut impium fœdus respuat, *ibid.* XL. XLI. Promissa illi auxilia, *ibid.* XLIV. Pro Styria bello disceptat cum Othachero Boemiæ Rege, 1260. XXIV. Clade accepta Styriam victori concedit, *ibid.* Quinquaginta duo millia Tartarorum in acie trucidat, 1261. IV. Divina erga illum Pontifici obsequentem providentia, *ibid.* Solicitatur a Tartaris, ut fœdus cum iis feriat, 1264. XLVIII. Monetur ab Urbano IV. ut illud respuat, *ibid.* Paret Pontifici, *ibid.* LI. Cumanos ad baptismum cogit, *ibid.* Solicitatur ad concordiam cum filio redintegrandam, *ibid.* LII. LIII. Ut divinitus Joannis episc. Bossinensis opera ad pacem cum filio Stephano redactus sit, 1264. LIV. Obsequia sua Clementi IV. defert, 1265. VI. Zagabriensis episc. contra illius gratiam defensus a Clemente, 1266. XXXVIII. Moritur Bela, & sceptrum Stephano filio transmittit, 1270. XXIX.

Bellum; insigne de bellis movendis monitum a S. Ludovico Rege datum filio, 1270. XVII. Ut bellorum incerti exitus, 1274. XLVI.

Bendocdar Sultanus Babylonius dictus Melec Badavar Christianos affligit, 1263. I. Bethleem evertit, *ibid.* Cæsaream dolo capit, 1265. XXXVIII. Caipham arcem expugnat & Arsur, *ibid.* Ptolemaidem in discrimen adducit, *ibid.* Azoto vi potitur, *ibid.* Magnam Christianorum multitudinem martyrio afficit, *ibid.* Solicitatur in eum Aytonus Armeniæ Rex, *ibid.* XL. Tartaros septentrionales concitat in Abagham ad distrahendas illius vires, ne Syriæ succurrat, *ibid.* XLVII. Arcem Saphet expugnat, 1266. XLI. Magnam Christianorum multitudinem, Christum detrectantem abjurare martyrio afficit, 1266. XLI. Minoritas duos, qui suaserant constantiam, excoriat, *ibid.* Occidentales Reges, ac principes in eum a Clemente IV. solicitati, *ibid.* XLIII. Hugonem e Lisignano fundit, *ibid.* XLVI. Armeniam vastat, *ibid.* XLVII. Aytoni Armeniæ Regis filium alium capit, alium necat, *ibid.* Caypham proditione expugnat, 1268. LIV. Et arcem Belfort; *ibid.* Item Antiochiam, *ibid.* Septemdecim hominum millia in ea cædit, & centum millia redigit in servitutem, *ibid.* Ptolemaidem arctissima obsidione premit, 1270. XXV. Ab Eduardo Henrici Angliæ Regis filio propulsatur, *ibid.* Duas arces nostris eripit, *ibid.* XXVI. Regem Armeniæ ad pacem flagitandam adigit, *ibid.* XXVII. Livonem filium Armeno restituit, *ibid.* Turciam subigit iterumque amittit, *ibid.* XXVIII. Inducias Christianis negat, & qua

qua de causa, 1271. XX. Insignis illius in Christianorum pueros crudelitas, 1272. XIV. Armeniam vastat, 1275. LI. Funditur a Tartaris, ac vulneribus, morboque perit, 1277. XVIII.
Benedictus Cajetanus. *Vide*, Bonifacius VIII.
Benedictus episcopus Lincopensis Waldemarum Regem Gothiæ ob dissolutos mores regno deturbandum promulgat, 1285. LXXIV.
Beneficia. *Vide*, Sacerdotia.
Beneventum a Gallis vastatum, queritur Clemens IV. 1266. XV.
S. Benno; ejus reliquiarum translatio, 1270. XXXIV.
Berengarius Provinciæ comes quatuor Reginarum pater, 1264. XI.
Bernardus episc. Portuensis A. S. L. a Venetis ad recuperandam Siciliam triremes impetrare non potest, 1283. XL. In pluribus Italiæ provinciis legati munere fungitur, *ibid.* XLIX.
Bertoldus Ursinus pro recuperanda Romaniola a Nicolao III. missus, 1278. LV. Præficitur Bononiensibus, *ibid.* VIII.
Bessarion Cardinalis fidem contra schismaticos scriptis tuetur, 1284. XLVI. XLVIII. Præpositiones, *per*, &, *ex* æquipollentes esse in doctrina processionis Spiritus sancti, *ibid.*
Bethleem evertitur a Bendocdare Babylonio, 1263. I.
Birgerus Stocholmiam condit, 1259. XX. Barbarorum excursiones inde repressæ, *ibid.*
Birgenus Magni Regis Sueciæ filius Margaritam Erici Regis Daniæ uxorem ducit, 1284. XXIV.
Blanca Ferdinandi primogeniti Regis Hispaniæ vidua sine liberis & dote dimissa in Gallias, 1277. II. Ob injuriam illi illatam Philippus Rex Francorum bellum infert Hispaniæ, *ibid.*
Blasphemi & Blasphemia; S. Ludovici leges in blasphemos, 1267. LXII. Statutum ab eo in blasphemo severitatis exemplum, *ibid.* LXIII. Maledicta in se propterea jacta spernit, *ibid.* De blasphemis insectandis monitum, 1270. XV. XVII.
Blemmida. *Vide*, Nicephorus Blemmida.
Boamundus princeps Antiochenus; ejus mors, 1275. L.
Boamundus filius illi succedit, 1275. L. Templarios in se concitat, 1277. XVIII. Episc. Tripolitanum insectatur, 1279. XLIX. Recensita ejus a Nicolao scelera, *ibid.* XLIX. Objectæ illi cœlestes & ecclesiasticæ minæ, *ibid.* LI.
Bolesiaus dux Cracoviæ & Sandomiriæ Jaczvingos penitus excindit, 1264. XLVI. Victos cogit sacra baptismalia suscipere, *ibid.*
Boleslaus dux Silesiæ; sacrum illi bellum indictum jussu pontificio, 1257. XVII. Imminentem ultionem, Thoma liberato deludit, *ibid.* XX. Ad indignas pactiones eundem cogit, *ibid.* Divina in ejus successores ultio, *ibid.* Dum fratrem sua ditione spoliare tentat, capitur, *ibid.* XX.
S. Bonaventura Franciscano ordini præest, 1257. LII. Alexandrum ad leges optimas pro disciplina adstringenda impellit, *ibid.* A Clemente IV. Eboracensi ecclesiæ præficitur, 1265. LXXIV. Respuit dignitatem, *ibid.* LXXV. Cardinalium numero a Gregorio X. aggregatur, 1272. LXIX. Pie moritur, 1274. XXVIII. Petrus episc. Ostiensis funebrem de eo orationem habet, *ibid.* Gregorius pro illius anima preces fundi jubet, *ibid.* XXIX. A S. Thoma Aquinate sanctus existimatus, *ibid.* Sacra Eucharistia divinitus in illius os illapsa, *ibid.* A Sixto IV. sanctorum catalogo adiicitur, *ibid.* Ejus caput expers corruptionis post centum & sexaginta annos, *ibid.*
Bonifacius VIII. Papa appellatus ante aditum Pontificatum Benedictus Cajetanus, cum esset Apostolicæ sedis notarius pactiones fœderis inter Carolum & Rodulphum Reges una cum Matthæo Cardinale describit, 1280. II. Cardinalatu ornatus a Martino IV. 1281. XI. Missus ab eodem Pontif. ad Carolum Regem Siciliæ, ut ipsum ab ineundo certamine singulari cum Rege Aragonum revocet, 1283. XII.
Bononienses de Romaniolæ imperio cum Venetis certant, 1272. XLIV. Ad ditionem pontificiam spectant, 1278. LI. Plura ea de re diplomata, *ibid.* usque ad LXIII. 1279. I. Ecclesiæ dominatum libenter admittunt, *ibid.* LVII. Detrahentes Nicolao ob recuperatam Bononiam confutati, *ibid.* Bononiensium factiones compositæ, 1279. VIII.
Brancaleo creatus seditione populi senator, 1258. V. Pontificem & Cardinales fugat, *ibid.* Tyrannidem exercet in eorum affines, *ibid.* Illius caput post mortem a perduellibus cultum, *ibid.*
Brigitta Clarissa pie moritur, 1283. LX.
Brixia ad ecclesiæ partes traducta, 1257. XLVIII. 1258. III. Occupata ab Ezelino, *ibid.* IV.
Budense concilium, 1279. XXXIV. Ladislaus Rex se in synodo Budensi disturbanda deliquisse profitetur, 1280. VIII.

# C

Cæsarea Palæstinæ metropolis dolo oppressa a Bendocdare, 1265. XXXVIII.
Caipha arx expugnata a Bendocdare, 1265. XXXVIII. XLIII.
Calamitates prænunciatæ. *Vide*, Flere. Sanguis.
Caliphius Baldacensis inter auri cumulos fame perit, 1257. XLI.
Callimanus cæso Michaele Rege Bulgariæ, tyrannidem arripit, ac trucidatur, 1258. XLIII.
Calumnia aspersa Gregorio X. confutatur, 1276. I.
Canonici; eorum ornatus in choro, 1278. LXXIX.
Canonissæ a Guidone Flandriæ comite in ecclesia Audanensi institutæ, 1285. LXXXI.
Canonizatio sanctorum; Richardus episc. Cicestrensis sanctorum catalogo adscriptus, 1262. XXIII. Institutum Apost. sedis, jussu de S. Hedwigis miraculis religiosum examen, *ibid.* XXVII. In sanctorum catalogo collocata a Clemente IV. 1267. XLI. De B. Augustino archiep. Nidrosiensi in sanctorum album referendo, agitatur, 1268. XLVIII. Institutum de Gregorio X. in sanctorum numerum referendo sacrum examen, 1276. XIII. Postulante Philippo Franc. Rege Nicolaus III. B. Ludovici miracula in acta publica redigi jubet, 1278 XXXVIII.
Capecius Henricum Regis Castellæ fratrem Urbis senatorem per factionem renuntiat, 1267. XV.
Capilli B. Virginis in pretiosa theca a Nicolao III. repositi, 1280. XXVI. Reconditique in Lateranensi basilica, *ibid.*
Cardinales; Cardinalium nomina sub Alexandro IV. 1257. XLVII. Cardinales qui Urbanum IV. elegere, 1261. VII. Creati ab Urbano IV. *ibid.* XXIII. 1262. LII. Ex illis unus postulatus judicio, *ibid.* XXIII. Sanxit Pont. ne antequam promoveretur in presbyterum cardinalatus insignia gestaret, *ibid.*
Cardinalium Urbano IV. assidentium nomina, 1263. XC. Vacante sede, Rodulphum legatum, nondum provinciam ingressum, confirmant in munere, 1269. VII. Solicitantur a Siciliæ & Galliarum Regibus, ut novum ecclesiæ Pontificem præficiant, 1271. III. Compromittunt in sex e gremio, ut renuntient Pontificem, *ibid.* VII. Portuensis episc. ad eos aculeata objurgatio, *ibid.* XII. Cardinalium lit. ad Gregorium X. de electione pontificia, *ibid.* XIII. Derivant ad se partem Siculi census, contestaturque Gregorius id jure ipsis non deberi, 1272. XLVI. Cardinalibus invitis constitutionem fert Gregorius de iis conclavi includendis ad eligendum Pontificem, 1274. XXIV. XXV. Vacante sede Venetos ob Anconam oppugnatam corripiunt, 1277. XLIV. Obiiciunt iis censuras, *ibid.* XLV. Æsculanos Picenum turbantes objurgant, *ibid.* Et Parmenses jura ecclesiæ invadentes, *ibid.* XLVI. Ad Francorum & Castellæ Reges conciliandos incumbunt, *ibid.* XLVII. Et conjungendum Rodulphum inter & Carolum fœdus, *ibid.* Deterrent Rodulphum, ne in Italiam traducat exercitum, *ibid.* Scriptæ ea de re literæ, *ibid.* XLVIII. Ravennam & Pentapolim ab eo reposcunt, *ibid.* LII. Censum exigunt a Carolo Rege, *ibid.* Fideles ad fundendas preces solicitant, *ibid.* LIII. A Viterbiensibus in arctiore conclavi detenti, *ibid.* Cardinalium Honorio IV. assidentium nomina, 1285. LI.
Carolus I. Siciliæ Rex ab Urbano IV. ad sceptrum Siculum tuendæ ecclesiæ causa vocatur, 1262. XX. De Provinciæ comitatu cum Regina Margarita disceptat, 1262. III. 1264. II. Senator a Romanis creatur, *ibid.* III. Quibus legibus ab Urbano ea dignitas illi permissa, *ibid.* IV. V. Quibus de causis Pontifex ad id adductus sit, *ibidem* VIII. Pontificiis voluntatibus obsequitur, *ibid.* IX. Data ab Urbano auctoritas Simoni Cardinali, ut Siculum regnum illi conferat, *ibid.* X. Quas leges Carolus temperandas poposcerit, *ibid.* XV. Suscipit comparandæ sibi armis Siciliæ provinciam, *ibid.* LXXXVI. Ab uxore trium Reginarum sorore in id impulsus, *ibid.* Simon Cardinalis tit. S. Cæciliæ de transfundendo in eum Siculo regno tractatum perducere jussus, 1265. XI. Mari Romam magno periculo appellit, *ibid.* XII. Senatoriam dignitatem capessit, *ibid.* Arguitur a Clemente IV. Gallos ad inhabitandum Lateranense palatium induxisse, *ibid.* Excusat se, *ibid.* A quatuor Cardinalibus Siculi Regni, quam vocant investituram accipit, *ibid.* XIII. Quas pactiones cum ecclesia iniverit, *ibid.* Comparandæ armis Siciliæ auctoritatem a Clemente accipit, *ibid.* XXI. Regiis insignibus die sacro epiphaniæ exornari flagitat, *ibid.* XXII. Possessiones ecclesiæ ad illius gratiam oppigneratæ, *ibid.* XXIII. Oppugnatur acerrime a Manfredo, *ibid.* XXV. Cohibetur a Cardinalibus, ne prælio cum Manfredo decernat, antequam Gallica auxilia receperit, *ibid.* Optat Pisanos admitti in gratiam ecclesiæ & cur recepti non fuerint, *ibid.* XXVIII. Una cum Beatrice a quatuor Cardinalibus regia inunctione linitur, 1266. I. Fidei sacramento accepti apostolica liberalitate regni ergo se obstringit, *ibid.* IV. Basilicam S. Petri amplissimis muneribus donat, *ibid.* V. Arguitur, jus pontificium violare, *ibid.* VI. Monetur pacare conscientiæ æstus antequam bellum moveat, *ibid.* VII. Premitur ærarii inopia, *ibid.* IX. Irrumpit in Siciliam, *ibid.* Manfredum in Beneventana planitie prælio cædit, *ibid.* XI. Quo die victoriam retulerit, *ibid.* XII. XIII. Laureatæ ejusdem ad Clementem literæ, *ibid.* & *seq.* Corripitur, Beneventum evastasse, *ibid.* XV. Manfredianas reliquias absumit, *ibid.* XVII. Ulteriore potitur Sicilia, *ibid.* Victori gratulatur Clemens, *ibid.* Eximia in eum collata elogia, *ibid.* XVIII. Præceptis optimis ad regnum administrandum informatur, *ibid.* XIX. XX. Cogit sui terrore ecclesiæ perduelles ad obsequium redire, *ibid.* XXII. Secutæ ejus auspiciis felices rerum conversiones, *ibid.* XXIII. Solicitatur a Clemente ad Syriam defendendam contra sultanum Bendocdarem, *ibid.* XLIII. Conradino Siculum regnum affectanti censuræ incussæ a Clemente, 1268. IV. Creatur Carolus Etruriæ paciarius, *ibid.* Spondet sacramento eo magistratu certis legibus abiturum, *ibid.* VIII. Senenses, Pisanos, Podibonizanos bello infectatur, *ibid.* IX. Deterretur a Clemente, ne Papiam obsideat, *ibid.* X. Dum Etruriam ad officium cogit, rebellat in eum Sicilia, *ibid.* Urgetur a Clemente, ut eo provolet, *ibid.* Corripitur, Siculos graviore jugo a suis administris attritos, *ibid.* XIII. XIV. Henricus Romæ senator una cum aliis in eum conjurat, *ibid.* XV. Et qua de causa, *ibid.* XVI. Confirmatur Etruriæ paciarius, 1267. II. Commovetur in eum Sicilia, *ibid.* II. III. Edictum in Conradinum ob illatum illi bellum, *ibid.* IV. Caroli res in Etruria lapsæ, *ibid.* XII. Creatur senator ad decennium a Clemente, *ibid.* XXVI. Prælium committit cum Conradino, *ibid.* XXX. Prima & secunda illius acies profligatæ, *ibidem*. Incautum Conradinum fundit fugatque, *ibid.* Henricum arte & viribus profligat, *ibid.* Laureatæ illius de parto triumpho ad Clementem literæ, *ib.* XXXII. Conradinum capitis sententia damnat, *ibid.* XXXIV. Corripitur a Clemente, *ibid.* Fredericum etiam ducem Austriæ Galvanumque necat, *ibid.* Henricum senatorem perpetuo addicit carceri, *ibid.* Insulam Siciliæ recuperat, *ibid.* XXXV. Fuso multo sanguine vindictam exercet, *ibid.* Sinit ab administris opprimi, *ibid.* XXXVI. Graves Pontificis ad eum literæ, ut oppressos levet, *ibid.* A Provincialibus sacramentum exigit, *ibid.* XXXVII. Arguitur a Clemente juribus S. Ludovici ipsum detraxisse, *ibid.* Nuceriam ad deditionem inopia commeatum compellit, 1269. I. Saracenos vel ad fidem cogit, vel subiicit servituti, *ibid.* Senenses & Pisanos præfecti opera profligat, *ibid.* II. Ad officium cogit, *ibid.* III. Achajam & Peloponnesum Philippo filio inita affinitate comparat, *ibid.* IV. Vario eventu bellum gerit cum Palæologo, *ibid.* Mortuo fratre S. Ludovico, ad castra Tunetana appellit, 1270. XXIII. Arctiori obsidione Tunetum cingit, *ibid.* Barbaros profligat, *ibid.* Regem Tunetanum vectigalem sibi subiicit, *ibid.* Magno illi versum est crimini, non Christi gloriam, sed sua commoda aucupatum, *ib.* Inde infelix cœpit esse, *ibid.* Thesaurum barbaricum amittit, *ibid.* XXIV. Redit in Siciliam, *ibid.* Tempestatis vi partem classis amittit, *ibid.* Partem reliquiarum S. Ludovici fratris a nepote impetrat, 1271. I. Una cum Philippo Rege Francorum Cardinales ad dandum ecclesiæ Pon-

Pontificem solicitat, *ibid.* III. Datum illi crimini, Guidonis e Monteforti sacrilegium non puniviſſe, *ibidem*. Jubetur Palæologo liberum commeatum permittere, 1272. XXX. Philippo Balduini filio Catharinam deſpondet, *ibid.* XXXII. Venetos ad jungenda in Græcos arma ſolicitat, *ibid.* Negat Gregorius vicariatum in Etruria abrogari illi poſſe, *ibid.* XXXVII. Excuſat eumdem præfecturam nonnullarum urbium in Inſubria accipere potuiſſe, *ibid.* XXXVIII. Eduardum deducit Viterbium, 1272. LXVII. Maria Regum Hieroſ. ſtirpe ſata in eum jura regni Hieroſol. decurſu temporis tranſtulit, 1272. XIX. Cenſum Pontifici pendit, *ibid.* XLVI. Controverſiam de Provincia obtinet, *ibid.* XLVII. Solicitatur a Gregorio, ut bellum inter generum Ladiſlaum Ungariæ & Ottacherum Boemiæ Reges enaſcens, ſopiat, 1273. XII. Et ut pacem inter Gibellinos ac Guelphos redintegret, *ibid.* XXX. Concilietque invicem Genuenſes, *ibid.* XXXI. Caſſinenſis abbas ad eum miſſus pro induciis cum Palæologo ineundis, 1274. XX. Monetur a Gregorio, ut controverſias cum Rodulpho componat, *ibid.* LX. Pollicetur Greg. Rodulpus, Carolum bello non appetiturum, 1275. XXXIX. Confirmatum ſacramento a Rodulpho Siciliam Imperio conjunctam non eſſe, *ibidem*. XL. Solicitatur Carolus, ut Brennenſem comitem ab Cypro invadenda adducat, *ibid.* LII. Rogatur ut ad ineundum colloquium Romam ſe conferat, *ibid.* XLVII. Inducias cum Palæologo init, flagitante ita Gregorio, *ibid.* Prorogata illi ad cenſum ſolvendum dies, *ibid.* Operam conjungit cum Innocentio V. ad Piſanos & Lucanos in concordiam redigendos, 1276. XXV. Solicitatur a Joanne XXI. ut operam in Siculis ad ſalutem perducendis conjungat, 1276. XXXVII. Sacramento fidei in Joannis verba adigitur, *ibid.* XXXVIII. Pollicetur imperium aut Etruriæ Inſubriæve majorem partem non affectaturum, *ibid.* XXXVIII. *& ſeqq.* Veteres ejus hoſtes ſequaces Conradini Manfredive impœnitentes cenſuris percuſſi, *ibid.* XLV. Hieroſolymitani regni jura a Maria dono accipit, 1277. XVI. Magnis illam muneribus afficit, *ibid.* Regem Cypri adepta Palæſtinæ poſſeſſione depellit, *ibid.* XVII. Cardinales vacante ſede illum conciliare Rodulpho ſtudent, *ibid.* XLVII. Deterrent Rodulphum, ne ante initam concordiam, traducat in Italiam exercitum, *ibid.* XLVIII. Cenſum a Carolo exigunt, *ibid.* LII. Nicolaus III. ſtudia ſua in Carolum explicat, 1277. LIII. Rodulphum vetat ingredi Italiam, ni pacem antea cum Carolo pepigerit, *ibid.* LIV. Nonnulli Græci ad eum contra Palæologum deficiunt, 1278. XII. Flagitante Palæologo, iis cenſuras infligi, negat Nicolaus niſi fidei odio conflata ſit perduellio, *ibid.* Adducitur in crimen, ſentire cum ſchiſmaticis, qui a Palæologo damnati ſchiſmatis odio defecere, *ibid.* XIV. Victæ ejus copiæ a Palæologo, *ibid.* Cum eo & Philippo pacem interprete Pontifice agitare ſpernit Palæologus, *ibid.* XV. Solicitatur Carolus, oratores ad ſedem Apoſtolicam mittere, *ibidem*. XVI. Exigit ab eo Nicolaus Papa ſubſidiarias copias pro recuperanda Romaniola, 1278. LV. Rogat, ut ad regni limitem accedat pro tractando cum Rodulphi oratoribus fœdere, *ibid.* LXV. Beneficio ſedis Apoſtolicæ coronam Siculam acceptam profitetur, *ibid.* LXVI. Jubetur Etruria cedere, *ibid.* LXVII. Monetur oppreſſos populos levare, *ibid.* Infenſo Pontifici, dimiſſa Etruria, paret, *ibid.* LXVIII. Senatoriam dignitatem juſſus deponere non repugnat, *ibid.* LXIX. Abſoluto decennio magiſtratu abiturum ſpondet, *ibid.* Illius ea de re literæ, *ibid.* LXX. Promota a Nicolao III. illum inter & Rodulphum concordia, 1279. XI. Quæ fœderis leges propoſitæ, *ibid.* Aſſerta illi provincia, *ibid.* Monetur a Nicolao, intentatum illi de regno Hieroſolymitano judicium a Rege Cyprio, *ibid.* XV. Adhibita illius auctoritas a Nicolao, ut Ladiſlaum Regem Ungariæ generum a Cumanorum patrocinio revocaret, *ibid.* XXXIV. Interprete concordiæ Pontifice, attributa illi a Rodulpho Rege Romanorum provincia, 1280. II. Regio diplomate profitetur, pacem ſervaturum cum Imperio, *ibid.* III. Creatur ſenator Urbis a Martino IV. 1281. XIV. Sacræ in Syriam expeditioni ſe devovet, 1282. V. Siciliæ, Sardiniæ, & Ungariæ decimæ in id a Martino illi attributæ, *ibid.* V. VI. Primos impetus in Græcorum Imperatorem ſchiſmaticum vertere meditatur, *ibid.* VII. Siculi in eum rebellant, *ibid.* XI. Peperit illi exitium populorum nimia oppreſſio, *ibid.* XII. Quibus dolis uſus ſit in eum Rex Aragonum, *ibid.* Lata a Pontifice in Siculos ſententia, *ibid.* XIII. Legatus Cardinalis ad populos ad illius obſequium revocandos miſſus, *ibid.* XX. Meſſanam obſidet, ſuaque imprudentia non capit, *ibid.* XXII. Ingruente Rege Aragonum, obſidionem ſolvit, *ibid.* Claſſem amittit, *ibid.* Edicit Martinus Petro Regi, ne bellum Carolo moveat, *ibid.* XXIII. Decreta ab eodem Pontifice ad illius gratiam in Siculos, propoſitis indulgentiis, ſacra expeditio, 1283. I. Ingentia e Galliis contrahit auxilia, *ibid.* V. Ab Aragonio provocatus ad ſingulare certamen, recuperandi regni curas imprudenter intermittit, *ibid.* Fraudulenter ab Aragonio propoſitæ pactiones, *ibid.* VI. Pontificia ad illum monita, ne regno abeat, ſed ad rebelles edomandos incumbat, *ibid.* VIII. Miſſus ad ipſum hac de cauſa Benedictus Cardinalis, *ibid.* XII. Spretis pontificiis conſiliis Burdegalam adit, inque mala ingentia ſe conjicit, *ibid.* XIII. Ab hoſte callido ſe deluſum agnoſcit, *ibid.* Petrus Aragonum ob invaſam Siciliam regni juribus exutus, *ibid.* XIV. Veneti Carolo ſubſidiariam claſſem regio ſumptu ſuppeditare negant, *ib.* XXXIX. Ob id cenſuris devincti, *ibid.* Ingens auri vis ad tentandam Siciliam illi a Pontifice mutuo data, *ibid.* XL. Jura Guillelmi II. Siculis reſtituere pollicetur, *ibid.* XLI. Revertens e Galliis filium a Rogerio Lauria captum, accipit, 1284. XIV. Ut audito infelici caſu ſe geſſerit, *ibid.* Henricus Rex Cypri Hieroſolymitanum regnum illi eripit, *ibid.* XXXIII. Carolus in Siculi belli apparatu moritur, 1285. I. Multa pietatis ſigna edit, *ibid.* II. Illius elogium, *ibid.* Eo extincto diſſipata claſſis, *ibid.* Imperatoris Tartarorum & Regis Perſidis literæ de jungendis cum eo armis adverſus Saracenos, 1285. LXXIX.

Carolus II. Siciliæ Rex Salerni princeps exiſtens S. Magdalenæ ſacras reliquias comperit, 1279. XII. Magna pompa eas transfert, *ibid.* XIV. Siciliam claſſe tentare meditatus, Venetis ſubſidiarias naves ſuo ſumptu illi ſuppeditare recuſantibus ſpe ſua deturbatur, 1283. XL. Ingens illi auri vis a Martino mutuo data, *ibid.* Plures leges ad conciliandos ſibi populos pro componendo regni ſtatu promulgat, *ibid.* XLII. Præcipuæ, quæ ad eccleſiaſticum jus aſſerendum ſpectant, confirmatæ ab Honorio IV. *ibid.* XLII. XLIII. Expeditionem in Siciliam meditatur, 1284. XIII. A Rogerio Lauria in pugna navali capitur, *ibid.* XIV. Quid ipſius pater audito infauſto caſu dixerit, *ibid.* Mortuo patre inſtituti regni procuratores, 1285. I. III. VI.

Carolus Philippi Regis Francorum ſecundo natu filius Valeſiorum, Carnuti & Anditum comes Aragonii regni juribus a Martino IV. donatur, 1283. XXV. Quibus legibus, *ibid.* XXVI. Attributæ in belli ſumptus Philippo patri triennales decimæ, *ibid.* Pactiones inter eum Cardinalis legati opera & Pontificem initæ, *ibid.* VII.

Carthago a S. Ludovico Rege impetu capta, 1270. X.

Caſimirus dux Lacitiæ ſacræ militiæ in barbaros nomen dat, 1257. XXI. Illius cauſa de Goleas & Polexicis contra cruciferos defenſa ad Alex. IV. *ibid.* XXIII.

Caſtitas; S. Richardi epiſcopi Ciceſtrenſis corpus poſt mortem miro nitore fulget, 1262. XXVI. B. Salomeæ, quæ in matrimonio virginitatem coluit corpus ſuavem odorem ſpirat, 1268. LV. Egregium datum ab Wladiſlo Salsburgenſi archiepiſc. caſtitatis exemplum, 1270. XXXII. Admirandum Margaritæ Regis Ungar. filiæ conſilium ad ſervandam vultus fœditate animæ corporiſque puritatem, *ibid.* XXXII.

Cathari; Catharorum deliria, 1258. XXIV.

Cenſores fidei. *Vide*, Inquiſitores.

Cham. *Vide*, Cobila Cham.

Chelmenſis ditio cruciferis donata, 1257. XXV.

Chinga. *Vide*, Chunegundes.

Choreæ in loco ſacro non permittendæ, Conc. Buden. n. XLI.

Choreæ dæmonum viſæ, 1258. XV.

Chorus; quo ornatu ſtandum in choro, Conc. Buden. n. XIV.

Chriſtianus patriarcha Antiochenus ad aram a Saracenis cæſus, 1268. LIV.

Chriſtianum nomen; ut illud regio prætulerit S. Ludovicus, 1270. XVIII.

Chriſtophorus Rex Daniæ ſororem Sophiam Waldemaro Regi Sueciæ deſpondet, 1259. XIX. Sopitum inde bellum atrox, *ibid.* XX. Illius mors, *ibid.* LII. Sceptrum Erico puero relinquit, *ibid.*

B. Chunegundes, ſive Kinga ducifſa inſignis ſanctitate, Boleſlai Pudici conjux Polonis ingentem victoriam contra Ruthenos obtinet, 1266. XL.

Cilicium; carnem cilicio macerabat S. Ludovicus, 1270. XVIII.

S. Claræ ordo optimis inſtitutis Urbani IV. ſtudio temperatus, 1263. XC.

Clemens IV. Guido antea dictus ex archiepiſcopali ſede Narbonenſi ad Sabinenſem eccleſiam tranſlatus, donatuſque purpura ab Urbano IV. 1262. XLIX. S. Ludovicus pro componenda inter fratrem & Margaritam Reginam controverſia ipſum mitti flagitat, *ibid.* XLIV. Excuſat Urbanus neceſſariam ſibi illius operam, *ibid.* XLIX. Mittitur in Angliam legatus pro civili bello extinguendo, 1263. LXXXIV. Synodum in Galliis cogit, 1264. XXXIII. Prohibitus aditu in Angliam, rebelles ferit anathemate, *ibid.* Creatur Pontifex, 1265. I. Ejus patria, mores, conditio, *ibid.* Ipſius pater pie apud Charthuſianos defunctus, *ibid.* II. Pontificatum invitus admittit, *ibid.* III. Ejus emblema pontificium, *ibid.* IV. Encyclicas literas de ſuſcepto pontificatu mittit, *ibid.* IV. Gratulatur ipſi literis Bela Ungariæ Rex, *ibid.* VI. Sua eidem ſpondent obſequia alii Reges, *ibid.* VII. Quam demiſſe de ſe ſentiat, Regi Navarræ aperit, *ibid.* VII. Item S. Ludovico, quam excelſo animo humana ſpernat, *ibid.* VIII. Similia ad Regem Caſtellæ ſcribit, *ibid.* IX. Propinquos ditare negat, *ibid.* X. Trecentos argenteos pro filia locanda in matrimonio tantum ſpondet, *ibid.* Suos quidquam poſcere vetat, *ibid.* Illius filiæ ſanctimonialium numero ſe aggregant, *ibid.* Simonem Cardinalem legatum de Siciliæ regno in Carolum Andegaviæ comitem tranſfundendo agere jubet, *ibid.* XI. Perſtringit illum, palatium Lateranenſe ſuis inhabitandum attribuiſſe, *ibid.* XII. Jubet, Carolo ſolemni ritu a quatuor Cardinalibus Siculi regni jura conferri, *ibid.* XIII. Quas pactiones cum eo iniverit, *ibid.* Ingrediendi Siciliam cum exercitu auctoritatem tribuit, *ibid.* XXI. Cardinalibus legatis Caroli regiis inſignibus exornandi provinciam tradit, *ibid.* Eccleſiæ poſſeſſiones ad Caroli gratiam oppignerat, *ibid.* Rerum indigentiam æquanimiter tolerat, *ibid.* Eam Carolo exponit, *ibid.* A Manfredo in magnas anguſtias coniicitur, *ibid.* XXIII. S. Ludovici opem implorat, *ibid.* XXIV. Sacrum bellum in Galliis, propoſitis indulgentiis, promulgari jubet adverſus Manfredum, *ibid.* XXVI. Ad ſtruendum Gallis venientibus iter cruceſignatum in Inſubria exercitum colligi jubet, *ibid.* XXVIII. Plures in eccleſiæ gratiam revocat, *ibid.* Eccleſiaſticum jus adverſus Regum potentiam tuetur, *ibid.* XXX. Eccleſiam Narbonenſem S. Ludovico commendat, *ibid.* Regem Aragonum eccleſiaſticam libertatem oppreſſiſſe arguit, *ibid.* XXXI. Hiſpanos ad ſacrum bellum in Mauros concitat, *ibid.* XXXII. Indulgentias cruceſignatis induentibus ſpondet, *ibid.* XXXIV. Gratulatur Petro principi, Murciam cinxiſſe obſidione, *ibid.* XXXV. Indulgentiarum præmia pro Alfonſo Rege Caſtellæ preces fundentibus pollicetur, *ibid.* XXXVI. Palæſtinam evaſtari deplorat, *ibid.* XXXVII. Excitat S. Ludovicum, ut illi opem ferat, *ibid.* XLI. Et Theobaldum Regem Navarræ; Et Othonem marchionem Brandeburgenſem, *ibid.* XLII. Ejuſdem encyclica ad fideles de eodem exhortatio, *ibid.* XLIII. Sacram expeditionem indicit ad Tartaros Ungaria propulſandos, *ibid.* XLVIII. Guidonem Cardinalem S. Laurentii in Daniam & Sueciam mittit, *ibid.* LI. Ericum Regem Daniæ jus eccleſiaſticum violaſſe arguit, *ibid.* LII. Suadere nititur Alfonſo Regi Caſtellæ, ut Imperii juribus cedat, *ibid.* LVIII. Ottobonum S. Adriani diaconum Card. in Angliam ad pacandos ejus tumultus deſtinat, *ibid.* LXI. Sacrum in rebelles bellum indicere eum jubet, *ibid.* LXVI. S. Ludovicum ad ferenda Henrico Regi auxilia incitat, *ibid.* LXVII. LXVIII. Sacramenta quæ Angli ab Henrico & Eduardo extorſerant, reſcindit, *ibid.* LXX. In præſules conjurationis participes pœnas ſtatuit, *ibid.* LXXIII. S. Bonaventuram eccleſiæ Eboracenſi præficere meditatur, *ibid.* LXXIV. Religioſos ordines fovet, *ibid.* LXXV. Templarios, a ſedis Apoſtolicæ auctoritate ſe ſubducere molientes, objurgat, *ibid.* Carolum & Beatricem regia inunctione liniri jubet, 1266. I. Forma ſacramen-

menti ipsi a Carolo præstiti, *ibid.* IV. Arguit Carolum, jus pontificium violantem, *ibid.* VI. Monet ut conscientiæ æstus sedet, antequam bellum moveat, *ibid.* VII. Superbis Manfredi literis generose respondet, *ibid.* VIII. Rogatus de subsidiariis opibus conferendis egestatem exponit, *ibid.* IX. Datæ ad illum de prostrato Manfredo laureatæ a Carolo Rege literæ, *ibid.* XIII. Victori gratulatur, *ibid.* XVIII. Præceptis optimis imbuit, *ibid.* XIX. XX. XXI. Revertentes ad obsequium Ecclesiæ perduelles in gratiam admittit, *ibid.* XXII. Securas e Caroli victoria felices rerum conversiones exponit, *ibid.* XXIII. Gratulatur Jacobo Regi Aragonum, Murciam ad Alfonsi Regis obsequium reduxisse, *ibid.* XXV. Negat Regi Aragonum illius matrimonium cum Therasia conjuge dissolvi posse, *ibid.* XXVII. Urget ipsum ad Saracenicam superstitionem in terris abolendam, *ibid.* XXIX. Monet ne ecclesiastica jura invadat, *ibid.* XXXII. Ut coerceat Judæos, *ibid.* XXXIII. Imperia dat Abulensi episcopo transferendæ episcopalis sedis e Sydone ad Gades, *ibid.* XXXIV. Monet S. Ludovicum, ne Guidonis e Monte forti partes adversus Regem Angliæ suscipiat, *ibid.* XXXV. Provinciam dat Ottobono Cardinali, ut Richardo ad disceptandam apud subsellia sedis Apostolicæ Imperii controversiam diem dicat, *ibid.* XXXVI. Peremptorium etiam diem Alfonso Regi Castellæ præfigit, *ibid.* Animadvertit in præsules criminibus notatos, *ibid.* XXXVII. Monet S. Ludovicum Melgorii comitatum spectare ad ecclesiam Magalonensem, *ibid.* Zagrabiensem episcopum, adversus Regem Ungariæ obscuros natales obiicientem defendit, 1266. XXXVIII. Fideles adversus Bendocdarem Syriam vastantem concitat, *ibid.* XLIV. Conradini seditiosa consilia divulgat, 1267. II. Illius ingressum progressumque Regi Boemiæ insinuat, *ibid.* III. Siciliæ regnum affectanti Conradino judicium intendit, 1267. IV. Minas obiicit, *ibid.* Carolum pacis servatorem creat in Etruria, *ibid.* Parere illi detrectantes jubet censuris defigi, *ibid.* Guelphos ad capessenda illius imperia urget, 1267. V. Quibus legibus & qua ratione id munus Carolo contulerit, 1267. VI. VII. VIII. Excusat se apud Alfonsum, non derivata in Carolum Imperii jura, 1267. IX. Arguit Pisanos Carolo adversari, *ibid.* Urget Carolum, ut ex Etruria in Siciliam ad comprimendos motus procurrat, 1267. XI. Monet ut suos petulanter se gerentes in Siculos coerceat, 1267. XIII. Henricum senatorem cum Carolo reducere in gratiam nititur, 1267. XVII. Galvano, qui Conradini signa in Urbe explicuerat, diem indicit, 1267. XVIII. Censuras in Gibellinos, qui Regis Castellæ oratores necarant, spoliarantve distringit, 1267. XX. Archiepisc. Ravennatem in Insubria legatum creat, 1267. XXI. Controversiam de Imperio dirimere tentat, 1267. XXII. Arguit Alfonsum nullis instrumentis publicis ad causam tuendam oratores instruxisse, 1267. XXIV. Diem ad audiendos testes indicit, *ibid.* Peremptorium diem extrahit, 1267. XXV. Petenti Alfonso imperialem coronam, non accepta Aquisgranensi conferri ei posse negat, 1267. XXVI. Richardi potiora esse jura significat, 1267. XXVIII. Vetera præjudicia illi exponit, 1267. XXIX. XXX. Jacobum Regem Aragonum ob Berengariæ amores corripit, 1267. XXXIII. Intentat censuras, *ibid.* Corripit Narbonensem archiepiscopum male de Eucharistiæ sacramento sentire, 1267. XXXV. Scripta a Narbonensi ad eum apologia, 1267. XXXVI. XXXVII. Objurgat Bremensem archiepisc. hæresiarcham de eodem sacramento falsa spargentem fovere, 1267. XXXIX. XL. Hedwigem ducissam sanctorum catalogo ascribit, 1267. XLI. Miraculum in ipsius Clementis filia patratum, *ibid.* Zelum S. Ludovici crucem induentis commendat, 1267. XLIX. Simonem tit. S. Cæciliæ Card. ad promovendam sacram expeditionem legatum mittit, 1267. LI. Triennalem decimam imponit, 1267. LIII. Cleri Gallicani querelas de ea re confutat, 1267. LV. Auxilia ex omnibus aliis regnis pro instauranda re Syriaca comparat, 1267. LXIV. Genuenses & Venetos inter se conciliare nititur, 1267. LXV. Palæologum solicitat, ut arma cum occidentalibus conjugat, 1267. LXVI. S. Ludovici exemplum proponit, *ibid.* Regem Armeniæ Aytonum, cladem regni & filiorum lugentem, solatur, 1267. LXVIII. Auxilia promittit, *ibid.* Palæstinos ipsi adesse jubet, 1267. LXIX. Abaghæ Tartarorum Imperatori, ipsum Christo nomen dedisse gratulatur, 1267. LXX. De expeditione occidentalium certiorem facit, 1267. LXXI. Ad Græcos a schismate abducendos studia convertit, 1267. LXXII. Ejus ad Palæologum literæ, *ibid.* Forma fidei orthodoxæ ipsi transmissa, 1267. LXXV. Patriarcham Græcum ad conjunctionem solicitat, 1267. LXXX. Apocrisarios destinat, 1267. LXXXI. Religiosos prærogativis ornat, 1267. LXXXII. Consalonis sodalitium confirmat, 1267. LXXXIII. Carolum in Etruriæ paciarii munere confirmat, 1268. II. In Conradinum & sequaces sententiam fert, 1268. XIV. Hierosolymitani regni juribus excidisse pronuntiat, *ibid.* Prædicit illius exitium, 1268. XX. Viterbium contra Conradini impetus munit, 1268. XXI. Graves ipsius de Romanis cum hoste sentientibus querelæ, 1268. XXII. Henricum senatorem & Guidonem e Monteferetro anathemate percellit, 1268. XXIV. Romanos sacramenti Henrico præstiti religione liberat, *ibid.* Interdicto ecclesiastico Urbem mulctat, *ibid.* Fruftra mansuetudine Henricum revocare ad officium nititur, 1268. XXVI. Carolum Regem Siciliæ ad decennium urbis senatorem creat, *ibid.* Romanos ad patriæ dignitatem adversus Henricum proditorem asserendam hortatur, 1268. XXVII. Partam de Conradino & hostibus Ecclesiæ victoriam divinitus agnoscit, 1268. XXXI. Ea ejusdem jejuniis & orationibus adscripta, *ibid.* Laureatæ ad eum Caroli literæ de Conradino profligato, 1268. XXXII. Corripit Carolum, carnificis ferro Conradinum subjecisse, 1268. XXXIV. Exacto a Provincialibus sacramento S. Ludovici jura invasisse, 1268. XXXVII. Monet S. Ludovicum ab illius administris vexari ecclesiasticos, *ibid.* Alfonsum Regem Lusitaniæ arguit, jus ecclesiasticum violasse, 1268. XXXVIII. XXXIX. Nuntium ad sedandam controversiam mittit, 1268. XL. Exigendi a Rege sacramenti formam præscribit, 1268. XLI. Lusitaniæ usum sacrorum restituit, *ibid.* Dirimendæ de Imperio controversiæ diem peremptorium extrahit, 1268. XLII. Apologiam ad Regem Boemiæ de extracta in plures annos decidendæ controversiæ sententia scribit, 1268. XLIII. Denuntiat tertii electionem irritam futuram, 1268.



1268. XLVI. De miraculis Augustini archiep. Nidrosiensis inquiri jubet, 1268. XLVIII. Festum diem S. Januarii in vernum tempus transfert, 1268. XLIX. Monet Isabellam S. Ludovici sororem reliquias S. Pauli Romæ conditas, 1268. L. Genuenses ad parandam classem S. Ludovico solicitat, 1268. LI. Hispaniarum Reges ad Syriam defendendam incitat, 1268. LII. Alfonso Regi Lusitaniæ traiicere meditanti, plura subsidia confert, 1268. LIII. Frustra operam ad redigendos in concordiam Genuenses ac Venetos adhibet, *ibid.* Pie moritur, 1268. LIV. Ejus elogium, *ibid.* Ipsius corpus Viterbiensibus Prædicatoribus ab Innocentio V. adjudicatum, 1276. XXIII.

Clementia; Urbanus IV. adepto pontificatu suis olim prædatoribus ignoscit, 1260. XXX. Rudolphus Rex Rom. militi qui ipsum in acie in discrimen vitæ adduxerat, parcit, 1278. XLIII.

Clerici. *Vide*, Ecclesiastici.

Cobila Cham Mangonis successor in Tartarorum imperio, 1264. LXVIII. Abagam nepotem in regno Persidis confirmat, *ibid.* Christianos a Mahumeto Cham in Perside vexari ægre fert, 1284. XXX. Argonum Regem Persidis creat, *ibid.* XXXI. 1285. LXXVIII. Literas ad Pontificem & Reges occidentis de conjungendis armis in Saracenos mittit, 1285. LXXIX.

Comath Jaczvingorum dux victus acie a Boleslao Pudico, 1264. XLVI.

Cometes obitum Urbani IV. portendit, 1264. LXX.

Compostellana ecclesia S. Jacobi reliquiis nobilitata, 1272. XXXII. Ab Alfonso Rege oppressa, *ibid.* 1278. XXXI. Nicolai III. ea de re querelæ, *ibid.* XXXII.

Concilium ad tuendam dignitatem ecclesiasticam ab episcopis Daniæ coactum, 1257. XXIX. A Pontifice confirmatum, *ibid.* XXX. Concilium Romæ indictum, 1261. IV. Extractum in longius tempus, *ibid.* Celebrata concilia pro repellendis Tartaris in Anglia, *ibid.* V. Concilium Viterbii indictum, *ibid.* VI. De indictis provincialibus ab Alexandro IV. in Tartaros conciliis, 1262. XXX. Guido episc. Sabinensis (postea Clemens IV.) synodum in Galliis cogit, 1264. XXXIII. Negat Clemens IV. convocandum concilium ad res fidei adversus Græcos discutiendas, 1267. LXXIX. Suscepta a Græcis fidei forma a Rom. ecclesia proposita, *ibid.* Celebratum concilium ad firmandam conjunctionem, *ibid.* Londinense, 1268. LIII. Lugdunense œcumenicum II. a Gregorio X. celebratum, *Vide*, Lugdunense concilium. Constantinopolitanum sub Joanne Becco patriarcha catholico, 1277. XXXIV. Synodales ad Pontificem lit. *ibid.*

Conciones sacræ; monet S. Ludovicus filium, ut eas pie audiat, 1270. XV. Qui ad sacras conciones admittendi, Conc. Buden. num. XXIX.

Conclave; de Cardinalibus in electione Romani Pontificis conclavi includendis, 1274. XXIV. Vetitum iis nuntium aut literas mittere, *ibid.* XXV. Lapso triduo pane, vino, & aqua contenti esse jussi, *ibid.* Decretum, ex ærario apostolico nil ipsos recepturos, *ibid.* Aliis negotiis se implicare vetiti, *ibid.* Quo casu sint conclavi exituri, *ibid.* XXVI. Sacramenta, a Cardinalibus de eligendo aliquo data vi carere declarantur, *ibid.* XXVII. Cardinales Pontifici frustra obluctantur, *ibid.* Gregorius cum præsulibus rem sancit, *ibidem*. Constitutionem hanc Gregorii de Cardinalibus conclavi includendis temperare meditatur Adrianus V. 1276. XXVII. Ut rigidiorem remittit Joannes XXI. *ibid.* XXIX. XXX. Sede post ejus obitum vacante Cardinales extra conclave libere exeunt, 1277. LIII. Includuntur a Viterbiensibus, *ibid.*

Concubinarii; sacerdotibus concubinariis in Suecia inflictum anathema, 1258. XV. In eodem crimine notatos censuræ distringi jussæ, 1259. XXIV. *Vide*, Meretrices.

Consalonis sodalitium, 1267. LXXXIII. LXXXIV.

Confessio; Confessarii; expiandam sæpe conscientiam monet filium S. Ludovicus Rex, 1270. XIV. Ut se cum confessario gerere debeat, *ibid.* XIV. XV. XVIII. Duos a sacris confessionibus religiosos viros habere consuevit Rex sanctus, *ibid.* XVIII. Mors infelix scelerati hominis, confiteri ludibrio habentis, 1277. V.

Conradinus tentatur veneno a Manfredo, 1258. IX. Falsa de ejus morte ab eodem fama spargitur, *ibid.* Electores de eo ad Imperium evehendo agitant, 1262. IV. Othacherus Urbano IV. consilium detegit, *ibid.* V. VI. Opponit se Urbanus ob majorum tyrannidem, *ibid.* VII. Denuntiatur electoribus, irritam ejus electionem fore, *ibid.* Intentatæ propterea censuræ, *ibid.* VIII. Ut a Manfredo fuerit proditus, *ibid.* XI. Italos ad defectionem solicitat, 1267. I. II. Illius ingressus in Italiam & progressus, *ibid.* III. Committitur Frederico duci Austriæ dicto, *ibid.* Bellum moventi intentatæ a Clemente IV. censuræ, *ibid.* IV. Objectæ minæ, *ibid.* Senenses, Pisani, & Podiiboniciani ei student, *ibid.* IX. Illius adventu elati Saraceni Luceriæ & plures Siculi Carolo rebellant, *ibid.* XI. Henricus Urbis senator ipsi adhæret, *ibid.* XV. Ejus signa in Urbe cum pompa explicita, *ibid.* XVIII. Commovetur ad ejus gratiam Sicilia, 1268. II. III. Edictum a Clemente Papa in eum ac sequaces latum, *ibid.* IV. Hierosolymitani regni juribus excidisse renuntiatur, *ibid.* XIV. Spernit monita pontificia, *ibid.* XVII. Etruriam, quæsitis viarum ambagibus, ingreditur, *ibid.* XVIII. In Lucanos movet, *ibid.* XIX. Caroli præfectum Gibellinorum opera profligat, *ibid.* Senas, dein Romam contendit, *ibid.* XX. In conspectu Viterbii, Pontifici insultaturus, copias explicat, *ibid.* Prædicit Clemens imminens illius exitium, *ibid.* Magna pompa a Romanis excipitur, *ibid.* XXVIII. In Palentina planitie exercitum metatur, *ib.* XXIX. Initio vincit, deinde funditur, fugaturque, *ibid.* XXX. De eo profligato Caroli Regis literæ, *ibid.* XXXII. In fuga comprehenditur, *ibid.* XXXIV. Capitis sententia damnatur a Carolo, *ibid.* In eo Friderici persecutoris Ecclesiæ familia excisa, *ibid.* Conradini veteres sequaces Nicolai III. jussu censuris soluti, 1278. LXXVII. Ut juste oppressus fuerit, 1282. XIV.

Conradus archiep. Coloniensis in Angliam ad Richardum in Germaniam deducendum profectus, 1257. VII. Mitra laminis aureis tecta donatus, *ibid.* Richardum Aquisgrani Regem inungit, *ibid.* VIII.

Conradus Cujaviæ & Mazoviæ dux Chelmensem ditionem Cruciferis donat, 1257. XXV.

Conradus de Antiochia dictus Caputes Siciliæ insulam in rebellionem contra Carolum Regem conjecerat, victus & crudeli mortis genere necatus, 1268. XXXV.

Con-

Conradus alter de Antiochia bello captus, 1268. XXXIV. Ut e supplicio a Clemente IV. ereptus fuerit, 1282. II. Damnatur perjurii, *ibid.* Funditur ab præside Campaniæ, *ibid.* XV. Conrado in Aprutium irrumpenti, Joannes de Epa oppositus, 1285. IX.
Conradus Minorita missus a Rodulpho Rege Romanorum pro confirmandis Romanæ ecclesiæ juribus, 1278. XLV. Impositam sibi provinciam in Cardinalium consistorio obit, *ibid.* XLVII.
Conradus Paganus ordinis Prædicatorum sanctitate insignis ab hæreticis cæsus, 1278. LXXVIII.
Conradus de Venosta Conrado Pagano martyrium intulit, *ibidem.*
Conradus dux Masoviæ a Leskone Nigro fugatus, 1285. XI.
Consolari; Consolatio; S. Ludovic. in obitu filii consolatur Alexander Papa, 1259. XLVII. XLVIII. Non ita nunc atque olim indulgendum lacrymis, *ib.* L. Fundendis potius precibus insistendum, *ib.* LI. Armeniæ Regem depressum solatur Clemens IV. 1267. LXVIII. Consolatoriæ Gregorii X. ad Eduardum Angliæ Regem de patris morte literæ, 1273. XXI.
Consolatio hæreticorum quæ fuerit, 1258. XXV. Ut desineret in carnificinam, *ibid.* XXVIII. Pœnæ in heredes, qui consolatores admittunt, *ibid.*
Constantia; Joannes Beccus, Meliteniota, & Metochita ad promissa minasve Andronici infracti, 1284. XLVIII.
Constantia filia Manfredi nupta Petro Regis Aragonum filio, 1262. XVI. XVII. Virum ad Siciliæ invasionem concitat, 1282. XII.
Constantinopolis obsidione & proditione tentata a Palæologo, 1260. LIV. A Græcis erepta Latinis, 1261. XXVII. Flammis vastata, *ibid.* De illa in Turcarum servitutem ruitura vaticinium, *ibid.* XXX. Urbani IV. lamenta de Constantinopoli expugnata, 1262. XXXV.
Constantinopolitanum Imperium ad obsequium ecclesiæ Romanæ revocatum, 1274. XV. Ab illius obsequio iterum divulsum, 1284. XLIV.
Constantinopolitanum concilium sub Joanne Becco patriarcha catholico celebratur, 1277. XXXIV.
Constantinus Rex Bulgariæ Theodori Imperatoris filiam, dimissa uxore, sibi thoro jungit, 1258. XLIII. XLIV. Palæologum in discrimen adducit, 1264. LXV.
Constantinus Meliteniota fidei defensor a schismaticorum conciliabulo damnatus, 1284. XLVI. Traditur carceri ab Andronico Imp. *ibid.* XLVIII. In fidei professione moritur, *ibid.* LII.
Contarenus. *Vide*, Jacobus Contarenus.
Contemptus temporalium rerum. *Vide*, Mundi contemptus, & Honorum fuga.
Continentia. *Vide*, Castitas.
Corsica; eam juris esse pontificii, profitetur Rodulphus Rex, 1275. XXXVIII.
Credulitas; Angelus Michael ob nimiam in danda hosti fide facilitatem victoriam amittit, 1260. LII.
Cruceata expeditio in Boleslaum sævum, 1257. XVII. XVIII. In Jaczwingos & Lituanos, *ibid.* XXI. In Manfredum Siciliæ tyrannum, 1265. XXVI. In Mauros, *ibid.* XXXII.
Cruciferi equites S. Mariæ Theutonicorum crudeliter & impie in nonnullos neophitos se gerunt, 1257. XXIII. Percussi anathemate, *ibid.* XXIII. XXIV. Chelmensi ditione donantur, *ibid.* XXV. Deleti a barbaris, 1260. XXII. Crucesignatas copias in eorum auxilium contrahi jubet Pontifex, *ibid.* Deleti magna clade a Lituanis, 1261. II. Pruthenos barbaros in Sambuciensi agro profligant, 1272. LIV. Duo equites cruciferi, affecti martyrio a Lituanis, visi in cœlum recipi, 1279. XLII.
Crucifixi imago a B. Philippo liber appellata, 1285. LXXXIV.
Crudelitas hæreticorum Catharonum in moribundos, 1258. XXVIII. Carolus in necando carnificis ferro Conradino crudelitatis nota aspersus, 1264. XXXIV. Saracenorum crudelitatem exponit Gregorius X. 1271. XIV. In pueros lactantes, 1272. XIV. Abagha Rex Tartarorum Paruani proditoris carnes redactas in pulverem condimentis admiscet, 1274. XXII. Siculorum crudelitas in Gallos exercita, 1283. XV.
Crux; crucis albæ symbolum Hospitalariis attributum, 1259. LXIII. Religionis ergo in crucem auctum ab Alphonso Rege Castellæ vectigal pendendum a Granatensibus quaque feria sexta, 1265. XXXVI. S. Ludovici in cruce adoranda pietas singularis, 1270. XXI. Illam ut sceptro augustiorem arripit Rodulphus, principes in sua verba sacramento adacturus, 1273. VIII. In cælo conspecta, dum regia insignia accipit, *ibid.* IX.
Cumani; religiosa in eos indicta militia, 1264. LI. A Bela Rege ad baptismi sacra coacti, *ibid.* Queritur apud Pontificem episcopus Olomucensis, Cumanos crescere ferocia, 1272. XII. Grassantur in Ungaria, 1273. XII. Ladislaus se eos repressurum pollicetur, 1279. XXXI. Cœptis resilit, *ibid.* XXXIV. Minaces ad ipsum eo argumento literæ, *ibid.* XXXV.
Cyprus; quatuor in Cypro episcopales sedes institutæ tam Latinorum, quam Græcorum, 1260. XL. Latini episcopi in Græcos præpollent auctoritate, *ibid.* XL. XLI. *Vide*, Hugo & Henricus.

# D

Dæmones; objecta ab iis chorearum spectra, 1258. XIV. Dæmon Amasiæ specie adolescentem arreptum laniat, 1260. XVI. Immolari sibi Christianos ab infidelibus exigit, 1261. III. Monachi specie feminæ suadet, ut filium aquis mergat, 1265. LIX. Responso ancipiti Provenzanum Senensium ducem trahit in exitium, 1269. III. Variis lodibriis Paulum episcopum Cracoviensem conjicere in desperationem nituntur, 1273. XIII. Dein in nimiam confidentiam, *ibid.* Antequam scelestus homo animam exhalet, torqueri a dæmonibus permittitur, 1276. L. Ædificium in quo habitabat Joannes XXI. evertisse creditus dæmon ob mira nonnullorum visa, 1277. XIX.
Dani & Dania; episcopi illi pro dignitate ecclesiastica tuenda severas edunt leges, 1257. XXIX. Una cum Norvvegiæ episcopis bellum inter Danos & Norwegos sopiunt, *ibid.* XXXI. Dani Suecia pulsi, 1284. XXIV.
Danicum concilium ad tuendam dignitatem ecclesiasticam coactum, 1257. XXIX. A Pontifice confirmatum, *ibid.* XXX.
Daniel Russiæ Rex a fide desciscit, 1257. XXVI. Alexandri IV. pro eo ad pietatem revocando literæ, *ibid.* XXVI.
Desperatio; ut illam dæmon suaserit Agneti mo-



moniali, 1265. LIX. Et Paulo episcopo Cracoviensi, 1275. XIII. Desperantis de divina misericordia, quam spreverat, triste exemplum, 1276. L.
Detractio vitanda, 1270. XV.
Diensis episcopatus cum Valentino conjunctus, 1275. XXXV.
Dignitates fugere. *Vide*, Honores fugere.
Dionysius Lusitaniæ Rex Alfonso III. patri succedit, 1279. XXIX. A patre onus ei imponitur, ut ecclesiarum injurias sarciat, *ibid.* Sibi thoro jungit S. Elisabetham Petri Regis Aragonum filiam, 1282. XXXV. Ob violatum jus ecclesiasticum devinctus anathemate, 1284. XXVI. Concordiam cum Lusitano clero tractat, *ibid.* Nonnullas æquitati consonas leges detrectat, *ibid.* XXVIII. Quæ forma ad pacem cum ecclesia sanciendam ipsi præscripta, *ibid.* XXIX.
Doctrina; vitæ probitate destituta venenum immedicabile a Nicolai III. prædicatur, 1280. XXVI. Ob id viri pii potius quam docti ab ipso promoti, 1280. XXVII.
Dolus militaris; parta dolo a Palæologi ducibus insignis victoria de Ætoliæ despota & Latinis, 1260. LII.
Dominicani. *Vide*, Religiosi mendicantes.
Docucascoron Tartarorum Regina templa Mahometis evertit, 1258. XLII.
Duellum indictum inter Carolum & Petrum Reges, 1283. VI. Imprudenter illud admittit Carolus, *ibid.* Frustra Pontif. a suscepto eum consilio abducere conatur, *ibid.* VI. *& seqq. Vide*, Hastiludia.

# E

Edmundus sive Edmundus Henrici Regis Anglorum secundus natu filius utiliores sibi conditiones a Manfredo reposcit, 1257. XXXVIII. Expeditio Sicula ab eo suscipienda ad annum extracta, *ibid.* XL. Appulo cultu indutus a patre ante Anglos magnates producitur, *ibid.* XLII. Una cum Eduardo fratre post datam barbaro pacem Tunetum appellit, 1270. XXIII. Syriæ res ab extremo exitio vindicat, *ibid.* XXV. Gregorius X. Anglos præsules solicitat, ut ipsi æs subsidiarium mittant, 1272. LXIII.
S. Edmundus; ejus soror miraculis clara, 1257. XXVII.
Ecclesia. *Vide*, Romana ecclesia.
Ecclesiam persequi, & Ecclesiæ persecutores; magno cum discrimine oppugnata, 1268. I. Egregia Francorum sententia: Melius volo pati, quam inter me & ecclesiam scandalum suscitari, 1270. XVI. *Vide*, in Ezelino, & Manfredo, item Fidei persecutores.
Ecclesiæ libertas, & immunitas. *Vide*, Libertas. Immunitas.
Ecclesiæ bona; ea Pontifex adversus Regem Scot. tuetur, 1266. XIV. Prava ibi consuetudo, ut Reges vacantium ecclesiarum vectigalia in suum commodum derivarent, *ibid.* Suos ecclesiæ opibus ditari abnuit Martinus IV. 1281. III. Exigenda de sacrarum opum administratione ratio, concil. Buden. n. XXXIV. De non mutuandis ecclesiæ pecuniis, *ibid.* Interdicta rerum ecclesiasticis alienatio, *ibid.* XXXV. A laicis non occupandæ, *ibid.* XLV. Non oppignerandæ, nec distrahendæ, *ibid.* XXX. Non quovis colore alienandæ, *ibid.* XLVI. Sacrarum opum invasores ad eas restituendas postulati, *ibid.* XLVIII. Censuræ iis objectæ, *ibid.*
Ecclesiastici; graves Olomucensis episc. querelæ de iis, qui indigne munus obeunt, 1277. XIV. Spectanda magis pietas quam doctrina in ipsis ad honores evehendis, 1280. XXVII. Eorum corporis cultus qualis esse debeat, concil. Buden. n. III. IV. Annulorum usus præsulibus tantum permissus, *ibid.* V. Vetitum ecclesiasticis popinas adire, *ibid.* VI. Rei militari non implicandi, *ibid.* VIII. Non ferenda ab iis capitis sententia, *ibid.* IX. Arma non circumferenda, *ibid.* XI. Vetita mulierum cohabitatio, *ibid.* XII. De eorum residentia, *ibid.* XVII. Non ineunda ab iis conspiratorum societas, *ibid.* XVIII. Ecclesiastici judicum tribunalia adire vetiti, *ibid.* XXV. A ludis abstineant, *ibid.* XXVII. Peregrinationem inconsulto præsule obire non debent, *ibid.* XXXI.
Ecclesiastici honores potius viris piis, quam doctis conferendi; & cur, 1280. XXVII. *Vide*, Honores.
Eclipsis solis insignis sub mortem Theodori Imperatoris, 1259. LIV.
S. Eduardus; ejus reliquiarum translatio, 1268. XLIX. Patrata ad illius preces a Deo miracula, *ibid.* Henricus Rex feretrum ex auro illi donat, *ibid.*
Eduardus Rex nondum inito regno Londinenses incaute insectatur, patrem patruumque hosti exponit, 1264. XXXIII. Redintegrat prælium & invitus cedere cogitur, *ibid.* Se dat obsidem pro parente, 1261. LXXI. Egregia arte e custodia Simonis perduellis evolat, *ibid.* Illius filium profligat, *ibid.* LXXII. Simonem necat in acie, *ibid.* Patrem restituit regno & libertati, *ibid.* Londinum ad officium cogit, 1267. XXXIV. A S. Ludovico ad sacram in Saracenos militiam abducitur, 1269. V. Vasconiam pro accepta mutua pecunia oppignerat, *ibid.* Data Tunetano Regi pace, ad portum Tunetanum appellit, 1270. XXIII. Pacis leges damnat, *ibid.* Regibus crucesignatis in occidentem redeuntibus, iter in Syriam prosequitur, *ibid.* XXIV. Secunda navigatione utitur, dum alii, qui redeunt, acerbissima procella jactantur, *ibid.* XXIV. Ptolemaidem ab extremo exitio vindicat, *ibid.* XXV. Data illi a Gregorio X. ea de causa elogia, *ibid.* Animadvertit in Christianos perversos ferentes hosti auxilia, *ibid.* XXVI. Inutilem expeditionem movet in Saracenos, & cur, 1272. XX. Solicitatur a Gregorio, ut animos in hostem colligat, 1272. II. Henrico patri in regno succedit, *ibid.* LXIII. Solicitati Angli præsules, ut ipsi in Syriam æs subsidiarium mittant, *ibid.* Proditione ab Assasino sauciatur, *ibid.* LXV. Redit in occidentem, excipiturque honorifice a Carolo, *ibid.* Erepto ex insidiis & naufragio gratulatur Gregorius, *ibid.* LXV. Ab eodem Pontifice Viterbii magna pompa excipitur, *ibid.* LXVI. Cædem Henrici patruelis vindicari postulat, *ibid.* Henricum Londinensem pristinæ sedi a Gregorio restitui obtinet, *ibid.* LXVII. A clementia Regnum auspicatur, *ibid.* Consolatorias de patris Henrici morte ad illum dat Gregorius, 1273. XXI. A Gregorio vindictam de Henrici morte iterum poscit, *ibid.* XXII. Intermissum octennio censum solvit Nicolao III. 1277. LII. 1278. XL. Illius preces de commutando eo censu, a nonnullis monasteriis pendendo in posterum, repudiatæ, *ibid.* Vigintiquinque millia marcharum Eduardo promissa ad apparatum expeditionis Asiaticæ instruendum, *ibidem.* LXXXII. Leolinum Walliæ principem re-

bellantem vincit, 1282. XXXIII. Inanibus fidentem oraculis capite truncari jubet, & hedera coronari, *ibid.* Walliam subigit, *ibid.* Illius affinitas ab Aragonum Rege, pontificia sententia exauctorato, exambita, 1283. XXXVI. A Martino IV. ab ea jungenda deterritus, *ibid.* Asiaticæ expeditionis consilia abiicit, *ibid.* LXII. Ad ea perducenda solicitatur a Martino, *ibid.* Corripitur, manus in sacras decimas injecisse, *ibid.* LXVII. Exactus ab eo census a Martino, 1284. XXVI. Gratulatur illi Pontifex, sacro bello se addixisse, *ibid.* XXXIII. Quæ subsidia pro conficienda expeditione flagitarit, quæve sint illi responsa, *ibid.* XXXV. Obtinet ab Honorio IV. expeditionis Asiaticæ prorogationem, 1285. LXXIX. Decimas Scotiæ poscit, *ibid.* LXXX. Ob jus ecclesiasticum violatum corripitur, *ibid.*

Electores principes; eorum diploma jura Romanæ ecclesiæ confirmantium, 1275. XLI. 1279. VI.

Eleemosina; Walterus sanctitate illustris sacras opes in pauperes distrahit, 1257. XXXVII. Quam grata sit Deo in pauperes liberalitas, miraculo ostenditur, 1262. XXVII. Panes divinitus multiplicati, dum S. Richardus episc. Cicestrensis pauperes pascit, 1262. XXVI. Multiplicatum frumentum in horreo Ultrici episc. Racemburgensis, dum illud pauperibus dispertitur, *ibid.* XXVII. S. Hedwiges monasterium ingressa voto paupertatis se obligare abnuit, ut egenis subveniat, 1267. XLIV. Ut misericordiam exerceat monet filium Ludovicus, 1270. XV. De Henrici Regis Angliæ eleemosynis, 1272. LXII. Ut eam ob causam e multis periculis sit ereptus, *ibid.* Gregorius X. in eleemosynas effusus, 1274. LXII. B. Philippus Benitius, data nudo leproso veste, illum mundat, 1285. LXXXII.

Elena. *Vide*, Helena.

Elias. *Vide*, Helias.

S. Elisabet Dionysio Regi Lusitaniæ nubit, 1282. XXXV.

Elphus sive Ersy tyrannus Bendocdaris filio cæso, Ægypti & Babylonis sceptra corripit, 1277. XVIII.

Engelbertus archiep. Coloniensis sacris pontificalibus initiatus ab Urbano IV. 1264. XL. A perduellibus conjectus in vincula, *ibid.* Extortis injustis sacramentis redditus libertati, *ibid.* Juramenti præstiti religione exolvitur, *ibid.* In sacrilegos, qui interdictum violarunt, jubetur animadvertere, *ibid.*

Entius tyrannus Sardiniæ, Friderici II. Imp. filius in carcere Bononiensi moritur, 1272. XXXII.

Episcopales sedes excitatæ Gadibus a Clemente IV. 1266. XXXIV. Et Soriæ, 1267. XXXII.

Episcopatus conjuncti S. Mariæ & Segobricensis ab Alexandro IV. 1259. XVIII. Diensis & Valentinus a Gregorio X. 1275. XXXV.

Episcopi; episcoporum Daniæ pro tuenda libertate ecclesiastica zelus, 1257. XXIX. Latæ ab iis leges, *ibid.* XXX. Eorumdem & Norwegiæ episcoporum studia pro extinguendo Danos inter & Norwegos bello, *ibid.* Ad sedem Apostolicam adeundam obstricti episcopi, 1257. I. Renovata eadem lex, *ibid.* Ad disciplinam ecclesiasticam instaurandam gravissimis literis exsuscitati, 1259. XXI. Pontifices in capite, Reges in humero inungendi, 1260. XVIII. Episcopi duo qua ratione in eadem diœcesi Latinis & Græcis præesse jussi sint, 1260. XL. Indocti exauctorati Urbani IV. jussu, 1264. XXIX. Desiderata in iis morum sanctitas, *ibid.* Notati vitiis in judicium vocati a Clemente IV. 1266. XXXVIII. Respondet idem Pontifex Belæ Regi Ungariæ, servitutis notam episcopalem dignitatem non obscurare, sed ab ea aboleri, *ibid.* XXXIX. De episcoporum tonsura, conc. Bud. n. II. Et corporis cultu, *ibid.* III. E familiis religiosis exciti pristinum cultum servare jussi, *ibid.* VII. De lustranda ab episcopis diœcesi, *ibid.* XV. Non trahendo ab ipsis ampliori comitatu, *ibid. Vide*, Præsules.

Erardus Valeriacus dux insignis, 1268. XXX. Ejus arte parta a Carolo Siciliæ Rege victoria, *ibid.*

Ericus Daniæ Rex puer Christophoro in regno succedit, 1259. LII. Civili bello implicitus, 1265. LI. Guido Cardinalis legatus ad illud sopiendum missus, *ibid.* Jus ecclesiasticum infringit, *ibid.* LII. Corripitur a Pontifice, *ibid.* Imperiis illius morem gerit, *ibid.* LVII. Ad restituendum regno Sueco Waldemarum in Magnum bellum gerit, 1277. LXIII. Westgothiam evastat, 1284. XXIV. Effugiis & mora a Magno fractus in Daniam revertitur, *ibid.* Fœdus cum Magno init & filiam Birgero Magni filio despondet, *ibid.*

Eucharistia; insigne de Eucharistia in Urbevetano agro editum miraculum, 1264. XXVI. Sacramentales vini species in sanguinem versæ, *ibid.* Illius miraculi occasione instituta ab Urbano IV. corporis Christi celebritas, *ibid.* XXVII. Antea prædicta S. Julianæ, *ibid.* XXVIII. A Roberto episcopo Leodiensi primum indicta in sua diœcesi, *ibid.* Ut deinde per universum orbem sit propagata, *ibid.* Narbonensis archiepiscopus increpitus a Clemente IV. de sacramento hoc male sentire, 1267. XXXV. Apologiam scribit, in qua illius veritatem fatetur, *ibid.* XXXVI. Thidericus Bavarus plures errores contra Eucharistiam spargit, *ibid.* XXXIX. Jubetur reprimi a Bremensi archiepisc. *ibid.* Dum S. Bonaventura se indignum sacræ Eucharistiæ excipiendæ gratia pie arbitratur, divinitus in illius os sacra particula illapsa est, 1274. XXVIII. S. Thomas Aquinas moriturus magno pietatis sensu illius veritatem profitetur, *ibid.* Transubstantiatio tam in azymo quam fermentato a Clemente IV. inter fidei capita proposita Imperatori Græcorum, 1267. LXXVII. A. Græcis admissa, 1274. XXX. Joannes Beccus patriarcha una cum Synodo Constantinopolitana transubstantiationem profitetur, 1277. XXXVII.

Eugubini & Eugubium; comitatus Eugubinus ad triennium Perusinis attributus, 1258. VI.

Exarchatus Ravennæ ad Romanam ecclesiam spectare pluribus diplomatibus demonstratur, 1278. LI. *& seqq.* 1279. I. *& seqq.*

Ezelinus tyrannus pontificios vexat, 1258. I. Anathemate ab Alexandro IV. cum fratre percussus, *ibid.* II. Illius mancipia libertate donata, *ibid.* Deletæ copiæ a Marchione Atestino, *ibid.* III. Astrologiæ judiciariæ deditus, *ibid.* Legatum Apostolicum fundit capitque, *ibid.* IV. Brixiam sibi subiicit, *ibid.* Victoriæ socios ex ea pellit, 1259. I. Hi in ipsum conjurant, *ibid.* Funditur ab hostibus & capitur, *ibid.* II. Impia ejusdem mors, *ibid.* Ut ab astrologis fuerit delusus, *ibid.* Sævi ejus mores *ibid.* III.

Fa-



# F

Fames dira in Germania, 1270. XXXII. Prænuntiata a B. Christina, *ibid.*

Felicitas humana; fallaces exitus in Petro Brocia, 1278. XXXIII. In Conradino, 1268. XXXIV. *Vide*, Vanitas rerum humanarum.

Ferdinandus Alfonsi X. Regis Castellæ major natu filius relictis liberis moritur, 1275. XVI. Sanctius frater secundus natu regnum nepotibus præripit, *ibid.* Orta inde bella, *ibid.*

Festa; S. Januarii festus dies translatus, 1268. XLIX. Ad lætitiam diei festæ S. Quintini quid concesserit Francis Clemens IV. *ibid.* Piæ S. Ludovici curæ in festis magna pompa celebrandis, 1270 XX.

Fides Christiana; Goleasii & Polexici ad fidem traducti, 1257. XXIII. Sexcenti & amplius Christiani pro fide cæsi, 1266. XLI. Eorum corpora noctu cœlesti luce collustrata, *ibid.* Saraceni in Sicilia ad fidem adducti, 1269. I. Fidei orthodoxæ forma proposita a Clemente IV. Palæologo, 1267. LXXIV. Ab eo nuncupata professio, 1274. XIV. In causa fidei Reges, etsi sanctissimi, judices esse non possunt, 1270. III. Michaelis & Andronici iterum fidem catholicam profitentium literæ, 1277 XXVII. XXX. Christianam fidem Quobley Cham Tartarorum supremus Imperator suscipit, 1278. XX. Fides inter Cumanos & Scythas propagata, *ibid.* XXII. Pro ea defendenda proceres & præsules arma conjuncturos in Ladislaum Regem significat ipsi Pontifex, 1279. XXXIX. Duo cruciferi pro fide a Lituanis exusti visi sunt in cœlum recipi, *ib.* XLII. Fidei orthodoxæ forma a patriarcha & concilii Constantinopolitani patribus nuncupata, 1277. XXXVI. Joannes Beccus patriarcha Constantinopolitanus ob fidem professam carceri traditus, 1284. XLVIII.

Fidei persecutores divina ultione oppressi; exemplum in Bendocdare sultano, 1277. XVIII. In Tangodomore Rege Tartarorum, 1284. XXXI.

Fidei sacramentum; Rodulphus eo se obligat Gregorio X. 1275. XXXVI.

Flagellantium secta e piis orta principiis, 1260. VI. Exhibita ab iis plura virtutum exempla, *ibid.* VII. Latius hæc secta diffunditur, *ibid.* VIII. Qua de causa obsoleverit, *ibid.* VIII. IX. Inficitur hæresi, *ibid.* X. Reprimitur in Polonia, & extinguitur, *ibid.* XI. Repullulat sub Clemente VI. ab eoque dissolvitur, *ibid.*

Flere; lacrymas pie fundere optabat S. Ludovicus Rex, 1270. XX.

Flisco familia Innocentii IV. & Adriani V. pontificatu conspicua, 1276. XXVI.

Florentia & Florentini; a Senensibus & Manfredianis profligati, 1260. III. Manfredo se subiiciunt, *ibid.* Ab Urbano IV. multati ob defensas Manfredi partes, *ibid.* LXXII. Ad ecclesiæ obsequium redeunt, 1266. XXII. Contrarias horum factiones in concordiam redigere nititur Gregorius X. 1273. XXVII. XXVIII. Caroli præfectus pacem disturbat, *ibid.* XXX. Florentia sacris ob id a Gregorio interdicta, *ibid.*

Folcho archiep. Upsalensis Magnum Suedica corona insignit, 1277. LXIII.

Folquinus canonicus Narbonensis ad Lusitaniæ discordias sedandas inter Regem ac præsules missus, 1268. XL. Quam sacramenti formam ab Rege exegerit, *ibid.* XLI.

Fortitudo. *Vide*, Constantia.

Franciscani. *Vide*, Minoritæ.

S. Franciscus. *Vide*, Stigmata.

S. Franciscus Nicolao III. puero Pontificatum prædixit, 1277. LVII. Inepte comparans cum eo S. Petrum martyrem coercitus, *ibid.*

Francorum Reges; egregium de eo regno Urbani IV. elogium, 1262. XLVI. Exponit Clem. IV. Franciam sedis Apost. asylum esse, 1265. XXIV. *Vide*, S. Ludovicus. Philippus S. Lud. filius. Philippus S. Ludovici nepos.

Fredulus Apost. sedis nuntius ad Alfonsum Regem Castellæ missus, ut ipsum ad Imperio affectando abduceret, 1274. L. LI.

Fridericus II. ut Siciliæ juribus exutus fuerit, 1282. XIII. Impostor in Germania se pro Friderico II. gerit, 1284. XXI. Extremo affectus supplicio, *ibid.* Fridericus II. extorsionum quæ Siculos conjecere in rebellionem contra Gallos, primus auctor, 1285. XXX.

Fridericus Austriæ dux vacuum sine re ducis nomen gerit, 1267. III. Ejus custodiæ commissus Conradinus, *ibid.* Capitur una cum Conradino, 1268. XXXIV. Carnificis manu perit, *ibid.* XXXV.

Fridericus Regis Castellæ frater Saracenorum moribus inquinatus, 1267. XIV. Siciliam in Carolum commovet, 1268. II.

S. Fridolinus; illius reliquiæ imminentem cladem strepitu ingenti portendunt, 1272. LVI.

Furconensis sedes Aquilam translata ab Alexandro IV. 1257. XLVI.

# G

Gades; Alfonsus Rex sepulcrum in ea insula deligit; & cur, 1263. LXII. Episcopalem sedem e Sydone eo transferri a Clemente IV. postulat, 1266. XXXIV. 1267. XXXII.

Gallia. *Vide*, Francorum Reges.

Galata. *Vide*, Pera.

Gamelinus S. Andreæ episc. e sua sede pulsus, 1257. XXXII. Divina in Alexandrum Scot. Regem ultio, *ibid.*

Gaufridus e Bello loco ord. Prædicator. qui S. Ludovico a confessionibus fuerat Gregorii jussu vitam S. Ludovici conscribit, 1272. LIX.

Genuenses ad leges pontificias sancitas in hæreticos admittendas adacti, 1258. XXVIII. Bellum cum Pisanis gerunt in Sardinia, *ibid.* XXIX. Pontifex pacis arbiter constitutus, *ibid.* In oriente rixantur cum iisdem & Venetis, *ibid.* XXXII. Magna clade deleti, *ibid.* XXXIX. Pulsi Ptolæmaide, *ibid.* Peram a Palæologo obtinent, 1261. XXXV. Id præmium fuit sceleris navatæ Græcis ad Constantinopolim intercipiendam operæ, *ibid.* Eorum discordiæ cum Venetis Terræ sanctæ exitiales, 1262. XVI. Et imperio Constantinopolitano, *ibid.* XVII. Intentata ipsis archiepiscopalis dignitatis privatione a Schismaticorum fœdere resiliant, *ibid.* XVIII. Cum Manfredo sentiunt, 1266. XXIII. Venetorum odio schismaticis favent, 1263. VII. Anathemate percussi, *ibid.* XVIII. Solicitati a Pontifice, ut vires maritimas conjungant cum S. Ludovico, 1268. LI. Redigi in concordiam cum Venetis non possunt, *ibid.* Correpti a Gregorio X. ob illatas Saracenis merces vetitas, 1272. XII. Redacti in concordiam

cum Venetis, *ibid.* XLV. De Corsica cum Pisanis exercent dissidia, 1283. LIII.
Georgius logotheta preces in solemni Palæologi in Constantinopolim ingressu fundendas componit, 1261. XXX. Palæologi Imperatoris renunciatus orator sacramento fidem obligat in concilio Lugdunensi, Palæologum in fide orthodoxa perstiturum, 1274. XVIII.
Georgius Cyprius Gregorii nomen accipit, 1284. XLIV. Impietate ad patriarchatum Constantinopolitanum irrepit, *ibid.* Joann. Becci patriarchæ justæ querelæ, *ibid.* Arcano Dei judicio sede per nefas adepta cedere cogitur, *ibid.* LIII.
Georgius Methochita archidiac. Constantinopolitanus fidem tuetur contra pseudosynodum Græcorum, 1284. XLVI. Traditus carceri, *ibid.* XLVIII. Librum edit de causis, ob quas Græci se a conjunctione Romanæ ecclesiæ divulserunt, *ibid.* Primatum Romani Pontificis demonstrat, *ibid.* Et processionem Spiritus sancti a Patre Filioque, *ibid.*
Gerardus Card. basilicæ XII. Apost. postea episc. Sabinensis aliis nuntiis adjunctus a Nicolao III. pro tractando inter Castellæ & Franciæ Reges fœdere, 1278. XXIV. 1280. XIV. Missus a Martino IV. ad Siculos ad Caroli obsequium redigendos, 1282. XX. Messanenses adducit ad officium certis legibus, quæ inconsulte a Carolo repudiatæ, *ibid.* XXII. Jubetur tradere Carolo arces ditionis pontificiæ in Calabria constitutas, *ibid.* XXVII. Ut Messinenses, quos ad ecclesiæ traxerat obsequium, a Petro Aragonio ad rebellionem fuerint revocati, 1283. XIX. Sacrum bellum in Siculos promulgare jussus, 1284. II. Una cum Roberto Atrebatensi comite Siculi regni procurator institutus, 1285. VI. Jubetur Henricum Hispanum, olim senatorem, censuris exolvere, *ibid.* XX.
Geremienses, pugna cum Lambertatiis commissa, Bononiam turbant, 1280. VII. Latinus Card. ad eos pacandos missus a Nicolao III. *ibid.*
Germanus a Palæologo intrusus Patriarchatui Constantinopolitano, 1261. XXXIII. Adversatur redintegrandæ ecclesiarum conjunctioni, 1274. XV. Contendit se Romano Pontifici præferendum, *ibid.* XVI. Arguitur a synodo, *ibid.* Compellitur in monasterium, gradu deturbandus, ni resipuerit, *ibid.* XVII.
SS. Gervasius & Protasius victoriam Polonis contra Ruthenos contulisse existimati, 1266. XL.
Gerunda expugnata a Philippo Francorum Rege, 1285. XXVI.
Gibellini & Guelphi Florentini conciliati a Gregorio X. 1273. XXVII. XXVIII. Abrupta inter eos pax, *ibid.* XXX.
Gilbertus Gloverniæ comes Londinum proditione occupat, 1267. XXXIV. Octobonum legatum sedis Apost. in arce obsidet, *ibid.* Devinctus ab eo censuris, *ibid.* Ad pacem cogitur, *ibid.*
S. Gilia Sardiniæ arx obtenta a Genuensibus, 1258. XXIX. Obsessa a Pisanis, *ibid.*
Gingiscam alias Chingis, & Changius primus Tartarorum Imperator, 1285. LXXIX. E fabro ferrario ad eam dignitatem evectus, *ibid.* Prima ab eo imperia de Deo colendo data fuere, *ibid.*
Goleasii pagani ad fidem conversi, impie evastati a cruciferis, 1257. XXIII. Jactum in cruciferos anathema, *ibid.*
Gothicum regnum a Suedico divulsum, 1277. LXIII.
Gotifredus Rodulphi Regis Rom. orator contra jura Romanæ ecclesiæ temere tentata rescindit, 1278. LIII. Bononienses aliosque Æmilios in Pontificis fidem & potestatem venire jubet, *ibid.* LIV.
Græci; eorum in dissolvendis matrimoniis insignis improbitas, 1258. XLIII. Patriarchas pro libidine intrudunt, extruduntve, 1259. LVIII. Alexandri IV. decretum de quatuor Græcorum sedibus in Cypro, 1260. XXXIX XL. Sacramenti forma præstanda ab episcopis Græcis, *ibid.* XLII. Qua Latini episc. in Græcos auctoritate polleant, *ibid.* XLIV. XLV. XLVI. Græcus episc. ad Latini synodum vocandus, *ibid.* XLVII. Tristis catholicæ rei in Græcia status, 1263. XVII. Concordiam inter Græcos ac Latinos a Michaele Palæologo flagitata, *ibid.* XXIV. Responsum ei a Pontifice datum, *ibid.* XXV. Rom. ecclesiæ in illis ad conjunctionem adducendis desiderium, *ibid.* XXV. XXVIII. XXIX. Fatetur Palæologus Græcos patres Latinorum dogmatibus consentire, 1264. LVIII. LIX. Nicolaum episc. Crotonensem pro redintegranda ecclesiarum conjunctione mittit, *ibid.* LX. Gratulatur ei Urbanus IV. abolendi Græcorum schismatis consilia suscepisse, *ibid.* LXII. Apostolica ad rem perficiendam adhortatio, *ibid.* LXIV. Manca & erronea a Græcis edita fidei professio, 1267. LXXII. Proposita Græcis tenendæ fidei forma, 1267. LXXIV. Negat Clem. IV. convocandum concilium ad res in ea contentas discutiendas, *ib.* LXXIX. Suscepta a Græcis ea fide, tum ad confirmandam conjunctionem concilium celebratum iri, *ibid.* Patriarcham Græcorum solicitat Clemens, ut redintegrandæ ecclesiarum conjunctioni operam det, *ibid.* LXXX. Non disceptationi se offerunt, sed ostensam veritatem recipere paratos se esse dicunt, *ibid.* LXXXI. Græcorum ludificationes, 1270. II. De his certior factus a card nalium collegio S. Ludovicus, ut ab eorum artibus caveret, *ibid.* Demandata legato apostolico provincia, ut Græcos ecclesiæ conciliet, *ibid.* III. Decernunt Cardinales, ut Græci præscriptam ab Urbano & Clemente fidei professionem edant, *ibid.* IV. Proposita iis sacramenti præstandi forma, *ibid.* V. Quæ essent tum a Græcis ecclesiasticis exigenda, *ibid.* Quanta e Græcorum schismate mala secuta, 1272. XXI. Palæologum Imp. pro conjunctione perficienda ad concilium Lugdunense invitat Gregorius X. *ibid.* XXV. Studium suum pro admittendis in gremium Græci explicat, *ibid.* Adhortatio Gregorii ad Palæologum ut cœptam conjunctionem redintegret, *ibid.* XXVI. XXVII. Divinorum prius quam Imperii controversias conciliandas, *ibid.* XXVII. Gesta a Clemente IV. cum Græcis oratoribus, *ibid.* Propositum Græcis, post initam ecclesiarum conjunctionem concilium celebratum iri, *ibid.* Missi ad Græcos a Gregorio X. nuncii, *ibid.* XXVIII. Præscripta Græcis ratio, qua gremium Ecclesiæ sint repetituri, *ibid.* XXX. Patriarcha Constantinopolitanus ad concilium vocatus, *ibid.* Literæ Palæologi ad Gregorium, in quibus illius primatum agnoscit, 1273. XLIV. Respondet Pontifex, *ibid.* L. Pervagatam esse opinionem significat, Græcos dolo & ludificationibus conjunctionem ecclesiarum tractare, *ibid.* L. Græci ad concilium Lugdunense accedunt, 1274. XIV. Palæologus orthodoxam fidem profitetur, *ibid.* Controversiæ inter Græcos, *ibid.* XV. Potior antistitum Græcorum pars schisma damnat,



*ibid.* XV. Archiepiscoporum Græciæ literæ ad Gregorium, *ibid.* XVI. Forma sacramenti, qua damnatum est schisma a Græcis, *ibid.* XVIII. Palæologo significat Gregorius ipsum ingenti cum lætitia concilii fuisse Rom. ecclesiæ aggregatum, *ibid.* XIX. Palæologum solicitat Innocentius V. ut initam cum Romana ecclesia conjunctionem confirmet, *ibid.* XXIV. Palæologus primatum Rom. ecclesiæ profitetur, 1277. XXI. Gratulatur sibi de sublato schismate, *ibid.* Joannes Beccus catholicus in patriarchæ schismatici locum suffectus, *ibid.* XXIV. Pontificem ad initam conjunctionem firmandam solicitat, *ibid.* XXV. Confirmatur a Palæologo sacramentum ab ejus corpore nuncupatum in concilio Lugdunensi, *ibid.* XXVII. XXVIII. Andronicus ejus filius initam conjunctionem ratam habet, *ibid.* XXIX. XXX. Sua studia in schismate abolendo exponit, *ibid.* XXX. Quanto emolumento foret ea conjunctio, *ibid.* Execratur idem Andronicus schismaticos, qui ecclesiasticam conjunctionem dirimere sunt conati, *ibid.* XXXII. Solemnes episcopor. Græcorum conventus Constantinopoli habiti, *ibid.* XXXIV. In iis fides catholica constabilita, *ibid.* Synodales ad Pontificem literas scribunt, *ibid.* XXXIV. Pontifici obsequentes se fore profitentur, *ibid.* XXXV. Vetus schisma damnant, *ibid.* Datum a Christo Pontifici primatum agnoscunt, *ibid.* Suam de Deo trino & uno fidem exponunt, *ibid.* XXXVI. De verbo incarnato & de redemptionis nostræ mysterio, *ibid.* De processione Spiritus sancti ex Patre Filioque, *ibid.* XXXVII. Non duo sed unum Spiritus sancti esse principium, *ibid.* XXXVII. De baptismo, *ibid.* De pœnitentia, *ibid.* XXXVIII. De purgatorio, *ibid.* De septem sacramentis, *ibid.* XXXIX. De transubstantiatione in Eucharistia sive ex azymo, vel fermentato, *ibid.* Quæ præterea in Græcis desiderata, *ibid.* XXXIX. Nonnulli Græci in veteri schismate obfirmati, *ibid.* XL. Cujus conditionis ii extiterint, *ibid.* XL. XLI. Coacta adversus eos Constantinopoli synodus, *ibid.* XLII. Latum in eos a Joanne Becco & a nuntiis Apostolicæ sedis anathema, *ibid.* Nicolaus III. ad Palæologum &c. scribit, 1278. I. Nuncios mittit, *ibid.* Imperia pro firmanda ecclesiarum conjunctione nuntiis data, *ibid.* VII. Jussi Græci in symbolo addere, *Filioque*, *ibid.* VIII. Tolerandi ritus, quibus fidei puritas non contaminatur, *ibid.* Exactum ab iis, ut jurejurando primatum Romani Pontificis profiteantur, *ibid.* IX. Solicitati, ut censuris absolvi postulent, *ibid.* XI. Flagitent in susceptis muneribus confirmari, *ibid.* XII. Plures Græci a Palæologo ob ejus ad ecclesiam reditum deficiunt. *Vide*, Michael Palæologus. Conciliabulum a schismaticis coactum, 1278. XIII. Schismatici Deum tentantes illusi, 1284. XLIV. Pseudosynodum cogunt, *ibid.* Fidem damnant, quam in concilio Lugdunensi erant professi, *ibid.* XLVIII. Insana ambitio illorum, qui schisma renovarunt, *ibid.* XLV. Eorumdem protervia, *ibid.* Sumpta de ipsis divinitus ultio, *ibid.* Quantum fuerint meditati flagitium, *ibid.* XLVI.
Granatenses Saraceni in Castellam irrumpunt, 1258. XIV. Alfonsum ab Italica expeditione revocant, *ib.* Perdomiti, 1266. XXXIV. 1267. XXXI.
Gratiarum actio; monet filium S. Ludovicus Rex, ut de acceptis beneficiis gratias agat, 1270. XV. XVII.
Gregorius Papa IX. Regis Ungar. de ipso querelæ, 1259. XXXIV. Excusatur Gregorius ab Alexandro IV. *ibid.* XXXV.
Gregorius X. ante pontificatum dictus Thealdus archidiaconus Leodiensis, ex compromissi forma renuntiatur Pontifex, 1271. XI. XII. Facta de eo eligendo Card. episcopi Portuensis oratio, *ibid.* De ejus patria & primordiis, *ibid.* XIII. XIV. Cardinalium ad illum de ipso renuntiato Pontifice literæ, *ibid.* XV. XVI. Aliæ notarii apostolici eadem de re, *ibid.* XVII. Syris auxilia pollicetur, *ibid.* XX. Confirmat pactiones fœderis inter Ungariæ & Boemiæ Reges, *ibid.* Viterbium se confert, 1272. I. II. Instaurandis Syriacis rebus dat operam, *ibid.* Regem Francorum, ut submittat prompta auxilia, solicitat, *ibid.* IV. Duodecim triremes comparat, *ibid.* S. Ludovici zelum effert, *ibid.* V. Pro contrahendo ære mutuo ad conficienda auxilia Templariorum bona pignori subiicit, *ibid.* Viginti quinque millia marcharum mutuo illi a Philippo Franc Rege data, *ibid.* VI. Ejusdem Regis consilium ducendæ in Syriam expeditionis collaudat, *ibid.* VII. Suadet, ut illud differat, *ibid.* VIII. Romæ thiaram pontificiam accipit, *ibid.* IX. De promotione sua fideles certiores facit, *ibid.* Percellit censuris merces Saracenis inferentes, *ibid.* XII. Flagitii magnitudinem pluribus exponit in literis ad Genuenses, *ibid.* Saracenorum pueris non parcentium crudelitatem exponit, *ibid.* XIV. Thomam archiep. Cusentinum ad sedem Hierosolymitanam transfert, *ibid.* XVII. Acconensis ecclesiæ administrationem illi permittit, *ibid.* Legatum in Asia ipsum creat, *ibid.* Jubet Christianos a peccatis carnis deterrere, *ibid.* Objurgat acceptas pro contrahendis subsidiis pecunias male collocare, *ibid.* Declarat Mariæ juribus in regnum Hierosolymitanum non detractum, quamvis Cyprio Regi is titulus datus fuerit, 1272. XVIII. Nazareno archiepis. de utriusque juribus cognoscendi provinciam committit, *ibid.* XIX. XX. De cogendo concilio encyclicas literas scribit, *ibid.* XXI Celebrandi illius causas exponit, *ibid.* XXII. Decernit, ut nonnulli episcopi in provinciis ad munus obeundum hæreant, *ibid.* XXIV. Reges ad synodum invitat, *ibid.* XXV. Item Palæologum pro conjunctione perficienda, *ibid.* Significat prius fidei causam, quam pacis absolvendam, *ibid.* XXVIII. Abolendi Græcorum schismatis zelum explicat, *ibid.* XXIX. Patriarcham Constantinop. ad concilium vocat, *ibid.* XXX. Queritur apud ducem Venetorum, cum Palæologo eum inconsulta sede Apost. de pace tractare, *ibid.* XXXI. A Rege Castellæ de corona illi tradenda solicitatur, *ibid.* XXXII. Respondet, non vocatis principibus electoribus rem definiri non posse, *ibid.* XXXIV. Nullum jus ex Richardi obitu illi accessisse, *ibid.* XXXV. Proponit an velit jus probare, an eo cedere, *ibid.* Admitti flagitantem sine probationibus injustitiæ arguit, *ibid.* XXXVI. Carolo paciarii munus abrogari non posse, *ibid.* XXXVII. Censuras in submissas ab Alfonso in Insubriam copias distringit, *ibid.* XXXIX. Ad eas reprimendas legationem decernit, *ibid.* Inducias inter dissentientes urbes indicit *ibid.* XLI. Mediolanenses ad opem ferendam Placentinis excitat, *ibid.* XLII. Bononienses cum Venetis conciliare studet, *ibid.* XLIV. Itemque Venetos cum Genuensibus *ibid.* XLV. Ejus opera uterque populus

ius in concordiam redactus, *ibid.* Gibellinos Etruriæ ad officium revocare nititur, *ibid.* XLVI. Partem Siculi census ad Cardinales non dirivandam contestatur, *ib.* Navat operam, ut controversia de comitatu provinciæ inter Margaritam & Beatricem Reginas sopiatur, *ibid.* XLVII. Othacherum pacem cum Ungaris abrumpere vetat, *ibid.* XLIX. L. Ladislaum regnum ineuntem, præceptis optimis informare studet, *ibid.* LI. Item Philippum Franc. Regem, *ibid.* LVII. Gaufrido e Belloloco conscribendæ S. Ludovici vitæ provinciam imponit, *ibid.* LIX. Solicitat Anglicanos præsules, ut Eduardo Regi subsidiarium æs in Syria submittant, *ibid.* LXIII. Redeuntem in Italiam humanissime excipit, *ibid.* LXVI. LXVII. Præsules optimos præfecit ecclesiis, *ibidem.* LXVIII. S. Bonaventuram & Petrum e Tarantasia Cardinales creat, *ibid.* Eundem Petrum Lugdunensi ecclesiæ præficit, *ibid.* Concilium Lugdunense indicit, 1273. I. Celebrandi illius in Italia, vel extra Italiam rationes inter se confert, *ibid.* Alfonsum Castellæ Regem ad concilium invitat, *ibid.* IV. Et Philippum Franc. Regem, *ibid.* Item Armenos, *ibid.* V. Item Græcos & Tartaros, *ibid.* Injungit provinciam præsulibus, ut quæ censura egent in scripta redigant, 1273. VI. Olomucensis episcopi literæ ad eum de proponendis in concilio, *ibid.* VII. Consulitur Gregorio, creandum Imperatorem Asiaticæ expeditionis ducem, *ibid.* X. Carolum solicitat, ut inter Othacherum & generum Ladislaum Ungariæ Regem pacem componat, *ibid.* XII. Consolatorias ad Eduardum Anglici sceptri successorem de Henrici morte dat, *ibid.* XXI. De vindicta a Guidone e Monteforti sumenda solicitatus, pœnas in eum statuit, *ibid.* XXII. XXIII. Censuras in veteres ecclesiæ hostes distringit, *ibid.* XXIV. Controversiam inter Lugdunensem clerum civesque componere conatur, *ibid.* Alfonsum Regem Lusitaniæ ecclesiasticam libertatem opprimentem coercet, *ibid.* XXVI. Urbevetere Florentiam petit, *ibid.* XXVII. Gibellinos ac Guelphos redigere in concordiam studet, *ibid.* XXVIII. Abruptam a Caroli præfecto redintegrare nititur, *ibid.* XXX. Carolum ad id solicitat, *ibid.* Utque Genuenses inter se conciliet, *ibid.* XXXI.

Gregorius X. Pisanos ad Ecclesiæ gratiam revocat, 1273. XXXII. Conciliandis inter se Insubribus operam navat, *ibid.* XXXV. Ad submittenda in Syriam auxilia incumbit, *ibid.* Hugonem Regem Cypri & Hierusalem proximi auxilii spe confirmat, *ibid* VIII. Gratulatur Othachero Regi Boemiæ expeditioni Asiaticæ se devovisse, *ibid.* XXXVII. Significanti Alfonso, magnis de rebus cum ipso colloquium inire velle, ob concilii imminens tempus se excusat, *ibid. & seq.* Rogat Eduardum, ut regiæ inunctionis pompam, ne Anglia concilio adeundo retardentur, extrahat, *ibid.* XL. Ut se gesserit cum Guidone e Monteforti pœnitente significat, *ibid.* XLI. *& seq.* Subeuntem sponte carceris squalorem absolvi censuris jubet, *ibid.* XLIII. Palæologus Gregorii gratiam exambit, *ibid.* XLIV. Paratissimum ad omnia ejus imperia se offert, *ibid.* XLVII. Spondet ad perficiendam conjunctionem oratores missum iri, *ibid.* XLIX. Palæologi oratoribus tutum & liberum commeatum Gregorius comparat, *ibid.* L. Illum ad cæptorum constantiam confirmat, *ibid.*

Gregorius X. Venusinum comitatum a Philippo Rege Francorum obtinet, 1273. LI. Gratias illi agit, *ibid.* Quo ritu Lugdunense concilium inchoarit, 1274. II. Plures constitutiones pro sancienda ecclesiastica disciplina fert, 1274. IV. Alfonsi Regis Castellæ, imperiale diadema deposcentis, oratores dimittit, *ibid.* V. Rodulphi vero ad jura Ecclesiæ Romanæ regio nomine confirmanda admittit, *ibid. & seq.* Græcos ad obsequium ecclesiæ Rom. redeuntes excipit, *ibid.* XIII. Palæologi ad ipsum ea de re literæ, *ibid.* XIV. Et prælatorum, *ibid.* XVI. Gratulatur Palæologo reditum ad Rom. Ecclesiæ sinum, 1274. XIX. Et Andronico, *ibid.* XX. Et præsulibus, *ibid.* Abbatem Cassinensem pro concilianda Carolum & Philippum fœderatos inter ac Palæogum pace oratorem mittit, *ibid.* Abaghæ Regis Tartarorum in Perside oratorem, acturum de bello sacro in Sarracenos, excipit, *ibid.* XXI. Baptismo initiandum curat, *ibid.* XXII.

Gregorius X. Abagham ad Christi cultum allicere nititur, 1274. XXIII. De includendis conclavi ad creandum Pontificem Cardinalibus sanctionem edit, *ibid.* XXIV. Latæ ab eo in ea re leges, *ibid.* XXVIII. S. Bonaventuram conjunctissimum habuit, ac pro eo defuncto plurimas preces fundendas curavit, *ibid.* XXIX. S. Thomam ad concilium Lugdunense excivit, ut ejus opera uteretur, *ibid.* XXX. Promulgat plures in sessione V. constitutiones, *ibid.* XXXII. *& seq.*

Gregorius X. parandæ Syriacæ expeditioni dat operam, 1274. XXXII. *& seq.* Gratulatur Regi Franc. eum se illi devovisse, *ibid.* XXXIV. Simonem tit. S. Cæciliæ presbyterum Card. legatum in Gallias mittit, *ibid.* XXXV. Fideles ad induendam crucem jubet concitare, *ibid.* Legatum informat, quibus præceptis crucesignatos instruere debeat, *ibid.* XXXVIII. *& seq.* Præsulibus dat imperia, ut fideles ad sacrum bellum permoveant, *ibid.* XL.

Gregorius X. crucesignatos pluribus exornat privilegiis, 1274. XLIII. Declarat quæ, & a quibus decimæ sint exigendæ, *ibid.* Alfonsum Regem Castellæ, ut cedat imperio, adducere nititur, *ibid.* XLIV. *& seq.* Fredulum nuntium apostolicum ea de causa mittit, *ibid.* XLVI. *& seqq.* Suadet ut vires in Saracenos Granatenses convertat, *ibid.* XLIX. Sexennalem decimam in id attribuit, *ibid.* Valentinum episc. ea de causa mittit, *ibid.* L. Alfonsus Rex Gregorio obsequi deliberat, *ibid.* LIV. Rodulphum Regem Roman. confirmat Gregorius, *ibid.* LV. Solicitat, ut ad excipiendum imperiale diadema se comparet, *ibid.*

Gregorius X. excitat Germanos proceres, ut Rodulphum, cum in Italiam venerit, comitentur, 1274. LVI. Othacherum Boemiæ Regem monet, ut Rodulpho concilietur, *ibid.* LVII. *& seq.* Ad Galliarum & Siciliæ Reges, comitemque Sabaudiæ, in concordiam cum Rodulpho redigendos incumbit, *ibid.* LX. Regi Francor. prohibet, ne copias in Germaniam transmittat, *ibid.* LXI. Controversiam inter Lugdunensem archiepiscopum & canonicorum collegium dirimit, *ibid.* Nonnullos episcopos pœnitentes, qui Manfredo studuerant, in gratiam admittit, *ibid.* LXII. Censuris ferit alios pertinaces, qui Conradino faverant, *ibid.* Varia Gregorii itinera, 1275. I. Poscit a Rodulpho Rege Romanorum, ut ante accepta imperialia insignia privilegia ec-



ecclesiæ Romanæ confirmet, *ibid.* II. Utque copias in Italiam mittat, *ibid.* III. Insubriam defendat, *ibid.* IV. Studentes Alfonso Regi Castellæ censuris percellit, *ibid.*

Gregorius X. gratulatur Rodulpho, fœdus cum Rege Siciliæ, & Duce Bavariæ coivisse, 1275. V. Othacherum monet, ut pacem cum Rodulpho colat, *ibid.* VII. Mala e bello emersura proponit, *ibid.* VIII. Provocantem Othacherum a sedis Apost. judicio temeritatis arguit, *ibid.* IX. *& seqq.* Belliquadrum se confert, *ibid.* XIII. Narbonensi archiep. deducendi ad se Regis Castellæ provinciam imponit, *ibid.* XIV. Colloquium cum Alfonso Belliquadri init, *ibid.* Resumentem Alfonsum imperialia insignia, intentatis censuris, abiicere jubet, *ibid.* XV. Datæ ea de re ad Hispalensem archiepisc. literæ, *ibid.* Alfonsum adigit, ne Imperium affectet, *ibid.* XVI.

Gregorius X. gratulatur Sanctio Toletano archiepiscopo, signa in barbaros extulisse, 1275. XVI. Et Petro Regis Aragonum majori natu filio, *ibid.* XVII. Legem de gradibus consanguinitatis ad Philippi Regis Francorum gratiam solvit, ut Philippus filius Navarræ sceptri heredem uxorem ducat, *ibid.* XIV. XIX. Constitutionem gravissimam edit ad restituendum jus ecclesiasticum in Lusitania, *ibid.* XXI. Arguit Regem Aragonum adulteram inducentem, *ibid.* XXVIII. Excusantem facinus acerbius objurgat, ac ni illam abiiciat, censuras obiicit, *ibid* XXXI. Valentinum & Diensem episcopatus conjungit, *ibid.* XXXV.

Gregorius X. Lausanam profectus cum Rudolpho Rege Romanorum colloquium celebrat, 1275. XXXVI. Ab eo exigit, ut promissa in conc. Lugdunensi confirmet, *ibid.* XXXVII. Regem Rom. ad expeditionem Asiaticam vovendam obstringit, *ibid.* XLII. Plures Reges ad eam concitat, *ibid.* Carolum Regem Siciliæ urget, ut Brenensem comitem ab invadendo Cyprio regno abducat, *ibid.* LII. Per Helvetios repetit Italiam, *ibid.* XLIII. Henricum & Ludovicum duces Bavariæ inter se conciliat, *ibid.*

Gregorius X. Eduardo Anglorum Regi, Syriacam expeditionem suscipere meditanti, Anglicanas decimas attribuit, 1275. XLIV. Et Scoticas si Rex Scotiæ assenserit, *ibid.* Censuras renovat in eos, qui a Clemente IV. devincti anathemate in pertinacia perstabant, *ibid.* XLV. Insubres ad mutuam concordiam studet abducere, *ibid.* XLVI. Florentiam ingressus cives sacris restituit, discedensque sacrorum usu iterum eos privat, *ibid.* XLVII.

Gregorius X. Regem Siciliæ ad se vocat, 1275. XLVII. Solvendi census diem prorogat, *ibid.* Moritur, 1276. I. Calumniæ illi asperſæ confutantur, *ibid.* Multis post mortem fulgit miraculis, *ibid.* Nonnulla ex iis insignia in publicas tabulas redacta, 1276. II. *& seq.* Institutum de eo sanctis annumerando Urbani VIII. jussu examen, 1276. XIV. Quanto tempore in pontificatu sederit, *ibid.* Succedit illi in pontificatu Innocentius V. *ibid.*

Gregorius Palamas scriptor schismaticus, 1284. XLVI. Impietatis a Joanne Becco convinctus, *ibid.* Confutatus a Bessarione Card. *ibid.*

Gualvanus Lance signa Conradini in Urbe explicat, 1267. XVII. Intentatæ illi censuræ, *ibid.* Capitur, 1268. XXXIV. Carnificis ense perit, *ibid.* XXXV.

Guelphi & Gibellini conciliati Florentiæ a Gregorio X. 1273. XXVII. *& seq.* Abrupta inter eos pax, *ibid.* XXX. Quo studio eam instaurare nisus sit, *ibid.*

Guiboga ab Haolono Rege Tartarorum præfectus in regno Damasceno, 1260. XXXIII. Favet initio Christianis pro restituenda ipsis Hierosolyma, *ibid.* Cum iis inimicitias suscipit, *ibid.* Sydonem evertit, *ibid.*

Guido archiepisc. Narbonensis postea episc. Cardin. Sabinensis. *Vide*, Clemens IV.

Guido S. Laurentii in Lucina presbyter Card. a Clemente IV. in Daniam & vicina regna legatus missus, 1265. LI. Discordias civiles sopire jussus, *ibid.* Oppressam libertatem ecclesiasticam restituit, *ibid.* LVII.

Guido Novellus comes Manfredi nece territus, Florentia abit, 1266. XXII. A Bertaldo Caroli in Etruria præfecto cum Gibellinis profligatus, 1269. III.

Guido Simonis e Monteforti filius; Clemens S. Ludovicum hortatur ne illius causam suscipiat in Regem Angliæ, 1266. XXXV. Henricum electi Regis Romanorum filium, sacra audientem Guido necat, 1271. II. Divina in eum ultio, *ibid.* Eduardus Anglus vindictam de eo a Pontifice exigit, 1273. XXII. *& seq.*

Guido e Monteferetro anathemate una cum Henrico percellitur, 1268. XXIV. Absolvitur, 1278. LXXVII. Flaminiæ partem occupat, 1282. XXIX. Lata in eum a Martino IV. sententia, *ibid.* XXX. Apud Forumlivium Gallos Pontificis stipendiarios proditione cædit, *ibid.* XXXI.

Guido Flandriæ comes cum S. Ludovico expeditionem in Sarracenos init, 1270. VII. Suscipienti iterum expeditionem a Joanne XXI. decimæ iterum attributæ, 1277. VIII. Canonissas sæculares nobili ortu satas in ecclesia Audanensi instituit, 1285. LXXXI.

Guillelmus e S. Amore in pertinacia obdurescit, 1259. XXIX.

Guillelmus marchio Montisferrati quibus pœnis ob cæsum episc. Terdonensem affectus ab Honorio IV. 1285. LXVII.

Guota sive Gutta, & Jutta Rodulphi Regis Romanorum filia desponsa Wenceslao pacis studio, 1278. XLIII.

# H

Haolonus Mangonis Cham frater plura regna Sarracenorum evertit, 1257. LVIII. Assasinos excindit, *ibid. & seq.* Turquiam subigit, *ibid.* LXII. Baldach capit, *ibid.* XL. Caliphum Baldacensem inter opum acervos fame necat, *ibid.* XLI. Saracenorum templa everti jubet, *ibid.* XLII. Favet Christianis, *ibid.* Sultanum Melecnaser in custodiam conicit, *ibid.* XXVIII. Damascum obtinet, *ibid.* Regi Armeniæ plures arces dat, *ibid.* Erepta a Turquemannis principi Antiochiæ restituit, *ibid.* De Hierosolyma reddenda Christianis deliberat, *ibid.* Mangonis fratris morte audita a cœptis revocatur, *ibid.* Postulat a Rom. Pont. mitti nuntium pro ipso baptismalibus sacris initiando, *ibid.* XXIX. Gratulatoriæ ad eum Rom. Pont. literæ, *ibid.* Fidem Christianam profitetur, *ibid.* XXXIII.

Haolonus Guibogæ præfecto præcipit ut Hierosolymitanum regnum Christianis restituat, 1257. XXXIII. Insigne prælium indurato gelu flumine cum Bathi filio committit, 1264. LXVIII. Morbo extinguitur, *ibid.*

Aba-

Abagham sceptri relinquit successorem, *ibid.*
Hæreses & Hæretici; Othacheri Regis Boemiæ zelus in Albigensibus excindendis, 1257. XII. Plura in eos statuta ab Alex. 1258. XXIII. De fœdissima hæreticor. consolatione, 1258. XXIV. XXVIII. De Catharorum, Albanorum, ac Waldensium erroribus, 1258. XXV. *& seqq.* Ut eorum testimonia in judiciis sint audienda, 1261. I. Urbani IV. in iis persequendis zelus, 1262. XXII. De excindendis hæresibus monitum S. Ludovici Regis, 1270. XVII. Exortæ a philosophorum lacunis fœdæ hæreses, *ibid.* XXXIII. Damnatæ, *ibid.* Sermionensium zelus in comprehendendis hæreticis, 1277. XI. Quid in eos statutum, *ibid. Vide*, in Alex. IV. & aliis Rom. Pontificibus. Ladislai Regis Ungarorum sanctio in hæreticos, 1280. XC. Alia a Regina ejus matre edita, *ibid.* Ecclesiarum asyo excludendi, 1281. XVIII.
Hastiludia vetita, 1268. LVII. Tristis eorum exitus, *ibid.* In Galliis a Philippo Rege magna pompa celebrata, 1279. XVI. Robertus comes Clarimontis in iis amentiam contrahit, *ibid.* Simon tit. S. Cæciliæ Card. A. S. L. ob ea non prohibita correptus a Pontifice, *ibid.* XVII.
Hastiludia laudantium inanis ratio, 1279. XVIII. Negata a concilio Lateranensi in hastiludiis cæsis ecclesiastica sepultura, *ibid.* XIX. Nicolai III. in hastiludiorum causa decretum, *ibid.* XX.
S. Hedwiges ducissa; de ejus miraculis cognoscere jubet Urbanus IV. 1262. XXVIII. Sanctorum catalogo apposita a Clemente IV. *ibid.* 1267. XLI. Divinitus aperit Salomio, honores sibi decernendos, *ibid.* Visum restituit Clementis filiæ, *ibid.* De ejusdem nobilitate, *ibid.* XLII. Ut se gesserit cum Henrico viro, *ibid.* XLIII. Eo extincto sanctimonialibus se addixerit, *ibid.* XLIV. Voto paupertatis se obligare noluerit, ut egenis subveniret, *ibid.* Aliæ ejus virtutes, *ibid.* XLV. Quo die ejus memoria recolenda, *ibid.* Indulgentiæ sepulcrum veneraturis propositæ, *ibid.*
Helias patriarcha Hierosolymit. a Nicolao III. creatus, 1279. IV.
Henricus Imperator jura Romanæ Ecclesiæ confirmat, 1278. LX. Illius ea de re diploma, *ibid.*
Henricus Angliæ Rex pretiosa S. Albano munera offert, 1257. XXXVI. Arlotus Apost. sedis nuntius pro re Sicula ad eum missus, *ibid.* XXXIX. Expeditio in Manfredum suscipienda ad annum extracta, *ibid.* XL. Contractæ ob eam intermissam pœnæ abrogatæ, *ibid.* XLI. Inanes repetiti conatus, *ibid.* XLII. A Leolino Walliæ principe distrahitur, *ibid.* XLIV. 1258. XII. Ab Alexandro ut Siciliam armis Manfredo eripiat frustra solicitatur, 1258. XIII. Iniquiores sibi proceres in ea re experitur, *ibid.* Redeuntem e Germania Richardum fratrem excipit, 1259. XLVI.
Henricus Angliæ Rex cum S. Ludovico de controversiis decidendis tractat, 1259. XLVII. Ludovici sceptri Gallici heredis feretrum defert, *ibid.* Eo Siculam rem deferente, regnum Siculum Carolo Provinciæ comiti delatum, 1262. XX. Solicitatur ab Urbano IV. ne Gallis Siculum bellum suscepturis obsistat, 1263. LXXVIII. Insigne illius elogium, *ibid.* LXXIX. Recreatus e morbo, civili bello implicatur, *ibid.* LXXX. Non defuturum se illi in adversis Pontifex pollicetur, *ibid.* Exolvitur iniquioribus sacramentis, *ibid.* Richardus frater Rex Rom. designatus ad ferendam illi opem impellitur ab Urbano, *ibid.* LXXXII. A perduellibus in acie una cum Richardo capitur, *ibid.* XXXII. Quæ egerit ad illius gratiam Clemens IV. dum legationem gessit, 1265. LXI. Ottobonus S. Adriani diac. Card. pro eo liberando missus, *ibid.* LXIV. S. Ludovicus Francor. Rex auxilia illi submittit, *ibid.* LXIX. Usurpata a Simone auctoritate, vacuum Regis nomen gerit, *ibid.* LXXI.
Henricus Angliæ Rex a filio Eduardo libertati restituitur, 1265. LXXII. Revocat Clemens S. Ludovicum, ne Simonis filiorum causam in Henricum suscipiat, 1266. XXXV. Londinum ad officium cogit, 1267. XXXIV. Gilbertum Gloverniæ comitem ad obsequium revocat, *ibid.* Eduardo filio comitem sequi S. Ludovicum in orientali expeditione permittit, 1269. V.
Henricus Angliæ Rex sacramentis pie munitus moritur, 1272. LXI. Singularis illius in audiendis missarum solemniis pietas, *ibid.* Fertur miraculis fulsisse, *ibid.* LXII. De ipsius eleemosynis, *ibid.* Eduardo filio sceptrum relinquit, *ibid.* LXIII.
Henricus decanus Metensis ab Alexandr. IV. suffectus Arnoldo in archiepiscopatu Trevirensi, 1259. LII.
Henricus Regis Castellæ frater Hispania profugus, diu Tuneti versatur, 1267 XIV. Nefarii ejus mores, *ibid.* Sardiniæ regnum affectat, *ibid.* Creatur a factiosis Urbis senator, *ibid* XV. In Carolum odia concipit, *ibid.* Acta Caroli rescindit, *ibid.* XVII. Conradini ducem excipit, ejusque signa explicat, *ib.* XVIII. Pontificiis partibus addictissimos infectatur, *ibid.* XIX. Percellitur anathemate a Clemente IV. 1268. XXIV. Pontificem, veniæ spe illum revocare ad officium annitentem, aspernatur, *ibid.* XXV. Ecclesiarum thesauros & deposita diripit, *ibid.* Solicitati frustra Romani ad excutiendam illius tyrannidem, *ibid.* XXVI. *& seqq.* Conradinum magnifico apparatu urbe excipit, *ibid.* XXVIII. Post patratum sacrilegium versæ in pejus illius res, *ibid.* XXIX. Primam Caroli aciem profligat, *ibid.* XXX. Dum hostem insequitur effusius suam partem debilitat, *ibid* Funditur, *ibid.* In fuga capitur, *ibid.* XXXIV. Carceri addicitur ad Regis Castellæ fratris preces libertati restitutus, *ibid.*
Henricus Navarræ Rex Theobaldo Regi fratri succedit, 1270 XXIV. Moritur, 1275. XVIII. Filiam ipsius regni heredem plures Reges ambiunt, *ibid.*
Henricus Richardi electi Regis Romanorum filius a Guidone e Monteforti cæsus, 1271. II. Divina in Guidonem sacrilegum vindicta, *ibid.*
Henricus episc. Londinensis ad Eduardi gratiam sedi restitutus, 1272. LXVII.
Hibernia sedis Apostolicæ stipendiaria, 1278. XL.
Hieremias Minorita martyrio affectus, 1266. XLI.
Hierosolymitani equites. *Vide*, Hospitalarii.
Hierosolymitanum regnum cæso Conradino, obtentum ab Hugone Cypri Rege, 1269. VI. Rex Cypri & Maria filia principis Antiocheni de regno Hierosolymitano contendunt, 1272. XVIII. Nazareno archiepiscopo de utriusque juribus cognoscendi data a Pontif. potestas, *ibid.* XIX. XX. Maria Antiochena sua in Syriam jura in Carolum Siciliæ Regem transfundit, 1277. XVI. XVII. Solicitatus a Nicolao Carolus,



ius, ut controversiam de regno Hierosolymitano cum Hugone Cypri Rege componat, 1279. XV.
Hispalensis archiepiscopus crucem sibi in Hispaniis præferre potest, 1264. XXXVI.
Hispania; Saraceni in Hispanias irrumpunt, 1264. XXXV. Prælio fusi, *ibid.*
Hispania bello Maurico infestata, 1266. XXV. Solicitatus Rex Aragonum, ut Saracenos sua ditione pellat, *ibid.* XXIX. *& seq.* Auxilia adversus Hispaniæ Saracenos decernit Innocentius V. 1276. XIX. De Africanorum in Hispanias irruptione, *ibid.* XX.
Hispaniæ Reges, *Vide*, Alfonsus. Sanctius. Ferdinandus.
Homicidium; exanime cadaver, extensa divinitus ad principem manu, justitiam poscit, 1283. XXI. Præsentibus homicidis fundit e vulneribus cruorem, *ibid.*
Honorius IV. ante pontificatum Jacobus S. Mariæ in Cosmedin diaconus Card. dictus, 1285. XIV. Patria Romanus, Sabella stirpe satus, *ibid.* Succedit Martino IV. *ibid.* XIV. Arthritide affectus, *ibid.* Ejus primitiæ, *ibid.* XV. Encyclicas de susceptis Ecclesiæ gubernaculis literas scribit, *ibid.* XVI. Rodulphus ab eo insignia imperialia deposcit, *ibid.* XXII. Commendatæ illi ab Honorio Caroli II. res, *ibid.* XXIII. Eiusdem Caroli leges confirmatæ, 1283. XLIII. Pro anima Philippi Regis Francor. orantibus indulgentias proponit, 1285. XXVII.
Honorius IV. redeuntes ad officium Siculos absolvi jubet, 1285. XXVIII. Ad temperandum Siciliæ statum amplissimam sanctionem fert, *ibid.* Promulgari jubet a legato & Roberto comite, *ibid.* LIII. Ut ejus leges diu viguerint, *ibid.* LVII. Perduelles Siculos editæ constitutionis beneficio privat, 1285. LXII. Episcopales sedes in Sicilia sedi Apostolicæ reservat, *ibid.* Larinensi episcopo judicium intendit, *ibid.* Venetis sacrorum usum restituit, *ibid.* LXV.
Honorius IV. Florentinos magistratus ob libertatem ecclesiasticam violatam in jus vocat, 1285. LXVI. Pœnitentiam publicam marchioni Montisferrati ob cæsum episcopum imponit, *ibid.* LXVIII. Adinulphum in gratiam admittit, *ibid.* LXX. Viterbienses ob duos Cardinales custodiæ traditos mœnium partem evertere & xenodochium extruere jubet, *ibid.* Juris dicundi auctoritate privat, *ibid* Leskonem Nigrum in sinum Ecclesiæ recipit, *ibid.* LXXII. Censum a Polonis exigit, *ibid.*
Honorius IV. censores fidei in Sardinia instituit, 1285. LXXIII. Ægidium Augustinianum errores in Parisiensi academia damnare jubet, *ibid* LXXVI. Imperator Tartarorum & Persidis Rex ad Honorium de conjungendis armis in Sarracenos scribunt, *ibid.* LXXIX. Eduardo suscipiendæ expeditionis Asiaticæ tempus prorogat, *ibid.* LXXX. Flagitanti illi Scotiæ decimas negat, ni Scotus assenserit, *ibid* LXXXI. Eduardum admonet, ne jus ecclesiasticum lædat, *ibid.*
Honorum fuga; Clemens IV. electus Cardinales solicitat, ut alium pontificem designent, 1265. III. Gregorius X. electus Pontif. respuere dignitatem meditatus fuit, 1271. XX. Joannes supremus Dominicanæ familiæ magister Hierosolymitanum patriarchatum respuit, 1278. VIII. 1279. XLVII. Martinus IV. deferentibus pontificatum adeo repugnat, ut cardinalitiam ejus vestem lanient, 1281. III. Honorii IV. in respuendo pontificatu modestia, 1285. XX. B. Philippi Benitii in fugiendis pontificatus honoribus, 1285. LXXXII.
Hospitalarii equites S. Joannis Hierosolymitani cum Templariis dissentiunt, eosque cædunt, 1259. LXI. Eorum elogia, *ibid.* LXII. Religiosus cultus designatus, *ibid.* LXIII. Symbolum crucis albi coloris ipsis attributum, *ibid.*
Hospitale S. Andreæ juxta S. Mariam majorem a Petro Card. S. Georgii ad velum aureum extructum, 1265. LXXV.
Hudiel Rex Murciæ repressus ab Alfonso Castellæ Rege, 1263. LX. 1265. XXXV. Murciam amittit, *ibid.*
Hugo Rex Cypri impubes, 1265. XLI. Moritur & Hugoni Lisiniano sceptrum relinquit, 1267. LXV.
Hugo Lisinianus in Terræ sanctæ subsidium cum Cypro flore proficiscitur, 1265. XLI. Cæditur a Turcis, 1266. XLVI. Extincto Hugone Rege impubere sceptrum Cyprium capessit, 1267. LXV. Tyri regni Hierosolymitani insignia accipit, 1269. VI. Apud Sedem Apost. a Maria Regum Hierosolym. stirpe sata in judicium vocatur, 1272. XVIII. Pronuntiat Gregorius, non detractum Mariæ juribus, quamvis titulo Hierosolym. fuerit interdum a sede Apost. insignitus, *ibid.* Nazareno archiepiscopo de causa utriusque cognoscenda munus datum, *ibid.* XIX.
Hugo Lisinianus cum proceribus dissidet, 1273. XXXVI. Conciliatur ipsis, *ibid.* Confirmatur imminenti auxilii spe, *ibid.* Data a Gregorio X. opera, ne a Brenensi comite bello peteretur, 1275. LII. Carolo Regi Siciliæ judicium de regno Hierosolymitano sibi erepto intentat, 1279. XV.
Hugolinus comes Pisanorum prætor, *Vide*, Ugolinus.
Humilitas; Theodorus Imp. pellicis ejectæ templo ignominiam non ulciscitur, sed crimen deflet, 1259. LXXVI. Insignes pontificiæ literæ significantes sorori, quam a supremo pontificatus apice abhorreret, 1261. XVI. B. Ægidii insignis vox de humilitate, cum Heliæ apostasiam audivisset, 1262. XXVIII. Illapsa est divinitus in os S. Bonaventuræ Eucharistia, dum ea indignum se reputat, 1274. XXVIII.
S. Hyacinthus flumen sicco pede calcat, 1257. XIII. Obtritos segetes primæ viriditati restituit, *ibid.* Mortuum ad vitam revocat, *ibid.* De ejus felicitate cœleste objectum, *ibid.* XIV. Aliud de eodem ipsius dies festus institutus, *ibid.* Sanctorum catalogo solemni ritu apponitur, *ibid.*

# I

Jacintiones; sacrum bellum in eos promulgatum, 1257. XXI. *Vide*, Jentuesiones.
Jacobus Trecensis. *Vide*, Urbanus IV.
Jacobus Aragonum Rex controversias cum S. Ludovico componit, 1258. XXI. Petro filio Manfredi tyranni filiam Constantiam despondet, 1262. XVI. *& seq.* Promittit una cum Petro filio monetam non immutatum iri, 1259. XVIII. Offert se Urbano IV. Manfredum cum ecclesia conciliaturum, 1262. IX. Dehortatoriæ ad eum literæ, ne cum Manfredo affinitatem contrahat, *ibid. & seqq.* Respuit pontificia monita, 1262. XVI. S. Ludovicus ejus affinitatem ob id aspernatur, *ibid.* Apostolicæ ea de re literæ, *ibid.* XVII. Opem Alfonso Regi Castellæ ad Saracenos debellandos feliciter affert, 1264. XXXV.
Jacobus Aragonum Rex arguitur ecclesiasticum jus violasse, 1265. XXXI. Hispani ad sequenda illius castra in Mauros conci-

tati, *ibid.* XXXIV. Murciam immisso filio, obsidet, *ibid.* XXXV. Expugnat, 1266. XXV. Gratulatoriæ ea de re Clementis IV. literæ, *ibid.* Illam Alfonso Regi Castellæ restituit, *ibid.* Ad vincendas cupiditates solicitatur, *ibid.* XXVI. Proponitur illi S. Ludovici exemplum, *ibid.* XXVIII. Respondet ei Clemens, conjugium dissolvi non posse, quamvis uxor lepra inquinata foret, *ibid.* XXVII.

Jacobus Aragonum Rex solicitatur ad Saracenos e sua ditione pellendos, 1266. XXIX. Ad reprimendam Mahumeticam superstitionem, *ibid.* XXX. Judæos coercendos, *ibid.* XXXIII. Ne jus ecclesiasticum lædat, *ibid.* XXXII.

Jacobus, Berengariæ indulgens amoribus corripitur a Clemente IV. 1267. XXXIII. Monetur Crucifixi obsequiis inutilem futurum, si iterum illum in se crucifigat, *ibid.* Querenti de correptione, quid responderit Clemens, *ibid.* Suscipit expeditionem in Syriam, 1269. VI. Meretricis suasu retro iter flectit, *ibid.*

Jacobus Aragonum Rex ob indultam adulteram acriter correptus, 1275. XXVIII. Turpiter scelus excusat, asperrimeque objurgatur, *ibid.* XXXI. Intentatis censuris constituta die dimittere adulteram jubetur, *ibid.* XXXIV. Morbo lethali ex bellicis laboribus implicitus, 1276. XXIII. Cisterciensium disciplinam suscepturum vovet, *ibid.* Regna inter Petrum & Jacobum filios partitur, *ibid.* Pie moritur, *ibid.* Insigne ejus elogium, *ibid.*

Jacobus Gontelinus Caroli dux Sutrium restituit ecclesiæ, 1264. XXI. Petrum e vico obsidet, *ibid.* Conflatam in Urbe conjurationem, pulsis hostibus, dissipat, *ibid.* XXV.

Jacobus Lundensis archiepiscopus in Regem Daniæ injurius, 1264. XLIII. Symbolum & orationem dominicam corrigere ausus, *ibid.* Gradu pellitur ab Urbano, *ibid.*

Jacobus e Podio Minorita ob Christianos ad constantiam excitatos cute nudatus, 1266. XLI.

Jacobus Contarenus Venetus Anconam oppugnat, 1277. XLIII. Illius conatus fracti, *ibid.* XLV. Subsidiarias triremes Carolo ad recuperandam Siciliam regio sumptu suppeditare abnuit, 1283. XL.

Jacobus Balearium Rex; eo regno a Jacobo patre Aragonum Rege donatus, 1276. XXIII.

Jacobus S. Mariæ in Cosmedin diac. Card. Sabellus. *Vide*, Honorius IV.

Jacobus Columna creatus a Nicolao III. Cardinalis, 1277. LVIII.

S. Januarius; festus ejus dies in verum tempus translatus, 1268. XLIX.

Januenses. *Vide*, Genuenses.

Jentuesones, sive Jaczvingi & Jazyges a Boleslao Pudico excisi, 1264. XLVI. Iterum cum Lithuanis in Poloniam irrumpunt, 1282. XXXIX. Monitu S. Michaelis archangeli deleti, *ibid.* XL.

Ignobilitas; ob natalium obscuritatem nemo spernendus, 1266. XXXVIII. *& seq.*

Ignoscere. *Vide*, Injurias remittere.

Imperium; de Imperio & Pontificatu a Deo constituris, 1263. XLVI. Consuetudo imperii in celebranda electione, 1263. LIII. Quis diem præfigere debeat, *ibid.* Quis in discordia judex dubiæ electionis, *ibid.* LIV. Quando concorditer censeatur electus Imperator, & quando in discordia, *ibid.* Non vocandus ad imperialem inunctionem, nisi qui a Coloniensi archiepiscopo fuerit corona redimitus, 1267. XXIX.

Imperii in plura regna dividendi agitata a Nicolao III. ferunt consilia, 1280. XXVIII.

Indulgentiæ; ut eas pie colat, monet filium S. Ludovicus Rex, 1270. XV.

Infernus; antequam animam exhalet sceleratus homo, torqueri a dæmonibus permittitur, 1276. L.

Injurias remittere; egregium ea de re Urbani IV. exemplum, 1264. XXX. *Vide*, Clementia.

Innocentius V. ante pontificatum dictus Petrus e Tarentasia ordinis Prædicatorum, 1272. LXVIII. Ecclesiæ Lugdunensi præficitur, *ibid.* Cardinalium numero adiicitur, *ibid.* LXIX. Tartarorum Regis oratorem baptismo lustrat, 1274. XXII. Funebrem orationem de S. Bonaventura habet, *ib.* XXVIII. Mortuo Gregorio X. Aretii creatur Pontifex 1276. XV. Ut plura egregia scripta ediderit, *ibid.* Excurrente unius anni spatio varios honorum gradus sit emensus, *ibid.*

Innocentius V. ante accepta pontificalia insignia Genuenses ad mutuam concordiam hortatur, 1276. XVI. In Urbe solemni ritu tiara pontificia redimitur, *ibid.* XVII. Encyclicæ ejus de suscepto pontificatu ad præsules literæ, *ibid. & seq.* Veteres Conradini sequaces obfirmatos in scelere censuris obstringit, *ibid.* XIX.

Innocentius V. Hispaniæ a Saracenis infestatæ subsidiarias decimas attribuit, 1276. XIX. Hispanos ad sequenda crucis signa contra infideles, propositis indulgentiis, concitat, *ibid.* XX. Solicitat Palæologum, ut initam cum Rom. Ecclesia conjunctionem confirmet, *ibid.* XXIV. Lucanos inter ac Pisanos concordiam conciliat, *ibid.*

Innocentius V. corpus Clementis IV. Prædicatoribus Viterbiensibus adjudicat, 1276. XXIV. Dum multa ad Dei laudem molitur, e vivis eripitur, *ibid.* Quanto tempore sederit, *ibid.* Ejus opera ab invidis lacerata, a S. Thoma Aquinate defensa, *ibid.* Succedit illi in pontificatu Adrianus V. *ibid.* XXVI.

Inquisitores seu censores fidei; Bohemiæ Rex censores fidei in suo regno institui ab Apostolica sede postulat, 1257. XII. Data fidei censoribus auctoritas, 1261. I. Creati in Liguria & Insubria, 1262. XXII. Data ipsis pontificia monita, *ibid.* Ut se gesserit S. Ludovicus erga censores fidei, 1270. XXII.

Invadere bona ecclesiastica. *Vide*, Ecclesiæ bona.

Investitura Siciliæ tradita Carolo I. a Clemente IV. & quibus legibus, 1265. XIV. Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ tradita Carolo Valesio a Martino IV. 1283. XXV.

Invidia; ex invidia Syria in exitium conjecta, 1258. XXXII. Constantinopolis amissa nec recuperata, 1261. XXXV.

S. Joannis Baptistæ equites. *Vide*, Hospitalarii.

Joannes Ungarus Olaonis Regis Tartarorum orator, 1260. XXX.

Joannes Lascaris octennis puer a Theodoro patre Imp. sceptri successor relictus, 1259. LIV. Illius tutor cæsus, *ibid.* Appetitus a Palæologo insidiis vitam poscit, *ibid.* LVIII. Custodiæ traditur, *ibid.* Oculis privatur, 1261. XXXII. Ad illius gratiam nonnulli Græci in Palæologum rebellant, *ibid.* XXXIV.

Joannes Sebastocrator Michaelis Palæologi dux insignem victoriam de Ætoliæ despota & fœderatis Latinis refert, 1260. LI. Villarduinum Achajæ principem capit, *ibid.* LIII.

Jo-



Joannes Bossinensis episc. Belam Regem Ungariæ cum filio divinitus conciliat, 1264. LIV. Reliquiarum ejus translatio, *ibid.* LV.

Joannes Sabellus periclitantem urbem sua virtute tutatur contra Manfredi impetus, 1264. XXV.

Joannes marchio Brandeburgensis in hastiludio necatus, 1268. LVII.

Joannes Berthaldus Guidonem Novellum & Gibellinos in Etruria profligat, 1269. II. Excitatæ inde Guelphorum res, *ibid. & seq.*

Joannes Tristannus Niverni comes S. Ludovici filius in obsidione Tunetana peste extinguitur, 1270. X.

Joannes episc. Card. Portuensis aculeata & faceta oratione Cardinales ad creandum Gregorium X. impellit, 1271. XII.

Joannes Buffon. Caroli in Etruria præfectus, 1273. XXX.

Joannes Beccus patriarcha Constantinopolitanus catholicus subrogatus in locum Josephi schismatici, 1275. XLIX. Ut lectis Blemmydæ scriptis ad fidem catholicam sit conversus, *ibid.* Concilium pro ecclesiarum conjunctione Constantinopoli celebrat, 1277. XXXIV. Orthodoxam fidem profitetur, *ibid.* Illius ac Synodi ea de re insignes literæ, *ibid.* Primatum Romano Pontifici a Christo in Petro & successoribus tributum agnoscit, *ibid.* XXXV.

Joannes Beccus processionem Spiritus sancti a Patre Filioque profitetur, 1277. XXXVII. Azymum aut fermentatum panem in Christi corpus a sacerdote transubstantiari, *ibid.* XXXIX. De septem sacramentis quoque cum ecclesia Romana sentit, *ibid.* In Nicephorum despotam & alios schismaticos anathematis sententiam fert, *ibid.* XLI. Illius forma, *ibid.*

Joannes Beccus gratulatorias Nicolao III. literas de adepto pontificatu scribit, 1277. LXI. *& seq.* Datæ ad eum Nicolai literæ ut coram sedis Apost. legatis schisma iterum damnet, 1278. VI. Dignitate abit, 1284. XLIV. Ejus querelæ, *ibid.* Præclarus fidei catholicæ defensor, *ibid.* XLVI. Rei instar cum sociis productus, *ibid.* Egregium ejus opusculum, *ibid.* Negat sectandam pacem, quæ bellum Deo inferat, *ibid.* XLVII. Ipse cum sociis ob veritatem fidei carceri traditus, *ibid.* XLVIII.

Joannes Beccus ad minas promissave Andronici Imp. infractus, 1284. XLVIII. Moriturî Becci testamentum, *ibid.* XLIX. L. Impugnat in eum impiam schismaticorum doctrinam, *ibid.* LI.

Joannes XXI. ante pontificatum dictus Petrus Juliani episcopus Tusculanus succedit in pontificatu Adriano V. 1276. XXIX. Egregie literis excultus, *ibid.* Librum de re medica, thesaurum pauperum inscriptum edit, *ibid.* Gregorii constitutionem de includendis conclavi Cardinalibus abrogat, *ibid.* XXX. In eos animadvertit, qui Cardinales indigne interpontificii tempore tractarant, *ibid.* XXXI. Encyclicæ ab ipso de adepto pontificatu ad præsules datæ literæ, *ibid.* XXXIV.

Joannes XXI. Reges ad conjungendam pro administranda Ecclesia operam solicitat, *ibid.* XXXVII. Sacramentum fidei a Carolo solemni ritu accepti jure fiduciario Siculi sceptri ergo exigit, *ibid.* XXXVIII. Veteres Conradini sequaces censuris percellit, *ibid.* XLV. Legatos ad Palæologum Imp. ad ecclesiarum conjunctionem confirmandam mittit, *ibid.* Gallos crucesignatos ad Philippum Regem in Syriaca expeditione sequendum adigi censuris jubet, *ibid.* XLVI.

Joannes XXI. Gallorum Regem cum Alfonso Castellæ Rege conciliare nititur, 1276. XLVII. *& seq.* Simonem tit. S. Cæciliæ presb. Cardinalem Gallos, objectis censuris, ab inferendo Hispaniæ bello deterrere jubet, 1277. III. Prædicatorum & Minoritarum supremos præfectos in Gallias & Hispanias ad bellum sedandum mittit, *ibid.* V. Aragoniæ decimas ad Saracenos propulsandos convertit, *ibid.* VII. Guidoni Flandriæ comiti pro instruendo bellico in Saracenos apparatu decimas attribuit, *ibid.* VIII. Excindendis hæresibus dat operam, *ibid.* IX. *& seq.*

Joannes XXI. Alfonsum Lusitaniæ Regem ad restituendam ecclesiasticam libertatem solicitat, 1277. XII. *& seq.* Cameræ labentis ruinis opprimitur, 1277. XIX. Vanæ illius in suscipiendo suo opere cogitationes, *ibid.* Dæmon columnam, cui ædificium innitebatur, evertisse creditus, *ibid.* Admiranda de eo nonnullorum visa, *ibid.* Ipsius virtutes & vitia, *ibid.* Calumniæ ei asperæ refutantur, *ibid.* XX. Secutum ab ejus morte sex mensium interpontificium, *ibid.* Missi ab eo legati Constantinopolim rem strenue pro confirmanda ecclesiarum conjunctione agunt, *ibid.* Literæ a Palæologo, Andronico, & patriarcha ad ipsum missæ post ejus obitum allatæ, *ibid.* Et a num. II. ad XL. Secuti post ejusdem interitum tumultus, *ibid.* XLIII. *& seq.*

Joannes XXII. dominium bonorum Minoritis concessorum a Nicolao III. sedi Apostolicæ reservatum repudiat, 1280. XXVII.

Joannes Cajetanus Ursinus Card. adepto pontificatu Nicolaus III. dictus. *Vide*, Nicolaus III.

Joannes dux Patræ a Palæologo ob schisma damnatum descisci, 1277. XLII.

Joannes de Epa Gallus dux perduelles ecclesiæ contundit, 1283. XLVIII. Cathapractum equitem directa hasta in se irruentem inermis occidit, *ibid.* Adinulphum turbantem Campaniam domat, *ibid.* 1284. XV. Conrado de Antiochia, in Aprutium irrumpenti, opponitur, 1285. IX.

Joannes Vercellensis supremus Prædicatorum magister pro concordia inter Galliæ & Castellæ Reges ineunda adhibitus, 1278. XXIV. 1280. XIV. Patriarchatum Hierosolymitanum respuit, 1278. LXXX. Arguitur a Nicolao III. *ibidem*. Cedere demum dignitate permissus, 1279. XLVII. Subrogatus in ejus locum Elias, *ibid.*

Joannes Viterbiensis ordinis Prædicatorum pro recuperandis Rom. Ecclesiæ juribus missus a Nicolao III. 1278. LIV.

Joannes Prochyta Græcorum Imperatorem, Regemque Aragonum in Carolum concitat, 1281. XXVII.

Joannes tit. S. Cæciliæ presbyter Cardinalis jussus, Carolum a duello deterrere, 1283. XII. Legatus in Gallias missus, 1283. XXIII. Aragoniæ & Valentiæ regna in Regis Francorum secundum natu filium traducere, *ibid.* XXV. Quibus legibus, *ibid.* XXVI. *& seq.* Solemnes pactiones cum ipso init, 1284. VII. Ipsius ad Martinum IV. literæ, *ibid.* Confirmata ejus gesta ab eodem Pontifice, *ibid.*

Jordanus comes victoriam de Florentinis refert, 1260. III.

Jordanus Cardinalis Ursinus a Viterbiensibus custodiæ traditus, 1281. II. Viterbium ob id interdicto suppositum, 1281. I.

Josephus schismaticus patriarchatu Constanti-

politano dejectus, 1275. XLIX. Subrogatus illi Joannes Beccus, *ibid.* Iterum invadit, pulso Becco, patriarchatum, 1284. XLIV.

Isabella S. Ludovici soror adulterinas S. Pauli Apost. reliquias a Græco accipit, 1268. L. Monetur a Clemente IV. veras Romæ conditas, *ibid.*

Isabella filia S. Ludovici egregiis monitis a sancto patre erudita, 1270. XVIII. Viro extincto in reditu e Tunetana expeditione, perpetuæ continentiæ se addicit, *ibidem*. XXIV.

Judæi; Judæa magno miraculo ad fidem conversa, 1265. LX. Judæi coercendi, 1266. XXXIII. Agnes Christiana odio religionis a Judæo pluribus vulneribus confoditur, *ibid.* Puella Christiana a Judæis in Christi opprobrium necata, 1271. XXI. Divinitus sceleris auctores proditi, *ibid.*

Judæi apostatæ ecclesiarum asylo excludendi, 1281. XVIII.

Judæorum excessus graves, 1273. XVIII. Nonnulla Judæorum in Christianos atrocia facinora, 1283. LXI.

Judicium divinum; persecutores S. Bennonis, postquam ipse ad æternum Judicem provocavit, ad divinum tribunal rapti, 1270. XXXIV.

S. Juliana Leodiensis; objecta illi divinitus mira species, 1264. XXVIII. De celebrando festo Corporis Christi edocetur, *ibid.* Ad ejus preces Robertus episc. Leodiensis in sua diœcesi illud instituit, *ibid.*

Juramenta de non deferendis præsulum culpis rescissa, Conc. Buden. n. XXXIX.

Justinianus patriarcha Constantinop. Latinus sede sua a Græcis pulsus, 1261. XXVI. XXXII.

Justitia; ejus cultor egregius Premislaus dux, 1275. XVIII. Monet filium S. Ludovicus Rex, ut in administranda justitia gerere se debeat, 1270. XV. Exanime cadaver, extensa ad principem manu justitiam poscit, 1283. XXI. Ob male administratam justitiam regna collabuntur, 1285. XXIX.

Justitia ex questu non administranda, Conc. Buden. n. L. Ut rei judicatæ exceptio admittenda sit, *ibid.* LII. Causæ ecclesiæ coram judicibus ecclesiasticis agitandæ, *ibid.* LIV.

Justitia divina; Silesiæ duces libertatis ecclesiasticæ oppressores Poloniæ sceptro dejecti, 1257. XX. Boleslaus dux Legnicensis, qui episcopum Wratislaviensem cœperat, eadem mulcta, quam illi inusserat, affectus, *ibid.* Alexander Scotiæ Rex qui Gamelinum episcopali sede S. Andreæ pepulerat, in vincula conjectus, *ib.* XXXII. Walterus conjurationis auctor in Alexand. Regem Scotiæ ab uxore adultera veneno necatus, *ibid.* XXXIII. Callimanus qui Michaele Rege Bulgariæ cæso tyrannidem invaserat, trucidatus, 1258. XLIII. Friderici ecclesiæ persecutoris familia excisa, 1268. XXXIV. Guido e Monteforti a numine ob cæsum inter sacra Henricum punitus, 1271. III. Judæi qui puellam necarant divinitus sceleris convicti, 1271. XXI. Secoviensis in Germania arx ob cumulata in ea pauperum spolia divinitus incensa, 1272. LVI.

Justitiæ divinæ in scelestum hominem insigne exemplum, 1277. L.

Jutta sive Gutta Rodulphi Romanorum Regis filia Wenceslao Bohemiæ Regi nuptui tradita, 1278. XLIII.


# K


Kinga. *Vide*, Chunegundes.


# L


Lacrymæ. *Vide*, Flere.

Ladislaus Ungariæ Rex in pueritia Stephani patris sceptrum capessit, 1272. XLVIII. Ob Belam ducem necatum appetitur bello ab Othachero, *ibid.* Illius patrocinium suscipit Gregorius X. & Boemum ab eo vexando deterret, *ibid.* XLIX. L. Præceptis optimis Ladislaum ipsum informat, *ibid.* LI. LII. Ille ea postea respuit, *ibid.* Discordias cum Othachero exercet, 1273. XII. Sub eo religio in Ungaria in maximum periculum adducitur, *ibid.* XIII. Profitetur S. Stephanum coronam Ungaricam Rom. ecclesiæ acceptam retulisse, 1279. XXXI.

Ladislaus Ungariæ Rex pollicetur abolendis hæresibus daturum operam, 1279. XXXI. Cumanos ad colendos mores Christianos compulsurum, *ibid.* XXXII. Eorum crudelitatem cohibiturum, *ibid.* XXXIII. Adacturum ad ecclesias & monasteria restituenda, *ibid.* Ejus inconstantia, *ibid.* XXXIV. Budensem synodum disturbat, *ibid.* Mores Cumanorum induit, *ibid.* Pontificia pro eo ad officium revocando studia, *ibid.* Datæ eo argumento literæ, *ibid.* XXXV. Intentatæ illi minæ, præsules ac proceres arma pro tuenda fide in eum conjuncturos, *ibid.* XXXIX. In scelus se effundit, 1281. XXVIII. A proceribus manere cum uxore cogitur, *ibid.*

Ladislaus Ungariæ Rex admonetur a Martino IV. ut religionem contra infideles tueatur, 1282. XXXVI. Divina ope adjutus Oldamirum Cumanorum ducem profligat, *ibid.* XXXVIII. Ob scelera illius, permittente Numine, Ungaria a Cumanis & Tartaris evastata, 1285. LXXIII.

Lambertatii cum Geremiensibus excitata pugna, Bononiam turbant, 1280. VII. Latinus Cardinalis ad eos conciliandos missus, *ibid.*

Laodicea a Sultano Turcorum Theodoro Imperatori donata, 1257 LXIV. Rursus a Turcis occupata, *ibid.*

Lateranum; Clemens IV. Carolum perstringit, suos in palatium Lateranense induxisse, 1265. XII. Carolus veniam poscit, *ibid.* XIII.

Lateranense palatium ab Adriano V. instaurari cœptum a Nicolao III. absolutum, 1280. XXVI.

Lateranensis ecclesia indulgentiis decorata a Nicolao III. 1280. XXVI.

Latinus episc. Card. Ostiensis ad Romaniolam recuperandam A. S. L. creatus a Nicolao IV. 1278. LV. Lambertatios & Geremienses conciliare jussus, 1280. VII.

Laudunensis ecclesia singulari in amore ab Urbano IV. habita, 1261. XVII.

Lauretana domus; Nazaretanam basilicam evertit Sultanus, 1263. VII. Sacra Deiparæ edicula servata, quæ postea divinitus in Italiam translata fuit, 1263. VII. *Vide*, Nazaretana ædes.

Leolinus Walliæ princeps Henricum Regem Angliæ ab expeditione Sicula distrahit, 1257. XLIV. 1258. XII. Eduardo Regi bellum infert, 1282. XXXIII. Inanibus oraculis in superbiam effertur, *ibid.* Tristis illius exitus, *ibid.* Amputato capite hedera coronatus, *ibid.*





Lesko niger Cracoviæ & Sandomiriæ dux S. Michaelis Angeli monitu Jaczwingos & Lituanos profligat, 1282. XXXIX. Nullus ex suis in acie desideratus, *ibid.* XL. Templum S. Michaeli sacrum excitat, *ibid.* Palatinum & Sandomiriensis debellat, *ibid.* XLI. Lituanos, iterum irrumpentes in Poloniam, profligat, 1283. LVIII. Paulum episc. Cracoviensem circumventum calumniis vexat, *ibid.* Censuris percellitur, *ibid.* In Ungariam se subducit, 1285. XI. Conradum ducem Masoviæ fugat, *ibid.* Ecclesiæ reconciliatur, 1285. LXXII.

Leges latæ ab Honorio IV. ad redintegrandam pristinam Siculorum libertatem, 1285. XXVIII. *& seq.* Violatæ postea non sine gravi malo, *ibid.* LXI. Plura alia. *Vide*, in singulis fere Rom. Pontificibus.

Liberalitas Imperatorum in ecclesiam; Ludovici, 1278. LVIII. Ottonis, *ibid.* LIX. Henrici, *ibid.* LX. Rodulphus Rex Æmiliam restituit, 1279. III. *& seq.* Carolus Romæ coronatus quinquaginta uncias auri ecclesiæ Vaticanæ annuas tribuit, 1266. V. *Vide*, Romana ecclesia.

Libertas ecclesiastica; Daniæ episcoporum pro ea tuenda leges, 1257. XXIX. Libertatem ecclesiasticam suo splendori asserit Alexander IV. *ibid.* LIV. Præsules ad eam defendendam excitat, *ibid.* LV. Commendatur S. Ludovicus ab Alexandro IV. libertatem eccl. tueri, 1258 XVI. Gesta adversus libertatem ecclesiasticam rescindi jussa, 1259. XVIII. Clementis IV. zelus in tuendo jure ecclesiastico, 1265. XXX. *& seq.* Oppressa in Lusitania libertas ecclesiastica, 1268. XXXVII. *& seq.* Quid egerit pro ea redintegranda Clemens IV. *ibid.* Alfonsus Lusitaniæ Rex ob violatam eccl. libertatem correptus a Gregorio X. 1273. XXV. *& seq.* Admonetur eam esse basim regnorum, *ibid.* XXV. Intentatæ illi censuræ, *ibid.* XXVI. Gregorius idem Franc. Regem monet, ut ecclesias tueatur, 1275. XX. Ejusdem Pontificis pro restituenda in Lusitania ecclesiastica libertate constitutio, *ibid.* XXI. A prædecessoribus Regibus labefactari erat cœpta, *ibid.* Districtæ ob id in Alfonsum IV. censuræ ab Honorio, *ibid.* Sancius Lusitanus Rex nefaria patris exempla imitatus, *ibid.* XXII. Gregorii ad eum coercendum zelus, *ibid.* Ut Innocentius IV. in eundem Sancium legibus egerit, *ibid.* XXIII. Regni administrationem depulerit, atque Alfonsum subrogarit, *ibid.* Ut ille præteritas Regum injurias in ecclesiasticos viros cumularit, *ibid.* XXIV. Intentatum ei a præsulibus Lusitanis judicium, *ibid.* Decretum Gregorii ad ea tollenda mala, *ibid.* XXV. Imperia pontificia Alfonso data, *ibid.* Imperialis Rodulphi constitutio de juribus ecclesiarum tutandis, *ibid.* XXXVIII. Lusitanus Rex ecclesiasticam libertatem lædit, 1277. XII. Joannis ad ipsum ea de re litera, *ibid. & seq.* Ecclesiasticum jus ab Alfonso Castellæ Reg. violatum, 1279. XXIV. *& seqq.* Eum Pontifex ad officium revocare studet, *ibid.* XXVII. *& seq.* Alfonsus III. Lusitaniæ Rex in ancipiti mortis discrimine illatas a se ecclesiis injurias plangit, 1279. XXIX.

Lituaniæ sive Letoviæ Rex ad Christum traductus. *Vide*, Mendog.

Lituani & Lituania; in eos bellum sacrum indictum, 1257. XXI. XXII. Fundunt gemino prælio fideles, 1261. II. Christianum dæmoni immolant, *ibid.* IV. Sacra baptismi poscunt, 1263. LXXXVII. Baptismi jus conferendi provincia episcopo Cracoviensi imposita, *ibid.* LXXXVIII. A promissis deficiunt, *ibid.*

Lituani Poloniam & Prussiam depopulantur, 1264. XLIV. Othacherus Rex in eos accensus, *ibid.*

Lituani juncti Prutenis Mazoviam vastant, & cruciferos fundunt, 1266. XL.

Lituania Othachero Regi Boemiæ a Clemente addicta, si eam armis domuerit, 1267. XLVI.

Lituani Poloniam infestant vastantque, 1273. XIII. 1279. XLII.

Lituani visis duorum martyrum animabus in cœlum recipi, Deum Christianorum laudant, 1273. XIII. 1279. XLII.

Lituani Poloniam evastant, 1282. XXXIX.

Lituani S. Michaelis monitu & divina ope a Christianis deleti, 1282. XXXIX. *& seq.*

Lituani iterum irrumpunt in Poloniam & divina virtute profligantur, 1283. LVIII.

Livo Aytoni Regis Armeniæ filius cæso fratre captus in acie a Bendocdare Sultano, 1266. XLVII. Percusso fœdere a patre liberatur, 1270. XXVII. Patre religiosa instituta amplexo, Armeniæ sceptrum capessit, *ibid.* Oblatam ab Abagha Turquiam respuit, 1279. XXII. Illum ad Saracenos excindendos excitat, *ibid.* Saracenos fundit fugatque, 1282. III. In reditu magnis incommodis affectus, *ibid.*

Londinense concilium, 1268. LIII.

Loquela infantulo semestri divinitus data, 1275. XLVIII.

Lucani ad constantiam solicitati ab Urbano IV. 1263. LXXVII.

Lucani ad Manfredum deficiunt, 1263. LXXVII.

Lucani conciliati ab Innocentio V. cum Pisanis, 1276. XXIV.

Luceria Saracenorum expugnata a Carolo Rege Siciliæ, 1266. XVII. Rebellat in Carolum, 1267. XII.

Luceria Saracenorum inopia commeatuum ad deditionem compulsa, 1269. I. Saraceni injectis collo funibus veniam poscunt a Carolo, *ibid.* Ad fidem coguntur, vel subiiciuntur servituti, *ibid.*

Ludovicus Imp. ejus diploma de donationibus Rom. ecclesiæ factis, 1278. LVIII.

S. Ludovicus Francor. Rex; Alexandri Papæ ad eum de præclaris virtutum exemplis gratulatoriæ literæ, 1258. XVI. Obtinet, ut eleemosynæ restitutionis vice subeant pro parte injuste, quæ ad ipsum pervenissent, *ib.* XVIII. XIX. Insigne exemplum aliis Regibus abstinendi a re aliena relinquit, *ibid.* Inter proceres & episcopos discordias sopit, 1258. XXI. Ad controversias cum Anglis conciliandas incumbit, *ibid.* Et cum Regina Aragonum, *ibid.* XXII.

S. Ludovicus tractatum de controversiis cum Anglo componendis redintegrat, 1259. XLVII. Ludovici filii majoris natu mortem deflet, *ibid.* Consolatoriæ ad eum Pontificis literæ, *ibid.* XLVIII. *& seq.* Concilium episcoporum Parisiis pro auxiliis Syriæ inferendis celebrari jubet, 1260. XXXV.

S. Ludovicus privilegiis & laudibus ab Urbano IV. exornatur, 1261. XVIII. *& seq.* Respuit Regis Arag. affinitatem quod se hosti Ecclesiæ conjunxerit, 1262. XVI. Gratulatoriæ ad eum Urbani literæ, *ibid.* XVII. XVIII. Solicitatur ad restituendum Constantinopoli Palæologum, 1262. XXXIX. XL. Rogat Pontificem, ut controversiam inter fratrem Carolum & Reginam Margaritam componat, *ibid.*

S. Ludovicus solicitatur ab Urbano ad ferendam Terræ sanctæ opem, 1263. II. *& seqq.* Ad comprimendum Manfredum, 1263. LXXVIII.

LXXVIII. 1264. XIII. Eximium ab Urbano elogium S. Ludovico datum, 1264. XXXI. Angliam pacare ſtudet, *ibid.* XXXII.
S. Ludovicus Pariſiis ſolemnes conventus pro inſtaurandis rebus Syriæ celebrat, 1264. LXIX. Clementis IV. olim illius conſiliarii, de pontificatu adepto literæ, 1265. VIII. Ejuſdem arma adverſus Manfredum implorata, *ibid.* XI. XXIV. Narbonenſis illi eccleſia commendata, *ibid.* XXX.
S. Ludovicus concitatur in Sultanum Babylonium Syriam vaſtantem, 1265. XXXI. 1266. XLIII. Edocetur a Clemente IV. ut Melgorii comitatus ſpectet ad epiſcopum Magalonenſem, 1266. XXXVII. Jacobo Regi Aragonum ut ſanctitatis exemplar imitandus proponitur, 1266. XXVIII.
S. Ludovicus monetur ne Guidoni Monfortio adverſus Angliæ Regem faveat, 1266. XXXV. Ad ferendam Syriæ labenti opem ſolicitatur, *ibid.* XLIII. Crucem in Saracenos induit, 1267. XLVIII. Zelum illius commendat Clemens, *ibid.* XLIX. Exemplo S. Ludovici Theobaldus Navarræ Rex Alfonſuſque Pictaviæ & Toloſæ comes ſacræ militiæ ſe addicunt, *ibid.* L. S. Regis encomia, *ibid.* LI. Triennales illi decimæ attributæ, *ibid.* LIII.
S. Ludovicus leges in blaſphemos fert, 1267. LX. Jubet judices a muneribus abſtinere, *ibid.* LXI. Blaſphemum cauterio inuri, *ibid.* LXIII. Carolum fratrem, exacto a Provincialibus ſacramento, illius jura invaſiſſe queritur Clemens IV. 1268. XXXVII. Monetur ejus adminiſtros ipſo inſcio graſſari in eccleſiaſticos, *ibid.*
S. Ludovicus parandæ expeditioni tranſmarinæ ſtudet, 1268. LI. Venetos ad conjungenda cum ipſo arma ſolicitat, ſed repulſam patitur, *ibid.* Ad Venetos & Genuenſes in concordiam redigendos fruſtra operam adhibet, *ibid.* LIV. Eduardum, ſceptri Anglici heredem, ad expeditionem in Saracenos, allicit, 1269. VI. A Palæologo arbiter controverſiæ Græcorum cum Latinis deligitur, 1270. I. *& ſeq.* Arbitri munus reſpuit, ſed interpretis concordiæ admittit, *ibid.* Cardinalium ad eum literæ, *ibid.* II. *& ſeq.* De ejus zelo in Græcis ad officium revocandis, *ibid.*
S. Ludovicus ſingulari demiſſione erga religioſos viros ſe gerit, 1270. V. Quo ritu profectionem in barbaros ornarit, *ibid.* Filios ſalubribus monitis inſtruit, *ibid.* VI. Appellit in Sardiniam, *ibid.* Quibus de cauſis belli molem in Tunetum verterit, *ibid.* VIII. IX.
S. Ludovicus Carthaginem primo impetu capit, 1270. X. Conſtanter filii mortem fert, *ibid.* XI. Etiam moriturus de propaganda apud Tunetanos fide zelo ardet, *ibid.* Pius ejus obitus, *ibid.* XII.
S. Ludovicus ſaluberrima documenta ſucceſſoribus ſcribit, 1270. XIV. *& ſeq.* Teſtatur de eo Gaufridus, qui a confeſſionibus erat, mortalis peccati labe immunem fuiſſe, *ibid.* XVIII. Quo pietatis ſenſu ad orationem incumberet, *ibid.* XIX. Crucis imaginem veneraretur, *ibid.* XXI.
S. Ludovicus qua obſervantia proſequeretur Pontificem, 1270. XXII. Pars reliquiarum illius Carolo Regi Siciliæ tradita, 1271. II. In Sicilia condita miraculis fulget, *ibid.* Sacræ aliæ illius corporis reliquiæ a Philippo filio in Galliam magna pompa elatæ, *ibid.* IV. Patrata ingentia apud illius ſepulcrum miracula, *ibid.* V. VI.
S. Ludovici prudentia in revocandis a ſchiſmate Græcis laudata a Gregorio X. 1272. V. VI. Illius vita ejuſdem Pontificis juſſu a Gaufrido e Belloloco conſcripta, 1272. LIX. Inſtitutum Nicolai III. juſſu de S. Ludovici miraculis examen, 1278. XXXVIII Et a Martino IV. 1281. XIX. *& ſeq.*
Ludovicus S. Ludovici major natu filius moritur, 1259. XLVII. Illius feretrum Henrici Regis Anglorum humeris delatum, *ibid.*
Ludovicus Philippi III. major natu filius, 1275. XIX.
Ludus; S. Ludovici lex in luſores, 1267. LXII.
Lugdunenſis eccleſia; Gregorius X. illius canonicus fuit, 1271. XIV. 1273. XXIV. Et Innocentius V. ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopus, 1272. num. ult. Controverſiam inter Lugdunenſem clerum & cives, de urbis dominatu exortam, componere ſtudet Gregorius X. 1273. XXIV. Dirempta, *ibid.* LXI.
Lugdunenſe Concilium II. ſub Gregorio X. ab eo indicitur, 1272. XXI. *& ſeq.* Celebrandi ejus cauſæ, *ibid.* XXII. XXV. Tempus deſignat Pontifex, *ibid.* XXIII. Decernit, ut nonnulli epiſcopi in ſingulis provinciis remaneant, *ibid.* XXIV. Hortatur, ut cæteri ad ſynodum conveniant, *ibid.* Reges ad eam vocat, *ibid.* XXV. Invitatus in primis Palæologus Imp. *ibid. & ſeq.* De loco concilii deſignando, 1273. I. II. Lugdunum, ſpretis laboribus, deſignat, *ibid.* III. De nunciis eccleſiarum mittendis ad concilium, *ibid.* IV. Alfonſus Caſtellæ & Philippus Francorum Reges ad concilium invitati, *ibid.* Armeni ad illud exciti, *ibid.* Injuncta præſulibus provincia, ut quæ cenſura egent, in ſcripta redigerent, mitterentque oratores ante concilii celebrandi tempus, quo diſcuti poſſent, *ibid.* VI. Quæ retulerit Olomucenſis epiſcopus, *ibid. & ſeq.* Præcipua in concilio Lugdunenſi geſta, 1274. I. Patrum qui interfuere numerus, *ibid.* Quo tempore inchoatum, *ibid.* Quo ritu, *ibid.* II. Patriarchæ in medio eccleſiæ loco conſident, *ibid.* III. In præſulum ſedibus nullus ordo ſervatus, *ibid.* Secunda ſeſſio, *ib.* IV. Tertia, *ibid.* In ea ad perpoliendos mores plura decreta, *ibid.* Poſtulatum, ut contentio inter æmulos Imperii ſedaretur, *ibid.* V. Alfonſi Regis oratores dimiſſi, Rodulphi vero admiſſi, *ibid.* Rom. eccleſiæ jura ab his aſſerta, *ibid.* VI. Vetera Imperatorum privilegia confirmata, *ibid.* VII. *& ſeq.* Quarta ſeſſio, *ibid.* XIII. *& ſeq.* Græcorum oratores accedunt, *ibid.* Lectæ Palæologi orthodoxam fidem profitentis lit. *ibid.* XIV. Et præſulum orientalium, *ibid.* XVI. *& ſeq.* Eccleſiarum conjunctio agglutinata, *ibid.* XVIII. Palæologo ſignificat Gregorius Papa, ipſum ingenti cum lætitia concilii fuiſſe Romanæ eccleſiæ aggregatum, *ibid.* XIX. Auditus Tartarorum orator, *ibid.* XXI. Et baptiſmo luſtratus, *ibid.* XXII. Lata de Cardinalium conclavi ſanctio, *ibid.* XXIV. Seſſio quinta, *ibid.* XXXII. Lata in ea optima decreta, *ibid.* Sexta & ultima ſeſſio, *ibid.* XXXIII. Novi ordines inſtitui vetiti, *ibid.* Qui non approbati a ſede Apoſtolica diſſolvi juſſi, *ibid.* Monita præſulibus data, *ibid.* Indicta in Saracenos expeditio, *ibid. & ſeq.* Pax vel induciæ principibus in eodem concil. imperatæ, 1277. IV. Confirmatur a Palæologo ſacramentum ab ejus oratore in concilio nuncupatum, *ibid.* XXVII. *& ſeq.* Idem conjunctionem eccleſiæ orientalis in concilio ipſo initam confirmat, 1278. I. *& ſeq. Vide*, Græci.





Luxuria; Syriæ excidium peccatis carnis aſcriptum a Greg. X. 1272. XVII.

# M

MAdavar. *Vide*, Bendocdar.
S. Magdalena; ejus reliquiæ a Carolo principe Salernitano compertæ, 1279. XII. Suaviſſimum odorem ſpirant, *ibid.* Ipſarum tranſlatio, *ibid.* XIV.
Magia; funeſti illius exitus, 1260. XVI.
Magnus Sueciæ Rex regnum Sueciæ fratri Waldemaro eripit, 1277. LXIII. Gothiæ reſtituit, *ibid.* Obtinet in regio ſacello ſacra Romano ritu peragi, 1284. XXIV. Ericum Rege Daniæ propulſat, *ibid.* Cum eo fœdus init, *ibid.* Sacris beneficiis a Martino IV. affectus, 1281. XXIII. Epiſcopus Lincopenſis aliique proceres ei conſulunt, ut fratrem Waldemarum regno Gothiæ deturbatum ob diſſolutos mores cuſtodiæ tradat, 1285. LXXIV.
Mahomad Rex Granatæ ab Alfonſo Rege repreſſus, 1263. LX. 1264. XXXV.
Mahumet Can Tartarorum Rex in Perſide Tangodomor antea, dictus Nicolaus vero in baptiſmalibus ſacris, 1283. LXX. Ejus apoſtaſia, *ibid.* Abaghæ ſuccedit, *ibid.* Diram in Chriſtianos perſecutionem exercet, *ibid.* Tartaros Mahumetana ſecta inficit, *ibid.* 1284. XXX. Ab Argono, quem occidi juſſerat, regno & vita exuitur, *ibid.* XXXI.
Manfredus Siciliam Pontifici eripit, 1258. VII. Placiam vaſtat, *ibid.* Aydonem & caſtrum S. Joannis ad deditionem allicit, *ibid.* Ejus aſtus, *ibid.* VIII. Conradinum veneno tollere molitur, *ibidem* IX. Inſignis ipſius fraus ad fallacem famam de Conradini morte ſpargendam, *ibid.* A Siculis Rex ſalutatur, *ibid.* X.
Manfredus coronam regiam Panormi accipit, 1258. X. Ad tegendam natalium labem ficta ab eo fabula, *ibid.* XI. Conradini oratorem trucidat, *ibid.* Anglorum expeditio in eum ſuſcipienda ob inteſtina bella intermiſſa, *ibid.* XII.
Manfredus propoſitas pacis honeſtas leges cum Alexandro ſuperbe repellit, 1260. II. Saracenos ex Africa in Italiam vocat, *ibid.* In ditionem eccleſiaſticam immittit, *ibid.* In Picenum irrumpit, *ibid.*
Manfredus Florentia potitur, 1260. IV. Cur flagellantibus infenſus extiterit, *ibid.* IX. Illius copiæ in Græcia cum fœderatis fuſæ, 1260. LIII. Saraceni ab eo immiſſi in Campaniam profligati ab Urbano IV. 1261. XXII.
Manfredus Jacobum Regem Aragonum pro iniungenda cum Eccleſia pace ficte adhibet, 1262. IX. Ejus impudentia, & ſcelera ab Urbano expoſita Aragonio, *ibid.* X. *& ſeq.* Aragonius affinitatem illius reſpuere juſſus, 1262. XIV. XV. Vocatur in judicium ab Urbano, 1263. LXIV. Quæ illi objecta, *ibid.* LXV. LXVI. Quibus legibus liber ipſi commeatus permiſſus, *ibid.* LXVIII. LXIX. Fidem violat, *ib.* LXXII.
Manfredus nititur Pontificem in ſuam poteſtatem redigere, 1263. LXXII. Nonnulli Romani perduelles affectant illum ſenatorem creare, 1264. VIII. Pontificem ob Carolum vocatum in Italiam bello atrociter inſectatur, *ibid.* XIII. *& ſeq.* Varii illius ad Pontificem opprimendum conatus divinitus fracti, *ibid.* XVII. *& ſeq.*
Manfredus Oſtiam Anibaldi opera occupat, 1264. XXII. Tybur tentat, *ibid.* Proditione Romam ſibi ſubiicere molitur, *ibid.* XX. XXIV. XXV. Una cum ſequacibus ex Urbani morte ingentem lætitiam præ ſe fert, *ibid.* LXXI. Carolus provinciæ comes a Simone Card. legato Clementis IV. juſſu in eum concitatus, *ibid.* XI. Fruſtra tyrannus Carolo iter in urbem intercludere nititur, *ibid.* XII. Acerrime illum & Pontificem oppugnat, *ibid.* XXII. XXIII. XXV.
Manfredus Tybure fruſtra tentato proditione, in Siciliam citeriorem redit, 1264. XXV. Sacrum bellum propoſitis indulgentiis in eum promulgatum, *ibid.* XXVI. Deſcribuntur ejus flagitia, *ibid.* A pluribus deſeritur, *ibid.* XXVIII.
Manfredus atroces literas ob excitum Carolum Clementi ſcribit, 1266. VIII. Quid ei a Clemente reſponſum, *ibid.* Deſeritur a Caſertæ comite ob illatum conjugi inceſtum, *ibid.* IX. Fatua illius ſuperſtitio in obſervando pugnæ tempore, *ibid.* X.
Manfredus ingenti prælio cæditur, 1266. XI. Laureatæ Caroli de eo proſtrato literæ, *ibid.* XIII. Caret eccleſiaſtica ſepultura, *ibid.* XVI. Ejuſdem dotes & vitia, *ibid.* Illius uxor una cum filiis capta, *ibid.* XVII. Ejus poſteri regnum jure affectare non potuere, 1282. XIII. Ut gemino vitio regnum invaſerit, *ibid.*
Mango Can fratrum Haolonum ad evertendos Saracenos mittit, 1257. LVIII. Moritur, 1260. XXIX.
Mangodanior Abaghæ Regis Tartarorum frater in Saracenos ducit, 1281. I. Ex ignavia, dum ſui vincunt fugit, *ibid.* III. Una cum fratre Abagha veneno tollitur, *ibid.* IV.
Manſuetudo. *Vide*, Iniurias remittere. Et Clementia.
Mantuani iniuſta edicta reſcindere juſſi, 1257. XLIX.
S. Marcus; ſacro illius die ſolemnis ſupplicatio ad baſilicam S. Petri celebranda, 1260. XIII.
Margarita Erici Regis Daniæ filia Birgero Magni Regis Sueciæ filio ad ſopiendum atrox bellum nubit, 1284. XXV.
B. Maria Virgo; illius virginitas a B. Ægidio inſigni miraculo probata, 1262. XXVIII. Feminæ conjectæ in deſperationem a dæmone adeſt auxilio, 1265. LIX. Confoſſam a Judæo ſanat, *ibid.* LX. Ejus capilli Romæ aſſervati, 1280. XXVI. B. Philippum ad Servitarum familiam cœleſti viſo allicit, 1285. LXXXII.
S. Mariæ epiſcopatus cum Segobricenſi coniunctus ab Alexandro IV. 1259. XVIII.
Maria Regum Hieroſolymit. ſtirpe ſata, Hugoni Regi Cypri de regno Hieroſolym. judicium apud ſedem Apoſt. intendit, 1272. XVIII. Declarat Gregorius X. non detractum illius juribus, quamvis Cyprius Rex interdum eo nomine fuerit inſignitus, *ibid.* Nazareno archiepiſc. cognoſcendæ controverſiæ provincia data, *ibid.* XVIII. Prætenſa jura in Carolum tranſfundit, 1277. XVI.
Maria ducis Brabantiæ filia nupta Filippo Regi Francorum corona ſolemni ritu exornata, 1275. XX. Calumniis privigni veneno interfecti apperita, 1278. XXXVI. Ira percitam in Petrum epiſc. Bajocenſem quem calumniæ participem putabat, mulcere ſtudet Nicolaus, *ibid.* Nonnullis ornata prærogativis, *ibid.* XXXVI. *& ſeq.*
Maria e Molina illicito connubio Sanctio paterni ſceptri invaſori juncta, 1283. LVII. Ab impuro thoro juſſa diſcedere a Pontifice, *ibid.*
Martinus ordinis Prædicatorum archiep. Gneſnenſis; exiſtimatus idem qui hiſtoriæ ſcriptor,

ptor, 1277. XIX. De illius scriptis, *ibid.* Post ejus obitum ecclesia Gnesnensis multis affecta damnis, 1279. XLIII.

Martinus IV. ante pontificatum Simon dictus tit. S. Cæciliæ presb. Card. in Gallias legatus missus ab Urbano IV. 1264. IX. Carolo Siculi regni spondendi auctoritate instructus, *ibid.* X. Confirmata illius legatio a Clemente IV. 1265. XI.

Martinus IV. pro ornanda expeditione in Syriam a Greg. X. creatus legatus, 1274. XXXV. Crucesignatos ad pietatem erudire jussus, *ibid.* XXXVIII. XXXIX. Censuras Gallis arma Hispaniæ inferentibus obiicere, 1277. III. IV. Ob non prohibita hastiludia in Galliis correptus a Nicolao III. 1279. XVII.

Martinus IV. creatus Romanus Pontifex post longa Cardinalium diffidia, 1281. III. Gesta ab eo ante pontificatum, *ibid.* IV. Ejus patria, *ibid.* A suorum amore divulsus, *ibid.* Insigne ea de re exemplum, *ibid.* De ejus primordiis, *ibid.* Romanos ad concordiam redigere nititur, *ibid.* V.

Martinus IV. Urbevetere tiara pontificia redimitus, 1281. VI. Encyclicas literas de suscepto pontificatu scribit, *ibid.* VII. Ut, discerpta veste cardinalitia, ad ornatum pontificium induendum adactus fit, *ibid.* IX. Præsulum precibus se commendat, *ibid.* X. Cardinalium numerum auget, *ibid.* XI. Ad Guidonem e Monteferetro reprimendum Joannem Epam Flaminiæ præficit, *ibid.* XII.

Martinus IV. constitutionem Nicolai III. de Urbis senatore dissolvit, 1281. XIV Creatus senator Urbis, Regem Siciliæ subrogat, *ibid.* De Martino ipso senatore creato Romanorum tabulæ, *ibid.* XV. XVI. Etruscos præfectis imperialibus parere admonet, *ibid.* XVII. Hæreticos & Judæos ab ecclesiarum asylo repellendos sancit, *ibid.* XVIII.

Martinus IV. de S. Ludovici miraculis sacrum examen institui jubet, 1281. XIX. Regem Francorum sacris beneficiis afficit, *ib.* XXII. Et Magnum Sueviæ Regem, *ibid.* XXIII. Fideles morituros hortandos jubet ad legandam pro subsidio Terræ sanctæ opum partem, *ibid.* XXIV.

Martinus IV. Palæologum Græcorum Imp. anathemate percellit, 1281. XXV. Petrum Regem Aragonum interrogat, cur apparatum bellicum comparet, nihilque elicit, *ibid.* XXVIII. Carolo Regi Siciliæ pro expeditione sacra Siciliæ, Sardiniæ, & Ungariæ sexennales decimas attribuit, 1282. V.

Martinus IV. censuras in Palæologum Græcorum Imp. renovat, 1282. VIII. Jubet fideles ab illius fœdere discedere, *ibid.* IX. In Panormitanos, qui exercuerant carnificinam in Gallos, sententiam fert, *ibid.* XIII. *& seq.* Officii monet, *ibid.* XIX. Gerardum episcopum Sabinensem in Siciliam legat, *ibid.* XX. XXI.

Martinus IV. Petrum Regem Aragoniæ ob Siciliam occupatam censuris percellit, 1282. XXIII. Edicit illi ne Regis Siciliæ nomen usurpet, *ibid.* Palæologum ob initam cum Petro & Siculis conspirationem damnat, *ibid.* XXIV. Petro exauctorandi illius minas intentat, *ibid.* XXV.

Martinus IV. Conradum de Antiochia anathemate ferit, 1282. XXVI. Ditionis pontificiæ arces, in Calabria sitas, tradi Carolo custodiendas jubet, *ibid.* XXVII. In Guidonem e Monteferetro Romaniolæ invasorem legibus agit, *ibid.* XXIX. Ecclesiasticam libertatem tuetur, *ibid.* XXXII.

Martinus IV. severitatem distringit in hæreticos, 1282. XXXII. Ladislaum Regem Ungariæ, ut religionem Christianam adversum Cumanos defendat, hortatur, *ibid.* XXXVI. Sacram in Siculos rebelles propositis indulgentiis expeditionem promulgat, 1283. I. II.

Martinus IV. pactiones inter Carolum & Petrum Reges de ineundo certamine singulari rescindit, 1283. VI. Regi Angliæ præcipit, ne in Vasconia ipsos congredi permittat, *ibid.* VII. Carolum pluribus monitis a nefaria pugna deterrere nititur, *ibid.* VIII. Benedictum Cardinalem, cui postea Bonifacius VIII. extitit, ea de causa mittit, *ibid.* XII.

Martinus IV. sententiam in Petrum Regem Aragonum fert, 1283. XIV. Omni in regna jure exutum pronuntiat, *ibid.* XXIII. Ejus ditionem sacrorum usu privat, *ibid.* Joannem Colletum tit. S. Cæciliæ presb. Card in Siciliam legat, *ibid.* XXIV. Aragoniæ jura in Carolum Valesium transfundit *ibid.* XXV. Quibus pactionibus, *ibid.* XXVI. *& seq.* Valentiam eidem confert, *ibid.* XXXV. Triennales decimas in id Philippo Regi Franc. attribuit, *ibid.*

Martinus IV. Eduardum Angliæ Regem a contrahenda cum Aragonio affinitate deterret, 1283. XXXVI. XXXVII. Venetos, nonnullos faventes Petro anathemate percellit, *ibid.* XXIX. Portuensem episc. ad conducendam Venetiis pro recuperanda Sicilia classem mittit, *ibid.* XL.

Martinus IV. ingentem vim auri ad bellicos sumptus principi Salernitano suppeditat, 1283. XL. Derivat in id Syriæ decimas, *ibid.* XLI. Gerardum episc. Sabinensem veteres Siculorum libertates accuratius pervestigare jubet, *ibid.* XLVI.

Martinus IV. Carolo solutionem census prorogat, 1283. XLVII. Redditæ ipsi a Rege grates, *ib.* Perduellibus ad officium revocandis operam dat, *ibid.* XLVIII. Clientum ecclesiæ onera levat, *ibid.* XLIX. Episc. Card. Portuensem in parte Italiæ legatum constituit, *ibid.* Romanis annonæ penuria laborantibus subvenit, *ibid.* LI. *& seq.*

Martinus IV. Pisanos & Genuenses in mutuam concordiam revocare studet, 1283. LIII. Ejus auxilium Alfonsus Rex Castellæ contra filium rebellem implorat, *ib.* LIV. Præsules & proceres Castellæ, objectis censuris, ad Alfonsi obsequium redire jubet, *ibid.* LVI. Sanctium, illegitimas contrahentem nuptias objurgat, *ibid.* LVII.

Martinus IV. Pauli episc. Cracoviensis, a Leskone duce oppressi, patrocinium suscipit, 1283. LVIII. Leskonem censuris percelli jubet, *ibid.* LIX. Eduardum Anglorum Regem, ne Asiaticæ expeditionis consilia abiiciat, solicitat, *ibid.* LXII. Eumdem manus in sacras decimas injecisse arguit, *ibid.* LXVII.

Martinus IV. principatus Cataloniæ, Aragoniæ, Valentiæ regnorum jura in Carolum Regis Francorum filium transfundit, 1284. I. Petrum Aragonium censuris defigit, *ibid.* Religiosam in Siculos militiam a Gerardo Card. promulgari jubet, *ibid.* II. Joannem Card. in Gallijs, Navarra, Aragonia, Valentia, Balearibus, & pluribus aliis provinciis legatum creat, *ibid.* IV.

Martinus IV. pactiones initas inter Card. legatum & Carolum Valesium confirmat, 1284. V. *& seq.* Decimas pro inducendo in possessionem Carolo Regi Philippo attribuit, *ibid.* X. In Aragonios censuris ecclesiasticas spernentes, legibus agit, 1284. XII.





Martinus IV. Carolum Salernitanum principem, meditantem expeditionem in Siciliam, pecunia & milite juvat, 1284. XIII. Gratulatur Campaniæ & Maritimæ præsidi Conradum fudisse, *ibid.* XV. Perusium adit, *ibid.* XVI. Urbis discordias componere nititur, *ibid.* XVII. *& seq.*

Martinus IV. Magno Regi Sueciæ permittit divina in regio ipsius sacello ritu Romano peragi, 1284. XXII. Canonicam legem de gradibus consanguiniratis ad Sueciæ, & Daniæ componenda bella solvit, *ib.* XXIV. Concordiæ pactiones, inter clerum & Regem Lusitanum initas, partim confirmat, partim abrogat, *ibid.* XXVI.

Martinus IV. ab Angliæ Rege censum annuum exigit, 1284. XXIX. Gratulatur illi, Asiatico bello arma devovisse, *ibid.* XXXIII. Respondet ad illius petita, *ibid.* XXXVI. XXXVII. Robertum Atrebatensem comitem, & Gerardum episc. Card. Sabinensem A. & L. regni Siciliæ procuratores instituit, 1285. VI.

Martinus IV. Conrado de Antiochia, in Aprutium irrumpenti, Joannem de Epa opponit, 1285. IX. Censum a Polonis exigit, *ibid.* XI. Post mortem miraculis effulget, *ibid.* XII. Sedis illius tempus, *ibid.* XIII. Pia legata ab ipso relicta, *ibid.* Honorius IV. ei in pontificatu succedit, *ibid.* XIV.

Martyres. *Vide*, Fides Christiana.

Mathæus S. Mariæ in Portica diac. Cardin. creatus ab Urbano IV. in patrimonio B. Petri legatus, 1264. XV.

Mathæus Rubeus Ursinus Card. S. Mariæ in porticu; quanta benevolentiæ significatione illi Minoritæ commendati, 1280. XXVII. A Viterbiensibus carcere inclusus, 1280. I. Viterbiensium ob id interdicto suppositum, *ibid.*

Matrimonium; illius nexus indissolubilis, 1266. XXVII. Virginitas in matrimonio servata. *Vide*, Virginitas.

Maynardus Foritiæ comes patriarcham Aquilejensem abducit in vincula, 1267. XLVII. Restituit libertati, *ibid.*

Melecknafer Sultanus Halappi regno a Tartaris exutus, 1260. XXVII. Dum se Haoloni fidei permittit, in vincula coniicitur, *ibid.* XXVIII.

Melgorii comitatus qua ratione ad episc. Magalonensem spectet S. Ludovico Clemens insinuat, 1266. XXXVII.

Meliteniota & Metochita archidiaconi catholici cum Joanne Becco patriarcha Constantinopolitano producti reorum instar coram schismaticis, 1284. XLVI. Ob veritatem fidei carceri traditi, *ibid.* XLVIII. Ad minas promissave Andronici Imp. infracti, *ibid.* De Meliteniotæ morte, *ibid.* LII.

Melquelsayt Bendocdari patri succedit in Ægypti, & Babyloniæ regno, 1277. XVIII. A suis cæsus, *ibid.*

Mendog sive Mindanus Lithuaniæ Rex Christianorum terras populatur, 1260. XXIII. A suis trucidatur, 1265. LXXXVII.

Meretrices e regno suo undecunque eiici imperat S. Ludovicus, 1267. LXII.

Messana & Messanenses; cum Card. legato de concordia ab illis agitatur, 1282. XXII. Obsessa Messana a Carolo, *ibid.* Soluta obsidio Regis Aragonum adventu, *ibid.* Crudele Panormitanorum exemplum in Gallos imitantur, 1283. XIX. Cum ad ecclesiæ imperia rediissent, Petri Aragonii opera ab ejusdem ecclesiæ obsequio revocati fuere, *ibid.*

Metochita, *Vide*, Meliteniota.

S. Michael Leskonem Nigrum admonet, ut infideles insequatur, & prosternat, 1282. XXXIX. Nullus in ea victoria Polonus desideratus, *ibid.* XL. Sacrum ejus nomini templum a Leskone excitatum, *ibid.*

Michael Bulgariæ Rex a conjuratis necatur, 1258. XLIII.

Michael Palæologus Theodori Imp. minis territus ad Turcos fugit, 1257. LXII. Præfectus aciei Tartaros vincit, *ibid.* LXIII. Ad Joannis Theodori Imp. filii tutelam gerendam vocatur, 1259. LV. LVI. Ambitionem modestia ficta tegit, *ibid.* Quibus artibus tyrannidem arripuerit, *ibid.* LVII. Vana ejusdem promissa, *ibid.*

Michael Palæologus Joannem Lascarim custodiæ tradit, 1259. LVIII. Patriarchas pro libidine constituit, *ibid.* Confecta ad illius gratiam præfagia, *ibid.* Detrectat fœdus cum infidelibus fancire, *ibid.* LIX. Balduini Constantinopolitani Imp. oratores repellit, *ibid.* LX.

Michael Palæologus dolo insignem victoriam de Michaele despota, Villarduino, & Manfredo refert, 1260. LII. LIII. Villarduinum Achajæ & Peloponnesi principem capit, *ibid.*

Michael Palæologus Constantinopolim proditione tentat, 1260. LIV. Alexii Cæsaris opera opprimit, 1261. XXVI. Solemni instructa supplicatione eam ingreditur, *ibid.* XXXI. Joannem Lascarim Imperii heredem oculis privat, *ibid.* XXXII.

Michael Palæologus ab Arsenio patriarcha anathemate percellitur, 1261. XXXIII. Illum pellit in exilium, & Germanum subrogat, *ibid.* Nonnulla adversa experitur, *ibid.* XXXIV. Peram Genuensibus attribuit, *ibid.* XXXV. De illius victoriis Urbani IV. literæ 1262. XXXIV. XXXV. Achajam & Peloponnesum tentat, *ib.* XXXVI. Balduinus & Veneti in eum coeunt, *ibid.* Fideles ab Urbano in ipsum incitati, *ibid.* XXVII. S. Ludovicus Rex in eum solicitatus, *ibid.* XXXIX. XL. Genuenses ab ejus fœdere Pontifex divellere nititur, 1263. XVIII. Cypro insidiatur Palæologus, *ibid.* XIX.

Michael Palæologus Villarduinum Achajæ principem bello petit, *ibid.* XXI. Ecclesiæ Rom. aggregari flagitat, 1263. XXII. Præcipue illius literarum capita, *ibid.* XXIII. *& seq.* Imperatæ inter ipsum & catholicos principes induciæ, *ibid.* XXXVII. Urbanus in eum sacram expeditionem indicit, 1264. LVI.

Michael Palæologus exambit Eccl. Rom. gratiam, 1264. LVIII. Literas ad Urbanum de ecclesiarum conjunctione redintegranda scribit, *ibid. & seq.* Respondit illi Pont. & nuncios apostolicos mittit, *ibid.* LXI. *& seq.* In ingens discrimen a Constantine rege Bulgarorum adductus, *ibid.* LXV.

Michael Palæologus ad arma exemplo S. Ludovici in Saracenos vertenda solicitatus, 1267. LXVI. Si metuat Latinos ecclesiarum conjunctionem redintegret, *ibid.* LXVII. Fidei formam in multis erroneam & mancam ad Clementem IV. transmittit, *ibid.* LXXII. Orthodoxæ fidei, quam Romana tenet Ecclesia, formam ad eum mittit Clemens, *ibid.* LXXV. *& seq.*

Michael Palæologus destinat apocrisarios, 1267. LXXXI. Vario eventu bellum cum Carolo Rege Siciliæ gerit, 1269. IV. S. Ludovicum controversiæ Græcorum cum Latinis arbitrum deligit, 1270. I. *& seq.* A Gregorio X. ad concilium œcumenicum invitatur, 1272. XXV.

Michael Palæologus affectat prius de pace cum Latinis pacisci, quam fidei causam agitare, 1272. XXVIII. Fidei causam prius dirimendam respondet Gregorius, *ibid.* Missi ad eum pontificii oratores, *ibidem.* XXX.
Michael Palæologus Venetos de fœdere coeundo solicitat, *ib.* XXXI. Oratores ad conc. Lugdunense legat, ut in ecclesiæ sinum admittatur, 1274. XIII. Illius ad Gregorium literæ, *ibid.* XIV. Profitetur, Spiritum sanctum e Patre Filioque procedere, *ibid.* Eucharistiam ex azymo posse confici, & primatum Rom. Pontificis agnoscit, *ibid.*
Michael Palæologus flagitat, ne Symbolum adjectione vocis, *Filioque*, mutetur apud Græcos, 1274. XIV. Sacramenti forma, quæ se Rom. ecclesiæ obsequio addixit, *ibid.* XVIII. Gratulatur illi Pontifex, ad sinum ecclesiæ rediisse, *ibid.* Cassinensis abbas pro conciliandis ipsum inter, & Carolum Regem Siciliæ & Philippum Imp. exulem induciis missus, *ibid.* XX. Missi ad ipsum a Joanne XXI. nuntii, ut ecclesiarum conjunctionem confirmet, 1276. XLV. 1277. XX. Michaelis literæ ad Joannem Papam, *ibid.* XXI. Primatum Rom. ecclesiæ profitetur, *ibid.* Sibi de sublato schismate gratulatur, *ibid.*
Michael Palæologus in schismatici patriarchæ locum catholicum se suffecisse significat, 1277. XXIV. Sedem Apostolicam ad conjunctionem initam adstringendam solicitat, *ibid.* Nuncupatum ab oratore in concilio Lugdunensi sacramentum confirmat, *ibid.* XXVII.
Michael Palæologus gratulatorias ad Nicolaum III. de adepto pontificatu literas mittit, 1277. LX. Datæ ad illum ab eodem Pontifice pro confirmanda conjunctione ecclesiarum literæ, 1278. II. Qui ad ipsum nuntii ea de causa, missi, *ibid.* IV. Postulante Palæologo, defigi eos censuris qui ad Carolum defecere, negat Pontifex nisi fidei odio id factum sit, *ibid.* XII. Conflatæ in Palæologum rebellionis auctores, *ibid.* Seditiones ob damnatum schisma, *ibid.* XIII. Alexius Trapezi princeps in eum solicitatus, *ibid.* XIV.
Michael Palæologus schismaticos & Latinos fœderatos delet, 1278. XIV. Pacem cum Philippo Imp. & Carolo, interprete Pontifice, agitare spernit, *ibid.* XV. Arguitur a Nicolao III. *ibid.* Monetur oratores ea de causa ad sedem Apost. mittere, *ibid.* Illius ad Nicolaum literæ, in quibus iterum schisma abjurat, 1280. XIX. XX. Confirmatæ ab Andronico, *ibid.*
Michael Palæologus deficit ab Rom. Ecclesiæ obsequio, 1281. XXV. Percellitur anathemate a Martino IV. *ibid.* Illius forma, *ibid.* Solicitatus a Joanne Prochyta, cum Rege Aragonum coitiones init in Carolum, *ibid.* XXVII. Carolus Rex Siciliæ in eum bellum vertere meditatur ante Syriacam expeditionem, 1282. VII.
Michael Palæologus a Martino IV. ob violata promissa censuris iterum defigitur, 1282. VIII. IX. Et ob coitionem initam cum Petro Rege Aragonum in Carolum, *ibid.* XXIV. Illius mors, 1283. LXXI. *& seq.* Ut quodam vaticinio delusus grave facinus admiserit, *ibid.* Ejus obitus a Pachymerio describitur, *ibid.* LXXII.
Michael Palæologus ecclesiastica sepultura a schismaticis privatur, 1283. LXXIII. Conjectura est, impensi schismaticis studii eum pœnituisse, *ibid.* LXXIV. Ejus elogium, *ibid.* Succedit ei Andronicus filius. *Vide*, Andronicus.
Michael sive Angelus Michael Epiri despota cum Manfredo & Villarduino affinitates contrahit, 1260. LI. Bellum Palæologo movet, *ibid.* LII. Ob præstitam imprudenter transfugæ fidem e prælio fugit, *ibid.* Alexium Palæologi ducem fundit, capitque, 1261. XXXIV.
Minoritæ plures a Nicolao III. ad honores ecclesiasticos evecti, 1280. XXVII. Quanta benevolentiæ significatione eos idem Pontif. Matthæo Rubeo Cardinali commendarit, *ibid.* Bonorum usus illi permissus, dominio sedi Apostolicæ reservato a Nicolao III. *ibid.* Orta ex nonnullorum arrogantia inde plura mala, *ibid.* Sericæ vestes ipsis in rebus sacris peragendis concessæ, 1257. LII. *Vide*, Religiosi mendicantes.
Miracula. *Vide*, Canonizatio sanctorum. Translatio reliquiarum. Et reliquiæ.
Misericordia divina; insigne illius exemplum in Agnete moniali, 1265. LIX.
Missa; S. Hedwiges eximio pietatis sensu divinæ rei intererat, 1267. XLV. In ea audienda S. Ludovici pietas, 1270. XIX. Inter cætera monita, posteros circa consecrationis tempus precibus summa contentione jubet incumbere, *ibid.* Henricus Rex Angliæ plures missas quotidie magno pietatis sensu audit, 1272. LXI. Suadenti S. Ludovico, ut concionibus audiendis partem ejus temporis tribueret, respondit dulcius esse, amantem videre, quam de eo verba facientem audire, *ibid.* De sacris in eo celebrando ritibus, 1278. LXXIX. §. Missæ. Præces in Missæ sacrificio ad petendam a Deo pacem fundendæ, 1280. XVI. XVII. Ex pietatis sensu inter sacra fundebat lacrymas Nicolaus III. *ibid.* XXVI.
Moguntinus archiepisc. ad eum Regis Boemiæ inungendi partes spectant, 1260. XIX. XX.
Moneta; de percutienda justi ponderis moneta, 1259. XVIII. Novum monetæ genus semel tantum conflandum in Neapolitano regno a singulis Regibus, 1285. XXXV.
Monomachia. *Vide*, Duellum.
Mors piorum hominum & mulierum; S. Hyacinthi, 1257. XIII. Sororis B. Eduardi miraculis claræ, 1257. XXXVII. Valteri, *ibid.*
Mors pia Annæ Romanorum Reginæ, 1281. XXIX.
Mortem suam S. Richardus episc. Cicestren. prædicit, atque inhalato spiritu corpus pulcherrime nitet, 1252. XXVI.
In Morte B. Salomeæ auditi cœlestes cantus, 1268. LVI. Illius corpus post mortem suavissimum odorem spirat, *ibid.*
Mors felix S. Ludovici Regis, 1270. XI. *& seq.*
Morientis Brigittæ Clarissæ lectum Angeli thure suffire visi, 1283. LX.
Mors pia B. Philippi Benitii Servitæ, 1285. LXXXIV.
Mortis meditatio salubris; Henricus Ratisponensis episcopus loculum pone lectum asservat, 1276. XXXVI. Officia defunctorum pro se adhuc vivo celebranda quotannis curabat, *ibid.*
Mortis acerbitas Agneti ab Angelo propinato amaro poculo, prænunciata, 1268. LV.
Mors peccatorum pessima, 1277. L. Qui vivendo obliviscitur Dei, moriendo obliviscitur sui, *ibid. Vide*, in Ezelino & aliis tyrannis.
Mundus; ejus flagitia, 1259. XLII.
Mundi contemptus; Aytonus Armeniæ Rex relicto regno, religiosæ vitæ se addicit, 1270.



1270. XXVIII. Margarita Ungar. spreti Regum nuptiis, sanctissime vivit, *ibidem.* XXXII.
Munera; prohibet S. Ludovicus ea a judicibus accipi, 1267. LXI.
Murcia a Jacobo Rege Aragonum debellata, 1266. XXV.
Musulmani. *Vide*, Turci.
Muzalo tutor Joanni octenni a Theodoro Imp. datus trucidatur, 1259. LIV.

# N

Narbonensis ecclesia S. Ludovico a Clemente IV. quibus de causis commendata, 1265. XXX.
S. Narcissus; ob violata ejus donaria pestis in Francorum exercitu augeri credita, 1285. XXVI.
Navarræ Reges a Pampilonensi episc. inungendi, 1257. LVII. 1259. XIV. Eo impedito, alium possunt ad eum ritum adhibere, 1259. XV.
Navarra a Gallis jure & armis obtenta, 1275. XIV.
Nazaretana ædes & basilica; eversa basilica ab infidelibus, 1263. VII.
Nazaretana ædicula, in qua verbum incarnatum fuit, superstes barbarico furori translata divinitus in Europam, & Lauretana dicitur, 1263. VII.
Neapolis Caroli jugum accipit, 1266. XVII.
Neapolitanum regnum. *Vide*, Sicilia.
Nicephorus Blemmyda, ut pro confirmando catholico dogmate scripserit, 1275. XLIX. Lectis illius scriptis Joannes Beccus ad fidem traductus, *ibid.*
Nicephorus Ephesinus Arsenio abeunti patriarchatu Constantinop. subrogatus, 1259. LVIII.
Nichiforus despota a Palæologo ob schisma abjuratum deficit, 1277. XLI. Joannes Beccus patriarcha in eum anathematis sententiam fert, *ibid.* XLII. Bellum in Palæologum ob redintegratam ecclesiarum conjunctionem concitat, 1278. XIII.
Nicolaus III. ante pontificatum Joannes Cajetanus dictus, 1277. LIII. Creatur Pontifex, *ibid.* Illius genus & patria & primitiæ, *ibid.* Prædictus illi a S. Francisco pontificatus, *ibid.* Sua in Carolum Regem Siciliæ studia explicat, *ibid.* Viterbio se Romam confert, *ibid.*
Nicolaus III. Rodulphum ab ingressu Italiæ deterret, ni fœdus cum Carolo antea pepigerit, 1277. LIV. Galliæ & Castellæ Reges revocare in concordiam nititur, *ibid.* LVII. Solemni ritu tiaram pontificiam accipit, *ibid.* LVIII. Ab eo creati Cardinales, *ibid.* Symbolum ab eo acceptum, *ibid.* Encyclicæ de adepto pontificatu literæ, *ibid. & seq.*
Nicolaus III. Imperatores ac Reges, ut ad religionem propagandam conjungant operam solicitat, 1277. LX. Scriptæ ad ipsum Imperatoris Græcorum gratulatoriæ de parto pontificatu literæ, *ibid.* Aliæ de eodem Joannis Becci patriarchæ Constantinop. *ib.* LXI. LXII.
Nicolaus III. ad confirmandam orientalis cum Romana ecclesia conjunctionem incumbit, 1278. I. Datæ ad Palæologum de eo argumento literæ, *ibid.* II. *& seq.* Et ad Andronicum filium, *ibid.* V. Ad patriarcham & præsules, *ibid.* VI.
Nicolaus III. præcipit Græcis, ut vox, *Filioque*, in symbolo adiiciatur, 1278. VIII. Sacramentum, quo se constantes in obsequio ecclesiæ Rom. futuros spondeant, exigit, *ibid.* IX. Dat nuntiis imperia, ut censuris præteritis exolvi confirmarique in munere flagitent, *ibid.* XI. Queritur apud ipsum Palæologus, se fidei causa a schismaticis & Latinis circumventum periculis, *ibid.* XIII. XIV.
Nicolaus III. de concilianda Palæologum inter & Philippum concordia agitat, 1278. XV. XVI. Arguit Joannis XXI. monitis non paruisse, *ib.* Hortatur ad inducias ineunda *ibid.* Carolum, & Philippum monet ad eas paciscendas, *ibid.* XVI.
Nicolaus III. Tartarorum oratores excipit, 1278. XVII. Præcipua illius legationis capita, *ibid.* XVIII. Abagham ad Christi cultum adducere nititur, *ibid.* XIX. De oblato in Saracenos exercitu gratias agit, *ibid.* Gratulatoriæ illius de suscepto baptismo ad supremum Tartarorum Imp. literæ, *ibid.* XX. *& seq.*
Nicolaus III. ad Tartaros fide imbuendos Minoritas mittit, 1278. XXII. In Cumania episcopatum institui jubet, *ibid.* Philippum Firmanum episcopum pro tuenda in Ungaria fide legatum mittit, *ibid.* XXIII. Tractando inter Castellæ & Galliarum Reges fœderi navat operam, *ibid.* XXIV. Tolosam ad tractatum ineundum designat, 1278. XXV. Queritur, Alfonsum Regem iis mittendis defuisse, *ibid.* XXVI. Philippum Gallorum Regem, ne graviores iras concipiat, mulcet, *ibid.* Alfonsum objurgat, *ibid. & seq.*
Nicolaus III. arguit Alfonsum Compostellanam ecclesiam oppressisse, 1278. XXXI. *& seq.* Bajocensis episc. ad sedem Apost. profugi patrocinium suscipit, *ibid.* XXXIII. Deterret Philippus ne episcopatus Bajocensis vectigalia invadat, *ibid.* XXXIV. XXXV. Mariam Reginam ac Regem virum piis nonnullis prærogativis afficit, *ibid.* XXXVI. XXXVII. De S. Ludovici miraculis inquiri jubet, *ibid.* XXXVIII.
Nicolaus III. controversiam inter Carolum, & Margaritam Reginam sopire studet, 1278. XXXIX. Rodulpho victoriam de Othachero peperisse gratulatur, *ibid.* XLIV. In victos clementia uti persuadet, *ibid.* Rodulphi ad eum literæ de Romanæ ecclesiæ juribus asserendis, *ibid.* XLVI. Conradus regius orator ea in Cardinalium consistorio ipsi confirmat, *ibid.* XLVII. Editæ ea de re publicæ tabulæ, *ibid.* XLVI. *& seq.* Romaniola & Ravennæ exarchatus ei restituti, *ibid.* LI.
Nicolaus III. contrariis factionibus conciliandis dat operam, 1278. LV. Latinum Cardinalem legatum ea de causa mittit, *ibid.* Expetit a Carolo subsidiarias copias, *ibid.* Et a Rodulpho, ut controversarum urbium nomina more Imperatorum exprimat, *ibid.* LVII. *& seq.*
Nicolaus III. flagitat ab electoribus principibus, ut Siciliam, Sardiniam, & Corsicam sedi Apostolicæ in humanis obnoxias profiteantur, 1278. LXI. Præscribit Rodulpho formam, qua ecclesiæ jura constabiliat, *ibid.* LXII. Rodulphum Carolo conciliare nititur, *ibid.* LXIII.
Nicolaus III. constituitur a Rodulpho pacis arbiter, 1278. LXIV. Fiduciarii Regis officia a Carolo Rege accipit, *ibid.* LXVI. Eum admonet, ut gravatos populos levet, *ibid.* LXVII. Etruriam Rodulpho illum cedere jubet, *ibid.* Et senatoriam dignitatem, decennio evoluto, deponere, *ibid.* LXIX. *& seq.* Si repugnarit, pœnas obiicit, *ibid.* LXXI. Paret ei Carolus, *ibid.* LXXII.

LXXII. Edita apostolica constitutio de externis principibus ad rem Romanam gerendam non vocandis, *ibid.* LXXIII. *& seq.* Quæ causæ illum impulerint, *ibid.* Confutati qui ob id Nicolao detrahunt, *ibid.* LXXVII.
Nicolaus III. veteres Conradini sequaces in gratiam ecclesiæ restituit, 1278. LXXVII. Florentinorum dissensiones conciliat, *ibid.* Genuenses ob violatam cum Lavaniæ comitibus pacem censuris defigit, *ibid.* In excindendis hæresibus studium locat, *ibid.* LXXVIII. Pagani censoris fidei interfectores insectatur, *ibid.*
Nicolaus III. pro convertendis Judæis laborat, 1278. LXXVIII. Clero basilicæ Principis Apostolorum leges præscribit, *ibid.* LXXIX. Joannem Vercellensem arguit Hierosolymitanum patriarchatum respuere, *ib.* LXXX. Eduardo Angliæ decimas certis pactionibus attribuit, *ibid.* LXXXII. Rodulphi ad eum literæ de Æmilia, exarchatu, & aliis urbibus confirmatis, 1279. III. Quæ ipsi a Rodulpho promissa, a principibus electoribus confirmantur, *ibid.* VI. VII.
Nicolaus III. inter Carolum Regem Siciliæ ac Rodulphum pacem promovet, 1279. IX. *& seq.* Inter eos affinitatem conciliat, *ibid.* X. Ineundi fœderis leges præscribit, *ibid.* XI. Inter Siciliæ & Cypri Reges controversiam de Hierosolymorum regno sopire studet, 1279. XV. Corripit Card. legatum, hastiludia in Galliis permisisse, *ibid.* XVII. *& seq.*
Nicolaus III. Alphonsum Regem Castellæ perstringit, tractatum pacis cum Rege Francorum extraxisse, 1279. XXII. Mala, quæ inde in Syriam redundant, exponit, *ibid.* XXIII. Jus ecclesiasticum violasse arguit, *ibid.* XXIV. Præcipua capita illi objecta, *ibid.* XXIV. *& seq.* Monita ei proposita, ut ecclesiarum jura restituat, *ibid.* XXVIII. *& seq.* Pro revocando ad officium Ladislao Rege Ungariæ Rudulphi & Caroli Regum auctoritatem adhibet, 1279. XXXIV. Gravissimæ eo argumento ad Ladislaum apostolicæ literæ, XXXV. *& seq.*
Nicolaus III. Wolstiberii Gnesnensis archiepiscopi designati causam Philippo A. S. L. committit, 1279. XLIII. Constitutionem de electionibus fert, *ibid.* XLIV. *& seq.* Altaré S. Nicolao sacrum in basilica S. Petri dicat, *ibid.* XLVII. Bajocensem episcopum contra Brabantiæ, Burgundiæ, & Atrebati principes tuetur, *ibid.* XLVIII.
Nicolaus III. Antiochenum principem eumdemque comitem Tripolitanum ob episcopum injuste divexatum corripit, 1279. XLIX. ad LI. Objectæ illi pontificiæ minæ, *ibid.* LI. Gregorii literas de stigmatibus S. Francisci confirmat, *ibid.*
Nicolaus III. Sinibaldi Minoritæ opera adversus hæreticos utitur, 1279. LII. Sanciendæ inter Rodulphum & Carolum concordiæ dat operam, 1280. I. Firmatur ipso interprete, *ibid.* II. *& seq.* Monet Carolum, ut controversiam cum archiep. Capuano apud sedem Apostolic. disceptet, *ibid.* V.
Nicolaus III. dissentientes Bononienses inter se conciliare studet, 1280 VI. VII. Latinum Cardinalem eo se conferre jubet, *ibid.* Alfonsum Castellæ Regem, ut pacem cum Philippo ineat, urget, *ibid.* XII. Solemnes preces pro redigendis in concordiam Franciæ & Castellæ Regibus indicit, *ibid.* XIII. *& seq.* Andronici & Palæologi schisma iterum damnantium, ad eum literæ, *ibid.* XIX.
Nicolaus III. moritur Suriani, 1280. XXIII. Quanto tempore sederit, *ibid.* Nonnulla ejus gesta in ornandis ecclesiis, *ibid.* XXV. Palatium S. Petri extruit, *ibid.* Lateranense palatium absolvit, *ibid.* XXVI. Sacras ecclesiæ Lateranensis reliquias in pretiosis loculis reponit, *ibid.*
Nicolaus III. lacrymas ex pietatis sensu fundit, dum sacris operatur, 1280. XXVI. Notarios a se repellit, *ibid.* In conferendis sacerdotiis pios doctoribus anteponit, *ibid.* XXVII. Qui ab eo Cardinales creati, *ibid.*
Nicolaus III. Minoritas singulari studio complectitur, 1280. XXVII. Eorum disciplinæ formam interpetratur, *ibid.* Permisso iis rerum usu, illarum dominium sedi Apost. reservat, *ibid.* Orta inde mala, *ibid.* De condendis novis in Italia regnis agitasse ferunt, *ibid.* XXVIII. Excitata post ejus mortem in Urbe seditio, *ibid.*
Nicolaus IV. ante pontificatum dictus Hieronymus Minoritarum supremus magister pro concilianda Franciæ inter & Castellæ Reges concordia adhibitus, 1278. XXIV. 1280. XIV. Cardinalis creatus a Nicolao III. 1280. LVIII.
Nicosiensis archiep. Latinus tum Latinorum tum Græcorum primas in Cypro constitutus, 1260. XL. *& seq.*
Nidrosiensis archiepisc. deficiente herede Norwegiani sceptri, ipse præcipuus est inter electores, 1273. XX. Assertum archiepisc. Nidrosiensi cudendæ monetæ, jus, *ibid.*
Nobilitas a Christo contempta, 1266. XXXIX.
Notarii repulsi a Gregorio X. & Joan. XXI. & Nicolao III. 1280. XXVI.
Nothi filii Rex Boemiæ justorum natalium jura a Pontifice impetrat, 1260. XXI. Excipitur sceptro Boemico non successuros, *ibid.*
Nuceria obsessa a Carolo Rege, 1269. I. In deditionem accepta, *ibid.*
Nuceria a Carolo expugnata, Saracenique in Sicilia aboliti, 1269. I.
Nunnius Lara præfectus Beticæ a Mauris fusus, 1275. XVI.

# O

S. Odilia; sacræ ejus reliquiæ divinitus detectæ, 1285. LXXXV. Plura miracula patrant, *ibid.* LXXXVI. Hoyum transfiatæ, *ibid.*
Officia divina; fundendas inter ipsa preces docet filium S. Ludovicus, 1270. XIV. Quanto studio ad ea affectus Rex sanctus, *ibid.* XIX. De divinis officiis peragendis, Conc. Buden. n. XLII. Quomodo celebranda, Conc. Buden. n. XXIII. *Vide*, Chorus.
Ogerius apud Michaelem Palæologum Latinæ linguæ interpres; ejus literæ, 1278. XIII.
Olao Rex Tartarorum. *Vide*, Haolonus.
S. Olanus Rex. & mart. Norwegiana corona ei oblata, 1273. XIX.
Oliverius episc. Firmiensis abeundi episcopatu facultatem ab Urbano IV. poscit, 1262. XXVIII
Oliverius e Termes auxiliares copias in Syriam ducit, 1273. XXXV.
Opes; opum contemptus insigne exemplum in Clemente IV. 1265. VIII. XI. *Vide*, Honorum fuga.
Opizo Azoni marchioni Estensi demortuo succedit, 1261. LXXII.
Oracula; inanibus oraculis in superbiam elatus Leolinus Walliæ princeps infeliciter perit, 1282. XXIII. *Vide* Vaticinia.

Ora-



Oratio dominica; archiepiscopus Lundensis eam emendare vel potius corrumpere audet, 1264. XLIII. Dignitate pellitur, *ibid.*
Ostenta; armatæ acies in aere concurrere visæ, 1269. VIII. Prodigium aliud, *ibid.*
Ostia a Richardo Anibaldo occupatur, 1264. XXIII.
Othacerus sive Premislaus Rex Boemiæ censores fidei ad excindendos hæreticos in regno institui postulat, 1257. VII. Oblatum Imperium superbe respuit, 1260. XVII. Regia ornamenta accipere solemni ritu meditatur, *ibid.* Moguntino archiepisc. nondum a sede Apost. confirmato consulit Alexandrum IV. a quo inungendus sit, *ibid.* IX. Data illi alterius ad id adhibendi auctoritas, *ibid.* XX.
Othacerus uxorem repudiat, 1260. XXI. Filio ex soluta genitos jure justorum natalium a Pontifice donari obtinet, *ibid.* XXI. De Styria cum Bela Rege Ungariæ dimicat, *ibid.* XXIV. Belam fundit, *ibid.* Styriam pacis fœdere obtinet, *ibid.* Urbanum IV. de Conradino eligendo agitari consilia certiorem facit, 1262. IV. Prohibetur assentiri, *ibid.* VIII.
Othacerus excitatur ad Lituanos e Polonia & Prussia repellendos, 1264. XLIV. Russia & Lituania illi attributæ, *ibid.* Confecta ab eo feliciter in barbaros expeditio, *ibid.* XLV. A mari Adriatico ad Oceanum Boemiæ terminos profert, *ibid.* Insinuat illi Clemens IV. Conradini ingressum in Italiam & progressum, 1267. III. Solicitatur, ut illi obsistat, *ibid.* Ducibus Bavariæ conciliatur, *ibid.* IV.
Othacerus Crucem adversus barbaros induit, 1267. XLVI. Lituania illi addicta a Pontifice, si ipsam edomuerit, *ibid.* Pontifici pro Aquilejensi patriarcha vinculis liberando operam defert, *ibid.* XLVII. Monetur, ne cum hostibus Ecclesiæ fœdus ineat, *ibid.*
Othacerus queritur apud Clementem extractam in annos plures de imperio controversiam, 1268. XLIII. Scribit ad eum apologiam Pontifex, *ibid.* XLIV. Lituaniæ ab eo armis comparandæ concessio confirmata, *ibid.* XLVII. Cum Stephano Ungariæ Rege fœdus init, 1271. XXII. Illius ea de de re literæ, *ibid. & seq.* Styriam, Carinthiam, Carniolam, Marchiam eo fœdere sibi asserit, *ibid.* XXVIII.
Othacerus quos Reges, & principes fœderatos haberet, 1271. XXVIII. Extincto Stephano molitur illud cum Ladislao abrumpere, *ibid.* XLIX. Vetatur a Gregorio X innocentem Regem lacessere, *ibid.* L. Pro iis conciliandis Carolus Ladislai socer adhibitus, 1273. XII. Gratulatur Othacero Gregorius, expeditioni Asiaticæ se devovisse, *ibid.* XXXVII. Alphonso Regi Castellæ contra Rodulphum studet, 1274. XLIV.
Othacerus monitus a Gregorio Papa, ut controversias cum Rodulpho conciliet, 1274. LVII. LVIII. Variæ de Imperio ab Othachero affectato vel rejecto sententiæ, *ibid.* LIX. Ob repetitas Imperii vectigales provincias succenset, *ibid.* Iterum solicitatur a Gregorio, ut pacem cum Rodulpho ineat, 1275. VI.
Othacerus monetur, constitutam Rodulpho diem ad imperialia insignia excipienda, 1275. VI. Sinistram suspicionem in Greg. Pontif. concipit, *ibid.* XI. Ab eo provocat temere, *ibid.* Corripitur a Gregorio, *ibid.* X. *& seq.*
Othacerus in Rodulphum ob Austriam, Styriam, & Charintiam repetitas acie parat decernere, 1278. XLI. Cum Rodulpho certis pactionibus pacem init, *ibid.* Cum fiduciarii principis præstaret officia, dissoluto tentorio videndus exhibetur, *ibid.* Ab uxore ad redintegrandum bellum impellitur, *ibid.*
Othacerus cæditur in acie, 1278. XLII. Exitio illi fuit monita apostolica spreviſſe, *ibid.* Filius Vvenceslaus supplex pacem a Rodulpho redimit, *ibid.* XLIII.
Otho marchio Brandeburgensis excitatur ad ferendam Terræ sanctæ opem, 1265. XLII. De ecclesiæ juribus diploma edit, 1279. VII.
Otho cancellarius Rodulphi nomine veterum Imperatorum privilegia Rom. ecclesiæ concessa confirmat, 1274. V. *& seq.*
Otho Imp. illius diploma de juribus Romanæ Ecclesiæ, 1278. LIX.
Othobonus S. Adriani diaconus Card. *Vide*, Adrianus V.

# P

Paganus. *Vide*, Conradus Paganus.
Palæologus, *Vide*, Michael Palæologus.
Palavicinus a Papiensibus & Placentinis depressus, 1257. XLVIII. Conspirat in Ezelinum, 1259. I. Fundit capitque *ibid.* II. Absolvitur non rite a censuris, *ibid.* V. Si a Manfredi societate discesserit in gratiam jubetur admitti, *ibid.* VII. Brixianos sibi subiicit, *ibid.* IX. Cur Manfredo adhæserit, *ibid.* XI. Eo cæso in gratiam ecclesiæ redit, 1266, XXIII.
Palentina academia iisdem privilegiis quibus Purisiensis exornata, 1263. LXIII.
Pampilonensis episc. Regum Navarræ inungendorum jus a Sede Apost. accipit, 1257. LVII. 1259. XIV.
Pandulphus Anguillaria Manfredi equitatum conscindit, 1264. XIX. Dum hostes audacius insequitur, ab iis captus, *ibid.*
Panormitani; eorum conjuratio & sævitia in Gallos, 1282. XII. Jactum in eos a Pontifice anathema, *ibid.* XIII. XV. Admoniti, ut ad officium redeant, *ibid.* XVIII.
Panormitani spernunt Apostolica imperia, 1282. XIX. Eorum fuci ad exornandum scelus, *ibid.* Omnium primi in rebellionem prorupere, 1283. XV.
Panormitani sine sexus & ætatis misericordia sæviunt in Gallos, 1283. XV. Immaturos partus ferro in maternis visceribus scrutantur, *ibid.* De adhibitis a Pontifice ad eos ad officium revocandos curis, *ibidem*. XVIII.
Panormitani, ut a Petro Aragonio subornati fuerint, ostendit Pontifex, 1283. XIX.
Papienses damnatis Friderici & successorum partibus Ecclesiæ conciliati, 1259. X.
Parisiensis academia; insigne elogium ab Alex. IV. illi collatum, 1259. XXIX Turbæ in ea concitatæ, 1259. XXVIII. *& seq.* In ea aliquot clerici lingua Arabica ad Evangelium divulgandum erudiendi Pontificum jussu, *ibid.* XXV.
Parisius Camaldulensis sanctitatis opinione celebris pie moritur, 1267. LXXXV. Ejus reliquiæ Tarvisii cultæ, *ibid.*
Parmenses jura ecclesiæ invadunt, 1277. XLVI. A Cardinalibus, vacante sede, correpti, *ibid.*
Paruana Tartaros in Turquia insectatur, 1274. XXII. Victus ab Abagha, *ibid.* Ejus carnes redactæ in pulverem condimentis regiis admixtæ, *ibid.*
Passio dominica; quam pie eam recolat S. Ludovi-

dovicus Rex, 1270. XX.
Patientia de ferendis æquo animo adversis S. Ludovici Regis documentum, 1270. XIV. Filii mortem & suam lethalem ægritudinem æquanimiter fert idem S. Rex, 1270. XI. XII. Agnes marchionissa propinato ab Angelo amaro poculo ad patientiam instructa, 1268. LV.
Patriarcharum Græcorum infelix conditio, 1259. LVIII.
S. Paulus Apost. ejus reliquiæ Romæ conditæ, 1268. L. Adulterinæ a Cræco S. Ludovici sorori datæ, *ibid.*
Paulus episc. Cracoviens. barbaros ad Poloniam vastandam vocasse accusatur, 1273. XIII. A dæmonibus variis ludibriis tentatum ferunt, *ibid.* A Leskone duce in carcerem conjectus, 1283. LVIII. In Leskonem censuris agi jubet Martinus IV. *ibid.* LIX.
Paulus Jovius; confictæ ab illo calumniæ in Gregorium X. confutatæ, 1276. I.
Pax; publicæ preces a Pontifice indictæ pro pace inter Francorum & Castellæ Reges concilianda, 1280. XIII. Quas preces in missæ sacrificio ob eam causam fundendæ, *ibid.* XV. XVII.
Peccata; quanto studio mortiferum peccatum sit evitandum docet S. Ludovicus Franc. Rex, 1270. XIV. *&* *seq.* Ipse ab omni labe mortali immunis, *ibid.* XVIII.
Pera sive Galata Genuensibus a Palæologo attributa, 1261. XXXV.
Percivallus Oria Saracenorum dux divinitus aquis mersus, 1264. XVIII.
Persis subacta a Tartaris, 1257. LIX.
S. Petrus; illius & successorum primatus agnitus a Palæologo Græc. Imp. 1264. LVIII. 1274. XIV. Et ab Andronico, 1277. XXX. A supremo Tartarorum Imperatore, postulante a Rom. Pont. sacerdotes pro fide Christi addiscenda, 1278. XVII. *&* *seq.*
S. Petri basilica; studium Joannis S. Nicolai in carcere Tulliano diac. Card. qui postea sub Nicolai III. nomine pontificatum gessit, in S. Petri canonicis ad vitam sanctiorem traducendis, 1277. XIV. Sacerdotiis & vectigalibus aucta ab eodem Pontif. 1278. LXXIX. Instaurata a Nicolao III. 1280. XXV.
S. Petri palatium a Nicolao III. conditum, 1280. XXV.
Petrus Rex Aragoniam sedis Apostolicæ beneficiariam constituit, 1283. XX.
Petrus Stiliani episc. Card. Tusculanus. *Vide*, Joannes XX.
Petrus e Tarantasia. *Vide*, Innocentius V.
Petrus Jacobi Regis filius postea Rex Aragonum Manfredi Regis filiam Constantiam sibi despondet, 1262. XVI. Pollicetur Catalanis, monetam non immutatum iri, 1259. XVIII. Manfredi ecclesiæ hostis filiam thoro sibi jungit, 1262. XVI. XVII. S. Ludovicus ob id ejus affinitatem respuit, *ibid.* Aliqui Romani perduelles illum senatorem creare affectant, 1264. VIII. Murciam obsidione cingit, 1265. XXXV. Gratulatoriæ de his Clementis IV. literæ, *ibid.* Excurrit in Murciam, 1275. XVII. Gratulatur illi ea de re Gregorius X. *ibid.* Regis Francorum affinitatem consectatur, *ibid.* XVIII. Navarra frustra affectat, *ibid.* XIX. Aragoniæ sceptrum a patre Jacobo transfusum accipit, 1276. XXIII.
Petrus Aragonum Rex regna paterna cum fratre Jacobo partitur, 1276. XXIII. Fugientem in Aragoniam sororem Violantam excipit, 1277. VI. A Saracenis bello petitur, *ibid.* VII. A Joanne XXI. obtinet, ut Aragoniæ decimæ ad propulsandum hostem deriventur, *ibid.*
Petrus Aragonum Rex classem ad Siciliam invadendam instruit, 1281. XXVIII. Interrogatus a Pontifice, causam prodere negat, *ibid.* Fingit bellum in Afros, & Siculos ad Gallorum stragem edendam concitat, 1282. XII. 1283. XIX. XXI. Panormum appellit &c. 1282. XXII. 1283. XIX. XXI. Messanenses obsidione liberat, 1282. XXII.
Petrus Aragonum Rex Caroli Regis classem incendit, capitve, 1282. XXII. Censuris a Martino IV. ob Siciliam invasam defigitur, *ibid.* XXIII. Prohibetur Regis Siciliæ nomen invadere, *ibid.* XXIII. XXIV. Exauctorandi illius objectæ minæ, *ib.* XXV. Securi illius partes censuris defixi, *ibid.* XXIV. Palæologus Imp. ob fœdus cum eo initum eadem pœna devinctus, *ibid.*
Petrus Aragonum Rex Carolum ad certamen singulare provocat, 1283. V. Obtensus ab eo invadendæ Siciliæ prætextus, *ibid.* Insigni fraude circumvenit Carolum, *ibid.* XIII. Regnorum juribus pontificia sententia dejectus, *ibid.* XIV. *&* *seq.* Ut Messanenses, ad legati imperia reversos, ad rebellionem revocarit, *ibid.* XIX. Auget facinus ecclesiæ fiduciarium eum extitisse, *ibid.* XX. Ipsius regnorum jura a Pontifice ad Carolum Valesium traducta, *ibid.* XXV. Quibus legibus, *ibid.* *&* *seq.* Petrus Valentiæ regno a Pontifice exuitur, *ibid.* XXXV. Anglorum Regis affinitatem exambit, *ibid.* XXXVI. Illi obsistit Pontifex, *ibid.*
Petrus Aragonum Rex Venetos sibi devincire nititur, *ibid.* XXXIX. Opponit se ejus conatibus Martinus IV. *ibid.* Censuræ in Petrum innovatæ, 1284. I. Gallos ad crucis signa attollenda in Petrum concitat idem Pontifex, *ibid.* IV.
Petrus Aragonum Rex in prælio deletus sauciatusque, 1285. XXV. Variæ de illius morte sententiæ, *ibid.* XXVI. Aragonia, Valentia, & Catalonia filio Regis Francorum confirmatæ, 1284. V. *&* *seq.*
Petrus e Vico accepto a Manfredo Germanico equitatu, patrimonium B. Petri bello vexat, 1264. XV. Fusus a Pandulpho Anguillaria, *ibid.* XIX. Sutrium opprimit, *ibid.* XX. A Caroli duce eiicitur, *ibid.* Frustra obsidione Vicovari cingitur, *ibid.* XXI. Conjurationem in Urbe conflat, *ibid.* XXIV. Post atrocem pugnam ab ea pellitur, *ibid.* XXV. Ecclesiæ reconciliatur, 1265. XXVIII.
Petrus S. Georgii ad velum aureum Card. xenodochium S. Andreæ juxta S. Mariam Majorem extruit, 1265. LXXV.
Petrus S. Ludovici filius una cum patre crucem inducit, 1267. XLVIII.
Petrus Sabaudiæ comes moritur, 1268. LVII.
Petrus Brocia florentissimus aulicus damnatus suspendio, 1278. XXXIII.
Petrus episc. Bajocensis a Nicolao III. contra æmulos protegitur, 1278. XXXIII. *&* *seqq.* 1279. XLVIII.
Philippus dux Carinthiæ archiepiscopatum Salisburgensem male gerit, 1257. IX. Ob non susceptа sacra episcopalia gradu pontificia sententia pellitur, *ibid.* X. *&* *seq.* Dominatum Salisburgensem vi recuperat, *ibid.* XII. Clerum Salisburgensem ad obsequium adigit, 1261. XXIV. Expellitur a Bavariæ duce, *ibid.*
Philippus S. Ludovici filius privilegiis & laudibus ab Urbano IV. exornatur, 1261. XXI. Una cum patre expeditionem Africanam init, 1270. VI. Monita a S. Ludovico ei data, *ibid.* Alia documenta, *ibid.* XIV. E Tu-



netana expeditione redit in Gallias, *ibid.* XXIV. Atroci tempestate jactatur, *ibid.* Partem reliquiarum S. Ludovici patris Carolo Sic. Regi patruo tradit, reliquas secum in Gallias effert, 1271. I. II. Quacumque iter habet, magno per Italiam honore excipitur, *ibid.* Cardinales ad dandum ecclesiæ Pontificem solicitat, *ibid.* III. Versum illi culpæ, de Guidone e Monteforti sacrilego pœnas non sumpsisse, *ibid.* S. Ludovici exequias magna pompa celebrat, *ibid.* IV
Philippus S. Ludovici filius pecuniæ vim dat mutuam Gregorio X. pro instaurandis rebus Syriacis, 1272. VI. In Syriam expeditionem ductare statuit, *ibid.* VII. Retardatur a Pontifice, ut majorem apparatum conficiat, *ibid.* VIII. Optimis præceptis ab eodem imbuitur *ibid.* LVII. In Syriam auxilia submittit, 1273. XXXV. Gratulatur illi Gregorius, expeditioni Syriacæ se devovisse, 1274. XXXIV. Simon Cardinalis missus in Galliam legatus ad secuturos ejus signa cruce insigniendos, *ibid.* XXXV.
Philippus S. Ludovici filius monitus a Pontifice, ut discordias cum Rodulpho componat, 1274. LX. Vetitus copias in Germaniam transmittere, *ibid.* LXI. Solvit Gregorius ad illius gratiam legem de gradibus consanguinitatis, ut Philippo filio heredem Navarreni sceptri uxorem tradat, 1275. XIV. XIX. Navarram, pulsis æmulis, filio subiicit, *ibid.* XIV.
Philippus S. Ludovici filius a Joanne XXI. solicitatur, ut operam in regendo populo Christiano conjungat, 1276. XXXVII. Galli ad sequenda ejus signa in Syriaca expeditione concitati, *ibid.* XLVI. Solicitatur ab eodem Pontifice, ut cum Alfonso Castellæ Rege pace inita, arma in barbaros vertat, 1276. XLVII. Eduardum fiduciarium adversus Hispanos accersit, 1276. XLVIII.
Philippus S. Ludovici filius ob sororem sine liberis & dote dimissam iras in Alfonsum auget, 1277. XII. Objectæ illi, si arma inferat Hispaniæ censuræ, *ibid.* IV. Abaghæ Tartarorum Regis ad eum de Saracenis excindendis legatio, 1277. XV. Solicitatur a Cardinalibus vacante sede, ut cum Rege Castellæ fœdus, ineat, 1277. XLVII. Et a Nicolao III. *ibid.* LVII. 1278. XXIV. Obsequentem se præbet Pontifici in mittendis pro redintegranda concordia oratoribus, *ibid.* XXV.
Philippus S. Ludovici filius Petrum Brociam florentissimum aulicum suspendio damnat, 1278. XXXIII. Monetur a Nicolao, ne Bajocensem ecclesiam vexet, *ibid.* XXXIV. Nonnullis privilegiis ornatus a Pontifice, *ibid.* XXXVII. Partas injuria opes in pauperes erogat, *ibid.* XXXIX.
Philippus S. Ludovici filius solicitatur de componenda cum Carolo patruo circa Provinciam controversia, *ibid.* Magnifica hastiludia celebrat, 1279. XVI. Legatus Apost. ob ea permissa correptus, *ibid.* XVII. Agitata inter illum & Alfonsum Castellæ Regem concordia, 1279. XXI. Ad eam sedandam solicitatur, 1280. IV. Indictæ publicæ preces pro eo cum Rege Castellæ in concordiam redigendo, 1280. XIII. *&* *seq.*
Philippus S. Ludovici filius post diuturnos tractatus cum Alfonso, qui Bajonam venerat, abscedit infecta re, 1280. XVIII. Honorificentissime Petrum Regem Aragonum Tolosæ excipit, *ibid.* Sacris prærogativis a Martino IV. afficitur, 1281. XXII. Aragoniæ & Valentiæ regna in secundum natu illius filium traducta, 1283. XXV. Quibus legibus, *ibid.* XXVI. Attributæ illi ad ea debellanda regna triennales decimæ, *ibid.* XXXV.
Philippus S. Ludovici filius expeditionem in Aragoniam suscipit, 1285. XXV. Petrum Aragonium cædit, *ibid.* Classem amittit, *ibid.* In reditu moritur, *ibid.* Pro illius anima orantibus propositæ indulgentiæ, *ibid.* XXVII. Succedit illi Philippus filius dictus Pulcher, *ibid.*
Philippus Archiep. Lugdunensis, 1268. LVII.
Philippus Caroli I. Regis Siciliæ filius Achajam & Peloponesum dotalem obtinet, 1269. IV.
Philippus S. Ludovici nepos Galliarum & Navarræ Rex dictus Pulcher; Navarreni sceptri heredem indulgentia pontificia uxorem accipit, 1275. XIV. XIX. Navarram illi armis subiicit Robertus comes, *ibid.* Succedit parenti Philippo, 1285. XXVII.
Philippus Balduini II. filius Imperator Constantinop. exul; missus ad eum abbas Cassinensis pro paciscendis, cum Palæologo induciis, 1274. XX. Deletæ ejus copiæ a Palæologo, 1278. XIV. Solicitatur a Nicolao III. ut oratores ad sedem Apostol pro tractando fœdere mitteret, *ibid.* XVI.
Philippus episc. Firmanus in Hungariam & Poloniam legatus missus, 1278. XXIII. Ladislaum Regem Ungariæ ad religionis causam in Cumanos suscipiendam adducit, *ibid.* XXX. *&* *seq.* Budensem Synodum celebrat, *ibid.* XXXIV. Pellitur a Ladislao *ibid.* Minaces ad Ladislaum ea de causa Nicolai III. literæ, *ibid.* XXXV. *&* *seq.* Ladislaum ad xenodochium extruendum pro expianda impietate impellit, 1280. VIII. Et ad ferendum edictum ut leges pontificiæ in hæreticos serventur in Ungaria, *ibid.* IX.
Philippus Ybelinus a Rege Cypri regno Hierosolymitano præfectus, 1284. XXXIII.
B. Philippus Servita divinitus ad religiosa instituta excitus, 1285. LXXXII. Miracula plura edit, *ibid.* Delatum pontificatum fugit, *ibid.* In morte atrocissima tentatione vexatur, *ibid.* LXXXIII. Christus luctanti adest, *ibid.* Crucifixi imaginem librum appellat, *ibid.* LXXXIV. Sacræ illius reliquiæ suavissimum odorem spirant, *ibid.* Beati nomine a Leone X. insignitur, *ibid.*
Philosophi; damnantur errores & fœdæ hæreses e philosophorum lacunis exortæ, 1270. XXXIII. 1277. IX. X.
Pietas; viri pietate præstantes doctrina conspicuis in conferendis ecclesiasticis honoribus antelati, & cur, 1280. XXVII.
Pisani bellum cum Genuensibus in Sardinia gerunt, 1258. XXIX. S. Giliam obsident *ibid.* Controversiæ arbitrum Pontificem admittunt, *ibid.*
Pisani fœdus cum Venetis adversus Genuenses ineunt, 1258. XXXII. *&* *seq.* Ipsos mari delent, *ibid.* XXXVIII. Obiicit Urbanus IV. Pisanis injurias ab ipsis ecclesiæ irrogatas, 1263. LXXV. *&* *seqq.*
Pisani detrectant apostolica imperia, 1263. LXXVII. Cæso Manfredo, in gratiam cum ecclesia redeunt, 1266. XXII. Carolum publicæ pacis in Etruria servatorem agnoscere detractant, 1267. IX.
Pisani a Carolo gravi bello appetiti, 1167. IX. Querelas eorum de Carolo refringit Pontifex, *ibid.* Ab ejusdem Regis præfecto profligati, 1269. II. Illi conciliati, *ibid.* III.
Pisani revocati in Ecclesiæ gratiam a Gregorio

rio X. 1275. XXXII. XXXIII. Episcopalis sedes ipsis restituta, *ibid.*
Pisani in concordiam cum Lucanis Innocentii V. studio revocati, 1276. XXIV. De Corsica cum Genuensibus dissidia exercent, 1283. LIII. Ad mutuam concordiam solicitati, *ibid.*
Pisani deleti ingenti prælio, 1283. LIII. Divina in eos ultio ob illatas olim patribus, ad concilium venientibus, injurias, *ibid.*
Placentia Regina Cypri Hugonis Regis impuberis mater, 1265. XLI.
Placentini extremis cladibus ob discordias attriti, 1272. XLII. Solicitati a Gregorio X. Mediolanenses, ut iis opem ferant, *ibid.*
Pluvia; nimii imbres sedati piorum precibus, 1257. XXXVI.
Pœnitentia; Guidonis a Monteforti pœnitentia describitur a Gregorio X. 1273. XLI. *& seqq.*
Pœnitere pro ludibrio ducens scelestus homo misere moritur, 1277. L.
Pœnitentia imposita Guillelmo marchioni Montisferrati ob cæsum episc. Terdonensem, 1285. LXVII.
Pœnitentia imposita Viterbiensibus ob Cardinales duos custodiæ traditos, 1285. LXX. *Vide*, Austeritas vitæ.
Polexici ad fidem conversi, 1257. XXIII. Impie oppressi a Cruciferis, *ibid.*
Polonia iterum a Lituanis evastata, 1260. XXIII. Et a Tartaris, *ibid.* XXIV.
Poloni insignem victoriam de Ruthenis divinitus referunt, 1266. XL.
Poloni vastati a Lituanis & Pruthenis, 1273. XIII.
Poloni de Ruthenis ultionem expetunt, 1273. XIII.
Poloni ab infantulo semestri de irruptione Tartarorum divinitus admoniti, 1275. XLVIII.
Pompejopolis a Gallis expugnata, 1275. XIV.
Pontifex Romanus. *Vide*, Romanus Pontifex.
Pontificatus; de Pontificatu & Imperio a divina providentia constitutis, 1263. XLVI.
Prædictio; pontificatus a S. Francisco prænuntiatus Nicolao III. adhuc puero, 1277. LIII. Puer Tartarorum irruptionem prædicit, 1275. XLVIII. *Vide*, Præsagium.
Præsagium; præsagia ad Palæologi gratiam conficta, 1259. LVIII. Constantinopoleos in Turcorum servitutem muturæ vaticinium, 1261. XXX. Dirus cometes Urbani IV. obitus & conversionum imminentium prænuntius, 1264. LXX. S. Fridolini ossa edito strepitu cladem imminentem portendunt, 1272. LVI.
Præsagia de Rodulpho Imperium adepturo, 1273. IX. Lactens Tartarorum irruptionem prædicit, 1275. XLVIII. S. Franciscus Nicolao III. puero pontificatum prædixit, 1277. LIII.
Præsules electi labente semestri sacrandi, 1257. X. Ad sedem Apostolicam adeundam certis temporibus obstricti, 1257. L. Præsules officii monentur, 1259. XXII. Magnitudo muneris ipsis impositi proponitur, *ibid.* Ad promovendam animarum salutem incumbere debent, *ibid.* XXIII. Indocti exauctorati Urbani IV. jussu, 1264. XXIX. Quantum præsules a vitiis abhorrere debeant, *ibid.* Præsulum electiones liberas futuras sancit Rodulphus Romanorum Rex, *ibid.* XXXVIII. Nicolai IV. constitutio, ne diutius ecclesiæ pastoribus orbatæ remaneant, 1279. XLIV. XLV. Ejus constitutionis declaratio, *ibid.* XLVI. Sacramenta de non deferendis præsulum culpis rescissa, Conc. Buden. n. XXXIX.
Præsumptio; in præsumptionem coniicere tentat dæmon, quem ad desperationem adigere non potuit, 1275. XIII. Quem præsumptionis laqueis irretierat, in desperationem præcipitem agit, 1277. L.
Preces, & earum vis; Kinga suis apud Deum precibus ingentem Polonis victoriam contra Ruthenos comparat, 1266. XL. Item Clemens IV. Carolo contra Conradinum, 1268. XXXI. Quanto pietatis sensu S. Ludovicus precibus fundendis incumberet, 1270. XIX. *& seq.*
Preces publicæ pro pace indictæ, 1280. XIII. Quæ preces in missæ sacrificio ob eam causam fundendæ, *ibid.* XVI. XVII. Indulgentiæ Deum pro Rege Franciæ rogantibus propositæ, 1281. XXII.
Premislaus Boemiæ Rex. *Vide*, Othacherus.
Premislaus dux Posnaniensis; pia illius vita & mors, 1257. XVI.
Princeps; præceptum saluberrimum principi datum, 1259. XLIII. S. Ludovici. *Vide*, S. Ludovicus Francorum Rex. Gregorius X. Ladislaum novum Ungariæ Regem præceptis optimis imbuit, 1272. LI. *& seq.* Similiter Philippum Francorum Regem, *ibid.* LVII. Monita a Clem. IV. Carolo Siciliæ Regi data, 1266. XX. XXI. Egregium Pontificis ad principem consilium, 1276. XXXVII.
Processio Spiritus sancti. *Vide*, Spiritus sanctus.
Prosperitas; quomodo in iis se gerere debeat, docet filium S. Ludovicus Rex, 1270. XIV.
Providentia divina adoranda, 1260. XXXIII. 1261. X.
S. Prothasius una cum S. Gervasio victoriam Polonis contra Ruthenos contulisse existimatus, 1266. XL.
Provincia disceptata inter Carolum Regem Siciliæ, & Margaritam Reginam, 1258. XX. 1264. II. Correptus Carolus, sacramentum a Provincialibus exegisse, violato jure S. Ludovici, 1268. XXXVII. Agit Nicolaus cum Rege Romanorum, ut Carolo asseratur Provincia, 1279. XI. Nobilitata reliquiis S. Mariæ Magdalenæ, *ibid.* XII. Tradita Carolo a Rodulpho Rege Romanorum, 1280. II.
Provocationes. *Vide*, Appellationes.
Prussiæ barbari deleti in Sambucensi agro a crucesignatis, 1272. LIV.
Ptolemais in discrimen adducta, 1265. XXXVIII Obsidione cincta a Bendocdare Babylonio, 1270. XXV. Ab extremo exitio vindicata, *ibid.*

# Q

S. Quintinus in magno cultu apud Gallos habitus, 1268. XLIX. Quid pro festo ejus die concesserit Clemens IV. *ibid.*
Quobley, sive Quolibey Tartarorum Imperator Christianus a Nicolao III. sacerdotes mitti postulat ad religionem propagandam, 1278 XVII. XVIII. Nicolai ad eum literæ, *ibid.* XX. Missi ad eum Minoritæ, *ibid.* XXII. *Vide*, Cobila Cham.

# R

Ranerius Urbevetanus prætor, 1284. XVI.
Rapinæ; Henricus Castellæ Regis frater post rapinas Romæ actas divina ultione percussus, 1268. XXIX. Seconiona arx, pauperum rapinis plena, incensa, 1272. LV. Data a S. Fridolino imminentis divinæ iræ signa, *ibid.* LVI.
Ravennæ exarchatus. *Vide*, Exarchatus.
S. Raymundus Peniafortius Ordinis Prædicatorum egregiam Gregorio IX. in compilandis decretalibus operam navat, 1275. XIII. Quadraginta mortuos excitat ad vitam, *ibid.* Balearicum mare sedens in pallio traiicit, *ibid.* Sanctissime obit, *ibid.* Ejus funera Castellæ, & Aragoniæ Regibus cohonestata, *ibid.* Maximis post mortem fulget miraculis, *ibid.* Suavissimus ex ejus sepulcro odor spirat, *ibid.*
Raynaldus Card. episc. Ostiensis. *Vide*, Alexander IV.
Reges & Regna; Apostolicæ sedis jussu regiis ornamentis insigniti, &c. *Vide*, Romana Ecclesia. Pontifices in capite, Regem in humero inungendi, 1260. XVIII. Diadema imponi jubet Pontifex Carolo I. & Beatrici ejus uxori, 1266. I. *& seq.* Pontificum monitis obsequentes Reges egregie sibi consulunt, 1285. LXI. Nothi filii regno excludendi, 1260. XXI. Ob male administratam justitiam collabuntur regna, 1285. XXIX.
Reginaldus, sive Raynaldus. *Vide*, Alexander IV.
Relapsi qui censendi, 1258. XXIII. Cur adhibendi ad testimonia, *ibid.*
Religiosi; ipsorum causam tuetur S. Thomas, 1257. LIII. Novi ordines religiosi institui vetiti, 1274. XXXIII. Qui non approbati a sede Apost. dissolvi jussi, *ibid.*
Reliquiæ sanctorum; Græcus impostor incertas reliquias caput S. Pauli esse jactat, 1268. L. Quid ea in re egerit Clem. IV. *ibid.* Corpus Margaritæ filiæ Regis Ungariæ exanime suavem odorem spirat, 1270. XXXII. Vinum quo sacræ reliquiæ abluuntur morbos curat, 1270. XXXIV.
Reliquiæ S. Ludovici Regis miraculis illustrantur, 1271. II. IV. *& seq.* Quanta veneratione cultæ, *ibid.*
Reliquiæ in Lateranensi ecclesia in pretiosis thecis a Nicolao III. repositæ, 1280. XXVI. *Vide*, Translatio.
S. Richardus episc. Cicestrensis ab Urbano IV. sanctorum catalogo apponitur, 1262. XXIII. De vitæ illius austeritate, *ibid.* XXIV. Post mortem ipsius corpus admirabili nitore micat, *ibid.* XXVI. Alia miracula, de illius translatione, *ibid.*
Richardus Roman. Rex discordibus suffragiis designatus, 1257. I. Qui principes ipsi adhæserint, *ibid.* II. Argumenta pro Richardi electione tuenda, *ibid.* IV. Contraria, *ibid.* V. Vocatur in Germaniam, *ibid.* VI. Præclara ejus vox, *ibid.* Donat Conradum Archiep. Coloniensem mithra laminis aureis tecta, *ibid.* VII.
Richardus Romanor. Rex diademate Aquisgrani insignitur, 1257. VIII. Quibus legibus delatum Siciliæ regnum admittere voluerit, 1258. XIII. Alfonsi Regis Castellæ minas spernit, *ibid.* XIII. XXIV. Favent ipsi Itali, *ibid.* Electi Regis Roman. titulo decoratur ab Alexandro IV. *ibid.* Redit in Angliam, 1259. XLVI. Ægre fert Urbanum IV. pronuntiasse Alfonsum electum in Regem Romanor. 1263. XLIII. Urbani ad eum literæ cur ea lata sit sententia, *ibid. & seqq.* Dicta illi dies a Pontifice ad controversiam decidendam, *ibid.* XLVI. Argumenta pro Richardi electione proposita, *ibid.* LIII. *& seqq.*
Richardus Romanor. Rex urgetur ab Urbano, ut fratri Henrico Regi auxilium ferat, 1263. LXXXII. Una cum Henrico in acie capitur, 1264. XXXIII. Excusat se; disceptare judicio de Imperio ob vincula non posse, *ibid.* XXXVIII. Ferendæ sententiæ dies propterea extracta, *ibid.* XXXIX. Ottobonus Cardinalis diem illi ad disceptandam apud sedem Apost. Imperii controversiam dicere jussus, 1266. XXXVI. Illius filius Henricus a Guidone Monteforti immani sacrilegio cæsus, 1271. III. Divina in sceleris auctorem justitia, *ibid.* Richardi mors, *ibid.* XXXII.
Richardus Anibaldus Ostiam Pontifici eripit, 1264. XXII. Pœnitentia ab eo suscepta ob Cardinales duos Viterbii in carcerem conjectos, 1281. I.
Richardus S. Angeli diaconus Card. una cum aliis Carolo Siculum Regnum jussu Pontificio confert, 1265. XIII. Carolum regiis insignibus decorat, fideique Sacramentum ab eo exigit, 1266. I. *& seq.* Carolum ad expeditionem Asiaticam jubetur impellere, *ibid.* XLIII.
Ritus; de sacris ritibus servandis, 1278. LXXIX.
Robertus episc. Leodiensis festum corporis Christi divinu monitu in sua diœcesi instituit, 1264. XXVIII.
Robertus Atrebatensis comes Navarram armis Gallis asserit, 1275. XIV. Conceptas ab illo iras in Bajocensem episcopum delinire studet Nicolaus III. 1279. XLVIII. A Carolo testamento dictus procurator regiæ Siculæ, 1285. I. Gerardus episcopus Sabinensis illi in gerendo munere a Martino IV. adjunctus, *ibid.* VI.
Rodulphus episcopus Albanensis crucis symbolum a Clem. IV. accipit, 1269, VII. In crucesignatorum castris legatus creatus, *ibid.* Nondum provinciam ingressus, vacante sede, in eo munere a Cardinalibus confirmatur, *ibid.* Demandatum illi munus perficiendæ Græcorum cum Latinis conjunctionis, 1270. III. In Tuneti obsidione moritur, *ibid.* X.
Rodulphus Roman. Rex ex comite Habspurgensi ad regiam dignitatem evectus, 1273. VIII. Crucem sceptri loco in excipiendis principum hominiis suscipit, *ibid.* Insignia ejus elogia, *ibid.* IX. Prænuntiata cœlesti viso ipsius electio dum regia insignia accipit in cœlo conspecta crux, *ibid.* Religiosam militiam profitetur, *ibid.* Ejus oratores a Gregorio X. ad privilegia Rom. ecclesiæ regio nomine confirmanda admissi, 1274. V. Spondet ditionem ecclesiasticam se non invasurum, *ibid.* VIII. Nec Regem Siciliæ vel Ecclesiæ studiosos, *ibid.* IX. Ejus ad Gregorium literæ de instructo auctoritate regii sigilli præfecto, ad hæc sacramento promittenda, *ibid.* X. Principum Imperii literas, Siciliam Imperio non obnoxiam profitentium, confirmat oratorum opera, *ibid.* XI. Alphonsus Castellæ Rex pluribus monitis, ut æmulo Rodulpho Imperii juribus prætensis cædat, *ibid.* XLIV. *& seqq.* Confirmatur Romanorum Rex a Gregorio, *ibid.* LV. Monetur ut se ad Imperialia insignia excipienda comparet, *ibid.* Accedat ad Imperii limites pro colloquio ineundo, *ibid.* LVI. Principes ad eum stipandum, cum in Italiam venerit, excitati, *ibid.* Rex Boemiæ solicitatus, ut cum eo controversias componat, *ibid.* LVII. Ob imperii vectigales provincias ab Othachero repetitas sibi odium constat, *ibid.* LVIII. Itali Alfonso faventes censuris percussi, *ibid.* LXII. Exigit ab eo Gregorius, ut promissa in concilio Lugdunensi confirmet, 1275. II. Monet, ut validas copias in Ita-

Italiam transmittat, *ibidem* III. Alfonsi Regis conatus repellat, *ibid.* IV. Jungit fœdus cum Rege Siciliæ ac Bavariæ duce, *ibid.* V. Gratulatur ipsi de ea re Gregorius Papa, *ib.* Mediolanenses in ejus obsequio confirmati, *ibid.* Cum Greg. Lausanæ colloquium init, *ibid.* XXXVI. Obsequium solemni ritu illi devovet, *ibid.* Pollicetur, liberas prælatorum electiones se permissurum, *ibid.* XXXVII. Ecclesiasticam ditionem defensurum, *ibid.* XXXVIII.

Rodulphus Romanorum Rex Siciliam, Sardiniam, & Corsicam juris esse pontificii profitetur, 1275. XXXVIII. Regem Carolum bello non appetiturum, *ibid.* XXXIX. Crucis symbolo accepto, Syriacæ expeditioni se consecrat, *ibid.* XLII. Conciliare illum Carolo Cardinales, sede vacante, student, 1277. XLVII. Scriptæ ad eum literæ, *ibid.* XLVIII. *& seq.* Vetant traducere in Italiam exercitum antequam fœdus cum Carolo junxerit, *ibid.* Ravenna & Pentapolis ab eo repetitæ, *ibid.* LII. Vetatur a Nicolao III. Italiam ingredi, ni pacem cum Carolo percusserit, *ibid.* LIV. *& seq.* Monetur, ut ob id oratores mittat, *ibid.* LV.

Rodulphus Romanor. Rex Austriam, Styriam & Charintiam ab Othachero Rege Boemiæ repetit, 1278. XLI. Othacherum sibi fiduciaria obsequia flexo genu præstantem universo exercitui exhibet, *ibid.* In acie cedit, *ibid.* In discrimen a milite adducitur, *ibid.* XLIII. Illi parcit, *ibid.* Austriam Alberto filio tradit, *ibid.* Cum Wenceslao Othacheri filio pacem init, juncta illi thoro filia Gutta, *ibid.* Gratulatur ipsi de parta victoria Nicolaus III. *ibid.* XLIV. Ut clementia in victos utatur, solicitatus, *ibid.*

Rodulphus Romanor. Rex rogatur ut jura Romanæ ecclesiæ asserat, 1278. XLIV. Regium ea de re diploma, *ibid.* XLV. Conradum Minoritam ad confirmanda quæ Gregorio X. erant promissa mittit, *ibid.* Cancellarii gesta, qui nonnullos ecclesiæ clientes in regia verba sacramento adegerat, rescindit, *ibid.* LII. Bononiam ecclesiæ restituit, ut Etruriam a Carolo recuperet, *ibid.* LVI. Præscribit illi formam Pontifex, ex qua controversa ecclesiæ jura disertis verbis confirmaturus sit, *ibid.* LXII.

Rodulphus Romanor. Rex Conradum & Godefridum oratores auctoritate instruit pro conciliando cum Carolo fœdere, 1278. LXIII. Regio diplomate ditionis pontificiæ jura confirmat, 1279. I. *& seq.* Et quæ a Gotifredo de Æmilia, exarchatu, & aliis urbibus restituendis ecclesiæ, promissa erant, *ibid.* III. *& seq.* Promota inter ipsum & Regem Siciliæ a Nicolao pax, *ibid.* IX. Carolo affinitate jungitur, *ibid.* X. Fœderis leges propositæ a Nicolao, *ibid.* XI.

Ropulphus Rom. Rex Provinciam Carolo attribuit, 1280. II. Profitetur Margaritæ Reginæ juribus non detrahendum, si judicio apud subsellia imperialia experiri velit, *ibid.* Caroli publicæ literæ de servanda cum Rodulpho pace, *ibid.* III. *& seq.* Rodulphi administris jubet Martinus IV. Etruscos parere, 1281. XVII. Ecclesiasticum jus confirmat, 1283. LXI.

Rodulphus Rom. Rex imperialia ornamenta ab Honorio IV. deposcit, 1285. XXII. Commendatæ illi Caroli II. res, *ibid.* XXIII.

Rodulphus Regis Roman. cancellarius nonnullos ecclesiæ clientes in Regis Romanor. verba sacramento adigit, 1278. LI. Missus Gottifredus orator ad illius gesta rescindenda, *ibid.* LII.

Rogerius S. Severini comes, 1277. XVII.

Rogerius Lauria principem Salernitanum prope Neapolim maritimo prælio capit, 1284. XIV. Classem Regis Francor. expugnat, 1285. XXVI.

Roma, & Romani; seditionem in Alexandrum IV. excitant, 1258. V. Brancaleoni tyrannidem deferunt, *ibid.* Carolum Provinciæ comitem senatorem creant, 1264. III.

Roma a Joanne Sabello contra Manfredi impetus servata, 1264. XXV.

Romani duos senatores creant, a quibus obteruntur, 1266. XXIV. Pontificiæ de Romanis querelæ, 1267. XXI. *Vide*, etiam Senator Urbis. Queritur Clemens IV. in Urbe omnia in malum versa, 1268. XXVII. Conradinus more triumphantium a Romanis admittitur, *ibid.* XXVIII.

Romani annonæ laborantes inopia levati a Martino IV. 1283. LI. LII. Inter sese dissentiunt, 1284. XVI. XVII. Ad eos conciliandos Martini curæ, *ibid.* Pontificum auctoritas in Urbe administranda labefactata, *ibid.* XVII Novos permittit Pontifex Romanis magistratus, *ibid.* XVIII. XIX.

Romana ecclesia; comitatum Venusinum Rex Francorum ecclesiæ Rom. tradit, 1273. LI Spondet Rodulphus Aug. ditionem ecclesiasticam revocaturum, 1275. XXXVII. Precipuas illius terras enumerat, *ibid.* Veterum imperatorum donationes innovat, *ibid.* XXXVIII. Rodulphus Romanorum Rex Romanæ ecclesiæ jura confirmat, 1278. XLV. *& seq* Præcipua ditionis ecclesiasticæ loca, *ibid* LI. *& seqq.* Restituta pristina Romanæ ecclesiæ jura, *ibid.* LIII *& seq.* Ejus primatum profitetur Palæologus Græcorum Imp. 1277. XXI. Imperiale monumentum quo jura Rom. ecclesiæ asseruntur, 1279. I. Præteritorum Regum donationes confirmatæ, *ibid* Attributam ecclesiæ Rom. ditionem Rodulphus Rex ratam habet, *ibid.* III. Invasa ab administris jura restituit, *ibid.* Controversorum ante locorum nomina exprimit, quæ pontificii juris esse pronuntiat, 1279 V. Omni jure, si quod in ea obtinet, discedit, *ibid.* Iterum omnem discordiam sopit, *ibid.* Principes electores eadem confirmant, *ibid.* VI. Insignia pontificiæ ditionis loca expressa, *ibid.* *Vide*, Rom. Pontifex.

Romanus Pontifex; privilegia dignitati sedis Apost. detrahentia abrogata, 1257. L. Navarræ Rex regiis ornamentis insigniri postulat ab Rom. Pontifice, 1257. LVII. 1259. XIV. Episcopus Pampilonensis pontificio nomine diadema illi imponere iubetur, *ibid.* 1259. XV. Perti, & successorum primatus ostenditur, 1263. XXX. XXXI. Apostolica sedes in rebus trepidis Regum caeholicorum asylum, 1263. XXXIII. 1264. LVIII. Rom. Pontificem Imperii sui dominum vocat, *ibid.* Extrema Rom. ecclesiæ inopia Manfredi tyranni tempore, 1265. XXII. 1266. IX. Quam moderate cum suis consanguineis se gesserit Clemens IV. *ibid.* X. Non audet S. Ludovicus sacram expeditionem instituere, nisi consulto prius Rom. Pontif. 1267. XLVIII. De primatu Romanæ ecclesiæ, *ibid.* LXXVIII. Monet filium S. Ludovicus, ut Rom. ecclesiæ, studiose obtemperet, 1270. XVII. Qua ipse eam reverentiam complecteretur, *ibid.* XXII. Ejus primatum agnoscit Palæologus Græcorum Imp. 1273. XLIV. 1274. XIV. Similiter plerique Græci antistites, *ibid.* XVII. Constitutiones de Rom. Pontificis creatione, *ibid.* XXIV. *& seq. Vide*, Conclave. Se suaque omnia obsequiis Apostolicæ sedis devovet Rodulphus Rex, 1275. XXXVI. *& seq.* Joannes Beccus patriarcha una cum Synodo Constantinopolitana primatum, Petro & successoribus a Christo traditum profitetur, 1277. XXXV. Post obitum Romani Pontificis imperatæ a Cardinalibus habendæ apud Deum preces, ac solemnes supplicationes, *ibid.* LIII. S. Stephanus Ungarorum Rex regnum se ab Romana ecclesia accepisse profitetur, 1279. XXXIX. Ladislaus Rex idem confirmat, *ibid.* Palæologus & Andronicus Impp. Rom. Pontif. primatum iterum agnoscunt, 1280. XIX. XX.

Romani Pontif. imperia monitave non nisi magno ipsorum malo spreta, 1285. LXI. Ad Siciliæ statum temperandum lata ab Honorio IV. amplissima sanctio, 1285. XXVIII. *& seq.*

Romandiola ad ditionem pontificiam spectat, 1278. LI. Plura ea de re diplomata, *ibid.* LI. ad LXIII.

Rostannus legatus ab Alexandro IV. in Aquitaniam ob rem male gestam judicio postulatus, 1257. XLII. Franciscanis se addicit, *ibid.*

Russiæ Rex Daniel a fide descivit, 1257. XXVI. Alexandri lit. pro eo ad pietatem revocando, *ibid.* Quos reliquerit principatus successores, 1266. XL.

Rutheni a Polonis divina ope profligati, 1266. XL.

# S

SAbelli; Joannes Sabellus Urbi in gravissimum periculum adductæ saluti fuit, 1264. XXV.

Sabellorum familia Honorii IV. Pontificatu nobilitata, 1285. XIV.

Sacerdotia; in iis conferendis, viri pii doctioribus præferendi, 1280. XXVI.

Sacramenta; fidei orthodoxæ forma de septem sacramentis a Clemente IV. Imperatori Græcorum proposita, 1267. LXXVII. Ab illo admissa, 1274. XIV. Et a Joanne Becco patriarcha una cum synodo Constantinopolitana, 1277. XXXIX.

Sacrificia; Christianum equitem dæmoniis immolant Lituani ethnici, 1261. III.

Sacrificium Missæ. *Vide*, Missa.

Sacrilegium; Henricus Regis Castellæ frater post direptas Urbis ecclesias adversa omnia experitur, 1268. XXIX Gallos peste absumptos ob violatum S. Narcissi sepulcrum ferunt, 1285. XXVI.

Sævitia. *Vide*, Crudelitas.

Salisburgum expugnatum a Bavariæ duce, 1261. XXIV.

Salomea Regina Galitiæ virginitatem colit, 1268. LV. Pie moritur, *ibid.* Auditus in illius morte concentus, *ibid.* Ejus corpus suavem odorem spirat, *ibid.*

Sambienses deserta fide, comitem Barboygam profligant, 1261. III.

Sancta sanctorum instaurata a Nicolao III. 1280. XXVI.

Sanctius Jacobi Regis Aragonum filius archiepisc. Toletanus crucesignatus adversus Africanos, 1275. XVI. Laudatur a Gregorio X. *ibid.* In acie infeliciter occumbit, *ibid.*

Sanctius Alfonsi Regis Castellæ secundus natu filius, extincto fratre majore natu, contendit ad se potius, quam nepotes sceptri successionem devolvi, 1275. XVI. Secuta inde bella, *ibid.* 1277. I. Patrem Alfonsum regno pellit, 1282. XXXV. Lata in eum a patre sententia, *ibid.* XXXVI. XXXVII. Implorata in eum a patre Rom. Pontificis auxilia, 1283. LIV. Præsules & magnates, objectis censuris ecclesiasticis, ab eo jussi discedere, *ibid.* LV. LVI. Illicitas contrahit nuptias, atque a Pontifice corripitur, *ibid.* LVII.

Sandomiria expugnata a Tartaris, 1260. XXV.

Sanguis e corpore exangui S. Thomæ Herefordensis episc. ad persecutoris præsentiam fluit, 1283. XXI.

Sarraceni; Tripolis ab ipsis capta, 1269. LXV. *& seq.* Ingens strages edita, *ibid.* Sacræ imagines raptatæ, *ibid.* LXV.

Sardinia; juris pontificii eam esse pronuntiatur a Rodulpho Romanorum Rege, 1275. XXXVIII.

S. Saturninus; ejus corpus Tolosæ inventum, 1258. XXII. Miraculis fulget, *ibid.*

Seconis arx ob cumulatas in ea pauperum rapinas incensa, 1272. LVI.

Sedes Apostolica. *Vide*, Rom. Eccl. & Romanus Pontifex.

Segobricensis episcopatus cum S. Mariæ episcopatu conjunctus, 1259. XVIII.

Senator Romanus; Carolum I. Urbis senatorem Romani designant, 1264. III. Ea in re jura pontificia violant, *ibid.* Urbanus IV. in eadem re tempori se accommodat, *ibid.* Leges Carolo pro ea gerenda dignitate, dicit, *ibid.* IV. *& seq.* Certi temporis limitibus Romanæ rei administratio circumscripta, *ibid.*

Senatores duo a Romanis creati Urbem rapinis miscent & cædibus, 1266. XXIV. Carolo Siciliæ Regi senatoris dignitas ad decennium collata, 1268. XXVI. Lapso decennio jubetur magistratum deponere, 1278. LXIX.

Senatoria dignitate abit Carolus Rex Siciliæ, 1278. LXXI. Ea de re lit. regiæ, *ibid.* LXXI. *& seq.* Cavet Nicolaus III. ne in posterum id munus Regi, principi aut marchioni deferatur, *ibid.* LXXIII. *& seq.* Ejus magistratus tempus annuum constituit, *ibid.* LXXV. Romanæ rei cura ad Pontificem spectare ostenditur, *ibid.* LXXVI. Nicolai III. constitutio de senatore Urbis revocata a Martino IV. 1281. XIV.

Senatoria dignitas Martino oblata, 1281. XIV. XV. Editæ ea de re publicæ tabulæ, *ibid.* Pontifex senatoris officium in Carolum Regem transfundit, *ibid.* XVI.

Senenses Manfredi ope Florentinos fundunt, 1260. III. Monentur gravissimis literis ab Urbano IV. ut humanius acie captos tractent, 1263. LXXIII. Eo mortuo Urbem veterem infestant, 1264. LXXI. Moniti, intentatis censuris a collegio Cardinalium cœptis absistere, *ibid.*

Senenses contemnunt Carolum paciarium agnoscere, 1267. IX. Illi conciliantur, iterumque deficiunt ad Conradinum, *ibid.* XII.

Sevvalus archiep. Eboracensis anathemate percussus, 1258. XLIII. Moriturus veniam flagitat, *ibid.*

Sicilia & Siculi; Edmundus oratoribus ad Pontificem missis, æquiores in re Sicula pactiones flagitat, 1257. XXXVIII. Alexander eam ob causam legationem ac literas in Angliam mittit, *ibid.* XXXIX. *& seq.* Inanes Henrici Regis conatus pro comparanda Sicilia, *ibid.* XLII. XLIV. *Vide*, Henricus Angliæ Rex, & Edmundus.

Sicilia quibus legibus a Pontifice Carolo col-

lata, 1265. XIV. & *seq.* Ab illo subacta, 1266. XVIII.
Sicilia Mahometismi sordibus a Carolo purgata, 1269. I. Eam juris esse pontificii profitetur Rodulphus Rex, 1275. XXXVIII. Imperio non esse conjunctam profitetur, *ibid.* XLI. Eam clientelæ nomine Pontifici addictam profitetur Carolus, 1278. LXVI. Siculorum in Gallos conjuratio, 1282. XI. Siculus vesper unde dictus, *ibid.* Nimia Siculorum oppressio Carolo Regi ruinam peperit, *ibid.* Sine discrimine cæsi Galli, *ibid.* XII. Confossa ferro prægnantium viscera, *ibid. Vide*, Carolus Rex I. & II. & Panormitani. Variæ Siciliæ conversiones, *ibid.* XIII. Vetera redintegrantur bella, *ibid.* XV. Vetitum ne quis rebellibus studeat, *ibid. & seq.* Gerardus Cardinal. in Siciliam legatus mittitur. *Vide*, Gerardus Card. Pontificiæ curæ pro Siculis ad officium revocandis, 1283. I. & *seq.* Vertitur ipsis crimini, Petrum Arag. sibi Regem asciviſſe, *ibid.* III. Proposita indulgentiarum præmia arma in eos sumpturis, *ibid.* IV. Excitæ e Galliis in Siculos ingentes copiæ, *ibid.* V. Petri Regis Aragonum dolus ad frangendos Caroli Regis impetus, *ibid.* V. IX. Obtentus a Petro ad Siciliam invadendam prætextus, *ibid.* Ut nullum jus Aragonius in Siciliam prætendere potuerit, *ibid.* XIV. De Siculorum recenti perduellione agit in suis literis Martinus IV. *ibid.* XV. Ut in Gallos sævitum fuerit, *ibid.* XV. XIX. Quid Pontifex ad reprimendos rebelles egerit, *ibid.* XVI. XVII. De Gerardo episcopo Sabinensi misso in Siciliam legato, *ibid.* XIX. Ut Petrus Aragonius umbratili in Africam suscepto bello, arma in Siciliam verterit, *ibid.* Ut uxoris filiæ Manfredi jura inania ostenderit &c. *ibid. Vide*, Petrus Aragon. Rex. Pollicetur Carolus Rex Guillelmi II. statuta restitutum iri, *ibid.* XLI. XLII. Constitutiones pro regno Siciliæ a Salernitano principe editæ ab Honorio IV. confirmatæ, *ibid.* XLIII. & *seq.* Missi oratores ad Pontificem pro restituendo jure Guillelmi, *ibid.* XLVI. Data Card. legato rei investigandæ provincia, *ibid.* Quibus de causis exigendum a Siculis subsidiarium aurum, *ibid.* Censuræ in Siculos renovatæ, 1284. I. & *seq.* Religiosa in eos, proposita crucis symbolo militia, *ibidem*. Exorta ob eorum perduellionem mala, *ibid.* Carolus Rex Burdegalam iturus pontificio arbitrio universam rem Siculam commisit, 1285. III. In extremo vitæ periculo easdem preces porrexit, *ibid.* Flagitant regni Siculi populi a Martino IV. ut dubia privilegia explanet, *ibid.* IV. Data Card. legato provincia, ut rem accuratius investiget, *ibid.* Gerardus Card. episc. Sabinensis & Robertus comes Atrebatensis regiæ Siciliæ procuratores a Pontifice instituti, *ibid.* V. & *seq.* Sicularum rerum status, *ibid.* XXVIII. & *seq.* Consulit Siculis citerioribus editis pontificiis legibus, Honorius IV. *ibid.* Ut Siculi a Friderico II. Imper. fuerint oppressi, *ibid.* XXX. Nec levati a Carolo Rege, *ibid.* Inde conflata ab exasperatis populis conjuratio, *ibid.* His malis mederi studet Honorius, *ibid.* Decernit quibus casibus subsidiarium æs colligendum sit, *ibid.* XXXII. XXXIII. Novum monetæ genus semel tantum conflandum a singulis Regibus, 1285. XXXV. Plura alia decernuntur, *ibid.* XXXV. & *seq.* Ea Honorii constitutio in celeberrimis MS. extat, *ibid.* LII. Data de ea promulganda imperia, *ibid.* LIII. Robertus regiæ Neapolitanæ procurator illam observari jubet, *ibid.* Magistratus ad justitiam ex illius præscripto administrandam obstricti, *ibid.* LIV. LV. Ut Honorii leges postea viguerint, *ibid.* LVII. & *seq.* Ut fuerint ob varias conversiones temeratæ, *ibid.* LXI. Inflictæ exinde populis graves calamitates, & concitati tumultus in Reges, *ibid.* LXI. Perduelles Honorii constitutionis beneficio privati, *ibid.* LXII.
Simon e Montefilice canonicus Patavinus renuntiatus Cardinalis, in discrimen honoris vocatus, 1261. XXIV. Quid de eo in judicium accersito constituerit Urbanus IV. *ibid.* Creatur ab eo legatus in Piceno adversus Manfredum, 1264. XV.
Simon e Monteforti Leycestriæ comes Regis Anglorum sororius civile bellum in eum movet, 1263. LXXXIII. Censuris jussu Pontificio defixus, *ibid.* Henricum Angliæ & Richardum Romanor. Reges in acie capit, 1264. XXXIII. Quæ in eum Clemens IV. cum legationem gereret, præstiterit, 1265. LXI. Ut Simon ingressu illum in Angliam prohibuerit, *ibid.* LXII. Ejus coitiones rescissæ, *ibid.* LXV. In ipsum S. Ludovicus solicitatur, *ibid.* LXVII. Lata in eundem pontificia sententia, *ibid.* LXX. Struit sibi viam ad tyrannidem, *ibid.* LXXI. Proceres cum eo dissident, *ibidem* LXXII. Occumbit in acie, *ibid.* Excitata tum ingens tempestas, *ibid.*
Simon tit. S. Cæciliæ presbyter Card. *Vide*, Martinus IV.
Simon electus Veronensis in Piceno fusus captusque a Jordano Manfredi duce, 1264. XV.
Societas malorum vitanda, bonorum vero virorum colenda, 1270. XV.
Somnia nonnulla admiranda, 1277. XIX. Lesko Niger dux in somnis monitus, ut barbaros insectaretur & vinceret, 1281. XXXIX
Sophia Waldemaro Regi Daniæ desponsa, 1259. XIX. Schoningiam dotalem affert, *ibid.* XX.
Sorbonica academia suum decus S. Ludovico Regi debet, 1270. XVIII.
Soria ad Alfonsi Regis Castellæ gratiam episcopali sede exornata, 1267. XXXII.
Spes humana ut sæpius fallatur, 1261. XI.
Spiritus sanctus; ipsum ex Patre Filioque procedere, profitentur Græci in conc. Lugdunensi, 1274. XIV. XVIII. Flagitat Palæologus vocem, *Filioque*, Græcorum symbolo non adici, *ibid.* XIV. Ter Latine & Græce processio ex Patre Filioque inter divina decantata, *ibid.* XVIII.
Spiritum sanctum a Patre Filioque, tamquam unico fonte ac principio procedere profitetur Joannes Beccus patriarcha una cum synodo Constantinopolitana, 1277. XXXVII. Jussi a Nicolao III. Græci addere symbolo vocem, *Filioque*, 1278. VIII. Doctrina de processione Spiritus sancti a Patre & Filio damnata a schismaticis, 1284. XLIV. XLVIII. Defensa a Joanne Becco patriarcha & sociis, *ibid.* XLVI. XLVIII. Illam moriturus Beccus profitetur, *ibid.* LI. Propositiones *per & ex* in doctrina processionis Spiritus sancti æquipollentes ostenduntur a Bessarione Card. 1284. XLVIII.
S. Stephanus Ungariæ Rex supremum Ungariæ imperium Romanæ ecclesiæ addixit, 1279. XXXI.
Stephanus Belæ Regis Ungariæ filius fusus ab Othachero Boemiæ Rege, 1260. XXIV. Ut divinitus cum patre Bela ad concordiam



revocatus sit, 1281. XXV. Paternum sceptrum capessit, 1270. XXIX. B. Stanislai limina in Polonia lustrat, *ibid.* Austriam vastat, *ibid.* XXX. Fœdus pacisciturcum Othachero Rege Boemiæ, 1271. XXII. Cedit jure in Styriam, Charinthiam, Carniolam, Marchiam ad Boemi gratiam, *ibid.* XXXI. Quos Reges haberet fœderatos, *ibid.* Moriens sceptrum Ladislao puero transmittit, *ibid.*
Stigmata; confirmatæ a Nicolao III. de stigmatibus S. Francisci apostolicæ literæ, 1279. LII.
Stocholmia a Birgero condita, 1259. XX.
Stroynath Lituanorum tyrannus cæsus, 1264. XLVII.
Styria inter Belam Ungariæ & Othacherum Boemiæ Reges bello disceptata, 1260. XXIII. Ab Othachero comparata, *ibid.* Ex fœderis legibus ipsi asserta, 1271. XXVIII.
Suecum regnum a Gothico divulsum, 1277. LXIII.
Suffragia; commendat filio S. Ludovicus, ut sacris suffragiis ipsum morientem levet, 1270. XVII.
Superbia; Leolinus, qui Anglicam coronam affectabat cæso capite hedera coronatus, 1282. XXXIII. Conradinus, Siculam & Imperialem coronam affectans, capite truncatus a carnifice, 1268. XXXIV. Joannis XXI. de ædificii elegantia superbientis casus, 1277. XIX.
Supplicationes; exorta de solemni supplicatione inter clerum & religiosos controversia, 1260. XIII. Dirempta a Pontifice, *ibid.*
Supplicationes solemnes sede vacante a Cardinalibus indictæ, 1277. LIII.
Swantopelkus dux Pomeraniæ vetat cruciferos equites bello appeti, 1268. LVI. Moritur, *ibid.*
Swarno Ruthenorum dux divina ope a Polonis debellatus, 1266. XL.
Sydon in Syria eversa a Tartaris, 1260. XXXIII.
Sydon in Hispania; episcopalis illius sedes Gades translata, 1266. XXXIV.
Symbolum; archiepiscopi Lundensis vesania, qui illud emendare audet, 1264. XLIII.

# T

TAngodomor apostata in Persidis Imperio fratri Abaghæ succedit, 1282. IV. Abjecto Nicolai nomine, Mahometi nomen accipit, *ibid.* Accusatur apud Chamum ab Argono, 1284. XXX. Illum capit, jubetque occidi, *ibid.* XXXI. Necatur a conjuratis justa Numinis ultione, *ibid.* Succedit sceptro Argonus nepos, *ibid.*
Tartari sive Tacharii Saracenos evertunt, 1257. LVIII. Persidem sibi subiiciunt, *ibid.* LIX. Excindunt Assasinos, *ibid.* Turquiam subigunt, *ibid.* LXII. Intentant Ungariæ bellum, 1259. XXXI. Conditiones ab iis Regi Belæ oblatæ, *ibid.* Poloniam vastant, 1260. XXV.
Tartari Halappiam, Damascum, aliaque plura regna occupant, 1260. XXVI. & *seq.* Regnum Hierosolymitanum deliberant Christianis restituere, *ibid.* XXVIII. Eorum Rex petit sacra baptismalia a Pont. *ibid.* XXIX.
Tartari suscipiunt inimicitias cum Christianis, 1260. XXXIII. Sydonem evertunt, *ibid.* Eorum mulieres sagittandi peritæ, *ibid.* XXXIV. Exteros in prima acie exponunt, *ibid.* Celebrata pro parandis in eos auxilis concilia, *ibid.* XXXV. 1261. V. VI. Concilium Romæ ab Alexandro IV. contra Tartaros indictum, 1261. IV.
Tartari maxima strage delentur ab Hungaris, 1261. IV.
Tartarorum servitus intolerabilis, 1262. XIV.
Tartari septentrionales Ungaros sibi conjungere fœdere nituntur ad subiiciendam Europam, 1264. XLVIII. Abagham Tartarorum in Perside Regem distrahunt, ne in Saracenos moveat exercitum, 1265. XLVII. Insignis eorum subigendi orbis ambitio, *ibid.* XLVIII.
Tartari in Turquiam irrumpunt, 1274. XXI. Poloniam vastant, eorumque irruptio divinitus prænuntiatur, 1275. XLVIII.
Tartari Saracenos magno prælio delent, 1282. III.
Tartari Scythiæ, a Cumanis exciti, Ungariam vastant, 1285. LXXIII. Peste absumuntur, *ibid.*
Tartari orientales Pontificem & Reges occidentis instigant, ad jungenda arma in Saracenos, 1285. LXXIX.
Tarvisium, fugato Alberico, in Venetorum potestatem redactum, 1259. IV.
Templarii ab Hospitalariis cæsi, 1259. LXI. Pontificiæ auctoritati se subducere moliuntur, 1265. LXXV. Increpiti a Clemente IV. *ibid.* Prædictum iis, si deserantur ab sede Apostolica, extremum exitium subituros, *ibid.* Eorum magister in Tripolitanum principem infeliciter bellum aggreditur, 1277. XVIII.
Tentatio; Angelus Agneti Misniæ marchionissæ acerbam in morte tentationem prædicit, 1268. LVI. B. Philippus Benitius in ancipiti mortis discrimine a dæmone acerrime tentatus, 1285. LXXXVIII. *Vide*, Dæmones.
Terdonensis episcopus necatus, 1285. LXVII. Quid in ea causa egerit Honorius, *ibid.* LXVIII. & *seq.*
Terra sancta; Tartari eam vestigalem sibi constituere affectant, 1257. LVIII. Generosum Christianorum responsum, *ibid.* Ob Genuensium, Pisanorum & Venetorum discordiam debilitata viribus, 1258. XXXII. Templariorum & Hospitaliorum dissentientium sanguine imbuta, 1259. LXI.
Terra sancta a Tartaris in hostes versis fortuito casu in discrimen adducta, 1260. XXXIII. Celebrata in occidente pro parandis auxiliis concilia, *ibid.* Ecclesiarum septentrionalium oratores ea de causa ad Urbanum IV. accedunt, 1262. XXIX. Gerendi in eos belli consilium consenescit, *ibid.* XXXII. Sultani Babylonici in eam irruptio, 1263. I. II. Et Tartarorum, *ibid.* IV. Venetorum & Genuensium discordiis laniatur, *ibid.* XVI.
Terra sancta vastata a Bendocdare Sultano, 1265. XXXVII. & *seq.* Illius excidium peccatis carnis ascriptum, 1272. XVII. Instaurandæ Terræ sanctæ ob nostrorum dissidia amissa egregia occasio, 1277. XVIII. Excitari fideles jubet Martinus IV. ad leganda testamento bona, in Terræ sanctæ subsidium derivanda, 1281. XXIV.
Terra sancta; Tartari Romanos Pontifices Regesque occidentis pro ea liberanda solicitant, 1285. LXXIX.
Theobaldus archidiaconus Leodiensis. *Vide*, Gregorius X.
Theobaldus Rex Navarræ ab Alexandro IV. impetrat, ut Pampilonenses episcopi Navarræ Reges inungant, 1257. LVII. 1259. XIV. Sacramenti sibi noxii religione solvitur, 1257. LVII. Igniacensis ecclesia

ab eo condita, 1259. XV. Insigne elogium ab Alexandro datum Theobaldo, *ibid.* XVI. Tudelensis academia ob eo excitata, *ibid.* Privilegiis ornatur ab Urbano IV. 1261. XXI. Solicitatur ab eodem Pontif. ad ferendam Terræ sanctæ opem, 1263. XII. Proceres in eum conjurant, 1264. XXXIV. Urbani studia pro revocandis ad officium perduellibus, *ibid.*

Theobaldus Rex Navarræ excitatur a Clemente IV. ad auxilium Syriæ ferendum, 1265. XLII. Crucem induit exemplo soceri S. Ludovici, 1267. L. Una cum ipso profectionem in Africam init, 1270. VII. Expugnat una cum socero Carthaginem, *ibid.* X. In reditu ex Tunetana expeditione moritur, *ibid.* XXIV. Henricus frater sceptris succedit, *ibid.*

Theodisius frater Innocentii IV. & pater Adriani V. Pontificum, 1276. XXVI.

Theodorus Græcorum Imp. Michaelem Palæologum ad Turcas fugere compellit, 1257. LXII. Ob Tartarorum de Turcis victorias ex Europa in Asiam redit, *ibid.* LXIII. Dimittit pontificios nuntios, *ibid.* Sultanum profugum excipit, juvatque, *ibid.* LXIV. Laodiceam dono a Sultano accipit, *ibid.* Filiam Constantino Regi Bulgarorum despondet, 1258. XLIII. XLIV. Morbo lethali corripitur, 1259. LIII. Monasticum habitum induit, *ibid.* Christianæ pœnitentiæ plura dat argumenta, *ibid.* Joannem filium octennem sceptri successorem relinquit, *ibid.* LIV.

Theodorus nobilis Græcus moriturus Constantinopolim in Turcarum servitutem ruituram vaticinatur, 1261. XXX.

Theupulus dux Venetorum, 1272. XXXI.

Thidericus Bavarus canonicus Hamburgensis plures hæreses contra Eucharistiam spargit, 1267. XXXIX. Data a Clemente IV. imperia Bremensi archiepisc. ut eum coerceat, *ibid. & seq.*

Thomas episc. Wratislaviensis; pro eo liberando bellum Boleslao indictum a Pontifice, 1257. XVII. XVIII. Indignas pactiones cum tyranno init, *ibid.* XX.

S. Thomas de Aquino Alberti magni discipulus fuit, 1260. XV. Ut bos mutus sit per jocum appellatus, *ibid.* Urbani IV. jussu Græcorum & Armenorum errores confutat, 1263. XXXVII. Honores amplissimos ab eodem Pontif. & Clemente IV. oblatos respuit, 1265. LXXV. Vocatus a Gregorio X. ad concilium Lugdunense in itinere lethali morbo corripitur, 1274. XXX. Magno pietatis sensu sacramenta percipit, *ibid.* Ut S. Agnetis reliquiarum beneficio antea morbo convaluerit, *ibid.* XXXI. Miraculis effulget, *ibid.* Ejus elogium insigne, *ibid.* Sacrarum ejus reliquiarum secunda translatio, 1281. XXIX. Odor suavissimus ex iis efflat, *ibid.*

Thomas archiepiscopus Cusentinus ad sedem Hierosolymitanam translatus a Gregorio 1272. XVII. Acconensis ecclesiæ administrationem capessit, *ibid.* Jubetur, Syros a peccatis carnalibus, sociarum urbium exitio proposito, deterrere, *ibid.*

Tigadum Assasinorum arx viginti septem annis a Tartaris obsessa, 1257. L.

Translatio B. Joannis episc. Bossinensis, 1264. LV. In translatione reliquiarum S. Eduardi Anglorum Regis edita miracula, 1268. XLIX.

Translatio S. Bennonis, 1270. XXXIV. S. Hugonis episcopi Lincolniensis, 1280. XI. S. Thomæ Aquinatis, 1281. XXIX.

Translatio S. Mariæ Magdalenæ, 1279. XII. S. Odiliæ Virg. & Mart. 1285. LXXXV. LXXXVI. S. Ludovici Francorum Regis, 1271. II. IV.

Tristitia; ut se in rebus adversis gerere debeat, docet filium S. Ludovicus Rex, 1270. XV.

Tudelensis academia a Theobaldo Rege Navarræ condita, 1259. XVII. Privilegiis exornata ab Alex. IV. *ibid.*

Tunetum; S. Ludovicus illius expugnandi consilium sumit, 1270. VII. Quibus causis ad id impulsus fuerit, *ibid.* VIII. *& seq.* Carthagine expugnata, castris cingitur, *ibid.* X. Res in ea obsidione gestæ, *ibid.* 1270. XXIII. Carolo Regi Siciliæ vectigale constituitur, 1270. XXIII.

Turci subacti a Tartaris, 1257. LXII. Eorum vectigales se constituunt, *ibid.* LXIV. A Sultano Babylonio Bendocdare debellati nostros profligant, 1266. XLVI. 1270. XXVIII. Iterum ab Abagha sub jugum missi, 1274. XXI. Oblata Livono Regi Armeniæ Turcia ob inopiam virium repudiata, 1274. XXII.

Turrianus in Mediolanensi republica præpotens in Rodulphi obsequium adversus Castellæ Regem confirmatus, 1275. V.

Tyranni. *Vide*, Crudelitas.

# V

Valentiæ regnum; eo Petrus Aragonius a Pontifice exuitur, 1283. XXXV. Collatum Regis Francorum filio, 1284. V. *& seq.*

Vanitas rerum humanarum. *Vide*, Felicitas humana. Mundi contemptus. Honorum fuga.

Vaticana basilica; S. Petri basilica a Nicolao III. vectigalibus & sacerdotiis aucta, 1278. LXXIX. Distributionum inter canonicos ratio, *ibid.* Eorum ornatus in choro, *ibid.* De sacris ritibus servandis, *ibid.* Picturis ab eodem Pontif. adornata, 1280. XXVI.

Vaticinia; Leolinus Walliæ princeps, præfidens vaticiniis, pro Anglica corona hedera coronatur, 1282. XXXIII. *Vide*, Astrologia judiciaria. Dæmon. Oracula. Palæologus quodam delusus vaticinio insontem virum obcæcat, 1283. LXXI.

Vectigalia; exigendi a Siculis auri subsidiarii præscriptus ab Honorio IV. modus, 1285. LII. *& seq.*

Veneti fœdus cum Pisanis adversus Genuenses ineunt, 1258. XXXII. Inducias cum iis servare jussi, *ibid* XXXIII. XXXVI. Maritimo prælio illos delent, *ib.* XXXVII. XXXIX. Tarvisio potiuntur, 1259. IV. Eorum discordiæ cum Genuensibus exitiales Terræ sanctæ, 1262. XVI. Et imperio Constantinopolitano, *ibid.* XVII.

Veneti detrectant cum S. Ludovico arma in Saracenos conjungere, 1268. LI. Ab eo cum Genuensibus in concordiam redigi non possunt, *ibidem.* LIII. Solicitati de pace a Palæologo Imp. Græcorum, 1272. XXXI. Vetiti quidquid statuere inconsulta sede Apost. *ibid.* A Gregorio X. in concordiam cum Genuensibus redacti, *ibid.* XLV. Cum Bononiensibus bellum exercent, *ibid.* XLIV.

Veneti cum Tyriis in concordiam adducti, 1277. XVIII. Anconam oppugnant, 1277. XLIII. Objurgatoriæ ad eos vacante sede Cardinalium literæ, *ibid.* XLIV. Objectæ illis censuræ ecclesiasticæ, *ibid.* XLV. Subsidia ad recuperandam Syriam negant, 1283. XL. Ob id censuris mulctati, *ibid.* 1285. LXIII. LXIV.

Ve-



Veneti ab Honorio IV. ad sacrorum usum restituti, 1285. LXIII. *& seq.* Quæ leges ob id ipsis præscriptæ, *ibid.*

Venusinus seu Venesinus comitatus Romanæ ecclesiæ a Francorum Rege traditus, 1273. LI.

Vestes sericæ in re divina peragenda Minoritis permissæ, 1257. LII.

Victoria in Hispania de Saracenis relata, 1264. XXXV. A Rege Boemiæ de Prussis, *ibid.* XLV. A Boleslao Pudico duce de Jaczvingis, *ibid.* XLVI. A Carolo Siciliæ Rege de Manfredo, 1266. XI. *& seq.* Rutheni a Polonis cæsi, 1266. XL. Adscripta Numini victoria, *ibid.* Caroli I. Siciliæ Regis de Conradino victoria, *ibid.* XXX. *& seqq.* Deo ab omnibus ascripta, *ibid.*

Victoria a Rodulpho Romanorum Rege de Boemo relata, 1278. XLIII. *& seqq.*

Victoriæ insignes Ungaris & Polonis contra Barbaros a Deo concessæ, 1282. XXXVIII. *& seq.*

Vigiliæ; de vigiliis in ecclesiis obeundis, Conc. Buden. n. XLII.

Violanta Castellæ Regina ob nepotes ex majori natu filio indigne habitos in Aragoniam perfugit, 1277. VI.

Vindicta divina. *Vide*, Justitia divina.

Virginitas. *Vide*, Castitas.

Visa; Regina Ungariæ a B. Joanne episcopo Bossinensi de viro & filio conciliandis divino visu edocta, 1264. LIV. Berti mercatoris & Minoritæ Viterbiensis de casu Joannis XXI. visa, 1277. XIX.

Viterbienses ob duos Cardinales custodiæ traditos interdicto percussi, 1281. I. Conciliati Ecclesiæ ab Honorio IV. inflicta ea pœna, ut mœnium partem evertant, extruantque xenodochium, 1285. LXX.

Ulricus Secoviensis episc. ad Salisburgensem sedem translatus, 1257. XI. Pulsus a Philippo invasore, 1261. XXIV. Ducem Bavariæ ad Salisburgum expugnandum adducit, *ibid.* Sedi restituitur, *ibid.* Dignitate sponte se abdicat, *ibid.*

Ulricus episc. Racemburgensis liberalis in pauperes, 1262. XXVII. Divino miraculo multiplicatum illius horreum, *ibid.*

Voyslak Mendolphi Regis Lituaniæ filius, 1264. XLVII. Parentis interfectorem trucidat, & in regno succedit, *ibid.*

Urbanus IV. Romanus Pontifex renuntiatur, 1261. VIII. Urbani IV. nomen accipit, *ibid.* IX. Encyclicas de suscepto Pontificatu literas scribit, *ibid.* X. Sorori sanctimoniali significasse fertur, quam a supremo honoris fastigio abhorreret, *ibid.* XVI. Varii honorum gradus ab eo gesti, *ibid.* XVII. S. Ludovicum privilegiis exornat, *ibid.* XVIII. *& seqq.* Et Philippum filium, *ibid.* XXI. Et Regem Navarræ, *ibid.* Saracenos ecclesiastica ditione pellit, *ibidem* XXII. Numerum Cardinalium auget, *ibid.* XXIII.

Urbanus IV. de Simone renuntiato Card. ac judicio postulato quid statuerit, *ibid.* Alfonsus Castellæ Rex ab eo insignia imperialia deposcit, 1262. I. Quid illi responderit, *ibid.* II. III. Conradinum eligi vetat, *ibid.* IV. *& seq.* Jacobo Regi Aragonum Manfredum conciliare ecclesiæ annitenti, respondet, *ibid.* IX. *& seq.* Manfredi scelera exponit, *ibid.* X. *& seqq.*

Urbanus IV. deterret Jacobum Aragonum, ne affinitatem cum Manfredo contrahat, *ibid.* XIII. XIV. Gratulatur S. Ludovico, respuisse affinitatem Regis Aragonum, quod se Manfredo conjunxerit, *ibid.* XVII. XVIII. Transferendi in Gallicam stirpem Siculi sceptri consilium agitat, *ibid.* XX. Ditionem pontificiam tuetur, *ibid.* XXI. Insectatur hæreticos, *ibid.* XXII.

Urbanus IV. Richardum episcopum Cicestrensem sanctorum catalogo apponit, *ibid.* XXIII. De S. Hedwigis miraculis inquiri jubet, *ibid.* XXVII. Expeditionis in Tartaros consilia differt, *ibid.* XXIX. XXX. Bellum sacrum in Palæologum promovet, *ibid.* XXXIV.

Urbanus IV. S. Ludovicum solicitat, ut Balduino auxilium ferat, *ibid.* Cardinales ab Urbano creati, 1262. LI. S. Ludovicum & Regem Navarræ ad ferendum Terræ sanctæ subsidium excitat, 1263. I. *& seq.* Clerum decimas in subsidium ejusdem Terræ sanctæ convertendas pendere abnuentem, increpat, *ibid.* XIII. XIV.

Urbanus IV. Genuenses & Venetos dissentientes ad pacem redigere nititur, 1263. XVI. Intentat Genuensibus mulctam, ni a fœdere Palæologi discedant, *ibid.* XVIII. Monet Cyprios, ut a Palæologi insidiis caveant, *ibid.* XIX. Ecclesiasticos ad restituendum Balduinum Constantinopol. Imp. conferre æs subsidiarium jubet, 1263. XX. XXI.

Urbanus IV. Palæologo Ecclesiæ gratiam exambienti respondet, 1263. XXIII. *& seq.* Inducias inter Palæologum & Villarduinum Achajæ principem indicit, *ibid.* XXXVII. Alphonsus ad eum oratores pro insignibus Imperii deposcendis mittit, *ibid.* XXXVIII. Fert sententiam, Alfonsum vocandum electum in Regem Romanor. *ibid.* XL. Richardo causas exponit, ob quas eam sententiam tulerit, *ibid.* XLIII.

Urbanus IV. Richardum ad controversiam decidendam citat, 1263. XLVI. Proposita hinc inde in judicio ipsi significat, *ibid.* LIII. Alfonsum ob compressos Mauros effert encomiis, *ibid.* LXI. Palentinam academiam privilegiis exornat, *ibid.* LXIII. Manfredum in judicium vocat, *ibid.* LXIV. Quibus legibus tutum commeatum polliceatur, *ibid.* LXVIII.

Urbanus IV. adducitur in periculum a Manfredo, 1263. LXXII. Fideles ad crucem in eum induendam concitat, *ibid.* Senenses ad bello captos humanius tractandos provocat, *ibid.* LXXIII. Pisanos ab iis insectandis deterret, *ibid.* LXXVI.

Urbanus IV. Lucanos erigit ad constantiam, 1263. LXXVII. Cusentinum archiepiscopum pro imploranda ope in Gallias mittit, *ibid.* LXXVIII. Solicitat Angliæ Regem, ne Gallis Siculum bellum suscepturis obsistat, *ibid.* Simonem e Monteforti censuris defigit, *ibid.* LXXXIII.

Urbanus IV. Guidonem Card. legatum in Angliam ad civile bellum sopiendum mittit, 1263. LXXXIV. Lituanos ad Christum revertentes baptismo lustrari a Cracoviensi episcopo jubet, *ibid.* LXXXV. Ordinem S. Claræ optimis institutis temperat, *ibid.* XC. Qui Cardinales illi assederint, *ibid.*

Urbanus IV. censurarum severitatem ad piorum gratiam mitigat, 1264. I. Gallorum opem implorat, *ibid.* Hortatur Reginam Francorum, ut cum Carolo controversiam componat, *ibid.* II. Quibus legibus Carolum senatorem Urbis creari permiserit, *ibid.* IV.

Urbanus IV. agit cum S. Ludovico ne Carolus perpetuam senatoris dignitatem admittat, 1264. VII. Simonem Card. legatum de regno Siculo in Carolum transferendo agere jubet, *ibid.* X. XI. Atrociori bello

lo a Manfredo divexatur, *ibid.* XIII. *& seq.*
Urbanus IV. S. Ludovici auxilia implorat, 1264. XIII. *& seq.* Alfonsum Pictaviæ comitem, ut votum Syriacæ expeditionis cum Sicula commutet solicitat, *ibid.* XIV. Tres Cardinales legatos creat, *ibid.* XV. Fideles ad sacram militiam invitat, *ibid.* XVI.
Urbanus IV. divina ope de Saracenis immissis a Manfredo victoriam refert, *ibid.* XVIII. Adversus Germanorum impetus a Deo protegitur, *ibid.* XIX. Insignis miraculi occasione Corporis Domini celebritatem instituit, 1264. XXVII. Ut illi olim archidiacono Leodiensi S. Juliana id prædixerit, *ibid.* XXVIII.
Urbanus IV. indoctos præsules exauctorari jubet, 1264. XXIX. In iis vitæ sanctitatem exigit, *ibid.* Clementiam in eos, qui olim ipsum ceperant explicat, *ibid.* XXX. Coram eo de Imperio inter Alfonsum Richardumque judicio disceptatum, *ibid.* XXXVII. *& seq.* Ob Richardi vincula ferendæ sententiæ diem extrahit, *ibid.* XXXIX.
Urbanus IV. præstita perduellibus juramenta ab archiepisc. Colonienſi rescindit, 1264. XLI. Animadverti in eos jubet, *ibid.* Ipsos anathemate defigit, *ibid.* XLII. Lundensem archiepisc. exauctorat, *ibid.* XLIII. Othacherum Boemiæ Regem in Ruthenos & Lituanos accendit, *ibid.* XLIV. Eorum terras illi attribuit, *ibid.*
Urbanus IV. Belam Ungariæ Regem deterret, ne fœdus cum Tartaris ineat, 1264. XLVIII. XLIX. Cumanos ad vitam ritu Christiano instituendam cogi jubet, *ibid.* LI. Pacem inter Belam Ungariæ Regem & filium Stephanum revocare nititur, *ibid.* LII.
Urbanus IV. parenti obsequi jubet, 1264. LIV. Arguit illum, maternas possessiones invadere, *ibid.* LIII. Expeditionem in Græcos constat, *ibid.* LVI. Revocare Venetos inter & Genuenses concordiam conatur, *ibid.* LVII. Palæologi ad eum literæ de ecclesiarum conjunctione redintegranda, *ibid.* LVIII. LIX.
Urbanus IV. respondet Palæologo, & nuntios apostolicos ad eum mittit, 1264. LXI. *& seqq.* Objurgat proceres Cyprios, Nicosiensi archiep. in Græcis & Syris corrigendis deesse, *ibid.* LXVI. LXVII. Sancta loca recuperare cogitat, *ibid.* LXIX. Dissentientes Christianos Syros jungere amicitiam jubet, *ibid.* Neophitos tuetur, *ibid.*
Urbanus IV. morbo opprimitur, 1264. LXX. Cometes illius obitus prænuntius, *ibid.* In ecclesia S. Laurentii sepultus Perusii, *ibid.* Quanto tempore sederit, *ibid.* Paternam domum Trecis in ecclesiam vertit, *ibid.* Manfredus ac sequaces ex illius morte ingentem lætitiam præ se ferunt, *ibidem.* LXXXI. Succedit ei Clemens IV. *ibid.*
Urbinates pontificium ducem fundunt, 1284. XVI.
Ursini impetum Henrici tyranni fortiter sustinent, 1267. XIX. Ingentia de iis ad augustiorum honorum apices evehendis a Nicolao III. agitata consilia ferunt, 1280. XXVIII. Annibaldenses in eos seditionem movent, *ibid.*
Waldemarus Sueciæ Rex Sophiam neptem, Pontificis auctoritate, sibi despondet, 1259. XIX. Sopitum eo conjugio atrox bellum, *ibid.* XX. Schoningiam dotis nomine obtinet, *ibid.* Stocholmia ejus auspiciis condita, *ibid.* Inde repressæ barbarorum excursiones, *ibid.* A Magno fratre regno depellitur, 1277. LXIII. Gothicum fratris benignitate recuperat, *ibid.* Ericum Regem Daniæ in Sueciam evocat, 1284. XXIV. A Benedicto episcopo Lincopensi & aliis proceribus ob dissolutos mores regno Gothiæ deturbatur, 1285. LXXIV.
Waldenses hæretici, 1258. XXV. Eorum circa animæ salutem trepidatio, *ibid.* XXVI. Specie sanctitatis fræna sceleri laxabant, *ibid.* XXVII. Suos in desperationem adigebant, *ibid.* XXVIII.
Wallia subacta ab Eduardo Rege Angliæ, 1282. XXXIII.
Walterus clarus sanctitate, 1257. XXXVII. In pauperes liberalis, *ibid.*
Walterus conspirationis in Alexandrum Regem Scotiæ auctor necatus ab uxore adultera, 1257. XXXIII.
Wenceslaus Boemiæ Rex cæso in acie patre supplex pacem a Rodulpho redimit, 1278. XLIII. Rodulpho fiduciarii principis officia exhibet, *ibid.* Juttam illius filiam despondet, *ibid.*
Wernerus Gerardi successor in archiepiscopatu Moguntino, 1260. XVII. Eo nondum a sede Apost. confirmato, Othacherus Rex Boemiæ ab alio sacrari obtinet, *ibid.* XIX. XX.
Willarduinus Achajæ & Peloponnesi princeps de pace inter Manfredum & Alexandrum IV. ineunda agitat, 1260. I. Sub palearum acervo captus a Palæologi victore exercitu, *ibid.* LIII. Vexata bello illius ditio, 1265. XXI.
Wadislaus S. Hedwigis nepos Salisburgensi ecclesiæ præficitur, 1261. XXIV.
Wolftiberius designatus archiepiscopus Gnesnensis, 1279. XLIII. Jure suo cedit, *ibid.*

## Z

Zelus Gregorii X. pro restituenda Ecclesiæ primæva sanctitate, 1274. XXXII. XXXIII.
Zelus S. Ludovici pro fide in Tunetano regno amplificanda, 1270. XI.





# INDEX ANIMADVERSIONUM

In quo paginarum numerus indicatur.

## A

ALbericus Ezelini frater ab Ecclesia deficit, 15. Ejusdem infelix obitus, 55. Ejus uxor filiæque incendio crematæ, *ibid.*
Alexandri pap. IV. secessio Viterbium, 23. Qua de causa, *ibid.* Imperium assignaturus cur potius faverit Richardo, quam Alphonso Castellæ Regi, 26.
Angliæ dissensiones quare excitatæ, 181.
Antiochia quando capta a Sultano, 252.
Antiochia a Saracenis obsessa, 93. Liberatur, *ibid.*
Argonis pugnæ diversæ cum Saracenis, 619. Multa de illo narrantur ambigua, *ibid.*
Arsenii restitutio in Patriarchatum Cpolitanum, 80.
Armanni obitus, 255. Ficta sanctitate celebris, *ibid.* Larva detecta ejus ossa crematur, *ibid.*
Assassinorum arcis expugnatio quo anno contigerit, 16.

## B

BEcci patriarchæ Cpolitani amotio a patriarchali sede, 586. Sedis tempus & obitus, *ibid.*
Belæ Ungariæ Regis interitus, 272. Ejus successor, *ibid.*
Bellum inter Pisanos & Genuenses quare excitatum, 29. 566. Genuensium cum Venetis, *ibid.* Insignem victoriam de Pisanis referunt Genuenses, 582.
Bendocharis Sultani Babyloniæ obitus quo anno, 391.
Boamundi Antiochiæ Principis emortualis annus, *ibid.*
Bononia quo anno rediit in obsequium S. R. E. 488.
Brancaleonis defectio a Romano Pontifice, 23.

## C

CÆsareæ expugnatio a Sultano Babyloniæ, 170.
Caroli epocha in regno Siculo unde ducta, 184. In Hierosolymitano regno cedente Maria, 300. Ejusdem certamen cum Petro Aragoniæ Rege in causa Siculorum, 549.
Christophori regis Daniæ obitus, 49. Censuris affectus fortasse interiit, *ibid.*
Clementis IV. electio in pontificatum quo anno ac die, 157. Assensum procrastinat, *ibid.*
Concilium Danicum quo anno & ubi celebratum, 9. Provinciale aliud, 33. Ravennatense sub Philippo Archiepiscopo, 47. Quare habitum, *ibid.* Arelatense sub Florentio Archiep. 61. Burdegalense in causa Tartarorum, 65. Northantonempse in Anglia, 181. In eo Regis perduelles excommunicati, *ibid.* Bremense sub Guidone Cardinale, 198. Ejus canones a quo vulgati, *ibid.* Tarraconense præside Benedicto ejusdem loci Archiep. *ibid.* In eo quid actum, *ibid.* Magdeburgense ab eodem Guidone habitum & quare, *ibid.* Alia item ab eodem coacta, 201. Sedenense, *ibid.* Aliud incerti loci in Dania Jacobo Archiep. præside, 217. Bremense alterum in causa Theodorici Bavari Berengarianam hæresim asserentis, *ibid.* Lugdunense II. 344. Quot in eo sessiones habitæ, *ibid.* Patrum numerus, *ibid.* Varia ejusdem decreta & constitutiones, *ibid. & seq.* Suffraganeorum Arelatensis provinciæ, 388. Trevirense, 421. Turonense præside Petro Archiepisc. 463. Aliud ad Castrum Gonterii, 525. Damiense aliud Collectoribus ignotum, *ibid.* Senonense in Gallia, 511. Ejus acta, *ibidem.* Aquilejense Provinciale sub Raimundo Patriarcha, 535. Ejus constitutiones, *ibid.* Turonense aliud, 543. Canones, *ibid.* Quare coactum, *ibid.* Melphense in Sicilia sub Gherardo legato, 575. In eo injuncta Græcis additio vocis *Filioque* in Symbolo, *ibid.*
Constitutio de Conclavi Pontificio a Joanne XXI. abrogata, 435. Cur Viterbienses innovarint, *ibid.*
Conventus Antistitum ac Principum Suecicorum quando habitus, 392. In eo agitata causa Valdemari Regis, *ibid.* Eodem exauctorato assumptus Magnus, *ibid.* Dania ab interdicto liberata, *ibid.*
Constantinopolis expugnatio a Græcis quo anno contigerit, 80.
Corradinus insignis Ecclesiæ hostis, 233. Captivus effectus solutionem poscit a censuris, 234. Venia donatus in communionem Ecclesiæ recipitur, *ibid.* Ejus obitus, *ibid.*

## D

DAnia ab interdicto quando liberata, 392.

## E

EDuardi Regis Angliæ fuga quando contigerit, 180.
Electio comitis Andegavensis in Senatorem Urbis quo anno facta, quibusve cautionibus, 132.
Entii Regis infelix obitus, 287. Solemni pompa sepulturæ mandatur, *ibid.*
Episcopis olim aliisque viris scientia & pietate claris injunctum, ut scriptis redigerent si quid in Concilio suggerendum habe-

berent, 322. Hac de re eximia consultatio extat Humberti de Romanis, *ibid.*
Ezelini pugna cum Apostolico legato, 25. Ubi acciderit, *ibid.* Infestissimus adversarius Romanæ Ecclesiæ, 34. Infelix obitus, *ibid.*

## F

FIrmani Urbinatesque in Romanum Pontificem contumaces, 191.
Flagellantium Secta quando exorta, 55. Ejus origo, 56.
Florentini deposita pervicacia Romano Pontifici parent, 191.

## G

GEnuenses repudiata pace cum Venetis interdicto affliguntur, 223. Cum Carolo compositi opera Innoc. V. 334. Ab Adriano V. interdicto liberati, *ibid.* Iterum interdicto mulctati & quare, 478. Biennio servatum irritum declaratur, *ibid.*
Græci a quo tempore indictionem ordiantur, 516.
Gregorii X. iter in Italiam, 288. In Palæstinam se conferre constituit, *ibid.* Audita morte S. Ludovici consilium mutat, *ibid.* Quæ Cardinalium promotio eo sedente facta, quibusve temporibus, 320. Genuenses cum Carolo conciliare nititur sed frustra, 334. Eosdem interdicto affligit, *ibid.* Auctor dialogi inter Saulum & Paulum, *ibid.* Item orationis pro concordia inter Guelphos & Ghibellinos, *ibid.* Obitus, 394. Ejus successor, *ibid.*
Guido Cardinalis legatus in Daniam, 174. In Provinciam adventus, *ibid.*
Guillelmus Patriarcha Hierosolymitanus, 73. Urbani IV. Successor in Patriarchatu, *ib.* & 104. Sedis Apostolicæ legatis, *ibid.* Obitus, 271.

## H

HEnrici interfectio Pontificatum ambientis, 275.
Henrici Anglorum Regis obitus, 314. Ejus successor, *ibid.*
Honorii IV. electio in Pontificatum, 595. Coronatio, *ibid. & seq.*
Hugonis Regis Cypri obitus, 225. Ejusdem successor, *ibid.*
Hugo alter Cypri Rex ad Hierosolymit. Regnum assumptus, 300. Ab Episcopo Liddensi diademate ornatur jussu Guillelmi, *ibid.*
Humbertus de Romanis summa prudentia judicioque præstans, 322. Ad supremum regimen Ordinis prædicatorum vocatus abnuit, *ibid.* Ejus egregia consultatio de disciplina Ecclesiastica, & reformatione, *ibid. & seq.* Salutaria monita, *ibid.*

## I

JAcobus Lundensis Archiepiscopus sacris infulis orbatus ab Urbano IV. 145. De falsis criminibus fortasse accusatus, *ibid.* Obitus, 258. Successor, *ibid.*
Jacobi Regis Aragoniæ emortualis dies, 401.
Jaffa a Sultano capta, 252. Caput S. Georgii potitur, *ibid.* Corpus S. Cristinæ comburit, *ibid.*
Jesus nomen inclinato capite pronunciari quando præceptum, 345.
Joannis XXI. electio in Pontificatum, 395. Adriano V. succedit, *ibid.*
Jacobi restitutio in Patriarchatum Constantinopolit. amoto Becco, 586. Huic Gregorius Cyprius succedit, *ibid.*

## L

LIvo Regis Armeniæ filius apud Tartaros captivus liberatur, 271.
S. Ludovicus quo anno expeditionem susceperit in Barbaros, 269. Res gestæ & exitus, *ibid.* In ea piam vitam claudit, *ibid.*

## M

S. MAriæ Magdalenæ corpus quo anno inventum, 489.

## N

NIcolaus III. quatuor Regna condere meditatur, 518. Ubi constituere vellet, *ibid.*

## O

OThocari epocha unde ducta, 60.

## P

PAleologi literæ ad Nicolaum Pont. quando datæ, 516.
Petrus de Tarantasia Greg. X. successor, 394. Innocentius V. appellatus, *ibid.* Huic Adrianus V. suffectus, *ibid.* Post ipsum Vicedominus de dominis, *ibid.* Dein Joannes XXI. 395.
Petrus Aragoniæ fit Rex Siculorum depulsis Gallis, 355. Carolum ad singulare certamen provocat, 549.
Philippus Rex S. Ludovici successor, 269. Ejus Viterbio recessus, Henrico cæso, 275. Obitus, 602.
Pragmatica sanctio S. Ludovici Galliarum Regis quando lata, 255. Quid in ea decernitur a veritate prorsus alienum tantique Regis pietate, *ibid.*
Prælium ingens inter Florentinos, Senenses & Lucenses, 54. Florentinis & Lucensibus infelix, *ibid.* Ea occasione Pisanorum urbs excussit jugum Florentinorum, *ibid.*
Provocatio inter Petrum Carolumque in causa Siculorum ad quem annum pertineat, 549.
Pugna infelix Christianorum cum Ægyptiis Jaffæ, 257.
Pugnæ diversæ copiarum Ecclesiæ quo anno, 523.

## R

ROmana Ecclesia quousque omissionem vocis *Filioque* in Symbolo toleravit, 575. Quando jussit additionem, *ibid.*

## S

SArracenorum expulsio ex Italia quando acciderit, 255.
Senenses inter & Florentinos atque Lucenses memorandum prælium, 54.

Sicu-



Siculæ defectionis historia luculentius expressa, 535. Ejus causa, progressus exitusque, *ib.*
Stephanus Ungariæ Rex eligitur, 272. Belæ successor, *ibid.* Obitus, 314.
Synodus Græcorum sub Gregorio de utriusque Ecclesiæ conjunctione quando habita, 350.
Synodi duplices Græcorum in causa Becci Patriarchæ Constantinopol. 587. In his quid actum, *ibid.* Quis eisdem præfuerit, *ibid.*

## T

THeodori exordium in imperio quo anno, 50. Ejusdem obitus, *ibid.* Quid de eclypsi eo tempore spectata, *ibid.*
Therdonensis Episcopi cædes quo anno acciderit, 615.
Thomas Lentinus ex Cusentino Episcopo Patriarcha Hierosolymit. 298. Sedis Apostolicæ diu in Palæstina legatus, *ibidem.*

## V

URbanus IV. quando Pontifex renunciatus, 73. Ejus successor in Patriarchatu Hierosolymit. *ibid.* Ejusdem litteræ ad Agnetem falso Clementi tributæ, 73. Cardinalium collegium adauxit, 80. Quos creaverit, 99. Bellum gerit cum Manfredo, 137. Varia gesta ejusdem exercitus, *ibid.*
Vallensium defectio quo anno contigerit, 543.
Venetorum victoria in Genuenses quomodo relata, 225.
Venusini comitatus cessio S. Pontifici quo anno confirmata, 343.
Viterbiense factum pro Pontificia electione urgenda, 435. Jam abrogatam constitutionem a Joanne XXI. innovant, *ibid.*

FINIS.

UNIVERSITARIA CANADA